LITURGIARUM

ORIENTALIUM

COLLECTIO.

TOMUS I.

LITURGIARUM

ORIENTALIUM

COLLECTIO

OPERA ET STUDIO EUSEBII RENAUDOTII PARISINI.

Renaudot, Eusèbe

EDITIO SECUNDA CORRECTIOR.

TOMUS PRIMUS.

FRANCOFURTI AD MOENUM

SUMPTIBUS JOSEPHI BAER BIBLIOPOLAE.

LONDINI

APUD JOANNEM LESLIE BIBLIOPOLAM.

1847.

Typis Benjamin Krebs.

INDEX

DISSERTATIONUM ET LITURGIARUM QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

PRAEFATIO.

PRAEFATIO.

QUAE rem Liturgicam generatim spectant, atque adeo non Orientali modo Ecclesiae, sed Occidentali etiam communia sunt, cum viri doctissimi fuse exposuerint, in hoc opere tractare non aggrediemur, verum ea sola quae ad Orientales proprie pertinent; quod ea ut plurimum intacta sint, summe tamen necessaria ad intelligendam veteris Ecclesiae cum nova, Occidentalisque cum Orientali, non interruptam ab Apostolicis temporibus in fide, disciplinaque Eucharistiae celebrandae concordiam. Itaque ad ea intelligenda, quae Orientalem sacrificii Evangelici formam constituunt, prius ea didicisse necesse est, quae totam illius oeconomiam continent, quae sunt et fuerunt semper omnibus Ecclesiis communia. Operis consilium.

Egregiam sane in ea sacrae doctrinae parte explicanda contulit operam vir non tam dignitate, quam doctrina, morumque sanctitate conspicuus Cardinalis Joannes Bona, editis duobus Rerum Liturgicarum libris, eruditis et laboriosis, in quibus omnia prope quae hoc in genere optima sunt, accurate collegit, adeo ut illius diligentiam vix quidquam effugerit. Qui antea ut Jacobus Pamelius, idem argumentum tractaverant, etsi multa collegere, quae maximam antiquitatibus Liturgicis lucem afferunt, longe tamen abfuerunt a certa illa veri cognitione, sine qua frustra in illis explicandis laboratur: maxime vero quia plerique Graecae Ecclesiae disciplinam pro cognita habuerunt, cum ipsis incognita plane foret, Syrorum, Aegyptiorum, aliorumque Orientalium multo minus. Pamelius enim Graece parum sciebat: Quinam res Liturgicas explicaverunt.

Genebrardus etsi linguarum Orientalium, Hebraicae in primis peritus, Officia sacra Orientalium nulla viderat: reliqui ne nominari quidem merentur.

Multos retardavit Critices defectus.

Magno etiam, ne quid alicujus utilitatis hac in tractatione praestarent, illis impedimento fuit Critices accuratioris defectus, cum illi duo, dum Liturgiam Apostolicam designare satagunt, falsis veterum Pontificiarum Epistolarum Dionysii, Clementis aliorumque similium scriptorum testimoniis, omnia sua scripta oneraverint: certiora aut ignoraverint, aut neglexerint. Sed neque is qui primus Graecis ritibus explicandis laudabilem prae reliquis impendit operam Jacobus Goarius ex Dominicana familia, eo errore caruit: qui quidem si cum Graecis negotium sit, innoxius est, nam scriptorum illorum autoritas apud eos viget. Verum adversus Protestantes non inutiliter modo, sed etiam periculose talibus subsidiis pugnatum est: ea enim argumenta facile refellebant, cum veteres Liturgias, quasi non aliunde stabiliri posset illarum dignitas et autoritas, inter supposititia scripta rejici debere contenderent.

Ut etiam disciplinae veteris ignoratio.

Accessit etiam, quod cum plerique veterem disciplinam non ex communi saeculorum omnium traditione, et continuatis Ecclesiarum exemplis, metiri vellent, sed ex sui temporis moribus et institutis, temere nimium quidquid a Latinae Ecclesiae consuetudine vel minimum recedebat, damnare non veriti sunt, qua ratione factum, ut traditionis perpetua successio abrupta videretur, neque ullum adversus communes hostes superesset in aeterna illius autoritate praesidium. Hinc natae sunt tot adversus Graecos accusationes, dum vix quidquam in illorum sacris caeremoniis a censura inofficiosissima intactum reliquerunt, etiam illi qui concordiae conciliandae causa in Orientem mittebantur: quibus exacerbati animi, in odium inexpiabile, quod luctuoso tandem schismati occasionem dedit, eruperunt.

Nimia facilitas in damnanda Orientali disciplina.

Prodierunt deinde ex eorumdem hominum qui veterem disciplinam ignorabant, judiciis, ratae quaedam sententiae, secun-

dum quas Officia Sacramentalia omnia, quae Orientales Christiani a majoribus tradita conservabant, damnata impietatis, reformata, aut abolita sunt: quae censura non Orientales solum Ecclesias quae supersunt, sed antiquas communis traditionis testes, simul involvit.

Difficilis et invidiosa fuit rerum Liturgicarum tractatio.

Difficilis sane erat accurata rerum Liturgicarum tractatio, cum a restitutis in Europa humanioribus literis, haud mediocre tempus effluxerit, antequam linguae Graecae cognitio, et reliqua ex vetustis monumentis Ecclesiasticis subsidia, ad illustrandam Theologiam adhiberentur. Graecas et Hebraicas literas multi contemnebant, et si qui eas impensius colerent, a novitatis suspicione non erant immunes: unde Reuchlinus et Erasmus perpetua apud ejusmodi homines invidia flagraverunt, neque Romanorum ipsorum Pontificum amplissima testimonia, praesertim erga Erasmum jam senem et Protestantium conviciis laceratum, a calumnia eum vindicare potuerunt. Is porro cum Chrysostomi Liturgiam, qualis extabat in Codice qui illi ad manus fuit, Latine esset interpretatus, optime de Christiana Republica meruerat, cum sola tunc extaret Ambrosii Pelargi versio, inconcinna prorsus et barbara. Tanta erat nihilominus ea aetate rerum Ecclesiasticarum, maxime Liturgicarum obscuritas, ut paucissimi inde profecerint. Imo cum ex aliquot disputationibus quae Florentiae cum Graecis habitae fuerant, et ex Bessarionis opusculo, non modo lux nulla Graecis Ritibus affulsisset, sed inductae majores tenebrae: quod ad Orthodoxae fidei de Eucharistia confirmationem erat opportunissimum, non inutile modo, sed perniciosum judicatum est. Solus quantum adipisci legendo potuimus, plus vidit reliquis Georgius Cassander, qui in brevi, sed erudito scripto, quod Liturgica appellavit, ea solidioris doctrinae semina inspersit, ex quibus fructus longe maximi colligi potuissent, si imitatores habuisset.

Liturgiae quando primum editae.

Nihil tunc quod ad res Liturgicas spectaret editum fuerat, nisi Graecorum Ecclesiastici libri complures, Venetiis plerumque,

ut usui forent in quotidianis Officiis, quique omnes ferme in Graeciam asportabantur, vixque nostris Theologis noti erant, cum inter eos paucissimi Graece scirent, et quidem mediocriter, adeo ut styli illius sacris ritibus proprii sententiam non facile assequerentur: multo minus rubricarum et scriptorum qui caeremonias exposuerant. Orientalium Liturgiarum nulla, praeter Aethiopicam generalem, et duas alias edita fuerat, cum versione satis inconcinna, et aliquot locis interpolata, ex qua de ritibus Aethiopum vix poterat pronunciari. Post annos aliquot Typis Regiis Lutetiae editae sunt Graece et Latine, Liturgiae S. Jacobi, S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi, cum Missa Praesanctificatorum anno MDLX. qua editione nihil elegantius. Accesserunt opuscula sanctorum Patrum, aut recentiorum Graecorum varia, quae ad fidem Eucharistiae confirmandam, et illustrandam magnam autoritatem habebant. Verum etsi non contemnendam operam in Praefationibus et notis impendisset Claudius Sanctesius insignis illa aetate Theologus, ritibus nullam aut exiguam lucem attulit: quaestiones illas quarum origo ex quorumdam hominum adversus Graecos criminationibus, non aliunde quaerenda est, tractare Sanctesius, et qui eum secuti sunt videntur formidasse. Cabasilae et Marci Ephesii scripta ediderunt, circa agitatam in Concilio Florentino de verborum Christi ad consecrationem potestate quaestionem: sed eam ipsi attingere veriti, Bessarionis opus de Eucharistia conjunxerunt, quasi antidotum adversus Graecorum haeresin, neque ultra progressi sunt. Qui Parisiensem editionem eodem anno Antuerpiae minori forma, et Latine tantum renovaverunt, nihil addiderunt novi.

Joannes a Sancto Andrea Liturgias aliquot edidit.

Editioni Parisiensi operam contulerat Joannes a S. Andrea insignis Ecclesiae Parisiensis Canonicus: is post annos viginti tres Liturgiam Marci Graecam edidit, ex apographo Guillelmi Sirleti Cardinalis doctissimi: nihil quoque praeter Latinam versionem adjunxit: notas nullas quae aut ritus, aut doctrinam explicarent, sed excerpta tantummodo ex Clementinarum Constitutionum libro 8.

Idem anno MDXCV. aliam Liturgiam edidit hoc titulo. ***Missa Apostolica seu divinum sacrificium S. Apostoli Petri***, nec indicavit unde illam habuisset: subjunxit aliquot Willelmi Lindani notas, non jejunas modo et eruditionis vacuas, sed prorsus inutiles. Quid enim referebat Missam talem, cum nostra conciliandi laborem perdere, cum alteram istam opus esse privati alicujus esse constaret, qui ex Graeca et Latina illam arbitrio suo composuerat.

Masius edidit Liturgiam Basilii Syriacam.

Eodem prope tempore Andreas Masius vir Syriace doctissimus ediderat cujusdam Liturgiae Syriacae Basilio adscriptae Latinam versionem, cui praefationem addidit, in qua de illa sua, et Graeca ejusdem nominis conjecturas inseruit; quae multis fraudi fuerunt, ut alibi explicavimus, neque enim de Syriacis Liturgiis judicare recte poterat, qui unicam illam viderat.

Syriacae Liturgiae, etc.

Tandem sub finem saeculi decimi sexti editae sunt Liturgiae Syriacae, titulo Missalis Chaldaici, Romae ad usum Maronitarum, sed valde interpolatae, neque Latine conversae: ut Armenorum vulgaris, sed cum versione. Paulo post Conimbricae Latine prodiit Missa Christianorum apud Indos, sed reformata multis in locis, autoritate Alexii Menesii Goensis Archiepiscopi, quae est communis Nestorianorum Liturgia: tandem Augustae-Vindelicorum versio trium Copticarum.

Plures Liturgiae translatae in Bibl. Patrum.

Omnes illae de quibus huc usque dictum est, Armenica excepta, in Bibliothecam Patrum translatae sunt. Verum in illa collectione ita versatus est Margarinus Bigneus, ut in Graecis Jacobi, Básilii, Chrysostomi et Marci, edita jam exemplaria typis describi curaverit: absque ulla cum Graecis codicibus comparatione, notis nullis, nulla multorum errorum quae in textum vel in versiones irrepserant, emendatione. Nec aliter in eo opere versatus est, quam fecisset diligens typographus, nisi quod de suo pluribus locis lectores admonuit, ut caute legerent ea ipsa verba, quae sanctissimi Ecclesiae Doctores ad altaria pronunciaverant, nullo florentissimarum Ecclesiarum scandalo.

PRAEFATIO.

De illis variae Criticorum sententiae.

Qui circa Liturgias illas Criticen exercuerunt suam duplicis ordinis fuerunt. Nam Catholici complures, quasi periret illarum autoritas, si Apostolicis, aut aliis viris sanctitate conspicuis abjudicarentur, titulos qualescumque forent, vindicandos susceperunt: et tamen in ipsis Liturgiis suspecta habuerunt non pauca, quasi a recentioribus inducta essent: aut ita sunt interpretati, ut vix ipsi sibi, tanta est inter eos diversitas, satisfacerent, multo minus Ecclesiae Catholicae adversariis, quorum maxime intererat, ut supposititiae et falsae haberentur: cum illos nimium premat illarum autoritas. Ita omnes Graecas editores primi, Baronius, Bellarminus et plures alii defendere aggressi sunt, prorsus infeliciter, plerumque ex Pseudepigraphis, aut conjecturis incertissimis. Inde accidit ut inter ipsos Catholicos viri non ineruditi, Liturgias illas omnes, aut suppositas esse, aut valde interpolatas, aut ab haereticis corruptas, aut tandem multis saeculis recentiores esse, quam vulgo creditum fuerat, Protestantibus concesserint. Reliquas multo magis aspernati sunt: turpissimum existimantes, agnoscere Basilii, ut exemplo utamur, Liturgiam Copticam, qui Graecam, ut noviter compositam rejicerent. Imo cum nonnullis diversitas Liturgiarum Basilii, Graecae, Copticae et Syriacae argumentum certissimum videretur, quo nullam illarum a Basilio scriptam esse constaret, omnes prope teterrimam de illis sententiam tulerunt, ut inutiles plane ad confirmandam ex Orientalium Ecclesiarum concordia Catholicam fidem efficerentur.

In ritibus explicandis vix quidquam olim praestitum.

In tot vero Graecarum Liturgiarum editionibus, ut etiam versionum illarum quae Orientalibus propriae erant, nihil omnino annorum plusquam centum decursu, a quoquam praestitum fuit, quo ritus sacri exponerentur. Nam quae Claudius Sanctesius collegerat ex Chrysostomo,' partes quasdam illustrabant, sed eas solas quae toti Ecclesiae communes, non magis ad Orientales quam ad Occidentales pertinebant. Rituum et totius disciplinae Eucharisticae talis erat obscuritas, ut verba ipsa non intelligerentur, quod ex primis versionibus manifestum est. Neque

magno adjumento fuit, Glossarium Meursii Graeco-Barbarum ad explicanda vocabula usus Ecclesiastici.

Primus eos feliciter explicavit Goarius.

Tandem prodiit anno 1647. opus insigne Jacobi Goarii ex Ordine Dominicano viri doctissimi, quo Graecorum Euchologium illustravit, et Latine versum egregio commentario explicavit, in quo Basilii, Chrysostomique Liturgias, omniaque ad ritus Eucharisticos spectantia, quae obscurissima erant, in magna luce collocavit, nihil adeo ut hoc in genere aetas nostra viderit praestantius. Nam vulgares quae in manibus Graecorum erant, tum veteres editiones, multosque antiquissimos codices inter se comparavit, quibus textus emacularetur: cumque non modo in antiquitate Ecclesiastica versatissimus foret, sed hodiernae etiam disciplinae, cum in Graecia Missionibus operam dedisset, notitiam haberet non mediocrem, omnes qui aliquid hac in parte tentaverant longo intervallo superavit. Ante annos quatuor Isaacus Habertus Pontificale Graecorum ediderat plenum eruditionis reconditae, liberaeque a spinosae Theologiae salebris, inter quas vix agnosci potest Ecclesiasticae disciplinae traditio: atque illo in opere multa Liturgiis illustrandis utilia insperserat. Sed ulterius progressa est Goarii diligentia, adeo ut tot annorum decursu, nemo quidquam illius laboribus addiderit: omnes ex illis se profecisse agnoverint.

Pler que alii non eodem successu de illis scripserunt.

Atque haec circa Liturgias Graecas praestita sunt a viris eruditis, praeter quae nihil prope in literas missum est, quod novarum rerum delectu, judiciove possit commendari. Nam Protestantes omnes Rivetum secuti sunt, infelicem si quis unquam fuit veterum scriptorum Criticum: et quod mirari satis nemo possit, multis Catholicis ejus censura non displicuit. Allatius de Jacobi Liturgia commentarium publicavit, quem probare nemo, nisi Rerum Liturgicarum imperitissimus queat, amplamque praebet Protestantibus illam et reliquas impugnandi materiam. Reliqui ubi de Graecis Liturgiis locuti sunt, aut aliena potius judicia quam sua perscripserunt, aut conjecturis

indulserunt, quarum nulla certis fundamentis nititur, pleraeque ne verisimilitudine quidem sustentantur; ut illa de Liturgia Chrysostomi, quod is non sit illius autor, sed Joannes alter ducentis annis posterior.

Circa Liturgias Orientales nihil scriptum.

Orientalium porro Liturgiarum longe major neglectus fuit: compactae sunt enim, ut diximus cum aliis in Bibliotheca Patrum, vix lectae a Theologis, aut adductae in testimonium ad fidem Eucharistiae adversus Protestantes vindicandam; naevos multiplices quibus versiones obscurabantur, nemo animadvertit, et in ultima tandem amplissima Lugdunensi editione, quales ab initio prodierant, recusae sunt. Neque sane manum salutarem illis admovere facile erat: cum et rara forent exemplaria ad quas recenseri illas oportebat, obstaretque peregrinarum linguarum difficultas, eo gravior, quod stylus Ecclesiasticus vocibus et verbis multiplicibus abundat, quae frustra in Lexicis quaererentur, exiguumque foret in advenis Orientalibus subsidium.

Protestantes pauci de illis scripserunt.

Cum tamen adversus Catholicam de Eucharistia fidem declamare Claudius Carentoniensis coepit, inquisitum est diligentius in Orientales Liturgias, de quibus, ex quo editae fuerant, Theologi nostri verbum non fecerant: multo minus Protestantes, qui quam parum opinionibus suis faverent, ex solis versionibus satis perspiciebant. Duo tamen ex illorum numero insignes in literis viri, Josephus Scaliger et Claudius Salmasius, illarum cum laude meminerant, et antiquitatem commendaverant. Primus Codicem suum quo tres Aegyptiacae continebantur, ad Marcum Velserum miserat, is Romam ad Victorium Scialach Maronitam, qui eas Latine vertit. Eam versionem emendaverat locis in multis Scaliger, sed ita ut minutiora tantum peccata observaverit: quae majoris momenti erant praetermiserit, veteri stylo Ecclesiastico Graeco se illas interpretaturum pollicitus, quod nunquam praestitit. Neque ille interpretandi labor viro doctissimo tam facilis, quam existimabat fuisset: subactum enim in vetustis Ecclesiasticis officiis esse oportebat illum, qui id in

se susciperet, quorum levem omnino notitiam, etiam doctissimi Protestantes habere deprehenduntur. Inutilis quoque labor ille futurus fuisset, cum extarent Graece illae Liturgiae, quales a nobis tandem repertae sunt in Codice Regio. Quod si rerum Ecclesiasticarum, aeque ac humaniorum literarum peritus fuisset Scaliger; agnovisset, eam quae Marci nomine edita fuerat Liturgiam, annis uno et viginti, antequam ad Marcum Velserum scriberet, ex tribus, quas Codex suus continebat, unam esse.

Multis deinde annis elapsis Claudius Salmasius cum in exemplar aliud earumdem incidisset, mirifico commentario ex eadem, Catholicam de Transubstantiatione doctrinam impugnare aggressus est, qua de re dicetur in notis ad illam Liturgiam. Versione quoque mendosissima sua, quae textui Coptico et Arabico aeque contraria erat, abusus est in Tractatu de Transubstantiatione. Albertinus locum unum citavit ex Aethiopica Liturgia, quo insulsissime triumphat, quasi totius Christiani orbis consensus, cum Calvinistis eo demonstraretur. Judicium Salmasii.

Cum igitur Claudius illum Christianorum Orientalium consensum cum Ecclesia Catholica circa fidem Transubstantiationis, et realis praesentiae confidentissime negasset, nec alia quam ex sordidis autoribus argumenta protulisset; de Liturgiis siluisset, in illis quaerendam Orientalium sententiam de Eucharistia visum est potius, quam ex incertis atque secum saepe pugnantibus, viatorum, aut scriptorum aliud agentium testimoniis. In eas amplius inquisitum occasione quaestionis de Perpetuo consensu:

Prodierat tunc primum volumen, quo brevis Tractatus de Perpetuo fidei consensu circa Eucharistiam vindicabatur adversus Claudium, qui primo operi, quod tribus majoribus voluminibus, et Responso generali occasionem dedit, opposuerat Refutationem priorem suam. Habebat ille colorem quemdam scribendi proprium, simplicem ut videbatur, et inaffectatum, quo tantum effecit, ut non modo insignis apud suos Theologi laudem tulerit, sed sordere statim coeperint laboriosa Albertini et aliorum ejus symmystarum volumina, imo et multis Catholicis fucum fecerit. Quam temere Claudius de illis pronunciaverit.

Vix enim existimare quisquam potuisset hominem qui de Orientalium fide asseveranter affirmabat, ignoratam illis huc usque fuisse realis praesentiae, multo magis Transubstantiationis doctrinam: Eucharistiae adorationem, omniaque fidei quam tenemus consentanea: qui miserebatur adversariorum ignorantiae, temeritatemque eorum et malam fidem modeste deplorabat; ne primam quidem illarum Ecclesiarum, de quibus loquebatur, notitiam habuisse. At id certo agnosci poterat, ex sola quam dabat sectarum enumeratione, in qua plures ex una faciebat, nominabat alias, quae dudum perierunt, imperitiam denique summam suam illis in rebus perspicue demonstrabat.

Multos tamen fefellit.

Verum ea tunc fuit Theologiae ratio, ut pauci admodum hominis proterviam agnoscere, multo minus confutare possent. Quae vernacule scripta sunt, leguntur ab omnibus, et quamvis judicare de illis operibus ad religionem spectantibus non omnes facile queant, vix tamen ullus quin de illis recte judicare possit, dubitat. Inde factum, ut omnes prope qui in Calvinistica secta vivebant, Claudio non minus crediderint de Coptitis, Syris, Aethiopibus, Armenis falsissima quaeque affirmanti, quam de aliis omnibus, quo in genere quanto quisque imperitior, aut illiteratior erat, tanto fuit ad omnia approbanda facilior. Imo quod saepe nimium experti sumus, non defuere inter Catholicos, qui frustra laborari in concilianda Orientalium doctrina cum nostra, temere existimarent: reliquos movebat non mediocriter adversarii confidentia.

Ex multorum codicum collatione examen Liturgiarum institutum est.

Ea demum occasione coepi ante multos annos Liturgiis cognoscendis incumbere, cumque cura viri amplissimi Joannis Baptistae Colberti magnus Codicum Orientalium numerus in Bibliothecam Regiam delatus esset, multos quoque ipse in suam ex Oriente contulisset, tunc de Orientalium fide et disciplina cognoscenda sperari coeptum est. Neque sane spes fefellit, cum ex sequentibus voluminibus, quae ad hanc de Perpetuitate fidei controversiam agitandam scripta sunt a nostris Theologis,

illa de Orientalium consensu quaestio tam perspicue explicata sit, non modo ex illorum qui praecipuis Ecclesiis praesidebant, Episcopis et Sacerdotibus cujuscumque sectae, sed etiam ex Liturgiis, aliisque publicae autoritatis libris, ut confutatus Claudius nihil quod reponeret, habuerit.

Orientalium praesertim editarum et manuscriptarum.

Cum librorum jam copia satis ampla suppeteret, quaecumque ad Liturgias spectabant accuratius inspicere necesse fuit, quia cum gravissimam merito judicemus esse illarum autoritatem, nihil speciosius opponere Protestantes poterant, quam illorum hominum judicia, qui de illis minus commode senserant, quae a multis eruditis inter Catholicos viris non modo rejecta non forent, sed approbata saepius et novis rationibus confirmata. Sed statim atque Liturgias attentius expendere coepimus, observavimus eos qui illas non nisi in versionibus legerant, de illis nullatenus debuisse judicare. De Graecis non loquimur, sed de Aegyptiacis, quarum summa antiquitas est, ususque a mille et centum annis in Ecclesia Alexandrina perpetuus. Aethiopicam quoque ex illis expressam expendere necesse fuit: tum alias Syriacas, quae ab Orthodoxis sive Melchitis, Nestorianis et Jacobitis usurparentur. Romae editas in Missali Chaldaico, ex prima inspectione, reformatas multis in locis esse constabat: Malabaricam multo magis. Cum porro Nestorianae Missae Codices et Jacobitarum complures inspexissemus, tum demum intelligere licuit, quam gravi testimonio tot Ecclesiarum a multis saeculis separatarum privata huc usque fuisset Ecclesia Catholica, quae in diversis illis Officiis omnium gentium linguis, unam veterem frustraque a Reformatoribus novitatis accusatam Eucharistiae fidem perspicue loqueretur.

Earum nova interpretatio necessaria.

Exinde consilium coepimus Liturgias Orientales, quaecumque haberi poterant interpretandi, quo in labore difficultates maximas superare necesse fuit. In Syriacis minus molestiae devorandum videbatur: non mediocris tamen illa fuit, cum plures longe quam in Missali Chaldaico editae fuerant, Liturgiae

reperirentur in Manuscriptis Codicibus: neque editis convenirent nomina quae in aliis occurrebant, quibus accedebat constans et perpetua interpolationis nota. In quaerenda vocum multarum usus Ecclesiastici significatione, nihil ex amplissimis lexicis etiam ineditis, subsidii erat, ut neque in advenis Orientalibus, quos studiose, sed sine fructu consulebamus. Rubricae in Codicibus rarae, aut nullae; virorum qui has literas Orientales excoluerunt etiam indigenarum, ut Abrahami Echellensis et Fausti Naironi, observationes incertae aut falsae. Verum tamen haec omnia superata cum arbitraremur, ad novas versiones adjecimus animum.

Praesertim Copticarum.

Erat adhuc magis laborandum in Copticis Liturgiis, quarum dignitas et antiquitas etiam ab ipsis eruditis Protestantibus commendata fuerat. Nam Victorius Scialach Maronita, quo interprete illas Marcus Velserus Latine publicaverat, nulla Coptici textus habita ratione, solam versionem Arabicam expresserat, saepe parum feliciter. Novam ex Coptico exemplari qui promiserat Athanasius Kircherus, nunquam dedit. Itaque de nova alia cogitandum fuit, praesertim quod voces Ecclesiastici usus, quae in Scala Aegyptiaca explicatae sunt, cum multis aliis ejusdem linguae, nullius ad ritus intelligendos utilitatis esse possent. Ut enim ab aetate majoribus audivimus, saepius Abrahamus Echellensis, qui interpretando adhibitus fuerat, unicum, eumque satis mendosum codicem secutus cum esset, Arabicis solis intentus, sententiam pervertit, male legit et pejus interpretatus est.

Cur propriis linguis edere illas non potuimus.

Itaque cum novam versionem aggressus fuissem, eamque commentario explicassem, viris eruditissimis, atque inter caeteros praecipuo, nec satis unquam laudato Jacobo Benigno Bossueto Episcopo Meldensi, visum est, illarum Aegyptiacarum et reliquarum editionem procurari: quod etiam Illustrissimi Joannis Baptistae Colberti judicium fuit. Is autem sua quamque lingua edi volebat, duobusque circiter antequam letaliter decumberet mensibus, typos Syriacos, Arabicos et alios parari jusserat: sed

summi illius viri interitu, quo Musae omnes collacrumarunt, concidit operis perficiendi spes, et consilium editionis Liturgiarum Orientalium, suis linguis, abjiciendum fuit. Quia tamen viris doctissimis, maxime vero Illustrissimo Meldensi Episcopo qui varias observationes et ipsas Liturgias viderat, judicatum est, illas absque textibus, ut vulgo dicunt, Originalibus debere publicari, tandem ne periret labor Ecclesiae, ut sperabant, futurus utilis, judicium illorum secuti, editioni incubuimus.

Accuratae versionis difficultas.

Rati sunt, ut satis notum est, qui literis Orientalibus operam dederint, et quamvis multos illarum peritissimos homines avorum, aut nostra aetas tulerit, plerique tamen Ecclesiasticos libros Arabice scriptos neglexerunt: unde praeter opuscula pauca Abrahami Echellensis et Fausti Naironi, in quibus multa desiderantur, nihil extat unde fides et disciplina Orientalium cognosci queat: Syriaci libri rariores sunt, paucisque visi. Aegyptiaca lingua, sive ut vulgo vocatur Coptica, ab eruditis aliquot commendata est, tanquam ad vetera Aegypti monumenta, characteresque saxis et obeliscis insculptos plurimum lucis afferre posset, cum illa tantum utilitas ex ea capiatur, quod antiquas voces nonnullas a Scriptoribus Graecis conservatas, ad veram suam originem referat. Lexica hujus linguae et imperfectissima sunt, et ex Ecclesiasticis libris contexta: ipsa lingua per se difficilis, cultores huc usque paucissimos habuit. Itaque textuum Copticorum editio, quamvis optanda fuisset, ut veneranda illa Ecclesiarum monumenta essent in omnium manibus, et acui inde posset eruditorum diligentia, tamen ad paucos spectabat: sincera vero Liturgiarum versio, Orientalis disciplinae ex ipsis autoribus indigenis expositio, et alia quae hoc in opere necessaria sunt, ad omnes pertinent. De interpretatione judicare pauci admodum possunt: reliquos existimare oportet, interpretem officio suo functum fuisse, donec hallucinationis, aut malae fidei reus demonstretur: nec facile suspicari, eo quemquam stultitiae devenisse, ut fraudem in longo opere lectoribus facere

interpretando possit, quae ipse non intelligat. Hallucinari etiam eruditissimi possunt, ut sane hallucinatus est multis in locis Maronita Aegyptiacarum Liturgiarum interpres, sed ea ratio fuit, quod Arabicis, quae prae oculis habebat, solis incumbens, Aegyptiacam antiquissimam lectionem non consuluerit: multo minus Graecas Liturgias, quae obscuris vocibus, aut sententiis lucem afferunt, eamque non dubiam.

In ista adhibita est cura, ut sincera foret.

Quamvis igitur non ea sit nostra temeritas, ut in Arabica aut Syriaca, aliisve linguis doctissimos nostrae superiorisque aetatis viros superasse, existimemus, id unum vere affirmare possumus, plus nos laboris et diligentiae adhibuisse, eo successu, ut neque de vera interpretatione dubium alicujus momenti reliquum sit, neque bonam nostram fidem vocari in suspicionem vereamur. Codices consuluimus plures et meliores, quam quisquam alius: Coptico exemplari adhaesimus: et in locis aliquot obscuris juvit nos maxime Codex Graeco-Arabicus, tum variae lectiones Arabicae versionis duplicis, illius scilicet quae Graeco textui adjuncta erat, et alterius quae Coptico.

Criticas ad textum notas characterum Orientalium defectus omittere coegit.

Poteramus si characteres Coptici, Arabici, aut Syriaci non defuissent satis utilibus notis versiones illustrare, quae quidem ad textus criticam spectavissent, ut fecere prope omnes qui linguarum Orientalium aliquam facultatem habuerunt: sed haec omittere typorum defectu, necesse fuit. Multa tamen non ad eruditionis frivolam ostentationem, sed ad ipsarum Liturgiarum sententias accuratius perspiciendas, hoc in genere praestari possunt, ad cognoscendam penitius stili Ecclesiastici, tam Graeci recentioris, quam Coptici et Arabici naturam, et consuetudinem, ex cujus ignoratione viri doctissimi in gravissimos saepe errores lapsi sunt, et alios fefellerunt. Illius quippe stili ea ratio est, ut frustra alibi quam in Christianorum libris quaeratur, quos amplissimorum Lexicorum autores vix novisse manifestum est, adeo ut plerumque vocabula, ut etiam τεχνικὰ omnia, non aliunde intelligi quam ex multiplici lectione soleant. At quantas

saepe unius vocis ignoratio errandi causas dederit, dici non potest: exempla aliquot afferemus.

Viri doctissimi stilum Ecclesiasticum ignoravere. Pocockius. Tom. 6.

Eduardus Pocockius vir Arabice in primis doctus, in Praefatione ad varias lectiones versionis Arabicae sacrae Scripturae, quae in Londinensibus Polyglottis edita est, locum adduxit ex Abulfaragii Historia Dynastiarum, quam postea Arabice et Latine edidit. Cum is duplicem apud Syros extare versionem scripsisset, simplicem unam, factam tempore Hirami Tyrii, alteram ex Graecis exemplaribus: Pocockius vocem obviam, quae *Tyrium* significat ad aliam periodi partem retulit; et ad originem illius attendens, *figuratam*, vertit, atque ita appellavit versionem Syriacam ex Graeco factam, de qua distinctione nec Abulfaragio, nec aliis autoribus in mentem venerat. Ex illa tamen distinctione Waltonus, et alii innumeri duas illas versiones simplicem et figuratam excogitavere, quarum nulla apud Syros notitia est.

Idem cum Abulfaragii historiam edidit, et de autore in Praefatione dissereret, conjecturas de eo varias ex diversis autoribus proposuit, ex quibus tamen sciri quidquam aliud vix potest, nisi quod Malatia sive Melitena oriundus fuisset, medicinam cum laude exercuisset, librisque editis illustrasset. In una voce haesit, quam ita vertit, ut honoris causa tributa Abulfaragio fuisse videretur, nempe quod fuisset *lumen Orientis*, in qua sane nec interpres, nec lector quidpiam aliud intelligat, quam laudis plenum titulum. At significabat illa dignitatem Catholici, seu ut alii dicunt Papae Orientis, nempe illius qui in Ecclesia Syra Jacobitica secundum sub Patriarcha Antiocheno locum tenebat, ut Abulfaragius. Illo titulo semel constituto apparebat, quam ridicule a quodam contemtissimo autore Muhamedano, quem tamen Pocockius citavit, scriptum fuisset, illum a Christiana Religione ad Muhamedanam impietatem defecisse.

Erpenius in rebus Christianorum ubique malus interpres.

In Erpenii versione Latina historiae Saracenicae, cum multa autor de Christianorum rebus intermisceat, omnia prope intelligi non possunt, ob stili Ecclesiastici ignorantiam. Quis

enim divinare queat haec verba, *accepit Sartoniam,* aut *abolevit Sartoniam,* significare hunc vel illum Patriarcham Simoniam exercuisse vel sustulisse? *Matraninum* quemdam Antiochiae occisum: cum ea vox duos Metropolitas significet? *Diaconum* loco *Presbyteri: Sacrificum* pro *Sacerdote*, et alia ejusmodi multa? quibus non leviora sunt peccata longe plurimà in historia politica, quorum praecipua observavimus in ea quam nuper edidimus, Patriarcharum Alexandrinorum.

Golius.

Inter alia eloquentiae Arabicae specimina vir Arabice doctissimus Jacobus Golius, Homiliam edidit de Nativitate Christi scriptam ab Elia, qui in titulo Codicis manuscripti Catholicus appellatur. Eum ille Antiochenum Patriarcham fuisse dixit, qui error levis foret, nisi traheret secum multos alios spissiores. Nam Eliam istum, aliunde Nestorianum fuisse constat: inde igitur nonnulli Antiochenum ex ea haeresi Patriarcham somniaverunt, qui nunquam fuit. At si quid vox illa peregrina significabat in stilo Ecclesiastico Golius intellexisset, Nestorianae sectae supremum Antistitem agnovisset. Eodem errore Kircherus Hananiechua, qui titulo Catholici Patriarchae ornatur in inscriptione Syriaca lapidis Sinici, anno MDCXXV. in Provincia Xensi reperti, Alexandriae aut Antiochiae quaeri jussit, cum esset Nestorianae sectae Patriarcha.

Errores multiplices Boderiani in versionibus ex Syriaco.

Magna fuit et jure merito, laus Guidonis Fabricii Boderiani in literis Syriacis, quarum studia mirifice promovit, editis Grammatica et Lexico, tum emendatione et versione Novi Testamenti Syriaci. Is tamen in exiguo libello Rituum Baptismalium Severi Antiocheni, quem absque ulla ratione, aut codicum autoritate Alexandrinum appellavit, toties lapsus est, ut versio ejus nihil saepe minus quam Syriacam orationem repraesentet, praesertim in illis quae caeremonialia sunt. Nam *Pirma* hostiam vertit, cum sit *incensum:* תליתא seu *elevatio vocis*, quae in modum rubricae praemittitur, aut inseritur orationibus, vertit *Trinitas*, et ut sententiam efficiat, eam vocem vocandi casu vult

intelligi, quo nihil alienius. Ita etiam in Novi Testamenti Syriaci editione quam procuravit Joannes Albertus Widmanstadius, tabulae lectionum ex Evangeliis, Actis et Epistolis adjunctae sunt, Latine conversae, ex quibus ratio festorum cognosci potest. Mirum quomodo interpres quicumque sit, illas reddiderit. *Oblatio*, pro *Missa* sive Liturgia. *Electio Episcopi*, pro Ordinatione: *Surrectio* pro Statione. *Die quinta secretorum*, pro Feria V. mysteriorum sive in Coena Domini. *Lotio secreta*, pro lavatione pedum mystica, quam Rituales nostri vocant *Mandatum*, ut alia similia.

Mirum igitur esse nemini debet jacuisse tamdiu istam Ecclesiasticarum literarum partem, cui, quantum in nobis fuit, juvandae tot annos impendimus, cum summa difficultas studiosorum conatus retardaret. Habebunt autem in nostris versionibus non intricatas et obscuras Liturgiarum Copticarum, et aliarum expositiones, sed sinceras et certas, secundum optimos Codices, quorum multi antiqui sunt, recentiores aliqui, sed publica autoritate muniti, quales illi qui recensiti sunt ad Ritualem Patriarchae Gabrielis. Voces omnes praesertim rituales explicantur, ita ut obscuritas vix ulla, sive in vocibus, sive in ritibus lectorem possit remorari.

De commentariis et notis.

Commentarios et notas ita digessimus, ut quae alibi tractata sunt praeteriremus, qualia sunt ea, quae communes Graecis et Orientalibus Ecclesiis ritus spectant, qui erudite et diligenter a viro Clarissimo Jacobo Goario expositi sunt, ut etiam quaecumque generatim ad Eucharistiae celebrandae Officium pertinent. Verum dedimus operam, ut quam plurima ad Liturgias Orientales spectantia, ex autoribus Orientalibus conquirerentur, ex eorumque autoritate lux caeremoniis et orationibus fieret, quod a nemine praestitum videbamus. Ad Coptitarum quidem sacra Officia explicanda maximo adjumento fuere Codices manuscripti varii, praesertim unus ex Bibliotheca Regia eleganter scriptus, adjunctis caeremoniis; tum Ritualis liber Gabrielis Patriarchae, et alii non pauci Theologi, aut Rituum expositores.

Quas Liturgias haec Collectio contineat.

His praesidiis adjuti, cum nihil deesse quod ad Liturgias Latine saltem publicandas necessarium foret, videretur, operi manum admovimus: quid vero praestare conati sumus, aperiemus. Liturgias primum tres Ecclesiae Jacobiticae Alexandrinae, scilicet Basilii, Gregorii Theologi, et Cyrilli nominibus insignitas, damus, qui uno volumine quidquid ad illam Ecclesiam spectabat Officiorum Eucharisticorum, complecti visum est operae pretium. Versionem Victorii Scialach Maronitae, Augustae Vindelicorum editam emendare ad primitivum exemplar propositum nostrum fuerat. Verum tot et tanta mutanda occurrebant, ut nova interpretatione opus esse statim agnoverimus. Illa vero non ad Arabicum exemplar facta est, ut illa Maronitae, sed ad Copticum ipsum, multorum codicum comparatione emaculatum, et ad sinceram lectionem exactum. Arabicam quoque versionem observavimus, si quando aliqua occurreret in exemplaribus diversitas, et eam quae Graeco textui adjungitur in Codice Regio, multis locis non sine fructu consuluimus. Varias lectiones, cum characteribus Orientalibus careremus, adjungere non licuit, earum tamen quando alicujus momenti visae sunt, mentionem fecimus.

Liturgiae Alexandrinae duae novae nunc primum editae.

Cum vero huc usque Graecus illarum Liturgiarum Codex omnino ignotus foret, imo ne conjectando quidem, extare illum, aut similem aliquando extitisse, existimari cum aliqua verisimilitudine posset, nacti illum ex Bibliotheca Regia, duas quae in eo solae erant Liturgias damus Graeca lingua, nam Arabicam versionem omittere coëgit typorum Orientalium inopia. Latinam illis versionem adjunximus simplici et Ecclesiastico stilo. Deerat tertia Liturgia quam Coptitae Cyrillo adscribunt: cumque animadvertissemus, exceptis illis quae praeparatoria sunt, eamdem esse quae olim Lutetiae nomine D. Marci edita fuerat, illam duabus aliis adjunximus: emendata ubi necesse fuit, Latina versione. Cum porro Codicem Regium satis manifeste agnoscamus, manu alicujus descriptum esse, qui mediocriter Graece sciret, unde non paucis erratis deformatus est, quae emendare plerumque

facile fuit: nihil tamen in textu mutandum existimavimus, asteriscos apposuisse contenti: sententiamque similibus in locis expressimus secundum versionem Arabicam.

Notae.

Copticis Graecisque Liturgiis notas adjunximus, in quibus explicantur ea quae in commentario ad primam exposita non fuerant, aut quae singularem aliquam observationem merebantur, et quantum licuit brevitati studuimus. Atque haec sunt, quae prima hujus Collectionis parte continebuntur.

Dissertationes praeviae de Liturgiis.

Quia vero de Liturgiarum vetustate, dignitate et autoritate talia huc usque fuerunt Criticorum judicia, ut neque inter se facile conciliari possint, neque nisi longa rerum non vulgarium observatione constitui, quae sequi, quae repudiare oporteat; idcirco toti operi Dissertationem adjunximus, in qua quid de sacris illis monumentis maxime verum videretur, exposuimus. Singularem adjecimus de Alexandrinis Liturgiis Dissertationem, in qua multa proponentur plane nova, et tamen ad Eucharisticam disciplinam illustrandam summe utilia, quae ex Codice Regio solo primum cognita sunt, sine quo vix ulla extaret Alexandrinae Liturgiae memoria, quod eam Constantinopolitani Patriarchae prorsus suppresserint: ex Marci quae supererat sola, certi nihil, conjecturae tantum duci possent. De Adoratione Eucharistiae multa probabilia a nostris hominibus dicta sunt adversus Protestantes, qui ignorari illam ab Orientalibus, tam confidenter affirmaverunt, ut multos in suam sententiam traxerint, eo facilius, quod praeceptum de religioso Eucharistiae cultu nullum in Missalibus libris apparebat. Quantum vero Critici illi hallucinati fuerint, demonstrat accurata caeremoniarum omnium descriptio a Gabriele Patriarcha, quam diversorum exemplarium, et autorum qui Ritus explicaverunt, testimonia confirmant. Multo tamen superior est autoritas Graeci codicis, qui eam perspicue praescribit.

Notae unde exceptae.

Commentarium et Notas ex libris Orientalibus collegimus, neque temere ullum citavimus aliena fide, imo quosdam neglեximus, quod eorum autoritas non satis certa esse videretur. Tales sunt

aliqui quorum testimoniis usus est Abrahamus Echellensis, in Notis ad Hebed Jesu, Eutychioque vindicato, et alibi: Faustus Naironus, et fortasse alii. Joannem illi suum Maronem citant, praesertim ex Commentario ad Jacobi Syriacam Liturgiam, cujus autoris, et operis praeter Maronitas nullus meminit: et quae ab illis referuntur, reperimus in eo quem composuit Dionysius Barsalibi Jacobita. Constitutiones Ecclesiae Maroniticae allegant, quas nemo vidit; verum similes quasdam quae ad Ecclesiam Jacobiticam pertinent: autores alios plane ignotos, quique in numerosissimis Bibliothecis non occurrunt. Cum igitur nullis nisi certis autoritatibus, Liturgicam disciplinam, et fidem Eucharistiae stabilire consilium sit, suspectas omittemus: satis enim magna est testium omni exceptione majorum copia, ut dubiis libenter careamus. Nequé tamen accusamus Echellensis aut Naironi fidem, sed amor patriae, communisque apud suos traditio, fecit ut quos autores, tanquam suae Ecclesiae proprios laudari semper audierant, de illis non amplius inquirerent, securi praeterea de nostrorum hominum judiciis, quorum vix ullus novum aliquid ad res Liturgicas illustrandas, ex libris ineditis produxit.

De lucubrationibus Richardi Simonis.

Unus statim eximendus videbitur Richardus Simon, qui Gabrielis Philadelphiensis, Graece et Latine editis opusculis Notas uberiores adjecit, in quibus ex Coptitarum Liturgiis, et Nestorianis testimonia protulit, nec pauca circa Liturgias Orientales observavit erudite, quae nemo antea observaverat. In notis deinde ad Itinerarium Montis Libani, ab Hieronymo Dandino Societatis Jesu, susceptum et Italice scriptum, quod vernacule interpretatus est, multa de Liturgiis inseruit, Syriacis praecipue ineditis, quarum excerpta Faustus Naironus transmiserat. Cum tamen integras non vidisset, analysinque totius Officii Eucharistici dare aggressus esset, non ita feliciter in ea disquisitione versatus est, ut nec in multis aliis quae sectas Orientales attinent, conjecturisque nimio plus indulsit. Autores porro Syros aut Arabes nullos habuit, quorum testimoniis uti posset: Joannis solum Maronis et aliorum

ea quae in Abrahami Echellensis lucubrationibus, aut ejus schedis Morino communicatis reperit, quos libros non viderat. Itaque frustra jactatur, ut ab aliquot Protestantibus factum est, ejus autoritas, quae major esse non debet, quam sit illa autorum quos allegat: nullos autem viderat, neque talem Arabicae linguae facultatem habebat, ut Arabicis libris uti posset.

De rebus Liturgicis et disciplina Sacramentali pauca Protestantes sciverunt.

Minimum sane molestiae Protestantes hac in materia Catholicis dederunt, cum ne ullus quidem de Orientalium Christianorum religione tolerabiliter scripserit. Remittunt tamen nos saepe ad Hottingeri Topographias Ecclesiasticas, aliaque ejus scripta, quae non nisi excerpta sunt ex Ordinationum a Viro Clarissimo Joanne Morino Syriace et Latine editis ritualibus, quos saepe alter non intellexit, miras ex aliquot obscuris locis conjecturas elicere contentus. At autores Orientales Christianos nullos viderat, praeter Eutychium Alexandrinum, et Isa filii Zaraa, quem Ibn-Sora appellavit, Dissertationes quasdam, ad rem Sacramentariam non attinentes; sed magnum fecisse sibi visus est, quod Muhamedanum quemdam Ebn-Edris verbose saepe describit, ut Christianarum rerum praecipua capita nos doceat. Omnes porro Exercitationes illae Historico-Theologicae, quarum in Academiis Septemtrionalibus plures olim prodierunt, et maxime commendatae fuerunt ob argumenti raritatem, solidae eruditionis minimum habent, cum nihil aliud sint quam indigesta ex variis autoribus collectanea, et eorum praecipui semper sunt Praesidens, aut affinis aliquis honorandus, quorum laudes saepe utramque paginam faciunt. Hottingerus in coelum fertur; tum Catholicis fortissime maledicitur, testimonia ex Orientalibus nulla: quod si quis tres quatuorve lineolas Arabicas aut Syriacas, tanquam emblema vermiculatum inseruit, translatas ex Elmacino, Eutychio, Abulfaragio aut similibus, huic ab omnibus applauditur. Ita inter illos unus de Ecclesia Coptica Dissertationem instituit, in qua Brerewoodum sus deque versat, autoresque ab eo citatos reponit, Thomae Biatiensis, et aliorum collectitias observationes, laudat, damnat,

interpretatur, saepe parum feliciter: alicujus Theologi Aegyptii, Canonistae vel Rituum expositoris, Codicis Liturgici, aut alterius cujuspiam libri Ecclesiastici, ne nomen quidem reperias.

Dissertatio de Aethiopica Ecclesia.

Alius de Aethiopica Ecclesia verbosam Diatribam dedit, quam qui memoria complectetur, nihil de Aethiopum religione magis sciet, quam quisque imperitissimus. Neque id mirum, quando vir laboriosissimus Europaeorumque Aethiopice doctissimus Jobus Ludolfus, cum majorem vitae partem in Aethiopicarum rerum studio consumsisset, unde justum commentarium texeret vix habuit, antequam Baltazaris Tellesii Historia Lusitanice scripta in manus ejus pervenisset. Mox volumina duo edidit, quibus etsi quidquid apud contemtissimos scriptores de Aethiopia reperitur, collegerit, novi tamen nihil quod ad historiam civilem aut Ecclesiasticam conferret, produxit. Nam religionem iis coloribus depinxit, ut qui de ea ex ejus commentariis judicaverit, ne obscura quidem illius lineamenta possit agnoscere. Vindicas illos ab Eutychianismi accusatione, et recte quidem: sed unius naturae in Christo professionem, anathemata adversus Concilium Calchedonense, Leonemque Romanum Pontificem, tolerari posse judicat. Judaicas superstitiones, polygamiam, sacrorum Ordinum profanationem, et multa similia, quae ipsi Patriarchae Jacobitarum Alexandrini saepe damnaverunt, tolerabilia Ludolfus existimavit, et excusare aggressus est. In materia Sacramentorum nihil non molitur ut Lutheranos illos esse suadeat: duoque tantum illis attribuit, cum ex illorum libris eadem habere illos constet, quae Ecclesia Alexandrina: hoc est totidem quot in Graeca et Orientalibus Ecclesiis, non minus quam in Latina agnoscuntur. At Ludolfus id negat: quia, inquit, interrogatus a me Petrus Aethiops, an agnoscerent septem sigilla fidei, negavit. Nempe homo barbarus definitionem Sacramenti natam in Reformatione intellexisset, quam ipsi ejus artifices vix intelligunt. Ita negavit Transubstantiationem credi apud Aethiopes, quod idem Petrus de ea edoctus ab ipso Ludolfo, parum ut non temere

arbitramur fideliter, respondit, hoc mysterium esse: et Catholicus nemo non idem agnoscat. Verum si ignorantia aliquando excusare potest, etsi eo nomine excusari nemo debet, qui quae ipse nesciat, cogente nullo, alios docere aggreditur, at inexcusabilis omnino est mala fides, quam ubique in Ludolfo deprehendimus. Quid non de Liturgiis commentus est, quarum originem, formam et dispositionem prorsus ignoravit, dum illas Homilias esse dixit, diversisque nominibus appellavit, ne Liturgiam aut Missam dicere cogeretur: sed Orationem Eucharisticam. Cumque veritate victus negare non posset agnosci ab Aethiopibus realem praesentiam, at ex illius Aethiopis testimonio, qui tamen ut ex ejus verbis agnoscitur, nihil simile dixerat,' audacter affirmavit, illos Transubstantiationem non agnoscere.

In Liturgiis illorum multa extant, quae aliter explicari non possunt quam secundum Catholicam de Eucharistia doctrinam: Invocatio scilicet Spiritus sancti, quam omnes repraesentant: sed praecipue eximia illa ante communionem Confessio, quam ab Alexandrina Ecclesia acceperunt. De ea ne verbum quidem fecit Ludolfus: et ejus tamen opus in varias linguas translatum, arma Protestantibus adversus nos subministrat, sed quae ut glacies futilis, una et simplici Rituum Alexandrinorum comparatione dissiliunt. Verum de his plura dicentur in notis ad Aethiopicam Liturgiam, ut etiam in Dissertatione de Ecclesia Aethiopica, quae dudum ad editionem parata est.

Edidit vir eruditus Andreas Mullerus an. MDCLXXII. Commentarium de Monumento Syro-Sinico quod anno MDCXXV. in Xensi Sinarum Provincia effossum fuit, insigne prorsus, quantum ad Ecclesiam Orientalem pertinet, monumentum. De eo et Mulleri commentariis, cum dicendi hic locus non sit, illudque explicaverimus accuratius, in Dissertationibus de Ecclesiae Nestorianae propagatione, nihil dicemus, nisi quod ultima parte de Religione eorum, quod in Sinas Evangelii annunciandi causa profectos, lapis testatur, Mullerus disserere aggressus est. Nihil porro habet ex

Andreae Mulleri Dissertatio.

Autoribus Orientalibus praeter duo vel tria testimonia ex Kirchero mutuata, quae ipse ex Abrahami Echellensis notis ad Hebed Jesu, in Chinam suam illustratam transtulerat: a se nihil profert, nisi denunciationem, qua se ex professo et mandato superiorum de fide Orientalium circa Eucharistiam acturum esse significat, monens interea nullam extare in Scriptura Sinica, quae maximam lapidis partem occupat, Transubstantiationis mentionem, qua conjectura nihil absurdius. An Mullerus Programma illud suum unquam ediderit, scire huc usque non potuimus: at si ex illius observationibus, circa Geographiam et historiam, de ejus eruditione judicium fieri potest in rebus Theologicis Orientalium, illam longe infra mediocritatem constitisse certissimum est. Quid enim ab eo homine exspectes qui omnes etiam absurdissimas conjecturas de illis qui in Monumento nominantur, suas fecerit, et impense laudaverit: quique ad paradoxa futilissima admirabundus, inscitiam ipse suam prodiderit: aut quomodo tandem fidem nobis Christianorum illorum exponet, de quibus an Orthodoxi fuerint, an Jacobitae, an Nestoriani, nihil se statuere posse non dissimulat.

Atque illi ferme sunt inter Protestantes qui de Orientalium fide aliquid scripsere, cum ostentatione eruditionis illius peregrinae, qua sane caruerunt. Nam Jacobus Golius et Eduardus Pocockius qui Arabicis literis merito inclaruerunt, et in illis utilem operam navaverunt, Christianas res non attigerunt. Ita Eduardus Pocockius cum Dionysii Barsalibi commentarios in Scripturam sacram haberet, neque ex illis quidquam protulit, neque quis esset autor intellexit, aut eum notiorem habuit, quam Abulfaragium. Alios cum magnis illis viris vix comparandos nominare necesse non est, cum nemo ex Protestantium eruditorum numero, de Orientalium fide et disciplina Eucharistica, etiam aliud agendo quidquam alicujus pretii scripserit.

Haec erant quae de hoc opere praefari oportebat: reliqua ad Liturgiarum antiquitatem, et autoritatem singularemque Alexandrinarum notitiam spectantia, sequentibus Dissertationibus explicabuntur.

DISSERTATIO
DE
LITURGIARUM ORIENTALIUM
ORIGINE ET AUTORITATE.

CAPUT PRIMUM.

In quo probatur nullam antiquitus fuisse Eucharistiae consecrandae formam, quae Graecis Latinisque Liturgiis foret dissimilis.

Dissertationis scopus.

Cum Liturgiae Orientales, quibus nova versione et Commentario illustrandis operam damus, maxima prae caeteris antiquitatis Ecclesiasticae monumentis dignitate commendentur, ad eas intelligendas multa praefari oportebat. Nam Aegyptiacae, quae primum hac in Collectione locum obtinent, postquam Latine editae sunt, parum fideliter interpretatae, ut Aethiopica quae ante multos annos prodierat: Basilii Syra ex Versione Masii: Graeca demum Marco attributa, in Bibliothecam Patrum conjectae sunt, absque notis aut commentariis, unde quae illarum origo, quae antiquitas, quis usus, quae autoritas foret, explicaretur. Theologi nostri illarum testimoniis rarissime usi sunt: vexaverunt illas aliquando Protestantes, tanquam supposititias, et, quod dolendum est, ad eorum saepe sententiam accesserunt Catholici. Nempe cum Graecas Jacobi, Basilii, Chrysostomique Liturgias novitatis interpolationisque suspicione Critici aspersissent, ex inanissimis conjecturis, tamen quod essent pauci in Graeca antiquitate satis versati, iisdem adquiescere, quam veritatem diligentius pervestigare maluerunt. Unde cum ex Graecis Orientales Liturgias manasse certissime constaret, illas eadam censura, qua Graecas, involverunt, nullus ut jam superesse locus ad earum stabiliendam antiquitatem et autoritatem videretur. Itaque de primis illis, quae fontem et originem Orientalium omnium continent, praemittenda quaedam sunt, quamvis

multa in eam rem a viris doctissimis scripta sint: sed praecipua tantum et necessaria tractabimus.

Censura Criticorum circa Liturgias parum aequa.

Ac primo quidem observandum est, omnia prope Criticorum tam intra, quam extra Ecclesiam judicia, id habere vitii, quod Liturgias veteres Graecas, Sanctorum nominibus designatas, non aliter examinandas arbitrati sunt, quam reliqua scripta veterum, in quibus expendendis regula certa est, non posse illa iis autoribus tribui, quorum nomina prae se ferunt, si quid occurrat, aetati illorum non conveniens: quae regula si erga Liturgias veteres adhibeatur, falsissima est: cum id solummodo efficiat, opus, quod uni perperam tribuitur, ad alium autorem referri oportere. Liturgiae vero, quemcumque titulum praeferant, non opus alicujus autoris esse censendae sunt, sed sacrae preces, conceptisque verbis expositae Sacramenti celebrandi formae, in quibus non quaeri oportet nomen autoris aut dignitatem, quantacumque sit, sed quae ex usu Ecclesiarum et consensu cum aliis ejusmodi formulis comparatur, autoritatem. Itaque eam Liturgiam, quam totius Ecclesiae Graecae Orthodoxae communi disciplina usurpatam esse constabit, veluti sacrorum legem, publicae autoritatis monumentum, vocem denique et testimonium illius Ecclesiae haberi oportet, sive sit Basilii, sive Chrysostomi, seu cujuscumque alterius: qua ratione non eam modo, quam ex sancti Doctoris nomine haberet, privatam scilicet autoritatem, sed publicam Ecclesiae in qua usurpatur, habet. Id vero Criticis, praesertim Protestantibus, nunquam in mentem venit, cum tamen eo in articulo totius quaestionis status versetur, reliqua vix ad rem pertineant, ut breviter demonstrare conabimur, exposita Liturgiarum omnium origine.

Forma Eucharistiae celebrandae traditione non scripto transmissa.

Institutum esse Eucharistiae Sacramentum in ultima coena a Christo Domino, cum Evangelistae tres Paulusque testentur, nemo non agnoscit. Verba illius ad Apostolos, *hoc facite in meam commemorationem*, praeceptum celebrandae ex instituto Christi Eucharistiae continent: formam qua celebrari deberet, non exprimunt. Nemo tamen Christianus dubitavit, quin eamdem edocti fuerint a Domino Apostoli, ut alia omnia quae ad Religionem Christianam constituendam pertinebant. Ab Apostolis acceperunt illam eorum discipuli, inter quos tamen nullus eam scripto tradidit. Id scilicet fatentur ultro Protestantes, formam Evangelicam et Apostolicam Eucharistiae celebrandae in scriptura non explicari, sed haberi illud tantum, quod fideles in unum convenirent, afferreturque panis et vinum, super quae gratiae ageren-

tur, et postea praesentibus distribuerentur. Et tamen in ore habere non desinunt, primaevum illud exemplar Coenae Evangelicae, ad quod suas expressas esse frustra gloriantur. Verum cum tot diversas proposuerint Coenae illius suae formas, quae inter se conciliari non possunt, illas ad purum verbum Dei, quod tamen ex illorum sententia perspicuum omnibus est, expressas, temere omnino jactant. Fatentur quippe, non satis constare quo pane Christus usus fuerit, azymo an fermentato, atque adeo in quibusdam locis, ut Genevae, azymus ad Coenam diu adhibitus est: an aqua vino admista fuerit, nescire se pariter agnoscunt: multo magis quibus verbis ad benedictionem, seu consecrationem, Apostoli usi fuerint: unde Christi verba, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, plerique retinenda judicaverunt, alii non item: de quibus tamen Eucharisticae disciplinae capitibus vetus Ecclesia nunquam dubitavit. *Magdeb. Cent. 1.*

Certa tamen illa forma apud veteres Christianos fuit.

Certam illa nempe et constantem habuit Eucharistiae consecrandae formam, statim ab initio, cum ubique Christiani congregati eam celebrarent quotidie, quamvis scripto consignata non esset: unde primis Ecclesiae saeculis sacros illos ritus sola traditione viguisse, extra controversiam esse debet. Hierosolymis Apostoli, quod in sui memoriam Christus fieri praeceperat, faciebant; et inde per totum orbem dispersi, ut eadem sacra celebrarentur, instituerunt, eorumque formam praescipserunt, quae in omnibus Ecclesiis conservata est. Igitur ex sola traditione Apostolica, non ex scripta autoritate, forma illa apud omnes Ecclesias recepta est, cum una et eadem ubique fuerit: neque enim, ut de ritibus quibusdam Judaicis, de disciplina Eucharistiae celebrandae controversia, primis illis, aut sequentibus saeculis ulla inter Christianos fuit. Quam igitur Apostolorum traditio in Ecclesiis servata commendabat, eadem Apostolica et Evangelica celebrandorum mysteriorum forma esse existimabatur. Jam quae illa forma fuerit quaerendum est: num illa scilicet, quam Ecclesiae Reformatores excogitaverunt post annos mille quingentos, an illa quae ubique observata fuit, dudum ante quam perscripta fuisset, in Occidente vel in Oriente, orationum et caeremoniarum ordinata dispositio, quae Liturgia dicitur.

Formae a Protestantibus Coenam Apostolicam et Evangelicam non repraesentant.

Splendida sane illa appellatio Apostolicae et Evangelicae Coenae, in eam formam quae a Protestantibus usurpatur, cadere nequaquam potest, vel ea sola ratione, quod communis inter eos nulla huc usque fuerit; verum omnes ita dissimiles, ut nulla quantumvis commoda

interpretatione possint inter se conciliari. Lutherana, Helvetica, Genevensis, Anglicana, Scotica, ut alias praetereamus, etsi multoties refictae, omnino differunt, non modo in orationibus, aut caeremoniis quae integra fide et disciplina aliter se habere possunt, sed in praecipuis partibus. Notae sunt controversiae quae hoc in argumento illos exercuerunt. Anglicana sub Eduardo VI. instituta et non leviter mutata, ineptias Calvino continere, sed tolerabiles judicata est: sub Elizabetha et Jacobo I. emendata, Scotis Papistica visa est, et seditiose rejecta; tum a parricidis Parlamentariis suppressa, novam restituto Carolo II. formam accepit. Et sane communis Liturgiae lex inter eos esse nulla potest, qui de materia, de forma, de ritibus Apostolicae Liturgiae non consentiunt, fassi nescire se quo pane Christus usus fuerit, quo vino: quibus verbis Apostoli utrumque benedixerint: an verba Christi necessaria sint: quae varietas sacri ritus formam funditus evertit.

In Liturgiis antiquis Orientalibus et Occidentalibus nulla est insignis diversitas.

Neque objicere nobis possunt discrimen illud quod inter Orientalem et Occidentalem ritum, aut singularem aliquarum insignium Ecclesiarum, animadvertitur, cujus diversa prorsus ratio est: quippe orationes et caeremoniae praeparatoriae aliter disponi possunt, absque ullo periculo: osculum ante praefationem in Oriente: in Occidente ante Communionem praescribitur; ita Symboli, et Orationis Dominicae recitatio: haec sunt indifferentia. Verum nulla unquam vetus Liturgia visa est, in qua adhortatio, quam Praefationem vocamus, non occurreret; tum preces Sacerdotum variis verbis expositae, sed quae eamdem sententiam efficerent. Continent nempe laudes Dei et gratiarum actiones pro beneficiis ejus in humanum genus, quorum praecipuum, salus nostra fuit, per Incarnationem, mortemque unigeniti filii ejus Jesu Christi Domini nostri. Sequitur commemoratio ultimae Coenae, institutionisque Sacramenti: verborumque Christi repetitio: invocatio ad postulandum adventum sancti Spiritus in dona proposita, sive ante, sive paulo post pronunciata verba Dominica: orationes de omnibus et pro omnibus: vivorum et mortuorum commemoratio. Haec omnia, praeter Praefationem et verba Christi, quae in Lutheranorum et Anglorum officiis servata sunt, reclamantibus aliis Protestantium sodalitiis, tanquam superstitiosa, sublata sunt. At omnes veteres Liturgiae inter se consentiunt, quae praecipua est antiquitatis et sinceritatis nota: cum Coenae celebrandae forma nulla, aut cum aliis in Reformatione natis, aut cum antiquissimis Graecis,

Latinisve conveniat. Quod vero Liturgiae Orientales et Occidentales cum antiquissima et primaeva forma celebrandae Eucharistiae consentiant, jam est probandum: non quidem ut Pamelius et nonnulli alii fecerunt, autorum quorumcumque testimoniis, neque ex Isidori collectaneis, sed rationibus et autoritatibus, adversus quas exceptio esse nulla possit.

Forma illarum antiquitus una fuit, absque ulla de ritibus controversia.

Formam itaque agendi juxta Christi praeceptum commemorationem mortis ejus, per Eucharistiae celebrationem, ab Apostolis praescriptam, fatentur omnes. Unam illam fuisse quae ubique observaretur, aeque certum est, cum ne levi quidem conjectura ex monumentis Ecclesiasticis agnosci possit, extitisse ullam inter Christianos, tribus primis Ecclesiae saeculis de aliqua rituum varietate controversiam, ut serius aliquando fuit de Azymo aut fermentato, inter Graecos et Latinos: de aqua admiscenda adversus Armenos, et si quae sunt ejusmodi. Formae illius designationem per partes habemus; integram ejus explicationem, non item. Si quid porro antiquius est scriptis, quae Apostolorum nomina praeferunt, Liturgiis, id habetur in Clementis Constitutionibus, quae quamvis interpolatae sint, at ex virorum doctissimorum judicio aetatem Concilii Nicaeni antecedunt, vel saltem contingunt. Ab illa Epocha nihil circa Liturgiarum celebrandarum disciplinam noviter institutum legitur. Sancti Patres in Homiliis ad populum partes aliquas officii illius sacri perspicue designant, ut fidelibus notissimas. Tandem illa omnia leguntur in antiquissimis Liturgiis.

Testimonium Justini Martyris, Plinio confirmatum. *L. *. 10. Ep. 97.*

De primo quidem dubium nullum esse potest, cum non ex Christianorum modo, sed ex Ethnicorum etiam libris certum sit Christianos statis, ut Plinius loquitur, diebus convenire solitos fuisse: hymnos Christo tanquam Deo cecinisse, sacramentoque se obstrinxisse, non in scelus aliquod, sed ne scelera ulla committerent: tum convenisse ad capiendum cibum, sed innoxium. In obscuris illis verbis viri superstitione sua obcaecati, agnosci potest rudis et infuscata calumniis imago antiquarum Synaxeων. Eas veris coloribus, sed leviter tamen, et quasi ducta prima linea, descripsit Justinus Martyr, et vix quidquam vetustius occurrit illius testimonio, quo Eucharistici officii forma simplicissima designetur. *Ei*, inquit, *qui praeest ex fratribus offertur panis, et poculum aquae et vini; quibus ille acceptis, laudem et gloriam universorum Patri per nomen Filii et Spiritus sancti emittit, et gratiarum actionem, pro eo quod nos*

hisce dignatus sit, prolixe exequitur: atque ubi perfecit preces et gratiarum actionem, populus qui adest omnis, acclamat, dicens Amen... *Postquam vero praesidens gratias egit et populus acclamavit, qui apud nos Diaconi vocantur, distribuunt cuique praesentium panem et vinum, et aquam; et ad absentes perferunt, et hoc alimentum a nobis appellatur Eucharistia.* Quid autem per hanc vocem Christiani veteres intelligerent, licet ad Infideles scriberet, non ignorare nos sivit Martyr sanctissimus. *Quemadmodum enim,* inquit, *per Verbum Dei, caro factus Jesus Christus Salvator noster, et corpus et sanguinem pro salute nostra habuit; ita et eum qui per orationem Verbi quod ab eo est, Eucharistia facta est, cibum, ex quo carnes nostrae, et sanguis per mutationem aluntur, ipsius incarnati Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus.*

Ejus verba formam veterem Liturgiarum designant.

Haec Justini pauca verba Liturgiae veteris formam omnem continent, quamvis obscuriuscule. Nam in Synaxibus omnia sub oculis et autoritate gerebantur *τοῦ προεστῶτος* Praesidentis, Episcopi videlicet aut Presbyteri, sine quibus nullae fiebant: neque enim quisquam existimabit, quemcumque Christianum his sacris coetibus praefuisse. Qui, ut nonnulli conati sunt, Paradoxum istud probare satageret, facile refelleretur.

Scripturarum lęctio.

Cum sacramenti celebratio scripturarum Novi Testamenti publicatione antiquior sit, legi illae non potuerunt primis post Christi mortem temporibus: nisi forte quaedam particulae ex veteri Testamento. Verum postea quotidiana disciplina introductum est, ut scripturae legerentur. Interea Episcopi ex illis quae lecta erant capitulis, occasione sumta, ad fideles verba faciebant, et quod aureo illo saeculo Apostolico non infrequens erat, qui divinitus inspirati erant, audiebantur a reliquis.

Psalmi et hymni.
Hist. Eccl. l. 5. c. 28. *Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι, καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες.*

Psalmi et hymni ad Deum recitabantur vel canebantur, et ad Christum tanquam Deum, quod Plinius ipse testatur. Illa autem appellatione cum possint intelligi Psalmi et Cantica veteris Testamenti quae ex antiquissima traditione in Ecclesiis recitantur, de aliis quoque interpretari licet, de quibus Eusebius loquitur *a fidelibus olim compositis, in quibus Verbum Dei Christum Theologice laudabant.* Unde eorum autoritate utitur ad confutandam Artemonis, qui Christum purum hominem esse dicebat, haeresin. Nihil porro cogit, ut per Hymnos illos intelligantur Cantica diverso genere metrorum compo-

sita, quae vir doctissimus Henricus Valesius alligat Antoninorum temporibus proximis, *cum*, inquit, *viri docti sese ad religionem nostram applicuissent.* Nam tales viros prius habuit Ecclesia, qui pangendis aliquot carminibus suffecissent, praesertim cum puritatis et elegantiae minor quam pietatis et simplicitatis cura foret, et illi quorum meminit Eusebius ἀπ' ἀρχῆς hoc est *ab initio Christianae religionis*, compositi fuisse dicantur. Neque facile occurrit in vetustis monumentis Poësis illius Christianae vel leve vestigium, cum in Liturgiis cujuscumque linguae summa semper observetur simplicitas, metrici hymni nulli reperiantur, qui diu postea introducti in precibus publicis et privatis, vix inter sacra mysteria locum habuerunt. Itaque per tales hymnos intelligi possunt variae preces a primis Christianis compositae, quales multae occurrunt in Sacramentalibus officiis, ad earum formam, et iisdem fortasse verbis expositae.

Oblatio panis et vini.

Sequitur oblatio panis et calicis vino et aqua misti, quam ut simplicissimam initio fuisse verisimile omnino est, ita decenter et cum reverentia factam fuisse, non est dubitandum. Sed dum Justinus, *Praesidentem*, ait, *gratiarum actionem et laudem Deo prolixius agere*, prima forma agnoscitur orationis illius quam Praefationem vocamus, quae in nulla Liturgia omittitur. Preces etiam, et gratiarum actiones, quibus populus acclamabat *Amen*, diversas illas orationes designant, quae postea pro locorum et temporum diversitate varias formas acceperunt.

De reliquis partibus extant certa testimonia.

Cum vero non omnia, sed praecipua tantum, et quae Ethnicis significari poterant, Justinus attigerit, de reliquis non minus certa et perspicua sunt veterum testimonia: ut de osculo pacis, de recitata oratione Dominica, de communionis distributione his verbis, *Corpus Christi. Amen;* et de multis aliis, quorum passim sancti Patres meminere. Atque ea sunt ex quibus veteres omnes Liturgiae constant, adeo ut nihil contineant, quod antiquitus inter sacra officia observatum non fuerit. Omnis igitur eorum disciplina commendatricem habet veterem et Apostolicis temporibus proximam Ecclesiam, cujus disciplina per manus tradita non minus valet quam si scripta fuisset, quod primis illis saeculis non videtur factum, de sacris mysteriis, non magis quam de Symbolo.

CAPUT II.

Liturgias omnes veteres ex quo scriptae sunt, nihil continere quod veteri et Apostolicae Eucharistiam celebrandi formae non accurate respondeat.

Varia etiam in Occidente fuit Missarum diversitas.

Quando sacra officia scripto consignari coeperint, ardua et maximis tenebris involuta quaestio est, quae licet seria admodum videatur, ad Liturgiarum tamen Orientalium et Occidentalium autoritatem tuendam non tantum pertinet, quantum multis autoribus Catholicis, aut Protestantibus existimatum est. In Latina Ecclesia praecipuum locum obtinet Canon Romanus, qui, quod a Gelasio Papa primum, deinde a Gregorio magno, in eam quam nunc habet formam reductus est, Gregorianus vulgo appellatur. Quamvis Ecclesia Romana reliquarum prima, ab Apostolorum principe fundata, summam habeat dignitatem et autoritatem, jus etiam singulare in Ecclesias Occidentis semper habuerit, nunquam tamen primis saeculis Canonis Eucharistiae celebrandae sui, formam aliis Ecclesiis ita praescripsit, ut multis antiqua sua consuetudo, suique ritus non conservarentur. Itaque ut a viro nunquam satis laudato Joanne Mabillonio observatum est, et variorum Missalium librorum comparatione demonstratum, vigebant praeterea Ritus Ambrosianus in Ecclesia Mediolanensi, Gallicanus in Gallia, Gothicus in Hispania et in Gallia Narbonensi, inter quos etiam erat aliqua orationum diversitas. Nulla inter Occidentales Ecclesia Liturgiam suam ad Apostolos aut eorum discipulos tanquam autores retulit: satisque intellexisse videntur sanctissimi Antistites, commendari, quantum opus erat, preces sacras ex usu constanti Ecclesiarum, nec vanis titulis opus habere, quae totius Ecclesiae voces et verba erant. Neque objicienda nobis est Petri, quae dicitur, Graeca Liturgia, de qua nugati aeque sunt Catholici nonnulli, et Critici Protestantes. Hujus exemplar duplex est; unum versio Romani Canonis, a Georgio Codino facta: alterum opus ignoti cujuspiam Graeculi qui ex Romana, et Chrysostomi Missa novam, cujus nulla in antiquitate memoria est, nullus unquam usus in Oriente fuit, pessimo exemplo consarcinavit. Reliquae Occidentalium Liturgiae si Ambrosianam excipimus, autorum nominibus non designantur: neque illa, quamvis ab Ambrosio ordinata esse potuerit, tamen ab eo primum composita est, magis quam Romana a Gelasio aut Gregorio.

Orientales eamdem disciplinam habentes quae reliquis Christianis communis erat, illam similiter in Oriente propagaverunt et posteris transmiserunt: neque tamen statim illam perscripsisse videntur. Ut ita statuamus, facit insigne prae caeteris Basilii Magni testimonium, qui multa quae ad nos sola traditione pervenerunt enumerans, adjungit. *Verba sacrae Invocationis in consecratione panis et calicis, quis sanctorum nobis scripto tradidit?* Ita enim Graeca vertenda sunt, non ut a multis factum est, qui ἀνάδειξιν *ostensionem seu elevationem* Eucharistiae interpretantur, sed contra autoris mentem. *Invocationem* vocat Basilius Canonem Missae: quia multis ἐπικλήσεσι, seu Invocationibus constat, inter quas praecipua est celebris illa, et quam omnes Orientales Liturgiae repraesentant, Invocatio Spiritus sancti in dona proposita, cujus meminerunt Irenaeus, Epiphanius et multi alii, ut suo loco dicetur. Unde si non certo, saltem verisimiliter omnino concluditur, ante Basilii tempora Liturgias Graecas literis non fuisse consignatas. Suadet id etiam Ecclesiasticae disciplinae ratio, quae mysteria tanto silentio tegi jubebat, ut non nisi initiatis, et breviter quidem, imo obscuriuscule explicarentur, quod multis veterum testimoniis manifestum est, praesertim in Sermonibus ad populum, ubi frequens est illa ἀποσιωπήσεως formula, *Norunt initiati,* ut illa Epiphanii *accipiens* τὸ δὲ καὶ τὸ δὲ *hoc et hoc.* At si quae ad hujus mysterii fidem pertinebant, non aliter quam viva voce, ut Symbolum, tradebantur initiandis, quanto minus scribi poterant aut debebant arcana sacrorum verba, quae ad solos Episcopos et Sacerdotes spectabant. Occurrit in primorum saeculorum historiis frequentissima traditionis sacrorum voluminum memoria, de qua tamdiu cum Donatistis certatum fuit ab Africanis Patribus. Erant illi sacrae scripturae codices, et nullus memoriae prodidit, inter illos Sacramentalem ullum traditum infidelibus fuisse, quibus haec Ecclesiarum spolia cariora longe futura fuissent, quam exemplaria scripturae sacrae, cujus qualemcumque cognitionem habebant. Qui enim per tormenta a Christianis tanto studio sciscitabantur, quid in Synaxibus ageretur, omnia ex libris Sacramentalibus scire potuissent, quorum in actis Martyrum, aut in Gestis contra Donatistas nullum extat vestigium.

Orientales quamvis eamdem disciplinam haberent, Liturgias sero videntur scripsisse.

Basil. de Spiritu sancto c. 27.

In Graeca Ecclesia nihil, ut videtur, antiquius scriptum est, quod quidem ad sacros Eucharistiae ritus precesque referatur, quam ea forma quae ultimo Constitutionum Apostolicarum libro inserta est,

Constitutiones Apostolicae id quod antiquitus primo scriptum est repraesentant.

et quam idcirco recentiores nonnulli seorsim editam, Liturgiam sancti Clementis appellaverunt. Verum duo maximi momenti circa illam observanda sunt. Primum est, quod etsi viris doctissimis merito judicatum sit, Constitutiones illas ante Concilium Nicaenum fuisse collectas, non negant tamen, interpolatas illas multis in locis fuisse, nec ab haereticis modo, quod a veterum Patrum nonnullis observatum est, sed etiam a Librariis. Illud porro judicium, si in ullam collectionis partem cadere potest, in istam sane, qua Liturgiae ordo continetur, tam perspicue et minutatim expositus, ut ex posteriori disciplina, quae Ecclesiae pacem agenti, non persecutionibus agitatae conveniat, addita esse multa manifestum sit. Confirmat hanc conjecturam antiquissima Constitutionum Syriaca versio, ex Codicibus qui Graecos, ut videtur, antiquitate et sinceritate superant; et ante mille annos facta est, cum in ea tota illa Liturgiae forma non compareat. Alterum est quod etiamsi Graeci, praesertim in rebus Ecclesiasticis Criticen nullam habeant, partem hanc nunquam inter veteres Liturgias retulerunt, ea procul dubio ratione ducti, quod licet formam legitimam quamdam sacri officii Eucharistici juxta Graecam disciplinam repraesentet, in nulla Orientis Ecclesia usurpata fuisse reperiatur. Atque inde certissimum argumentum deducitur, de aliarum Jacobi, Basilii et Chrysostomi Liturgiarum autoritate, quas passim Graeci laudaverunt et receperunt, quia scilicet publico usu Ecclesiarum commendabantur, quod Clementinae deerat.

Ms. Medic.

Omnes Liturgiae partes in antiquissimis Patrum scriptis reperiuntur.

Post Nicaenum Concilium, quo jam tempore confirmata longo annorum decursu Eucharistiae celebrandae forma fuerat, agnoscimus in sanctorum Patrum scriptis, multas illius officii partes non obscure designatas. De orationibus praeparatoriis dicere supervacaneum est, cum illae ad actionem sacram proprie non pertineant. Verum quaedam maximae vetustatis notas habent, ut quae in Jacobi Liturgia occurrunt, quaeque in alias diversarum linguarum aut in ipsas Graecas translatae sunt: quarum forma una non fuit, cum Sacerdotis potius, quam Ecclesiae preces forent. Illatio panis et calicis simplex olim fuit, quamvis pie et cum religione fieret, quod elementa mox in corpus et sanguinem Domini transmutanda, sanctitatis quamdam speciem habere viderentur. At in Ecclesiarum pace addita esse multa quae ad decorem domus Dei augendum spectarent, ut negari non potest, ita superstitiose factum id fuisse, nemo nisi per summam temeritatem calumniabitur. Lectio sacrarum scripturarum ex

utroque Testamento fieri solebat antiquitus et in omnibus officiis praescribitur et eam sequebatur vulgo Homilia ad populum, quales sunt Chrysostomi et Augustini permultae: tum diversae orationes recitabantur a Sacerdote, populo respondente, Amen. Reliqua usque ad Praefationem, secundum varios ritus, alio atque alio modo se habebant, nullo fidei, aut violatae disciplinae detrimento.

Praefationi secundum Graecos et Orientales omnes, osculum pacis praemitti solet, quod in Occidente, ut plurimum, dari solebat paulo ante Communionem. Illius ritus quem ipse Paulus multis Epistolis suis praecipit, meminerunt veteres prope omnes Graeci et Latini, Tertullianus, Justinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Chrysostomus et multi alii. Adhortatio, quae initium Praefationis est, *Sursum corda*, et quae sequuntur, eorumdem frequentibus testimoniis confirmantur. Hymnus Cherubicus *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, quo terminatur, eosdem testes habet, vetustissimaque omnium Ecclesiarum consensione ita confirmatur, ut nulla novitatis suspicione aspergi queat.

Tert. de Orat. c. 14. Ad Uxor. c. 4. Just. Ap. 1. Cyr. Hier. Cat. 5. etc.

Oratum esse inter sacra mysteria, pro omnibus, commemorationem sanctorum, tum vivorum et mortuorum factam, singulares pro pace et omnibus necessitatibus orationes factas fuisse, non minus certum est ex antiqua traditione: quo ordine disponi debeant, non interest.

Ad sacram Actionem pervenitur, enarratis Dei erga humanum genus beneficiis, facta commemoratione summi redemtionis nostrae mysterii, et institutionis Eucharistiae per Jesum Christum, cujus verba recitantur, ea praesertim *quibus*, ut Tridentina Synodus loquitur, *corpus suum et sanguinem tradere se discipulis non obscure testatus est*, sine quibus consecrari Eucharistiam nemo inter Christianos veteres unquam existimavit. Unde in omnibus cujuscumque ritus et linguae, eadem religiose pronuncianda praescribuntur, et in multis populus *Amen*, ad fidei suae testimonium adjungere jubetur.

In Orientalibus Liturgiis sequitur statim, ut plurimum, Invocatio Spiritus sancti, ad postulandum ejus illapsum in dona proposita, quam orationem licet non habeant Occidentales Liturgiae, multas tamen orationes continent, quae ad eam referri possunt, cum fiant super dona jam consecrata. Illius Invocationis Graeci Patres frequentissime mentionem faciunt, adeo ut ipsa verba a nonnullis referantur, ut a Cyrillo Hierosolymitano, et antiquissimo Irenaeo.

Orationem dominicam recitari, vetustissima quoque disciplina est, ubique observata.

De adoratione Eucharistiae, cum expressissima sint sanctorum Patrum testimonia, dubitari non potest, etiamsi ritus singulares, secundum quos fiebat, non habeamus. Nam quod elevatam statim fuisse Eucharistiam, post pronuntiata Christi verba, ut apud nos fieri a multis saeculis solet, quidam ex Basilii verbis supra relatis probari contendunt, nullius momenti est. Elevant Orientales sacra mysteria sed paulo ante Communionem, cum dicitur *Sancta Sanctis*, non antea: verum tunc illam adorant, neque quidquam faciunt in quo vetus Ecclesia non praeiverit.

Denunciatio autem illa celebris *Sancta sanctis*, tam antiqua est et tot monumentis Ecclesiasticis consignata, ut de illius vetustate et autoritate dubium esse nullum possit.

Communionis distributionem descripsit, et prope oculis subjecit Cyrillus Hierosolymitanus, nempe ita ut corpus Christi manibus fidelium susciperetur, calix a Diacono praeberetur, quae disciplina ab aliis antiquissimis autoribus testimonium habet. Accessisse ad primaevam simplicitatem nonnulla, quae ad imprimendam Christianorum animis majorem illorum venerationem spectare videbantur, mirum esse non debet, cum ex fide quam de Eucharistia habebant, cultus ille religiosus statim nasceretur. Quod vero infantibus, quod infirmis praeberetur Eucharistia, etsi Liturgiae non praecipiunt, ut nec multa alia quae antiquitus observata fuisse certissimum est, tot exemplis et testimoniis probatur, ut extra controversiam esse debeat.

Ex iis quae huc usque dicta sunt, colligi verisimiliter posse videtur, quarto saeculo ineunte, aut scriptas non fuisse Eucharistiae celebrandae formas, aut, si scriptae fuerint, non integras, ut sunt Jacobi, Basilii et Chrysostomi cum omnibus precibus et caeremoniis, sed summatim tantum, fuisse descriptas, ita ut partes illas tantum quae praecipuae sunt, continerent. Verum probabilius omnino videtur, secundum Basilii testimonium, a nemine sanctorum scripto traditas. Sed cum haec disquisitio prolixioris operae sit, eam in dubio relinquemus, dabimusque, si lubet Protestantibus, id quod aliis argumentis probare aggressi sunt, sed parum feliciter, eas quas habemus Liturgias ab illis scriptas non esse, quorum titulos praeferunt: non erunt idcirco inter spuria et nullius autoritatis scripta rejicienda.

Nempe fateri coguntur quicumque levissimum antiquitatis Ecclesiasticae gustum habent, Liturgias Jacobi, multo magis Basilii et Chrysostomi, si praecipuas et necessarias partes expendimus, nihil quod a primitiva illa forma quam designavimus abeat, continere, in qua, si Apostolicum et Evangelicum Coenae dominicae exemplar non agnoscunt, ut sane non possunt, quin formas omnes suas condemnent: designent illud tandem, quod huc usque nemo illorum praestitit. Neque sane praestare id illos posse satis confirmat maxima officiorum Coenae diversitas, quamvis nulla prope pluries reficta non fuerit. Fatentur ultro, non constare ex sacra scriptura, quo pane Christus usus fuerit, quo vino: quibus verbis gratias egerit, benedixerit, aut consecraverit: multo minus, quibus in celebratione mysteriorum usi fuerint Apostoli. Verba Christi omittunt Calvinistae, neque aliter recitant quam reliquas ex Epistolae ad Corinthios lectione partes: contra alii, ut Ecclesia Anglicana, ea jubent recitari: atque vel eo solo argumento necessitas illorum agnoscitur, quod in ea rubrica praecipitur ut si panis non sufficiat communicantium multitudini, novus afferatur, repetatque Sacerdos verba Canonis ab eo loco. *Qui pridie quam pateretur*. Illud porro plane absurdum foret, si ipsa Christi verba nihil efficere judicarentur.

Omnes Liturgiae veteres primitivae Apostolicae formam servant.

Off. Commun. Anglicanum.

At nihil simile circa Liturgias Orientales et Occidentales observari potest, cum omnes inter se ita conveniant, ut ab uno fonte, Apostolorum scilicet exemplo et praeceptis ad omnes Ecclesias permanasse certissime agnoscantur. Neque aliunde tanta in sanctissimis mysteriis celebrandis conformitas, quam ex communi et omnibus nota traditione nasci potuit, cum Jacobus, qui antiquissimus eorum est, quorum nominibus Liturgiae insignitae sunt, nihil praeceperit de vino aqua miscendo, de pronunciandis verbis Christi Domini, de invocando super dona proposita Spiritu sancto, de mittenda absentibus, aut aegrotantibus Eucharistia, ut nec de multis aliis, quae tamen ubique recepta fuisse et usu quotidiano Ecclesiarum frequentata negari non potest. Nihil Princeps Apostolorum Petrus, aut Antiochiae, aut Romae scripsisse legitur, nihil Paulus, nihil alii; sed quo acceperant a Domino idem tradebant novis Christianis. Multo minus Basilius et Chrysostomus novas offerendi sacrificii Eucharistici formas instituere poterant: ut neque a Gelasio primum aut a Gregorio magno Romana Missa, neque ab Ambrosio Ambrosiana, Gothica a Leandro, Gallicana vetus a Gallicanis Episcopis factae sunt. Verum cum nota

Omnes circa praecipua inter se conveniunt.

esset omnibus vetus et Apostolica forma, quae paucis verbis constabat, eam omnes secuti sunt, nec ab ea recesserunt: orationes quae inter sacra dicebantur, cum multae essent, selegerunt, novas etiam addiderunt, tandemque ne perturbatio inter fideles nasceretur, quasdam perscripserunt, et haec origo fuit diversitatis Liturgiarum. Ea porro non talis est, ac illa quam in Protestantibus merito culpant Catholici, immanis non verborum modo, sed rerum maxime necessariarum discrepantia: omnes enim Liturgiae Latinae, Graecae, Orientales, novae, veteres in unam sententiam, cultusque similitudinem conspirant, ut postea fusius demonstrabitur.

Frustra ex diversitate Orationum Liturgias impugnant Protestantes.

Quid enim tandem effecerunt superciliosi illi Critici, qui illas omnes exploserunt, tanquam supposititias, recentes, et superstitiosas, nisi quod suam in rebus Ecclesiasticis infantiam prodiderunt? Nam dum particulas illorum officiorum ex diversis ritibus collectas, inter se comparant, ut insignior diversitas appareat, nihil egerunt, cum omnium sententia sit eadem. Stupent ad orationes pro mortuis; at illas commendat tanquam antiquissima Ecclesiarum disciplina consecratas Augustinus. At ordo non idem est: mirum sane argumentum: cum etiam nunc in Romana Ecclesia, ubi omnes Canonem Gregorianum sequuntur, Metropolitanae aut Episcopales Ecclesiae multae, celeberrima Monasteria, Ordines Religiosi integri, singularem Ritum Missae celebrandae conservent. Sed haec fuit prima conjuratorum adversus Romanam Ecclesiam tessera, ut ab ejus disciplina longissime recederent: et quamvis tot primi Reformatores ex sacris familiis fugitivi, Sacerdotioque initiati scire debuissent, quid in ea ex veteri instituto foret, atque adeo omni erroris suspicione careret; quid contra peccatum fuisset, atque adeo emendandum, non erat talis temporum illorum conditio, ut discrimen illud agnosci facile posset. Itaque si leviusculum aliquod discrimen animadvertebant inter veteres Liturgias et Missam Romanam, justum de Ecclesia Catholica triumphum agere sibi videbantur. Sic Mathias Flaccius Illyricus veterem Ordinem Missae jactabundus edidit, tanquam ad Romanae vulgaris contumeliam et destructionem; qui statim temeritatis et inscitiae poenas dedit, cum se ipse turpiter retexere, et exemplaria edita supprimere coactus fuerit. Nempe magna illa Ecclesiarum Reformatarum lumina tantum disciplinae Sacramentalis sciebant, quantum Missali vulgari continebatur, vix quidquam amplius. Neque negandum est, peritiorem illius disciplinae cognitionem Theologis nostris aeque de-

fuisse: ex ea quippe longe facilius et efficacius refelli Novatores potuissent, quam argumentis Theologicis, quae subtilibus responsionibus eludi possunt; ut etiam sanctorum Patrum testimonia. At disciplinae perpetuo observatae ratio talis est, ut falsas interpretationes non admittat: et caeremoniae precibus Eucharisticis conjunctae earum sententiam ita determinant, nullus ut relinquatur ambiguitati locus.

CAPUT III.

Ostenditur veteres Liturgias Graecas et Orientales cum Latinis convenire et utrasque Apostolicae celebrandorum mysteriorum formae in praecipuis capitibus respondere.

Ex diversitate rituum Liturgiae vocari in suspicionem non possunt.

Si quis ex varietate rituum vel orationum, quae inter diversas Romanae Ecclesiae Liturgias animadvertitur, dum veteres cum recentioribus comparantur, aut ex ea, quae magis adhuc apparet, inter Gothica, Mosarabica, Gallicana, aut Ambrosiana officia, conaretur efficere, Occidentalem Ecclesiam Eucharistiae celebrandae certam nullam rationem habuisse, facile refelleretur. Quippe statim demonstraretur, orationes, si verbis differant, unius esse ejusdemque sententiae: in Canone, qui sacrae actionis pars est praecipua, maximam esse non modo sententiarum, sed verborum conformitatem; fidem eamdem; ritus qui absque tali fide locum habere non possunt; tandem quidquid suspicionis injici contra unitatem disciplinae posset, ex antiquissima Ecclesiarum, quae diversis ritibus usae olim fuerunt, concordia evanesceret. Nota scilicet erat omnibus Episcopis et Sacerdotibus regula sacrorum mysteriorum, et si quid contra eam peccatum alicubi fuisset, non magis id tulissent, quam Cyprianus eorum novitatem, qui aquam vino non admiscebant; aut Caecilianus temeritatem Lucillae, quae pacis osculum, privato osculo quod ossi cujusdam martyris dabat, commutare ausa erat, aut Hydroparastatas, vel si qui alii contra receptas consuetudines, ritusque sacros peccabant. Fecerunt tamen id Protestantes, et quo quisque imperitior antiquitatum Ecclesiasticarum fuit, tanto securius innoxiam illam rituum varietatem calumniari aggressus est. Diximus de Missa Illy-

rici, quam Lutherani ipsi tam parum favere sibi ultro agnoverunt, ut eam suppresserint. Reliquas si consuluissent, vel eas solas quas edidit Pamelius, abjecissent procul dubio conjecturas omnes suas de Canonis hodierni et antiqui discrepantia, et veterem cum hodierna Ecclesia committere desiissent.

Temere de vetustis Latinis Officiis judicaverunt, alii non item.

Scimus quosdam zelo, sed scientiae Ecclesiasticae vacuo, de antiquis illis officiis parum commode judicasse, et mutata non pauca in novis editionibus. Fuit imo ante annos non ita multos vir summae dignitatis, literarum literatorumque fautor eximius, sed nihil minus quam Theologus, qui Missales Mosarabicos libros, quorum exemplaria rara jam erant, rarissimos effecerit, dum omnes quos conquirere poterat flammis absumeret, ratus eos scatere erroribus, quia Romanam Missam verbo tenus in illis non reperiebat. Sed talium hominum qualescumque fuerint judicia, neque cum veteris Ecclesiae, quae vetusta illa officia usurpavit, aut aliorum doctissimorum judiciis comparanda sunt, quales nuper fuerunt Cardinales Bona et Thomasius, qui eadem ediderunt et commendaverunt, succum Christianae primorum saeculorum Theologiae, et pietatis in illis agnoscentes. Hoc tamen argumento rarius aut forte nunquam, nisi admodum perfunctorie, usi sunt Protestantes; sive quod in Rituali Sacramentorum doctrina parum feliciter versati sunt, etiam doctissimi: sive quod illam esse opinionibus suis incommodam intellexerunt. In Graecis Liturgiis plus praesidii sibi fore nonnulli, cum existimarent, quod olim raro Catholici illarum testimoniis utebantur, eas tanquam Latinis plane contrarias aliquando laudaverunt: frequentius ut supposititias et futiles rejiciendas pertenderunt. At quod de Latinis diversi ritus mox dicebamus, Graecis omnibusque Orientalibus non minus convenit, quod jam est demonstrandum.

Forma Liturgiae celebrandae Apostolica est.

Formam quae superius descripta est, antiquissimam et ubique servatam, veluti communem sacrorum legem, comparationis recte instituendae regulam haberi oportet, non quasi excogitatam Jacobi, Basilii, Chrysostomi aut aliorum ingeniis, sed divinam principemque legem, a Christo per Apostolos et eorum discipulos promulgatam. Istud extra controversiam esse debet, quandoquidem ex sola Scriptura sacra formam Evangelicam et Apostolicam designari non posse, fatentur ipsi Protestantes: Ecclesia illam habere se ex traditione Apostolica firmiter ubique et semper professa est. Habebant ergo primae Ecclesiae ab Apostolis fundatae formam Apostolicam, scilicet

ab Apostolis traditam: at quae forma Apostolica esse agnoscitur, eamdem Evangelicam quoque esse necesse est, cum traderent Apostoli, quod a Christo acceperant. Tot diversarum Coenae celebrandae formularum nulla Apostolica aut Evangelica eo solo argumento dici potest, quod unius archetypi tot inter se dissimilia exempla esse non possint. At in Liturgiis Graecis et Latinis veteribus et recentioribus manifesta est inter se similitudo et cum primaeva illa forma quam Apostolicam fuisse, ante Protestantium defectionem nemo dubitaverat; et ea per partes est explicanda.

Ea per partes explicatur. Sacerdotes.

Convenientibus igitur Christianis praesidebant non quicumque, sed quos προεστῶτας vocat Justinus Martyr; Episcopi scilicet vel Sacerdotes: adeo ut absque illis commemoratio legitima Jesu Christi secundum ejus institutionem non fieret: idem semper et ubique, tam in Oriente quam in Occidente observatum est.

Vasa sacra.

Vasa sacra, etiam dum persecutiones saevirent, ad sacrum ministerium adhibita fuisse aurea et argentea, notissimum est ex Gestis purgationis Caeciliani, Prudentio et aliis.

Altaria.

Altaria quoque ut Thronum Christi, in magna veneratione fuisse, neque ab aliis quam a Donatistis aut Arianis, vel Ethnicis eversa et profanata fuisse, ex Optato, Athanasio, et aliis aeque certum. Eadem si rebus Ecclesiae florentissimis, variis precibus, reliquiis martyrum et signo crucis consecrata sunt: nihil in Latina vel Graeca Ecclesia commissum est contra veterem disciplinam, quae ubique in Graecia et Oriente non minus adhuc viget, quam in Romana Ecclesia.

Vestes sacrae.

Vestes sacris ministeriis proprias gestare, dum Liturgia celebraretur, antiquissimi etiam moris est, quem Ecclesia Anglicana ex parte retinuit, totus Oriens religiosissime observat.

Praeparatoriae orationes et caeremoniae.

Praeparatoriae preces multae sunt et diversae in antiquis Liturgiis; sententia semper eadem, nec de illis controversia moveri ulla potest; cum ex illis nonnullae selectae sunt, quae singulis officiis conjungerentur. Nec alia ratio est eorum quae posteriori disciplina instituta sunt, circa panis et vini praeparationem. Quamvis enim singulares ritus non habeamus antiquitus perscriptos, quos in omnibus Ecclesiis observatos deinde fuisse legimus, ut munde et diligenter praepararentur, quae in corpus et sanguinem Christi transmutanda credebant, nemo unquam praeter furiosos illos fanaticos existimavit, simplicitatem Evangelicam in eo consistere, ut e taberna panis et vinum peterentur, quod ne ad communem quidem cibum lautiores

homines fieri vellent. An ab ea simplicitate Christus recessisse dicatur, quia ultimum Pascha institutionemque Eucharistiae celebraturus, qui ubi caput reclinaret non habebat, caenaculum grande stratum, apud hospitem quaesivit?

Lectio Scripturarum.

Lectio Scripturarum ut in Synaxibus Christianis facta fuit antiquitus, ita in omnibus Liturgiis praescribitur ex utroque Testamento.

Sermones.

Sermones ab Episcopis aut Presbyteris habitos de iisdem Scripturarum locis fuisse, quamvis in Liturgiis non praescribatur, probant tot quae ad nos pervenerunt sanctorum Patrum Homiliae. Graecis et Orientalibus solenne est, ut aliquas illarum lingua vulgari praelegant, cum pauci in tanta Ecclesiarum calamitate eam dicendi de rebus sacris facultatem habeant, quae in sacrarum scripturarum docto interprete requiritur.

Cantus Psalmorum.

Psalmorum cantus antiquissimus est, et ubique conservatus. Integros aliquot Graeci et Orientales canere solent: id etiam in vetustis officiis Latinis praescribitur. Quod si in hodiernis Missis versiculi tantum aliquot recitantur, id non ex antiqua disciplina est, quae etiam in solennibus quibusdam diebus integre subsistit: ut in Missa Dominicae Palmarum et in officiis Hebdomadae sanctae, ubi Psalmi integri decantantur.

Orationes pro omnibus.

Orationes de omnibus, et pro omnibus, ut Graeci et Orientales loquuntur, extant in Liturgiis omnibus, et illarum vetustas non omnium modo codicum, sed sanctorum Patrum testimoniis confirmatur. Haec omnia *προπαρασκευαστικὰ* sunt, ad fidelium consolationem et doctrinam, simulque decorem domus Dei, praeclare ab Apostolicis usque temporibus instituta, in quibus accusari nihil potest, nihil in Ecclesia Romana natum reperiri, quae tamen Protestantes penitus sustulerunt, paucis exceptis. Nam Psalmos retinuerunt, sed quos novo exemplo rhythmis plerumque inconcinnis deformaverunt: lectionem quoque Scripturarum: maxime vero sermones in quibus praecipuam religiosi cultus partem videntur constituisse, cum Liturgiae proprie dictae pars nunquam fuerint. Orationes quasdam adjungunt: sed Angli soli et Lutherani veteres illas Collectas servaverunt, plenas fidei et pietatis: quas Calvinistae aliis a se excogitatis commutaverunt, verbosis, ut plurimum novitatemque redolentibus: scilicet ut nihil commune haberent cum Romana Ecclesia, quae, ut ex vetustissimis

monumentis apparet, eas traditione acceptas huc usque conservavit; non melioribus substituit.

Osculum pacis.

Osculum pacis, et orationes aliquot antequam detur, repraesentant omnes Orientales Liturgiae; et illud secundum earum disciplinam Actioni sacrae praemitti solet: cum Romano ritu pax non nisi ante Communionem dari soleret, jam ab aetate Innocentii I. Sed quo loco detur osculum pacis, parum refert. Servatur illud etiamnum in Missis solennibus: in Oriente semper datur: sustulerunt illud Protestantes, quamvis ab ipso Apostolo Paulo toties commendatum, qua ratione superstitionis illud accusare, nec in Orientalibus nec in Latinis possunt.

Praefatio.

Praefatio quae initium Anaphorae proprie dictae sive Canonis est, in omnibus cujuscumque ritus aut linguae Liturgiis extat; unde merito eam Anglicana Ecclesia retinuit. Eam aperte designat Justinus Martyr gratiarum scilicet actionem perpetuam ad Deum, pro omnibus ejus erga humanum genus beneficiis, creationem, institutionem per legem et Prophetas, tandem Redemtionem per Jesum Christum, cujus salutaris dispensatio commemoratur; tandemque pervenitur ad institutionem Sacramenti Eucharistiae, quae ex Evangeliis, simulque illius sacra verba super oblata dona recitantur. Obvia sunt testimonia sanctorum Patrum qui hanc orationem designant; ut inter alios Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus, omnes tandem, quorum aliquam multa refert Cardinalis Bona, et autores rerum Liturgicarum varii. (*Rer. Liturg. l. 2. c. 10.*) Sunt porro in Latinis Missalibus Praefationes multae, cum in Gallicano, Gelasiano, Gothico, Mosarabico, Ambrosiano, quin etiam Gregoriano, non modo in festis solennibus, sed in omnibus, et in singulis Dominicis singulares Praefationes occurrant. Ita quoque in Graecis et Orientalibus Liturgiis non una et eadam illarum dispositio est. Una quidem singulis propria est: ita ut Jacobi Liturgia suam habeat, suas Basilii Chrysostomique Liturgiae. At secundum Latinos, ritus Gallicanus, Romanus, Gothicus, Ambrosianus, et alii, plures Praefationes repraesentant. Sensus tamen semper idem est, in tot diversis Deo gratias agendi formulis, quae omnes hymno Angelico *Sanctus*, concluduntur. At illius Doxologiae quae extat in sacris literis, tanta est antiquitas, ut initia Ecclesiae antecedere videatur, cum reperiatur in vetustis Iudaïcarum orationum libris, unde fortassis primi Christiani illam transtulerunt.

Orationes pro donorum oblatione.

Postea orationes fiunt pro donorum oblatione et petenda eorum acceptatione et consecratione: et cum in quibusdam officiis Liturgicis aliquae pro vivis et mortuis, pro rebus ad vitam necessariis, et aliis, preces interserantur, fiat etiam sanctorum commemoratio; in plerisque statim ad consecrationem Sacerdos progreditur, recitatis verbis Dominicis, tam super panem, quam super calicem. Seqitur commemoratio mortis et sepulturae, ascensionis et adventus ultimi Christi Domini: quarum orationum, ut praecedentium, in verbis diversis una sententia est.

Invocatio Spiritus sancti.

In ritu Orientali statim occurrit Invocatio Spiritus sancti, ut adveniens in dona proposita et jam per verbum Christi sanctificata, ea efficiat corpus et sanguinem ejusdem Christi Domini: eoque sensu haec oratio intelligenda est, quo plures prope similes Gallicani, Gothici, et Mosarabici ritus: ut nonnullae quoque Romani Canonis, secundum quas Invocationem suam intelligere se, Graeci in Florentina Synodo, et antea Cabasilas testati sunt. Illius quoque Orationis Patres, praesertim Graeci, multis locis meminerunt.

Orationes pro vivis et mortuis.

Orationes pro vivis et mortuis, quamvis istas sustulerint Protestantes, veterum antiquissima autoritas commendat, et ante omnium Liturgiarum publice descriptas formas Cyprianus, Augustinusque ex Ecclesiae traditione id fieri docuerunt.

Oratio Dominica.

De oratione Dominica, quae a Sacerdote ritu Occidentali, a populo per totum Orientem dicitur, nulla singularis observatio est, cum nemo dubitet quin praecepto Christi, et omnium saeculorum exemplo, haec disciplina stabiliatur.

Fractio Hostiae.

Fractio hostiae imaginem refert corporis Christi confracti et suppliciis lacerati, ut veteres omnes agnoscunt: quomodo in primis Ecclesiae saeculis fieret, perspicue nobis non significant Ecclesiastica monumenta: nec enim arcana illa sacra, quae in ipso ministerio docebantur Sacerdotes, evulgari fas erat: sed quin summa cum religione fieret, dubitare non possumus. Ritus vero qualescumque sint, omnes ad realis praesentiae fidem ita sunt instituti, ut ubi talis fides nulla est, locum habere non possint, non magis quam unio duarum specierum, quae sublata est similiter a Reformatoribus. Nulla tamen Liturgia est, in qua talis ritus non praescribatur, et quamvis diversis modis fiat, summam semper habet Eucharistiae reverentiam.

Sancta sanctis.

Sancta sanctis denunciatio vetustissima est in Graecis Liturgiis, a quibus in Orientales omnes propagata est, quamvis apud

Latinos non usurpata; quam nemo huc usque superstitionis damnare ausus est.

Confessio de veritate corporis Christi.

Communionem praecessit olim a primis saeculis Confessio de veritate corporis et sanguinis Christi, simplex primum et paucis verbis: *Corpus Christi. Amen*: cujus vetustissima memoria est in causa Novatiani apud Eusebium, et apud autores omnes Ecclesiasticos. Si quid Graeci, et Coptitae addiderunt, quo expressius testarentur, credere se id quod accipiebant esse Corpus Christi, laudandi sunt: neque Romanae Ecclesiae tribuendum, quae nihil habet simile. Neque calumniae patent, diversi praebendae communionis ritus, etsi non ex primaeva antiquitate deducti, praesertim inter Christianos Orientales, cum in ea fundati sint, nempe in summa erga Sacramentum religione. Manu olim Eucharistia suscipiebatur, calix praebebatur: cochlear a multis saeculis in Oriente usurpari coepit, et intincta communio, quae in Occidente aliquando locum habuit: ut calamus aureus aut argenteus usurpatus est. Haec omnia pie instituta sunt, longe ante quam auditum fuisset de Berengario et ejus similibus: et ab illis demum, qui cum Latina Ecclesia societatem a multis saeculis coluerunt nullam.

Ritus quidam obsoleti.

Quae vero non Liturgiis praescripta, sed moribus Ecclesiarum constituta sunt, ut ad absentes olim Eucharistia deferretur, ut ad moribundos, ut daretur infantibus, calumniari si quis voluerit, ut facere conati sunt primorum Reformatorum discipuli, non tam Romanam Ecclesiam quam veterem et Apostolicam impugnant, quae hanc disciplinam observavit, ut partim adhuc in Oriente servatur. Non defertur ad absentes Eucharistia, cum ratio cessaverit, simul cum persecutionibus, quae libertatem conveniendi Christianis non relinquebant. At viget ad haec usque tempora consuetudo eam ad aegrotos deferendi, quae disciplina firmissimum doctrinae Orthodoxae argumentum continet, et omnes Protestantium rationes conturbat: cum etiam illi, qui realem quamdam susceptionem corporis et sanguinis Christi agnoscere se profitentur, eam in solo usu constituant, quia scilicet ex eorum opinione medium quo corpus et sanguis Christi accipiuntur, fides est. Itaque recte secundum sectae suae praejudicia, piam illam et Nicaeno Concilio seniorem consuetudinem, Eucharistiam ad infirmos deferendi sustulerunt, quia panem et vinum tantummodo ad illos ferrent, non corpus et sanguinem Christi: verum id contra mores, et fidem Ecclesiae, si non Apostolicae, saltem Apostolicis temporibus proximae.

Ex illis igitur quae huc usque dicta sunt, certa capita quae ad perspiciendam Liturgiarum veram et legitimam formam, tum ad ferendum de Graecis Latinisque judicium maxime conferunt, videntur posse colligi. I. Veteris et Apostolicae Liturgiae formam frustra quaeri in sacra Scriptura, quod agnoscunt Protestantes, atque adeo quaerendum esse primaevum illud exemplar in Ecclesia: hoc est in communi Christianorum omnium consensu. II. In unam eamdemque formam consentire Latinas, Graecas, et omnes Orientales Ecclesias. III. Ea in quibus rituum omnium Latinorum, Graecorum et Orientalium consensus agnoscitur, partes essentiales Liturgiae esse, secundum quas de ea est judicandum, reliquae indifferentes haberi debent. Illis ita constitutis, judicia Protestantium de Graecis Jacobi, Marci, Basilii et Chrysostomi expendemus.

CAPUT IV.

Quid judicandum sit de antiquis Graecis Jacobi, Marci, Basilii et Chrysostomi Liturgiis.

De illis Liturgiis Protestantes imperite judicaverunt.

JUDICIA Protestantium de Graecis Liturgiis parum aequa esse mirabitur nemo, qui sciet, quantum illae Reformationi, circa fidem Eucharistiae, et illius celebrandae modum incommodent. In aliis enim antiquitatis Ecclesiasticae monumentis, praesertim vero scriptis sanctorum Patrum explicandis, dum sententias perspicuas commentariorum suorum tenebris involvunt, si subactos in eorum lectione Theologos parum commovent, at discipulis et Ministerii candidatis fucum faciunt: imo et aliis qui plusculum eruditionis habere videntur, cum raro quae juvenes didicimus, senes retractare soleamus, et magistrorum dictatis plerumque acquiescamus. Catholici cum de Liturgiis illis non satis belle existimarent, eorumque autoritate vix uterentur, id enim solus prope fecit Georgius Cassander, audaciam Protestantibus addiderunt, praesertim, cum illas in Synodo Florentina a nostris hominibus impugnatas videbant, aut tam frivolis argumentis confirmatas, ut illorum jam taedeat et pigeat mediocriter eruditum quemvis Theologum. At si exquisitiorem Criticen in nostris merito desideramus, multo magis in Protestantibus, eo praesertim quem omnes ferme re-

centiores exscripserunt, Andrea Riveto. Is cum Graece sciret mediocriter, esset in linguis Orientalibus plane hospes, codices manuscriptos nullos vidisset, tali supercilio censuram in veteres autores Ecclesiasticos exercuit, nemo ut de illis tam imperatorie sententiam dixerit, praesertim de Liturgiis. Cum vero ea tantum quae ad illarum antiquitatem, et *αὐθεντίαν* pertinent, tractare nobis propositum sit, quae ad omnes spectant summatim exponemus: plura de singulis alio loco dicturi. Nam de ea quae Jacobi titulum habet, agemus in Praefatione ad Syriacam: de aliis quoque suis locis.

Omnia vero Riveti, Cavei et aliorum adversus Liturgiam Jacobi Graecam, quae sola ipsis nota erat, argumenta eo spectant, ut qualis est in Graecis codicibus, a Jacobo scripta esse non possit. In ea scilicet usurpari voces *Ὁμοουσίου* et *Θεοτόκου*, quae in Nicaeno et Ephesino Conciliis promulgatae sunt: memoriam Ordinum Ecclesiasticorum qui nondum erant fieri, ut Confessorum et Anachoretarum: Trisagium recitari, et similia. Inde conficiebat Rivetus, falsam esse, et suppositam Jacobi Liturgiam, nulloque loco habendam: quibus rationibus eam quoque evertebat quae Marco tribuitur: Petri item, et Aethiopum Canonem, qui Mathaeo, ut ipse ait, tribuebatur. Peccavit multipliciter hoc in judicio suo Rivetus: cum, ut Baronius et Bellarminus jam observaverant, possit a Jacobo scripta fuisse Liturgia, et ea recepisse ex communi usu omnium Ecclesiarum, quae sequentibus saeculis introducta sunt. Nam ita, Gregorianam non esse Missam Romanam probaretur, eo ipso argumento, cum sanctorum, qui non nisi post annos a Gregorio multos vixerunt, nomina contineat. Neque veterem Gallicanam antiquiorem D. Martino existimaremus, quia Missam ad ejus festum celebrandam repraesentat: aut Mosarabicam Urbano IV. quia Officium festi Corporis Christi habet, vetustioribus adjunctum a Cardinale Ximenio, cum ejus Missalis editionem procuravit.

Protestantium argumenta.

Sed, ut verum fateamur, justam triumphi materiam Ecclesiae adversariis homines nostri praebuerunt, cum bonam causam rationibus et autoritatibus parum idoniis defendere agressi sunt. Plerique enim, etiam quos aetas illa ferebat doctissimos, ita sunt in causa versati, ut ex Decretalibus Epistolis primorum Pontificum, ex Dionysii libris, et aliis non minus contemnendis, Jacobi Liturgiam confirmare conarentur: voces *Ὁμοουσίου* et *Θεοτόκου* contenderent ante Nicaena

Male refutata a quibusdam Catholicis.

Ea igitur est opus Graeci alicujus, qui quod multi Orientales fecerunt, ut se sinceros et perfectos Catholicos esse demonstrarent, Liturgicos codices scripserunt, in quibus veteres suas formas Sacramentorum Romanis accommodavere, temere prorsus, et imperite; cum Ecclesia Romana antiquitus et etiam nunc Orientalibus suos ritus relinquat. Is vero Graecus Missam ex ingenio novam composuit, in quam multa ex Chrysostomi Graeca transtulit, tum Canonem Romano in omnibus similem, si pauca excipiantur quae, non intellecta, pessime interpretatus est. Luctentur contra talem larvam quantum volent Protestantes; sed agnoscant simul Critici sui supinitatem, qui si eam legisset aut origines ejus notas habuisset, tolerabilia multa adversus propugnatores illius dicere potuisset, non ineptire adversus Ecclesiam, quae Liturgiam illam nunquam usurpavit.

De Liturgia Aethiopum.

Quae de Liturgia Mathaei scripsit, ita enim vocat Canonem, ut vulgo appellatur, generalem Aethiopum, absurda magis et insulsa sunt. Edita est illa Liturgia Aethiopice, ad calcem Novi Testamenti, quod Aethiopes ex patria profugi ob Galarum et Muhamedanorum incursionem anno 1548. Romae excudendum curaverunt. Prodiit Latina illius versio, sub titulo Canonis generalis Aethiopum ibidem edita anno 1549. Neque in alterutra editione appellatur *Liturgia Mathaei*, aut ab idoneo scriptore ullo, qui illius meminerit. Sed nec eum ut gentis suae Apostolum agnoscit Ecclesiae Aethiopicae traditio, cum primam Evangelii lucem ab Eunucho Reginae Candacis sibi allatam Aethiopes existiment: et tandem a Frumentio, quem Athanasius ipsis Episcopum ordinavit. Praeter communem illam Liturgiam, quae Canon reliquarum est, alias habent, quarum quatuor editae sunt reliquae manuscriptae: et illarum nulla Mathaeo tribuitur. Quid igitur magnus ille veterum scriptorum censor? *Meminit*, inquit, *Epactae et aurei numeri*. Nempe Versionis autor haec adjecit, quae in Aethiopico non extant: et quamvis in eo legerentur, nesciebatne Computum Aethiopicum a Josepho Scaligero editum, secundum quem festum Paschale annunciabatur? Si quidquam igitur quod ex alicujus Ecclesiae consuetudine Liturgiis insertum est, corruptelae et falsi nota esse debet, ne ullus quidem publici usus liber supererit, a tali censura immunis. Cum de Liturgiis Aethiopicis dicendi locus erit, plura ad demonstrandam Riveti inscitiam in medium conferemus.

De Basilii et Chrysostomi Liturgiis Riveti imperitia.

Erat sane abstrusior haec materia, et captum hominis, extra locos communes suae Theologiae vix egressi superabat: at quis

ferat abnorme de Basilii Chrysostomique Liturgiis judicium? Illius Graecam invidiose comparat cum ea quam sub eodem titulo ex Syriaca lingua conversam Andreas Masius edidit, cujus testimonium refert, ut ostendat istam Graecae, tanquam simpliciorem et vetustiorem, debere praeferri. Quantopere Masium sua conjectura fefellerit, et alio loco diximus, et in Commentariis ad Liturgias Syriacas singulariter exponemus. Inter multas quas habent Syri, Basilio adscriptam nullam agnoscunt, ut patet ex multis optimae notae codicibus. Is quem Masius interpretando secutus est, a quodam advena Sacerdote acceptus, nullas, quas ipse protulerit, antiquitatis notas habebat. Igitur non frustra suspicari possumus idem de ista, quod de Petri Graeca Liturgia, opus fuisse Syri qui aliquam alterius tituli Basilio inscripserit, et fraudem Masio fecerit, viro doctissimo, sed in rebus Orientalium Ecclesiasticis non satis exercitato: similes quippe codices multos vidimus ab advenis Orientalibus falsis inscriptionibus ornatos. Praeterea non minus hallucinatus est Masius in comparatione Graecae cum Syriaca Liturgiae, dum brevitatem istius antiquitatis indicium esse judicavit. Nam quam integram fuisse credidit, Liturgia Syriaca, ab osculo pacis incipit, atque adeo mediam tantum partem officii habet, quod in Graeca integrum est: quae omnia Riveto inaudita erant.

Argumentum ex varietate exemplarium futile.

Praeterea cum Graecam Basilii, ut alteram Chrysostomi impugnat ex varietate exemplarium, idem omnino committit, ac qui Gregorianum Canonem, quo vulgo utimur, suppositum fuisse vellet, quod in variis codicibus sanctorum nomina, Imperatorum, Regum, aut Episcoporum, qui serius vixerunt reperiantur. Utraque illa, quod extra dubium est, usurpatur in Graeca Ecclesia ab annis plus mille ducentis: atque inde originem habuerunt leves aliquot discrepantiae, in precibus praeparatoriis, aut in aliis orationibus. Quaedam exemplaria caeremoniales rubricas habent, quae in aliis non reperiuntur: at alicujus momenti discrimen in illis partibus quae Canonem sacrae actionis constituunt, non reperitur. Quid enim si in parum accurate scriptum codicem Erasmus incidit, aut is qui primus eam Latine transtulit alio usus est? Non ex talibus exemplaribus petendae sunt Basilii et Chrysostomi Liturgiae, sed ex Graecarum, quae illis utuntur, Ecclesiarum tabulariis; cum etsi sanctorum illorum nomina praeferant, Ecclesiae quoque Graecae, quae illis ad altaria utitur sententiam et verba contineant. At quae varietates scripturae in co-

dicibus occurrunt, non alio loco habendae sunt, quam ut variae lectiones innoxiae, quales multas diligentissime collegit Jacobus Goarius, ex quibus ne levissima quidem suspicio corruptelae colligi potest: cum omnes prope ad ritus spectent, qui enucleatius in aliquibus, in aliis brevius explicantur: in nonnullis omittuntur, quia aliunde peti debebant. At in illis, quae tanquam superstitiosa condemnat, audax aeque ac imperitus Criticus, memoriis Sanctorum, et eorum invocatione: commemoratione defunctorum, et aliis quae Reformatio sustulit, fateri debuisset, miram esse istarum Liturgiarum et inter se, et cum aliis concordiam.

Graeci istas Liturgias non composuerunt.

Itaque si quidquam imperitissimo homini absurditatis excidere poterat, illud est quo miram suam Rivetus censuram concludit: Graecos has Liturgias composuisse et falso attribuisse Crysostomo et Basilio. Nam Graecas Ecclesias illis ad mysteria celebranda a multis saeculis usas esse et porro uti, negari non potest: scripto igitur consignatae sunt, non privato alicujus, sed publico consilio, in quod fraus cadere nequaquam potest. Eam quae Basilii dicitur in Constantinopolitana Ecclesia celebrari statis diebus non minus quam Chrysostomi, qui ignorat, alios docere non potest. *At*, inquit Rivetus, *Carolus Calvus Imperator in quadam Epistola ad Ravennatem Ecclesiam formulae ejus Missae mentionem faciens, quae in Constantinopolitana Ecclesia usurpata sit, eam Basilii non Chrysostomi fuisse aperte dicit, quod mirum esset, si Chrysostomus ejus Ecclesiae Archiepiscopus Liturgiam composuisset.* Verum si vel communem Liturgiarum librum, multoties Venetiis editum consuluisset Rivetus, quod illi faciendum erat, qui illarum censorem se profitebatur, mirari desiisset, sed stuporem ipse suum agnovisset; et puduisset illum inscitiae Mornaei et Hospiniani, a quibus tam praeclaras observationes se accepisse testatur.

Fictae et suppositiliae non sunt.

Cum vero fictas illas a Graecis, tam confidenter affirmat, docendi eramus, a quibus tandem, quo saeculo, quo fine fraus illa facta fuisset. Architectos sane fraudis illius ne per obscurissimam quidam conjecturam designare quisquam potest: cum in eam celebrandorum mysteriorum formam Graecae omnes Ecclesiae consenserint, a multis saeculis. Acta aliqua, vel instrumenta fabricare homines ad fallendum parati possunt, quae suo tempore in lucem proferantur, et aliquibus fucum faciant, qui suo testimonio alios in errorem inducunt. In sacratissimo et tremendo, ut Graeci vocant, mysterio, quod quotidie

celebrabatur, et cujus orationes, ritus, ipsa verba memoriae fidelium insculpta erant, quisquam ne existimabit, introductam fuisse nemine reclamante, novam et erroribus scatentem sacri officii formam, quae statim ubique suscepta fuerit, et reliquas omnes, praesertim Apostolicam illam, quam Protestantes somniant, aboleverit? Quando tandem, quo saeculo tanta mutatio facta est? Scire enim illud debent, qui de ea tam confidenter pronunciant. At unde id habebunt, cum nullus autor Ecclesiasticus, historia nulla, rei tam novae, tam inauditae mentionem fecerint. Credetur ne Riveto in rebus quae eruditissimorum virorum cognitionem fugerunt, cum ipse ne editos quidem libros de quibus nugatur, inspexerit? Quo fine etiam, et cui bono? An ut superseminarentur zizania in medio sementis dominicae, et Evangelica illa Liturgia, de qua nunquam Protestantibus inter se convenit, suffocaretur? Verum cum ea ipsa toto caelo ab omnibus aliis differat, Graeci quidem nullo negotio partes Liturgiae suae omnes, Patrum, Conciliorum, et scriptorum omnium testimoniis ita communiunt, ut nihil suis in officiis Eucharisticis esse constet, quod longo Ecclesiarum usu, prius quam illa scriberentur, confirmatum non fuerit; quod de primitiva sua Coena Evangelica et Apostolica Protestantes praestare non possunt. Fraudem illam Concilio Ephesino, et Calchedonensi antiquiorem esse oportuit; cum Nestoriani et Jacobitae ab Ecclesia Catholica secedentes, eamdem Liturgiae formam servaverint.

Atque haec sunt argumenta Riveti qui aliorum commentarios exhauserat, quae qualiacumque sint, ab omnibus exscribuntur: imo quod mirari satis non possumus a quibusdam Catholicis, qui sane aliud agebant, dum frivolis ejusmodi ratiunculis manus dare, quam Liturgias ipsas accurate expendere maluerunt. Nam certum id et inconcussum esse debet, Graecas omnes, illa Petri excepta, a quocumque scriptae sint, formam celebrandae Eucharistiae semper et ubique servatam, Patrum testimoniis confirmatam, ab antiquis haereticis ad suos coetus translatam, omnium denique Ecclesiarum consensu approbatam continere.

CAPUT V.

Quid verisimilius statui possit de tempore quo scriptae sunt Orientales Liturgiae.

Variae sententiae de tempore quo primum scriptae sunt Liturgiae.

QUANTUM obscuritatis sit in ea de qua nunc agendum est, quaestione explicanda, quae huc usque diximus satis ostendunt. Tres vero de eo argumento opiniones sunt. Prima eorum qui Jacobi, Basilii et Chrysostomi Liturgias ab illis quibus attribuuntur scriptas esse contendunt, eaque communis est Graecorum omnium, et multorum Catholicorum sententia. Secunda illorum qui scriptas a sanctissimis illis viris credi volunt, sed non omnino quales ad nos pervenerunt, cum non pauca posterioribus saeculis addita fuerint, et quamdam sint interpolationem passae: ita ferme Baronius, Bellarminus et alii sat multi. Tertia tandem et omnium teterrima sententia est, falso illas esse viris sanctis adscriptas, easque esse supposititias, falsas, atque adeo nullius in Theologia autoritatis. Ita vulgo Protestantes omnes, quos quidam Catholici secuti sunt, non tamen ita ut agnoverint, dolo malo confictas illas esse, et tanquam zizania frumento dominico superseminata: illas tamen autoritate illa qua commendari Graeci eas volunt, spoliari facile passi videntur.

Cardinalis Perronii judicium.

Inter eos qui prudentius, et accuratius de illis judicarunt, Cardinalis Perronius fuit, dum conjectando assecutus est, eam quae Jacobi dicitur, fuisse Hierosolymitanae Ecclesiae propriam: quae Marci Alexandrinae: Basilii et Chrysostomi Ecclesiarum Patriarchatus Consantinopolitani. Ea ratione fraudis omnis suspicio prorsus evanescit, et frustra sunt impugnatorum Ecclesiasticae disciplinae calumniosae divinationes, nec illis incommodis laborat haec sententia quae in aliis maxima sunt. Ita non erit litigandum, quis hujus, vel illius Liturgiae autor fuerit, a quo literis consignata sit; an ea, quae saeculis autorum quibus adscribuntur conveniant, repraesentet, an mutationes aliquot passa sit. Constet modo talem Liturgiam continere formam Eucharistiae consecrandae, quae a multis saeculis usurpata in insignibus Ecclesiis fuerit, salva est ejus dignitas et autoritas. Usus enim illarum Ecclesiarum qui huc usque viget, ut certus est, adeo ut ne

probabilibus quidem conjecturis vocari in controversiam possit, ita est antiquissimus. Nam Chrysostomo solo teste, nulla prope earum Liturgiae partium, in quibus Actio sacra continetur, non observabatur in Constantinopolitana Ecclesia, cum illas in Homiliis ad populum frequenter insinuet, ut reliqui Ecclesiae doctores persaepe faciunt.

Quid de Jacobi Liturgia verius videatur.

Quod vero tres primas opiniones spectat, de illis ita censuerunt doctissimi Theologi. Jacobi Liturgiam quod attinet, etsi communi Graecorum traditione, Procli, sexti Concilii et omnium tandem recentiorum testimoniis confirmetur, scriptam esse a Jacobo, nihil ex iis efficitur: cum exigua sit in rebus Criticis primae antiquitatis ejusmodi testium autoritas. Omnes illi et quos magno numero citat Allatius, Proclum, de quo non satis exploratum est, exscripserunt: eos Graeci recentiores secuti sunt, eo magis, quod ex Dionysio et Clementinis Constitutionibus tolli, si quid difficultatis esset, existimaverunt. Neque similis traditio Syrorum, de scripta a Jacobo Liturgia, plus ponderis habet, sed quae ad hanc disputationis partem spectant referemus in Praefatione ad Liturgias Syriacas. Majoris omnino autoritatis est superius relatum Basilii testimonium, quo perspicue constat nullum sanctorum eam formam quae consecrationem Eucharistiae contineret, scripto tradidisse. Erat tamen jam a primis Ecclesiae saeculis promulgata sacrorum lex, in qua omnes acquiescebant, et idcirco statim atque scribi coepit, ubique accepta et probata est. Factum id fuisse Apostolicis temporibus a Jacobo vel Marco, nulla idonea ratione probari potest, nihilque circa Jacobi Liturgiam efficiunt Allatii argumenta, eo debiliora, quod sententiam oppositam, velut haeresi proximam insectatur, cum ea fuerit a Catholicis et quidem doctissimis propugnata, neque ullatenus ad fidem pertineat. *Potuit Jacobus Liturgiam scribere*, inquit Allatius: *scripsit ergo: Sed negant haeretici: mihi curae non est, quid dicant haeretici.* Nec haeriticus est, qui negat id quod probari certis autoritatibus non potest; neque si foret, quae cum aliqua verisimilitudine ab illo objicerentur, ita contemtim rejicienda erant, sed refellenda. Opponetur, quod Allatio Graeci omnes suffragantur: et id sane de recentioribus verum est: de antiquis non item: cum nemo inter eos occurrat Proclo vetustior, de cujus opusculi veritate et antiquitate dubitatur. Honor sane habeatur Graecis scriptoribus, ut ex eorum testimoniis constet, Liturgiam istam et alias Traditione Apostolica

ad eos pervenisse: ita enim refelluntur, quantum opus est, qui eas suppositias, fictas, et ab inimico homine profectas temere calumniantur. Verum ad confirmandam scriptionis illarum antiquitatem nihil quidquam efficiunt.

An scripta olim a Jacobo, fuerit postmodum interpolata.

Moderatius est illorum judicium, qui etsi scriptas illas ab Apostolicis temporibus esse judicant, mutationi tamen obnoxias fuisse non diffitentur. Sed id habet incommodi talis opinio, quod illarum interpolationem quamdam admittat, quae si locum habet, nova calumniarum seges Protestantibus offertur. Dicent enim, ut jam a multis dictum est, quae ab Apostolo Jacobo tradita sunt, ab illis quae recentiores manus invexerunt, discerni non posse: addita quoque fuisse non pauca, quae cum vetustissima sint, ipsi novitatis condemnant. Inde fit ut partes Liturgiarum prope nullae intactae ab inofficiosa et temeraria illa censura relinquantur, eo magis, quod aliquas, ut Invocationem sancti Spiritus, et nonnullas alias, inter additamenta numerent. Verum publicis Ecclesiarum officiis Sacramentalibus addita esse sequentibus saeculis, ea quae omnium communi consensu inter sacra recitabantur, interpolatio non est, sed ad usum cujusque temporis accommodatio, publica autoritate, non privato cujuscumque consilio, aut per fraudem facta. Negent Protestantes a Concilii Nicaeni tempore vocem *Ὁμοουσίου* inter Ecclesiasticas preces fuisse adhibitam, nube testium confutabuntur. Desint notae illae certae, publici usus Ecclesiarum, Liturgia nulla erit, quae publicam autoritatem habeat.

Quid verisimilius videatur, nempe scriptas esse Liturgias ante Ephesinam Synodum.

Quandoquidem porro res in obscuro est, adeo ut, quando Liturgiae scribi coeperint, designari certis argumentis non possit, dandum aliquid conjecturae est, sed ita, ut quantum fieri poterit, non inanis illa sit, quales pleraeque Criticorum quos carpimus, sed certa quaedam fundamenta, quibus insistat, constituantur. Igitur Liturgias Graecas scriptas esse oportet ante Ephesinum Concilium, anno Jesu Christi CCCCXXXI. congregatum, in quo damnatus est Nestorius. Hujus conjecturae ratio est, quod Nestoriani, haereticorum qui in Oriente supersunt antiquissimi, cum Constantinopoli primum emersissent, sedem illam occupante Nestorio, Liturgiam servaverunt Constantinopolitanae in multis similem: et notam illa originis suae habet, quae videtur prope certa. In Liturgia Graeca Chrysostomi Invocatio Spiritus sancti super dona proposita istis verbis concluditur *μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου ἁγίῳ Transmutans Spiritu tuo sancto*, quae in aliis Graecis, Syris, aut Aegyptiacis non reperiuntur, praeterquam

in Nestoriana. Nempe quia ritus Constantinopolitanos didicerant primi Nestorii sequaces, quos in Orientem, ubi plèrique sedes fixerunt, transtulerunt. Itaque jam in codices relata erat tum Liturgia: et cum Joannes Chrysostomus ab anno CCCXCVII. usque ad CCCCIV. quo secundo pulsus est, sedem tenuerit, potuit eo temporis intervallo preces sacramentales ordinare, atque id sufficiebat, ut ejus diceretur Liturgia, quae ab eo ordinata fuerat.

Jacobi Liturgia scripta erat aetate Cyrilli Hierosolymitani.

Cum vero annis aliquot antea Cyrillus Hierosolymitanus Catecheses suas scripserit, in quibus particulae quaedam sunt ex Jacobi Liturgia desumtae, scripto quoque comprehensam eam fuisse, quae Ecclesiae Hierosolymitanae propria foret, verisimillimum est. Syriacam enim ejusdem nominis, quae ex Graeca expressa est, dudum ante schisma Monophysitarum, qui postea Jacobitae appellati sunt, in scripta relatam fuisse, suadet communis, qui etiamnum superest, illius usus, tam apud Orthodoxos, quam apud Jacobitas. Illi quippe Sacramentales libros numquam ab haereticis acceperunt: cum isti contra suos omnes ab Ecclesia Catholica abstulerint: nullus veterem sacrorum celebrandorum traditionem ita contemserit, ut novas eorum formas componere ausus fuerit. Accedit etiam, quod Liturgia illa Jacobi Syriaca, Orthodoxis Jacobitisque communis, pura est ab omni novitate vocum aut sententiarum, quas haeresis introduxit, et idem circa Nestorianam observatur, qui character primae vetustatis certus videtur. Nam in aliis Ecclesiasticis officiis, illis praesertim quae ad psalmodiam pertinent, frequentissima est vocum et sententiarum ejus generis insitio, quae novitatis non dubium indicium est, ut in notis ad Liturgias observabimus. Sane si non certum et exploratum, at ita verisimile est, ut nihil contra dici cum aliqua ratione queat, Nestorianos illos veteres qui Romano Imperio pulsi Mesopotamiam, conterminasque Persis provincias repleverunt, ut etiam Jacobitas, novos Sacramentales libros, Orthodoxorum libris tam similes componere vix potuisse, nisi scriptos prae oculis libros habuissent. Nec advocandam in hujus conjecturae subsidium existimamus Orientalium traditionem, cujus testes Barsalibi et alii autores, a quibus Jacobum, congregatis in Coenaculo Sion Apostolis et Discipulis, post illapsum Spiritus sancti, Liturgiam scripsisse proditum est. Si enim in Originibus Ecclesiasticis non magni facienda est Graecorum autoritas, ubi critices aliquid requiritur: multo minus Syrorum, et Arabum, qui in hac doctrinae parte Graecis omnino sunt inferiores. Nec utemur Joannis

Maronis autoritate, quem in Liturgiam Jacobi commentatum esse quinto saeculo saepius inculcavit, virisque doctissimis persuasit Abraham Echellensis, ex futili et aliis Orientalibus incognita Maronitarum opinione.

Marci Liturgia ante Calchedonense Concilium.

Marci Liturgia, cum Ecclesiae Alexandrinae propria fuerit, quin idcirco a nomine Evangelistae appellata sit, dubitari non potest: et eodem circiter tempore scriptam fuisse verisimile est, saltem antequam per Dioscorum Ecclesia illa duas in partes divideretur, quae huc usque nullam habent inter se communionem. Itaque quod Syris, ita et Aegyptiis usu venit, ut haeretici Sacramentalia officia foras exportarent, non ut Orthodoxi quidquam ab illis acciperent, quod neque sinebat haeresis odium, neque locum apud istos habere poterat: nam Ecclesia quondam florentissima, Eucharisticis orationibus, et reliquis ad Sacerdotii functionem legibus et institutis abunde instructa, quidquam ab aliis doceri opus non habebat. Eadem post aliquot saecula apud partem Orthodoxam et Jacobiticam observatur sacrorum forma, quamvis in diversa lingua, cum Jacobitae Coptica prope ubique sola, Orthodoxi Graeca uterentur. Isti Liturgiam suam nominė D. Marci designaverunt, et unicam habuerunt: ea enim est de qua consultus fuit Balsamon a Marco Patriarcha Alexandrino, nam is erat Orthodoxus. Coptitae vero, seu Jacobitae, primam et praecipuam, quae reliquarum duarum (tres enim habent) Canon esse solet, Basilio attribuunt: alteras Gregorio Theologo, et Cyrillo Alexandrino.

Cur Jacobitae Aegyptii suam Liturgiam Basilio attribuerunt.

Hujus denominationis rationem aliquam vel devinando assequi difficile est: una se offert quam ut conjecturam doctioribus expendendam proponemus. Cum quarto et quinto saeculo, si non prius, Liturgiae eam quam huc usque habuerunt formam accepissent, Graecae Ecclesiae Patriarchatus Constantinopolitani duas susceperunt, alteram Basilii, alteram Chrysostomi, quem ritus ad usum Ecclesiae cui praesidebat ordinasse, non vana Graecorum traditio est. Nam illa Ecclesia huc usque nullas alias Liturgias usurpavit, et pro suprema, quam in Graecas obtinuit autoritate, reliquas abolevit. Aegre ferebant Alexandrini auctam fuisse majorem in modum dignitatem Constantinopolitanae sedis, quae olim Heracleae subjecta, ne Metropoleos quidem honorem obtinebat. Itaque turbatum non semel ab illis est, cum ex antiqua sua praerogativa negarent se inconsultis, Episcopum Constantinopolitanis dari posse. In Joannem Chrysostomum nimia ambitione peccavit multipliciter Theophilus Alexandrinus: neque Cyrillus ejus successor et ex fratre nepos memoriae viri sanctissimi satis

aequus visus fuit. Unde in Historia Severi Aschmoninensis de tota hac controversia ne verbum quidem occurrit, forte quod de ea loqui non posset sine Chrysostomi aut Theophili, Cyrillique, quem Jacobitae impense venerantur, contumelia. Itaque fieri potuit, ut cum duae Liturgiae Basilii et Chrysostomi in codices relatae fuissent, primam praetulerint, aut ejus saltem titulum suis Copticis Jacobitae praefixerint: neque enim Orthodoxi aliter quam D. Marci nomine Liturgiam suam appellaverunt. Ante saeculum nonum jam vulgatum apud Coptitas erat, ut prima Liturgia Basilio adscriberetur: nam Severus Episcopus, qui historiam Patriarcharum Alexandrinorum scripsit, vocat eum Liturgiae autorem: vivebat autem Severus saeculo decimo. At quandoquidem traditio Orientalium non satis antiqua, et minus firma est, quae ad Basilianae Liturgiae antiquitatem spectant, prosequemur ex Graecis Latinisque autoribus.

Graecorum traditio est Basilium Liturgiam scripsisse.

Graecorum, ut diximus, constantissima traditio est, Basilium, primum post Jacobum fratrem Domini, Liturgiam scripsisse. Proclum testem omnes laudant, neque de opusculi, quo illus testimonium continetur, autoritate dubitant; quamvis a recentioribus Criticis vocetur in suspicionem. At dudum ante quam Proclus scriberet, Basilii Liturgiam in usu fuisse apud Graecas omnes Ecclesias, si Hierosolymitanam et Alexandrinam excipimus, certissimum est. Antiquius extaret de scripta a Basilio Liturgia testimonium in ipsius vita per Amphilochium Episcopum Iconiensem ejus aequalem scripta, si legitima foret, et ejus autoritate Graecos usos non fuisse, mirari non sine ratione possumus. Neque enim critica tantum valent, ut quae Bellarmino, Possevino, et multis aliis, argumenta suspectam illam fecerunt, apud eos aliquid possent. Imo cum Symeon Metaphrastes vitam illam suo more interpolatam collectioni suae inseruisset, nota illis esse debebat, neque magis suspecta, quam tot aliae. Verum diu antequam suo operi Symeon manum admoveret, saeculo circiter dimidioque amplius, notissima Graecis esse debuit Basilii vita per Amphilochium scripta, cum jam ejus antiquam versionem citet Aeneas Episcopus Parisiensis in Tractatu adversus Graecos, quem scripsit ante annum Jesu Christi DCCCLXX. qui ei supremus fuit. Utitur enim ejus testimonio, eamque dicit de Graeco in Latinum a quodam Graeco, vocabulo Eveimio, de verbo ad verbum translatam. Igitur Graecis nota erat duobus prope saeculis antequam a Symeone Metaphraste recenseretur, si quidem decimo saeculo vixit, ut Allatius

Spicileg. T. 7. p. 79. Hist. Eccl. Par. l. 7. c. 7. p. 457.

De Simeonibus.

multis argumentis probavit. Haec porro sunt quae in illa Amphilochii vita leguntur, et quae refert Aeneas Parisiensis, in haec verba. *Post quoddam autem tempus postulavit Deum, ut daret illi gratiam atque intellectum propriis sermonibus offerre insanguineum sacrificium illi, et venire super eum sancti Spiritus adventum. Post dies vero sex, sicut in extase factus adventu sancti Spiritus, septima die apprehendente, coepit ministrare Deo, per singulos dies. Et post aliquod tempus, fide et oratione, coepit propria manu scribere ministrationis mysteria. Atque una nocte adveniens ei Dominus in visione cum Apostolis, propositionem panis faciens in sancto altari, excitavit Basilium, dicens ei, secundum suam postulationem. Repleatur os tuum laude, ut per proprios sermones offeras insanguineum sacrificium, qui non ferens visionem, surrexit cum tremore, et accedens ad altare coepit dicere scribens in charta sic, Repleatur os meum laude, etc.* scilicet reliquas Liturgiae preces.

Rejicitur testimonium ex vita Basilii.

Agnoscimus sane in ista narratione Graecorum φιλόμυθον; nec in vindicanda illius veritate opera abutemur: illud tantummodo observabimus simplicem illius narrationis sensum esse, Basilium, antequam sacras Liturgiae preces ordinaret, Deum invocasse, eoque inspirante opus perfecisse. Reliqua neque sancti viri humilitati, neque disciplinae conveniunt, praesertim cum in ipsa Liturgia preces occurrant illius temporibus antiquiores, ut sunt Praefatio, hymnus Cherubicus, recitatio verborum Christi, Invocatio Spiritus sancti, Oratio Dominica, *Sancta sanctis*, et quaedam aliae sacri Officii partes. Neque operae pretium est viri doctissimi Jacobi Goarii exemplo, de concilianda Procli narratione, cum Amphilochiana satagere, cum ista mirabilibus illis ἐπεισοδίοις novitatem ipsa suam sufficienter prodat: altera simplex sit magisque verisimilis, quam idcirco solam Trullana Synodus adoptavit. Ex ea enim satis confirmatur pia omnium Graecarum traditio, secundum quam preces Eucharisticae quae versabantur omnium manibus, et ad altaria toto passim Oriente usurpabantur, esse a Basilio juxta receptam consuetudinem ordinatas, usuque Ecclesiarum probatas et confirmatas, existimant.

Testimonium Petri Diaconi de Basilii Liturgia.

Verum extat antiquius multo de Liturgia Basilii jam scripta testimonium Petri Diaconi, et aliorum Monachorum, qui in causa fidei ex Oriente Romam missi fuerant, in libro de Incarnatione et Gratia Domini nostri Jesu Christi ad Fulgentium et alios Episcopos Africae, Christi, ut aiunt, confessione decoratos: nempe cum a Thrasamundo

relegati sunt in Sardiniam, unde anno DXII. restituta Africanis Ecclesiis ab Hilderico Hunerici filio pace, reversi sunt. Paulo post liber ille scriptus est, in cujus octavo capite haec leguntur. *Hinc etiam beatus Basilius Caesariensis Episcopus, in Oratione sacri Altaris, quam pene universus frequentat Oriens, inter caetera: Dona,* inquit, *Domine virtutem et tutamentum: malos, quaesumus, bonos facito, bonos in bonitate conserva, omnia enim potes, nec est qui contradicat tibi, cum enim volueris salvas, et nullus resistit voluntati tuae.* Laudatus est is locus a plerisque Theologis, nobilioribusque Criticis, observatumque simul est, ea verba neque in Graecis Codicibus extare, neque in Syriaca a Masio interpretata, nec in Coptica. Verumtamen praecipua sententiae pars, quaeque ad quaestionem a Petro Diacono, et reliquis adversus Pelagianorum reliquias citatam, maxime spectabat, in Graeco textu legitur, *τοὺς ἀγαθοὺς ἐν τῇ ἀγαθότητι διατήρησον, τοὺς πονηροὺς ἀγαθοὺς ποίησον, ἐν χρηστότητί σου.* ut et in veteri versione Latina, *Bonos in bonitate conserva: malos bonos fac, in bonitate tua.* Ea sola particula viris doctissimis non observata, dimovere eos a praecipitata censura debuisset: omnes enim, etiam quorum diligentia merito commendatur, negaverunt ea verba, quae Petrus Diaconus allegavit, in Basiliana Liturgia reperiri. Inde statim judicaverunt, non pervenisse illam ad nos, nisi valde interpolatam: neque enim inventi sunt qui ad Goarii sententiam accederent. Is quippe dum vitam Basilii vulgo Amphilochio adscriptam, ut legitimum autoris cujus nomen praefert opus, defendere pertendit, duplicem ab eo Liturgiam compositam fuisse suspicatus est, quae conjectura nullum *Till. T. 9. p. 304. 684.* in historia aut antiquis monumentis fundamentum habet, meritoque explosa est. At negari non potest, quin illa quae retulimus, ea ipsa sint, quae Petrus Diaconus citavit. Quod si reliqua non eodem loco reperiuntur, probabiles adduci rationes possunt, cur etiamsi ita sit, non idcirco tamen suspectum ejus testimonium esse debeat. Nam saepe observatur ab antiquis, quae allegant ita referri ut verba ipsa non eo ordine quo extant in libris unde depromta sunt, recitent. Oratio de qua agitur occurrit inter multas alias quae a *Μνήσθητι,* seu *Memento* incipiunt: atque ea ratione certum est quodammodo, prima testimonii verba: *Dona Domine virtutem et tutamen,* ex orationibus petita esse, ubi frequenter occurrunt, aut alia quae idem significant, non minus quam in omnibus cujuscumque linguae Officiis Sacramentalibus. Ultima verba ex alio quoque loco petita verisimile est:

nam in orationibus continuatis, quae a *Memento* incipiunt, subsequitur acclamatio *τοῦ Amen* vel *Kyrie eleison:* clausula vero non est nisi in omnium memoriarum fine. Illius autem formulae non unae sunt; communior illa, *Quia tuum est regnum, potestas, virtus et gloria Patris, Filii et Spiritus sancti:* aut paulo aliter. Sunt tamen aliquando diversis verbis expressae: ut *quia tu es sanctus Deus noster. Quia tu es misericors et miserator Deus*, et similes aliae. Facile igitur fuit, ut in Codicibus quos habebat Petrus Diaconus, haec clausula alicubi reperiretur, cum ex Scripturae verbis contexta sit, extetque in variis Latinis Missalibus, imo et in Romano. Quidquid sit, constat ex Petri testimonio sua jam aetate, hoc est sexto saeculo labente et septimo ineunte, totum prope Orientem usum esse Basilii Liturgia, neque dubitatum, quin sacras preces quae erant in omnium manibus ordinasset: atque est illa *εὐχῶν διάταξις*, de qua Gregorius Nazianzenus loquitur. Quaecumque vero ex orationum varietate, et exemplarium tam Graecorum, quam Copticorum et Syrorum dissimilitudine petuntur argumenta, ad elevandam istius Liturgiae autoritatem, sufficienter ex illis quae superius dicta sunt dispunguntur. Sufficit praecipuas preces easdem esse, et quamvis verbis differant, in unam convenire sententiam, ut non supposititia judicetur; at qui Graecam, Syriacam et Copticam attente legerit, agnoscet omnes ex uno limpidissimo fonte prodiisse.

Orat. 20.

CAPUT VI.

De linguis quibus Liturgiae ab initio et ad haec usque tempora celebrari solitae sunt.

Opinio de tribus tantum linguis ad Liturgiam usurpatis refellitur.

De linguis quibus antiquitus celebrata Liturgia est, et quibus ad nostram huc usque aetatem apud Orientales celebratur, non quid facere Ecclesia debuit, sed quid observaverit constanti et non interrupta disciplina, disquirendum est. Qui enim contra Reformatores primi Ecclesiae causam tuendam susceperunt, ita sunt in ea versati, ut in illas se ambages, ex quibus expedire se omnino impossibile sit, incauti conjecerint. Plerique scilicet quia tribus linguis, Hebraïca, Graeca et Latina titulus crucis inscriptus fuit, tres solum illas in Liturgia celebranda usurpatas fuisse statuerunt. Hebraïca tamen lingua

celebratam antiquitus fuisse, probare nunquam potuerunt: nam si per eam intelligi voluerunt Hierosolymitanam, quae tempore Jesu Christi vulgaris erat in Palaestina, quia in novo Testamento ita vocatur; ne minimum quidem gustum linguarum Orientalium illos habuisse oportebat, qui haec scriberent. Affinis est sane Hebraïcae Chaldaïca illa Hierosolymitana, et ab ea ducit originem, ut Syriaca Mesopotamena; sed non magis eaedem sunt, quam Latina, Italica et Hispanica, quamvis a prima per Barbariem contaminata suam traxerint originem. At pura Hebraïca, quam plebs illiterata non intelligebat, primos Christi discipulos sacra sua celebrasse nemo veterum memoriae prodidit. Servatur quidem illius usus apud Judaeos: nam omnia illorum Officia pura et literali Hebraïca lingua concepta sunt: cum tamen eorum quibus ab aliquot saeculis utuntur, antiquitas non plane perspecta sit, frustra inde praesidium quaereretur opinioni, quae nullum in originibus Ecclesiasticis fundamentum habet, neque cum Ecclesiae primitivae moribus potest conciliari. In ejus quippe synaxibus sacrae Scripturae legebantur, ut in Synagogis fieri solitum erat: sed etiamsi legebantur Hebraïce: statim vulgari lingua, versiculatim exponebantur: et ea est origo Chaldaïcarum Versionum, quae *Targumin* appellantur. At factum id fuisse inter primos Christianos, praeterquam quod probari nulla idonea ratione potest, si verum foret, ad eos pertinuisset tantummodo qui ex circumcisione erant: nihil ad reliquos. Inter istos etiam, cum multi neque Hebraïce, neque Chaldaïce scirent, Scripturae Graece legebantur, ut etiam apud ipsos Judaeos Hellenistas, tum qui in Palaestina, tum qui in Aegypto et in Asia dispersi erant. Graeca etiam lingua certas orationes, quas Judaei quotidie recitare tenentur pronunciari potuisse, constat ex Responsis antiquissimis sapientum, quae in Mischna continentur. Unde quidquid sit de Scri- *Tract. Berachot.*
pturarum lectione, de qua nunc agimus, preces multas solennes vulgari lingua Hierosolymitana pronunciatas fuisse constat, vel unico, sed quod palmare est, argumento. Solenne est Judaeis ab excidio templi secundi Paschale quoddam officium, quo exilium suum solari, et veri Paschatis sui imaginem quamdam adumbrare solent; et id vocatur *Agadat happesach.* In eo officio Paterfamilias orationem habet ad eos qui simul Pascha illud manducant, in qua antiqua Dei erga Israëlitas beneficia commemorat: omnia autem dicuntur Chaldaïce, non Hebraïce. Verisimile porro est in praecipuo, quod inter illos superest religionis officio, servatam esse antiquam, quae stante templo vigebat

disciplinam. Neque obstat quod nonnullae benedictiones quas Paterfamilias recitat super panem et vinum, Hebraïce dicantur: breves enim sunt formulae, paucis verbis constantes, quas ex usu quotidiano quisque intelligit. Itaque nec ex Judaeorum antiqua disciplina, nec ex Christiana, aut ejus certis monumentis efficitur, sacra mysteria Hebraïca lingua proprie dicta celebrata unquam fuisse: quod tamen non pauci scriptores, sed infimi subsellii, magno mercati fuisse viderentur; quasi inde magna hodiernae consuetudini autoritas accederet, cum Hebraïcam linguam vulgo ignotam fuisse Christi tempore, extra dubium sit. His et similibus argumentis proditur Ecclesiae Catholicae causa, non defenditur: quippe si Hebraïca, quam intelligunt, lingua Hierosolymitana fuit, vulgaris illa tunc erat; et frustra contra Reformatores disputatur, si lingua vulgari sacra celebrata fuisse conceditur, quod tantopere fateri refugiunt illi Theologi.

Liturgiae Graecae lingua vulgari celebrabantur.

Sed circa Graecas Liturgias eamdem difficultatem experiri necesse est: nam eas celebratas fuisse lingua vulgari, tam certum est, quam certum Graecos toto passim Oriente Graece locutos fuisse, non Hebraïce vel Latine. Ubicumque igitur ea lingua vulgaris fuit, ibi ab initio rerum Christianarum sacra Graece celebrata sunt: nempe per totam Asiam, Graeciam, Aegyptum, et omnes tandem Imperii Macedonici provincias.

Apud Syros Syriace.

Conc. T. 4. p. 279. 459. 640. 668. 669.

In Syria, ubi populi plerumque bilingues erant, non Graece modo, sed Syriace Liturgia celebrabatur, praesertim extra urbes: nam rusticana plebs Graece saepe nesciebat, et in antiquis Conciliis animadvertere licet Episcopos qui Syriace subscriberent et verba facerent, quia Graecae linguae imperiti erant. Hinc originem habuerunt Liturgiae Syriacae, quarum praecipua est antiquitas, cum Schismatum initia antecedant, sintque Orthodoxis, Jacobitisque communes: et eamdem in sacris linguam Nestoriani retinuerint.

In Aegypto Aegyptiace.

Eadem ratione in Aegypto utraque lingua officia celebrabantur, Graeca quae Alexandriae et in inferiori provincia communis usus erat, et Aegyptiaca, quae alibi passim vigebat, quod solo Antonii exemplo demonstratur. Graeci sermonis erat ignarus, quamvis liberaliter educatus: et in Ecclesia cum audiisset: *Vade, vende omnia quae habes*, quasi sibi soli dicta, statim exsecutus est. Haec igitur verba Aegyptiace legebantur: atque eadem lingua Liturgia celebrabatur. Quod enim post schisma Monophysitarum servatum est per totam Aegyptum, ut sacra officia omnia Aegyptiace celebrarentur,

non ab illis haereticis noviter inductum, ut sicut in Occidente Reformatores, Latinae linguae usum vernaculis commutaverunt, ita illi, Graecam quae a multis non intelligebatur, reliquerint: nam, ut alibi observabimus, Graecam Jacobitae aliquando usurpaverunt. Verum quod consuetudine receptum erat, tenebatur, neque quod linguae vulgaris esset, idcirco a sacris arceri debere existimabatur.

In Aethiopia Aethiopice.

Proximi Aegyptis Aethiopes, qui ab illis fidem acceperunt, misso ad eos per Athanasium Frumentio, quique post subactam a Muhamedanis Aegyptum, ad Jacobiticam haeresin transducti sunt per Metropolitas Alexandria missos, habent a multis saeculis Liturgiam Copticae valde similem, Aethiopica sua lingua, quae olim vulgaris fuit, nunc nonnisi a doctis intelligitur.

Armeni Armenice.

Armeni suo quoque nativo sermone dudum sacra celebrant, tum qui Orthodoxam fidem retinuerunt, tum Jacobitae, ut Moscovitae, seu Rutheni: Constantinopolitanae sedi subjecti Russico, et alii quidam de quibus pauca admodum scimus. Itaque commentum illud de tribus tantum linguis ad Eucharistiae celebrationem adhibendis, ne vulgarium usus approbari videatur, futile prorsus et falsum est: cum ex tribus illis prima locum in Liturgia nunquam habuerit: duae alterae vulgares per aliquot saecula fuerint; reliquae de quibus diximus ad nullam trium referri possint, certus tamen sit illarum usus, olim et huc usque, a Romanis Pontificibus non improbatus.

Protestantium argumenta inde sumta nihili sunt.

Protestantes, ad quos refellendos haec argumenta inconsiderate excogitata sunt, ex praejudicatis suis opinionibus abierunt in alia omnia: cumque receptam apud nos disciplinam de retinenda in sacris Latina lingua conculcassent, ex diversis Scripturae locis, et Orientalium Ecclesiarum exemplo recte se fecisse probare conati sunt, quod lingua vulgari ubique officia sua celebrarent. Ea occasione cum multi diversa testimonia collegissent, prodiit ante annos aliquot opus posthumum Jacobi Usserii, quo sacras literas et officia Ecclesiastica linguis vernaculis legi et celebrari oportere probandum suscepit. Praecipuum argumentum duxit ab Orientalium Ecclesiarum exemplo; *Syri enim*, inquit, *Syriace, ut Graeci Graece: Coptitae Coptice, Armeni Armenice, Aethiopes Aethiopice sacra faciunt.* Ita sane; neque tantum operae ponendum fuerat, ad rei vulgaris et notissimae probationem: neque illis exemplis Ecclesia Romana laeditur; cum ipsa quoque Latinam linguam, dum per Occidentem vulgatissima foret, ad psalmodiam et Sacramenta adhibuerit; nec fuit unquam inter Orien-

talem et Occidentalem disciplinam hac in parte diversitas, ut perspicue demonstrabimus.

Nam omnes illae linguae dudum vulgares esse desierunt.

Graece Graeci, Syriace Syri Liturgias celebrant antiquitus: id nemo inficiatur, nisi illi forte qui bellum illud de crucis titulo argumentum admirantur. At quod inde Usserius et alii collegere, sacra eorum Christianorum quos enumerant, exemplo, populari sermone celebranda esse, falsissimum est. Quippe Syri Orthodoxi, Jacobitae et Nestoriani Syriacam linguam, cujus ab aliquot saeculis usus vulgaris nullus est, non magis intelligunt, quam plebs rusticana nostra Latinam. Nestoriani singulari, et ignota reliquis Christianis Orientalibus consuetudine, ex quo in Mesopotamia sub Regum Persiae patrocinio sedes fixerunt, Ecclesiasque multas occupaverunt, aut novas instituerunt, omissa Graeca lingua, solam Syriacam usurpare coeperunt, eamque in Tartaria, Perside, Sinarum regione, et India Sacramentis celebrandis propriam et unicam esse statuerunt. De Perside testantur libri veteres multi et inter alios, insigne Lectionarium Persicum Evangeliorum de circulo anni, in quo multa Syriace occurrunt: tum varia ex Historia Catholicorum seu Patriarcharum illius sectae exempla, quae alibi referemus. De Tartaria quoque varia exstant ibidem testimonia, quae Abulfaragii, Marci Pauli Veneti, Villelmi de Rubruquis, et aliorum qui eas regiones lustraverunt, autoritate confirmantur. De India Malabarica notissimum est ex sola Alexii Menesii Goensis Archiepiscopi visitationis illarum Ecclesiarum relatione, et Synodo Diamperensi. De Sinis unicum, sed omni exceptione majus testimonium dat lapis Sinicus anno MDCXXV. in Provincia Xensi effossus, Syriacis Sinicisque characteribus insculptus: quo sacram illic fuisse apud Nestorianos Syriacam linguam certissime probatur. Quis existimabit in remotissimis illis provinciis vulgarem fuisse linguam Syriacam? Ignota igitur lingua jam ante annos mille Nestoriani, nullo Romanae disciplinae contagio afflati, Liturgiam celebrabant.

Syriaca lingua dudum plebi ignota.

Serius in Syria patrii sermonis usus obsolevit, cum essent decimo et undecimo saeculo, qui eodem adhuc uterentur et scriberent: quamvis illi non tam vulgo illiterato, quam doctis scriberent. Unde qui opera multa, et quidem meliori saeculo digna, edidit Gregorius Abulfaragius, Nomocanonem, Grammaticam, et alia nonulla, ut pluribus prodesse possent, cum Syriace primum scripsisset, Arabice est interpretatus. Sunt tamen anni prope sexcenti, ex quo lingua Syriaca

apud Syros ipsos non nisi studio, ut apud nos Latina, comparari solet: neque idcirco antiqua disciplina, Liturgiam Syriace celebrandi, mutata est.

Eadem ratio Coptitarum Alexandrinorum fuit, inter quos Aegyptiaca lingua, cum ante Muhamedana tempora vulgaris foret, oblivioni tradita est, et in libris tantum Ecclesiasticis conservata, si quosdam locos excipimus circa Ossiutam et in Thebaïde, ubi, teste Makrizio, viguit inter Christianos illius usus familiaris, cum alibi extincta esset. At Alexandriae et Cahirae, ut olim vernacula erat Graeca lingua, ita dudum Arabica locum ejus occupavit, et tamen Coptica tantum inter Jacobitas sacra Officia celebrantur, quam Sacerdotes ipsi, nisi multum operae ad eam comparandam posuerint, non intelligunt. Neque idcirco venit ulli Patriarcharum Alexandrinorum in mentem, ut in plebis illiteratae gratiam antiqua consuetudo tolleretur, et vulgari Arabica sacrum fieret. Illius utilitati consultum satis existimatum est, si Epistolarum et Evangelii lectiones Arabice fierent, postquam Coptice pronunciatae erant: tum Sacerdotibus juvandis, adjuncta est plerisque Liturgiarum codicibus interpretatio Arabica, ut eas meditari et intelligere possent, non ut versionibus illis inter publica Officia locus esset. Quamvis enim a multis autoribus memoriae proditum sit, Arabice apud Syrianos, hoc est Jacobitas Orientales, et quosdam Melchitas, Psalmodiam et Sacramenta celebrari, nihil tamen minus verum. Adjunctae sunt quibusdam Liturgiis versiones Arabicae, ut in ea quae Cyrillo tribuitur, Missalis Chaldaïci Romae editi; et in libro Ministri, seu Ministerii Diaconici, ibidem edito. Attamen versionum illarum usus in publicis officiis nullus est, cum institutae sint ad juvandos Sacerdotes et Diaconos, linguae Syriacae minus peritos. Extant in variis codicibus manuscriptis Horologii, sive libri precum quotidianarum, versiones Arabicae, et earum una anno 1514. Fani fortunae edita est, sed haec ad privatae pietatis officia pertinent, non ad publica.

Ut apud Coptitas Aegyptiaca.

In Descript. Aegypti.

Aethiopes veterem linguam, qua scripta est illorum Liturgia, nisi eam studendo comparaverint, non magis intelligunt, quam illiterati Syri vel Aegyptii Syriacam vel Copticam: nam ea, quae Amharica dicitur, loqui solent. Nec Armeni vulgo peritiores sunt antiqui sui sermonis, quo Officia scripta sunt: imo Graecos idiotas qui noverit, sciet eos literalis linguae, quae in Liturgiis et Psalmodia usurpatur, plane imperitos esse, unde Catecheses, Conciones,

Apud Aethiopes Aethiopica.

et ejusmodi pii libri barbarico stilo scribi solent, neque enim aliter intelligerentur.

Nulla in Oriente Ecclesia vernaculo sermone sacra celebrat.

Ex illis igitur manifestum est Usserium reliquosque Protestantes, qui de sacris vernaculis longos et laboriosos commentarios ediderunt, nihil egisse, cum ne una quidem Ecclesia toto Oriente assignari possit, quae vulgari, et quam plebs vernaculam habeat, lingua, ad Liturgiam celebrandam utatur. Accusant Romanam, quod Latinam solam admittat; accusari eodem jure possunt Orientales omnes, qui obsoletis quoque, et quas eruditi soli sciant, linguis, sacra faciunt. Dolo malo, ut fidelibus mysteria non pateant, id apud nos fieri calumniantur Protestantes: at certe doli nullius suspicio olim esse potuit, cum Romae, tota Italia, Africa, multisque aliis in provinciis Latine omnes plerumque loquerentur. Cum post Barbarorum incursus Latina lingua primum inquinata, tandem penitus extincta est, non idcirco visum est orationes sacras, quae quotidie ad altaria recitabantur, vernaculis commutare: plebis institutioni provisum est, per homilias et catecheses in vulgarem stilum conversas: antiqua consuetudo servata est. Pari modo Coptitae: Syri Orthodoxi, Nestoriani et Jacobitae, Graeci, Aethiopes linguam longo usu consecratam, quamvis a vulgari alia abolitam retinuerunt.

Omnes antiquam linguam retinuerunt.

Sane si quod Protestantes, idem Orientales Christiani in animo habuissent, scilicet sacra mysteria non posse illis precibus perfici, quae a populo non intelligerentur, veteres Sacramentales libros suos, ut illi fecerunt, abjecissent, et vernaculos substituissent. Itaque Nestoriani statim cum Seleuciae et Ctesiphontis Ecclesia occupata, illic sedem Antistitis supremi sui constituerunt, essetque in familiari usu et in ore vulgi lingua Persica, tres suas Liturgias Syriacas omisissent, et Persicam illarum versionem substituissent. Id tamen nunquam committendum arbitrati sunt: verum scripturas, et earum sectiones quae in Ecclesiis ad Liturgiam leguntur Persice interpretati, officia Syriaca antiqua sua servaverunt, et posteris tradiderunt. Ecclesias suae sectae in Tartaria superiori, et in Turquestania multas fundaverunt, imo et novas Metropoles erexerunt: ita quoque in India et in Sinarum Imperio. Liturgiae tamen linguis Turquestanica, Indica, aut Sinica celebratae ne vestigium quidem occurrit: cum contra Syriacam ubique adhibitam fuisse multis argumentis constet. In Aegypto et Syria Arabica lingua a Muhamedanis illata, vulgaris est ab annis plusquam mille, nec alia plebs uti solet: at nihilominus nunquam Arabice Liturgiae celebrata est, cum, ut dictum fuit, ver-

siones Arabicae, quae Copticis exemplaribus adjungi solent, juvandis Sacerdotibus, non Officiis publice celebrandis destinatae sint. Melchitae seu Orthodoxi Alexandrini, Graece in Aegypto sacra faciunt, nec ullus est ad altaria linguae Arabicae usus. Constantinopolitani, cum inter Turcas versentur, nunquam de Liturgia Turcice vertenda cogitaverunt, sed veteri Graeca, quam plebs non intelligit, uti pergunt, ut ante mille trecentos annos observabatur.

Eorum exemplo disciplina Romana confirmatur.

Igitur Orientalium Christianorum exempla, quibus Protestantes Romanae Ecclesiae disciplinam impugnant, eam mirifice confirmare agnoscuntur, cum ratio sit prorsus eadem retentae linguae veteris, quae vulgaris olim fuerat, quam, etsi in desuetudinem abiisset, mutari vernaculis versionibus, nec Orientali, nec Occidentali Ecclesiae placuit, ob antiquitatis reverentiam, qua ratione multa Graece, etiam a populo dicenda, in Copticis Officiis conservata sunt. Nec in sacris solum, verum in praecipuis rebus ad Ecclesiam spectantibus linguarum extinctarum usus perseveravit, quod singulari lege apud Coptitas tenetur, circa Ordinationes Episcoporum, praesertim Alexandrini Patriarchae. Antiqua consuetudo est, ut postquam electus fuit, conficiatur instrumentum, quo Episcopi, Archimandritae, Monachorum nomine, Presbyteri et Diaconi, testatum faciant talem, consensu communi electum esse Archiepiscopum Alexandriae. Illud instrumentum tribus linguis confici solet; Graeca, quam ab illis qui scribendo adfuerunt non intelligi, satis probant spissi et frequentes contra orthographiam et grammaticam errores, etiam in melioribus hujus formulae exemplaribus, ut in Pontificali Seguieriano. Coptica aliud exemplum describi solet, quae non magis a plebe intelligitur quam Graeca: tandem Arabica, quae sola vulgaris est. Idem observatur in literis quae vocantur *Συστατικαί*, voce Graeca, quibus acta Ordinationis Patriarchae continentur, ut in illis quae ad *'Ενθρονισμὸν* spectant, quod etiam erga Episcopos, cum ordinantur, observari solet.

Multas formulas Graecas Coptitae in Liturgia sua retinuerunt.

Iidem Alexandrini Jacobitae multas prae caeteris Christianis particulas sacri officii conservaverunt, quae inter Copticas orationes Graece dicuntur. *῎Ανω τὰς καρδίας. ῎Εχομεν πρὸς τὸν κύριον* et reliquas praefationis formulas. *Οἱ καθήμενοι ἀναστῆτε. Εἰς ἀνατολὰς 'βλέπετε. Qui sedetis surgite: Ad Orientem aspicite*, et omnia ferme quae a Diacono dicuntur ad populum. *Sanctus ter, pleni sunt caeli, et terra, etc.* Graece quoque dicit Populus: ita frequens illa orationis formula, *Κατὰ τὸ ἔλεός σου κύριε, Secundum misericordiam tuam Do-*

mine, et non secundum peccata nostra: tandemque celebris illa de corporis et sanguinis Christi vera et reali in Sacramento praesentia, quam Graece quoque pronunciare ex antiquissima consuetudine solent. Imo in solenni acclamatione, qua probare se testantur electionem novi Patriarchae, Graece loquuntur, non Coptice, aut Arabice, clamando *Ἄξιος, Dignus est.*

In Monasterio sancti Macarii nihil in Ecclesia Arabice legitur.

Norunt Historiae Christianae Aegyptiacae periti, quanta apud omnes, non Orthodoxos modo, sed Jacobitas ipsos fuerit Ordinis Monastici dignitas, propter admiranda illa sanctimoniae exempla, quibus eremum illustraverunt Paulus, Antonius, Macarius et tot alii. Aucta est inter Jacobitas Monachorum veneratio, quod post Synodum Calchedonensem omnia ferme Monasteria Dioscoro adhaeserunt, et adversus doctrinam de duabus in Christo naturis acriter pugnaverunt. Illos praeterea prae reliquis venerantur, qui in Monasterio sancti Macarii in deserto Scetis, vitam religiosam professi sunt, quod non modo fidei suae, sed disciplinae pariter essent retinentissimi. At in celebri illo Monasterio, quod summam prae reliquis dignitatem habet, cum alibi et in ipsa Patriarchali Ecclesia vulgari Arabico sermone legantur Epistolae, Evangelia, et sectiones veteris Testamenti: nihil omnino vulgari lingua legitur, idque ex vetutissima consuetudine quae in legem transiit, cujus testes sunt Abulbircat et alii qui de Ritibus scripserunt.

His probationibus omnia Protestantium argumenta refelluntur.

Atque haec quae diximus de usu linguarum Orientalium in sacris Officiis, ita certa et explorata sunt, ut contradicere nemo, nisi rerum Orientis Ecclesiasticarum imperitissimus, possit, et inutilitatem tot testimoniorum nihil ad rem spectantium, ab Usserio congestorum, satis demonstrant. Neque nos movent tanta nomina, cum de rebus notissimis agatur, quae, si Usserii et aliorum Protestantium diligentiam fugerunt, sunt tamen verissimae. Ea porro omnia quae in adversaria conjecerat, ad Versiones sacrae Scripturae et Liturgias spectantia, hominis sunt qui quaecumque occurrebant absque delectu colligebat. Nam quae de utroque argumento habet, praesertim de Versionibus, a nemine scribi poterant qui levissimam illarum notitiam habuisset, ut alibi fusius demonstrabimus. De Liturgiis ita loquitur, ut nullam vidisse satis intelligatur. Deterius adhuc, qui Auctarium adjecit operi posthumo, cujus consilium fuit ut Catholicis fortissime malediceret, quod solum praestitit, sed novo et inusitato more. Romanenses, et Pontificios, et quid non, vocare nos solent: sed qui

Haereticos absolute vocaverit, Orthodoxis oppositos, rari fuere. Quinam enim et cujates sunt Orthodoxi illi qui omnes Protestantium sectas complectuntur? Non sane Anglicana, in qua vivebat Ecclesia, quae etiam Usserium Calvinistam potius rigidum, quam doctrinae suae interpretem et defensorem experta est. Sed haec sufficiunt: unum adjiciemus quo solo intelligetur quantum fidei eruditis illis habendum sit. Ecclesiam Romanam jugulasse sibi videntur, cum enumerant Orientales, qui sua lingua celebrant Sacramentalia officia. Ita sit: at in ipsa urbe Roma editum est Missale Aethiopicum, Syrum item et Armenum: edita sunt Evangelia Arabice, Psalterium: imo integra versio scripturae Arabica ante paucos annos. Psalmi Syriace et Arabice in Monte Libano. Si haec nescierunt, cur de rebus sibi incompertis scribunt? si dissimulaverunt, ubi est bona fides? Qui linguas quibus sacra fiunt a multis saeculis plebi ignotas esse nescit, plus etiam quam inter nos Latina lingua, discipulorum inter cathedras plorare jubendus est.

CAPUT VII.

De Liturgiarum Autoritate.

Liturgiarum magna in quaestionibus fidei est autoritas.

Si quidquam in iis quaestionibus quae fidem et disciplinam spectant elucidandis, gravissimam autoritatem habet, testimonium omnium Ecclesiarum est, perscriptum antiquitus, et temporum successione continuatum et renovatum. Magnum hoc in genere pondus habent vetusta Traditio, et consentientium de praecipuis fidei disciplinaeque capitibus sanctorum Patrum scripta, Decreta Conciliorum et reliqua Ecclesiastica monumenta. Sed inter illa maximam dignitatem obtinent ea, quae totius quodammodo Ecclesiae vocem et testimonium exhibent, quia ubique cognita et probata sunt, et in illis non Episcoporum modo, sed plebis etiam suffragia continentur. Tales porro sunt Liturgiae, de quibus huc usque diximus, et quarum commendatio praecipua non tam a nominibus eorum quibus tribuuntur, quam a communi usu Ecclesiarum, quae a multis saeculis ad altaria iis utuntur, petenda est. Nihil non moliti sunt Protestantes, ut eas tanquam supposititias rejicerent, quod scilicet saeculis quibus scriptae dicuntur,

multa non convenirent, neque autoribus quorum nomina praeferebant; quod argumentum quam imbelle esset, demonstravimus. Nemo tamen Criticorum illorum aut probavit, aut probare aggressus est, Graecas Liturgias Jacobi, Marci, Basilii et Chrysostomi ab antiquissimis temporibus usurpatas non fuisse Hierosolymis, Alexandriae totaque Graecia et Asia, neque de illa quaestionis parte, quae momenti maximi est, videntur cogitasse. Omnes enim calculos Riveti, Usseriique aut ejus editoris evertebat, qui frigido diagrammate vernaculorum sacrorum Chronologiam exposuit, ut scilicet ab Antichristo nato, hoc est circa Gregorii I. saeculum superseminata fuerint ab homine inimico messi Dominicae, haec Liturgiarum zizania. Certum enim est, omnibusque testimoniis confirmatum, ducentis ut minimum annis ante ridicula illa Antichristi γενέθλια, receptam ubique inter Christianos fuisse illam celebrandae Eucharistiae formam, quam Graeci codices repraesentant, exigua prorsus, aut nulla inter veteres recentioresque differentia, quae ad partes officii sacri essentiales pertineat: neque vel levissimis indiciis novam sacra faciendi formam usurpatam fuisse, quae cum Protestantium disciplina conveniat, probare quisquam potuit. Nestoriani jam ante multos annos ab Ecclesia divulsi, similem Graeco ritum ad se transtulerant: et paulo post Jacobitae suum quoque, Graeco simillimum quotidie celebrabant. Igitur ex sola temporum observatione refellitur inanis illa fabula, nutriculis potius quam Theologis digna, quae tamen paucis confutanda est.

Diss. de sacris vernaculis.

An ab Antichristo quem natum Protestantes volunt sub Gregorio I. ortum habeant Liturgiae.

Natum esse in Occidente et quidem Romae insignem illum ad deformitatem puerum Antichristum, omnes qui hanc egere fabulam pertendunt, adeo ut stupidi illis videantur Graeci septimi et sequentis saeculi, quod Antichristi signa Muhamedi accommodaverunt. Negotiosum sane nobis Calvinistae Antichristum suum repraesentant, qui non modo totum Occidenten, sed Orientem quoque paucis annis ita corruperit, ut Apostolicae et Evangelicae illius Coenae, de cujus forma nunquam convenire inter se potuerunt, ne vestigium quidem superfuerit. Verum nato tantum et adhuc in cunis vagiente Antichristo, jam dudum mutatam esse sacrorum omnium faciem oportuit, cum illam ipsam, quae huc usque inter illos viget, Nestoriani et Jacobitae non modo servarent, sed ut a majoribus, communibusque doctoribus traditam et usurpatam, quotidiano usu frequentarent. Erant inter illos et Orthodoxos de fide continua certamina, et multorum de illis controversiis scripta ad nos pervenerunt. Proferant Protestan-

tes vel unum autoris idonei testimonium, quo Jacobitas vel Nestorianos accusatos fuisse constet, quod novam Eucharistici Officii formam introduxerint; quod inter preces sanctorum, et praecipue Beatae Virginis, nomina recitaverint; quod pro mortuis oraverint; quod verba Christi super oblata panis et vini dona religiose pronunciaverint; quod super eadem Spiritum sanctum invocaverint, quod aquam vino miscuerint. Sunt enim haec zizania Rivetiana, quae ab Antichristo nondum adulto, toto Oriente, non minus quam Occidente superseminata esse necesse fuit, ut recto stet fabula talo. Graeci, sero tamen, de Azymis Latinos calumniari coeperunt, quod fecerunt etiam Melchitae qui Graecam Ecclesiam sequuntur. Jacobitae Aegyptii Syros accusaverunt novitatis, quamvis in eadem Monophysitarum secta essent, quod paululum salis et olei oblatis inderent: omnes adversus Armenos acerrime invecti sunt, quod vinum absque aqua calici infunderent. Qui in minimis tam exacte veteri disciplinae adhaerebant, ut ab ea deflectere flagitium existimarent, nemo eos suspicabitur in maximis et, in tota sacri officii dispositione, negligentes adeo fuisse, ut pro Apostolica illius celebrandi forma novam, superstitiosam, et, quod Rivetum et alios scribere non puduit, histrionicam substitui tranquille paterentur. Jacobitas accusavit Isaacus Catholicus Armeniae quod novas Liturgias composuissent, quamvis earum ordo et sententiae receptis inter Orthodoxos conformes essent; et eadem ratione Balsamon, Marci et Jacobi appellatas, supprimendas judicavit, quia vulgo receptis non erant omnino similes. Quid futurum fuisset, si illae cum antiquis commune nihil habuissent, non magis quam Officia celebrandae Coenae apud Protestantes.

Orientales Liturgiae dudum antea in usu erant.

Itaque indubitatum est Graecas, de quibus supra diximus Liturgias, jam quarto saeculo, in tota Orientali Ecclesia, ut aliarum ne memoria quidem sit, ab omnibus Christianis, tanquam Apostolicam et Evangelicam celebrandae Eucharistiae formam continentes, fuisse receptas. Idem de Copticis et Syriacis statuendum est, quarum usus aeque certus: simillima quoque est et maxime gemina orationum rituumque dispositio, ut ad unum et idem exemplar expressae agnoscantur. Eadem apud Graecos, Syros, et Coptitas de earum antiquitate et autoribus traditio: cum ut illi Jacobum primum autorem esse credunt, ita Syri ad eum primam et praecipuam suam referunt, Graeci Alexandrini suam ad Marcum, Ecclesiae suae fundatorem: quae opinio illis temporibus nata et propagata, quibus Critices lumen

nullum erat, nihil aliud significat, quam quod Apostolica traditione eas acceperint. Id si verum non est, caruisse necesse foret Ecclesias Orientales communi et ubique probata Sacramentorum celebrandorum forma, quod ne cogitari quidem potest; aut aliam habuisse Apostolicae illi Protestantium similem, quae per eam cujus usus constat non interruptus ad haec usque tempora, abolita fuerit: utrumque absurdissimum est, tamen ex Critica Riveti sequitur necessario. At Criticum rationibus et certis ex historia probationibus confirmare oportebat, quae contra communem opinionem alios docere aggrediebatur; neque enim vanis declamatiunculis, et maledictis quidquam proficitur; sed qui ad ea confugiunt, produnt ipsi sese, dum fatentur quodammodo argumentis se autoritatibusque destitui. Clament igitur Rivetus et similes, supposititias esse Liturgias, quia non scriptae sunt totidem syllabis a Jacobo, Marco, Basilio et Chrysostomo; nihil efficient, modo constet publicus nec interruptus per multa saecula illarum usus, de quo ne cogitasse quidem videntur.

Autoritas ex usu Ecclesiarum major est quam ex privati autoris nomine.

Ex eo scilicet potius quam ex titulis quos posteri illis addiderunt, aut etiam ex autorum dignitate, stabilitur illarum autoritas, circa doctrinam et disciplinam. Sunt enim non unius quantumvis magni Doctoris voces et verba, sed Ecclesiarum, quae cum unanimi consensu eam sacrorum formam, precesque probaverunt, legis illa vim obtinent, qua, si sacras literas excipimus, major esse nulla potest. Nec id noviter excogitatum est, cum precum Ecclesiae testimoniis Augustinus Pelagianos confutaverit, ut a Caelestino Pontifice, et aliis factum est. Ita quidquid in Jacobi Graeca Liturgia legimus, testimonium totius Ecclesiae Hierosolymitanae, et aliarum quae eadem utebantur, fuit, quod majus est quam si Apostoli ipsius opus fuisset, cum in Canone scripturarum, quamvis eum autorem haberet, recepta non sit. Similiter in Marci Graeca, aut Aegyptiaca, totius Ecclesiae Alexandrinae fidem agnoscimus: ut in Syriacis Syrarum, in Graecis Graecarum Ecclesiarum. Velim scire num Ecclesiae Orientales omnes recte de Trinitate sentiant: cum ubique Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, tanquam unius substantiae, invocari video, quin fidem in Concilio Nicaeno stabilitam profiteantur, dubitare non possum. Ita cum Mariam *Θεοτόκον* videmus in precibus Liturgicis, aut aliis appellari, scimus illos qui ita loquuntur, a Nestoriana haeresi abhorrere.

Pari ratione, si quis lectis Albertini aut aliorum hujus aetatis Calvinistarum, maxime Claudii, commentariis commotum se sentiat, quod eos affirmantes videat doctrinam realis praesentiae corporis Christi in Eucharistia, natam esse in Romanae Ecclesiae sinu, Graecisque et omnibus Ecclesiis Orientalibus esse ignotam, consulat libros Orientalium Ecclesiasticos, agnoscet malam hominum fidem, cum summa ignorantia et incredibili temeritate conjunctam. Quae enim major esse potuit, quam hominem, quem vix Graece scivisse quisquo agnoscit; qui Orientalium linguarum erat plane expers, rerum multo magis, ea confidentia, quae vix in doctissimis et hoc in studiorum genere subactis ferri posset, affirmasse ea, quae sola librorum qui sunt in omnium manibus, inspectione confutantur. Unde factum est, ut cum Albertinus, vir infinitae lectionis, omnia prope veterum scripta scrutatus esset, in quibus de Eucharistia sermo est, et quaecumque magis perspicua sunt ad metaphoricos sensus detorqueret, de multis quae in Liturgia passim occurrunt, verbum vix fecerit. Intelligebat quippe satis, orationes simplicissimas, et quae a plebe audiebantur, repudiare sententias illas abstrusas quas subtilis Theologus vix intelligat, et quas viri minus doctrina et eloquentia, quam sanctitate celebres, propriis verbis facile exposuissent, non illis quae aliud omnino significant, si simpliciter accipiantur. Cum enim populus audiebat Sacerdotem, singulari oratione invocantem Spiritus Sancti illapsum super dona proposita, ut adveniens efficeret panem quidem corpus Christi; vinum et aquam sanguinem Christi, ea transmutando virtute divina, nemo existimaverit circumstantes Christianos ea verba ita accepisse, ut panem et vinum non magis crederent corpus esse et sanguinem Christi, quam ipsi essent. Ita enim brevem illam, sed omnia significantem Liturgiae partem *Corpus Christi*, ad quae verba fideles respondebant, *Amen*, interpretatus est Albertinus.

Simplex earum lectio omnia Claudii argumenta refellit.

Concedamus ejus admiratoribus, esse in sanctorum Patrum sententiis obscura multa, quae luce indigeant, cum oratorie quaedam dixerint, ad quorum similitudinem ea quae de corporis Christi vera et reali praesentia scripserunt, interpretari oporteat. Tamen cum de sacris mysteriis ad fideles, aut ad recens baptisatos verba faciebant nunquam minus rhetoricabantur: sed demus ita esse. In Liturgicis precibus nullus rhetoricae aut amplificationi locus. Cum hortatur Diaconus, ut stent omnes in timore et tremore ante quam sacra actio incipiatur, et antequam invocetur Spiritus Sanctus, nonne ipsa verba

Simplex illarum stilus coactas interpretationes non admittit.

significant exspectari insigne aliquod divinae omnipotentiae miraculum: quod si non esset, non magis eo loco, quam in aliis quibuscumque Liturgiae partibus adhibenda foret similis hortatio, aut rejicienda ad Communionem, quo solo tempore, qui realitatem verbo tenus agnoscunt, fieri per suscipientium fidem: id quod vetus Ecclesia docuit et Orientales omnes credunt effici superlabente in dona proposita Spiritu sancto, sicut ad Incarnationis mysterium, in Virginem supervenit. Communem Ecclesiae fidem contra Arianismi instauratores de Christi divinitate et Spiritu sancto ipsi et Patri consubstantiali, omnes prope Liturgiarum paginae repraesentant, simulque scripturae testimonia eodem sensu referuntur, quo Ecclesia Catholica intelligi illa jubet. Beatae Mariae Virginis dignitatem, ejus et omnium Sanctorum invocationem, ut pro nobis apud Deum intercedant, preces pro mortuis, Crucis signum ubique ad benedictiones et consecrationes adhibitum: humani generis ruinam et corruptionem per Adami peccatum, divini auxilii necessitatem ad omne opus bonum, et omnia tandem fidei capita sacris illis precibus breviter, sed perspicue continentur.

Continent vocem Ecclesiae.

In illis igitur, non doctoris alicujus eximii, non Concilii, sed totius Ecclesiae vox auditur, cum inter se cousentiunt, ut sane mirus illarum in istis omnibus consensus est, non Latinarum modo et Graecarum, sed Copticarum, Syriacarum, et reliquarum, si pauca excipiuntur, in quibus Nestoriani et Jacobitae veneni sui quidpiam instillaverunt, qua de re dicetur postea. Nec inaniter aut oratorie dictum intelligi debet, vocem totius Ecclesiae precibus publicis, praesertim Eucharisticis contineri. Nihil enim inter sacra mysteria fidelibus proponebatur, quod non Antistitum judicio probatum esset, aut antiquitus traditum: successuque temporis et longo usu autoritatem ab aliis Ecclesiis accipiebat, quae cum reliquis communicabant, quod fieri non potuisse certissimum est, si in aliqua preces usurparentur, quae aut erroris suspicione, aut novitatis laborassent. Res exemplis manifestior fiet. Quaecumque communem Ecclesiae fidem spectant antequam per Nestorianos et Jacobitas scissa fuisset, ea leguntur in omnibus Liturgicis, aut aliis Sacramentalibus officiis, etiam illorum haereticorum: quia scilicet necessaria ad salutem dogmata fidelibus ita facilius inculcabantur. Exorti sunt Nestoriani qui ab Ecclesia secedentes, sacramenta, et Liturgiam abstulerunt, et propriam sibi fecerunt. In ea vix quidquam ab illis insertum reperitur, quod ad erroris sui commendationem spectet, et, ut videtur, ne id facerent religione

tenebantur; cum in aliis precibus venena sua libere sparserint. Jacobitae postea intactam quoque Liturgiam servaverunt ab illis additamentis, quae ad unius in Christo naturae professionem spectare videbantur, et quae sero tandem ultimae parti inseruerunt in Confessione, quae paulo ante Communionem solet fieri, et liberius in aliis Orationibus. Si causam quaerimus, nulla verisimilior occurrit, quam communis apud omnes religio, ne Officio Liturgico adjicerentur, quae primitus in illo non extabant, in sanctiori praesertim parte quae *Canon*, *Actio*, *Anaphora* appellatur. Nempe verba illa erant totius Ecclesiae, potius quam eorum qui formas illas scripto comprehendissent.

Maxima est hoc in genere Romani Canonis simplicitas, quae summae antiquitatis non leve indicium est: nam neque illa quae Graeci et Orientales pie addiderunt de consubstantiali, de Θεοτόκῳ et aliis quibusdam habet, et est Orientalibus brevior. At in multis Occidentalis Ritus Liturgiis, quae eumdem Canonem sequuntur, plurima etiam ad erudiendos fideles inserta sunt, in Orationibus quae Collectae apud nos dici solent, et in Praefationibus, aut Benedictionibus, quae in antiquis codicibus Missae Gothicae, Gallicanae, Ambrosianae, Mosarabicae, aut aliis leguntur. De dogmatibus Ecclesiasticis quae Trinitatem, aut Incarnationis mysterium spectant, pauca occurrunt, quia ex quo extinctae sunt haereses quae utrumque oppugnabant, vix illae in Occidente repullulaverunt. Unica solum extat quae etiamnum usurpatur in festo Trinitatis, quod olim non celebrabatur, nisi sub nomine Dominicae primae post Octavas Pentecostes. In ea Praefatione fides Trinitatis enucleatius proponitur. De reliquis pauca reperiuntur, quia Nestoriana et Monophysitica haereses magis in Oriente quam in Occidente grassatae sunt. Verum cum in Africa Hispaniis vicina et in Galliis Pelagiana multus infecisset, in illis quas designavimus orationibus occurrunt permulta, quae fideles doceant de imbecillitate sua, de necessitate gratiae ad omne opus bonum, et doctrinae adversus Pelagianos et eorum reliquias, a Conciliis promulgatae capitibus summam contineant.

Ex illis veritas fidei probata.

Nihil porro ad autoritatem orationum Ecclesiae confirmandam, simulque illustrandam omnium Ecclesiarum disciplinam accommodatius est verbis Caelestini I. Pontificis, quae idcirco referre operae pretium erit. *Praeter beatissimae et Apostolicae sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres pestifera novitatis elatione dejecta, et bonae voluntatis exordia, et incrementa probabilium studiorum,*

Coelestini etc. de ea re testimonium.

Coelest. Ep. ad Gall. Episc. c. 11.

et in eis usque in finem perseverantiam, ad Christi Gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum Ecclesiarum praesules mandata sibimet legatione fungantur apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente, postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides: ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus: ut Judaeis ablato cordis velamine lex veritatis appareat: ut haeretici Catholicae fidei perceptione resipiscant: ut Schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant: ut lapsis poenitentiae remedia conferantur: ut denique catechumenis, ad regenerationis sacramenta perductis, caelestis misericordiae aula reseretur. Eadem ratione usus est Petrus Diaconus testimonio ex Basilii Liturgia desumpto, ut Remigius Lugdunensis. Quod igitur a sanctis Ecclesiae doctoribus factum est, dum sanam adversus Pelagii sectatores doctrinam, Liturgiis tanquam Ecclesiae totius voce confirmaverunt; non minori jure fecerunt nostra aetate insignes Theologi, cum Eucharistiae fidem earum autoritate adversus Protestantium novitates propugnaverunt. Cum enim de aliis doctrinae capitibus, non nisi per occasionem in sacris Officiis, aliquid dici possit, at proprius quodammodo locus explicandae fidei de Eucharistia, in illis est.

De tenenda verit. script. p. 216.

Quantum valeant ad probandam fidem de Eucharistia.

Sacrae Scripturae verba in quibus praecipue fundata est, ita simpliciter commemorantur, ut simplici et literali sensu intelligi eadem oporteat, a plebe praesertim, quae subtilium interpretationum minus capax, dum elementa panis et vini intelligit fieri corpus et sanguinem Christi, moxque ut consecrata sunt, non aliter appellari: cumque eadem communicantibus praebentur, audit a sacerdotibus hoc quod illis datur, non jam esse panem et vinum ut videntur, sed corpus et sanguinem, deque ea fide confessio pronunciatur, non potest aliam in animo opinionem habere, praeter eam quam verba ipsa praeferunt. Omnium quippe interpretationum, quibus literalem et simplicem Christi verborum significationem invertere Reformatores conati sunt, nulla in antiquitate praesidium habet, aut ulli veterum Patrum in mentem venit. Nemo inter eos quorum ad nos scripta pervenerunt monuisse animadvertitur in Homiliis aut Catechesibus populum, ne crederet ex simplici verborum significatione, id quod accipiebant vere esse corpus Christi, imo graviter inculcabant, ut ita crederet. Sensuum repu-

gnantia, humanae rationis oppositio, non ad probationem adhibebantur, sed tanquam objectiones refellebantur. Quantum vero similia verba simpliciter accepta valeant ad inserendam fidem realis praesentiae, vel eo solum satis efficitur, quod Protestantes haec omnia sustulerunt. Veteres dicebant dum sacramentum praeberetur: *Corpus Christi*: respondebatur, *Amen*, qua sola voce testabantur Christiani credere se id quod suscipiebant esse corpus Christi, et primus, nisi fallimur, id negavit Albertinus.

Confirmatur id ex comparatione Liturgiarum Protestantibus usitatarum.

In Anglicana Eduardi VI. Liturgia mutata haec formula non fuisset, nisi veritatis sibi conscii ejus artifices illam cum nova sua Theologia conciliari non posse intellexissent. Hanc igitur ejus loco substituerunt: *Corpus Domini nostri Jesu Christi quod pro te datum est, custodiat corpus, et animam tuam, in vitam aeternam.* Et ad calicem: *Sanguis D. N. J. C. qui pro te effusus est, custodiat animam tuam in vitam aeternam.* Ita in prima editione anni 1547. In secunda haec verba prorsus omissa sunt, et eorum loco haec substituta: *Accipe et comede istud, in recordationem quod Christus pro te mortuus est, et nutri te ex eo in corde tuo per fidem, cum gratiarum actione.* Ad calicem: *Bibe hoc in recordationem, quod Sanguis Christi pro te effusus est, et gratias age.* In Liturgia quae deinceps reformata est, utraque forma conjungitur: et servata est a Jacobi I. tempore ad hanc usque diem. In Liturgia tamen Scotica quam Carolus I. proposuerat, et quae ipsi exitio fuit, secunda illa pars omissa est. Hae vero toties refictae formulae sacramenti administrandi tales sunt, ut eas pronunciare, audire, et *Amen* respondere aeque possint, qui realem quamdam, sed nunquam satis explicatam praesentiam et receptionem corporis Christi credunt, ut puriores Anglicani, et qui eam rejiciunt.

Agnoverunt simplicem Confessionem ad realis praesentiae fidem referri.

Duo itaque in animo habuisse videntur emendatores illi doctrinae et disciplinae; simplicem scilicet confessionem uno verbo comprehensam, cum panis consecratus communicantibus praeberetur, significasse illum esse corpus Christi: saltem significationem quae statim in mentem veniret, talem esse. Tum agnovisse verba quae inter publicas solennesque preces recitantur, maximum ad fidem illorum qui iisdem utuntur demonstrandum pondus habere, unde tam anxie dederunt operam ut in sua Liturgia nihil omnino quod ad realis transmutationis doctrinam duceret, relinqueretur, tandemque nova formula opiniones novas suas confirmaverunt, ita ut per fidem suscipi corpus Christi,

non aliter, testatum apud eos esset, secundum articulum illum fidei Anglicanae, *medium quo accipitur fides est.* Ut igitur ex simili formula, quidquid multi Britanni Theologi dixerint, melius quam ex ipsorum scriptis probatur in ea communione praesentiam realem nullam agnosci, ita ex Orientalibus Liturgiis perspectius demonstratur, Orientalem Ecclesiam in contraria prorsus sententia esse, et porro fuisse.

Art. Relig. §. 8.

Novum argumentum ex Liturgia Coptica.

In ea scilicet sacri Officii parte, quamvis nemo dubitaret, id quod sacerdos in disco elevatum ostendebat, esse corpus et sanguinem Christi, ne tamen successu temporum esset dubitationi locus, simplici et antiquae formae plenam expressamque confessionem Orientales addiderunt, quod fecerunt praesertim Aegyptii per illa verba *Corpus sanctum et sanguis preciosus Emmanuelis Dei nostri:* quae verba, nullius Doctoris aut Patriarchae, aut privati cujuscumque esse censenda sunt, sed vox totius Ecclesiae Alexandrinae, quae iisdem a mille ducentis annis utitur. Tantum autem abfuit ut explicatior illa confessio displiceret, ut non modo in omnes codices recepta sit, verum etiam aucta, dum sacerdos, et communionem accipientes confitentur, credere se, id quod in disco vident esse corpus Christi, sed addunt illud esse ipsum quod accepit ex Maria Virgine, in quo passus est, resurrexit, et ad coelos ascendit, a quo divinitas ne momento quidem separata sit. Etsi vero non iisdem verbis, at sententia eadem Graeci similem confessionem pronuntiant, paulo ante communionem, ut Syri et omnes tandem: Christumque quasi praesentem alloquuntur, et ad eum preces dirigunt. Nec minus perspicua sunt quae in Orationibus gratiarum actionis occurrunt ejusdem fidei testimonia.

Perp. T. 4. l. 3. c. 2.

Certum continent Liturgiae Ecclesiarum quae illis utuntur testimonium.

Cum igitur illorum autoritate Catholici probant, eos de Eucharistiae sacramento credere, id quod in Ecclesia Romana creditur, non paucorum hominum, aut eorum qui preces Eucharisticas in ordinem redegerunt, sed totius Orientis Christiani testimoniis muniti sunt. Objiciunt Protestantes puerilem suam adversus Liturgias naeniam, quod falsis titulis commendentur, quod interpolatae sint, quod recentes. At quae tandem protervia est, rejicere veluti non satis antiquas, quarum nulla tam recens est, quae non multis saeculis vetustior sit omnibus Coenae celebrandae formulis? Licuisse volunt hominibus privatis, contra leges omnes Ecclesiasticas, milleque et ducentorum amplius annorum consuetudinem, illas fingere et refingere, ita ut maxima sit inter omnes diversitas, et Orientalibus Christianis non liquit preces aliquas, pias et de quarum sententia omnes Ecclesiae consentirent, officiis

suis inserere, quae in unam et ultra hominum memoriam antiquissimam formam conveniunt? At quodcumque tandem Protestantium sit de Liturgiis judicium, quin ex illis fides Orientalium Ecclesiarum certo eliciatur negari non potest, etiam si nesciatur a quibus scriptae sint. Verum ut Lutheranis, Helveticis, Anglicanis, Genevensibus Coenae celebrandae formis, non ex autorum nomine comparatur autoritas, ad probandam illorum qui illis utuntur, fidem, sed ex usu et approbatione, ita de Orientalibus Liturgiis statuendum est; cum habeant praeterea commendatricem longinqui temporis antiquitatem, quam aliae non habent.

Orationes confirmant Ecclesiae Catholicae.

Orationes porro illae, quam perspicue faveant Catholicae Ecclesiae placitis, vel eo solo demonstratur, quod de illis ne verbum quidem fecerint Protestantes, cum tamen in Graecis et in Copticis, Aethiopicisque Liturgiis quae ante plures annos Latine editae sunt, legatur Confessio fidei, de qua mox diximus, ante sacramentorum susceptionem: atque adeo ignorari non potuerint ab illis, qui ex quibusdam illarum locis pessime interpretatis, objectiunculas quaesiverunt. Officium sive *ἀκολουθία τῆς ἁγίας μεταλήψεως*, in Horologio Graecorum a ducentis annis multoties editum est, in quo plura etiam continentur, et de eo quoque magnum est silentium. At ingenio et subtilitate nemo satis valuit, ut quae perspicua sunt in alienam prorsus significationem avertantur. Nam si de antiqua formula *Corpus Christi. Amen*, ausus est negare Albertinus, eam ad sacramentum, quod simul praebebatur, esse referendam, satis superque ex disciplina refellitur, cum Aegyptii in Graeca sua, ut etiam in Coptica Liturgia, ea verba pronuntiantes, ostendant simul in disco sacro Eucharistiae particulam, imo in Ordinationibus sacerdotalibus, et Episcopalibus, eam in manu ordinatorum collocant, dum Confessio syllabatim ab Ordinante suggeritur.

Significationem verborum probant ritus adjuncti.

Nempe quamvis talis Orationum perspicuitas sit, ut ab illis pronunciari, qui realem transmutationem rejiciunt, nullatenus possint, significationem tamen illarum determinat disciplinae ratio, ea quam Liturgiae repraesentant. Neque in illa solum parte quae Communionem spectat, sed in omnibus aliis, talis illa est, ut adversus coactas interpretationes omnes sola sufficiat. Praeparatio panis Eucharistici, vasorumque sacrorum, veneratio elementorum etiam antequam consecrentur, quia mox transmutanda sunt in corpus et sanguinem Christi Domini: religiosa pronuntiatio ejus verborum, cum circumstantium

acclamatione, aut per *Amen*, aut per brevem fidei contestationem: attentio ad Invocationem spiritus Sancti: elevatio Eucharistiae, cum dicitur *Sancta Sanctis:* eaque, de qua mox diximus, Confessio: modus administrandae Eucharistiae: unio utriusque speciei: cura religiosa ne quid in terram decidat, aut effundatur, et alia omnia quae in notis ad Liturgias explicabuntur, absque fide realis praesentiae locum habere non possunt. Neque alia causa fuit cur omnia haec Reformatores sustulerint.

Ejusmodi ritus Protestantes sustulerunt aut interpretati sunt.

Sunt in Liturgia Anglicana vestigia quaedam veteris disciplinae, ut genuum flexio, quae praescribitur ad suscipiendam communionem, et Orientalibus quoque omnibus communis est. Isti signum istud venerationis ita praescribunt, ut in dubio non reliquant, quin vera adoratio significetur. At in Rituali Anglicano monitum adjicitur, ne quisquam existimet, ullam elementis consecratis adorationem deferri, quia, inquiunt, eadem remanent in propria sua substantia. Evolvantur Rituales omnes libri Coptitarum Syrorumque, aut aliorum; nihil simile occurrit, imo procumbere jubentur communicantes usque ad terram, fascias capitum deponere, et Christum tanquam praesentem intueri.

Infirmorum communio.

Antiquissima, et in Concilio Nicaeno memorata consuetudo fuit, ut moribundis daretur Eucharistia, ne quis sine necessario viatico ex vita decederet. Eam ob causam servabantur particulae, quod apud Graecos huc usque fieri solet, ut et toto Oriente. Ex illa disciplina certo elicitur, illos non minus quam primitivam Ecclesiam credidisse, ipsius sacerdotalis consecrationis virtute elementa panis et vini fieri, id quod prius non erant, neque in solo usu et manducatione recipi corpus Christi: illam etiam consuetudinem Reformatio sustulit.

Eucharistia absentibus missa.

Deferebatur olim ad absentes Eucharistia: ex qua consuetudine eadem fides probatur: et id quoque in Reformatione omissum est, etsi suae aetatis testis Justinus Martyr, consuetudinis illius meminit. Ea si in Occidente dudum obsolevit, diversa prorsus causa fuit, cum reservetur ad viaticum morientium, quod Orientalibus in usu est a multis saeculis. Dabatur in manus fidelibus, ut domum deferrent, et quotidie, aut quando necessitas urgebat, communicarent: neque fiere id poterat, nisi apud eos qui firmissime crederent, etiam extra Liturgiam, Eucharistiam esse corpus Christi, et quod semel factum erat transmutationis miraculum, permanens esse, neque solum *vescentibus*

in Coena Domini: verum etiam particulas consecratas servantibus, esse corpus et sanguinem Christi. In primis Ritualibus sub Eduardo VI. institutis, consuetudinis vetustae illius mentio interjicitur, sed ut aboleatur tanquam ad superstitionem degenerans. Obsoleverat quidem dudum in Occidentali, non minus quam in Orientali Ecclesia, sed utrobique ex magna erga sacramentum religione, praesertim cum in publica Christiani cultus libertate non videretur necessaria. At alia prorsus ratio Protestantium fuit, ex quorum doctrina, non superstitiosa modo, sed inanis et frivola fuisset reservatio, non corporis Christi, quod, ut ipsi loquuntur, *in*, *cum*, et *sub pane* esse negant, sed panis simplicis, quo qui vesceretur, nihil praeter panem acciperet, quia non *vesceretur in Coena Domini.*

Elevatio Eucharistiae.

In Liturgiis Graecis, quae adjunctas disciplinae sacramentalis regulas habent, vulgo rubricas, ut sunt omnes ferme quae ab annis octingentis aut amplius descriptae sunt, paulo ante communionem, dum inclamatur *Sancta Sanctis*, elevatur Eucharistia, et hic ritus vocatur *Ἁγία ὕψωσις*, *Sancta elevatio*: omnes in genua procumbunt, adorantque sacramentum; neque ad testandam fidem suam dicunt, credere se corpus Christi datum fuisse pro salute sua, et sanguinem ejus effusum: verum ad eum tanquam vere praesentem preces suas dirigunt, eam praesertim quam latro in cruce pendens, fudit: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum:* scilicet, ut explicant Orientales Theologi, quemadmodum latro in cruce, turpi scilicet et ignobili supplicio, omnibus malis oppressum Christum, Deum agnovit, ita et Christiani in pane eum agnoscunt. Multae in Graecorum, Syrorum, et Coptitarum Officiis eo tempore dicuntur ad Christum preces, quae non nisi ad Deum dici possunt, atque adeo summum adorationis cultum continent: nulla similis in Protestantium formulis. Igitur ex elevatione et adoratione Eucharistiae, quae Ritualibus praescribitur, tum ex precibus, certo concludimus, Orientales omnes qui tales ritus et preces habent, fidem sine qua nihil simile admitti potest, habere; ut ex contraria prorsus Protestantium disciplina, magnaque illorum ad omnia illa abolenda attentione concludimus, nihil minus illos credere, quam quod Orientales credunt, cum Ecclesia Catholica.

An ritus illi novitatis suspicione aspergi possint.

Erunt fortassis, qui circa ritus illos litem movebunt, quia sunt codices antiqui in quibus non exstant: atque adeo veluti recentius introducti, ex quo mutatio doctrinae invecta est, rejicientur a super-

ciliosis illis Criticis. Verum tametsi sacramentales libri veteres Latini, Graeci et cujuscumque linguae, enucleatam rituum descriptionem non contineant, nam aliunde petebantur, non idcirco novitatis suspicione aspergendi sunt, quasi tunc primum instituta disciplina sit, quando Liturgiis inscribi coepta est. Multos habemus Codices Latinae Missae, Alcuini, Amalarii, Walafridi Strabonis, Micrologi et aliorum qui de ritibus Eucharisticis scripserunt saeculo recentiores, quorum nullus eos ritus repraesentat, quos autores illi accuratissime enumerant. Vetustos Graecos observamus, qui solas orationes habent, de ritibus prope nihil: alios qui plura: recentiores qui ritus etiam brevissime connotant. Idem quoque observatur circa Liturgias Orientales. Nulla inde circa rituum novitatem idonea conjectura duci potest: nam ut Latinos, multi data opera ante annos mille, minutatim in libris suis consignaverunt; ita Graecos Germanus Patriarcha, et complures alii: Syros Dionysius Barsalibi ante sexcentos annos: neque enim Joannem Maronem numeramus, cujus nomine viri quidam docti ex solo Maronitarum superioris saeculi testimonio abusi sunt: alii quoque Barsalibio antiquiores anonymi. Copticos designat multis in locis Severus Episcopus Aschmoninensis, et post illum alii multi, eosque Codicibus Liturgicis accommodavit Gabriel 88[us] Alexandrinorum Jacobitarum Patriarcha. Nemo illorum ritus se novos instituere, aut antiquos reformare professus est, sed unusquisque eos qui in Ecclesia sua recepti erant, designavit: atque illorum antiquitatem, sola cum omnium Ecclesiarum disciplina conformitas satis demonstrat.

Novitatem objiciunt sed non probant Protestantes.

Sed quando tandem, aut quibus autoritatibus probaverunt, etiam qui maxima eruditionis fama inter Protestantes floruerunt, novitatem illorum rituum, qui perspicua orthodoxae circa Eucharistiam fidei documenta continent, Orientalium praesertim de quibus ne verbum quidem fecerunt. Neque enim Hospiniani, Molinaei, Plessaei, et aliorum circa sacrorum rituum ab Ethnicis originem ineptias hoc erudito saeculo reponere quisquam ausit: et illa Romanam solam Ecclesiam spectant, non Graecam, vel Orientales, quae cum illa commune nihil habent, a multis saeculis. Nam si quidquam valeret odiosa haec comparatio, in rebus indifferentibus locum invenire posset, cum pia veterum Antistitum prudentia superstitiosas varias consuetudines, per ritus innoxios aboleverit: at haec ad sacramentum Eucharistiae non pertinent. Sunt ritus singulares nonnulli, quos soli Graeci usurpant, ut usus gladioli quem vocant ἁγίαν λόγχην, *sacram lanceam*, qua

panem Eucharisticum dividunt, dicendo simul, *unus militum lancea latus ejus aperuit:* aquam calidam calici immittunt paulo ante communionem. Haec et similia Latini nostri, et ipsi Syri et Coptitae Jacobitae aliquando exagitaverunt, quia usu apud se recepta non erant, ut etiam quod pane ante aliquot dies praeparato uterentur, quod Latinis etiam objiciunt: et quod Liturgiam absque Diacono celebrarent. Non eadem porro istorum rituum ratio est, et aliorum in quibus summa religionis continetur, ut adoratio Eucharistiae, et attentissima minimarum particularum cura, ne decidant, ne mucescant, ne calix effundatur, et si quae sunt alia. Illa quamvis ad Liturgiae disciplinam referantur, raro tamen in Codicibus Liturgicis perscripta sunt; sed alibi, ut apud nos, maxime in Poenitentialibus et Canonum Collectionibus. Cum vero multa de illa disciplina dici a Protestantibus soleant, ut doctrinam Ecclesiae labefactent, paucis de illius autoritate tractandum est. Prius tamen explicanda est objectio quae cum aliquo colore opponi posset superius expositae de Liturgiarum autoritate doctrinae: non quod simile quidquam Protestantibus qui illas impugnaverunt, in mentem venerit, sed quia in illis capitibus quae ad religionem pertinent, bona fide agendum est.

Objectio quae fieri potest adversus superius dicta.

Dicent igitur, rationes quibus Liturgiarum autoritatem stabilire conati fuimus, eo vitio laborare, quod, ut in Scholis Dialecticis aiunt, nihil probent, quia nimis probant. Si enim ad fidei explicationem, aut confirmationem, tanta illarum est vis et autoritas, sequeretur inde magna in rebus Theologicis confusio. Ut enim ex Coptitarum Liturgiis nos Catholici verissimam et substantialem elementorum transmutationem probamus, ita ex illis ipsis Monophysitarum doctrinam admittere cogemur: et Nestorianam haeresin, si Liturgiarum Nestorianarum testimonio deferimus. Sed facilis responsio est. Liturgiarum quarum dignitatem, Sanctorum Patrum exemplo maximi faciendam contendimus, autoritas in eo posita est quod Ecclesiae vocem repraesentant, quae loquitur omnium gentium linguis, ut Augustinus ait, quia in unitate est omnium gentium. Unitas porro illa fidei est cujus, ut antiquitus ab Apostolis traditae et ab eorum successoribus transmissae, depositum servaverunt singulares Ecclesiae, quarum voces audiendae sunt, cum ea loquuntur quae semper et ubique credita sunt. Tunc non tam illae audiuntur, quam Pastor bonus, qui audiri se testatus est, ab illis qui ejus discipulos audierint: ovibus scilicet suis, quae non noverunt vocem alienorum. Ita cum non Orthodoxos modo,

sed Nestorianos et Jacobitas videmus perspicuis verbis in Liturgiis, publicisque et privatis precibus, fidem de Eucharistia suam ita contestari, ut non nisi per coactas et violentas interpretationes, verba in aliam sententiam trahi possint, praeter eam quae tenetur in Ecclesia Catholica, fidem ejus agnoscimus. Neque fides illa singularis illis est, sed omnium fidelium, cum semper ubique et ab omnibus servatam illam fuisse, velut antiquitus traditam, praeter alia multa, Orientalium Ecclesiarum ab ea dudum per haeresin aut schisma divulsarum, consensus demonstret. Verum si, ut in Liturgia Nestorii, quidpiam quod ad haeresin illius insinuandam pertineat, animadvertimus: aut, ut in Aegyptiacis, Monophysiticae interspersa semina, jam non Ecclesia loquitur, sed alieni, quorum vocem Christi oves non audiunt, scilicet quia de novitate doctrinae constat: tum quod non ubique, sed inter solos Nestorianos et Jacobitas, haec audiantur et probentur, et ab aliis omnibus Christianis cum horrore rejiciuntur.

In illis quoque sua est utilitas.

Attamen ex illis utilitas quoque capi potest: quippe quod, tametsi adversus communem et perpetuam Ecclesiae universalis doctrinam nihil possunt, valent tamen magnopere ad cognoscendam eam, quam sectae illae profitentur. Nam cum Jacobitas videamus in Confessione fidei, quae fit ante communionem, etiam dum unam in Christo naturam profitentur, rejicere confusionem, commistionem et alterationem, illos ab Eutychis haeresi abesse certissimum est. Cum in illorum Diptychis inter sanctos quorum memoria fit, Dioscorum, Severum et similes nominatos animadvertimus, de Eutyche ne verbum quidem: frustra illos accusari quod eum sanctis adnumerent, certo intelligimus. Et quandoquidem apud omnes Jacobitas ubique idem observamus, maximum illorum Liturgiae ad significandam illorum fidem pondus habent, et omnium testimoniorum loco esse possunt, quod de Nestorianis quoque est intelligendum.

Jam de disciplina, quae pars Liturgiarum est, resumenda est oratio.

CAPUT VIII.

De *disciplinae Liturgicae quae Rubricis aut Ritualibus libris continetur autoritate.*

Ritus omnes Eucharisticos Reformatores aboleverunt.

Quod de veteribus haereticis ab Irenaeo dictum est, simplicitatem vocant prostrationem disciplinae cujus apud nos curam lenocinium vocant, idem de Reformatoribus merito dici potest. Conculcata semel Ecclesiae autoritate, quod antiqua celebrandae Eucharistiae forma omnes illorum rationes ita conturbaret, ut cum illis consistere non posset ullatenus, novas componere coacti sunt, ad exemplar, ut existimabant, Coenae Evangelicae et Apostolicae, de quo tamen nunquam inter illos convenit. Lutherani cum pauca quaedam ex antiquitatis veneratione retinuissent, quamvis praecipua sustulissent, alii purioris, ut jactabant, reformationis autores, haec etiam ut superstitionem redolentia sustulerunt, simplicitatem affectantes, quae licet nihil praeter munditiem, et modestiam haberet, zelotis multis nimium visa est ad Papisticam Missam accedere. Illius vero temeritatis in commutanda penitus Eucharistica disciplina, cum primaria causa fuerit novae fidei introductio, quam initio Reformationis in primitiva et florenti Ecclesia non minus valuisse quam in hodierna pertendebant, contemta Patrum autoritate; at secundaria quodammodo fuit antiquorum rituum ignorantia, quae calamitoso illo saeculo, et magna inter omnes Theologos, et in Reformatoribus summa fuit. Omnes enim ritus quos abolendos statuerunt, tanquam inventa Romanae Ecclesiae haberi voluerunt, ignari vix ullum esse qui a primis saeculis, et toto passim Oriente, receptus non fuisset.

Ne antiquam fidem in memoriam revocarent.

Intellexerunt sane ex ritibus ita elucescere veterem de reali transmutatione doctrinam, ut si servarentur, verendum fuisset ne ex illis revivisceret antiqua fides, solo inveteratae consuetudinis testimonio, quod cavisse videntur, qui reverentiae causa genuum flexionem ad communionis susceptionem retinentes, monuerunt simul ne de adoranda Eucharistia cogitaretur. Ea tamen admonitio purioris Reformationis professoribus tanti visa non est, ut ea contenti fuerint, sed genuum flexionem, et alia prope omnia cultus religiosi signa

tollenda penitus judicaverunt, nec tamen omnibus satisfecerunt. Agnoverunt igitur magnam ritibus et caeremoniis inesse vim ad ea significanda, quae circa fidem aliquid obscuritatis babere viderentur: multo magis cum non obscuris, aut ambiguis, sed perspicuis verbis adjunguntur, qualia sunt ea omnia quibus orationes Liturgicae constant. Nam cum ad populum, non ad Theologos solos proferuntur, statim incurrit animo simplex nec involuta sententia, quam Ecclesia Catholica solam semper agnovit, nec aliam Nestoriani, Jacobitae aut alii veteres haeretici intellexerunt. Ubi vero iisdem verbis simpliciter acceptis ritus accedunt, per quos ambiguitas verborum, si qua foret, discuteretur, aliud intellexisse qui illis ritibus utebantur, fieri non potest: aut saltem ratione aliqua, ne simplices deciperentur, providissent. Id enim necessario Protestantibus, qui levem aliquam disciplinae veteris umbram retinuerunt, faciendum fuit, cum muta caeremoniarum signa eam quam abjecerant fidem in memoriam revocarent.

Argumento specioso ex neglectu disciplinae circa Eucharistiam usus est Claudius.

Itaque cum de Orientalium Ecclesiarum, non minus quam Graece circa realis praesentiae et Transubstantiationis doctrinam concordia disputari coeptum est, quod serio factum ante nostra tempora vix fuit, famosus ille Claudius, qui arte et ingenio valebat, doctrina, cum primum scribere coepit, erat omnino mediocri, intelligens quanta vis consensus illius omnium Ecclesiarum esset, negavit impudenter probari quidpiam simile posse. Argumenta quibus παράδοξον illud suum confirmaret, nulla protulit: si unum excipimus, quo maxime triumphare sibi visus est, negligentiam scilicet Graecorum et Orientalium, in celebranda aut servanda Eucharistia: ut omnium quae Transubstantiationis fidem sequuntur omissionem aut ignorationem. Quam falso haec affirmaverit ex solis Itinerariis, aut contemtissimis autoribus, alibi probatum est. Verum quandoquidem causam vicisse arbitrabatur, si talis esset, qualem ipse finxit, Orientalium disciplina, hoc est nulla, autoritatem sacrorum Rituum incautus et invitus agnovit. Nondum explicata satis erat illius controversiae pars, cum Claudius gloriae satur, a scribendo conquievit: atque adeo probationes ex Ritibus petitae, intactae huc usque permanserunt. Pauci ejus admiratores aut discipuli, quam disputationem imperfectam reliquerat, attigerunt, nempe cum argumenta ex Actis et Epistolis ex Oriente transmissis et quae III°. volumine continentur petita, evertere conati sunt. Fredericus quidem Spanhemius Actorum illorum autoritatem im-

Perp. T. 3.

pugnavit, sed iis rationibus, quae ne quidem suae sectae hominibus satisfecerunt: nec meliora protulit Smitheus: nam ultimum impugnatorem nominare pudor esset, satis alioqui ignorantiae, stuporis, calumniae et maledicentiae convictum. At nec illi, nec si qui fuerunt alii, rituum mentionem fecerunt. Itaque non tam illorum argumenta, quam Claudianae defensionis consectanea, et quae ex ipsorum sententia probabiliter dici possunt, excutiemus.

Cum Liturgias explodunt ut novas, et interpolatas, falsique ex titulis, quibus huc usque commendatae sunt convictas, ritus qui illarum partem faciunt, rejiciendos quoque affirmare illos oportet. Si qui magis eruditi videbuntur, ulterius progressi, negabunt eamdem esse Rituum qui Rubricis continentur, et Liturgiarum autoritatem, cum illae desint in antiquis Codicibus: in aliis magna circa illas lectionum varietas observetur. Haec sane amore veritatis a nobis proferuntur, ex Protestantium ratis sententiis, consectanea potius quam argumenta, cum de rebus Liturgicis aut Ritualibus nullus inter eos tolerabiliter scripserit: eas Claudius penitus ignoraverit.

Rituum mentionem Protestantes vix faciunt aut novos esse pertendunt.

Quod de Liturgiis dictum fuit, earum scilicet partes praecipuas et sacramentales, quamvis initio scriptae non fuissent, traditione tamen, usu, et consensu omnium Ecclesiarum ab omni suppositionis nota satis vindicari, id potiori jure de disciplinae regulis, quae in rubricas digestae sunt, dici debet. Scriptae non erant, sed sacerdotes et reliqui altarium ministri illas tenebant, et ex usu quotidiano notissimas habebant. In Liturgiarum Graecarum vel Latinarum contextu de aqua vino miscenda nihil praescribitur: et tamen Cyprianus eos qui aliter facerent, ex communi Ecclesiarum disciplina coarguit, de qua haesitant Protestantes, quia nullum de ea mistione praeceptum occurrit in sacris literis. Eucharistiam ad absentes ferri, et a fidelibus domum asportari docent infinita exempla, nihil tamen scriptum de ea consuetudine tunc erat. Eadem moribundis deferebatur ex antiqua lege, ut dicitur in Nicaeno Concilio: lex illa scripta non extat, observabatur tamen. Infantibus dabatur Eucharistia, in Baptismo et in Synaxibus: servabatur illa ad Missam Praesanctificatorum: domi etiam a fidelibus. Facta haec esse scimus et diu viguisse: nec tamen in Rubricis quidquam simile legitur: ut neque de cura religiosa circa Eucharistiam, quae omnia nec omissa, nec noviter introducta esse, constat ex certis antiquorum testimoniis, quorum multa alibi relata sunt. Illud vero observatione dignum est, quod, cum Claudius, non

Ritus, etsi scripti non essent, vigebant tamen.

Conc. Nic. Can. 13.

Perpet. T. 4. l. 9. c. 5.

sine commiseratione ignorantiae adversariorum suorum, negasset ullum disciplinae praesentis apud veteres esse vestigium, unde eam ex Transubstantiationis opinione natam et propagatam esse concludebat, ignoraverit ipse in Theodori Cantuariensis, Bedae, Reginonis, Burchardi, Yvonis et aliorum collectaneis, esse quam plurima ejusdem disciplinae testimonia. De Graecis autoribus nihil dicimus, nam eos nec de titulo quidem, Claudius noverat; Orientales multo minus. Et tamen quae erat hominis confidentia, quasi Latinos omnes libros, Graecos, Syriacos, Arabicos, Copticos, Athiopicos evolvisset, nihil in illis esse unde adoratio sacramenti, aut religiosa donorum consecratorum cura probari posset, affirmavit. Reliqui hanc controversiae partem vix attigerunt: tantum abest, ut novi quidquam, quo Claudiana affirmatio juvaretur, produxerint. Itaque si summo jure ageretur postulandum esset, solummodo ut *παράδοξον* illud argumentis saltem probabilibus confirmaretur, sed quia non contendendi, verum veritatis in clara luce collocandae studio, haec tractare agressi sumus, ulterius progrediemur.

Unde petenda sit disciplinae Eucharisticae cognitio.

Quae sit Graecorum, Latinorum et Orientalium disciplina Eucharistica, non ex rumoribus, aut vana relatione hominum aliud agentium, neque satis fide dignorum, statuere oportet, cum illa ex publicae autoritatis libris petenda sit. Illam autem habent Rituales cujuscumque linguae, ex quibus intelligitur quid observandum Ecclesia quaeque praescripserit. Si quid contra peccatum esse animadvertitur, legem non facit, praesertim cum poenae adversus disciplinae transgressores, et quidem gravissimae statuantur. Jam a primis Ecclesiae saeculis horrori fuit sacrorum munerum profanatio, quod etiamsi vetustissimis testimoniis non probaretur, Athanasii, Optati, Palladii et Chrysostomi autoritate certum est. Neque valde laborandum ut ad summam usque vetustatem testes alii conquirantur, cum si quarto saeculo haec disciplina viguisse intelligatur, antiquiorem fuisse necesse sit. Gravissimum enim crimen Donatistis, Arianis et Chrysostomi persecutoribus objiciebatur: quod nullum fuisset, nisi sacrorum leges, adversus quas ab ipsis peccatum erat, receptae ubique fuissent, non noviter introductae. Illis vero temporibus corruptam jam fuisse Ecclesiam, nemo facile credet, quamvis sanctos illos Patres importunius sacrificii, et aliis ejusmodi vocibus abusos esse Calvinus dicere non dubitaverit. Hoc non agitur, sed illud tantummodo quaeritur, an eamdem, quae in antiquis illis autoribus consignata est, reverentiam circa sacra

mysteria Graeci et reliqui Orientales habeant, an eam a Latinis didicerint.

Cultus et cura Eucharistiae antiquorum autoritate stabilitur.

Porro si quid certum omnisque retro antiquitatis testimonio munitum reperitur, est sane cultus ille Eucharistiae eximius, et cura in ea conservanda et administranda. Sunt Codices Liturgiarum Graecarum antiqui, in quibus omnes caeremoniae non continentur, quod solas orationes habeant, et id pariter observatur in Latinis aliquot Missalibus: tales etiam sunt nonnulli satis recentes. Qui ex illorum aetate novitatem sacrorum rituum determinari posse crederet, valde hallucinaretur. Nam ut in Ecclesia Latina exstiterunt autores satis multi, qui ritus accurate et particulatim exposuerunt, Alcuinus, Amalarius, Rhabanus et anonymi complures, ita suos ritualis disciplinae expositores Graeci permultos habuerunt, quorum antiquissimus censetur, illorum judicio, Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria sua Ecclesiastica. Illius antiquitas, si fortasse a nonnullis vocatur in dubium, eo tantum conjectura pertingit, ut non antiquioris qui hoc nomine fuit, sed alterius recentioris, opus fuerit: nemo enim illud tanquam suppositum rejecit: nec minus valet aut valere debet illius autoritas, quae apud Graecos praecipua est: cum plerisque Liturgicis codicibus adjunctum reperiatur, quod in vetustissimis editionibus, ut Romana Demetrii Ducae Cretensis, factum est. Ex illo opere, ut aliis similibus, ritus illos qui in sacro ministerio usurpantur, constat esse antiquissimos, et ea tempora, quibus mutationem doctrinae inductam fuisse Protestantes pertendunt, longo intervallo superare. Illam vero disciplinam aut abrogatam fuisse communi Episcoporum consilio, aut abiisse in desuetudinem, ne quis cum ullo colore suspicetur, facit continua ejusdem apud Graecas Ecclesias observatio. Cum igitur in sacramentalibus libris reperimus eosdem ritus, quos veteres interpretes exposuerunt, mysticamque illorum significationem explicaverunt, cur de eorum sinceritate dubitetur, causa nulla est.

Apud Orientales.

Similis prorsus est Orientalis disciplinae ratio. Codices Syriacos aut Copticos non facile quisquam reperiat summae illius vetustatis, quae ad schismatum, aut ad Muhamedanarum rerum initia pertingat. Verum continuatam habemus sacramentalium precum et rituum conservationem, in aliis qui ex primaevis illis descripti sunt, nulla insigni mutatione facta. Citantur a Theologis, ab Historicis, a Canonum Collectoribus; habent quoque suos interpretes. In aliqui-

bus Codicibus regulae caeremoniales exstant, in aliis breviter, fusius in aliis. Nihil aut parum intererat apud Coptitas Alexandrinos, quos inter non ex libro sacerdotes, sed memoriter Liturgiam recitabant. Sunt insignes aliquot Ecclesiae, ut Metropolitana Rotomagensis, in quibus nihil ex libro legitur, omnia ex memoria dicuntur et canuntur. Nullam ne idcirco disciplinam in illis Ecclesiis fuisse quisquam existimabit, quia multa ad eam spectantia scripta non sunt, sed traditionis successione conservata? Sunt tamen scripta in aliis libris, quaecumque ad ritus pertinent: ut ex Sacramentariis variarum Ecclesiarum manifestum est; etsi absint plerumque a Missalibus. Similiter quamvis pauci Codices Syriaci rubricas seu regulas disciplinae repraesentent: at eorum bonam partem explicaverunt Jacobus Edessenus, Joannes Telalaeus et accurato commentario totam exposuit Dionysius Barsalibi, ante annos sexcentos: praeter anonymos multos, quorum tractatus in bibliothecis reperiuntur. Suspectae igitur novitatis rubricae esse non debent, si ea contineant, quae a gravibus autoribus testata leguntur, maxime cum illi, non ut institutores novae alicujus disciplinae, sed ut antiquae testes ubique loquantur. Ita in Copticis Liturgiis uberiores aliquando, et magis enucleatae rubricae occurrunt; breviores nonnunquam: quidquid vero in illis continetur, fusius in Ritualibus, aut a Theologis explicatur, miro utrimque consensu. Tandem Gabriel Patriarcha ante trecentos circiter annos rubricas ad meliorem formam revocavit, et secundum eam in accurate scriptis codicibus reperiuntur,

Frustra ex rubricarum defectu aut earum novitate argumentantur Protestantes.

Jam animadvertere quisque potest, quam vana sit et frustranea Criticorum argumentatio, dum modo codices recentiores suspectos haberi volunt, quia omnem caeremoniarum apparatum accurate repraesentant: modo de caeremoniis litem movent, quia in antiquis libris non describuntur: cum hoc discrimen nihil ad rem pertineat, modo disciplinam quae rubricis continetur observatam esse constet, quod certissimum est. Ipsa quippe orationum verba eas non sine certis ritibus adhibitas esse demonstrant: alios vero, quam qui in libris sacramentalibus reperiuntur, usurpatos fuisse ne suspicari quidem licet. Sed abeunt a primaeva simplicitate, nam haec vulgaris recoctorum Protestantium naenia est. Nempe licuit Christianis in Ecclesiae florentis et regnantis pace, domos orationis splendidiores habere, vasis uti preciosis, quod etiam in aestu persecutionum fieri solebat: Deo denique et ejus ministerio dicare, quod impiae superstitioni olim

serviebat. Pari quoque ratione licuit majorem in sacramentorum celebratione pompam adhibere, diversisque caeremoniis iuculcare fidem, et reverentiam sanctissimi mysterii; neque enim illae quas Graeci et Orientales usurpant ad alium finem ordinatae sunt, aut ab iis hominibus excogitari poterant, qui non plenam de vera corporis et sanguinis Christi in altaribus praesentia fidem habuissent. Unde cum Claudius in contraria illos opinione fuisse probare aggressus est, eo quod ritus et sacrorum leges Romanis similes ignorarent: quandoquidem par est utrimque tam in Oriente quam in Occidente disciplina, eamdem quoque fidem esse et fuisse, verius et certius concludimus. Ille quae tanta confidentia affirmavit, probare aliis autoritatibus non potuit, quam obscurorum aliquot scriptorum testimoniis, maxime peregrinantium, inter quos mediocrem Theologum non facile reperias, paucos imo Missionarios quibus ea laus merito tribui debeat. At similium testium contra libros qui publice in Ecclesiis ad altaria usurpantur, autoritas nulla est, multo minus contra veteres Theologos, aut rituum expositores, a quibus disciplina confirmatur. Edant vel unam Liturgiam Protestantes, quae Apostolicam et Evangelicam suam, ut ipsi existimant, Coenae formam referat, verbum ultra non faciemus. Id vero ab illis praestari non posse tam certum est, quam quod maxime. Cum enim diversas habeamus Graecas et varias Orientales plus quam sexaginta: alias quae diversam penitus sententiam aut disciplinam contineant, reperiri impossibile est.

Omnes Orientales Ritus in usu sunt.

Omnes porro illae non ut vetera quaedam officia, quae suscepto Romano Canone omissa sunt, ut Missa Gallicana, Gothica, vetus Francica, in solis quidem codicibus Manuscriptis conservantur, sed illarum usus certus est, ut apud Graecos Liturgiarum Basilii et Chrysostomi, et illius quae Praesanctificatorum dicitur. Saltem aliquando usus illarum fuit, et quidem per multa saecula, ut Jacobi in Dioecesi Hierosolymitana, Marci in Alexandrina, qui usus apud Orthodoxos Syros, non minus quam apud Jacobitas ejusdem linguae, et Coptitas huc usque perseverat.

Neque novae formae Protestantium absque ritibus nonnullis esse possunt.

Nulla autem est, aut fuit aut esse potest similium Liturgiarum forma, quae caeremonias adjunctas non requirat, cum etiam novae illae, quamvis ab antiquis multum dissimiles, quas Protestantes ex imaginario illo exemplari Coenae Evangelicae et Apostolicae delineaverunt, aliquid habeant ejusmodi. Ita in Anglicana praescribitur quid Ministro faciendum sit, cum panis propositus communicantium

mutitudini non sufficit, nempe ut novus afferatur, resumatque Minister Canonis partem, in qua verba Christi continentur: qua de re parum solliciti fuere puriores, ut dici volunt, Evangelici, nec fortassis immerito. Ubi enim consecratio elementorum nulla supponitur, ibi inutilis est sacrorum verborum pronuntiatio, vel repetitio; quippe si nihil efficiunt, repetenda non videntur, imo nec in Canone pronuntianda. Sunt aliae rubricae in illis Officiis, praesertim in Anglicanis, ut quae Eucharistici panis munditiem spectant, prohibitionem ne reliquiae quae data communione superfuerint, in communem usum asportentur, sed in ipsa mensa ubi Coena celebrata est, a sacerdotibus et Diaconis reverenter sumantur: sed illa praecipue quae genuum flexionem communicantibus imperat, monendo tamen, ne quisquam hanc honoris, ad recolenda grato animo Dei beneficia significationem, ad adorationem referat. Et moneri sane oportebat: quis enim procumbentes coram Eucharistia eam non adorare existimasset? Cum igitur in paucissimis illis ritibus qui primae Reformationis flammam effugerunt, necessaria fuerit alicujus, quae servabatur, disciplinae praescriptio, inter veteres Christianos, Graecos et Orientales omnes, qui cum magno caeremoniarum apparatu Liturgiam celebrant, aliquid circa illas fuisse determinatum, et in codicibus Ecclesiasticis praescriptum dubitare nemo potest: si dubitet, unde dubia probare sua possit haud facile reperiet.

Secundum disciplinam Orientalium de illorum fide judicium fieri debet.

Igitur quae in Codicibus Graecis, Syriacis, Copticis et aliarum linguarum reperitur disciplina, frivolis rationibus quas Protestantes ad eam convellendam adhibuerunt, firmior est, et secundum illam de Orientalis Ecclesiae fide judicium fieri debet. Nulla sane illius disciplinae pars est, quae Berengariana tempora, et falsas omnes Epochas mutationis fidei, quas Albertinus excogitavit, non antevertat: praesertim in illis ritibus qui majoris momenti sunt. Nam in aliis quae caeremonias solas spectant, si quae differentia est, parum refert: in reliquis perfecta est similitudo, orationum et rituum. Non accepisse vero quidquam hoc in genere Orientales ab Occidentalibus, cum multa demonstrant, tum illud maxime, quod nonnulla Latini severe nimium exagitasse deprehenduntur, ut communionem intinctam Humbertus, et ritus alios nonnullos, plerumque innoxios. Eos itaque a Latinis Graeci accipere non potuerunt: multo minus Nestoriani et Jacobitae, qui nullam cum Graecis, a Conciliorum Ephesini et Calchedonensis tempore communionem habuerunt, minime omnium a Latinis.

Verum qualiscumque tandem rituum Orientalium origo fuerit, quae singulariter in notis ad Liturgias expendetur, cum usus illorum certus sit, frustra impugnatur eorum antiquitas et sinceritas, quasi primitus usurpati non fuerint: nisi idoneis probationibus designetur, quando vetustatem novitas aboleverit. Illud si a Protestantibus probari posse audacter negamus, nihil nimium dicimus.

Cum rituum usus certo constet, frustra vexatur eorum antiquitas

Rituum porro, de quibus loquimur duplex genus est: sunt enim quidam omnibus Liturgiis ita communes, ut nulla illis careat; alii secundum Ecclesiarum diversas consuetudines, varie se habent. Primi generis sunt quaecumque ad praeparationem corporis et animae praescribuntur in variis Ritualibus, tum quae ad elementorum consecrandorum curam, et decorem domus Dei. Cum autem in aliquot disciplinae Ecclesiasticae capitibus successu temporum quaedam innovata fuerint, mirum esse nemini debet, illam in variis codicibus ad eam quae vigebat, quando scripti fuerunt, accommodatam fuisse. Ita in Graecis prope omnibus praeceptum reperimus, ut sacerdos antequam ad celebrandam Liturgiam accedat, peccata sua confessus fuerit: quod sane in antiquissimis primorum saeculorum libris non occurreret, si illos haberemus. Neque enim ferebat vetus disciplina, ut sacerdos peccati alicujus lethalis sibi conscius, ad altare accederet, quamvis illud sacerdoti confessus fuisset. Verum ex quo mutata est inter Graecos poenitentialis disciplina, et eorum etiam peccatorum quae minus gravia sunt, confessio fieri coepit, illud quoque monitos sacerdotes voluerunt, ut se confessione purgarent. Ita apud Coptitas, et omnes prope Christianos Orientales ab aliquot saeculis observatur: etsi in Codicibus Liturgicis nihil tale praescribatur, quia Graecae similem a multis saeculis poenitentialem disciplinam sequuntur, ut alibi fusius exponemus. Discrimen igitur illud nullius momenti est: nam quod in quibusdam Codicibus rubrica non exprimit, habetur aliunde.

Eorum duplex genus.

Pari ratione occurrunt aliquando illa, quae spectant praeparationem Oblatae: plerumque tamen haec ommittuntur, extantque in libris singularibus: qualis est apud Syros Tractatus qui Dionysio Barsalibi tribuitur, vocaturque *Canon Eucharistiae*. Ita quae attinent ad ornatum sacerdotalem, Diaconicumque, aut Pontificalem, si Episcopus Liturgiam celebret, vix occurrunt, praeter quam in Codicibus qui integrum continent caeremoniarum apparatum: ut depositio Oblatae et calicis in Prothesi, aut secretario, antequam ad altare

Ritus mere caeremoniales.

inferantur, quod ubique fit magna cum reverentia, ritibusque Graeco simillimis. Qui vero elementa antequam consecrata sint, tanto honore prosequuntur, ex futura cui destinata sunt dignitate, nemo facile eos Eucharistiam non adorare existimabit. Ea sane in parte quae praeparatoria tantum est, Orientalibus ea laus debetur, quod Occidentalium diligentiam longe superant. Nefas enim apud illos haberetur, offerre ad altare panem, qui a sacerdotibus vel Diaconis in secretario, aut extra Ecclesiam a foeminis religiosis, aut Papadiis, sive sacerdotum uxoribus, paratus non fuisset: aut vinum ex oenopolio petere. Multa pariter ad solum decorem spectantia, aliter a Graecis, aliter ab aliis observantur. Verum pronunciatio religiosa verborum Christi, acclamatio *τοῦ Amen*, ad eadem verba: Invocatio Spiritus sancti, fractio oblatae, unio speciei utriusque: elevatio Eucharistiae, cum inclamatur *Sancta Sanctis:* disciplina ad communionem distribuendam, in omnibus Ecclesiis absque ullo insigni discrimine solent observari. In illis porro ritibus et caeremoniis, etiam illis quae ad solum religiosum apparatum referri possunt, nihil reperitur, quod opinionem realis elementorum transmutationis perspicue non designet, aut ab ea non ducat originem: unde qui eam rejecerunt, neque similes ullos ritos excogitasse, neque antiquos retinuisse animadvertuntur. Illam igitur disciplinam quae semper et ubique viguit, optimam et certissimam esse constat doctrinae interpretem, et ex ea firmissimum adversus nostrae fidei impugnatores argumentum haberi, non temere affirmamus.

Quidam recentius introducti, nec apud omnes recepti.

Sunt etiam ritus aliquot diversi cujusdam generis, ut apud Graecos divisio panis Eucharistici, unius vel plurium in diversas particulas, quae nominibus Beatae Mariae, et sanctorum designantur: ut in eruditis notis Goarii ad Euchologium accurate explicatur: qui ritus, quamvis cum aliqua nominum diversitate, in veteri Gothico, seu Mosarabico observatur. Ita Graeci a multis saeculis ferventis aquae guttas aliquot ante communionem calici infundunt, quod Syri, Coptitae et alii non faciunt. Cochleare ad communionem laïcis dandam Graeci usurpant, autoritate et exemplo, ut aiunt, Joannis Chrysostomi; et illius usum frequentant Orientales omnes: unde illius antiquitas satis probatur. Quid adversus hanc consuetudinem per se innoxiam, quasi de summa republica Christiana ageretur, Humbertus Sylvae-candidae conviciorum non effudit, non minus quam adversus cochlearis usum, et ritus quosdam alios indifferentes? At illi etiam

de quibus acriter disceptatum est, communem habent originem, eximiam scilicet Eucharistiae reverentiam.

Ex illis igitur monumentis, quae disciplinae Eucharisticae leges continent, non ex qualibuscumque testimoniis, judicandum est de ea quam Orientales Christiani conservant. Si ab illa deflexisse repeTiuntur, peccaverunt procul dubio, non modo contra communia Ecclesiis omnibus sacrorum jura, sed etiam contra proprios Ecclesiarum suarum canones. Unde inter multos et varios, qui poenitentiae modum praescribunt, poenasque constituunt diversis criminibus, extant non pauci adversus eos, qui sive in exercendo ministerio, sive aliter, Eucharistiam parum religiose habuerunt, quo in genere negligentia non excusatur, sed punitur gravissime. Probant severam illam disciplinam Canones Poenitentiales multi, quos referemus alibi, et quorum alii antiquissimi sunt absque autorum nomine: similes alios refert Dionysius Barsalibi, tum in libro Poenitentiali suo, tum in Nomocanone et in Opusculo quod *Canon Eucharistiae* appellatur: alios tandem adducunt Fergeallah Echmimensis, et Ebnassalus in suis Collectionibus, quarum certa est apud Orientales autoritas. In Historia Patriarcharum Alexandrinorum a Jacobitis scripta, occurrunt exempla aliquot profanationis mysteriorum, quae autores cum pio quodam horrore ita narrant, ut illam maximi sacrilegii instar habuisse, non obscure significent. Imo depositum affirmant Episcopum quemdam, quod *Δῶρον* hoc est oblatam in altari positam, antequam consecraretur, comminutam conculcaverat.

Religiosa circa Eucharistiam disciplina variis monumentis probatur.

Superest ut quod fortasse a nonnullis objicietur, dissolvamus. Erunt enim quibus mirum videbitur, quod tot eruditorum Protestantium, eorum praesertim qui magna linguarum Orientalium peritia commendati sunt, imo et Catholicorum judicia contemnere videamur, quamvis inter istos nonnulli Maronitae docti fuerint, ut ex aliis Orientalibus Provinciis, quos in rebus patriis audiri potius, quam eos qui ex Europa pedem non extulerunt, oportebat. Protestantes quod attinet, quamvis viros in linguis Orientalibus doctissimos numerent, ne unum tamen qui res Orientis Ecclesiasticas, aut Liturgicas attigerit, habuerunt. Ad exemplar versionis Latinae Copticarum Liturgiarum, quaedam alleverat Josephus Scaliger, sed minutiora, et grammaticalia: earum versionem quam pollicitus fuerat, ne tentavit quidem. Salmasius dum secundae paucas voculas vellicare aggressus est, inscitiae et malae fidei testimonium posteris reliquit. Aliorum censuras

Quid de autoribus qui aliter scripserunt judicandum.

aut observationes nullas vidimus, unde codices primigenios ab illis consultos, aut versatos conjici possit. Ludolfus Aethiopice doctissimus, in Aethiopum Liturgia nihil vidit, aut egregie dissimulavit. Omnes prope in locis communibus liberius vagati, nihil praeter conjectanea, ut plurimum absurdissima, ex aliorum versionibus protulerunt.

Catholici cum haec studia non tantopere excoluerint, ad indigenas interpretes confugerunt, quorum prope semper fuit doctrina mediocris, qua tamen carere nemo potest, quin in versionibus sacrorum Officiorum, ex peregrina lingua, non saepius hallucinetur. Ita Victorius Scialach Copticarum Liturgiarum sententiam infinitis in locis non est assecutus: et cum ex Arabica versione, non ex originali Coptico suam exprimeret, saepe male legit, pessimeque interpretatus est. Versio Aethiopicae Liturgiae unica propemodum est, quae fidelitate possit commendari, si pauca excipiantur, quae certo consilio mutata sunt. Syriaca quae Basilii nomen habet, quantum ex versione conjectari licet, nacta est fidum et doctum interpretem Andream Masium. Guido Fabricius Boderianus, qui paucula quaedam Liturgiae Severi Antiocheni, non ut ipse arbitratus est Alexandrini, fragmenta edidit, Syriace et Latine, ubique fere lapsus est. Missalis Maronitici Liturgiae Romae editae, ut aliae longe plures ritus Jacobitici, Latine nunquam visae sunt: et quod Maronitae in hac editione vel alibi praestiterunt circa Liturgias; hominum fuit qui veteris disciplinae ignari, multa, ubi opus non erat, mutaverunt. Si quando de illis rarum aliquid videntur protulisse, falsum esse deprehenditur, cum ex praejudicatis suis opinionibus de perpetua suorum Ὀρθοδοξίᾳ, multa Maronitis attribuerint, quae sunt Jacobitarum propria. Non igitur ex temeraria confidentia, sed ex deprehensa multis argumentis veritate, similes autoritates neglеximus, nec illorum testimoniis pugnandum est, multo minus aliquot recentiorum, quos designare non refert.

Unum tamen praetermittere non possumus Richardum Simonem virum multis libris editis famosissimum, qui cum in Notis uberioribus ad Gabrielem Philadelphiensem de Liturgiis Orientalibus nova quaedam, nec vulgo cognita protulisset, laudem merito apud eruditos obtinuit. At ulterius progressus, de hoc argumento, deque Orientalium Christianorum rebus, scribere non cessavit, multaque inaudita nec satis explorata publicavit, quae ignari rerum illarum exscripserunt, et ejus saepe autoritate Catholicos impugnaverunt. Demonstratum

est alibi hallucinatum fuisse in multis autorem illum, cum de fide Orientalium disputaret: deque Jacobitarum et Nestorianorum doctrinis divinasse potius, parum feliciter, quam illas accurate explicavisse. Qui enim λογομαχίαν meram Nestorianismum et Jacobitismum esse contendit, ut ipse non uno loco, illum nullos Orientalium Theologorum libros vidisse manifestum erat. De Liturgiis quas semper et ubique in ore habebat, et quarum longam analysin dedit, plura commentatus est, quae cum tota operis istius nostri doctrina saepe conciliari non possunt. Itaque fieri poterit, ut Protestantes hominis inter literatos celeberrimi nomen nobis opponant, quod prae caeteris fecit Autor sordidissimus *Monumentorum authenticorum*. At neque Simonis, neque alterius cujuscumque autoritas ulla est in simili argumento, nisi quantum quisque probat. Quaecumque de Orientalium fide in aliis locis, et in hoc potissimum opere dicuntur a nobis, excerpta sunt ex ipsis Orientalium monumentis, quae alter nulla viderat, nec si vidisset uti poterat. Nam Liturgicos codices praeter unum Nestorianae Liturgiae, eumque recentissimum, nullos tractaverat: et ex Romana editione Missalis Chaldaici analysin suam texuerat. Copticis Codicibus non usus est: et, quod praecipuum, Theologos, Canonici juris interpretes, historicos Orientales penitus ignoravit, cum Arabice nesciret: attamen de Arabicis Sacrae Scripturae Versionibus, quarum nisi in Polyglottis Anglicanis nullam viderat, judicium tulit non minus quam de Persicis et Copticis, cum linguae utriusque ne apicem quidem nosset. De Religione Muhamedana commentarium dedit, de quo vetus ille versus dici potest: *Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta:* ut viri doctissimi pridem judicaverunt. In Christianorum Orientalium rebus longe plura peccasse illum agnoscent, quicumque attente legent quae in hunc Commentarium contulimus, quod semel dictum sit. Nam ubique hominum qui idem ante nos argumentum tractaverunt conjecturas et observationes refellere, non visum est operae pretium.

DISSERTATIO

DE

COPTITARUM

ALEXANDRINORUM LITURGIIS.

Tres Liturgiae apud Coptitas receptae.

I. **A**EGYPTII Christiani qui Monophysiticam sectam a Dioscori tempore profitentur, et qui vulgo Coptitae, vel Copti appellantur, tres Liturgias habent, quarum prima, et quae reliquarum norma est, Basilii magni dicitur, secunda Gregorii Theologi, tertia Cyrilli Alexandrini. Quartam autores nonnulli adjungunt, Marco Evangelistae attributam: sed cum in Codicibus paucissimis compareat, et ab ipsis Aegyptiis Theologis interpolata dicatur ex ea Cyrilli, merito rejicitur.

Kircherus Prodr. Copt.

Quando primum notae.

II. Trium igitur illarum, quae solae legitimae censendae sunt, cum praeter illas nulla in sacris Officiis usurpetur, cum multa et varia passim exstent in Bibliothecis exemplaria, earum tamen ante initium elapsi proxime saeculi nemo meminit. Habebat illarum exemplar Josephus Scaliger, de quo cum ab eo, et amicis communibus monitus fuisset Marcus Velserus Duum-vir Augustanus, vir doctus et pius, impetravit ut ad se transmitteretur. Versionem insignis, et huc usque ignoti monumenti Ecclesiasticae disciplinae, ut, qua ratione fieri poterat, procuraret, Romam misit ipsum Codicem, quo per Maronitas in Latinam linguam transferretur. Quamvis enim aliquando spem fecisset Scaliger, Liturgias illas veteri stylo Ecclesiastico Graeco convertendi, aliis operibus occupatus, huic manum admovere vix poterat: licet enim magnos in Arabismo progressus fecisset, tot erant tamen difficultates superandae, ut ne quidem sibi ipse satisfecisset. Nam praeter linguae barbarae, ad quam cognoscendam vix ulla tunc suppetebant literaria subsidia, Ritualis materia tantum obscuritatis offerebat, ut discuti vix posse videretur. Neque enim, quod a

multis temere et juveniliter factum est, despiciendus erat Scaliger, etsi Arabica omnia non intelligeret: mirandum potius quod solus ipse, leviter a Postello Grammaticis praeceptionibus imbutus, deinde a Stephano Huberto Aurelianensi Professore Regio, et Francisco Raphelengio Plantini genero adjutus parumper, in versione illorum Officiorum Arabica acutius viderit, quam Maronita non indoctus, qui linguam illam vulgarem habebat.

III. Velserus igitur accepta Latina interpretatione, eam Augustae Vindelicorum typis publicandam curavit anno MDCIV. nitido et eleganti charactere. Eadem in Bibliotheca Patrum inter alia Liturgica edita est, absque ulla emendatione: nam Scaliger etsi quinquennio superstes fuerit, pauca tantum ad marginem editi exemplaris adnotavit: a versione integra abstinuit. Habebat tale exemplum ipsius manu notatum Vir Doctissimus Raimundus Formentinus Archidiaconus Aurelianensis, quod ante plures annos mihi ostendit. Notae erant brevissimae, et ex quibus restitui ipsa versio non poterat, omnes porro aut emendabant nonnullarum vocum Arabicarum malam interpretationem, aut Graecas parum fideliter expressas, sive fuisset exscriptorum culpa, sive Scaligerani codicis vitium. Sed nihil omnino ex sola Arabica versione praestari poterat, ab illis praesertim, qui neque exemplar Aegyptiacum consulebant, et Graeco, quod archetypum fuit, erant destituti. Quae porro ad illarum Liturgiarum historiam pertinent jam explicanda sunt.

Versio Latina ex Arabica interpretatione facta, a M. Velsero publicata.

IV. Omnes, etiam antiquissimi illarum Codices, Scaligerano similes sunt, tresque Anaphoras, sive Liturgias, continent Basilii, Gregorii et Cyrilli. Scriptae autem sunt lingua Aegyptiaca, sive Coptica, ea nempe, quae, cum Muhamedani Aegyptum subegerunt, erat in usu vulgari; Alexandriae quidem minus, ubi omnes Graecam linguam satis noverant, sed in superiore parte provinciae, in pagis et agris, vix alia quam Aegyptiaca usurpabatur. Erat illa porro vetus et patria, si verborum nominumque inflexionem spectemus, quae cum aliis linguis commune nihil haberet: sed ex continuo cum hominibus qui Graece loquebantur commercio, magna Graecarum vocum admistione, novam quodammodo dudum ante Muhamedanos formam acceperat. Haec tamen ita intelligenda sunt, ut neque cum Athanasio Kirchero, veterem esse illam Pharaonicam, obeliscis, arcis sepulcralibus, et aliis antiquis monumentis inscriptam, existimemus: neque cum Isaaco Vossio colluviem sermonis Arabici, et alterius quem ipsi

De Copticis Liturgiarum codicibus.

Kircher. Prodrom. Copt.

Exercit. adv. Simon.

Lyb-Aegyptium appellare placuit, ante annos quingentos natam: multo minus fictitiam, ut in ea libri fallaces conscriberentur, qualis est in Europa Zingarorum, seu eorum quos *Bohemos* vocamus, nebulonum lingua. Ea scilicet ipsa est qua locutum Antonium Coenobiticae vitae magistrum, historia ejus docet, et qua Epistolas dictaverat, quas adhuc ante trecentos annos extitisse Aegyptiace scriptas in Thebaidis Monasteriis, Abulbircat et alii testantur. Ea igitur lingua scriptae sunt tres, de quibus agimus, Liturgiae, ita tamen ut praeter voces sacras et Theologicas multas, quae in ipsa orationum serie passim occurrunt, formulae prope omnes quae in Officii decursu a Diacono, a populo, aut ab ipso Sacerdote, alta voce pronunciantur, Graecae sint, non Aegyptiacae. Tales sunt illae *προσχῶμεν Θεῷ μετὰ φόβου. Κύριε ἐλέησον. Ἅγιος. Ἄνω τὰς καρδίας*, et aliae diversae.

Lingua Coptica in sacris servata post Arabum imperium.

V. Quia vero uno aut altero post Arabum tyrannidem saeculo, vernaculus Aegyptiacae linguae usus prorsus interiit, Arabica in ejus locum succedente, Religionis tamen et sacramentorum reverentia fecit ut in libris servaretur, quidquid ad Officia divina pertinebat, et cum Benjamin Jacobitarum Patriarcha duodecim annis in Monasteriis Thebaidos delituisset, ubi Graecae linguae usus erat prope nullus, inde Alexandriam reversus, autoritate Califarum quibus se et suos statim subjecit, omnes Alexandriae Ecclesias obtinuisset: Coptitae, hoc est nativi Aegyptii prope omnes, odio Calchedonensis fidei inexpiabili tenerentur, Orthodoxi Alexandriae et in inferiori Aegypto, ubi Graece sacra celebrabantur, nec Patriarcham nec Episcopos, nec Ecclesias, vix paucos Sacerdotes habuissent per integrum ferme saeculum, solius Copticae linguae usus in sacris apud Aegyptios fuit.

Hist. Patr. Alex. p. 156.

Versionum Arabicarum Liturgiae origo et usus.

VI. Ea vero cum, ut diximus, vernacula esse desiisset, vixque eam Sacerdotes intelligerent, interpretatione Arabica opus fuit, non quidem ut publice tales versiones legerentur, nisi sectionum ex veteri novoque testamento, quae secundum dies occurrebant; sed ut privato studio Sacerdotes et Episcopi libros sacros intelligere, et officia rite celebrare facilius possent. Certa illa versionum Arabicarum, quae tum in sacris libris, tum in codicibus Liturgicis, e regione Coptici textus ferme semper occurrunt, origo est antiqua prorsus, et non longe remota ab Arabum initiis. Temere enim et contra multorum codicum fidem Isaacus Vossius affirmavit, in vetustis non reperiri versiones Arabicas. Nulla enim inde, sive absint, sive adjunctae sint, antiquitatis nota peti potest: antiquos quippe vi-

dimus sine versione: sed non minus antiquos, qui illam repraesentarent. Id autem esse debile prorsus argumentum ad aetatem codicum designandam, sola disciplinae, quae huc usque non satis explicata fuit, ratio demonstrat. Ea porro talis est. In tota sacrae actionis serie Sacerdos orationes omnes non ex libro recitat, sed memoriter dicit. Unde Canonibus variis statutum est, ut nemo ordinetur, qui Liturgias, Officium Baptismale, et quaedam alia memoriter non teneat. Omnia Coptice dicuntur, Psalmi, Orationes, Theodokia; nihil omnino Arabice, praeter Lectiones ex Epistolis Pauli, ex Catholico, sive Catholicis Epistolis, et Evangelio: quae Lectiones non extant in Anaphora, sed in singulari libro, unde peti solent: imo in Monasterio sancti Macarii nihil unquam Arabice legitur, ex veteri instituto; teste Abulbircat.

Versiones novitatis indicia non sunt.

VII. Cum igitur publicus versionum illarum usus nullus omnino sit, multi codices etiam recentissimi versionem non habent: et cum Sacerdos non legeret, sed memoriter sacras orationes pronunciaret, nihil intererat, an Codicibus adesset interpretatio, an vero deesset. Unde fit, ut plerique etiam veteres et optimae notae ea forma sint, ut, nisi manu teneantur, usus esse nullius possunt. Atque haec de versionibus Arabicis certa sunt, quorum ignorantia fecit, ut a nonnullis qui de Ritibus hac nostra aetate scripserunt, passim affirmatum sit Arabica lingua, tam apud Syros, quam apud Aegyptios Liturgiam celebrari.

De Copticarum Liturgiarum antiquitate quid senserit Kircherus.

VIII. Itaque cum dubitari non possit, quin Arabica Liturgiarum versio secundaria quaedam, non primaeva editio sit; statim unde ipsum Copticum exemplar profectum foret disquirendum occurrebat. Id Maronitae neglexerunt, neque ipse Scaliger subdubitavit: eo enim loco tunc erant Orientalium literarum studia, ut qui de Aegyptiacis literis quidquam alios docere posset, ne quidem ullus reperiretur. Eas primus illustrare aggressus est Athanasius Kircherus, edita Grammatica et Prodromo linguae Copticae, suppeditante libros aliquot Nicolao Fabricio Peyrescio, qui quacumque ratione literariam Rempublicam juvare, quamdiu vixit, nunquam intermisit. Sed quamvis Romam Kircherus eo procurante vocatus fuisset, ubi non deerat illi librorum Copticorum copia, et ipsas quae in Vaticana Bibliotheca exstant Liturgias vidisset, aliquot testimoniis Prodromum suum exornasse contentus, eas nunquam attigit, ut quod ab eo exspectabatur, eas Aegyptiace, Graece, Arabice, et Latine publicaret.

Salmasii de illis judicium.

IX. Eodem ferme tempore Claudius Salmasius, cum aliquam in libris Coptico-Arabicis operam posuisset, vidit aliquid, et nonnulla in literis ad amicos scripsit, quae recti de ea lingua judicii argumentum esse possunt: sed cum praeter editum a Kirchero Glossarium vix quidquam vidisset, non eos progressus fecerat, ut ad Liturgias interpretandas posset accedere. Quia tamen religioni Catholicae perpetuum vir nihil minus quam Theologus bellum indixerat, aliquam secundae, quae Gregorio adscribitur, particulam semel attigit, in Epistola ad Joannem Dallaeum, quae tamen non prodiit, nisi sublato e vivis Salmasio. Ita vero in tribus admodum lineolis explicandis versatus est, ut ubique, alibi etiam cum locus non esset, *αἰγυπτιάζων*, ne verbum quidem circa textum Copticum ejusdem orationis fecerit; sed Arabicae versioni adhaerens, eam pessime et infidelissime reddiderit, unde satis quid in toto opere praestare potuisset, intelligi potest. Nonnulla vir doctus in notis ad Gabrielis Philadelphiensis opera ex illis Liturgiis laudavit, sed ex sola Arabica versione. Ita igitur illarum versio, et quae de illarum historia et antiquitate dici debent, nova prorsus sunt et Criticis intacta, quorum feracissima tamen, si quae unquam, nostra haec aetas fuit.

Scaligeri de iisdem sententia antiquiores esse Graecis.

Ep. 171.

X. Josephus quidem Scaliger ex cujus Bibliotheca primum lucem viderunt, antiquissimas illas esse recte judicavit, sed ita ut, ex ejus sententia, Graecarum hodiernarum antiquitatem superarent. Verba ejus sunt ad Marcum Velserum. *Ego mi Velsere, audeo dicere longe integriora et vetustiora illa Arabica esse, quam sunt ea quibus Graeci hodie utuntur: quod probandi si mihi necessitas imponatur, et libenter fecero, et vero vicero.* Verum quid ex illa comparatione intelligi vellet Scaliger, haud facile perspicitur. Nam Arabica illa Arabum in Aegypto dominatione antiquiora non esse, imo multis annis recentiora, dubitare non potest. Quippe Aegyptiacae linguae usum prius intercidisse necesse erat, quam Arabicae versioni locus esse posset. Itaque illa recentior tribus circiter aetatibus esse debuit, quam Copticum exemplar, ex quo certissime formata est: istud vero de Graecis expressum fuisse certum est, non minus. At hodierna Graeca, quibus Graeci utuntur, eadem omnino esse quae usurpabantur a primis Ecclesiae saeculis, tam facile demonstratur, ut opponi nihil queat. Neque id opinor Scaliger voluit. Verum cum in illis quae typis excusae sunt Liturgiis, praesertim Basilii et Chrysostomi, quibus solis dudum Ecclesia Graeca uti solet, adjuncta multa sint, sive in ipsa orationum

serie, sive in illa parte, qua rituum observandorum forma continetur, et quam caeremoniales libri nostri rubricas vocant, facile adductus est vir doctissimus, ut ex talibus notis Liturgiarum Graecarum novitatem constare existimaret. Hoc in judicio valde hallucinatus est, et tamen imitatores habuit Criticos prope omnes, qui ad ultima usque tempora hanc quaestionem tractaverunt; etsi nihil absurdius fingi poterat. Neque enim ex notis illis aliud colligitur, quam usus Ecclesiarum, in quibus Liturgiae ad altaria usurpabantur, quo quidem usu magis haec sacra Officia, quam cujuscumque sancti doctoris nomine commendantur. In illis vero partibus quae praecipuae sunt, et in quibus actionis sacrae forma consistit, mutatio aut interpolatio nulla prope animadvertitur, et antiquitas Graecae Liturgiae supra Orientales omnes ex eo solo argumento satis apparet, quod in Aegyptiacis de quibus agitur, formulae quaedam solennes, non modo a Sacerdote et Diacono, sed a plebe, non Arabice, non Aegyptiace, sed Graece dicuntur.

Omnes Liturgiae e Graecis expressae.

XI. Illa igitur observatio, velut omnium reliquarum, quae in hoc genere fieri possunt, caput et fons esse debet, non modo Aegyptiacas illas, sed omnes tandem Orientales quae vel extant, vel quarum ex monumentis literariis memoria est, translatas esse ex Graecis exemplaribus, atque adeo veteris disciplinae, sacrificii Eucharistici, qualis in Orientali Ecclesia observatur, formam continere.

Jacobi Liturgia omnium videtur antiquissima.

XII. Inter antiquissimas est, si non omnes vetustate superat, Jacobi Syriaca Liturgia, quae Syriacarum omnium fundus, primaevumque exemplar fuit. Illa porro tam perspicue Graecam refert, tot infusae peregrinitatis notas habet, ut de ejus origine Syri ipsi rerum suarum admiratores nimii, non aliter judicent. Quis tamen neget esse et quidem non contemnenda argumenta, quibus Syram vetustiorem esse Graeca probari queat? Neque enim cum Criticorum gente litigandum de Jacobo fratre Domini, an illius autor esse potuerit, aut talis quaestio ita cum fidei capite conjungenda, ut qui id neget, Catholicus esse non possit. Nam quod sapientissime observatum a Cardinali Perronio, certum et inconcussum esse debet, Jacobi Liturgiam dictam esse, quae in Hierosolymitana Ecclesia, cujus ille primus Episcopus fuit, usurpabatur, ut Marci quae in Alexandrina. At verisimile est primos ex circumcisione Christianos, qui neque nobiles, neque eruditi plerumque fuerunt, ea lingua potius, quae communis et vulgaris erat, Hierosolymitana scilicet dialecto, preces publicas

et sacra Christiana celebrasse: Syra autem lingua, quam eidem Hierosolymitanae dialecto conjuncta sit, nemo ignorat. Hinc tot Syrorum, imo Christianorum, qui vel Novum Testamentum Syriacum vel Grammatĭcas ediderunt, fastidiosae *παρεκβάσεις* de eadem lingua Christo vernacula, de Matthaei Evangelio Hebraico, quas discutere non est hujus loci. Verum argumentis quae a verisimili peti possunt, ut illa quae tetigimus, repugnat color ipse Orationis, quae Hellenismum in multis ita refert, ut manifesto Graecam originem significet, quamvis preces prope omnes verbis et sententiis utriusque Testamenti contextae, non certum habeant ex idiotismis Orientalium linguarum, qui in Graecam migraverunt, peregrinae linguae indicium. Sed nominum compositorum quibus illae linguae carent, verborumque aliquando non recta interpretatio, Graecos fontes ita perspicue designat, ut alio preces omnes illae referri non possint.

Veteres Liturgiae Graecae primis saeculis scriptae non fuerunt.

XIII. Nempe, quod alibi accuratius tractatum est, non primis Ecclesiae saeculis sacrae orationes, Liturgicae praesertim, scripto traditae, sed memoriae, non minus quam Oratio dominica et Symbolum, mandatae sunt. Et inter alia multa quae traditione, non literis ad nos pervenerunt, numerat D. Basilius *verba sacrae Invocationis in consecratione panis et vini.* Verum est, aliter accepta fuisse sancti Doctoris verba a Card. Bellarmino, sed et ab aliis nostra aetate Theologis, qui ea ad Eucharistiae ostensionem et adorationem trahunt, sed prorsus inutiliter. Nam ad Eucharistiae elevationem, quam *ostensionis* voce designari per infidas versiones decepti existimaverunt, nulla sunt sacrae *Ἐπικλήσεως* seu *Invocationis* verba: verum ab illa oratione quae sacram actionem terminat, et designat consummatam, consecrationem sive *Ἱερουργίαν,* apud veteres autores significari alibi est demonstratum.

De Sp. sancto. c. 27.

Copticae ex Graecis derivatae.

XIV. Quandoquidem vero multis rationibus efficitur, etiam ipsas, quarum antiquitas praecipua est, Orientales Liturgias manasse ex Graecis fontibus, idque non minus de Syriacis Nestorianorum summe vetustis, quam de Jacobi Syra, quae Orthodoxis et Monophysitis communis est, (quod satis demonstrat, ejusdem ante schismata usum apud Syros viguisse,) idem potiori jure de Copticis statui debet. Marcus Alexandriae Evangelium praedicavit, ut etiam per Aegyptum totam: Sacramentorum igitur celebrandorum formas praesertim Eucharistiae tradidit, sed quod illas scripto tradiderit, non constat. Quando haec officia in literas missa sunt, vulgaris erat Alexandriae Graeca

lingua, non minus quam toto Oriente. Quin multi illius plane expertes forent, dubitare non sinit solius Antonii exemplum. Illis ut consultum fuisse plusquam verisimile est, interpretatione scripturarum lingua vernacula, ita quoque circa sacri Officii celebrationem factum esse potuit, sed preces, praesertim Liturgicas, Coptice prius quam Graece scriptas fuisse, nulla, ne quidem levi, conjectura constat, aut alicujus momenti testimonio. Qui enim, ut Aegyptiaci autores nonnulli, Marcum non Graece aut Latine, sed Coptice Evangelium scripsisse contendunt, et recentissimi sunt, et autoritatis hoc in argumento levissimae. Neque tamen ab ullo quorum scripta viderimus, dictum est, Basilium aut Gregorium eadem lingua Liturgiam ordinasse: quod extremae absurditatis futurum fuisset, cum ad eos non pertineret Aegyptiaca lingua: imo ne de Cyrillo quidem, qui, Aegyptius cum esset, id poterat, tale quidquam memoriae prodiderunt. Nam Marci, ut mox observatum est, Liturgiam Coptitae non agnoscunt, cum aliquot Patriarcharum Decreta extent, quae praeter vulgares tres, Scaligerano et aliis codicibus comprehensas, alias ad sacrum ministerium adhiberi prohibeant, et unus aut alter, qui illius Liturgiae meminerunt, illam ex ea quae Cyrilli dicitur, interpolatam agnoscant.

Liturgia Graeca Marci Graecis cognita et de ea Balsamonis judicium.

XV. Cum igitur non ex Aegyptiorum qui Arabice scripserunt testimoniis certi quidquam circa veram Liturgiarum originem haberi possit, quod Graece nescirent: nihil a Graecis pariter hoc in genere doceri possumus, quippe ne unius quidem, qui Copticos libros viderit, extat in literis memoria. Unus modo occurrit Theodorus Balsamon qui de ea Liturgia, quae Marci nomine designatur, consultus est a Marco Patriarcha Alexandrino, et simul de ea quae Jacobo tribuebatur. *Αἱ περὶ τὰ μέρη τῆς Ἀλεξανδρείας, καὶ τῶν Ἱεροσολύμων ἀναγινωσκόμεναι λειτουργίαι, καὶ λεγόμεναι συγγραφῆναι παρὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου, καὶ Μάρκου δεκταί εἰσι τῇ ἁγίᾳ καὶ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἢ οὔ; Quae in partibus Alexandriae et Hierosolymorum leguntur Liturgiae, et conscriptae dicuntur fuisse a sanctis Apostolis Jacobo fratre Domini et Marco, recipiendae sunt a sancta et Catholica Ecclesia, necne?* Mira sane Balsamonis responsio, quam cum paulo prolixior sit in pauciora verba contrahemus. Corinthiis, inquit, Apostolus mandat, ne sint in nobis schismata et unum dicamus omnes: quasi rituum et orationum innocens diversitas schismata aut doctrinas novas in religionem inducat, qui puerilis error dudum a SS. PP. est confutatus,

et omnium Ecclesiarum consuetudine satis refellitur. Neque minus ridicula quae sequuntur: neque sacram Scripturam aut sacros Canones de Liturgia a Marco scripta quidquam tradidisse. Trullanum quidem Canonem II. ait testari a Jacobo scriptam Liturgiam, sed cum neque Apostolicus Canon LXXXV. aut LIX. Laodicenus, qui sacrorum librorum indicem dant, illarum Liturgiarum meminerint, non esse recipiendas. *Ἀλλὰ καὶ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ θρόνου τῆς Κωνσταντινουπόλεως, οὐδ' ὅλως ταύτας ἐπιγινώσκει. Ψηφιζόμεθα οὖν μὴ εἶναι δεκτὰς αὐτάς· κἂν γὰρ ἐγένοντο, παντελοῦς ἀπραξίας κατεψηφίσθησαν ὡς καὶ ἄλλα τὰ πολλά. Neque etiam Catholica sanctissimi et Oecumenici Throni Constantinopolis Ecclesia ullo modo illas Liturgias agnoscit. Pronunciamus igitur non esse has recipiendas. Etsi enim ab iis factae sint, ab omni usu vacare jubentur, ut et multa alia.* Mox repetita quam adduxerat ratione, et ducto exemplo ab eo quod circa Apostolicas Constitutiones, et Clementis Epistolas decernunt Canon VIII. Apostolorum et II. Trullanus, ita concludit. *Διά τοι τοῦτο καὶ ὀφείλουσιν πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ ἀκολουθεῖν τῷ ἔθει τῆς νέας Ῥώμης, ἤτοι τῆς Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἱερουργεῖν κατὰ τὰς παραδόσεις τῶν μεγάλων διδασκάλων, καί φωστήρων τῆς εὐσεβείας τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου, καὶ τοῦ ἁγίου Βασιλείου. Quapropter omnes Ecclesiae Dei sequi debent morem novae Romae nimirum Constantinopolis, et sacra celebrare juxta traditiones magnorum Doctorum, et luminarium pietatis, sancti Joannis Chrysostomi, et sancti Basilii.* Quod quidem miro argumento probat ex Basilicis, ubi lex scripta non est, ibi sequendum morem Romae, quod ad Jus civile spectat, non ad Ecclesiasticum: sed etiam de vera Roma dictum est, non de nova seu Constantinopoli.

Quid de eo sentiendum.

XVI. Qui Balsamonis commentarios in Canones legerint, aut opera illius reliqua, non ignorant quam angustis limitibus doctrina ejus Ecclesiastica circumscripta fuerit, adeo ut quoties de rebus Ecclesiasticis, ad Africanam aut Romanam Ecclesiam spectantibus loquitur, non ut homo Graecus, sed ut Scytha Barbarus loquatur, tanta in eo est etiam rerum vulgatissimarum imperitia. Quid enim magis facile fuit quam eum, qui Antiochenam Ecclesiam obtineret, essetque in media Syria, non ignorasse Ecclesias omnes Syras, quae lingua Syra in sacris uterentur, habere Jacobi Liturgiam, atque adeo illam saeculorum prope decem disciplina commendari. Nam Graeca editio

quae Syriacae fons et origo est, non ut in libris exstaret, in literas missa est, sed quod ea uterentur omnes prope Hierosolymitanae Dioeceseos Ecclesiae. Illam porro non visam a Balsamone verisimile omnino est, nam si vidisset, in ea agnovisset procul dubio vetustissimam sacrarum precum formam, quae Basilii et Joannis Chrysostomi Liturgias aliquot saeculis antecederet. De ea quae Marci dicitur, non minus expeditum erat, scire eam in Alexandrina Dioecesi locum habuisse antiquitus, quod originis Apostolicae certissimum argumentum fuit. Sed abiit Balsamon in alia omnia, nempe probavit Jacobi et Marci Liturgias non esse in sacrarum Scripturarum Canone: neminem vero huc usque scimus adeo desipuisse, ut tale quid existimaret. Nam si praescripta in aliquo libro qui Scripturae autoritatem haberet, Eucharistiae celebrandae forma reperiretur, eam sequi necesse foret, neque variae fuissent, jam a primis Ecclesiae saeculis, sacrorum Officiorum formulae et orationes, quarum tamen discrimine nunquam unitas Ecclesiae, vel leviter turbata est. Falsa igitur et inanis illa ratio est, quae non modo Marci et Jacobi Liturgias, sed Basilii et Chrysostomi non minus evertit, si valeret. Quid enim, an ante Basilium et Chrysostomum Liturgia non erat? Quo etiam jure legem illi sacrorum reliquis Ecclesiis, quae ad se non attinebant constituissent, cum de duabus illis quas solas Ecclesiae Constantinopolitanae exemplo usurpari debere contendit, neque Canon ullus extet, neque perpetuus aliarum de illis ad altaria solis adhibendis, consensus reperiatur. At quamvis iniquus prae caeteris erga Latinos fuerit Balsamon, nunquam tamen eo usque provectus, ut eos absque divino sacrificio esse dixerit, quia Basilii vel Chrysostomi Liturgiis non utebantur.

Constantinopolitanorum Patriarcharum ad abolendos aliarum Ecclesiarum ritus jus nullum.

XVII. Nihil vero magis contra majorum exempla, aut Leges Ecclesiasticas, quam tyrannis illa Constantinopolitanorum Patriarcharum, qua quidquid ubique disciplinae veteris fuit, in ritibus longo multorum saeculorum usu confirmatis, abolitum voluerunt, ut sui reciperentur: quae quidem lex nulla unquam fuit, sed summum jus, vel summa potius recentiorum Patriarcharum injuria. Eamdem vim sibi factam saepe Orientales ipsi questi sunt, si quando, ut saepius in Missionibus accidit, homines in antiquitate Ecclesiastica parum versati ritus illorum Latinis commutandos censuerunt, eadem dignitatis Romanae sedis ratione: quae si valeret aliquatenus, ad veteris, non ad novae Romae disciplinam imitandam compelleret. Illud igitur

solum docet nos in sua ad Marcum responsione Balsamon, extitisse suo saeculo Ecclesias, in quibus Jacobi, Marcique Liturgiae ad Sacramentum Eucharistiae celebrandum adhiberentur, quod aliunde vix discere licebat, tanta fuit autorum, qui de Orientis rebus scripserunt olim, imperitia aut indiligentia: nam a Graecis quam pauca hoc in genere exspectanda sint, docet hominis inter eos doctissimi Balsamonis exemplum.

Origines Liturgiarnm Alexandrinarum obscurissimae.

XVIII. Quae vero ulterius scire intererat, ut Liturgiarum Copticarum origines teneremus, ita obscura huc usque fuerunt, ut conjecturis tantum, non certis probationibus, ex autorum vel Manuscriptorum librorum testimonio petitis, quaestioni non ad solam eruditionem, sed ad fontes traditionis aperiendos necessariae, lux aliqua posset accedere. Nam quod Arabica Graecis vetustiora Scaliger existimavit, perspicue falsum est, cum ex Copticis exemplaribus versio Arabica facta sit: illa vero tot voces Graecas, tot formulas eadem lingua conceptas habeant, ut vetustior eorum origo quaerenda sit. Cum vero huc usque tam multi in Critica praesertim Ecclesiastica se exercuerint, et quotidie exerceant, nemo quod sciam de Coptitarum Liturgiis ita judicavit, ut ejus judicio videatur adquiescendum. Graecam originem omnes agnoscunt, et id in promtu erat: sed communem ut reliquis sacramentalibus Officiis originem illas habere existimaverunt, ita ut praecipuae orationes, illae praesertim quae augustiorem sacri ministerii partem constituunt, quam Canonem appellamus, scilicet a Praefatione, et *Sursum corda*, usque ad communionem, minus varietatis haberent, atque ad primaevum Apostolicae traditionis exemplar scriptae forent, in aliis majorem sibi qui Liturgias scripserant libertatem sumsissent. Neque absurda sane haec opinio censenda est, omnes enim preces et caeremoniae ad primaevum illud caput Apostolicae traditionis referuntur, a quo si vel leviter recedunt, nunquam ab Ecclesia probatae reperiuntur.

Critici plerique de illis perperam conjectaverunt.

XIX. Verum propius quaerenda erat origo Liturgiarum Aegyptiacarum, eratque quodammodo sub eruditorum oculis, et eam agnoscere facile quisque potuisset, nisi Critici omnia conturbassent. Dum enim de Graecis quae supersunt Liturgiis nimium praecipitanter judicaverunt, neque vel unicam a tetra censura immunem reliquerunt, prostrata est apud omnes illarum autoritas, adeo ut nulla, quam inter spuria et supposititia scripta non rejecerint, relicta sit. Nempe quam in expendendis antiquorum autorum operibus regulam commode et sapienter adhibere Theologi solent, ut ex notis temporum et aliis

non obscuris indiciis, doctrinae similitudine, morum, locorum, et aliarum rerum comparatione statuatur, an cui attribuantur conveniant, de *νοθεία* aut *αὐθεντίᾳ* judicatur, eam ad Officia sacra temere omnino adhibuerunt, quorum alia omnino, ac privatorum scriptorum ratio est. Nam ex quorumdam nominum in Diptychis additione, ex vocibus quas posteriorum Conciliorum decreta sanxerunt, et aliis notis quae suppositionis et corruptelae argumenta Criticis firmissima judicata sunt, contrarium omnino efficitur. Hinc scilicet manifesto demonstratur Liturgias illas in quotidiano Ecclesiarum ministerio usurpatas fuisse, quo major omnino, quam ex autoris cujuscumque dignitate illis comparatur autoritas. Sed haec atque alia maximi momenti argumenta, quae Graecis vetustissimis Officiis et antiquitatem et publici quodammodo monumenti vim et robur conciliant, non satis animadversa occasionem omnibus prope Criticis dederunt, omnes nulla prope excepta, Liturgias inter supposititia, vel saltem *νενοθευμένα* scripta rejiciendi.

XX. Inter illas quae tali censura confixae sunt, non postrema fuit ea quae Marci appellatur, Graece primum et Latine edita Lutetiae anno MDLXXXIII. a Joanne a S. Andrea Canonico Ecclesiae Parisiensis. Exemplum quo ad editionem usus est, habuerat ab eruditissimo Cardinali Guillelmo Sirleto, qui illud describi curaverat, ex Codice reperto in B. Mariae *Ὁδηγητρίας* quae vulgo dicitur *de lo patire*, antiquissimo in Calabria Monachorum S. Basilii Monasterio. Eumdem ipsum codicem bonae notae et integrum, cum Romae essemus anno MDCCI. vidimus, et percurrimus, in Domo Religiosorum ejusdem Ordinis, ad quam cum multis aliis venerandae antiquitatis codicibus translatum est e Calabria, atque ita ab interitu vindicatum. Nihil huic codici deesse, quantum observare potuimus, imo integerrimum esse judicavimus, quamvis lacunis aliquot prima editio deformata sit, ex eorum qui descripserunt levi hallucinatione: nisi potius interpretis ipsius error fuerit, dum dimidiatas sententias, ut fieri solet in ejus generis libris, quia formularum notissimarum initia tantum scribebantur, lacunas esse existimavit. Nec temere Cardinalis Sirletus, *Hierurgiam illam esse, quam a Beato Marco traditam Alexandrina Ecclesia servasset* judicavit, cum illae ipsae tres quae Coptice et Arabice sunt in quotidiano usu apud Aegyptios, ab ea maximam partem expressae sint: et Graeca tam certis signis ad Aegyptiacam Ecclesiam referatur, ut ad alteram pertinere non potuerit. Audiamus

Quid de Graeca Liturgia Marci censuerint.

tamen Criticos: falsa Liturgia illa est, planeque supposititia, quia multa habet quae Marci Evangelistae saeculo convenire non possunt. *Ὁμοούσιον, Θεοτόκον,* sanctorum, qui non nisi post annos complures vixerunt, nomina, Monachorum, Patriarcharum, et alios generis hujus titulos. At haec omnia, si non ad D. Marci aetatem pertinere censenda sunt, ad fundatam ejus praedicatione et martyrio Alexandrinam Ecclesiam referri manifestum erat, atque adeo traditionis ejusdem Ecclesiae quae una ex quatuor Patriarchalibus est, insigne monumentum agnoscere in ea debuissent homines perspicacissimi. Rivetum nemo mirabitur cujus *Criticus sacer* vix pagellam unam habet intactam ab eruditorum sibilo, ut neque quosdam Septentrionalium Scholarum eruditos, qui cum vix editorum librorum notitiam, praeterquam ex nundinarum catalogis haberent, et manuscriptos Codices nullos vidissent, de noviter publicatis vix post decennium audivissent, ex Centuriis Magdeburgensibus, Rivetoque praesertim, Cooko aut similibus censores autorem Ecclesiasticorum se constituunt, et ineptissimis judiciis animos juvenum, qui ab eorum admiratoribus eadem audiunt, facile praeoccupant. Unde qui Reformatorum audaciam longe praetergressus est Arianus Sandius, in casso illo suo *Historiae Ecclesiasticae nucleo,* maximum quiddam reperisse se arbitratus est, dum Marci Apostoli Liturgiae autorem, non Evangelistam, sed praestigiatorem, de quo Irenaeus et Epiphanius loquuntur, judicavit. Neque sane est cur ad haec monstra opinionum stupeant, in quas facili negocio devolvuntur, qui traditionem contemnunt. Sed Catholicos Theologos, non Sandium quidem, at Rivetum exscripsisse permirum videtur. Tota enim eorum *κρίσις* Rivetiana est, cui ex propriis opinionibus, a diversis autoribus alia vix meliora passim addita videmus.

Marci Liturgia plurimas antiquitatis notas habet.

XXI. Omnium tamen quae extant, vix ulla plures antiquitatis notas habet, quod ut olim conjecturis maxime probabilibus, ita nunc certis argumentis demonstrari posse existimamus. Nam futilitas judiciorum illorum quae mox retulimus satis patet, cum codex Basilianus ex quo descripta est, septingentorum saltem annorum vetustatem habeat, atque ex illis magnae Graeciae Bibliothecis Monasticis prodierit, in quibus optimorum librorum copia fuit: fingendi vero aut subjiciendi tanquam veros, tales codices, nulla ratio. De suppositionis etiam fine dici quoque illud veteris illius Praetoris potest, *cui bono,* aut quo fraudis fructus pervenerit. Nullius novi dogmatis vestigium in illa occurrit: ritus qui in aliis Ecclesiis non usurparetur,

nullus: imo paulo quam scriptus est codex, adeo ignota erat etiam inter Graecos ipsos Marci Liturgia, ut Balsamon eam vix cognoverit. Autores Orthodoxi Possevinus, Bellarminus, et tot Critici nuperi spuriam, suppositamque Liturgiam illam Marci esse censuerunt: aut si illam commendare aliqui tentaverunt, ut Leo Allatius, eam quae S. Jacobi dicitur, iis rationibus pugnaverunt, quae tam frivolae deprehenduntur, ut de illis penitus siluisse praestitisset. Sirletus et Perronius Cardinales rectius omnino statuerunt, ille quidem venerandum esse antiquitatis monumentum: hic vero formam sacrorum rituum qui Alexandrinae Ecclesiae proprii fuerant, eadem Liturgia contineri acute vidit, quae conjectura qnantivis pretii, quasi nullius momenti foret, a maxima Criticorum parte neglecta est. Verissimam autem illam esse certis jam argumentis demonstrabimus.

Propria fuit Liturgia Ecclesiae Alexandrinae.

XXII. Huc usque scilicet nemo Graecam illam Marci Liturgiam cum Aegyptiacis comparavit, quas tamen ab altera originem habuisse erat manifestum. Nam cum Arabicam versionem, quam solam Maronita, quo interprete Velserus usus est, secutus sit, Graecis exemplaribus vetustiorem judicavit Scaliger, erravit vehementer; neque opinor Graecam editionem viderat, etsi ante aliquot annos editam. Attamen etiam absque illius subsidio, perspicere quisque poterat, Arabicam versionem primarii exemplaris rationem habere non posse, cum ex Aegyptiaco codice foret expressa. Is igitur erat componendus cum Graeco, qua ex comparatione statim agnitum fuisset, in illo non textum, ut vocant, originalem, sed versionem contineri. De illo vero ne verbum quidem Scaliger fecit, nec Maronita interpres, quibus si vitio esse non debuit linguae Aegyptiacae ignorantia, at judicium ex versione saepe non bona, tam praeceps ferre minus debuerant. Quisquis enim etsi linguae ignarus, ex sola literarum, quae majorem partem Graecae sunt, inspectione rem pertentasset, ex magna Graecarum vocum copia Graecam originem intellexisset. Nam Aegyptiacas in Graecam nullas migravisse scimus, Graecas in Aegyptiacam linguam permultas.

Primaevum aliarum Copticarum exemplar.

XXIII. Ea igitur prima ratio dudum nos in eam sententiam induxerat, quae Liturgiam Marci nomine publicatam, aut trium Aegyptiacarum primaevum exemplar esse, aut earum saltem alicujus, existimaremus. Nam cum, ut alibi fusius explicatum est, Officium Liturgicum, quod *Anaphora* vulgo ab Orientalibus, voce Graeca appellatur, contineat partes duas; unam quae a praeparatione altaris

incipit; desinitque in pacis osculo: alteram a pacis osculo usque ad finem, in Graeca Marci Liturgia prior illa pars satis integra est. Quamvis enim non accurate omnino, neque iisdem verbis et orationibus, eam repraesentet simile officium, quod in Copticis omnibus exemplaribus, ei Liturgiae quae Basilii nomen habet, praemittitur; idem tamen, quantum ad sententias, orationumque et rituum dispositionem esse, facile agnoscitur. Supererat pars secunda in qua major omnino Marci, et Basilii Liturgiarum diversitas. Est quidem non in illis modo, sed in omnibus antiquis aliis cujuscumque linguae, idem ordo, orationes in eamdem sententiam convenientes, ritus similes, sed insignis ex verborum varietate diversitas. Eo igitur conjectura ducebat, ut de illis, idem ac de reliquis Orientalibus judicium ferretur, eas scilicet quamvis non ex certo aliquo codice Graeco expressae forent, ad simplicem quamdam et principem sacrificii offerendi legem, quae omnibus Ecclesiis communis foret, fuisse constitutas. Ut enim ita factum esse circa Liturgias Syras multiplices, vix potest dubitari, ita de tribus Aegyptiacis ut judicaretur, proximum erat. Omnia quippe Sacramentorum officia, etiam in ritu magis diverso, qualis est Occidentalis, isque non unus, convenire certum est, in omnibus illis partibus, quae essentiales censeri debent. Inter Officia vero diversa observari orationum aliquam dissimilitudinem, eo facilius accidit, quod, ut ex Basilio notavimus, a SS. Patribus scripto tradita non fuerant. Itaque in satis prolixa precum et formularum serie, quaedam strictius, quaedam fusius exprimi, cum sententia semper esset eadem, mirum non erat. Ne tamen successu temporum tot Liturgiae scriberentur, quot Episcopis placuisset, cum in unam sententiam omnes Ecclesiae convenirent, in singulis, quae magis insignes essent, Patriarchalibus praesertim, sacrorum formulae constitutae sunt, a quibus recedere non liceret, quae indubitata diversarum Liturgiarum origo est. Cumque usu consecratae aliquando forent in Ecclesiis orationes nonnullae, quas aboleri sine plebis aliqua perturbatione Episcopi non posse judicabant, relictae sunt et scriptis consignatae, ut quibusdam diebus usurparentur.

Omnes Liturgiae ex primaeva communi forma in Ecclesiis receptа ordinatae fuerunt.

XXIV. Ex communi igitur illo sacrarum orationum thesauro depromtae sunt omnes prope illae, quas in variis quacumque lingua scriptis Liturgiis reperimus; vix enim ulla est quae vel in Constitutionibus Apostolicis, vel in Basilii, Chrysostomi, aut antiquioribus Jacobi et Marci Liturgiis non exstet, aut iisdem verbis aut eadem saltem sententia. Magnum toto Oriente Basilii nomen, magnum Chry-

sostomi: utriusque amplissima dignitas: major tamen omnino Ecclesiarum quae talibus orationibus utebantur, ad eas ubique commendandas autoritas, ut Hierosolymitanae quae Jacobum, Alexandrinae quae Marcum primos Episcopos habuerant. Absque ulla igitur falsitatis aut corruptelae nota, potuerunt Alexandrini Episcopi, postquam Liturgiae scribi coeperunt, communem formulam, ut est Graeca illa reperta in Codice S. Mariae Ὁδηγητρίας apud Calabros, quae usu Ecclesiae suae firmata erat, Marci Liturgiam appellare.

XXV. Illius prima pars, ut mox dicebamus, commune Officium usque ad osculum pacis et Praefationem continet, ab illo quod in Basilii Coptica praescribitur, non multum dissimile. Quae enim in Graeco exemplari lacunae videntur, et idcirco asteriscis aliquando ab editore distincta sunt, nihil aliud significant, quam orationes aut formulas notissimas, quas scire deberent omnes memoriter, et illas idcirco integras apponere non videbatur necessarium; atque idem in codicibus quibuscumque praeter Graecos, Syriacis, Aegyptiacis, Aethiopicis, Arabicis, Armenicis observatur. Nihil in prima parte videmus, quod ad Basilianam Graecam magis, quam ad alias ullas accedat: sed omnia conveniunt cum ea Marci.

Marci Liturgiae partes duae, prima quae generale Officium continet.

XXVI. Secunda pars, scilicet quae incipit a pacis osculo usque ad Liturgiae finem, non est eadem, neque convenit, nisi ea quam diximus generali conformitate rituum et sententiarum, cum prima et praecipua Coptica, quae est Basilii. Ex ea igitur ratione illam, qualis Graece edita est, non esse Canonem, ut uno verbo vocare possumus, communem veteris Alexandrini ritus intelligimus, sed singularem, cui prima Officii pars in Codice manuscripto adjuncta fuerit, ut disciplina ferebat, quando ad synaxes Christiani Aegyptii ea utebantur. Fieri etiam facile potuit, ut ex magno illo Ecclesiarum numero, quae Alexandrino Patriarchae suberant, nonnullae eadem frequentius uterentur, quamvis major earum pars Basiliana, quae in Codicibus Aegyptiacis prima est, uti soleret, saltem a capta a Muhamedanis Aegypto. Ita enim rem se habere demonstrat Aethiopum, qui a Coptitarum Patriarchis omnia sacrorum instituta, simul cum haeresi Jacobitica acceperunt, disciplina. Canon enim Generalis Aethiopum, qui communem Liturgiae formam continet, Basilianae Liturgiae Copticae quaedam liberior versio est.

Secunda pars Officium proprium continet.

XXVII. Attamen Graeco exemplari cum Copticis collato, deprehendimus Graecam Marci, et Copticam Cyrilli, quae ordine tertia

Similis omnino est illa pars Liturgiae Copticae Cyrilli.

est, esse omnino similes, neque enim verborum et aliquot sententiarum differentia levis tanti est, ut in Graecis fons et origo alterius non agnoscatur. Ita non caret fundamento, quod Abulbircat Liturgias numerans, et de illa Marci verba faciens, quam tamen in Ecclesia sua recipi negabat, adjecit quosdam existimare, eam a Cyrillina non esse diversam, sed ex ea interpolatam. Si Graeca exemplaria consulere potuisset, nulla ambiguitas supererat. Sed eorum qui Arabice scripserunt, qui leviter saltem, Graece sciverit existimamus fuisse neminem. Nam lingua vulgaris esse statim desierat, neque ubi ejus usus in sacris Officiis, praeter quam apud Orthodoxos substiterit, conjectando assequi possumus, quamvis alicubi superfuisse videatur.

Graecae Aegyptiorum Liturgiae ex Codice Regio descriptio.

XXVIII. Illius conjecturae certissimum argumentum, quod etsi omnia alia deessent sufficeret, Codex Bibliothecae Regiae singularis nobis subministravit, cujus etiam ope primarium exemplar Liturgiarum Aegyptiacarum agnoscimus. Is Codex notatus n°. 3023. ex illorum numero est, quos Joannes Michael Wanslebius a viro summo, et cujus clarissima semper erit inter literatos memoria, Joanne Baptista Colberto, cum mandatis Christianissimi Regis in Orientem missus, ad Regiae Bibliothecae augmentum comparavit. Lacer est, desuntque initio duo aut tria folia; unum in contextu; in reliquis optimae notae est, scriptusque eleganti et perita manu. Continet autem Liturgias duas: primam S. Basilii, cujus, ut ex fine discimus, titulus hic erat. *Ἡ θεία λειτουργία τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν τοῦ θαυματουργοῦ βασιλείου. Divina Liturgia sancti Patris nostri Thaumaturgi Basilii:* secundam sancti Gregorii. Istius titulus initio simplex: *Ἡ θεία λειτουργία τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου*: in fine *ὡρισμένη τῷ ἐν ἁγίοις πατρὶ ἡμῶν θεολόγῳ Γρηγορίῳ*: ex qua epigraphe, Theologum esse intelligimus, cui haec Liturgia tribuitur in eo exemplari, ut in Copticis omnibus: quae traditio ab autoribus Aegyptiacis unanimi consensu accepta est.

XXIX. Primam paginarum faciem occupat Graecus textus, charactere quem sexcentorum et amplius annorum periti esse judicant, forma quae a communi literarum Graecarum ductu paulum abit: nulla litera cum aliis connexa, sed vocum compendia frequentissima sunt, ita ut *πατήρ, πνεῦμα,* et multa alia compendiose scribantur. Sed ne illa compendia lectores morarentur, index vocum ita scriptarum ad finem adjunctus est, unde forsan conjici potest, tunc scriptum fuisse codicem, cum jam Graecae linguae scripturaeque peritia

vulgaris esse desivisset, aut illis in locis, ubi usus illius plane jam dudum deperditus foret.

XXX. Alteram faciem columnatim disposita, tenet versio Graeci textus Arabica, alia prorsus ab ea quam Coptici Codices repraesentant: saepe non melior, et quam non sine magno labore interpretum factam fuisse manifestum est, ab hominibus Graeca mediocriter intelligentibus, sed ex usu quotidiano, precum quas Sacerdotes et Episcopi memoriter tenebant, sententiam satis feliciter assecutis. Ex authentico igitur illo Graeco, versio Arabica quam Codex Regius habet: ex Coptica versione, facta est altera illa Arabica. Ea porro quamvis antiquissima sit, et ab annis plusquam sexcentis rari fuerint inter Aegyptios Christianos, qui vertere libros ex Coptica lingua possent, variat in multis secundum exemplarium diversitatem, nullo quidem sententiae detrimento, sed ex ubertate linguae Arabicae. Nam cum Codices plures consuluerimus, satis magna diversarum, non tam lectionum quam interpretationum copia colligi potest in Arabicis: at in Copticis alicujus momenti prope nulla: adeo ut ex illo solo argumento quamvis firmiora complura suppetant, error eorum revincatur, qui Arabica Graecis antiquiora, Scaligeri judicio nimium tribuentes existimaverunt, cum illa ipsa Copticis exemplaribus quae ex Graecis expressa sunt, longe sint recentiora.

XXXI. Rem sane obscurissimam, et a nemine explicatam Codex Regius in magna luce collocat. Exhibet quippe veterem sacrificii formam, quae in Ecclesia Alexandrina usurpabatur, ante Arabum tyrannidem, cujus quidem formae partes aliquas Marci Liturgia Graeca subministrabat, sed supererat ingens difficultas. Ex historia scilicet Alexandrinorum Jacobitarum scripta per Severum Episcopum Aschmoninensem, non minus quam ex Eutychio, qui Orthodoxorum seu Melchitarum Patriarcha fuit nono saeculo, intelligitur statim a Concilio Calchedonensi cum maximis turbis agitaretur Ecclesia Alexandrina, Graecos, hoc est qui vel aliunde advenissent, vel Alexandrini cives forent, (nam in ea urbe obtinebat Graecae linguae usus,) Concilii definitioni praeter paucissimos adhaesisse: Coptitas sive nativos Aegyptios, Dioscoro ejusque successoribus, atque unius naturae professioni ut renunciarent, nunquam adduci potuisse. Unde odia tam longe processerunt, ut statim atque Arabes urbis moenibus copias suas admoverunt, Coptitae duce quodam, quem *Mocaucas* Arabici libri appellant, suo et Benjamini qui in Monasteriis latebat nomine,

Continent illae Liturgiae sacrificii formam, quae ante Muhamedana tempora in Aegypto observabatur.

Hist. Patr. Alex. p. 156. et seq. infidelibus libenter se subjecerint. Rediit Benjamin et ex Ducis Muhamedani praecepto non modo plenam securitatem, sed in Christianos omnes summam autoritatem obtinuit. Graecus Patriarcha, et qui eum agnoscebant Graeci omnes, pulsi, ita ut per annos nonaginta septem Ecclesia Orthodoxa Episcopis caruerit: Sacerdotes Constantinopoli ordinabantur, aut Caesareae: publicae synaxes nullae erant. In Thebaide et Monasteriis usus Graecae linguae vix erat: et ab eo tempore in sacris omnibus libris, Liturgia scilicet, Psalmodia, Ordinationibus, Officio baptismali, imo in Diplomatibus Patriarchalibus omnia Aegyptiace scripta reperiuntur, Graece paucissima. Utramque linguam ante Muhamedanos usurpatam fuisse negari non potest: sed ab Imperii Muhamedanorum Aegyptii primo saeculo, neque Jacobitas Graeca lingua, neque Orthodoxos Coptica usos in Ecclesiis, invenire facile est.

Usus linguae Graecae aliquibus in locis apud Coptitas servatus est.

XXXII. Certum tamen est duplicem illam quam Codex Regius continet Liturgiam, Jacobitarum fuisse, non Orthodoxorum, si quidem in prima, Basilii scilicet, leguntur in Confessione illa celeberrima, quae pronunciatur ante perceptionem Eucharistiae, ista verba de carne Christi. *Ἔλαβεν αὐτὴν ἐκ τῆς ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ ἐποίησεν αὐτὴν μίαν σὺν τῇ θεότητι αὐτοῦ, μὴ ἐν μίξει, μηδὲ ἐν φυρμῷ, μηδὲ ἐν ἀλλοιώσει. Accepit eam ex sancta Domina nostra Deipara et semper Virgine Maria, et fecit eam unam cum divinitate sua non per mistionem, confusionem, aut alterationem.*

Verba Confessionis Jacobiticam sectam significant.

XXXIII. Possent quidem verba ista ad Orthodoxam sententiam explicari: unde si quis in Jacobitarum libris minus exercitatus est, de conjectura nostra dubitabit, adeo pervasit omnium prope Theologorum animos sinistra de Jacobitis fama, quasi Eutychianam haeresin conservent, aut Eutychen venerentur. At istum condemnant, et anathema in eum pronunciant, ejusque haeresin, ut Apollinanistarum errori proximam, detestantur. *Hist. Patr. Alex. p. 305. 361. 365. 471. 581.* Eapropter mistionem, confusionem et alterationem rejiciunt, idque non modo in multis, quae in libris illorum exstant, fidei Confessionibus, sed in ea quam Liturgiae ante communionem Graece, Coptice, et Arabice jubent pronunciari. Imo quod magis mirandum videtur, *consubstantialem patri*, fatentur esse Christum, *secundum divinitatem; consubstantialem nobis secundum humanitatem:* *Leo Ep. ad Flavianum.* quibus verbis, cum Leo Romanus Pontifex summam Orthodoxae de Incarnatione fidei concluserit, non idcirco tamen Orthodoxi sunt, cum in duarum naturarum professione Nestorianam

haeresin contineri perperam existiment, et eo nomine Calchedonense Concilium ejusque definitiones rejiciant. Quia igitur postremam istius Confessionis particulam, quae licet Eucharistiae fidem respiciat, eam tamen quae de Incarnationis mysterio est, explicat conceptis verbis, ut ad Monophysitarum potius, quam ad Orthodoxorum sensum referendam censeamus, duae potissimum causae sunt. Prima, quod *ἐποίησεν αὐτὴν μίαν, fecit carnem assumtam unam* cum divinitate, manifestam habet unius naturae enunciationem, neque alium sensum admittit, cum ad significandam unionem, salva proprietate utriusque naturae, sive substantiae, aliis omnino verbis Calchedone congregati Patres usi fuerint, multaque alia Graecae linguae ubertas subministret. Secunda ratio ex Historiae Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitis autoribus ducitur. Nam saeculo demum duodecimo additas dicunt partes illas ultimas Confessioni; nempe vocem *vivificam:* tum illa verba, *fecit illam unam cum divinitate absque commistione, divisione, aut alteratione*, et tamen Codex Regius ea aetate videtur antiquior. Sed quae ad hanc orationem spectant exponuntur accuratius in commentario ad Liturgias.

Additio videtur antiquior quam Historici Alexandrini tradiderint.

XXXIV. Illud solum observabimus, ea quae circa additionem factam Confessioni dicendae ante communionem, referuntur ab Historicis Aegyptiis, contigisse in Monasterio sancti Macarii, ubi juxta antiquam, ut aiunt, consuetudinem, sed quae Benjamini aetatem superasse non videtur, novi Patriarchae post ἐνθρονισμὸν Alexandriae factum, solennem Liturgiam celebrare tenebantur. Ita docet historia, et confirmat Ebnassalus, autor magni inter Jacobitas nominis, qui de observandis circa Patriarcharum electionem et ordinationem, scripsit diligentissime. Erant Monachi Macariani rituum suorum retinentissimi, ita ut cum ab aliquot saeculis mos invaluisset per totam Aegyptum, ut in synaxibus nonnulla Arabice legerentur, nempe sectiones ex Evangeliis, Epistolis, et Veteri Testamento, postquam Coptice lectae fuerant: in Monasterio illo nihil unquam Arabice lectum in Ecclesia. Cum igitur nihil mutari, nihil addi disciplinae suae sinerent, fieri omnino potuit, ut quae alibi in usu erant, apud eos ignorarentur, atque ita nova ipsis forent, quae vetustissima erant. Exemplum capi potest in rebus apud nos vulgatissimis. Sunt Religiosae familiae quae diversos in Missa celebranda a communi Ordine in Ecclesia Romana recepto ritus habent, ut inter alios Cartusiani et Dominicani, non quod institutores quidquam mutaverint, sed quod

eorum discipuli eum retinuerint, quem ab initio institutae familiae suae observatum videbant. Sit in Hispania Toletanus aliquis Archiepiscopus, aut etiam jubeat Romanus Pontifex, ut vel Toletanos veteres, quos Cardinalis Ximenius ab interitu et oblivione vindicavit, aut ipsum Romanum usurpare eos jubeat, tuebuntur se majorum exemplo, et antiquitate, quam si cum utroque altero ritu comparetur, meram esse novitatem quisque agnoscit. Quanto magis igitur apud homines illiteratos, Graecorum librorum, et originum Ecclesiasticarum imperitissimos, accidere potuit, ut quae sibi ignota essent, si ab ea traditione, quam a Benjamino, qui primus sub Muhamedanorum tyrannide res Ecclesiasticas ordinavit, paulum deflecterent, ea rejicienda judicarent.

Quo tempore illam factam fuisse scribant. *Hist. Patr. Alex. p. 502. 526.*

XXXV. Quae referuntur ab Historicis sub Gabriele filio Tarich, qui ordinatus est an. J. C. MCXXXI. et sub Joanne, qui ordinatus est an. MCXLVII. contigerunt. Jam igitur et vox ζωοποιὸς et altera formula: *fecit illam unam cum divinitate sua*, in usu erant, quod etiam confirmare potest Regii codicis autoritas, nam aut antiquior est, aut ea circiter aetate scriptus. Addunt praeterea, receptam fuisse in codices omnes formulam Confessionis, ita conceptam: Monachos tamen D. Macarii in sua consuetudine relictos fuisse. Codices vidimus istarum Liturgiarum multos, Regios quinque, Vaticanum, Florentinum, Colbertinum, qui fuit antea V. C. Claudii Hardy, praeter eum quem habemus non valde antiquum, sed emendatum: in illis omnibus nulla circa Confessionem diversitas est: cumque ex vetustioribus descripti sint, per illos regredimur ad anteriora, et Graeco codici aequalia tempora, vel etiam superiora. Inde certo concludi posse existimamus, Graecam, quam Codex Regius Arabice interpretatam continet, vetus et primaevum Liturgiae Alexandrinae exemplar esse, quod tamen a Monophysitis, sed eo solo quem designavimus loco interpolatum, pristinam in reliquis formam servaverit. Nam quia ipsis verbis sententia accommodari orthodoxa potest, si de unitate personae accipiatur, non idcirco illa velut antiquitus Liturgiae inserta debet existimari. Nec laborandum est inaniter, ut illam Confessionis formulam, ut in Codice Graeco legitur, primitus scriptam fuisse probare satagamus. Non ferebat id antiquiorum temporum simplicitas, in quibus nihil aliud dici solebat a Sacerdote, nisi *Corpus Christi:* et respondebatur *Amen.* Illis tamen verbis tribus Christianos veteres, quidquid fusiori oratione alibi explicatur intel-

lexisse, demonstrat Ecclesiarum omnium Orientalium disciplina; secundum quam in ipso distribuendorum mysteriorum momento non modo eadem forma servatur, sed de omnibus prope fidei articulis exigitur confessio. Primo enim dici praecipiunt, *Unus Pater sanctus, etc.* quae ad Trinitatis fidem pertinent: et de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia talis est confessio, ut etiam quae ad Incarnationis mysterium spectant complectatur.

XXXVI. Quae autem ratio fuerit novae istius disciplinae, ex historia quidem, aut actorum Ecclesiasticorum monumentis non habemus, sed ex conjectura id certo consilio factum fuisse intelligimus. Nempe turbata et per annos plusquam ducentos agitata cum fuisset Ecclesia Alexandrina per Monophysitarum seditiones, quos cum Marcianus et quidam alii Imperatores Orthodoxi, legibus et autoritate compescere vix potuissent, (Anastasius enim, Leo et alii magnopere illis faverant, et inter bella civilia incrementum res eorum acceperant,) illos Muhamedani supra Orthodoxos extulerunt. Ita factum, ut a Calchedonensis Concilii tempore vix Ecclesia Alexandrina quieverit, mistique erant cum Orthodoxis Monophysitae, quorum etiam plures erant, diversaeque factiones. Ab illis igitur qui Cathedram Alexandrinam, ut Dioscori successores et discipuli occupaverunt per scelus et seditionem, sub Orthodoxis Imperatoribus; autoritate Tyrannica sub Muhamedanis, institutum videtur, ut per fusius explicatam fidei Confessionem, quae fieret in ipsa Eucharistiae distributione, dignoscerentur Monophysitae genuini, non modo ab Orthodoxis, Calchedonensis Concilii Decreta amplectentibus, verum et a diversis aliis, quos nec ejusdem Concilii detestatio, nec unius naturae professio, a puriorum illorum Monophysitarum anathemate praestabat immunes. Tales erant Acephali, Barsanufiani, Juliani Halicarnassei sectatores, Semidalitae, et quidam alii, quorum historia Patriarchalis meminit, quique dudum extincti sunt, sed non nisi post Muhamedana tempora.

Conjectura de additione illa.

XXXVII. Per annos prope centum Orthodoxi non modo nullas Ecclesias habuerunt Alexandriae, et in tota Aegypto; sed ne Episcopos quidem, tantummodo Sacerdotes, qui magno suo periculo ex Graecia ordinationem petebant. Adversus eos tanta fuit Haereticorum saevitia, ut Episcopo cuidam Melchitae sive Orthodoxo digitos amputari per Arabes fecerint, ut sacris ministeriis inutilis foret, quod ipsorum historici, velut obsequium Deo praestitum, in literas mittere

Facta videtur ad discernendos Jacobitas.

non erubuerunt. In tanta igitur calamitate contigit saepius, Orthodoxos latenter ad Jacobitarum Ecclesias accessisse, satius ab illis Eucharistiam accipere, quam ea prorsus carere existimantes. Quid enim exspectari potuisset a Christianis servitute barbarica oppressis, et qui per annos multos pastorem legitimum non viderant. Saepius id factum est, et fieri frequentissime etiamnum in Oriente, a viris fide dignissimis accepimus, ne dum Orthodoxam communionem quaerunt inutiliter, Sacramentis prorsus careant. Multo magis irrepere ad ea suscipienda poterant Acephali nonnulli, qui etiam Episcopos omnino nullos habebant, nec ordinationem Presbyterorum, ut Orthodoxi, petere ex Graecia poterant. Illam igitur prolixiorem Confessionem ea quam exposuimus causa institutam arbitramur, eo magis quod illa ad Incarnationis fidem, potius quam ad Eucharistiae, pertineat, de qua haeresis nulla: nec levissima unquam a Schismatum initiis, aut inter Jacobitas, aut cum aliis extitit controversia. Occurrunt in Graecis Euchologiis et Ritualibus orationes tempore communionis dicendae, in quibus ad profitendam realem corporis sanguinisque Christi praesentiam nihil desiderari potest, adeo ut in alterum sensum transduci simplicissima illarum verba nequeant. Non absimiles leguntur in Syriaco Jacobiticarum Liturgiarum codice: sed in utrisque ultima illa particula, quae unitatem naturae significat, non occurrit: illam habet sola Aethiopica Liturgia quae ex Coptica translata est, ita ut ejus versio quodammodo haberi possit.

De formula quae est in Liturgia Marci.

XXXVIII. Erunt fortassis, qui vetustioris, simplicioris que formulae vestigium agnosci velint in Liturgia Marci, qualis e Codice Calabro edita est: ibi enim ubi communionis distributio praescribitur, legimus Sacerdotem *ὅταν μεταδίδει τὸν κλῆρον λέγει. Σῶμα ἅγιον, καὶ εἰς τὸ ποτήριον λέγει, Αἷμα τίμιον. Cum communionem dat Clero, dicere. Corpus sanctum, et ad calicem sanguis pretiosus, etc.* Unde suspicio nascetur, illis qui in Rituali disciplina Orientali minus versati sunt, conclusam paucis his verbis Confessionem olim fuisse: nam eo ducit argumentum petitum a veteri disciplina. Illud porro neque affirmari certo, neque negari potest. Cum enim Marci Graecam Liturgiam, multis argumentis constet vetustiorem esse Calchedonensi Concilio, Orthodoxisque olim propriam, caruisse illam verbis Confessioni adjectis, quae Monophysitarum errorem contineant, indubitatum est. Cum tamen, ut observavimus, Marci Liturgia integra non sit, quia quae ex communi officio petenda sunt, per initiales tantum voces

designantur; an postrema illa verba olim habuerit, sciri non potest. Non habuisse, longe verisimilius est: cum ex testimonio Marci Patriarchae Balsamonem consulentis, eam ab Orthodoxis usurpatam fuisse constet, qui unius naturae Confessionem admittere non poterant. Nihil igitur ex diversitate hujus et aliarum Liturgiarum concludere licet. Porro si quaedam occurreret diversitas, quae ea quam diximus ratione conciliari non posse videretur, major foret Regii, quam alterius Codicis autoritas. Nam Romae alterum vidimus, et Regio recentiorem agnovimus.

Liturgiae ex Codice Regio veterem ritum Alexandrinum repraesentant.

XXXIX. Cum igitur ex dictis huc usque confici existimemus, Graecas Liturgias duas Regii Codicis, non modo Alexandrinum ritum continere, sed eum quem Jacobiticae Ecclesiae secutae sunt, Copticique codicis exemplar primarium: illud etiam observandum est, quod ad earum originem perspiciendam est maxime necessarium. Nempe haberi in illis expressa, ut ita dicamus, lineamenta Alexandrini ritus veteris, sicut in Jacobitarum et Melchitarum Syriacis, veterem Hierosolymitanae Liturgiae formam a Jacobi traditione manantem: in Nestorianis, singularem Mesopotamenarum Ecclesiarum disciplinam, et in ultima, quae Nestorio tribuitur, certum indicium Constantinopolitanae, quae Joannis Chrysostomi titulo a posteriori aetate ornata est. Nam veteres haeretici, si eos excipimus, qui Christiani haberi vix poterant, non ut Reformatores quos ultima duo saecula protulerunt, omnem funditus disciplinam evertendam arbitrabantur, sed eam quae suo tempore vigebat studiosissime conservabant. Ita factum, ut inter tot mala, quibus Ecclesia conflictata est, steterit integra Sacramentorum celebrandorum forma, neque de ea immutanda, et ad purum, si superis placet, verbum Dei reformanda quisquam cogitaverit. Unde huc usque eadem Jacobi Syra Liturgia, omnium quae eadem lingua exstant vetustissima, non modo a Melchitis seu Orthodoxis, sed a Jacobitis ad altaria celebratur. Neque dubitare quisquam potest, usurpatam aliquando ab Alexandrinis Orthodoxis fuisse eam quae Marci dicitur, cum id perspicue testetur Marcus Alexandrinus eorum Patriarcha ad Theodorum Balsamonem scribens, licet dubitabundus, quia scilicet lapsu temporis Graecanica Ecclesiae Constantinopolitanae disciplina Alexandriae recepta cum foret, patrii ritus in aliquibus tantum locis remanserant. Cum porro certum sit, illam non nisi sero admodum apud omnes Graecas Ecclesias solam obtinuisse, et Alexandrinam tali dignitate sedem, quae secundum inter Patriarchales locum obti-

neret, habuisse ut alias, ritus suos singulares, verisimile omnino sit; nihil supersit praeterea in literarum monumentis, quod ad eos, Graeca illa tam Codicis Regii, quam altera Calabri, magis accedat: confirmetur quoque mille circiter annorum antiquitate stabilitus ritus Coptice Officia celebrantium Ecclesiarum consuetudine non interrupta: Graecas passim orationum formulas multas habeat Graecae originis indices, quod in aliis linguis vix occurrit; nihil propius est, quam ut illam Liturgiam antiquum esse Codicem Sacramentalem Ecclesiae Alexandrinae censeamus: nam reliquos omnes qui nobis noti sunt, ad eam non pertinuisse, tam certo constat quam quod maxime.

Prima Graeca Copticae est omnino similis.

XL. Illa igitur quae prima occurrit in Regio codice Liturgia, si cum vulgari Coptitarum, quae exstat eadem in omnibus exemplaribus comparetur, reperitur esse plane similis. Initia tamen aliquatenus differunt, quia Officium commune tribus Liturgiis Basilii, Gregorii, et Cyrilli, habet adjunctas orationes diversas quae non simul dicuntur, sed assignatae sunt diversis festivitatibus. Deest aliquid initio codicis Regii ex Basiliana; sed quantum uno vel altero folio comprehendi poterat, primaque oratio integra, est *τοῦ καταπετάσματος*. Sequuntur orationes pro pace, seu *τὰ Εἰρηνικά,* quibus oratur pro variis rebus, et personis: tum aliquot ad osculum pacis, statimque *Ἀρχὴ τῆς προσκομιδῆς*, seu *Initium oblationis,* et ut in veteribus Ritualibus appellatur aliquando, *Illationis,* quia scilicet tunc infertur oblatio ad altare, incipitque *Anaphora* proprie dicta, quae Canoni nostro respondet. Unde ab ea parte omnium quae Coptice, Syriace, aut Aethiopice extant Liturgiarum ducuntur initia. Cum vero Graecam et Copticam per partes inter se comparare non possimus commode, idque in Commentario ad easdem proprio suo loco fieri debeat, ut quantum in nobis fuit praestare conati sumus, quaedam solummodo Graecae singularia et ex quibus de illius usu, et destinatione conjectura capi possit, observabimus.

Observata quaedam ad illas Liturgias.

XLI. In Oratione pro pace memoria singularis fit Patriarchae Alexandrini, cum hoc titulo. *Εὐχὴ περὶ τοῦ Πάπα. Oratio pro Papa. Μνήσθητι κύριε τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου ἀρχιερέως ἡμῶν ἄββα ΔΔ. πάπα καὶ πατριάρχου τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας. Memento, Domine, sanctissimi et beatissimi Pontificis nostri Abbae N. Papae et Patriarchae magnae urbis Alexandriae.* Ex hac porro memoriae agendae formula intelligitur, ritum codice expressum, esse Alexandrinae Ecclesiae proprium: nam in

aliis Patriarchalibus Ecclesiis non ita appellaretur ejus Episcopus, quamvis *Papae* titulus dudum illi tributus fuerit, non ex insulsa illa ratione quam affert Eutychius, quasi Papa *avum* significet, ipse vero cum ex dignitate sua sit Episcoporum pater, ab inferioris ordinis viris majori titulo deberet cohonestari. Nihil minus: sed qui communis Episcopis erat, Romano Episcopo, et postmodum Alexandrino, ex quadam honoris praerogativa tributus est. Joannes a S. Andrea qui Graecam Marci Liturgiam publicavit, haec ad Romanum Pontificem referenda arbitratus, incautis lectoribus fraudi fuit.

Solius Patriarchae memoria.

XLII. Observabimus quoque in codice Regio solius Patriarchae fieri memoriam, non Episcopi, ut in Graeca Marci, et in Copticis plerisque. Hinc non temere conjicere possumus, descriptum illum fuisse ex aliquo qui ad ipsius Ecclesiae Patriarchalis usum destinatus foret, qua ratione major ejusdem censenda est autoritas.

Nullorum sectae Jacobiticae sanctorum.

XLIII. In Diptychis, ubi Sanctorum nomina recitantur, vix ulla Coptica exemplaria sunt, in quibus post praecipuos Ecclesiae doctores non nominentur Dioscorus, Severus, et alii Monophysitarum heroës. Verum in codice Regio nihil simile: solius Marci memoria est, ut in edita cum ejus nomine Liturgia. Vetustatis quae schismatum primordia antecesserit indicium hoc esse qui pertendet, non facile refelletur.

De principum commemoratione.

XLIV. Quod in iisdem Diptychis, vel potius Catholica Oratione qua oratur pro omnibus, nominantur *βασιλεῖς*, et *παλάτιον*, etiam paris vetustatis nota videbitur, atque ita judicasse Salmasium ex Arabica versione sola quam viderat, docet ejus ad Joannem Dallaeum Epistola, quae est inter editas 32ª. Librum Copticum et Arabicum cujus testimonio usus est, antiquissimum esse, et scriptum cum Imperatores Christiani adhuc Aegyptum obtinerent, ea ratione judicavit, quia inter preces alias esset singularis una, pro Imperatoribus, et illis qui essent in Palatio. Recte quidem si Graeco exemplari adhaereamus, quod Officium continere, quale sub Imperatoribus Christianis celebrabatur, dubitari vix potest. At ex Arabica versione idem conficere, absurdum penitus fuit, cum illius linguae in Aegypto, ante quam a Muhamedanis occuparetur, usus foret nullus. Melius id ipsum ex Coptica agnosci proclive fuit: sed quamvis in ea lingua desudasse Salmasium ab ipso sciamus, cum saepe multas hoc in genere *παρεκβάσεις* faciat, in locis non suis, in ea tamen Epistola quae abnormem Confessionis illius celebris de Eucharistia expositionem continet, de Aegyptiacis silet. Ex Regio codice Graeco quid-

quam determinari vix potest circa Liturgiae ipsius aetatem: nam etsi *βασιλέων* meminerit et Palatii, haec ad Arabes tunc rerum dominos non minus referri, quam ad Christianos Imperatores possunt. Neque si, ut in Gregoriana tam Graeca, quam Coptica reperitur oratio *pro Regibus Christum amantibus*, aut ut in Graecis rubricis *ὑπὲρ φιλοχρίστου ἡμῶν βασιλέως*, inde quidquam aliud concludi potest, nisi conservatas esse antiquas formulas, etiam sub Infidelibus dominis, pro quibus orandum esse, veteres Christiani uno consensu docuerunt.

Magna eo loco Liturgiarum varietas.

XLV. Est magna hoc in genere Liturgiarum varietas: sunt enim multo plures, quae orationem pro regibus et principibus praescribunt, nulla pietatis aut fidei facta mentione, ne scilicet pateret calumniandi locus. Occurrunt tamen aliae quae antiquo more servato orationes habent, *pro regibus fidelibus*, inter quas non postremo loco censenda est Nestoriana, quae vix unquam usurpata fuisse videtur illis in regionibus, quas Christiani cum imperio obtinerent. Ejecti enim ex Romanis provinciis, e Mesopotamia quam totam prope corruperant, transierunt ad Persarum regnum, qui tunc patriae religionis tenacissimi, Christianos saepe gravissimis persecutionibus oppugnabant, quarum sub Sapore praesertim, Socrates, Sozomenus, et alii autores Historiae Ecclesiasticae meminerunt, et de quibus Nestoriani multa in vitis Catholicorum. Successerunt ultimis Persarum Regibus Muhamedani, sub quibus non multo melior conditio Nestorianorum fuit, nisi quod fidem abnegare non compellebantur. Habuerunt post unum aut alterum saeculum Ecclesias in India, apud Tartaros, et apud Sinas, quod ex variis autoribus fuse exponetur in Dissertatione de ejusdem sectae propagatione. Illis in regionibus imperium penes Idololatras, aut non meliores barbaros erat, quales Turcae, Mogoli, et aliae gentes innumerae, quae communi Tartarorum appellatione ab autoribus Graecis, Latinis, Arabibus et Persis designantur. Ubique tamen in Liturgiis suis, quas sola Syriaca lingua celebrant, non orant nisi *pro regibus fidelibus*, hoc est Christianis. Atque haec exempla conjecturas quae ex illis Diptychorum formulis ducuntur, prorsus evertunt.

Diversae orationes in eadem Liturgia.

XLVI. In reliquis omnibus ejusdem Officii partibus constat omnino sibi Aegyptiacae Ecclesiae disciplina, ut in Commentario seorsim explicatum est. Sunt autem ad osculum pacis orationes diversae: una *τῆς θείας λειτουργίας τοῦ ἀποστόλου καὶ ἀδελφοθέου Ἰακώβου,*

ex divina Liturgia Jacobi Apostoli fratris Domini: alia cum nomine D. Basilii, quibus titulis, eas ex aliarum Ecclesiarum codicibus desumptas esse manifestum est, quod originem antiquam diversarum Liturgiarum, qualis superius exposita est, manifeste designat. Scilicet cum primarum sedium Episcopi preces publicas ordinarent, et in scriptis codicibus ad certam formam redigerent (idque quarto et quinto saeculo factum videtur,) eas orationes selegerunt, quae aliis in Ecclesiis, cum quibus erat perfecta sacrorum et fidei communio, a majoribus acceptae, et quotidiano usu consecratae servabantur. Atque ex communi quodam illo Ecclesiae Orientalis thesauro eductae sunt preces propemodum omnes, quae in Liturgiis Copticis, Syriacis et aliarum omnium linguarum leguntur, adeo ut paucae omnino recentiores autores agnoscant, nisi quod saepe, praesertim in Syriacis, paraphrases quasdam liberiores in quibus linguae suae divitias uberius profundunt, reperimus. Ut tandem omnia quae ad Graecas Alexandrinas Liturgias spectant complectamur, in prima quae est Basilii, annotatur oratio post *Pater noster*, quae Basilio tribuitur. *Ἄλλο μετὰ τό, Πάτερ ἡμῶν εἰς τὸν βασίλειον,* hoc est, ut versio Arabica exprimit, *sancti Basilii.* Sequuntur Orationes, *fractionis*, dicendae scilicet, cum ante communionem frangitur panis Eucharisticus. Eas praecedit benedictio, quae cum a Sacerdote pronuncietur, super Clerum et populum, qui ut eam suscipiant genua flectunt et caput inclinant, dicitur *Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας*: *Oratio capitis inclinationis.* Subjicitur alia hoc titulo. *Ἄλλο παρ᾽ Αἰγυπτίοις ἀπὸ τῶν προηγιασμένων τοῦ ἀποστόλου Μάρκου.* Mirum plane in Officio, quod ex certissimis indiciis Aegyptiacum esse constat, Aegyptiacorum rituum tanquam diversorum extare memoriam. Qui sit certus verborum illorum sensus non facile percipitur: quae verisimiliora conjectando dici possunt, exponemus.

XLVII. Duo statim sensus occurrunt: primus et simplicissimus foret, quod haec Liturgia non ad usum Ecclesiae Alexandrinae, quamvis ejus ritum exprimat, sed ad alterius cujusdam descripta fuerit. Exemplum familiare subjiciunt rituales libri nostri, in quibus videmus certis orationibus notam adjunctam, quod in Romana Ecclesia dicantur; quod in Metropolitana, etsi sub earumdem autoritate spirituali sint Ecclesiae, quibus singulares illi libri destinantur. Neque inanis prorsus haec conjectura est; certior futura, si plures Coptitarum libros haberemus: aliquos, praesertim eorum, qui in Monasteriis, ubi

De Liturgia τῶν προηγιασμένων Sancti Marci.

ritus antiquus maxime incorruptus erat, scripti fuissent. At nullos tales unquam vidimus. Nec minus aberrabit a verosimili, qui existimet codicem Graeco-Arabicum Regium descriptum fuisse pro Ecclesia Alexandrina, et Aegyptiorum nomine intelligi alias a Metropolitana Ecclesias. Id facilius probari posset: nam si alicujus Episcopalis Ecclesiae aut privatae, aut Monasticae usui liber scriptus fuisset, in Diptychis, post nomen Patriarchae Alexandrini, occurreret memoria Episcopi Dioecesani, ut in omnibus ferme codicibus, etiam si qui ad Monasteria pertinuerint. Quamvis enim magna in Aegypto, et in Oriente fuerit semper Monastici Ordinis dignitas et autoritas, privilegia quibus ab Episcoporum potestate eximuntur, vix ulla sunt. Sed hae conjecturae qualescumque sint, etsi non plane indubitatae sufficiunt, cum notae Alexandrini ritus in toto Officio tam certae sint, ut dubio locus non sit.

Quando ritus ille Alexandrinus usurpatus sit.

XLVIII. Reliqua ad istius Codicis, quem ut fontem aliorum omnium agnoscimus, illustrationem necessaria, per partes explicantur, in primo ad Liturgias Commentario; quando autem et quibus locis usurpatus in Ecclesiis fuerit, affirmare non possumus. Diximus alibi, statim atque Arabes Aegyptum armis obtinuerunt omnem ferme linguae Graecae in sacris usum apud Alexandrinos intercidisse, quod adeo certum est, ut praeter Regium codicem vix ullus similis huc usque repertus fuerit, imo vix autorem habemus qui vidisse testetur. In Alexandrina Ecclesia Jacobitica, a Benjamino ad haec usque tempora, perpetuus nec interruptus Copticae linguae, tam ad Liturgiam, quam ad reliqua Sacramenta, et psalmodiam usus permansit: Graecae ne quidem vestigium. Sed codicis Regii cum talis sit autoritas, cui refragari nemo queat, ex eo solo retentam esse in quibusdam Ecclesiis Jacobiticis Graecam Liturgiam, certissimum videtur: et in maritimis nonnullis, facilius quam in superiori Provincia Graeca lingua potuit conservari, etiam in sermone quotidiano. In sacris vero, cum Melchitae non aliam ad preces publicas et sacramenta adhiberent, major quodammodo fuit illius retinendae facilitas. Quae forent Ecclesiae quas Graecus Patriarcha obtineret, docet Notitia quam ex Nilo Doxapatrio dedit Leo Allatius; aliam ex Arabico, sed parum accuratam Guillelmus Beveregius in Notis ad Canones. Cum igitur ubique ab Orthodoxis Graece sacra celebrarentur, potuit idem in nonnullis locis apud Jacobitas fieri, qua de re divinari multa possunt, pauca rationibus et autoritatibus demonstrari.

De Consensu l. 1. p. 168.

XLIX. Regius Codex loci aut regionis nullam praefert notam: et quod Nicosiae repertus fuerit a Vanslebio, qui coemendorum librorum causa in Orientem missus fuerat, suadere videretur, extitisse quasdam in Cypro Ecclesias, quae istis Liturgiis usae fuissent. Sed vis hujus argumenti debilior est, quam ut ratio illius haberi possit, nisi firmiores aliunde suppetant, quas huc usque nullas comperimus. Libri ubique reperiuntur omnis generis, et in Oriente ubi dudum literae florere desierunt, saepe reperiuntur apud alicujus sectae homines, qui ad eam nullatenus pertineant, et quos ipsi possessores nesciunt. Sed fuisse in Cypro Ecclesias quae Alexandrino Patriarchae Jacobitae subessent, a nullo, quod sciamus, idoneo autore proditum est. Quae olim Ecclesiis Cypriis privilegia Canones antiqui irrogaverant, eadem post schismata viguisse reperiuntur, servanturque illius primaevae libertatis testimonia, in Jacobitarum, Melchitarumque Collectionibus. In tota historiae Patriarcharum Alexandrinorum serie, juris quod erga Cyprios Episcopos usurpaverint, nullum occurrit exemplum: ut et nullius causae, in qua erga eos jus aliquando dixerint. Extant Notitiae Graecae et Arabicae Melchitarum: Jacobitarum aliae; nulla Cyprum Alexandrinae sedi subjicit. Monendum tamen, repertos esse ea in insula Maronitas: non Libaniticos illos dicimus qui non modo majores suos ab omni haeresis Monotheliticae suspicione vindicare satagunt, sed Catholicam fidem labantem solos in Antiocheno Patriarchatu propugnasse volunt, sed ita ut doctiorem neminem ad sententiam suam pertraxerint. Germanissimi illi erant Monothelitae, quos tamen non Willelmus Tyrius, non alii commendatissimi autores, Latini, Graeci, Syri et Arabes, sed ipsi Romani Pontifices, Maronitas appellaverunt. Erant illi in Cypro, extantque variae circa illos Constitutiones Alexandri III. et aliorum, praeter Nicosienses multas, postremae Conciliorum editioni insertas. Erant quoque Nestoriani, et eorum libros aliquot vidimus, in Insula ipsa non repertos, ut codex Liturgiarum Regius, sed scriptos ante annos quadringentos. Vastato toties Oriente per Arabum bella civilia, aut per Tartaros sub extremis Seljukidarum Sultanorum temporibus, fieri potuit ut multi Christiani eo commigrarent, atque inter eos nonnulli, qui Patriarchae Jacobitarum Alexandrino subjicerentur, et sedes illic fixerint: nam ex Aegypto non difficilis erat in Insulam trajectus. Id si factum est, quod aeque facile fuit, quam Nestorianorum et Maronitarum transfretatio, ad istos Jacobitas referenda est, haec

Regius Codex in Cypro repertus.

Nicosiae reperta Liturgia. Id vero a nobis conjectando tantum dicitur, ut qui plures libros tractaverint, argumenta ad eam conjecturam evertendam, aut confirmandam possint conquirere. Nam alia interpretamenta nullo loco habenda sunt.

De editione Confessionis Liturgicae Coptice et Arabice Romae edita.

L. Superest ut moneamus, ex prima Coptitarum Liturgia, quae Basilii nomen praefert sumta esse, quae vir doctissimus Guillelmus Bonjour Augustinianus anno MDCXCIX. Romae edidit hoc titulo. *In Monumenta Coptica, seu Aegyptiaca Bibliothecae Vaticanae brevis exercitatio.* In ea Confessionem quae ante communionem dici solet Coptice, Arabice et Latine dedit. Hoc exemplum consulere poterunt linguarum periti, cum typorum defectu, et studiorum illorum neglectu, ne particulam quidem Liturgiarum sua lingua exhibere potuerimus. Versionem dudum, antequam altera ederetur, absolveramus, et inter utramque nulla est differentia: at in Oratione *Absolutionis*, quam vir doctissimus, *communionis* seu *consociationis* vertit, non audiendus est, ut notae ad illam orationem nostrae demonstrant. Quod *Romaeos Patres*, quorum in eadem memoria fit, Romanos esse existimavit, unde veteris cum Ecclesia Romana communionis indicium agnoscere sibi visus est, abiit a vero longissime, cum, ut apud recentiores Graecos, ita apud Coptitas et Arabes ῥωμαῖος et *Roum*, non Romanum hominem, aut Romam, sed Graecum, Graeciamque significent. Occurrunt quoque alia, de quibus suo loco monuimus; quae vir doctrina non magis quam modestia commendandus non observaverat; neque enim id facile poterat, cum Romae non tanta extet Orientalium librorum copia, praesertim Christianorum, quantam collegisse licebat, si haec studia plane illic non jacerent. Sed in Vaticana Bibliotheca paucissimi sunt, et ex Copticis praecipui Codices versionis utriusque Testamenti, Liturgiae et Pontificalis liber, ex quo Athanasius Kircherus quaedam edidit Latine, sed non feliciter. Inde conjicere licuit, Liturgias illum, si ut pollicitus fuerat, Coptice et Latine edidisset, futurum ut novo interprete opus haberent. Id sane praestare poterat Guillelmus Bonjour, qui ex paucis libris, proprio marte linguam Copticam edidicit, illiusque accuratam, et aliis quae vel Arabice vel Latine prodierant praestantiorem Grammaticam composuit, quam Romae anno MDCCI. mihi legendam commisit Clemens IX. Pontifex Maximus, et quam accuratissimam esse atque editione dignissimam, facta ad ipsum Pontificem relatione, et scripto testatus sum. Nam ea quam Prodromo Coptico Kircherus

subjunxit imperfectissima est: aliae ex Arabico interpretatae, magis adhuc obscurae sunt, non minus quam aliquot manuscriptae diversorum autorum, quae in Bibliothecis reperiuntur. Commune enim Orientalibus vitium est, ut methodum qua praecepta Grammaticalia scribenda sunt, prorsus ignorent. Reliqua quae ad Liturgias Alexandrinas spectant, in Commentario ad primam Copticam, et in notis ad alias explicabuntur. Quia vero Liturgiae, quarum versionem novam damus, ea lingua scriptae sunt, de qua varia extant eruditorum judicia, quorum nonnulla ad illarum autoritatem labefactandam trahi possent, idcirco operae pretium visum est, brevem de illa lingua Dissertationem subjungere.

DISSERTATIO
DE
LINGUA COPTICA.

Tres de lingua Coptica opiniones.

Cum frequentissima hujus linguae in hoc opere mentio sit, et ex ea conversae sint in Latinam, quas publicamus Liturgiae, de illa observationes quasdam adjicere visum est, eo magis, ut existimamus, utiles et necessarias, quod Lectores minus in Orientalium linguarum studio versati, quae et qualis illa sit scire vix possint, et ex quorumdam hominum judiciis, in quae facile trahi possunt, multa sequantur, quae monumentorum Ecclesiasticorum, in quibus illustrandis laboravimus, autoritatem labefactent. Tres enim nostra aetate extiterunt viri eruditione celebres, qui soli de ea lingua judicium tulerunt, omnes diversissimum: cum primus affirmaverit, veterem illam Aegyptiacam Pharaonicam linguam esse, per quam aditus ad intima veteris Aegyptiorum sapientiae penetralia aperiretur, praesertim ad Obeliscorum inscriptiones explicandas, et reliqua hujus generis mysteria. Alter formatam ex Liby-Aegyptiorum et Arab-Aegyptiorum colluvie barbaram linguam, non nisi post subactam ab Arabibus Aegyptum innotuisse, et quidem serius, nempe post Salaheddini et Yubidarum imperium. Tertius tandem fictitiam illam plane esse, qualis Zingarorum esse solet, nec multum antiquam esse pertendit.

Prima, esse veterem Pharaonicam.

Primae opinionis autor fuit Athanasius Kircherus, qui cum Romam venisset ex Germania, commendationeque viri Clarissimi, et ad omnis generis studia promovenda attentissimi Nicolai Peyrescii, codices aliquot Copticos ab amicis accepisset, linguae veteris Aegyptiacae restitutionem pollicitus, *Prodromum Aegyptiacum* praemisit,

anno MDCXXXII. Romae editum, in quo magnifice illam, ut veterem et Pharaonicam commendavit. Alterum opus edidit anno MDCXLII. titulo *Linguae Aegyptiacae restitutae*, quo continebantur Grammaticae aliquot imperfectissimae Arabice scriptae, cum interpretatione Latina, quam intelligere nemo potuit unquam; eo minus quod tot mendis scateret textus Arabicus et Copticus, ut ex eo sententia effici nulla posset. In Glossario seu *Scala*, ut vocant, plura longe peccaverunt Typographi et Interpretes, adeo ut nullum inde ad Orientalium linguarum studiosos fructum intra tot annos pervenisse, mirari nemo debeat. In utroque de lingua Coptica judicium autor interposuit, sed varium et multiplex: nam in Prodromo, linguae Copticae laudes fusius persecutus, eam vetustissimam Aegyptiacam esse contendit, et Graecae originem ab ea peti jubet. In altero opere sententiam illam suam ita moderatur, ut quid in animo habuerit non facile perspici queat: haec autem sunt illius verba. *Utrum autem lingua Graeca quoque ab Aegyptiaca processerit, merito quispiam dubitare posset. Affirmativam, in Prodromo cap. 4. asserueram; verum quotidiana experientia instructior, tandem comperi, linguam Aegyptiacam ex matribus unam αὐτογενῆ, cum nulla alia affinitatem, quantum quidem ex idiotismo, conjugatione, et inclinatione nominum colligere licuit, habere. Neque movere nos debent vocabula Ἑλληνισμὸν redolentia, vocesque Graecanicae passim in Lexico occurrentes. Non itaque verba mea in Prodromo Copto hoc sensu intelligi velim, quasi asseverem linguam Graecam ad Aegyptiam ea se ratione habere, ut Chaldaea v. g. lingua ad Hebraeam, aut Italica ad Latinam, sicuti quidam opinati sunt. Non enim sentio Graecam ab Aegyptia originem suam immediate traxisse, multo minus Graecam linguam Aegyptiam corruptam dicendam arbitror.* Illud tamen tam perspicue significaverat, ut aliter verba ejus accipi non possent: et in Oedipo sui parum memor, idem saepe reposuit, ubi scilicet ad Theologiam illam Aegyptiacam exponendam, occurrebat aliquis veterem linguam allegandi locus. Verum cum tota illa quaestio majorem disquisitionem desideret, eamque singulari Dissertatione exposuerimus, non omnia quae a Kirchero dicta sunt, sed quae ad institutum nostrum pertinent sola, breviter explicabimus. Illud vero ad Liturgias quae ex Aegyptiaca lingua translatae sunt solum spectat, scire quae illa fuerit: nam si fictitia habenda est, ruit sacrorum illorum monumentorum autoritas: si antiqua et Pharaonica est, cum Graecis voci-

bus plena sit, nomen aliud quiddam eidem imponendum est: si mixta ex Liby-Aegyptiorum et Arabum Barbarorum sermone lingua censeri debet nata sub Yubidis principibus, hoc est undecimo et duodecimo saeculo, frustra commendatur Liturgiarum quae eadem lingua scriptae sunt antiquitas, quam illis saeculis superiorem contendimus.

Coptitarum nomen ab urbe Copto non deducitur.

Primum igitur observandum est, frustra laborasse Kircherum in deducenda vocis origine ab urbe *Coptos*, quasi illa toti Aegypto, atque adeo ipsi linguae nomen dederit. Coptitae ab Arabibus solis vocantur *Kibt*, et in plurali aliter formato, *Akbat* Aegyptii Christiani: et ita vulgo scribunt Muhamedani. At Christiani Arabice scribentes et loquentes, raro Aegyptios vocant *Kibt*, sive Coptitas, verum eo nomine Jacobitas, ad Melchitarum sive Orthodoxorum differentiam, solent designare. Si Coptice loquuntur aut scribunt *Πανγύπτιος*, aut *Νιγύπτιος*, aut *Πανϱέφχημι* vocant Aegypti incolas et indigenas: *Coptitas* nunquam eos nominant, qua observatione nihil certius, cum eam confirment Glossarium ab ipso Kirchero editum, et alia inedita longe meliora. Inde patet vocem Coptitarum, seu *Kibt*, ut Arabice effertur, a voce *αἰγύπτιος* formatam esse, non ab urbe Copto.

De urbe Copto.

Mira de illa urbe comminiscitur Kircherus, neque tamen ullam autorum qui de ea fuse scripserunt, notitiam videtur habuisse. Nota erat antiquis Geographis, Straboni, Ptolemaeo et aliis, atque ab ea Coptites Nomus appellabatur. Plinius eam nominat, aitque esse *Indicarum Arabicarumque mercium Nilo proximum emporium.* Ad ea verba doctissimus editor, sed in Orientalibus literis non exercitatus. *Aegyptus ipsa indigenis Kupti vocatur detrita, ut apparet, ex vetere appellatione Aegyptus, prima syllaba. Hinc linguae Copticae nomen.* At Aegyptus vocatur ab indigenis *Χημι*, non *Kupti*, et ab Arabibus *Mesr*, et lingua vocatur Coptica, quia Coptitarum, seu Aegyptiorum, quos Arabes, ut diximus, *Kibt* vocant est propria. Nomen istud a Copto urbe formatum esse, quidquid Kircherus dixerit, sustineri non potest. Celebris erat illa urbs in Thebaide: longam de illius originibus, et antiquitatibus narrationem texunt Arabes, ut inter alios Makrizius, Kazuinius et alii, sed fabulis inquinatissimam. Celebrabatur praesertim smaragdorum insigni fodina, Plinio non ignota, quam accurate describit Ahmed filius Ayaz in opere Geographico, tamen ab illa linguam Aegyptiacam nomen accepisse, nemo scriptorum Arabum memoriae prodidit. Haec omnia quae ex probatissimis autoribus

L. 5. c. 7.

MS. Arab.

didicimus, Kirchero ignota fuerunt, imo, quod ex Glossario a se publicato discere potuerat, alia omnino est orthographia vocis *Coptos*, quando urbem significat, alia quando Coptitas, sive Aegyptios. Nam urbs per literam B. quae Latino et Graeco P. respondet, non scribitur, sed per *Φ*, pronunciaturque *Keft*, ut legitur in Glossariis editis et manuscriptis, et testatur Abulfeda, non minus quam reliqui Arabes Geographi, idque discrimen observatum est ab insigni Lexicographo Firuzabadio. Celebris erat urbs Coptos, sed multis aliis dignitate inferior, qua ratione, cur Aegypto toti nomen daret, causa nulla erat. Neque quod illic lingua Aegyptiaca conservata diutius viguerit, quisquam autor Christianus, aut Muhamedanus scriptum reliquit, cum istud de Osiuta Makrizius et Abulbircat testatum reliquerint. Inane igitur habendum est deductum ab urbe Copto Copticae linguae etymon, quod nulla Muhamedanorum, aut Christianorum Arabice scribentium autoritate confirmatur.

Abulfeda Kazuini. Yacuthi. Geogr. Persica, etc.

In Camus.

Ipsa lingua, quod Graecae parens et origo sit, absurdior longe conjectura est, quam ipse illius autor jactatam in Prodromo retractavit. Nam cum characteres Graecis, si aliquot excipiuntur, similes habeat: nomina, figurasque literarum a Graecis accepisse Coptitas manifestum est. Quod voces Graecas multas Glossaria et libri Coptice scripti repraesentent, non alia ratio est, quam quod in Copticam linguam ex Graeca migraverint voces quam plurimae, praesertim usus Ecclesiastici, cum alios libros nullos superesse a multis saeculis certissimum videatur. Nam quorum indicem in Aegyptiaca lingua restituta Kircherus inseruit, fictitios illos esse, multa suadent, si non demonstrant: cum in tot insignibus, librorumque Orientalium ditissimis Bibliothecis, similis nullus huc usque visus fuerit; Glossaria amplissima in quibus librorum unde excerpta sunt, tituli referuntur, istorum non meminerint.

Lingua Coptica a Graeca non formata est, aut Graeca ab altera.

Est porro lingua Coptica sive Aegyptiaca, ex earum genere quae matrices vulgo appellantur, nullam enim cum Hebraica, et aliis quae ab ea deductae sunt, aut reliquis habet affinitatem. Singularis omnino est verborum et nominum inflexio; voces nativae, nec ab aliis linguis deductae, si Graecas excipimus, quarum ingens sane migravit in illam numerus. Factum id ex quotidiano cum Alexandrinis, apud quos Graeca lingua vulgaris erat commercio, tum ex lectione Scripturarum ex Graeco interpretatarum, sed in quibus tamen intelligendis saepe Coptitas laborasse argumento certissimo demonstratur.

Lingua Coptica matrix est, nec ab alia deducta, quamvis Graecas multas voces contineat.

Nam inter Glossaria, quae vulgo *Scalas* vocant, habentur nonnulla diversi generis, ab eo quod Kircherus edidit, nec illa viderat. In illis non duplex tantum, ut in isto et vulgatis columna est, quarum una voces Copticas, altera illarum Arabicam interpretationem contineat. Verum columna triplex est, atque in primo laterculo Graecae voces scribuntur: in secundo earum interpretatio Coptica: in tertio Arabica. Inde constat voces omnes quae in libris Ecclesiasticis leguntur, Graecas, ad Grammatices Copticae formam inflexas, non nisi serius in linguam migravisse, cum olim proprias haberet omnes, quae in Officiis sacris aut Scripturae versionibus reperiuntur, illis duntaxat exceptis, quae cum religione Christiana natae et propagatae, in veteri lingua Aegyptiaca locum habere non poterant.

Aegyptiacae linguae veteris voces multae in Coptica supersunt.

Itaque in Coptica lingua reperiuntur aut voces ipsae, quas Graecorum veterum libri nobis servaverunt, aut illarum non dubiae origines. Nonnullas dedit Kircherus, sed ut verum fateamur paucissimas, et plerumque falsas: certiores aliquot Salmasius. De voce celebri in sacra Scriptura, cognomine scilicet quo Josephum Patriarcham Pharao honestavit, multa Kircherus, quasi *ψομτομφανηκ,* quod in Septuaginta Interpretum versione legitur, simplicem haberet in lingua Coptica significationem. Nempe in Glossariis ubi multae quae in sacris literis occurrunt voces referuntur, reperitur etiam ista; sed ut in Graecis libris, unde sumta fuit legitur, totidem syllabis: expositio autem illius ex ea quae olim usurpabatur lingua, qualis in libris habetur, nulla succurrit. Verum servat antiquissimi sermonis Aegyptii reliquias, neque dubitandum quin eadem sit, qua indigenae, qui Graece nesciebant, passim utebantur.

Ad vetera monumenta interpretanda est inutilis.

Ad vetera monumenta, Obeliscorum, Pyramidum, Sphingum, et arcarum sepulcralium explicanda, inutilis plane censenda est, neque magis abnormi Theologiae veterum Aegyptiorum cognoscendae potest conducere. Periculum si dubitat quisque faciat in grandibus Aegyptiaci Oedipi tomis, in quibus quaecumque alicujus precii esse possunt, aliunde petita esse, statim deprehenditur. In hoc genere Coptici libri nulli sunt: in Arabicis quorum numerus infinitus est, fabularum ineptissimarum seges amplissima; at quod Historiae veteri lucem afferat, vix quidquam reperias. Urbs nulla est cujus conditorem non nominent Misraimi filium, aut ex ejus stemmate: vetera aedificia, aut monumenta Josepho Patriarchae, Salomoni aut Alexandro autoribus tribuunt. Characteres quibus Obelisci aut ferales arcae

inscribuntur, adeo Arabibus ignoti fuerunt, ut ne quidem literas esse intellexisse videantur. Alii, quales multi occurrunt in libris recentioribus, et quibus incantatus fuisse videtur Kircherus, ex eorum genere sunt qui in figuris Talismanicis adhibentur, fictitii plerique et recentes, cum antiquissimi omnium sint, qui gemmis aut laminis inscribuntur, et illi ut plurimum non veterum Aegyptiorum, sed Basilidianorum sunt. In his *Ἄβραξας, ἰάω, χνοῦβι,* et alia ejus generis barbara nomina, superstitionem significant Aegyptiaca veteri longe recentiorem. Obeliscos an recte explicaverit Oedipus Aegyptiacus, nescire nos fatemur ingenue, quamvis admodum difficile quisquam in animum inducat, Constantiniani inscriptionem melius ab Kirchero interpretatam fuisse, quam ab Hermapione quodam, cujus versionem Graece historiae suae inseruit Ammianus Marcellinus. Verum si felicius Kirchero successit, magna prorsus ei laus debetur, non Copticae linguae aut Arabicis scriptoribus, in quibus praesidium nancisci nullum potuit, ut sane nullos appellat, praeter Barachiam quemdam Abenefi, Judaeum, ut videtur, superstitiosum et indoctum, cujus apud nullum alicujus nominis autorem occurrit memoria.

L. 17. p. 161. Ed. Vales.

Vossii judicium.

Quod autem Isaac Vossius vir doctissimus, cum ab Orientalibus literis imparatus esset, de Coptica lingua judicium interposuit suum, parum famae suae consuluit. Nam quod ex Liby-Arabum, aut Liby-Aegyptiorum colluvione natam ait illam esse, ab alio scribi non potuit, quam qui Aegyptiacae et Arabicae aeque imperitus esset. In prima enim ne particula quidem, aut ulla vox Arabica potest deprehendi; adeo ut cum in Prodromo Kircherus voces ex aliis linguis quaesivisset, quae Aegyptiacae aliquam affinitatem praeferrent, Arabicas quatuor admodum reperit, quarum nulla Arabica est, sed omnes Graecae ab Arabibus usurpatae. Verborum et nominum inflexio apud Coptitas tantopere a Graeca diversa est, ut Theotisca vel quaevis alia, non magis differant.

Libyes illi nulli fuerunt.

Liby-Aegyptii illi de quibus tam confidenter Vossius loquitur, nulli unquam fuerunt. Quippe statim ab Aegypto subacta, Arabes Muhamedani usque in extremas provincias penetraverunt, neque Aegyptiis indigenis, vel urbecula remansit, quae armis occupata non fuerit: multi ad Muhamedanam impietatem defecerunt, et inter Arabes censeri coeperunt. Soli Christiani linguam cum avita religione servaverunt, magisque in Thebaide remotioribusque urbibus, et in Monasteriis sedes quaesiverunt. Illic non ab istis Liby-Aegyptiis Vossianis,

sed a Muhamedanis Arabibus varie exagitati, incendia, praedationes, caedes, omneque injuriarum genus passi sunt. Ab istis tamen linguam novam Coptitae discere non potuerunt, cum ipsi non minus notam et familiarem haberent Arabicam, qua vulgo utebantur, praeter quam in sacris Officiis: neque Liby-Arabes aut Liby-Aegyptii novam linguam propagare poterant, cum aliam a communi tunc Arabica non haberent.

Arabes Africani novam linguam non induxerunt.

Si per illos Vossius Africanos illos Arabes intellexit, qui saeculo Hegirae 2°. rebellionem adversus Califas nudaverunt, duce Medhedi, et post constitutum in Africa imperium, mutatamque religionem, Aegyptum occupaverunt, novaeque Fatimidarum Dynastiae fundatores fuerunt, Arabes illos fuisse et Arabice locutos, nemo qui Historiae Orientalis mediocriter peritus fuit, ignoravit. Imo Arabes erant, ex penitissima Arabia, qui se Halis progeniem, caedisque ejus ultores professi, Abbassidas pepulerunt, illisque tanquam haereticis et tyrannis anathema denunciarunt. In eadem haeresi Fatimidarum fuisse incolas urbis Keft sive Copti, testantur Abulfeda et alii Geographi. Nulla porro erat inter Muhamedanos ex Libya, sive Africa interiori, et Aegyptios linguae differentia. Quod vero existimavit Vossius, mutationem linguae factam esse circa Yubidarum initia, graviori absurditate laborat. Viguisse enim inter Christianos Aegyptios linguam Copticam quingentis aut sexcentis annis antea, cum primum Arabes in Aegyptum irruperunt, ex historia, libris Ecclesiasticis, omnibusque monumentis certissime demonstratur; sed neque alia lingua locutum Antonium, sanctosque plures alios Anachoretas, qui Graece nesciebant, aeque certum est; et ejus Epistolas ea lingua scriptas extare in Monasteriis Thebaidos, testis est Abulbircat.

Epocha Vossiana stare nequit.

Quam vero introductioni Copticae linguae Epocham Vossius constituit, ea potius censenda est Epocha illius jam obsoletae et prope deperditae. Quippe ab annis prope sexcentis Alexandriae, Kahirae quae sedes erat regni, et in tota inferiori Aegypto, usus illius vulgaris nullus erat, unde factum, ut inter doctos solos, et in libris conservata fuerit. Non illos dicimus de futili Aegyptiorum Theologia, aut Deorum suorum fabulis, apotelesmatibus, aliisque superstitiosae vanitatis commentariis, quorum ne leve quidem indicium occurrit: sed Scripturae sacrae utriusque Testamenti versiones, Liturgias et Officia Sacramentorum omnium: tandem formulas actorum solennium, praeter quae nihil Coptice scriptum reperitur. Nemo autem

existimabit sacros illos Codices ea lingua scriptos fuisse, quae barbarorum infidelium fuisset, noviterque introducta: quae etiam tam parum culta fuerit, ut eo ipso tempore, quo illam ab Aegyptiis Christianis receptam Vossius statuit, interpretibus opus esset ad eam intelligendam. Interpretatio autem non alia lingua facta est quam Arabica: at ea communis erat tam Arabibus, aut Arabice loquentibus qui in Aegypto erant, quam aliis ex Thebaide, quos Liby-Aegyptios Vossio appellari placuit.

Lingua Coptica fictitia non est.

Iisdem rationibus confutatur tertia opinio viri doctissimi conjecturis nixa, quae Linguam Copticam fictitiam esse constituit, atque ab impostoribus, ad fallendam credulam posteritatem, ante paucos annos introductam. Nullum sane post renatas literas paradoxum incredibilius fuit, cum similis fraudis exemplum reperiri nullum possit. Et cui bono tandem tantus, tamque ingratus labor, a quoquam susciperetur? Literulam unam satis commodam Claudius Imperator Alphabeto Romano inseruit; quid tandem? In paucis inscriptionibus haesit, dum ille viveret, statimque evanuit: et existimabitur obscuros homines, multa vocabulorum millia, regulas Grammaticas intricatissimas, per otium formasse, ut posteris illuderent; eo successu, ut nemo huc usque fraudis illius vel levissimam suspicionem habuerit. Quid deinde: sacrae Scripturae, Liturgia, Sacramentales preces, acta publica electionis Patriarcharum Alexandrinorum, eadem fictitia lingua scripta fuisse necesse est, et exiguo temporis intervallo, quod multis annis praestari vix potuisset, Episcopos, Christianam plebem, quacumque patet Ecclesia Jacobitica Alexandrina, supponendum est simul, aut fraudem non intellexisse, quod prorsus impossibile est, aut de ea parum sollicitos, omissis libris quorum in Ecclesia quotidianus usus erat, alios suscepisse novos ab impostoribus, et secundum illos sacra Officia ipsamque Eucharistiam manifesto sacrilegio celebrasse. Miraculo quoque seu potius monstro proximum, quod adversus imposturam nemo reclamaverit: omnibus tandem probata sit nova et hactenus inaudita lingua, et statim ubique oblivioni ita tradita, ut ad ejus intelligentiam Glossaria magno labore componenda fuerint.

Aliae linguae deperditae similibus argumentis fictitiae esse probari possunt.

Paribus argumentis, et quae firmitatis plus haberent, poterit quisque contendere veterem linguam Persicam, Hetruscam, Punicam, Palmyrenam, ut quasdam alias, ludos fuisse hominum otio suo abutentium. Illis enim linguis, praeter inscriptiones et numismata aliquot, nihil scriptum ad nos pervenit. In antiquae Persepoleos ruinis saxa

inscripta literis incognitis occurrunt: Hetruscas inscriptiones multas conservant sepulcra nobilissima in agro Perusino prope sanctum Sosthenem, ut insignes tabulae Eugubinae, statuaeque aeneae, elegans una in primis, in Cimeliarchio Magni Ducis Etruriae: Punica numismata multa norunt Antiquarii: Palmyrenas inscriptiones literis ignotis exaratas publicaverunt Britanni; illas tamen, licet adjunctas Graecas alias habeant, quas ejusdem significationis esse verisimiliter credi potest, nullus explicavit. Pertendat aliquis ficta esse haec omnia, facilius probaturus illud suum paradoxum erit, quam istud probari de linguae Copticae novitate potest. Nullos enim illis linguis libros habemus; ista permultos, quorum autoritas cum sacrorum jure, maximisque religionibus conjuncta est.

Autoris verba.

Sed autoris verba ipsa apponemus, ne quid illius sententiae affictum videatur. *Considerandum etiam amplius, an Coptica ipsa lingua quae nec in usu uspiam terrarum est, ab annis saltem ut in confesso est, amplius quingentis, nec in libris quidem existit nisi recentioribus, et admodum dubiae vetustatis, ac foede corruptis, quales sunt interpretationes veteris novique Testamenti in linguas peregrinas, et habet praeterea voces plerasque omnes ex Graeco Hebraeoque deductas: deliberandam, inquam, an ficta in otio censenda sit. Nam Aegyptiacae veteris linguae saltem pauca quaedam, eaque certissima manent vestigia in Hebraicis veteris Testamenti libris, in quibus et Josephi Patriarchae cognomen, et Regum subinde nomina, et nomina denique mensium in libro 2. Regum, Aegyptiaca sunt.*

Aegyptiaca sive Coptica cum in usu olim fuerit, fictitia esse non potest.

Si fictae in otio censendae sunt linguae, quae nusquam terrarum in usu sunt, periclitabitur Latina lingua, quae a multis saeculis in solis libris, et in celebratione sacrorum conservatur: periclitabitur Hebraica, quae a Captivitate usque Babylonica vulgaris esse desiit, nec extra preces et sacra Judaeorum officia, usum ullum habet: ita quoque Syriaca, Aethiopica, Armenica quibus libri Ecclesiastici scripti sunt, cum dudum ab usu vulgari remotae sint, in eamdem classem redigentur. Copticam tamen in usu fuisse inter Aegyptios, negare nemo potest; cum vocabula prope omnia Aegyptiaca, quorum in libris memoria est, in eadem reperiantur. Dentur saltem aliqua de quibus, quin Aegyptiaca sint, dubitari non possit, in alia lingua non reperientur: neque diversae alterius originis indicium aliquod producere quisquam potest. Voces dico vere Ae-

gyptiacas, non a Graecis ad suae linguae genium per adjunctas terminationes, τοῦ ις inflexas, quas tamen, ut radicales, autor accipi voluit, dum in etymologia aliquot nominum Regum Aegypti veterum lusit satis infeliciter. Nam cum omnia ferme in ρις desinant, ρη autem solem significet, quem summum Deum sub variis titulis Aegyptii colebant, perspicua illorum origo est: ille vero ις vult esse Hebraicum איש, quod tamen litera finitur, quae Graecis inusitata semper fuit.

Verum Copticam qualiscumque sit, linguam ante quingentos annos in usu inter Christianos Aegyptios fuisse, probant multi historiae Alexandrinae loci. Severus qui primus illi scribendae operam dedit, testatur adjutum se a quodam Diacono Abuhabib, ad translationem vitae quorumdam Patriarcharum: at vivebat ille saeculo X. Vaza filius Reja, de quo alibi, per miraculum ad Christianam fidem conversus, in ea institui coepit a Sacerdote Ecclesiae sancti Mercurii, qui Scripturas illi ex Coptico Arabice interpretabatur. Ante quingentos et amplius annos Yuçab Patriarcha coram Muhamedano Praefecto Coptice loquens ad Episcopos, proditus est a quodam infideli, linguae illius perito. Marcus filius Elkonbari infinitam hominum multitudinem ad se traxit duodecimo saeculo, quia Scripturas ex Copticis libris exponebat. Acta et instrumenta talis aetatis, et vetustiora etiam reperiuntur scripta Coptice, praeter Liturgias, et Officia Sacramentalia varia, quorum omnium antiquitas Epocham a viro doctissimo constitutam aliquot annorum centuriis antevertit. Sed quod negavit, Copticam linguam usquam terrarum in usu fuisse, perspicue refellitur autoritate Makrizii insignis Geographi, qui de Osiouta loquens, vigere suo tempore illic usum linguae Copticae purioris, quam *Sahidicam* vocant, testatur, et idem ab aliis non nugacibus scriptoribus memoriae proditum est. Tandem ne plura testimonia referantur, quod in alio loco a nobis praestabitur, discimus ex Opusculo Grammatico Athanasii Episcopi Kus in Thebaide, olim Scripturas in Ecclesia Graece lectas fuisse, et postea Coptice a Sacerdotibus populo interpretatas: at cum Graecae linguae vulgaris usus penitus intercidisset, illas lectas fuisse Coptice: interpretationem plebi lingua Arabica factam. Haec et similia quae certis autorum testimoniis confirmantur, si Vossio, et aliis qui ejus conjecturas secuti sunt, ignota fuere, non tamen minus vera sunt. Nam cum linguam Copticam annis quingentis vetustiorem esse negavere, nesciebant libros in

Coptica qualis nunc est in Aegypto viguit.

Bibliothecis extare, nec unos, qui Epocham illam suam multis annis anteverterent. Talis est Codex insignis Quatuor Evangeliorum Coptice scriptus, manu Michaelis Metropolitae Damiatensis, oblatus Marco filio Zaraae qui ordinatus est Alexandriae Patriarcha anno Martyrum DCCCLXXX. J. C. MCLXXIV. Itaque cum duo viri clarissimi conjecturas suas publicabant, sexaginta annis circiter antiquior codex extabat, illa quam constituerant Epocha. Nemo autem existimabit Evangelia tanto labore scripta fuisse ea lingua, quae non esset Ecclesiae cui destinabatur propria, vulgoque in synaxibus usurpata.

Certus est linguae Copticae usus ante Epocham Vossianam.

Ita nihil minus *in confesso est*, quam *non fuisse usquam terrarum ab annis quingentis in usu Copticam linguam*, cum diu postea vigeret in Osiutensi tractu, usurpata a Christianis in communi sermone: et usus continuus Ecclesiarum in Psalmodia, Liturgia, et celebrandis Sacramentis, satis eam a suppositione vindicaret. At non existit *nisi in libris recentioribus ac foede corruptis*, *quales sunt interpretationes veteris novique Testamenti.* Libros quorum exemplaria annis quingentis et quinquaginta vetustiora supersint, recentiores esse, nemo dixerit: et majorem versionum quae illis continentur antiquitatem fuisse, non potest dubitari. At mirum prorsus, censores duos illos qui ne syllabam quidem linguae Copticae noverant, eas foede corruptas tam confidenter affirmare. Codices veteres cujuscumque linguae, Graeci etiam et Latini, primae vetustatis, et antiquitatis, pauci sunt, in quibus peccata librariorum plurima observare non liceat: neque illis caret insignis ille Codex Vaticanus, ex quo Septuaginta interpretum Romana editio procurata est, non minus quam Alexandrinus, nuper in Britannia edi coeptus. Nihil mirum igitur si in Copticis aliisve Codicibus, lingua peregrina scriptis, naevi quidam sint. At si quis eosdem cum Graecis aut Hebraicis comparet diligenter, agnoscet plurimas magni momenti varias lectiones, quae vulgatam etiam lectionem confirment, contra Masoretarum editionem in Hebraicis, et recentiores Graecos libros, permultis in locis.

Nihil ex versionum defectu adversus linguam Copticam concluditur.

Verum quid inde tandem adversus linguae ipsius, ut ita loquamur, existentiam concludi possit, non facile perspicitur. Sint foede corruptae versiones, quantumcumque Criticis illis placitum fuerit: dubiae fidei non sunt; cum ante septingentos annos, ex libris qui supersunt, lectas illas publice in Ecclesiis esse constet, ex autorum indigenarum testimoniis. Factum id esse lingua per otium flagitiose

conficta, qui existimabit, is de Plautina Paenulo, aut Aristophanis Scytha barbaro potius videbitur, quam de disciplina Ecclesiastica cogitasse. Neque enim tot malis conflictata Ecclesia Alexandrina, ex quo gemit sub Muhamedanorum tyrannide, eo usque impietatis aut inscitiae dejecta est, ut ludos de sacra Scriptura, aut precibus Sacramentalibus faceret, aut fieri pateretur: quod fecisset tamen, si linguam fictitiam, et ab impiis nebulonibus per otium, (quod sane diuturnum et negociosum esse debuit) confictam, in sacra Officia accepisset: aut barbaram Liby-Aegyptiorum quorumdam linguam.

Quanta absurda sequantur ex illis opinionibus.

Non satis perpenderunt eruditi viri, quanta incommoda ex eorum opinione nascerentur, quanta absurda et *ἀσύστατα*. Lingua enim illa, quam alter per otium confictam: alter ex barbari sermonis colluvione natam existimat, aut nota erat Aegyptiis Christianis, aut incognita. Si nota, antiquior prorsus fuit, quam existimare nos jubent. Si incognita et nova, qua ratione in tot libros sacros irrepserit, explicare nemo potest, cum simile exemplum in historia nullum extet. Quomodo doceri eam linguam poterant Aegyptii ante annos circiter quingentos, adeo ut brevi temporis intervallo Scripturae sacrae libros omnes, et Officia sacra in eam verterent, quod a mediocriter peritis praestari impossibile fuit? At contra prorsus a quingentis et pluribus annis Coptica lingua non nisi studio discitur, adeo ut tunc Glossariis, subsidiisque aliis Grammaticis Sacerdotes ipsi opus habuerint, ad intelligenda quae eadem lingua scripta erant.

Liby-Aegyptii Vossiani nulli tunc erant.

Vossii vero conjectura ineptissima est, quando quidem Liby-Aegyptii et Liby-Arabes illi sui, qui jam nulli erant, cum Arabes totam Aegyptum, Africamque conterminam suis coloniis ita occupassent, ut indigenae ipsi linguam illorum didicissent; non aliter quam Arabice loquebantur. At illa lingua jam ab initio Muhamedani in Aegypto Imperii, vulgaris erat toto regno, nec eam a Barbaris discere opus erat. Ratio quam Vossius palmarem arbitratur, quod scilicet *Copticae linguae nomen non extiterit antequam Arabes potirentur Aegypto. Ipsa quin etiam satis id testatur lingua quae tota ex Graeco et Arabico conflata est sermone*, quam inanis sit facile demonstratur.

Vossii ratio refellitur.

Non extitit ante Arabes Coptitarum nomen, quia illud mere Arabicum est ex Graeco corruptum, detrita Graeca terminatione ex *Γύπτιος*, ut ex *Ῥωμαῖος* fecerunt *Roum*, ex *Ἰουδαῖος* *Jehud*, ex Francus *Frang*, ex Persa *Fars*, et multa similia: sed extabat lingua

ipsa, non minus quam Aegyptus, ut supra satis probatum est. Nulla porro lingua minus Arabicarum vocum habet, neque ullas propemodum: praeter quam quod verborum et nominum inflexiones ab Arabismo immane quantum differant. Id facile agnoscet quisquis prima utriusque linguae elementa noverit. Si quis Hispanicam vulgarem linguam ex Arabica conflatam esse diceret, ridiculus foret, quamvis plurimae voces Arabicae ex Maurorum dominatione, aut vicinitate, in illam migraverint, forte non minori numero quam in Coptica Graecae reperiantur. Facile quippe animadverteretur nominum verborumque inflexionem Hispanicam cum Arabica nihil habere commune. Ita quoque de Graecis vocibus, quae in Copticam infusae sunt, statuendum est. Nam cum praeter Scripturae sacrae libros, et Ecclesiasticorum Officiorum nulli supersint, essetque praesertim in Aegypto inferiori, ut in Syria et toto Imperio Macedonico vulgaris Graecae linguae usus, plebs ferme ubique bilinguis esset: voces usitatas et notas omnibus primi librorum sacrorum interpretes ut plurimum retinuerunt. At quod Vossius et alii ignoraverunt, non carebat lingua Coptica vocibus *ἰσοδυνάμοις*, idemque ac Graecae significantibus, quod ex optimo et antiquo in primis Glossario demonstratur, in quo Graecae voces illis in libris usurpatae per Aegyptiacas explicantur. Id multis exemplis confirmare facile foret, nisi typis illius linguae careremus. Verum vulgare hoc vitium multis nostrae aetatis eruditis fuit, ut cum Codices Copticos inspicerent, incurrerentque statim in oculos eorum figurae Graeci Alphabeti, vocesque Graecae aliquot, statim judicium Vossiano simile pronunciarent.

Nullum ex literarum similitudine argumentum adversus linguae antiquitatem duci potest.
Georg. Hiekes. Literat. Septentrion.

Praeterea si ex elementorum figura aliquod conjecturis suis praesidium comparari existimant, Septentrionalium linguarum exemplo facile refelluntur. Saxonica vetus illis literis scribitur quas ex Latinis formatas agnoscere facile est. Gothica aliis qui ex Graecis plerumque figuris formati sunt. Fictitios quoque Saxonicos illos characteres judicavit, non minus quam Copticos, unus ex illis Criticis; ut vero a Viro hac in literatura doctissimo circa Saxonicas confutatus est, ita non rectius de Copticis judicasse quae huc usque diximus, palam faciunt. At characteres habet Coptica lingua, qui Graecis prorsus inusitati fuerunt, nonnullos, quos ab Arabibus accipere non potuere, cum antequam isti Aegyptum subegissent illos usurparent: ut suos singulares, Gothi, Saxones, et alii Septentrionales populi Graecis et Latinis adjecerunt, quorum origo non aliunde, quam ab ipsis indigenis petenda est.

Neque ex Graeca et Arabica, aut Hebraica conflata lingua Coptica.

Vossius quidem ex Arabicae et Graecae linguae mistura Copticam linguam conflatam esse voluit: alter ex Hebraica, non magis vere. Neque enim voces alias Hebraicas habent in sua lingua Coptitae, quam eas quibus Christianorum libri omnes referti sunt, ex utro-

que Testamento. Sed ea conjectura opus iste sibi esse sentiebat ut impiam fabulam explicaret hominum perditissimorum qui ut religionem Christianam quandoque everterent, genealogiarum veterum Regum Aegypti figmenta obtruserunt, quae quomodo ad religionis eversionem spectent, perspicere non est facile. *Amenophis*, *Memphres*, et alii quorum nomina ex lingua Hebraica interpretari conatur, quomodo ad rem Christianam pertineant intelligi nequit. At etymologia illorum nominum neque cum Hebraica lingua, neque cum Aegyptiaca constare potest, ut satis intelligunt illarum periti. Deinde quid haec ad linguam Copticam, cum in libris de quibus agitur, veterum illorum Regum ne nomen quidem occurrat, quando quidem, ut superius dictum est, antiquitatum Aegypti nulla, neque saltem qualis apud Eratosthenem, et Africanum mentio fit.

Chron. vet. Test. p. 28.

P. 28.

De Regum et aliis nominibus.

Quod addit in *Regum Aegyptiorum Dynastiis nulla prorsus Aegyptiaca nomina reperias, omnia sunt ex Hebraeis, pauca ex Graecis petita fontibus*, sustineri non potest. Licet nonnulla istorum nominum, haud facile explicari ex lingua Coptica possint, fortasse quod a Graecis corrupta fuere, ut in omnibus fere nominibus Orientalibus accidisse deprehenditur, sufficit tamen, ut nonnulla ex eadem lingua ad significationem a Graecis designatam revocari queant, ad subruendam tot conjecturarum substructionem. At non pauca vetera illa nomina in Coptica lingua, secundum significationem a Graecis designatam perfecte explicantur. *Μάρης* unus antiquissimorum illorum regum ab Eratosthene nominatur, cujus nomen juxta eumdem significat *Ἡλιόδωρος*. *Donum solis μα donum ρη sol*, in lingua Coptica significant: idemque videtur significare alterius nomen *Μοσχέρης*, quod interpretantur *Ἡλιόδοτος*, quia in isto altero expresserunt Graeci per *χ*, literam aspiratam Aegyptiacam quae ח Hebraeorum respondet, et istam saepissime Graeci sacrae Scripturae Interpretes per *χ* expresserunt. *Χρύσης Χρύσου υἱός*: efferunt Eratosthenes et alii, quod Aegyptiace dicebatur *Χνοὺβ Χνούρου υἱός*. *Χνοὺβ aurum* adhuc Coptice significat. Si reliqua nomina accurate scripta haberentur, plerumque originem ex eodem idiomate demonstrare, non impossibile foret. At originationem Amenophis ex Hebraicis fontibus deducere non aeque facile est. *Conflata est*, iquit Autor Chronologiae sacrae, *ex his vocibus ac literis* עם, cum חנף impius, איש homo. Primae vocis litera prior ע, adeo abhorret a Graecorum auribus et gutture, ut eam prope semper extulerint per *γ*. ita primam secundae vocis per *χ*: tertiam vero איש sciunt omnes huic loco non convenire, cum *Σ* Graeci barbaris nominibus addiderint, pronunciationis facilioris causa, in Aegyptiacis non minus quam in Persicis vocibus: adeo ut masculina illa terminatio non magis radicalis sit, quam *ιδος* aut *ου* in Genitivo, aut aliae in aliis casibus. Itaque *Gamchenophis* scribi debuisset.

Etymologia quorumdam nominum ex lingua Coptica.

Debemus tamen cogitare, non in solis paucorum Regum nominibus ex Graeca scriptura ad posteros deductis, cujus summa secundum diversos autores varietas est, delitescere veteris Aegyptiacae linguae reliquias, sed in multis aliis, quorum insigne prae caeteris est Moysis nomen. Ita illum Pharaonis filia appellavit ut Scriptura testatur, *quia de aqua tuli eum.* Hebraica verba magis accedunt ad nomen Hebraicum Mose משה: At Aegyptiis veteribus, et Coptitis, *μωοου aqua*, *σι accipere*, *capere.* Pharaonis nomen commune omnibus Regibus fuit, quia *πουρο Regem* significat. Reliquae voces in Scriptura sacra extant paucissimae, nec eas perfecte ab Hebraeis suo charactere repraesentatas fuisse verisimile omnino est, non magis quam Persicas. At in aliis Scriptoribus multae occurrunt veteres Aegyptiacae, quae cum in Coptica lingua eamdem, quam Graeci notant, significationem habeant, utramque linguam eamdem esse, hinc certo argumento demonstratur. Apud Herodotum *πίρωμι homo.* Osiris est *ουσίρι filius.* *Σβῶ scientia.* *Χὲν planta:* inde *χενόσιρις planta Osiridis.* *Ἀμέντης Infernus.* *Χώμαιφθα, κόσμος φιλήφαιστος*, et alia non pauca, quae notavit vir doctissimus Claudius Salmasius, qui rectius de lingua Coptica, quam alii judicaverunt.

Conclusio.

Ex illis igitur quae huc usque dicta sunt constare arbitramur, Copticam linguam, ex qua Liturgiae, quarum versionem novam damus, interpretatae sunt, neque veterem Pharaonicam linguam esse, neque ex Aegyptiorum, Arabumque Libycorum sermonis colluvione natam, multo minus fictitiam esse, sed Aegyptiacam origine, quae multas praesertim usus Ecclesiastici voces recepit, colorem tamen nativum suum ita servavit, ut quantum ad nominum verborumque inflexiones, cum linguis aliis omnibus commune nihil habeat. Usum etiam ejusdem linguae apud Christianos Aegyptios viguisse passim, saltem a Muhamedanorum expeditione Aegyptiaca, praesertim inter Jacobitas, qui eadem lingua Liturgias suas tres, Officia Sacramentorum omnium, Psalmodiam ab annis mille et amplius celebrant, illamque ut sacram, etsi dudum populo ignotam, in sacris conservant, ut in actis et instrumentis Ecclesiasticis solennibus. Itaque eadem ratione apud Coptitas se habet, atque Syra, Armenica et Aethiopica, inter Syros, Armenos et Aethiopes, qui vulgari lingua utuntur in sermone familiari, ab ea longe diversa, quae in sacris Officiis solet usurpari. Illam igitur ut linguam sacram Aegyptiorum Christianorum censeri oportet, neque conjecturas virorum eruditorum contrarias tantum valituras existimamus, ut nova vel fictitia deinceps existimetur.

LITURGIAE
COPTITARUM
EX COPTICO CONVERSAE.

LITURGIA SANCTI BASILII.

ORATIO PRAEPARATIONIS.

Domine qui nosti corda omnium, sancte et in sanctis requiescens, solus sine peccato, et potens ad remissionem peccatorum concedendam. Tu Domine scis indignitatem meam, meque minus praeparatum, nec sufficienter dispositum, ut accedam ad ministerium hoc tuum sanctum. Sed nec tanta mihi confidentia est, ut accedam, et aperiam os meum coram gloria tua sancta: sed secundum multitudinem clementiae tuae, ignosce mihi peccatori, et concede mihi ut inveniam gratiam et misericordiam in hac hora; et mitte mihi virtutem ex alto, ut incipiam et praeparer, perficiamque, sicut tibi placitum est, ministerium tuum sanctum, secundum beneplacitum voluntatis tuae, cum odoribus thuris. Ita, Domine, esto nobiscum, esto socius operis nostri; benedic nobis, tu es enim remissio peccatorum nostrorum, lux animarum nostrarum, vita, fortitudo, et fiducia nostra; tu es ipse cui sursum mittimus laudem, gloriam, et adorationem, Pater, Fili et Spiritus sancte, nunc et semper et usque in saecula saeculorum omnium. Amen.

Oratio postquam praeparatum fuerit altare.

Sacerdos. Tu Domine docuisti nos magnum hoc mysterium salutis: tu vocasti nos abjectos et indignos servos tuos, ut essemus ministri altaris tui sancti. Tu Domine, effice nos dignos per virtutem Spiritus tui Sancti, ut hoc ministerium perficiamus, ita ut non incidamus in judicium coram gloria tua magna, et offeramus tibi

sacrificium hoc benedictionis, gloriamque et magnificentiam per illud, in sancto tuo. Deus gratiae largitor, et salutis mandator, qui omnia in omnibus operaris, da nobis ut sacrificium nostrum coram te acceptum sit, pro peccatis meis, et pro insipientiis plebis tuae, quia purum est, sicut donum Spiritus tui sancti, in Christo Jesu Domino nostro, per quem te decet gloria et honor, cum ipso, et Spiritu sancto vivificante, tibique consubstantiali, nunc et semper et in omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio Gratiarum actionis.

Sacerdos. Gratias agamus bonorum autori misericordi, Deo Patri Domini, Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quia ipse protexit nos, adjuvit et servavit nos, suscepitque nos ad se, misertus est nostri, perduxitque nos ad hanc horam. Ipsum nunc precemur, ut custodiat nos hoc sancto die et omnibus diebus vitae nostrae, in omni pace, omnipotens Dominus Deus noster.

προσεύξασθε.

Diaconus. Ad Orationem state.

[illegible] this prayer the [illegible] S. Mark (Greek) [illegible] Latin — but this [illegible] having the 'Consubstantial' [illegible] to the [illegible] H. S.

Sacerdos. Domine Deus omnipotens, Pater Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, gratias agimus tibi de omnibus, et propter omnia, et in omnibus, quia protexisti nos, adjuvisti nos, conservasti nos, suscepisti nos ad te, et misertus es nostri, auxilium dedisti nobis, et ad hanc horam nos perduxisti.

Diaconus. Orate ut Deus misereatur nostri.

Sacerdos. Ea propter petimus et obsecramus bonitatem tuam, o amator hominum, ut concedas nobis hunc diem sanctum, et omnes dies vitae nostrae in pace cum timore tuo transigere. Omnem invidiam, omnem tentationem, omnem operationem Satanae, et consilium hominum improborum, impetumque hostium tam occultorum quam manifestorum, depelle a nobis, ab omni populo tuo et ab hoc loco sancto: quae autem bona, quae placita sunt, nobis jube. Tu enim ipse es, qui dedisti nobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, omnemque virtutem inimici. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, per gratiam et misericordiam, amoremque erga homines Filii tui unigeniti, Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem tibi debetur honor, gloria et imperium, cum ipso, et Spiritu sancto vivificante, tibique consubstantiali, nunc et semper, et in omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio Oblationis sive Propositionis panis et Calicis.

Domine Jesu Christi, Fili unigenite, Verbum Dei Patris, eique consubstantiale, et coaeternum et Spiritui sancto; tu es panis vivus, qui descendisti de coelo, et praevenisti nos, impendistique animam tuam perfectam et absque vitio, pro vita mundi: rogamus obsecramusque bonitatem tuam, o amator hominum, ostende faciem tuam super hunc panem, et super hunc calicem, quos super mensam hanc tuam Sacerdotalem posuimus: benedic eos †, sanctifica eos †, et consecra eos †: transfer eos, ita ut panis quidem hic fiat corpus tuum sanctum, et hoc mistum in hoc calice, sanguis tuus pretiosus, ut sint nobis omnibus praesidium, medicina, salus animarum, corporum, spirituumque; quia tu es Deus noster, tibique debetur laus et potestas, cum Patre tuo bono, et Spiritu vivificante, tibique consubstantiali, nunc et semper, et in omnia saecula saeculorum. Amen.

Al. cod. Qui antiquitus factus es agnus absque macula, pro vita mundi.

Interea panem et calicem manu designat Sacerdos.

Ter signat cruce.

Tunc operiet Sacerdos discum et calicem, utrumque integumento suo, et omnia majori velo teget; tum osculabitur altare, conversusque ad ipsius latus Australe, adorabit Deum et osculabitur altare. Tum circuitu peracto, descendet coram altari, pronuntiabitque Absolutionem super ministros sedentes coram eo: Quod si adsit ipsi Sacerdos socius, ipse pronuntiabit Absolutionem.

Oratio Absolutionis ad Filium.

Domine Jesu Christe Fili unigenite, et Verbum Dei Patris, qui dirupisti omnia vincula peccatorum nostrorum passione tua salutari et vivifica, qui inspiravisti in faciem discipulorum tuorum, Apostolorumque sanctorum, dicens eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt; tu etiamnum Domine per Apostolos tuos sanctos, eos elegisti qui Sacerdotio semper in Ecclesia tua sancta fungerentur, ut relaxarent peccata super terram, ligarentque et solverent omnia iniquitatis vincula. Rogamus obsecramusque bonitatem tuam, o amator hominum, pro servis tuis patribus meis, fratribus meis, et infirmitate mea, qui capita sua coram gloria tua sancta inclinant; praesta nobis misericordiam tuam, et solve omnia vincula peccatorum nostrorum. Quod si adversum te peccaverimus prudenter vel imprudenter, vel cordis duritia, opere aut verbo, aut pusillanimitate, tu Domine qui

nosti humanam imbecillitatem, tanquam bonus et hominum amator, Deus, concede nobis remissionem peccatorum nostrorum: benedic nos et purifica nos, absolveque nos et omnem populum tuum: imple nos timore tuo, et dirige nos ad voluntatem tuam sanctam et bonam, quia tu es Deus noster, et tibi debetur gloria, honor et potestas, cum Patre tuo bono, et Spiritu tuo sancto, nunc, etc. Servi tui hodie in ministerio constituti, Sacerdos, Diaconus et Clerus, omnis populus et infirmitas mea, absoluti sint ex ore sanctae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus sancti, et ex ore unicae, solius, sanctae, Catholicae et Apostolicae Ecclesiae: ex ore duodecim Apostolorum, et ex ore contemplativi Evangelistae Marci Apostoli et Martyris, ut etiam Patriarchae sancti Severi, et Doctoris nostri sancti Dioscori, sancti Joannis Chrysostomi, sancti Cyrilli, sancti Basilii, et sancti Gregorii, necnon ex ore Trecentorum decem et octo Nicaeae congregatorum, et centum quinquaginta qui Constantinopoli, centum qui Ephesi: ut etiam ex ore venerandi Patris nostri Archiepiscopi Anba N. ejusque in ministerio Apostolico consortis, venerandique Patris Episcopi Anba N. et ex ore humilitatis meae, qui peccator sum, quia benedictum et gloria plenum est nomen sanctum tuum, Pater, Fili, et Spiritus sancte, nunc et semper, etc.

ORATIO THURIS.

Osculabitur Sacerdos caput Sacerdotis ministrantis, quod si fuerit cum eo socius, osculabitur gradus altaris, ascendensque osculabitur altare et accipiet naviculam thuris, et adolebit incensum. Ordinem qui de incenso vespertino scriptus est observabunt, quinquies adolendo et his peractis dicet Sacerdos orationem sequentem.

Deus aeternus absque principio et fine, magnus in praeceptis tuis et potens in operibus tuis: qui es ubicumque, et in omnibus: esto nobiscum peccatoribus, Domine, in hac hora: consiste in medio omnium nostrum, purifica corda nostra, et sanctifica animas nostras: munda nos ab omnibus peccatis quae commisimus, voluntarie aut involuntarie. Concede nobis, ut offeramus coram te sacrificia rationabilia, sacrificia benedictionis, et incensum spirituale. Ingrediatur intra velum, in locum Sancti Sanctorum. Rogamus te, Deus noster. Memento Domine pacis unius tuae, et unicae sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae. Memento Domine Beati Patris nostri et ve-

nerandi Archiepiscopi Papae Anba N. et Patris nostri Episcopi Anba N. Memento Domine congregationum nostrarum et eis benedic: fac ut sint absque impedimento, et perturbatione, ut celebremus eas juxta sanctam et beatam voluntatem tuam, domos orationis, domos mundationis, domos sanctitatis, domos benedictionis. Concede ut illas possideamus, Domine, nos, et servi tui, qui nobis usque in aeternum successuri sunt. Exurge, Domine Deus, et dissipentur inimici tui, et fugiant a facie tua, omnes qui oderunt nomen tuum sanctum. Et populus tuus fruetur benedictionibus millies millenis et decies millies millenis, perficientque voluntatem tuam, per gratiam, clementiam, amoremque erga homines Filii tui unigeniti Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem, etc.

Circuibit altare cum incenso semel, osculabitur illud, descendetque laevo pede: versus orientem stabit e regione altaris, adolebitque thus ter, eadem dicens, quae prius: tum Patriarcham, si adsit, incensabit seorsim ab aliis: quod si abfuerit, dabit incensum Sacerdotibus, non aliis. Deinde prostrationem faciet: cumque lecta fuerit Epistola Pauli Coptice, dicet orationem sequentem secreto. Si fuerit cum eo Sacerdos socius, is eam recitabit. Diaconus leget Epistolam Coptice, et deinde Arabice, ut etiam Catholicon, sive lectionem ex Epistolis Catholicis. Hic adoletur incensum ter circum altare a Sacerdote celebrante.

Oratio post Apostoli seu Paulinae Epistolae lectionem.

Sacerdos. Domine scientiae et sapientiae largitor, qui ea revelas quae profundis tenebris abscondita sunt; qui potestate magna rationem hominibus indidisti; qui bonitate tua vocasti Paulum, cum fuisset aliquando persecutor, ut esset vas electum, et in eo complacuisti, ut fieret Apostolus, annunciator et praedicator Evangelii regni tui, Jesu Christe Deus noster. Te nunc etiam bone, et hominum amator deprecamur, ut des nobis et omni populo tuo mentem ab omni distractione liberam, intellectumque purum, ut discamus et intelligamus, quanta sit utilitas doctrinae tuae sanctae, quae ad nos illius ministerio pervenit. Et quemadmodum similis tibi fuit, o autor vitae, ita nos pariter dignos effice, ut in opere et fide similes illi simus, glorificemusque nomen tuum sanctum, gloriemurque in cruce tua omni

tempore. Tuque es cui honorem, gloriam, potentiam et adorationem referimus, cum Patre tuo bono et Spiritu sancto, nunc et semper, etc.

Tum unus Diaconorum leget Catholicon Coptice et Arabice, et postquam lectum fuerit Coptice, dicet Sacerdos celebrans hanc orationem: quod si Patriarcha ipse sacra faciat, dicet eam Sacerdos.

Oratio post Catholicon.

Sacerdos. Domine Deus qui per sanctos Apostolos tuos manifestasti nobis mysterium Evangelii gloriae Christi tui, et dedisti illis secundum magnitudinem doni infiniti gratiae tuae, praedicare toti mundo abundantiam investigabilis misericordiae tuae; rogamus te, Domine, fac nos dignos parte et sorte illorum. Concede nobis semper ut ambulemus in eorum vestigiis, ut agones eorum imitemur, et communicemus cum eis, laboribus et sudoribus, quos pro pietate sustinueruut. Conserva Ecclesiam tuam sanctam, quam per eos fundasti, benedic agnis gregis tui, et multiplica hanc vineam quam plantavit dextera tua, in Christo Jesu Domino nostro: per quem, etc.

Finita lectione Catholici Arabice, ascendet Sacerdos ad altare et adolebit incensum semel, tum recitabitur Oratio sequens.

Oratio Actuum Apostolorum.

Sacerdos. Deus qui suscepisti sacrificium Abrahami, et pro Isaaco arietem ei praeparasti, ita suscipe a nobis, Domine, hujus thuris sacrificium, et pro eo mitte nobis divitem misericordiam tuam. Munda nos ab omni foedore peccati, et praesta nos dignos esse, ut coram bonitate tua o hominum amator, pure et perfecte ministremus omnibus diebus vitae nostrae: Memento Domine pacis, etc.

Perficit illam ex Oratione Thuris Pauli, nulla re detracta vel addita: qua expleta chorum solus cum incenso circuibit. Finita Lectione Actorum Coptice et Arabice dicent ter, Sanctus: *quo finito, Sacerdos dicet hanc orationem.*

Oratio Evangelii sancti.

Domine et magister Jesu Christe Deus noster, qui dixisti divis apostolis tuis et discipulis tuis sanctis; Multi prophetae et justi cu-

pierunt videre quae vos videtis et non viderunt, et audire quae auditis, et non audierunt: beati autem oculi vestri qui vident et aures vestrae quae audiunt: da ut digni efficiamur audiendi et opere perficiendi Evangelia tua sancta, per orationes Sanctorum tuorum.

Diaconus. Orate pro Evangelio sancto.

Sacerdos. Memento etiam Domine, omnium qui praeceperunt nobis, ut eorum meminissemus in nostris ad te orationibus et precibus. O Domine quietem illis tribue quorum praecessit dormitio: infirmos sana, quia tu vita es omnium nostrum, salus omnium, spes omnium, medela omnium, resurrectioque omnium nostrum: et tu es ipse cui gloriam, honorem et adorationem referimus, cum Patre tuo bono et Spiritu sancto vivificante, tibique consubstantiali, nunc et semper, etc.

Tum dicet psalmum, et post tertium versum Sacerdos Evangelium incensabit. Ascendet ad altare, rursusque incensum offeret, semel signans naviculam signo crucis: deinde circuibit cum incenso Evangelium, tum altare semel: descendet ab altari, accipiet Evangelium a Diacono, converteturque ad Occidentem. Accedent Sacerdotes omnes, et illud osculabuntur: ipse postremus illud osculabitur, dabitque illud Diacono ministranti, quem etiam incensabit. Cumque Diaconus dicet State, *conversus Sacerdos ad Orientem dicet*, In nomine Dei. *Mox incensum ter adolebit, ad Sanctuarium. Dicet Diaconus* Benedic Domine, *et dicet*, Initium sancti Evangelii secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, Joannem. *Cumque interpres Evangelii dicit*, State cum timore Dei, *convertitur Sacerdos ad Occidentem, incensat tribus vicibus Evangelium. Tum conversus ad Sanctuarium, illud incensat etiam ter, deinde Sacerdotes semel: stans in loco suo, recitans aliquid interea ex oratione Evangelii. Tum Diaconos semel incensat: nec desinit interim thuribulo adolere; coram Evangelio, ad finem usque lectionis ejus Coptice et in ultimo commate incensat ter, dat autem Evangelium legendum Diacono si probe illud legere sciat, sin minus, leget illud ipse Sacerdos. Quod si Diaconus legat Evangelium ex Ambone, incensatio Evangelii primo et postremo fiet ad limen chori. Cumque dicet interpres*, Domini et Dei nostri, *redibit ad Sanctuarium et incensum tribus vicibus adolebit, dicetque sequentem orationem secreto, quando Evangelium legetur Arabice, facie ad Orientem conversa. Quod si Sacerdos so-*

cius, ad quem ejus pertinet recitatio, ibi adsit, dabit ei thuribulum et ipse eam recitabit.

Oratio post Evangelium secreto dicenda.

Longanimis, multae misericordiae et verax, suscipe orationes, deprecationes et supplicationes nostras, poenitentiamque et confessionem nostram super altare tuum sanctum, purum et coeleste, ut digni efficiamur auditores Evangeliorum tuorum sanctorum et praecepta et mandata tua observemus, et in iis centesimum, sexagesimum, et trigesimum fructum proferamus, in Christo Jesu Domino nostro. Memento, Domine, infirmorum populi tui, respice eos cum misericordia et clementia, eosque sana. Memento, Domine, patrum, fratrumque nostrorum peregre absentium, reduc eos in domos suas salvos et incolumes.

Tempore Nili exundationis et pluviae dicetur.

Memento, Domine, aquarum fluminis et benedic illis, augens illas juxta mensuram suam.

Tempore sementis dicetur a prima Paophi ad primam Baini.

Memento, Domine, seminum, plantarumque, ut crescant et multiplicentur.

Ab Epiphania ad primam ejusdem mensis.

Memento, Domine, aëris coeli et fructuum terrae, eisque benedic. Memento Domine salutis loci hujus sancti tui, omniumque locorum et Monasteriorum, sanctorum patrum nostrorum Orthodoxorum. Memento Domine salutis hominum et animalium. Memento Domine servi tui Regis terrae nostrae, atque illum in pace et dignitate conserva. Memento Domine patrum, fratrumque nostrorum, qui obdormierunt, quieveruntque in fide Orthodoxa. Memento Domine sacrificiorum oblationumque, et iis retribue mercedem, qui has tibi oblationes obtulerunt, easque ad te suscipe. Memento Domine captivorum qui in servitutem abducti sunt, reducque captivitatem eorum. Memento Domine eorum qui calamitatibus, et angustiis opprimuntur. Memento Domine Catechumenorum populi tui, miserere eorum, confirma eos in fide tua, et reliquias omnes cultus idolorum aufer ab eorum cordibus; legem tuam, timorem tuum, praecepta tua, veritates tuas et mandata tua statue in cordibus eorum: da illis firmam cognitionem verbi quo per catechesin instituti sunt; utque sta-

tuto tempore digni evadant lavacro regenerationis in remissionem peccatorum suorum, praepara eos habitaculum Spiritui sancto tuo per gratiam.

Post lectionem Evangelii afferet illud Diaconus ad Sacerdotem, qui illud osculabitur, ut etiam Clerus et populus, et interea recitabit Sacerdos Orationem Veli secreto, stans ad latus veli, capite inclinato.

Oratio Veli.

Deus qui tuo erga homines amore ineffabili Filium tuum unigenitum in mundum misisti, ut ovem errabundam ad te reduceret, rogamus te Domine, ne nos a te in aeternum repellas, dum offerimus tibi tremendum hoc et incruentum sacrificium: neque enim justitiae nostrae confidimus, sed misericordiae tuae, qua genus nostrum vivificasti. Rogamus et obsecramus bonitatem tuam, amator hominum, ut neque nobis, neque plebi tuae sit in judicium mysterium hoc, quod ad salutem nostram instituisti, sed in abstersionem peccatorum nostrorum et remissionem negligentiarum nostrarum. Gloria et honor nomini tuo sancto, Patris et Filii et Spiritus sancti nunc et semper, etc.

Interea cum absolvitur haec oratio, osculabitur Sacerdos gradus altaris, ascendet ad Sanctuarium, osculabitur altare et conversus ad Occidentem recitare incipiet tres majores orationes. Dum Sacerdos dicit Pax omnibus, *conversus ad Sacerdotes fratres suos, capitis inclinatione salutat, et conversus ad Occidentem populum cruce signat.*

Oratio pro pace.

Sacerdos. Iterum Oremus Deum omnipotentem, patrem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Rogamus et obsecramus bonitatem tuam, amator hominum, memento Domine pacis, unicae illius tuae, sanctae, Catholicae et Apostolicae Ecclesiae, quae a finibus ad fines usque terrae diffunditur, omni populo et terris benedic. Pacem illam coelestem cordibus nostris immitte, sed et pacem istius vitae nobis benigne concede: Reges orthodoxos, exercitum, duces, consiliarios, vulgus promiscuum, et vicinos nostros, ingressum et exitum nostrum omni pace exorna. O Rex pacis, da nobis pacem

Παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε ἀγαθὲ κύριε.

In aliis Cod. Regem Orthodoxum.

Alii Cod. Regem, Ordines militares.

tuam, qui omnia dedisti nobis. Posside nos, Deus Salvator noster, nam praeter te alium non novimus, et nomen tuum sanctum invocamus. Vivant itaque animae nostrae per Spiritum tuum sanctum, neque mors peccati dominetur super nos servos tuos, nec super omnem populum tuum. Domine miserere.

Pro Patriarcha et Episcopis.

Rursus precamur te, Domine omnipotens, Pater Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, rogamus et obsecramus bonitatem tuam, o amator hominum.

Si Patriarcha ipse celebret, dicet socius Sacerdotis.

Memento, Domine, beati Patris nostri, et venerandi Archiepiscopi Papae N. ejusque in ministerio Apostolico consortis venerandi Patris Episcopi N. custodi et conserva nobis illos annis multis, et tranquillis temporibus, ut opere impleant et perficiant sanctitatem Episcopatus, quae ipsis a te concredita est, secundum voluntatem tuam sanctam et beatam: verbumque veritatis recte dispensent, plebem tuam cum sanctitate et justitia regant, simul cum reliquis Episcopis Orthodoxis, Hegumenis, Presbyteris, et Diaconis, omnique plenitudine unicae tuae, unius, sanctae, Catholicae et Apostolicae Ecclesiae. Da nobis et ipsis pacem et salutem in omni loco, precesque omnes, quas fundunt pro nobis et omni populo tuo, ad te suscipe, ut etiam eas quae a nobis pro ipsis fiunt.

Hic Sacerdos semel adolet incensum, dicens ea quae supra declarata sunt: quod si socium Sacerdotem habuerit, id ipsius vice faciet.

Super altare tuum sanctum, spirituale, coeleste, ut etiam thuris odoramenta: universos eorum hostes visibiles et invisibiles, contere et deprime sub vestigiis eorum velociter: eos autem in pace et justitia custodi in Ecclesia tua sancta. Domine miserere.

Pro congregatione.

Iterum etiam oramus te, Deus omnipotens, pater Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, petimus et obsecramus bonitatem tuam, o amator hominum: Memento Domine congregationum nostrarum et benedic illis. Da ut sint nobis absque turbatione et impedimento, ut eas celebremus secundum voluntatem tuam sanctam et beatam, domos orationis, domos benedictionis, domos sanctitatis: concede no-

bis in illis esse, Domine, et servis tuis qui post nos in saeculum usque futuri sunt.

Oratio pro Ecclesia, quam hoc loco recitabit Sacerdos jejunii diebus.

Cultum idolorum ab omni orbe procul remove: Satanam et omnem virtutem ejus pessimam contere, et dejice sub pedibus nostris velociter: haereses et autores earum compesce, ut rescindatur et abrumpatur omnis haeretica pravitas, Ecclesiae tuae sanctae inimica. Domine, sicut olim, ita et nunc eas deprime; aufer illas haereticis: tenebras cordis sui, miseriamque ipsis suam perspicue demonstra: compesce invidiam eorum, consilia, machinationes, dolos, et detractiones, dextrasque quibus adversum nos abutuntur, imbelles omnino esse jubeto. Conventicula eorum reprime, divide consultationes eorum, o Deus, qui dissipasti consilium Achitophel.

Haec oratio non extat in multis codicibus.

Adolebit incensum ad Orientem tribus vicibus.

Exurge, Domine Deus, dissipentur omnes inimici tui, et fugiant a facie tua omnes qui oderunt nomen sanctum tuum.

Conversus ad Occidentem, Sacerdotes, Diaconos et populum incensabit.

Et populus tuus millies millenis benedictionibus, et decem millies millibus cumulatus adimpleat omnes voluntates tuas.

Tum conversus ad Orientem dicet.

Per gratiam, clementiam et amorem erga homines filii tui unigeniti, Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, etc.

Populus dicet Symbolum fidei Orthodoxae. *Adolebit Sacerdos ter incensum ad Orientem, dabitque thuribulum illi qui deferre solet, tum dicent Symbolum: quo tempore lavabit Sacerdos ter manus suas, et antequam eas abstergat, convertetur ad populum, educetque manus ex aqua coram eo, et a sordibus diligenter purgabit.*

Post recitationem Symboli dicet, Pax omnibus.

Respondebitque populus, Et cum spiritu tuo.

Tum conversus signabit populum semel in modum crucis, et dicet hanc orationem.

Oratio Osculi pacis ad Patrem.

Sacerdos. Deus magne et aeterne, qui hominem absque vitio condidisti et mortem quae Satanae invidia in mundum intraverat, per

Ἀσπασμός. Εὐχὴ ἀσπασμοῦ τοῦ ἁγίου Βασιλείου.

adventum vivificantem filii tui unigeniti Jesu Christi Domini Dei et Salvatoris nostri destruxisti, replevistique terram coelesti pace: tu quem celebrant Angelorum exercitus, dicendo; Gloria in excelsis Deo et pax super terram, et in hominibus bona voluntas, imple per beneplacitum tuum, Domine, corda nostra pace tua, et munda nos ab omni macula omnique simultate, omni fraude, omni malo, omnique injuriarum recordatione mortifera. Fac Domine ut omnes digni simus amplectendi invicem in osculo sancto, et ita illius participes simus, ut non in judicio repellas nos, ab immortali et coelesti dono tuo, per Christum Jesum Dominum nostrum.

Oratio alia Osculi pacis.

Sacerdos. Superant omnem sermonis facultatem, et omnem vim mentis, divitiae munerum tuorum, Domine, quia abscondisti sapientibus et prudentibus, et nobis parvulis revelasti ea, quae cupierunt Prophetae et Reges videre, et non viderunt. Haec in nos peccatores gratiose contulisti, ut ea administraremus, et per ea sanctificaremur, cum filii tui dispensationem nobis exhibuisti, et sacrum ritum istius sacrificii incruenti: nec enim illud est sanguinis legalis, aut justitiae corporeae, sed agnus est spiritalis, gladiusque rationalis et incorporeus, in hoc sacrificio, quod tibi offerimus. Rogamus et obsecramus bonitatem tuam, o hominum amator, purifica labia nostra, et libera mentes nostras ab omni contagione materiali: mitte nobis gratiam Spiritus tui sancti et dignos effice salutandi invicem in osculo sancto, ut non incidentes in judicium, percipiamus donum tuum immortale et coeleste, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Oratio Pacis Jacobi Apostoli.

Sacerdos. Deus, omnium Domine, dignos effice hac salute, nos peccatores indignissimos, ut ab omni labe omnique hypocrisi purgemur, amplectamurque invicem in osculo sancto et unum corpus, unusque spiritus efficiamur in vinculo caritatis et pacis Domini nostri Jesu Christi, cum quo benedictus es, et cum Spiritu tuo vivificante, tibique consubstantiali, nunc et semper et in omnia saecula saeculorum. Amen.

ANAPHORA SANCTI BASILII.

Προσφέρειν κατὰ τρόπον. Στάθητε.

Diaconus. Accedite, adstate, o viri, cum tremore, et ad Orientem aspicite. Attendamus.

Populus. Misericordia, pax et sacrificium laudis.

Ter signum crucis hic fit, primum a Sacerdote super se ipsum: secundo super Diaconos ministrantes: tertio super populum.

Sacerdos. Dominus vobiscum. [1]

Populus. Et cum spiritu tuo. [2]

Sacerdos. Sursum levate corda vestra. [3]

Populus. Habemus ad Dominum. [4]

Sacerdos. Gratias agamus Deo. [5]

Populus. Dignum et justum est. [6]

Sacerdos. Dignum et justum, dignum et justum est, vere est dignum, conveniens, necessarium, dignum et justum, Domine qui existis, Domine Deus vere, qui es ante saecula, regnans usque in aeternum, qui in excelsis habitas, et humilia respicis, qui creasti coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt, Pater Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui cuncta visibilia et invisibilia per eum creasti, sedens super thronum gloriae tuae, quem adorant omnes potestates sanctae.

Diaconus. Qui sedetis surgite.

Sacerdos. Circa quem consistunt Angeli et Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, Virtutes.

Diaconus. Ad Orientem aspicite.

Sacerdos. In circuitu enim tuo stant Cherubim, oculis pleni, et Seraphim sex alis instructi, hymnum gloriae concinunt indesinenter dicentes:

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.

Sacerdos ter in modum crucis signabit, primo se ipsum, secundo ministros, tertio populum: tum dicet.

Sanctus, Sanctus, Sanctus es vere, Domine Deus noster, qui formasti nos, fecisti nos, et posuisti nos in paradiso voluptatis. Cum autem mandata tua circa lignum vitae violassemus per deceptionem serpentis, a vita aeterna excidissemus, et a paradiso voluptatis ejecti fuissemus, non in finem usque deseruisti nos, sed continuo nobis per prophetas tuos sanctos promissa edidisti: in novissimis vero diebus, nobis sedentibus in tenebris et umbra mortis, Filium tuum unigenitum Dominum Deum et Salvatorem Jesum Christum manifestasti, qui incarnatus est de Spiritu sancto et ex virgine sancta Maria, et homo factus est, qui viam salutis nos docuit, et supernam illam nativitatem per aquam et spiritum nobis donavit, fecitque nos

Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε.

Προσχῶμεν.

Ἔλεος εἰρήνης, θυσία αἰνέσεως.

1. *Ὁ Κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν.*

2. *Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.*

3. *Ἄνω ἡμῶν τὰς καρδίας.*

4. *Ἔχομεν πρὸς τὸν Κύριον.*

5. *Εὐχαριστῶμεν τὸν Κύριον.*

6. *Ἄξιον καὶ δίκαιον.*

Οἱ καθήμενοι ἀνάστητε.

Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε.

populum congregatum, mundavitque nos per Spiritum sanctum suum. Ipse cum dilexisset suos qui erant in mundo, tradidit se ipsum ad salutem pro nobis in mortem, quae super nos regnabat, qua peccatorum nostrorum causa constricti tenebamur: descendit ad inferos per crucem, surrexit a mortuis die tertia, ascendit ad coelos, seditque ad dexteram tuam, o pater, designavitque diem retributionis, in quo apparebit ad judicandum orbem in justitia et tribuendum unicuique juxta opera sua.

Κατὰ τὸ ἔλεός σου κύριε, καὶ μὴ κατὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν.

Populus. Secundum misericordiam tuam, Domine, et non secundum peccata nostra.

Sacerdos. Instituit nobis mysterium hoc magnum pietatis et religionis, cum statuisset tradere se morti pro mundi vita.

Πιστεύομεν. *In Copt.* Credo.

Populus. Credimus in rei veritate ita esse.

Sacerdos. Accepit panem in manus suas sanctas, puras et immaculatas, beatas et vivificantes, et aspexit in coelum, ad te, o Deus, Patrem suum et omnium Dominum.

Tunc accipiet oblationem super manus suas, auferetque velum desuper disco.

Populus. Amen.

Sacerdos levabit oculos dicens. Et gratias egit. †

Populus. Amen.

Sacerdos. Et benedixit eum. †

Populus. Amen.

Sacerdos digito ter oblationem suam signabit in modum crucis. Et sanctificavit eum. †

Populus. Amen.

Sacerdos franget oblationem in tres partes, quas ita ad se invicem adjunget, ut quodammodo divisae non sint. Quae dum faciet, digitos intra discum detergit, ne quid ex oblatis adhaereat, et dicet.

Et fregit eum, deditque sanctis discipulis et Apostolis suis, dicens: Accipite, manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum quod pro vobis frangitur, et pro multis datur in remissionem peccatorum, hoc facite in mei memoriam.

Populus. Amen.

Sacerdos tenens calicem manu sua, dicet. Similiter etiam calicem post coenam, aqua et vino miscuit.

Sacerdos calicem ter cruce signabit, et dicet. Gratias egit. †

Populus. Amen.

Sacerdos. Benedixit eum. †

Populus. Amen.

Sacerdos. Sanctificavit eum. †

Populus. Amen.

Sacerdos. Gustavit, et dedit discipulis suis et Apostolis sanctis dicens, Accipite bibite ex eo omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti qui effunditur pro vobis, et pro multis in remissionem peccatorum; hoc facite in mei memoriam.

Sacerdos calicem in crucis formam movebit, ita tamen ut non agitet.

Populus dicet. Amen, hoc ita est.

Sacerdos. Quotiescumque manducabitis ex hoc pane, et bibetis ex hoc calice, mortem meam annunciabitis et resurrectionem meam confitebimini, meique memores eritis donec veniam.

Populus. Mortem tuam annunciamus Domine, et resurrectionem tuam confitemur.

Τὸν θάνατόν σου κύριε καταγγέλλομεν.

Sacerdos. Memoriam agimus passionis ejus sanctae, resurrectionis ejus a mortuis, ascensionis in coelum, et sessionis ipsius ad dexteram tuam, o Pater: secundi etiam ipsius e coelo adventus terribilis et gloria plenissimi, offerimusque tibi haec dona ex bonis tuis, pro omnibus, ex omnibus, et in omnibus.

Diaconus. Adorate Deum cum timore et tremore.

Sacerdos dicet Invocationem.

Ἐπίκλησις.

Rogamus te, Christe Deus noster, nos peccatores indigni servi tui, et adoramus te per beneplacitum bonitatis tuae, ut adveniat Spiritus sanctus tuus super nos, et super haec dona proposita, et sanctificet ea, efficiatque ea Sancta Sanctorum tuorum.

Ita Copt. et Gr. καὶ ἀναδεῖξαι ἅγια ἁγίων.

Habebit Sacerdos interea manus expansas et sursum sublatas, interpellans pro illapsu.

Dicet populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Et panem quidem hunc, *ter panem cruce signabit*, faciat corpus sanctum, *inclinabit caput suum et manu corpus innuet*, ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quod datur in remissionem peccatorum, et vitam aeternam, ei qui illud percipiet.

Populus. Amen.

Sacerdos calicem ter cruce signabit et dicet. Et hunc calicem, sanguinem pretiosum novi Testamenti tui, *Tunc corpus et sanguinem pretiosum designabit,* ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui datur in remissionem peccatorum et vitam aeternam illis qui illum percipient.

Populus. Amen.

Sacerdos. Fac, Domine, ut digni simus communicandi sanctis tuis, ad sanctificationem corporum, animarum, spirituumque nostrorum, ut simus corpus unum, spiritusque unus, sortemque et partem consequamur cum omnibus sanctis tuis qui ab initio tibi placuerunt. Memento, Domine, pacis unicae tuae, unius sanctae, Catholicae et Apostolicae Ecclesiae tuae.

Diaconus. Orate pro, etc.

Sacerdos. Quam acquisivisti tibi sanguine pretioso Christi tui, conserva eam in pace et omnes Episcopos orthodoxos, qui in ea sunt. Primum quidem memento, Domine, beati Patris nostri venerandique Archiepiscopi Papae Anba N.

Diaconus. Orate pro, etc.

Sacerdos. Et qui cum eis verbum veritatis recte dispensaverunt, concede illos Ecclesiae tuae sanctae, ut pascant gregem tuum in pace. Memento, Domine, Hegumenorum, Presbyterorum Orthodoxorum, et Diaconorum.

Diaconus. Orate pro, etc.

Sacerdos. Omniumque ministrorum et cunctorum qui virginitatem et puritatem colunt omnisque populi tui fidelis. Memento Domine, ut miserearis omnium nostrum.

Diaconus. Miserere nostri Deus Pater omnipotens.

Populus. Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos. Memento Domine salutis hujus loci tui sancti, omnisque loci et monasterii patrum nostrorum orthodoxorum.

Diaconus. Orate pro, etc.

Sacerdos. Et habitantium in eo cum fide Dei. Dignare Domine aëri coeli, et fructibus terrae benedicere.

Dicet in tempore exundationis Nili a duodecima Baini ad nonam Paophi.

Dignare Domine implere aquas fluminum hoc anno, et illis benedicere.

Tempore sementis, nempe a decima Paophi ad vigesimam Tybi.

Memento Domine seminis herbarum, et viroris agri hoc anno, fac ut crescant, quantum fieri potest, per gratiam tuam. Laetifica faciem terrae, ut appareat foecunditas ejus, et fructus ipsius multiplicentur; praepara ei sementem et messem: vitam nostram prout expedit guberna: benedic coronae anni per benignitatem tuam, propter egenos populi tui, propter viduas et orphanos, propter peregrinos et necessitatem patientes, et propter nos omnes qui in te confidimus et nomen sanctum tuum ardenter quaerimus; quia oculi omnium in te sperant, quod in tempore suo sis ipsis bonum largiturus. Age nobiscum juxta bonitatem tuam, tu qui das escam omni carni: imple corda nostra laetitia et suavitate, ut nobis semper in omnibus rebus suppetant necessaria, et abundemus in omni opere bono.

Diaconus. Orate pro.

Sacerdos hic innuit super panem et vinum manibus suis, dicetque.

Memento Domine eorum, qui haec dona tibi obtulerunt, et eorum pro quibus ea obtulerunt, et qui obtulerunt pro se et suo nomine, da iis omnibus mercedem e coelo.

Circuibit Sacerdos socius altare cum thuribulo, et ab inferiori parte thus adolebit, lavabitque manus suas, et eas velo bombycino involvet.

Tum dicet Sacerdos celebrans.

Nunc Domine ex praecepto Filii tui unigeniti communicamus memoriae Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio, patrumque nostrorum Sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Praedicatorum, Evangelistarum, omniumque spirituum justorum, qui in fide vitam finierunt. Praecipue vero et maxime, sanctae et gloria plenae semper Virginis Genitricis Dei, Divae sanctae Mariae; sancti Joannis Baptistae Praecursoris et Martyris; sancti Stephani primi Diaconi et primi Martyris, videntisque Deum Evangelistae Marci sancti Apostoli et Martyris; Patriarchae sancti Severi, et Doctoris nostri Dioscori; sancti Joannis Chrysostomi, sancti Athanasii Apostolici, sancti Cyrilli, sancti Basilii, sancti Gregorii, Patrisque nostri sancti Abbatis Antonii summae sanctitatis viri, justique Patris Pauli, Sanctorumque trium Macariorum, et sancti Patris nostri Joannis Hegumeni, Patris nostri Bischoi hominis perfecti, Patrumque Sanctorum Romaeorum, Maximi et Diomedis, quadraginta novem Martyrum,

et potentis sancti Patris Moysis, patrisque nostri Isidori, et Arsenii, patrisque nostri Joannis Nigri Presbyteri, patrisque nostri Danielis Hegumeni, patrisque nostri justi Junii et patris nostri Ephraem, Patrisque nostri Pacomii, patris vitae Coenobiticae, Theodorique ejus discipuli, Patrisque nostri Sanutii Archimandritae, et Abbatis Veisae ejus discipuli. Item patris nostri Abuneferi seu Onufrii Anachoretae, Patris nostri Simeonis Stylitae, patris nostri Samuelis Confessoris, Justique et Apollo ejus discipulorum, Patrisque nostri Barsomae Sapientis, Patris nostri Benifii Presbyteri, et Abbatis Joannis ejus discipuli, et Patris nostri Abbatis Barsomae nudi, et Patris nostri Abbatis Fegii nudi, et sancti N. cujus hodie memoriam celebramus, omnisque chori Sanctorum tuorum, quorum precibus et supplicationibus miserere nostrum omnium et libera nos propter nomen tuum sanctum quod invocatum est super nos.

Sacerdos. Memento etiam Domine omnium qui dormierunt et quieverunt in Sacerdotio et omni ordine laicorum. Dignare Dòmine animas eorum omnium quiete donare in sinu sanctorum Abraham, Isaac et Jacob, induc eos in locum viridem super aquas refrigerii, in paradisum voluptatis, in locum unde fugiunt dolor cordis, tristitia, et suspiria in lumine Sanctorum tuorum.

Diaconi dicent Diptycha et nomina defunctorum recitabunt.

Sacerdos dicit post Diptychon. Eos Domine quorum animas suscepisti, jube in hoc loco quiescere et nos etiam hic peregrinos, in fide tua custodi, et pacem tuam nobis usque in finem benigne concede.

Populus. Sicut erat, etc.

Sacerdos. Et dirige nos in regnum tuum, ut sicut in hoc, ita etiam in omnibus laudetur, benedicatur et extollatur nomen tuum magnum, omnibus modis sanctum, excellens, venerandum, et benedictum, Jesu Christi etiam Filii tui dilecti et Spiritus Sancti.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Prooemium ante fractionem.

Oratio ante fractionem.

Sacerdos. Iterum gratias agimus tibi Deus omnipotens, pater Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quod fecisti nos dignos consistendi in hoc loco sancto, levandique manus nostras et nomini

tuo sancto serviendi. Precamur eum rursus, ut nos efficiat dignos communione et participatione mysteriorum ejus divinorum et immortalium, corporis sancti et sanguinis pretiosi Christi ejus, omnipotens Dominus Deus noster.

Populus. Amen.

Cum dicet Sacerdos hanc benedictionem, velum sericeum dextra gestans et ad Occidentem conversus, eo velo populo signum faciet, manum super disco tenens: quando vero recitatur benedictio, Diaconi dicent deprecationem, Sacerdos vero faciem et oculos convertet ad corpus quod in disco positum est, dicetque.

Deus misereatur nostri et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri.

Tum Sacerdos sumet corpus sanctum manu dextra, imponetque sinistrae, ponetque digitum super corpus in latere Despotici seu majoris particulae eo loco ubi fractum est, et dicet.

Corpus sanctum.

Tolletque digitum suum de super corpore, immittetque in calicem et intinget extremum pollicis sui sanguine pretioso: tum educet digitum e sanguine, et iterum signabit sanguinem sanguine, in modum crucis gloriosae, et dicet.

Et sanguis pretiosus Christi ipsius omnipotentis Domini Dei nostri.

Tum educet digitum suum e calice sanguine pretioso tinctum, et signabit eo corpus una cruce, de super fractura e latere majoris particulae, et infra ex parte exteriori corporis, unam crucem formans super sanguinem, et duas super corpus.

Diaconus dicet. Orate.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Oratio Fractionis ad Patrem.

Sacerdos. Domine Deus noster, magne, aeterne, gloriae mirabilis, qui observas testamentum tuum, et promissiones tuas, iis qui te diligunt ex toto corde suo; qui dedisti nobis salutem a peccatis nostris per Filium tuum unigenitum Jesum Christum Dominum nostrum; qui es vita omnium, auxilium eorum qui ad te confugiunt; spes ad te clamantium; coram quo consistunt millies mille, et decies millies decem mille Angeli et Archangeli, Cherubim

Προοίμιον τῆς κλάσεως.

et Seraphim, et omnis multitudo innumerabilis potestatum coelestium; qui sanctificasti has oblationes propositas, per illapsum super eas Spiritus sancti tui: munda nos Domine a peccatis nostris occultis et manifestis, et ab omni cogitatione quae bonitati tuae non placeat. Deus hominum amator talem a nobis repelle: purifica corpora et animas nostras, corda nostra et conscientias nostras, ut cum corde puro et anima lucida, inconfusa facie, caritate perfecta, et spe secura, audeamus cum fiducia, et absque timore orare ad te, Deus pater sancte et coelestis et dicere. Pater noster.

Oratio Fractionis alia Basilii.

Non extat in nostro Cod. hoc loco, sed post seq.

Deus parens lucis, vitae principium, scientiae largitor, donorum creator, gratiose opifex, animarum nostrarum benefactor; thesaurus sapientiae, doctor sanctorum, fundator saeculorum, precum purarum susceptor, iis qui in eum toto corde confidunt donator munerum, quae desiderant Angeli prospicere: qui e profundo nos eduxit in lucem, qui dedit nobis vitam ex morte: qui concessit nobis libertatem, et manumissionem a servitute: qui tenebras erroris quae in nobis erant illustravit, per praesentiam in carne unigeniti Filii sui. Tu ergo etiamnum Domine illustra oculos cordis nostri, et perfectos nos effice animis, corporibus, spiritibusque nostris, ut corde sancto et labiis puris audeamus orare te, Deus pater sancte qui es in coelis, et dicamus.

Oratio Fractionis alia Joannis Chrysostomi.

In alio Cod. Joannis Bostrensis, sive Basorensis.

Dedisti nobis gratiam adoptionis, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, nunc autem dignos effice, ut absque hypocrisi, corde puro, conscientia fiduciae plena, labiisque ab omni offensa liberis, oremus te pater, ut eas futilitates respuendo, quae gentium multiloquii et Judaici supercilii sunt, possimus offerre tibi preces orationemque, juxta institutionem saluberrimam Filii tui unigeniti, voce pura, qualis Christianos decet;. et cum sanctitate animae, corporis et spiritus, audeamus absque timore clamare ad te, increatum, absque initio, ingenitum, nostrum et omnium Dominum, Deum patrem sanctum qui es in coelis, et dicamus. Pater noster qui es in coelis, etc.

Oratio post Pater noster.

Ita nempe rogamus te, o Pater sancte et bone, bonitatisque amator, ne nos inducas in tentationem, neque permittas ullam iniquitatem in nos dominari, imo potius libera nos ab actionibus inutilibus, earumque cogitationibus, earum motibus, aspectibus earum, illecebris earum: tentationemque extingue et repelle a nobis. Coërce pariter motus illarum qui in nobis excitantur, et remove a nobis causas quae nos ad peccandum impellunt: eripe nos per potestatem tuam sanctam per Christum Jesum Dominum nostrum.

Diaconus dicet. Inclinate capita vestra Domino. *Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ θεῷ κλίνατε.*

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos dicet Orationem inclinationis ad Patrem.

Superabundavit gratia bonorum opificis Filii tui unigeniti Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Confitemur passionem ejus salutarem, mortem ejus annunciamus, credimusque ejus resurrectionem, mysterii complementum. Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, quia misericordia tua magna fuit erga nos cum praeparaveris nobis ea quae Angeli videre cupiunt. Petimus rogamusque te, amator hominum, ut nos omnes purifices et ad te colligas per communionem nostram mysteriorum divinorum tuorum, ut pleni efficiamur Spiritu tuo sancto, confirmemurque in fide recta pleni item desiderio caritatis tuae verae, et gloriam tuam omni tempore enarremus per Jesum Christum Dominum nostrum. *Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.*

Diaconus. Attendamus Deo cum timore. *Προσχῶμεν θεῷ μετὰ φόβου.*

Oratio absolutionis ad Patrem.

Sacerdos. Domine Domine Deus omnipotens, qui sanas animas, corpora et spiritus nostros, tu es qui dixisti Petro patri nostro, per os Filii tui unigeniti Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et dabo tibi claves regni coelorum: quod ligaveris super terram, erit ligatum in coelis, et quod solveris super terram, erit solutum in coelis. Sint etiamnum Domine,

patres et fratres mei absoluti ex ore meo, per Spiritum sanctum tuum, o bone et amator hominum. Deus qui tollis peccata mundi, praeveni eos suscipiens poenitentiam servorum tuorum ab ipsis, quae sit lumen ad cognitionem, et remissio peccatorum nostrorum, quia tu Deus miserator et misericors es, longanimis et multae misericordiae, et justus. Si in te peccaverimus verbo aut opere, parce et remitte nobis bone et amator hominum. O Domine absolve nos, et populus tuus absolutus sit.

Hic Sacerdos meminit vivorum et mortuorum.

Memento, Domine, pacis, unicae, sanctae, Catholicae et Apostolicae Ecclesiae: confirma in bono ad extremum usque vitae spiritum, et custodi in pace omnes Patres nostros Orthodoxos, Episcopos, Hegumenos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorcistas, Monachos, Virgines, Viduas, Orphanos, Continentes, Laicos, Servos, Liberos, peregre absentes et populum hujus loci, tam viros quam mulieres, senes et juvenes, parvos et magnos, qui venerunt, quique non venerunt: qui dixerunt nobis, ut eorum meminissemus, et qui non dixerunt: quos novimus, et quos ignoramus: qui odiò nos, et qui amore prosequuntur. Vivos custodi per Angelum pacis, et mortuorum animas fac Domine quiescere in sinu Patrum nostrorum sanctorum Abraham, Isaac et Jacob, in paradiso voluptatis. Et omnes Christianos Orthodoxos, ab ortu solis usque ad occasum, et a dextra ad sinistram, singulos Domine conserva in pace: et infirmitatem meam solve ab omni peccato, omnique maledicto, omni abnegatione et perjurio, omnique stultitia, tam haereticorum, quam Ethnicorum. Concede nobis Domine intellectum, robur et intelligentiam, ut ad finem usque fugiamus ab omni re mala in oppositam, et da nobis ut faciamus omni tempore id quod tibi acceptum est. Scribe nomina nostra cum omnibus choris Sanctorum tuorum, in regno coelorum per Jesum Christum Dominum nostrum.

Diaconus. Cum timore Deo attendamus.

Populus dicet. Unus Pater sanctus.

Ubi Diaconus dixerit. Cum timore, etc.

Populus. Kyrie eleison.

Εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος, ἓν πνεῦμα ἅγιον.

Ἀμήν.

Sacerdos attollit Despoticon manibus sublatis, et inclinat se, tum clamat alta voce, Sancta Sanctis. *Omnesque e populo prostrati*

erunt in terram super facies suas: immittetque Sacerdos Despoticon in sanguinem, extrema sui parte, formabitque cum eo crucem unam in sanguine: tum educet, et eo signabit corpus sanctum in disco, cruce una: tum signabit eum semel sanguine pretioso in modum crucis, et ita perficiet tres signationes corporis super sanguinem, et tres ex sanguine super corpus. Peractis vero signationibus tribus, mittet Despoticon in sanguinem, intra calicem dicens:

Benedictus Dominus Jesus Christus Filius Dei et Spiritus sanctus. Amen.

Tum accipiet Sacerdos tertiam partem in qua erat Despoticon, dividetque in tres partes: quod si fuerint magnae, franget eas in disco, et tres partes manui dextrae imponet, quam retinebit elevatam: laevam vero intra discum et dicet.

Corpus sanctum et sanguis pretiosus, purus, verus, Jesu Christi Filii Dei nostri. Amen. Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est in rei veritate. Amen. Credo, credo, credo et confiteor, usque ad extremum vitae spiritum, hoc esse corpus vivificum Filii tui unigeniti Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: accepit illud ex omnium nostrum Domina, Deipara, Diva et sancta Maria, et unum illud fecit cum divinitate sua, sine confusione, commistione, aut alteratione. Confessus est confessionem bonam coram Pontio Pilato, et tradidit se ipsum pro nobis super lignum crucis sanctae, sola sui ipsius voluntate, pro nobis omnibus. Vere credo ipsius divinitatem separatam non fuisse, ab ipsius humanitate, ne unica quidem hora aut nictu oculi: tradidit illud pro nobis ad salutem, remissionem peccatorum et vitam aeternam ei qui illud percipiet. Credo hoc in rei veritate ita esse.

Deinde Sacerdos teget corpus sanctum velo sericeo, alio obvolvet manus suas, similiter Diaconus calicem bombycino operiet, tum Sacerdos caput inclinabit, et dicet.

Omnis honor, gloria et adoratio debetur Trinitati sanctae Patri, Filio et Spiritui sancto.

Deinde Sacerdos osculabitur altare, caputque inclinabit fratribus suis Sacerdotibus, et populo dextrorsum et sinistrorsum, deteget latus disci coram se, canentque ex psalmo, et dicet Sacerdos secreto.

Dignos fac Domine nos omnes ut corpus tuum sanctum percipiamus, et sanguinem tuum pretiosum ad mundationem corporum,

animarum, spirituumque, et peccatorum nostrorum remissionem comparandam.

Tum communicabit Sacerdos, corpusque et sanguinem pretiosum Sacerdoti socio distribuet, tum ministris et populo deinceps: tandemque mulieribus ex altari cum disco descendens.

Dicet Diaconus. Orate pro omnibus Christianis.

Oratio gratiarum actionis post communionem.

Sacerdos. Ora nostra repleta sunt gaudio, et lingua nostra exultatione, quia participes facti sumus Sacramentorum tuorum immortalium, Domine: quia quae oculus non vidit et auris non audivit, nec humanum cor comprehendit, illa ipsa praeparasti Deus, diligentibus nomen tuum sanctum et revelasti ea parvulis Ecclesiae tuae sanctae. Ita Pater fuit beneplacitum ante te, quia tu misericors es, et mittimus tibi sursum gloriam, honorem, et adorationem Patri, Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, etc.

Oratio inclinationis post communionem.

Sacerdos. Servi tui, Domine, qui tibi ministrant, orant nomen tuum sanctum, simulque coram te se inclinant. Esto in illis Domine, ambula inter eos, adjuva illos in omni opere bono, erige corda eorum ab omni perversa et terrena cogitatione. Da illis ut vivant et cogitent ea quae ad vitam pertinent, intelligantque quae tua sunt per Filium tuum unigenitum Jesum Christum Dominum nostrum, ad quem nos et omnis populus tuus clamamus dicentes. Domine miserere nostri, o Salvator.

Sacerdos dicet benedictionem.

O Domine, esto nobis misericors, benedic nobis, ostende faciem tuam super os, et miserere nostri. Domine, salvum fac populum tuum, benedic haereditati tuae, et rege eos, et extolle illos usque in aeternum. Conserva illos in fide recta, gloria, et honore, omnibus diebus vitae suae, et constitue illos in caritate quae omnia superat, et pace quae omni intellectu superior est, per preces et orationes, quas faciet pro nobis Domina omnium nostrum, Mater Dei, Diva et

sancta Maria, et quatuor lucidi sancti Michael, Gabriel, Raphael et Suriel, et quatuor animalia incorporea, necnon viginti quatuor Presbyteri, Cherubimque, Seraphim et coelestes ordines. Per orationes Patriarcharum et Prophetarum, Joannis Baptistae, et centum quadraginta quatuor millium, dominorumque patrum Apostolorum, trium sanctorum puerorum, sancti Stephani, sancti Domini Georgii, sancti utriusque Theodori, et sancti patrumque amatoris Mercurii, sancti Patris Mennae et omnium chororum Martyrum, et Patris nostri Antonii viri sanctissimi, sanctorumque patrum trium Macariorum, omnisque chori cruce signatorum, Justorum piorum, sapientum Virginum, et Angeli diei istius benedicti. Veniat benedictio eorum, sancta gratia eorum, et potentia eorum, donum eorum, caritas eorum, patientia eorum, auxilium eorum et benedictio diei Dominicae Salvatoris nostri boni sit cum omnibus nobis usque in aeternum. Amen.

Cum absolverit vasorum ablutionem, bibet aquam in iis residuam, dimittetque plebem benedictione recitata.

Explicit Missa Basilii.

LITURGIA

SANCTI GREGORII.

ORATIO VELI.

Sacerdos secreto. Domine Deus omnipotens, qui nosti cogitationes hominum, scrutator cordium et renum: qui me indignum vocasti ad hoc ministerium sanctum tuum: ne me rejicias, et ne avertas faciem tuam a me; sed dele omnia delicta mea: et ablue sordes corporis mei, et maculas animae meae. Purifica me perfecte, ne cum bonitatem tuam deprecabor, ut concedas veniam peccatorum aliis, ego reprobus efficiar. Ita, Domine, non repellas me moestum et confusum: sed mitte super me Spiritum sanctum tuum;

et fac me dignum ut adsistam altari tuo sancto: neque id mihi proveniat in judicium, sed offeram tibi hoc sacrificium, rationabile, incruentum cum conscientia pura, in remissionem peccatorum et iniquitatum mearum, veniam delictorum populi tui, requiem et refrigerium Patrum nostrorum, qui olim obdormierunt in fide Orthodoxa: ad aedificationem populi tui totius, et ad gloriam tuam, cum Filio tuo unigenito Domino, Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, et Spiritu tuo vivificante, tibique consubstantiali, nunc, etc.

In Codd. MSS. S. Gregorii. *In aliis* S. Severi Patriarchae.

Oratio osculi pacis.

Aeterne Fili qui in sempiternum subsistis, consubstantialis Patri, illique throno et creatione aequalis: qui sola bonitate ex nihilo fecisti hominem, et collocasti eum in paradiso voluptatis: qui cum cecidisset per deceptionem inimici, et praecepti tui transgressionem, voluisti eum renovare et in dignitatem suam pristinam restituere. Non Angelos, non Archangelos, non Patriarchas, neque Prophetas voluisti autores esse nostrae salutis, sed tu absque immutatione carnem assumpsisti, et homo factus es, similis nobis in omnibus excepto peccato, factus es nobis mediator erga Patrem: parietem medium diruisti, et inimicitias priores delevisti: conciliasti terrenos cum coelestibus, et fecisti de duobus unum, per dispensationem in carne: ascendisti in coelum corporaliter, et implevisti omnia divinitate tua. Tu dixisti discipulis tuis sanctis et Apostolis, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Concede jam nobis illam, Domine; et munda nos ab omni macula, ab omni dolo, ab omni malitia, ab omni fraudulentia, et injuriarum recordatione mortifera: et fac nos omnes dignos, Domine, ut salutemus invicem in osculo sancto, neque excidamus per judicium a donis tuis immortalibus, atque coelestibus; per gratiam tuam et benignitatem Patris tui, et operationem Spiritus tui: tu es enim provisor et largitor omnium bonorum; tibique offerimus gloriam, et honorem, magnificentiam, et adorationem, cum Patre tuo bono, vivificante, tibique consubstantiali, nunc, etc.

Alia Oratio ad Filium.

Christe Deus noster, virtus tremenda et incomprehensibilis Dei Patris, qui sedes super thronum flammeum Cherubim, cui ministrant

potestates igneae. Tu es ignis consumens per divinitatem tuam, propter splendorem tuum ineffabilem, et amorem tuum erga homines. Non combussisti, nec repulisti fraudulentum traditorem, cum accessit ad te, sed osculatus es eum osculo amici, ut traheres illum ad poenitentiam, et ad audaciae suae agnitionem. Dignos fac nos, Domine, in hac hora terribili, ut unanimes absque duplicitate cordis, caeterisque nequitiis, salutemus invicem in osculo sancto: et ne nos projicias in judicium, si minus perfecte mundi simus, neque sicut placitum est bonitati tuae, a faece peccati, a nequitia, et mortifera injuriarum recordatione: sed tu per ineffabilem clementiam tuam, qui nosti imbecillitatem, et propensionem ad inferiora figmenti nostri, dele omnes maculas peccatorum nostrorum, ut non sit nobis in judicium et condemnationem hoc mysterium divinitatis tuae. Tu enim potens es tollere peccata omnia, et auferre injustitias et iniquitates hominum miserorum, tu qui purgas totum mundum: et te decet glorificatio, uno ore, et ab uno quoque, veneratio, magnificentia et adoratio, cum Patre tuo bono et Spiritu sancto vivificante, tibique consubstantiali, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, Gratia Filii unigeniti Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi; et communicatio et donum Spiritus sancti, sit cum omnibus vobis.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda vestra.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos. Dignum et justum est. *Ter.*

Vere dignum et justum est, ut te laudem, benedicam tibi, et serviam tibi, adoremque et glorificem te, qui es unus, solus, Deus verus, amator hominum, ineffabilis, invisibilis, incomprehensibilis, sine principio, aeternus, sine tempore, incircumscriptus, ininvestigabilis, immutabilis, Creator omnium, Salvator omnium; qui remittis peccata nostra, qui redimis ab interitu vitam nostram, qui coronas nos in misericordia et miserationibus. Tu es quem laudant Angeli, et adorant Archangeli; tu es cui benedicunt Principatus, ad quem clamant Dominationes; tu es cujus gloriam celebrant Potestates; tu es cui Throni sursum mittunt gloriam et honorem: millia millium assistunt coram te, et dena millia denum millium ministrant tibi. Tu

es quem benedicunt invisibiles, quem adorant visibiles, et omnes faciunt verbum tuum, Domine noster.

Diaconus. Qui sedetis surgite.

Sacerdos. Aeterne Domine, Deus verus de Deo vero, qui ostendisti nobis lumen Patris, qui largitus es nobis cognitionem veritatis Spiritus sancti; qui manifestasti nobis mysterium hoc magnum vitae: qui constituisti chorum incorporeorum inter homines: qui dedisti eis qui sunt super terram, canticum Seraphim, suscipe voces nostras, cum vocibus eorum qui sunt invisibiles. Connumera nos inter Potestates coelestes, ut dicamus cum illis, abjicientes omnes cogitationes absurdas et inutiles, clamemusque idem quod illi dicunt incessabili voce, atque ore indesinenti, benedicamus magnitudinem tuam.

Diaconus. Ad Orientem aspicite.

Sacerdos. Tu es enim cui assistunt Cherubim et Seraphim senis alis instructi: sex alae uni, et sex alae alteri: duabus alis velant facies suas, duabus tegunt pedes suos, et duabus volant: clamantesque alter ad alterum, dicunt hymnum triumphalem salutis nostrae, et vocibus gloriosis laudant clamantes et dicentes.

Diaconus. Attendamus.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos. Sanctus, Sanctus Dominus, et Sanctus in rebus omnibus, et praeclarum lumen substantiae tuae, sicut ineffabilis est potestas sapientiae tuae, nec verbis explicari potest pelagus amoris tui erga homines. Creasti me hominem per benignitatem tuam, neque indigebas mea servitute, sed ego indigebam dominatione tua: propter clementiam tuam magnam, fecisti me cum non essem: erexisti mihi coelos in tectum: firmasti mihi terram ut super eam ambularem: propter me conclusisti mare, propter me produxisti naturam animalium, et omnia subjecisti sub pedibus meis, nec passus es deesse mihi quidquam ex operibus magnificentiae tuae: qui me creasti, posuisti manum tuam super me: descripsisti in me imaginem potestatis tuae: dedisti mihi donum rationis: aperuisti mihi paradisum voluptatis: dedisti mihi scientiam cognitionis tuae: manifestasti mihi arborem vitae: ostendisti mihi spinam mortis, ne ex ea comederem: mihi interdixisti, ex ea sola ne ederem: comedi voluntarie; sponte neglexi mandatum tuum, contemsique praecepta tua; atque induxi mihi sententiam mortis.

Populus. Kyrie eleison. Domine miserere.

Sacerdos. Tu Domine convertisti mihi poenam in salutem; sicut pastor bonus errantem sollicite quaesivisti: tanquam pater verus laborasti mecum qui cecideram: alligasti me omnibus medicamentis vivificantibus: tu misisti ad me Prophetas: propter me infirmum, dedisti mihi legis auxilium: tu administrasti mihi salutem, at ego transgressus sum legem tuam, quae est lumen verum, quod accendisti errantibus et ignorantibus.

Populus. Domine miserere.

Sacerdos. Tu qui es sempiternus, venisti ad nos super terram, descendisti in uterum Virginis, Deus incircumscriptus; non rapinam arbitratus es esse aequalem Deo, sed humiliasti teipsum, et accepisti formam servi, benedixistique naturam meam in te: perfecisti legem tuam pro me, ostendisti mihi rationem resurgendi post lapsum: liberasti eos qui apud inferos detinebantur: sustulisti maledictionem legis: destruxisti peccatum in carne: ostendisti mihi potentiam imperii tui: dedisti visum caecis: excitasti mortuos de sepulcris: resuscitasti naturam verbo: manifestasti mihi dispensationem clementiae tuae; tolerasti injurias iniquorum: praebuisti tergum verberibus, et genas tuas percussoribus permisisti; propter me Domine, non avertisti vultum tuum ab ignominia sputorum.

Populus. Domine miserere.

Sacerdos. Venisti ad occisionem tanquam agnus, usque ad crucem: demonstrasti sollicitudinem tuam erga me: occidisti peccatum meum per sepulturam tuam: elevasti primitias meas usque ad coelos: manifestasti mihi adventum tuum futurum, in quo venturus es judicare vivos et mortuos, ut reddas unicuique secundum opera sua.

Populus. Secundum misericordiam tuam, Deus, etc.

Sacerdos. Offero tibi, Domine, symbola liberationis meae: scribo opera mea secundum verba tua: Tu es qui dedisti mihi hoc ministerium plenum mysterio: dedistique mihi participationem corporis tui in pane et vino.

Populus. Credimus. Πιστεύομεν.

Sacerdos. Nam ea nocte in qua tradi voluisti, voluntate et potestate tua sola, accepisti panem in manus tuas sanctas, puras, immaculatas, beatas et vivificantes.

Populus. Credimus ita esse.

Sacerdos. Et suspexisti in coelum ad Patrem tuum Deum, ac Dominum omnium, et gratias egisti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et benedixisti illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et sanctificasti illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et fregisti illum, et dedisti illum tuis gloriosis discipulis sanctis, et Apostolis puris dicens: Accipite, manducate ex eo omnes: Hoc est enim corpus meum quod frangitur pro vobis, et pro multis dabitur, in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem.

Populus. Ita est in rei veritate. Amen.

Sacerdos. Similiter postquam comederunt, accepisti calicem, et miscuisti eum ex fructu vitis et aqua; et gratias egisti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et benedixisti illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et sanctificasti illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et gustasti, et dedisti illum tuis gloriosis discipulis sanctis, et Apostolis puris dicens: Accipite, bibite ex eo omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui effunditur pro vobis, et pro multis datur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem.

Populus. Ita quoque est in rei veritate.

Sacerdos. Quotiescumque enim manducaveritis ex hoc pane, et biberitis ex hoc calice, annunciabitis mortem meam et confitebimini resurrectionem meam, et mei memoriam facietis, donec veniam.

Populus. Mortem tuam, Domine, annunciamus et sanctam resurrectionem tuam, et ascensionem confitemur; te laudamus, tibi gratias agimus, et te deprecamur, Domine Deus noster.

Sacerdos. Et nunc etiam, Domine, memoriam agimus descensus tui ad terram, et mortis tuae vivificantis, et sepulturae tuae triduanae, et resurrectionis a mortuis, et ascensionis ad coelos, et sessionis tuae ad dexteram Patris tui, et adventus tui secundi de coelis tremendi et gloriosi: offerimusque tibi haec dona tua, ex iis quae tua sunt, pro omnibus, et propter omnia, et in omnibus.

Diaconus. Adorate Deum cum timore et tremore.

Sacerdos. Tu Domine voce tua sola commuta, haec quae sunt proposita; tu coram nobis pósitus, perfice nobis hoc ministerium plenum mysteriis: insere in nobis memoriam ministerii tui sancti: mitte super nos gratiam Spiritus tui sancti, qui sanctificet, et transferat haec dona proposita in corpus et sanguinem salutis nostrae. Et hunc quidem panem, facias corpus tuum sanctum, Domine Deus, et Salvator noster Jesu Christe, quod datur in remissionem peccatorum et vitam aeternam illis qui ex illo communicant. Et rursus, hunc calicem, sanguinem pretiosum Testamenti tui novi, Domine Deus, et Salvator noster Jesu Christe, datum in remissionem peccatorum et in vitam aeternam communicantibus ex eo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Itaque rogamus te Christe Deus noster, confirma fundamenta Ecclesiae: concordiam caritatis in nobis radicitus insere: augeatur puritas fidei: praepara nobis viam rectam pietatis: pastores corrobora: eorum greges confirma: da mores recte compositos Clero, Monachis continentiam, Virginibus puritatem, conjugatis concordiam, misericordiam illis qui in poenitentia sunt, benignitatem divitibus, modestiam iis qui in dignitate sunt, auxilium pauperibus: senes robora: juvenes erudi: infideles converte: cessent ab Ecclesia schismata: deprime superbiam haereseon, et nos omnes ad concordiam pietatis adunare digneris.

Populus. Domine miserere.

Diaconus. Orate pro pace unius, Catholicae et Apostolicae Dei Ecclesiae.

Sacerdos. Memento Domine pacis, unicae, sanctae, Catholicae et Apostolicae Ecclesiae tuae, quae est a finibus usque ad fines terrae, et eorum qui recte dispensant in ea verbum veritatis.

Diaconus. Orate pro Pontifice nostro Papa Anba N. D. Archiepiscopo magnae urbis Alexandriae, et pro Orthodoxis Episcopis.

Sacerdos. Praesertim vero Patriarchae nostri Patris venerabilis Anba N. et Patris nostri Episcopi Anba N. et eorum qui hic adsunt, et qui requieverunt, Episcoporum, Hegumenorum, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Exorcistarum, Monachorum, Virginum, Viduarum, Continentium, Orphanorum, Laicorum, et omnium fidelium Ecclesiae tuae sanctae.

Diaconus. Orate pro Rege nostro Christum amante.

Sacerdos. Memento Domine, eorum qui regnaverunt cum pietate, et eorum qui regnant.

Diaconus. Memento Domine, fidelium fratrum nostrorum.

Sacerdos. Memento Domine, fidelium fratrum nostrorum Orthodoxorum, qui sunt in palatio, et omnis exercitus.

Diaconus. Orate pro iis qui sunt in palatio fratribus nostris fidelibus, et Orthodoxis, et pro universo exercitu.

Sacerdos. Memento Domine, eorum qui tibi obtulerunt haec dona, et eorum qui pro se obtulerunt, et eorum pro quibus oblata sunt: concede omnibus mercedem e coelo.

Diaconus. Orate pro iis qui obtulerunt.

Sacerdos. Memento Domine, habitantium in montibus et cavernis: et fratrum nostrorum qui sunt in captivitate: concede illis ut pacifice ad sua domicilia revertantur.

Diaconus. Orate pro captivis.

Populus. Domine miserere.

Diaconus. Adorate agnum Verbum Dei.

Sacerdos secreto. Memento, Domine, tenuitatis meae et remitte mihi peccata mea, ut ubi abundavit iniquitas, ibi superabundet gratia tua: neque propter peccata mea propria, et propter maculas cordis mei deprives populum tuum gratia Spiritus sancti tui.

Populus. Miserere nostri, Deus Salvator noster.

Sacerdos alta voce. Quia populus tuus et Ecclesia tua, te obsecrant et Patrem tuum tecum, dicentes, Miserere nostri, Deus Salvator noster. Concede populo tuo cor unum: da tranquillitatem mundo: temperiem bonam aëri: dignare, Domine, benedicere hoc anno ventos coeli et fruges terrae. Dignare, Domine, benedicere aquas fluminis, ascendere eas fac juxta mensuram suam, secundum gratiam tuam. Laetifica faciem terrae, etc. *Ex Liturgia Basilii.*

Infirmis sanitatem: indigentibus solatium: liberationem captivis concede: suscipe ad te orphanos: auxilium da viduis: eos qui angustiantur, bonis sustenta: eos qui ceciderunt erige: stantes confirma: defunctorum memento: eorum qui in confessione sunt, deprecationes suscipe: poenitentes numera cum fidelibus tuis, et fideles tuos cum martyribus tuis: et eos qui hic adsunt, similes effice Angelis tuis: nos quoque qui licet indigni ad ministerium tuum, per gratiam tuam vocati sumus, ad te suscipe.

Kyrie eleison *alta voce.*

Sacerdos. Memento, Domine, salutis hujus loci sancti tui, et omnium locorum, et omnium monasteriorum Patrum nostrorum Orthodoxorum, et omnium civitatum totius provinciae et regionis, et omnis pulcritudinis ejus; et nos omnes libera a fame, a peste, a terrae motibus, submersione, naufragio et incendio; a captivitate barbarorum, a gladio extraneo, et ab insurrectione haereticorum.

Dignare, Domine, recordari omnium Sanctorum qui tibi placuerunt ab initio, Patrum nostrorum sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, et eorum qui Evangelium annunciaverunt Ecclesiae tuae, et omnium spirituum justorum qui consummati, defuncti sunt in fide. Praecipue vero sanctae, gloria plenae semper Virginis, Genitricis Dei sanctae Mariae, et sancti Joannis Praecursoris, Baptistae et Martyris, et sancti Stephani Protodiaconi et Protomartyris, et contemplativi, Deumque videntis Evangelistae Marci Apostoli sancti et Martyris; et Patriarchae nostri sancti Severi; et Doctoris nostri Dioscori, sancti Cyrilli, sancti Basilii, sancti Gregorii, sancti Joannis Chrysostomi, sancti Athanasii Apostolici; et Dominorum nostrorum Patrum justorum, magni Abbatis Antonii, et pii sancti Abbatis Pauli, et trium Macariorum, totiusque chori Sanctorum tuorum, quorum precibus et intercessionibus, miserere omnium nostrum, et nos omnes libera propter nomen tuum sanctum quod invocatum est super nos.

Sacerdos secreto. Memento, Domine, patrum et fratrum nostrorum qui pridem obdormierunt in fide Orthodoxa: da illis omnibus requiem, cum sanctis tuis, et cum iis quorum nomina commemorata sunt.

Sacerdos post Diptycha dicet. Memento, Domine, eorum quorum memoriam fecimus fidelium, et eorum quorum non meminimus Orthodoxorum, et nostri quoque cum illis, o bone amator, hominum Deus.

Populus. Remitte, parce, condona nobis, Deus, offensas nostras quas commisimus voluntarie aut involuntarie, scienter vel ignoranter: Domine, dimitte illas nobis.

Sacerdos. Tu es enim Deus misericors qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Converte nos, Domine, per salutem tuam, et fac nobiscum secundum bonitatem tuam; tu qui efficis plura quam petimus aut intelligimus: ut in hoc, sicut et in omnibus, glorificetur, benedicatur, et extollatur nomen tuum magnum,

sanctissimum, gloriosum et benedictum, cum Patre tuo bono, et Spiritu sancto.

Pax omnibus.

Domine, Salvator noster, amator hominum bone, qui vivificas animas nostras, qui tradidisti te ipsum pro nobis, in salutem pro peccatis nostris: qui in multitudine misericordiae tuae solvisti inimicitias hominum: Unigenitus Deus, qui es in sinu Patris.

Kyrie eleison. Benedic. Amen.

Sacerdos. Qui benedixisti illo tempore, benedic nunc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Qui sanctificasti illo tempore, sanctifica nunc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Qui divisisti illo tempore, divide nunc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Qui dedisti tuis discipulis sanctis et Apostolis puris illo tempore, nunc, Domine, da nobis, et omni populo tuo omnipotens Domine Deus noster.

Diaconus. Orate.

Oratio fractionis ad Filium.

Benedictus es, Christe Deus omnipotens, Salvator Ecclesiae tuae: Verbum intelligibile et homo visibilis, qui per incarnationem tuam incomprehensibilem, praeparasti nobis panem coelestem, corpus hoc tuum sanctum in mysterio, omnibus modis sanctum. Miscuisti nobis calicem ex fructu vitis verae, quae est latus divinum tuum et immaculatum, ex quo postquam tradidisti spiritum, manavit nobis sanguis et aqua, quae mundum universum purificaverunt. Acquire nos tibi, o bone, servos tuos: nos indignos fac tibi populum congregatum, regnum, sacerdotium et populum electum. Purifica nos, Domine, sicut sanctificasti has oblationes propositas, et fecisti illas invisibiles ex visibilibus, et mysteria tibi soli cognita, Domine Deus et Salvator noster Jesu Christe. Tu per clementiam tuam magnam fecisti nos dignos filiatione per baptismum sanctum, et docuisti nos formam orationis mysticae, ut per eam invocaremus Patrem tuum. Tu nunc, Domine, fac nos dignos, ut conscientia munda et cogitatione bona, quemadmodum decet filios, cum desiderio et fiducia, audea-

mus invocare Deum Patrem tuum sanctum qui est in coelis et dicamus. Pater noster, etc.

Oratio post Pater noster.

Etiam, Domine, qui dedisti nobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, et omnem virtutem inimici, contere capita ejus sub pedibus nostris velociter, et repelle a nobis omnes ejus cogitationes malas, contrarias nobis: tu es enim Rex omnium nostrum, Christe Deus noster: et tu es cui mittimus laudem, etc.

Sacerdos dicit Orationem inclinationis.

Diaconus. Inclinate capita vestra Domino.

Tu, Domine, inclinavisti coelos et descendisti, et incarnatus es propter salutem generis humani: tu sedes super Cherubim et Seraphim, respicisque humiles. Tu nunc, Domine, cum levamus oculos cordium nostrorum ad te, Domine, qui remittis iniquitates nostras, qui redimis de interitu vitam nostram; adoramus misericordiam tuam inenarrabilem, rogamusque te, ut concedas nobis pacem tuam. Omnia nobis dedisti, acquire nos tibi, o Deus; neque enim alium novimus praeter te, et nomen tuum sanctum pronunciamus. Converte nos, Deus, ad timorem tuum, et desiderium tui; et concede ut perveniamus ad fruitionem bonorum tuorum. Et qui inclinaverunt capita sua sub manu tua, extolle eos in hujus vitae decursu: orna eos virtutibus, et praesta ut omnes digni simus regno tuo coelesti, per beneplacitum Dei Patris tui boni, cum quo tu es benedictus, et cum Spiritu sancto vivificante, tibique consubstantiali, nunc, etc.

Sacerdos dicet Orationem Absolutionis ad Filium. Domine Jesu Christe Fili unigenite, etc. *ut in Liturgia sancti Basilii.*

Sacerdos dicit Confessionem.

Corpus sanctum et sanguis pretiosus Jesu Christi Filii Dei nostri. Amen.

Populus. Amen.

Sanctum et pretiosum corpus et sanguis verus Jesu Christi Filii Dei nostri. Amen.

Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est in rei veritate. Amen.

Σῶμα ἅγιον καὶ αἷμα τίμιον Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Ἀμήν.

Ἅγιον τίμιον σῶμα καὶ αἷμα ἀληθινὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Ἀμήν.

Haec Coptice dicuntur.

Credo, credo, credo et confiteor usque ad ultimum vitae spiritum, hoc esse corpus vivificum, quod accepisti, Christe Deus noster,

ex Domina omnium nostrum, Deipara, pura, sancta Maria, fecistique illud unum cum divinitate tua, absque confusione, commistione, aut alteratione: et confessus es confessionem bonam coram Pontio Pilato. Dedisti illud pro nobis super lignum sanctum crucis, voluntate tua sola, pro nobis omnibus. Credo divinitatem tuam separatam non fuisse ab humanitate tua, ne momento quidem aut nictu oculi. Dedisti eam pro nobis ad salutem, remissionem peccatorum et vitam aeternam iis qui ex illo communicabunt. Credo hoc vere ita esse.

Oratio gratiarum actionis post Communionem.

Gratias agimus tibi, Christe Deus, verbum verum ex substantia pura Patris: quia talem in modum dilexisti nos, et tradidisti te ipsum ad immolationem pro salute nostra; et largitus es nobis vitam, per corpus tuum sanctum, et sanguinem tuum pretiosum, quorum participatione nos modo dignatus es. Ea propter gratias agimus tibi, amator creaturae tuae, et mittimus tibi sursum gloriam, honorem et adorationem, cum Patre tuo bono, et Spiritu sancto vivificante, tibique consubstantiali, nunc, etc.

Oratio inclinationis post Communionem.

Qui est et fuit, (aeternus) qui venit atque iterum veniet, qui incarnatus et homo factus est, crucique affixus est propter nos: passus est propria voluntate in corpore, cum esset impassibilis tanquam Deus; involutus est et positus in sepulcro, surrexit a mortuis tertia die, et ascendit in coelum, sedetque ad dexteram majestatis Patris, et iterum venturus est judicare vivos et mortuos: quem benedicunt Angeli et laudant Archangeli, cujus gloriam loquuntur Seraphim, quem adorant Cherubim, quem timent et tremunt omnes naturae, Filius, Verbum Dei Patris, Jesus Christus Dominus noster. Tu es cui inclinat se populus tuus et haereditas tua, quam acquisivisti sanguine tuo pretioso. Aspice nos omnes, Domine, de coelo sancto tuo, et ex habitaculo tuo praeparato: benedic servis tuis, per omnes benedictiones spirituales: custodi eos sub potenti manu tua: confirma eos in fide tua. Da illis et nobis puritatem animarum, corporum, spirituumque nostrorum, et concede nobis finem Christianum qui coram te acceptus sit: quia regnum tuum, Christe Deus noster, sanctitate

et gloria plenum est, quod nos omnes consequi speramus, per intercessionem Dominae omnium nostrum, sanctae genitricis Dei, semperque Virginis Mariae: et quatuor lucidorum Michaëlis, Gabrielis, Raphaelis, et Surielis: et quatuor animalium incorporeorum: et viginti quatuor Presbyterorum, Cherubim et Seraphim, et Ordinum coelestium: et per orationes Patriarcharum et Prophetarum: Joannis-Baptistae, et centum quadraginta quatuor millium; dominorum nostrorum Apostolorum, et primi Diaconorum Stephani: et D. Regis Georgii, totius chori martyrum, et chori cruce signatorum, piorum, justorum, virginum prudentum, et puerorum. Benedictio Angeli diei istius: benedictio Genitricis Dei Sanctae Mariae patronae istius Ecclesiae, et hujus diei quo ejus memoria celebratur: benedictiones eorum sanctae, gratiae, virtutes, dona, auxilia, patientia et caritas eorum, sint nobiscum usque in saeculum. Amen.

Alia Oratio Gratiarum actionis.

Gratias agimus tibi Pater noster sancte omnipotens, omnia praestans, creator omnium, qui dedisti nobis hunc cibum sanctum, immortalem, mysticum; qui aperuisti nobis viam vitae, qui ostendisti nobis semitam qua ascenderemus ad coelum, qui largitus es servis tuis multitudinem bonorum: tu, Domine bone amator hominum, conserva gratiam doni tui in nobis, ut non sit nobis ad condemnationem, sed sit requies, gloria, acquisitio vitae, confirmatio animae et puritas corpori, ut vivamus in te, et adimpleamus justitiam omni tempore: ut glorificetur nomen tuum in nobis, et tibi debetur honor, gloria, etc.

LITURGIA
SANCTI CYRILLI.

Sacerdos secreto. Creator rerum omnium visibilium et invisibilium, qui omnia per providentiam regis, tua enim sunt omnia, Domine, amator animarum: deprecor te, Domine omnipotens, ego imbellis, virtute carens, et inutilis prae omnibus ministris tuis, dum accedo ad sancta sanctorum tua, ad tractandum hoc mysterium sanctum. Da mihi, Domine, spiritum tuum sanctum, ignem materiae expertem, qui cogitatione comprehendi non potest; qui duritias omnes consumit, qui incendit inventiones malas, et occidit membra terrena et corporea, refraenatque motus animi, qui impellunt ad imaginationes plenas passione et dolore: Et sicut decet sacerdotes: effice me superiorem omni cogitatione mortali, et da mihi verba pura, ut perficiam hanc oblationem propositam, quae est mysterium omnium mysteriorum, in societate et communione Christi tui, cui tecum debetur gloria, et Spiritui sancto vivificanti, tibique consubstantiali nunc etc.

Oratio pacis S. Cyrilli.

Sacerdos. Autor vitae et rex saeculorum, Deus cui flectitur omne genu eorum quae in coelis sunt, super terram, et quae sub terra: cui omnia subjiciuntur obsequio servitutis, et inclinantur sub sceptro Regni ejus, quem laudant exercitus angelici, ordines coelestes, et naturae intellectuales, incessabili voce loquentes divinitatem ejus: qui ita voluisti, ut nos imbelles et terreni, ministraremus tibi, non propter puritatem manuum nostrarum, aut aliquod bonum opus nostrum super terram, sed quia placuit tibi communicare nobis servis tuis infimis et indignis, quiddam ex puritate tua. Suscipe nos ad te, o bone, et amator hominum, ut accedamus ad altare tuum sanctum, secundum magnam misericordiam tuam: et fac nos dignos pace coelesti quae decet divinitatem tuam: quaeque salute plena est, ut demus eam invicem in caritate perfecta, et osculemur nos mutuo,

in osculo sancto, neque per cogitationes abominabiles, despectui habeamus timorem tuum, aut mente dolosa et malitia proditoris: neque conscientiam habentes nequitiae consentientem, sed cum gaudio animarum nostrarum et laetitia cordis nostri, cum sit nobis signum magnum et perfectum dilectionis Unigeniti Filii tui. Ne repellas nos servos tuos propter maculas peccatorum nostrorum: tu enim qui creasti figmentum nostrum, scis quod nullus natus ex muliere sit, qui non peccet coram te. Fac nos omnes dignos, Domine, ut corde puro et anima plena gratiae tuae, stemus coram te, et offeramus tibi hoc sacrificium sanctum, rationale, spirituale, et incruentum, ad remissionem delictorum nostrorum, et veniam ignorantiarum populi tui: quia tu es Deus clemens et misericors, et ad te sursum mittimus gloriam, honorem, et adorationem, Pater, Fili, et Spiritus sancte nunc et semper etc.

Alia Oratio osculi pacis ad Patrem.

Deus caritatis, largitor concordiae, qui consilium unicum ad profectum dedisti nobis, cum praecepto novo, per Unigenitum filium tuum, ut diligeremus alterutrum, sicut dilexisti nos indignos et errantes, dedistique filium tuum dilectum pro vita et salute nostra: rogamus te, Domine, tribue nobis famulis tuis omni tempore vitae nostrae super terram, nunc vero praesertim et praecipue, animum immemorem malitiae prioris, conscientiam puram, et cogitationes sinceras, simulque cor diligens fratres, ut demus osculum spirituale, fugiamusque exemplum Judae proditoris, et quemadmodum discipuli tui et Apostoli sancti, salutemus invicem, et in sanctitate sanctificemur et mundemur, mediante Spiritu sancto tuo, per gratiam unigeniti filii tui etc.

ANAPHORA S. CYRILLI.

Sacerdos. Dominus vobiscum.
Populus. Et cum Spiritu tuo.
Sacerdos. Sursum corda.
Populus. Habemus ad Dominum.
Sacerdos. Gratias agamus Domino.
Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos. Dignum et justum est, quia tu vere dignus es: justum et sanctum, conveniens et necessarium, animabus, corporibus, spiritibusque nostris, aeterne Domine, Domine Deus Pater omnipotens, semper et in omni loco dominationis tuae, ut laudem te, psallam tibi, benedicam tibi, serviam tibi, adorem te, gratias agam tibi, celebrem te et confitear tibi die ac nocte, labiis indesinentibus, corde nunquam silenti, et laude non interrupta. Tu creasti coelos et quae in coelis sunt, terram et omnia quae in ea sunt, maria, flumina, fontes, et paludes, et quaecumque in eis sunt. Tu creasti hominem ad imaginem et similitudinem tuam, et omnia creasti in sapientia tua, in lumine tuo vero, unigenito filio tuo, Domino, Deo, Salvatore et Rege nostro Jesu Christo: propter quod gratias agimus tibi et offerimus tibi, eique simul et Spiritui sancto, Trinitati sanctae, consubstantiali et indivisae, hoc sacrificium rationabile et hoc ministerium incruentum, quod offerunt tibi omnes populi ab ortu solis usque ad occasum; a septemtrione ad austrum, quia nomen tuum, Domine, magnum est in omnibus gentibus et in omni loco offerunt incensum nomini tuo sancto, et sacrificium purum, simul cum hoc sacrificio et hac oblatione.

Sacerdos accipit thuribulum et adolet incensum.

Domine miserere. Rogamus et obsecramus bonitatem tuam, amator hominum. Memento, Domine pacis, unius, unicae, sanctae, Catholicae, et Apostolicae Ecclesiae.

Diaconus. Orate pro pace unius, sanctae, Catholicae et Apostolicae Ecclesiae, pro salute populorum, et securitate cujuscumque loci, et ut dimittantur nobis peccata nostra.

Sacerdos. Quae est a finibus ad fines terrae etc. *ut in Missa Basilii.*

Domine miserere. Infirmos populi tui sana.

Diaconus. Orate pro patribus et fratribus nostris.

Sacerdos. Visita eos in misericordia. *Et perficitur ex oratione incensi diluculo diei.* Patres fratresque nostros peregre profectos.

Diaconus. Orate pro patribus, fratribusque nostris peregre profectis.

Sacerdos. Et pro illis qui designaverunt ad quemcumque locum proficisci etc. *Perficitur ex eadem oratione incensi.* Serenum

et salubrem praesta, Domine, aërem coeli, et fructibus terrae benedic.

Diaconus. Orate pro aëre coeli et fructibus.

Sacerdos. Fac ut crescant juxta virtutem suam. *Ut in Missa Basilii.*

Domine, miserere Regis terrae famuli tui.

Diaconus. Orate ut Christus Deus noster etc.

Sacerdos. Conserva illum in pace et justitia, et potentia ut subjiciantur illi omnes barbari, et gentes quae bella volunt: da nobis bonorum affluentiam: loquere ad cor ejus, pro pace unicae tuae, Catholicae et Apostolicae Ecclesiae: fac ut cogitet ea quae pacis sunt, erga nos et erga nomen tuum sanctum, ut vitam tranquillam et placidam ducamus: atque in omni pietate et honestate confirmati inveniamur apud te.

Domine miserere. Patribus, fratribusque nostris, qui obdormierunt, et quorum animas suscepisti, quietem praesta. Memento etiam omnium sanctorum qui a saeculo tibi placuerunt, Patrum nostrorum sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Praedicatorum, et omnium spirituum justorum qui in fide perfecti fuerunt. Praecipue autem sanctae gloriosissimae, Deiparae, semper Virginis, purae et illibatae sanctae Mariae. etc. *Ex Missa Basilii.* et omnis chori sanctorum tuorum.

Sacerdos. Tono Jobi. Et nos, Domine, digni non sumus qui pro beatis illis supplicemus: sed quoniam illi stant coram solio Filii tui unigeniti, ipsi intercedant loco nostro pro paupertate et infirmitate nostra. Dimitte iniquitates nostras, propter deprecationes eorum, et propter nomen tuum benedictum quod invocatum est super nos.

Diaconus. Orate pro patribus etc.

Sacerdos. Memento, Domine, Patrum nostrorum Orthodoxorum Archiepiscoporum, quorum obitus praecessit, eorum qui verbum veritatis recte dispensaverunt, et da nobis partem, et haereditatem cum eis. Rursus eorum memento quorum hodie memoriam facimus.

Sacerdos post Diptycha. Et illorum, omniumque, Domine, quorum nomina recitamus, et quorum non recitamus: quos unusquisque nostrum in mente habet, et eorum quorum memoria non occurrit nobis, qui dormierunt, et quieverunt in fide Christi. Dignare, Domine, praestare, ut requiescant animae illorum omnes in sinu patrum nostrorum sanctorum Abraham, Isaac et Jacob etc.

Domine miserere.

Sacerdos. Sacrificia, oblationesque in gratiarum actionem, eorum qui offerunt laudem et gloriam nomini tuo sancto.

Diaconus. Orate pro illis qui de suo, sacrificia et oblationes fecerunt.

Sacerdos. Suscipe ea super altare tuum spirituale, coeleste, cum odore thuris, ad majestatem tuam coelestem, per ministerium Angelorum, et Archangelorum tuorum sanctorum, sicut ad te suscepisti munera justi Abel, et sacrificium patris nostri Abrahami, et minuta duo viduae. Ita quoque vota servorum tuorum accepta habe: sive multum, sive parum sit; secreto aut manifeste; et illis qui voluerunt offerre, nec unde facerent habuerunt: ut etiam illis qui hodie haec tibi munera obtulerunt, da incorruptibilia pro corruptibilibus: coelestia pro terrenis: aeterna pro temporalibus: domos eorum et cellas penuarias reple bonis omnibus. Circumda eos, Domine, potestate Angelorum et Archangelorum tuorum sanctorum: et sicut memores fuerunt nominis tui sancti super terram, memento illorum in regno tuo, et in hoc saeculo ne derelinquas eos.

Domine miserere.

Diaconus. Orate pro vita et incolumitate Patriarchae et Patris nostri venerabilis, Archiepiscopi Patris N. ut Christus Deus noster conservet vitam ejus ad multos annos, ac temporibus tranquillis.

Sacerdos. Patriarcham nostrum venerabilem Patrem Anba N. custodiendo conserva nobis ad multos annos, et per tranquilla tempora, ut adimpleat perfecte officium sancti Pontificatus qui illi a te collatus est, secundum voluntatem tuam sanctam et beatam, recte dispensans verbum veritatis, et pascens populum tuum in sanctitate et justitia. Concede illi et nobis pacem et salutem ex quacumque parte: et preces ejus quas facit pro nobis et pro omni populo tuo, ut eas quae pro illo a nobis fiunt, suscipe eas ad te super altare tuum rationabile, coeleste cum odore thuris. Inimicos quoque ejus omnes, visibiles et invisibiles, contere et dejice sub pedibus ejus velociter: illum quoque conserva in pace et justitia, in Ecclesia tua sancta.

Domine miserere.

Diaconus. Orate pro patribus nostris Episcopis ubicumque sint, ut Christus Deus noster conservet vitam eorum, ad multos annos, per tempora tranquilla, et parcat nobis.

Sacerdos. Memento, Domine, Episcoporum Orthodoxorum in quocumque loco sint: Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lecto-

rum, Cantorum, Exorcistarum, Monachorum, Virginum, Viduarum, Orphanorum, continentiam exercentium, et laïcorum: illorum qui matrimonio juncti sunt, et illis qui educant filios: qui dixerunt nobis mementote nostri, et qui non dixerunt: quos novimus, et quos non novimus: inimicorum et amicorum nostrorum: Domine, eorum miserere.

Domine miserere. Memento, Domine, reliquorum Orthodoxorum qui sunt ubique terrarum.

Diaconus. Orate pro reliquis Orthodoxis qui sunt ubique terrarum: ut Christus Deus noster, sit illis propitius, et misereatur eorum, et parcat nobis.

Sacerdos. Domine miserere. Memento, Domine, hujus loci, sancti tui et omnium habitationum Patrum nostrorum Orthodoxorum.

Diaconus. Orate pro securitate hujus loci et omnium locorum, Patrum nostrorum Orthodoxorum, Eremitarum et Anachoretarum, illorumque qui habitant in eis, et pro securitate totius mundi, ut Christus Deus noster conservet eos ab omni malo, et parcat nobis.

Sacerdos. Omnes urbes, regiones, et provincias, et omnes domos fidelium conserva, et nos omnes in fide Orthodoxa usque ad extremum spiritum: haec enim unica spes nostra est.

Domine miserere. Memento, Domine, circumstantium, qui nobiscum deprecationis participes sunt.

Diaconus. Orate pro circumstantibus qui hic participes sunt nobiscum deprecationis: ut Christus Deus noster conservet eos, misereaturque eorum, et parcat nobis.

Sacerdos. Patres et fratres nostros, et reliquos ubicumque terrarum sint, conserva nobiscum, praesidio exercitus potestatum sanctarum: et libera nos a telis igneis Diaboli, et ab omnibus insidiis diabolicis, et ab omni laqueo vanae gloriae.

Domine miserere.

Sacerdos. Memento, Domine, eorum omnium qui nobis praeceperunt, ut eorum memores essemus in orationibus et supplicationibus ad te nostris.

Diaconus. Orate pro omnibus qui nobis praeceperunt, ut eorum memores essemus in orationibus et supplicationibus nostris, ut Christus Deus noster liberet eos ab omni malo.

Sacerdos. Quas offerimus tibi, Christe Deus noster, praesertim hoc tempore, hujus oblationis sanctae: quorum memoriam semper agimus, et quos unusquisque nostrum in mente habet, et eorum com-

memoratio quae hodie agitur, sit ipsis tanquam murus firmus, superans omnes daemoniorum insultus, et consilia hominum improborum.

Diaconus. Adorate Deum cum timore.

Sacerdos. Memento, Domine, tenuitatis meae, et miseriae animae meae, et largire mihi, ut intelligam quantae dignitatis sit adstare me ad altare tuum sanctum. Aufer a me omnia desideria insipientiae, et juventutis: neque hoc mihi grave sit cum respondendum erit in die illo terribili. Libera me etiam ab omnibus operationibus potestatis adversarii: neque me perdas propter iniquitates meas, neque irascaris mihi usque in aeternum, neque serves mihi mala mea, sed ostende mihi bonitatem erga me tuam, et libera me indignum, secundum multitudinem misericordiae tuae super me. *Tono Genesis.* ut benedicam tibi semper omnibus diebus vitae meae.

Domine miserere. Memento, Domine, consessus hujus sacerdotalis sancti tui, et omnis Ordinis sacerdotalis Orthodoxi.

Diaconus. Orate pro hac sancta congregatione sacerdotali, et pro omni Ordine sacerdotum Orthodoxorum, ut Christus Deus noster confirmet illos in fide Orthodoxa usque ad extremum spiritum.

Sacerdos. Et omnis ordinis sacerdotalis Orthodoxorum et universi populi qui stat coram te. Memento nostri, Domine, Domine, in misericordia et miserationibus, et dele iniquitates nostras, o bone, amator hominum Deus. Esto socius nobiscum, ut ministremus nomini tuo sancto.

Domine miserere. Benedic congregationibus nostris.

Diaconus. Orate pro hac congregatione nostra et pro omni congregatione populorum Orthodoxorum, ut Christus Deus noster benedicat et perficiat illos in pace et remittat nobis peccata nostra.

Sacerdos. Cultum idolorum prorsus ex mundo extermina: satanam et omnes potestates ejus pessimas contere et deprime sub pedibus nostris velociter: scandala et eorum autores compesce, ut finiantur divisiones perniciosae haereseon: hostium Ecclesiae tuae sanctae, Domine, ut semper, ita etiam nunc destrue superbiam cordis: fac illis notam velociter imbecillitatem suam: reprime eorum invidiam, fraudes et machinationes, et calumnias quibus nos impugnant: easque redde omnes inutiles: dissipa consilia eorum, Deus, qui dissipasti consilium Achitophel. Exurge, Domine Deus, et dissipentur omnes inimici tui, et fugiant a facie tua omnes qui oderunt nomen

tuum sanctum, et populus tuus in benedictionibus millies millenis, et decies millies decies millenis, faciat voluntatem tuam.

In Cod. Scalig. et aliis aliquot ad unamquamque particulam interseritur Kyrie eleïson.

Diaconus. Qui sedetis, surgite.

Sacerdos. Solve captivos: salva eos qui necessitatem patiuntur: esurientes satia: conforta pusillanimes: lapsos erige: stantes confirma: errantes converte: perduc eos omnes ad viam salutis tuae: numera illos omnes cum populo tuo: libera nos a peccatis nostris: esto, Domine, nobis custos et protector in omnibus.

Diaconus. Ad Orientem aspicite.

Sacerdos. Tu es Deus excelsus super omnes principatus et potestates, dignitates et dominationes, et super omne nomen, quod nominari potest, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro: tu es coram quo assistunt mille milleni et decies millies, decies mille milleni Angeli et Archangeli sancti, tibi ministrantes. Tibi assistunt coram, duo animalia gloriosissima sex alis instructa, plena oculis, Seraphim et Cherubim: duabus alis tegunt facies suas, propter divinitatem tuam invisibilem, nec mente comprehensibilem: duabus tegunt pedes suos et duabus volant:

Hic signat proposita semel.

Sacerdos alta voce. Unusquisque eorum semper te sanctificat: sed et cum omnibus qui te sanctificant, suscipe quoque sanctificationem nostram a nobis, Domine, ut cum illis te laudemus, dicentes.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos. Vere pleni sunt coeli et terra gloria tua sancta, per Filium tuum unigenitum Dominum, Deum, Salvatorem et Regem nostrum omnium Jesum Christum. Imple hoc sacrificium tuum, Domine, benedictione quae a te est per illapsum super illam spiritus tui Sancti. ✝[a] Amen: et benedictione benedic. ✝[b] Amen: et purificatione purifica, Amen. Haec dona tua veneranda proposita coram te, hunc panem et hunc calicem. Quippe Filius tuus unigenitus Dominus, Deus, Salvator et rex noster omnium Jesus Christus, ea nocte qua tradidit se ipsum, ut pateretur pro peccatis nostris, ante mortem, quam propria sua voluntate suscepit pro nobis omnibus.

a *Signat secundo.*
b *Signat tertio.*

Populus. Credimus.

Sacerdos. Accepit panem in manus suas sanctas, immaculatas, puras, beatas, et vivificantes, et suspexit in coelum, ad te Deum Patrem suum, et omnium Dominum, et gratias egit.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et benedixit illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et sanctificavit illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et fregit illum, et dedit illum suis discipulis sanctis, et Apostolis puris dicens: Accipite, manducate ex eo vos omnes, Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, et pro multis tradetur in remissionem peccatorum; hoc facite in meam commemorationem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem post coenam, miscuit vino et aqua: et gratias egit.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et benedixit eum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et sanctificavit eum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et gustavit, deditque eum suis, praeclaris, sanctis discipulis, et Apostolis dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis effunditur et pro multis dabitur in remissionem peccatorum: Hoc facite in meam commemorationem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque enim manducabitis ex hoc pane, et bibetis ex hoc calice, annunciate mortem meam, et confitemini resurrectionem meam, et memoriam mei agite, donec veniam.

Populus. Mortem tuam annunciamus, Domine.

Sacerdos. Nunc, Deus Pater omnipotens, annunciamus mortem unigeniti Filii tui Domini, Dei, Salvatoris, et regis nostri omnium Jesu Christi: et confitemur resurrectionem ejus sanctam, et ascensionem ejus sursum in coelos, sessionemque ejus ad dexteram tuam, o Pater, et exspectamus adventum ejus secundum, quo venturus est ex coelis, terribilem et gloria plenum, in fine hujus saeculi: in quo veniet ad judicandum orbem in aequitate: et dabit unicuique secundum opera sua sive bonum, sive malum.

Populus. Secundum misericordiam tuam, Domine, et non secundum peccata nostra.

Sacerdos. Tu es coram cujus gloria haec sancta dona proponimus, ex illis quae tua sunt, Pater sancte.

Diaconus. Adorate Deum cum timore.

Sacerdos. Oramus et obsecramus bonitatem tuam amator hominum: ne confundas nos confusione aeterna, neque rejicias nos servos tuos, neque repellas nos a facie tua, neque dicas nobis nescio vos: sed da aquas capitibus nostris, et fontem lacrymarum oculis nostris, ut ploremus die ac nocte coram te delicta nostra; quia nos sumus populus tuus, et oves pascuae tuae. Dele iniquitates nostras, et remitte delicta nostra, quae commisimus voluntarie aut involuntarie, scienter vel ignoranter, occulta et manifesta quae pridem agnovimus, aut quae obliti sumus, et quae novit nomen tuum sanctum. Audi, Domine, deprecationem plebis tuae: respice ad suspiria servorum tuorum: neque propter peccata mea, aut immunditias cordis mei, deprives populum tuum adventu Spiritus tui sancti.

Populus. Miserere nostri, Deus pater omnipotens.

Sacerdos involvit manus suas velo, et signum crucis facit versus populum, mox dicit alta voce.

Populus enim tuus, et Ecclesia tua obsecrant te dicentes: *et mox respicit ad Orientem.*

Populus. Miserere nostri, Deus pater omnipotens.

Sacerdos. Miserere nostri, Deus pater omnipotens.

Diaconus. Adorate Deum patrem omnipotentem.

Sacerdos dicit invocationem secreto. Et mitte deorsum ex excelso tuo sancto, et ex habitaculo tuo praeparato, et ex incircumscripto sinu tuo, et ex solio regni gloriae tuae, Paraclitum spiritum tuum sanctum, subsistentem in persona tua, immutabilem, nec alterationi obnoxium, dominum, vivificantem, qui locutus est in lege, Prophetis, et Apostolis; qui est ubique et omnia loca replet, neque loco continetur: qui libere, propria potestate operatur, secundum voluntatem tuam, puritatem in iis quos diligit: et non sicut minister: qui est simplex in natura sua, et in operatione sua multiplex: fons donorum divinorum: consubstantialis tibi, a te procedens, socius throni regni gloriae tuae, cum Filio tuo unigenito, Domino, Deo, Salvatore et rege omnium nostrum Jesu Christo, super nos servos tuos, et super haec veneranda dona proposita coram te, super hunc panem, et super hunc calicem, ut purificentur et transferantur.

Diaconus. Attendamus.

Populus. Amen.

Sacerdos alta voce signans ter corpus.

Et hunc panem quidem, faciat corpus Christi.

Populus. Amen.

Sacerdos, signans ter sanguinem. Et hunc calicem faciat quoque sanguinem pretiosum testamenti novi.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ejusdem Domini, Dei, Salvatoris et Regis omnium nostrum Jesu Christi.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sint nobis omnibus, qui ea percepturi sumus, utilia ad obtinendam fidem sine disputatione, caritatem absque hypocrisi, patientiam perfectam, spem firmam, fiduciam, protectionem, sanationem, gaudium, et renovationem animae, corporis et spiritus, ad gloriam nominis tui sancti, ad societatem beatam vitae aeternae, et incorruptibilis, et ad remissionem peccatorum.

Populus. Sicut erat etc.

Sacerdos. Ut in hoc sicut et in omnibus rebus glorificetur, benedicatur et extollatur nomen tuum magnum, sanctissimum, venerandum et benedictum, cum Jesu Christo, Filio tuo dilecto, et Spiritu sancto.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Iterum gratias agamus Deo omnipotenti etc.

Reliqua petenda sunt ex Liturgia Basilii.

Oratio fractionis ad Patrem.

Deus qui praeelegisti nos ad dignitatem filiorum, per Jesum Christum Dominum nostrum, per beneplacitum voluntatis tuae, ad gloriam et laudem gratiae tuae, quam largitus es nobis per dilectum tuum, per quem facta est nobis salus, et per cujus pretiosum sanguinem data est nobis remissio peccatorum: gratias agimus tibi, Domine, Deus Pater omnipotens, quod nos feceris dignos, nos pecca-

tores, standi coram te in hoc loco sancto, et perficiendi mysterium hoc sanctum et coeleste: ut quemadmodum fecisti nos dignos ista perficiendi, ita etiam digni efficiamur communione et perceptione illorum. Tu qui aperuisti oculos coecorum, aperi oculos cordium nostrorum, ut repellamus a nobis tenebras omnes malitiae et nequitiae, quae maculae similitudinem habeat: ut possimus attollere oculos nostros ad splendorem gloriae tuae sanctae. Atque sicut mundasti labia servi tui Isaïae Prophetae, quando Seraphim unus accepit forcipe carbonem desuper altari, et accessit ad eum, dixitque illi: ecce tetigit hoc labia tua, et auferentur iniquitates tuae et mundabuntur omnia peccata tua, ita quoque fac erga imbelles peccatores, miseros servos tuos. Dignare sanctificare animas nostras, corpora nostra, labia et corda nostra: et da nobis carbonem illum verum, qui praestat vitam animabus, corporibus et spiritibus nostris, qui est corpus sanctum et sanguis pretiosus Christi tui: non ad condemnationem, aut ita ut incidamus in judicium; neque ad confusionem, aut ad fletum propter delicta nostra, ut non indigne illis communicemus, et propter illa rei non fiamus: neque multitudo beneficiorum tuorum, Domine, causa sit nobis gravioris, et majoris judicii, si erga te ingrati sumus, bonorum auctor. Verum largire nobis spiritum sanctum tuum, ut cordibus puris, et conscientiis nitidis, facieque inconfusa, fide non ficta, caritate perfecta, et spe firma, audeamus cum fiducia orare, dicendo orationem sanctam quam dilectus filius tuus tradidit familiaribus suis, sanctis discipulis et Apostolis dicens illis. Quotiescumque precari volueritis, orate in hunc modum et dicite. Pater noster qui es in coelis.

Oratio post Pater noster.

Sacerdos. Rogamus te, Deus Pater omnipotens, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo: actiones diabolicas a nobis remove: insidias per consilia improborum hominum, omnes inutiles effice. Protege nos semper dextera tua vivificante, tu qui es adjutor noster, et auxiliator noster, per Christum Jesum Dominum nostrum cui, etc.

Oratio inclinationis ad Patrem.

Sacerdos. Deus qui ita nos dilexisti, dedistique nobis dignitatem filiorum, ut filii Dei vocaremur et essemus, haeredes quidem tui, Deus Pater, cohaeredes autem Christi tui; inclina aures tuas, et audi nos prostratos coram te: et purifica hominem nostrum interiorem, secundum sanctitatem Filii tui unigeniti, quem suscipere animo designamus: fugiantque a nobis fornicatio, et omnis cogitatio immunda, propter Deum qui ex Virgine (natus est). Gloriatio, et malum antiquum quod est superbia, propter eum qui humiliavit semetipsum pro nobis: timor, propter eum qui passus est in carne propter nos, et erexit victoriam crucis: vana gloria, propter eum qui verberatus et flagellatus est pro nobis, et non avertit faciem suam a confusione sputorum: invidia, homicidium, dissensio, et odium, propter agnum Dei qui abstulit peccatum mundi: ira, et injuriarum recordatio, propter eum qui affixit cruci chirographum peccatorum nostrorum. Fugiant daemones et diabolus, propter eum qui principes malitiae disjecit, et potestates tenebrarum palam triumphavit. Omnes cogitationes malas et terrenas procul rejiciamus a nobis, propter eum qui ascendit ad coelos, ut ita purificemur, et percipiamus haec mysteria pura, et perfecte purificati simus in animabus, corporibus, et spiritibus nostris: adeo ut participes simus corporis, sicut et formae, et partis Christi tui etc.

Alia Oratio gratiarum actionis.

Quam benedictionem aut quam laudem, aut quam gratiarum actionem possumus retribuere tibi, o Deus amator hominum, quod cum essemus projecti per judicium mortis, demersique in profundo peccati, concessisti nobis libertatem, largitusque es nobis hunc cibum immortalem et coelestem: manifestastique nobis hoc mysterium, prorsus absconditum a saeculis et generationibus, ut appareat nunc principatibus et potestatibus coelestibus ex Ecclesia multiplex sapientia tua. Deus qui opera nostra gubernas per sapientiam, dignare, ut comprehendamus hanc clementiam summam tuam, et magnitudinem paternae erga nos curae tuae, benignitatisque tuae. Vere tu es cui debetur omnis gloria, majestas, honor et imperium, ante omnia saecula, Pater, Fili, et Spiritus sancte: nunc etc.

Alia Oratio gratiarum actionis.

Respice, Domine, ad istos servos tuos qui inclinant capita sua coram gloria tua sancta: concede illis remissionem peccatorum suorum, benedic illos omnibus benedictionibus spiritualibus, et custodi eos dextera tua potenti. Confirma eos in dilectione tua; imprime timorem tuum cordibus eorum; aperi oculos animarum illorum, ut luceat super ipsos lumen divinitatis tuae: instrue illos donis Spiritus tui sancti: circumda eos armatura tua: custodi eos sub umbra bonitatis tuae: libera eos ab operibus malis diaboli, et contere omnia opera ejus, sub pedibus illorum velociter. Da illis ut perficiant praecepta tua sancta: insere illis desiderium bonorum tuorum aeternorum: deduc eos a pace in pacem: robora eos exercitibus Angelorum tuorum sanctorum: operibus manuum illorum benedic: dirige omnem semitam eorum, et rege vitam illorum: jube quae illis bona et convenientia sunt contingere; et ut quae illis concredita sunt bene vertant: nosque simul cum ipsis digni efficiamur gratia tua: et mittamus ad te sursum laudes regales quae majestati tuae debentur; et concede nobis ut inveniamus fiduciam coram te per intercessionem etc.

Finis Liturgiae S. Cyrilli.

DE SEQUENTIBUS BENEDICTIONIBUS

MONITUM.

Liturgiis Copticis istas benedictiones adjicere operae pretium visum est, cum ad eas quodammodo pertineant, et argumenta perspicua suppeditent fidei Coptitarum circa Eucharistiae sacramentum. Illas descripsimus ex Rituali Gabrielis Alexandrini Patriarchae, cujus libri praecipua est apud eos autoritas. Cum vero historia Patriarchalis ad illius usque tempora non perveniat, scimus tantum No. 422. Arab. *ex inscriptione Codicis qui servatur in Bibliotheca Regia, Gabrielem 88um. numerari in ordine Patriarcharum Coptitarum Alexandrinorum, et Ritualem librum ordinatum et ejus autoritate confirmatum fuisse anno Martyrum 1127. qui est J. C. 1411. non 427. ut mendose editum est in Historia Alexandrina. Easdem benedictiones quibusdam exceptis ediderat anno 1653. Leo Allatius in Symmictis, ex versione Athanasii Kircheri, vel cujusdam potius advenae Orientalis qui sententiam autoris saepe non assecutus est, nec videtur codicem habuisse satis integrum. Itaque novam versionem dare visum est ad Regium exemplar factam. In altero quem Kircherus secutus est, extabat subscriptio, qua notatur prodiisse Ritualem librum tempore Gabrielis nonagesimi quinti Patriarchae. Sed deceptus est libri descriptor, aut interpres, si quid aliud significare voluit, nisi quod codex scriptus fuisset tempore istius Patriarchae, qui Gabriel etiam dictus est; et Mischanensis ad alterius differentiam vocatur a Wanslebio, et ab autoribus Historiae Patriarchalis Bollandianae: inter quem et Gabrielem Ritualis reformatorem et promulgatorem, sex alii numerantur. Nemo autem, nisi in Orientalis Ecclesiae historia plane hospes, offendetur istis orationibus, quasi novitatem redoleant, cum vasorum sacrorum veneratio antiquissima sit in universa Ecclesia, quam religionem Orientales retinuerunt. Hinc miracula multa narrant de Eucharistia in illis facta, et illud praesertim in vita Jacobi Patriarchae L. de calice ex quo, cum* Hist. Patr. Alex. p. 270. *jussu Muhamedani Praefecti qui Ecclesiam vasis spoliaverat, ab aurifice frangi coepisset, magna fluxit sanguinis copia. Quae ad easdem benedictiones illustrandas pertinent in Notis dicentur.*

ORATIONES ET BENEDICTIONES

AD CONSECRATIONEM OMNIUM ALTARIS INSTRUMENTORUM.

Dicet Episcopus.

Deus bone, sancte, in sanctis requiescens, cujus benignitate et praeceptis accepit Moyses de sanguine, et aspersit super omnia instrumenta ministerii, petimus coram te prostrati, o amator hominum bone, ut digneris sanctificare haec instrumenta per Spiritum sanctum tuum et aspersionem sanguinis Christi tui, ut sint pura, et vasa ministerii sancti et veri, sacramentorum vitam conferentium, quae sunt corpus et sanguis pretiosus Christi tui, quia sanctum est nomen tuum et gloria plenum omni tempore, Pater, Fili, et Spiritus sancte nunc et semper, etc.

Signat ea, tum dicit. Benedictus Dominus Jesus Christus Filius Dei sancti, et Spiritus sanctus. Amen.

Oratio consecrationis Disci et Velorum ejus.

Dicet Episcopus.

Dominator Dominus Deus, Dominus bonus, extendat brachia sua sancta, et sanctificet discum plenum bonis, quae praeparavit diligentibus nomen suum sanctum, recumbentibus in convivio annorum mille. Et nunc, Domine, amator hominum, extende manum tuam divinam super discum hunc benedictum, quem impleturi sunt partibus sive reliquiis corporis tui sancti, quod offerent super altare Sanctuarii sanctae civitatis N. Gloria tibi cum Patre tuo bono, et Spiritu sancto, nunc et semper.

Accipiet Chrisma et discum signabit, dicetque. Benedictus Dominus Jesus Christus Filius Dei, et Spiritus sanctus. Amen.

Oratio pro Calice et Mappulis ejus.

Dicet Episcopus.

Dominator Domine Jesu Christe, verax, absque vitio, Deus simul et homo, cujus divinitas divisa non est ab ipsius humanitate,

qui sanguinem proprium effudisti tua voluntate pro creatura tua, impone manum tuam divinam super hunc calicem, sanctifica et purifica eum, ut feratur in eo sanguis ille pretiosus, et sit remedium et remissio iis omnibus qui ex eo vere bibent. Gloria tibi cum Patre tuo bono, et Spiritu sancto nunc et semper.

Accipiet Chrisma quo unget illum intus et foris, et dicet. Sanctitas, puritas, benedictio, et protectio iis omnibus qui bibent ex sanguine tuo, vero, et pretioso. Amen.

Oratio pro Cochleari.

Dicet Episcopus.

Deus qui servum tuum Isaïam dignum fecisti videndi Cherubim in cujus manu forceps erat, quo accepit carbonem ex altari et in os ejus illud injecit: nunc etiam Deus, Pater omnipotens, extende manum tuam super hoc cochlear, in quo suscipienda sunt membra corporis sancti, quod est corpus Filii tui unigeniti Domini, Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Benedic illud, sanctifica illud, da illi virtutem et gloriam forcipis, qui est in dextra Cherubim, quia tibi est potestas, gloria, et honor, cum Filio tuo unigenito Jesu Christo, Domino nostro, et Spiritu sancto, nunc et semper.

Signabit illud et dicet. Fortitudo, gloria, honor, et sanctificatio Trinitati sanctae, in Ecclesia una sancta civitatis N.

Oratio pro Mappa nigra quae est super altare.

Dicet Episcopus.

Dominator, Domine, Jesu Christe, princeps lucis, miserator, qui bona largiris sperantibus in te, qui coelos extendisti cum subtilitate, variosque colores in coelo et nubibus impressisti, quamvis re ipsa diversitas non sit. Nunc igitur, Domine, amator hominum, sit potentia tua divina in his instrumentis, mappis scilicet quibus involvuntur membra, seu reliquiae corporis tui sancti, ut mittas super eas virtutem linteorum quae involvebant corpus tuum sanctum, in sepulcro, et supercoelestibus sint similes. Quia tibi est potestas, et honor, etc.

Signabit eam myro, et dicet. Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus, ipsi fortitudo, gloria, et potestas Dei. Amen.

Consecratio tabulae ut altare fiat.

Episcopus dicet facie ad Orientem conversa.

Dominator, Domine, Deus omnipotens, qui creasti coelum et terram verbo et imperio tuo et eam replevisti Spiritu sancto tuo, creastique Angelos et Archangelos, Cherubim et Seraphim et omnem exercitum coelestem, maria et flumina et omnia quae in eis sunt. Petimus rogamusque a bonitate tua, o amator hominum, exaudi nos, extende manum tuam invisibilem, et benedic huic tabulae ligneae, ut fiat altare sanctum et mensa sancta, pro altari excelso et e lapide constructo. Tu jussisti servo tuo Moysi, ut sanctificaret tabernaculum sanctum, et omnia quae in eo erant: et ipse benedixit illis, juxta mandatum tuum ad se. Et ego servus tuus coram te consistens, rogo te, ut exaudias me vilem, pauperem, et indignum qui te rogem, o amator hominum bone, propter Jesum Christum Dominum nostrum, et Spiritum sanctum: benedic isti mensae, ut in ea sanctificetur quidquid super ipsam positum fuerit, et omnia altaris instrumenta per gratiam et misericordiam etc.

Tunc accipiet Chrisma sanctum et ex eo signabit tabulam in modum Crucis in quatuor ipsius lateribus dicens. Benedictus Dominus, Jesus Christus, Filius Dei sancti, et Spiritus sanctus, unicus et vivificus. Amen.

Oratio singularis pro altari, cum manibus haereticorum attrectatum fuerit cujuscumque generis, aut muris vel alterius animalis stercore fuerit inquinatum. Primum aqua abluetur, tum recitabuntur preces, adolebitque Episcopus incensum et dicet hanc orationem.

Dominator omnium, quae sunt in rerum natura, omnium existentium institutor, conditorque omnium creaturarum, benedictionibus omnes homines cumulans omni tempore, propter Salvatorem nostrum, et bona tribuens humano generi: qui fundasti terram super stabilitatem suam, qui facis mirabilia solus. Tu Domine in omni loco et in omni civitate et in omni regione dedisti eis Ecclesias, et constituisti in illis altare et praecepisti ut offerrentur nomini tuo sancto oblationes spirituales et sacrificia incruenta, ad salutem animarum humanarum.

Dicet Diaconus. Orate.

Dicet Episcopus facie ad Orientem conversa.

Tu nunc, Domine, per amorem tuum erga homines, mitte Spiritum sanctum tuum et purifica hoc altare ab omni perversa fide haereticorum, ab omnibus immunditiis corporeis, et omnibus actibus foedis et immundis, ut sit spes et salus fidei, iis qui accedent ad divinitatem tuam, renovatio animae corporis et spiritus, et remissio peccatorum, quia tu solus miserator et misericors es, longanimis et multae misericordiae et tibi debetur omnis gloria Patri, Filio et Spiritui sancto, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Et quinquies mensam et ejus quatuor latera Cruce signabit.

Finis benedictionum juxta Rituale Anba Gabrielis
Patriarchae Alexandrini.

MONITUM DE SEQUENTIBUS LITURGIIS.

Sequentes Liturgiae Basilii et Gregorii Theologi secundum ritum Alexandrinum descriptae sunt, et primum eduntur ex Codice Bibliothecae Regiae Graeco et Arabico numero 3023°. charactere Aegyptiaco scripti; cujus formam dedit V. C. D. Bernardus de Montfaucon in Palaeographia sua. De illis Liturgiis dictum est in Dissertatione praevia, et in Notis dicetur.

LITURGIAE GRAECAE

ALEXANDRINAE.

ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ.

* * * * * * * * * * * * *

Εὐχὴ τοῦ καταπετάσματος.

Ὁ ἱερεὺς λέγει ἐν ἑαυτῷ.

Δοξάζομέν σε δημιοῦργε καὶ βασιλεῦ τῶν ὅλων, καὶ προςκυνοῦμεν τὸ ἄῤῥητον καὶ σεβάσμιόν σου ὄνομα. Ἐπίβλεψον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐλέησον ἡμᾶς, καὶ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ πάντων πειρασμῶν, ὅτι παρά σου βοηθεία καὶ ἀντίληψις. Σῶσον τὸν λαόν σου, ὃν περιεποίησο διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου, δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ σοι ἡ τιμή.

LITURGIA S. BASILII ALEXANDRINA.

Ex Codice Graeco-Arabico.

Deest nonnihil.

Oratio Veli.

Sacerdos dicit secreto.

Te glorificamus opifex et rex omnium, et adoramus ineffabile et venerandum nomen tuum. Respice super nos et miserere nobis, et libera nos ab omnibus tentationibus, quia a te est auxilium, et protectio: salvum fac populum tuum quem adquisivisti per sanguinem Christi tui, per quem et cum quo tibi debetur gloria, etc.

Oratio alia ex divina Liturgia Apostoli et fratris Domini Jacobi.

Deus qui propter multam et inexplicabilem tuam erga homines caritatem, misisti unigenitum Filium tuum in mundum, ut ovem errabundam reduceret, ne repellas nos peccatores, qui offerimus tibi timendum hoc et incruentum sacrificium. Non enim in justitiis nostris confidentes sumus, sed in misericordia tua bona, per quam genus nostrum adquiris. Deprecamur et rogamus bonitatem tuam, procumbimusque coram te, ut non fiat in condemnationem populo tuo hoc institutum nobis ad salutem mysterium: sed sit in abolitionem peccatorum, ad renovationem animarum et corporum, et ad beneplacitum tuum Dei et Patris: et unigeniti filii tui: bonique et vivificantis et consubstantialis tibi Spiritus tui, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Εὐχὴ ἄλλη τῆς Θείας λειτουργίας τοῦ ἀποστόλου καὶ ἀδελφοθέου Ἰακώβου.

Ὁ Θεὸς ὁ διὰ πολλὴν καὶ ἄφατόν σου φιλανθρωπίαν ἐξαποστείλας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν εἰς τὸν κόσμον, ἵνα πεπλανημένον ἐπαναστρέψῃ πρόβατον, μὴ ἀποστραφῇς ἡμᾶς τοὺς ἁμαρτωλούς, ἐγχειροῦντάς σοι τὴν φοβερὰν ταύτην καὶ ἀναίμακτον θυσίαν. Οὐ γὰρ ἐπὶ ταῖς δικαιοσύναις ἡμῶν πεποιθότες ἐσμέν, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ἐλέει σου τῷ ἀγαθῷ, δι' οὗ τὸ γένος ἡμῶν περιποιῇ. Ἱκετεύομεν τὴν σὴν ἀγαθότητα, καὶ προσπίπτομέν σοι, ἵνα μὴ γένηται εἰς κατάκριμα τῷ λαῷ σου, τὸ οἰκονομηθὲν ἡμῖν τοῦτο πρὸς σωτηρίαν μυστήριον, ἀλλ' εἰς ἐξάλειψιν ἁμαρτιῶν, εἰς ἀνανέωσιν ψυχῶν καὶ σωμάτων, εἰς εὐαρέστησιν σήν, τοῦ θεοῦ καὶ πατρός, καὶ τοῦ μονογενοῦς σοῦ υἱοῦ, καὶ ἀγαθοῦ, καὶ ζωοποίου, καὶ ὁμοουσίου σου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Oratio pro pace.

Pax omnibus.

Iterum precemur omnipotentem et misericordem Deum, Patrem Domini, Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem obsecramus et rogamus te, Domine, amator hominum bone. Memento, Domine pacis, sanctae, unius, Catholicae et Apostolicae tuae Ecclesiae.

Εὐχὴ περὶ τῆς εἰρήνης.

Εἰρήνη πᾶσι.

Καὶ πάλιν παρακαλέσωμεν τὸν παντοκράτορα, καὶ ἐλεήμονα θεόν, τὸν πατέρα τοῦ κυρίου δέ, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ κύριε. Μνήσθητι κύριε τῆς εἰρήνης, τῆς ἁγίας, μόνης, καθολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς σου ἐκκλησίας.

Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τῆς ἁγίας, μόνης, κλ'.

Τῆς ἀπὸ περάτων τῆς οἰκουμένης, μέχρι τῶν περάτων αὐτῆς, καὶ πάντων τῶν λαῶν, καὶ πάντων τῶν ποιμνίων. Τὴν ἐξ οὐρανοῦ εἰρήνην, βράβευσον ταῖς ἁπάντων ἡμῶν καρδίαις· ἀλλὰ καὶ τοῦ βίου τούτου εἰρήνην ἡμῖν δώρησαι. Τὸν βασιλέα, τὰ στρατιωτικὰ τάγματα, τοὺς ἄρχοντας, βουλάς, δήμους, γείτονας ἡμῶν, εἰσόδους καὶ ἐξόδους ἡμῶν, ἐν πάσῃ εἰρήνῃ κατακόσμησον. Βασιλεὺς τῆς εἰρήνης, τὴν σὴν εἰρήνην δὸς ἡμῖν, πάντα γὰρ ἀπέδωκας ἡμῖν, κτῆσαι ἡμᾶς ὦ θεός· ἐκτός σου ἄλλον οὐκ οἴδαμεν· τὸ ὄνομά σου ὀνομάζομεν. Ζωοποίησον τὰς ἁπάντων ἡμῶν ψυχάς, διὰ τοῦ ἁγίου σου πνεύματος· καὶ μὴ κατισχύσῃ θάνατος ἁμαρτίας καθ' ἡμῶν τῶν δούλων σου, μηδὲ κατὰ παντὸς τοῦ λαοῦ σου.

Orate pro pace unius, sanctae Ecclesiae, etc.

Quae est a finibus usque ad fines orbis, omniumque populorum, et omnium gregum. Pacem quae e coelo est inmitte cordibus omnium nostrum: sed et vitae hujus pacem nobis concede. Regem, militares ordines, principes viros, consilia, plebes, vicinos nostros, ingressus et egressus nostros, omni pace exorna. Rex pacis, pacem tuam da nobis: omnia enim dedisti nobis. Posside nos, Deus: qui praeter te alium non novimus: nomen tuum appellamus. Vivifica omnium nostrum animas, per Spiritum tuum sanctum; neque praevaleat adversus nos servos tuos mors peccati, neque adversus omnem populum tuum.

Εὐχὴ περὶ τοῦ Πάπα.

Καὶ πάλιν παρακαλέσωμεν τὸν παντοκράτορα καὶ ἐλεήμονα θεόν, τὸν πατέρα τοῦ κυρίου δέ, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθὲ κύριε. Μνήσθητι κύριε τοῦ ἁγιωτάτου, καὶ μακαριώτατου ἀρχιερέως ἡμῶν Ἄββα Δ'. συντηρήσων συντήρησον ἡμῖν αὐτὸν ἔτεσι πολλοῖς, καὶ χρόνοις εἰρηνικοῖς, ἐκτελοῦντα αὐτὸν τὴν ὑπό σου ἐμπεπιστευμένην αὐτῷ ἁγίαν ἀρχιερωσύνην, κατὰ τὸ ἅγιον καὶ μακάριόν σου θέλημα· ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας,

Oratio pro Papa.

Rursus etiam rogemus omnipotentem et misericordem Deum, Patrem Domini, Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem obsecramus et rogamus, te amator hominum, bone Domine. Memento, Domine, sanctissimi et beatissimi Pontificis nostri Abba N. Papae et Patriarchae magnae urbis Alexandriae. Conservans, conserva eum nobis, per annos multos et tempora pacifica, perfecte fungentem eo qui illi a te commissus est pontificatu sancto, secundum sanctam et beatam tuam

voluntatem, recte dispensantem verbum veritatis, pascentemque in sanctitate, et justitia populum tuum: cum omnibus Orthodoxis Episcopis, Presbyteris, Diaconis; cum omni plenitudine sanctae, solius, Catholicae et Apostolicae tuae Ecclesiae: pacem et sanitatem ipsis et nobis benigne concedens, diebus omnibus. Preces etiam illorum quas faciunt pro nobis et pro omni populo tuo, nosque pro ipsis, suscipe super coeleste et benedictum altare tuum, in odorem suavitatis. Omnem quidem inimicum ipsius visibilem aut invisibilem, contere et subjice sub pedibus ejus velociter: ipsum vero in sancta Ecclesia tua in pace et justitia conserva.

καὶ ποιμαίνοντα τὸν λαόν σου ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ· σὺν πᾶσιν ὀρθοδόξοις Ἐπισκόποις, Πρεσβυτέροις, Διακόνοις, σὺν παντὶ τῷ πληρώματι σῆς ἁγίας, καὶ μόνης, καθολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς σου ἐκκλησίας· εἰρήνην, καὶ ὑγιείαν αὐτοῖς τε καὶ ἡμῖν χαριζόμενος ἐκ πασῶν τῶν ἡμερῶν. Τὰς δὲ εὐχὰς αὐτῶν ἃς ποιοῦνται ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ὑπὲρ παντὸς τοῦ λαοῦ σου, καὶ ἡμεῖς ὑπὲρ αὐτῶν, πρόςδεξαι ἐπὶ τὸ οὐράνιον καὶ εὐλογημένον σου θυσιαστήριον εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Πάντα μὲν ἐχθρὸν αὐτοῦ ὁρατὸν ἢ ἀόρατον σύντριψον καὶ καθυπόταξον ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ ἐπὶ τάχει· αὐτὸν δὲ ἐν τῇ ἁγίᾳ σου ἐκκλησίᾳ ἐν εἰρήνῃ καὶ δικαιοσύνῃ διαφύλαξον.

Oratio pro congregatione.

Rursus invocemus omnipotentem et misericordem Deum, patrem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi per quem oramus......... *Deest ut videtur folium.* facientes voluntatem tuam sanctam, per gratiam et miserationes et benignitatem unigeniti Filii tui per quem et cum quo, etc.

Populus dicit. Credo in unum Deum.

Εὐχὴ περὶ τῆς ἐπισυναγωγῆς.

Καὶ πάλιν παρακαλέσωμεν, τόν παντοκράτορα καὶ ἐλεήμονα θεόν, τὸν πατέρα κυρίου δὲ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δι' οὗ δεόμεθα......... τας τὸ θέλημά σου τὸ ἅγιον· χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ] τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, δι' οὗ, καὶ μεθ' οὗ, κλ'.

Ὁ λαὸς λέγει. Πιστεύω εἰς ἕνα θεόν.

Oratio osculi pacis S. Basilii.

Pax omnibus.

Domine Deus qui creasti nos et adduxisti in vitam istam, qui demonstrasti nobis vias ad salutem;

Εὐχὴ ἀσπασμοῦ τοῦ ἁγίου Βασιλείου.

Εἰρήνη πᾶσιν.

Κύριε ὁ θεός ὁ κτίσας ἡμᾶς καὶ ἀγαγὼν εἰς τὴν ζωὴν ταύτην, ὁ ὑποδείξας ἡμῖν ὁδοὺς εἰς σωτηρίαν· ὁ χαρισάμενος ἡμῖν οὐ-

ρανίων μυστηρίων ἀποκάλυψιν. Σὺ εἶ ὁ θέμενος ἡμᾶς εἰς τὴν διακονίαν ταύτην, ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματός σου τοῦ ἁγίου. Εὐδόκησον δὴ κύριε τοῦ γενέσθαι ἡμᾶς διακόνους τῆς καινῆς σου διαθήκης, λειτουργοὺς τῶν ἁγίων σου μυστηρίων, ἵνα ἄξιοι γενώμεθα τοῦ προσφέρειν σοι δῶρά τε καὶ θυσίας, ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων, καὶ τῶν τοῦ λαοῦ σου ἀγνοημάτων. Καὶ δὸς ἡμῖν μετὰ παντὸς φόβου καὶ συνειδήσεως καθαρᾶς προσκομίσαί σοι τὴν πνευματικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον θυσίαν, ἣν προσδεξάμενος εἰς τὸ ἅγιον καὶ ὑπερουράνιον, καὶ νοερόν σου θυσιαστήριον εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, ἀντικατάπεμψον ἡμῖν τὴν χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος. Ναὶ ὦ θεὸς ἐπίβλεψον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἔπιδε ἐπὶ τὴν λογικὴν λατρείαν ἡμῶν ταύτην, καὶ πρόσδεξαι αὐτήν, ὡς προσεδέξω ἐκ τῶν ἁγίων σου ἀποστόλων τὴν ἀληθινὴν ταύτην λατρείαν· οὕτως καὶ ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν πρόσδεξαι τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα ἐν τῇ χρηστότητί σου κύριε, καὶ δὸς γενέσθαι εὐπρόσδεκτα, ἡγιασμένα ἐν πνεύματι ἁγίῳ, εἰς ἐξιλασμὸν τῶν ἡμετέρων πλημμελημάτων, καὶ τῶν τοῦ λαοῦ σου ἀγνοημάτων, καὶ εἰς ἀνάπαυσιν προκοιμηθέντων ψυχῶν, ἵνα καὶ ἡμεῖς οἱ ταπεινοί, καὶ ἁμαρτωλοὶ καὶ ἀνάξιοι δοῦλοί σου καταξιωθέντες ἀμέμπτως λειτουργεῖν τῷ ἁγίῳ σοῦ θυσιαστηρίῳ, λάβωμεν τὸν μισθὸν τῶν πιστῶν καὶ φρονίμων οἰκονόμων, καὶ εὕρω-

qui largitus es nobis coelestium mysteriorum revelationem: tu es qui constituisti nos ad hoc ministerium in potestate Spiritus tui sancti. Placeat tibi, Domine, fieri nos ministros novi tui Testamenti; administratores sanctorum tuorum mysteriorum, ut digni efficiamur offerre tibi dona et sacrificia pro peccatis nostris, et populi tui ignorantiis. Et da nobis ut cum omni timore et conscientia pura, offeramus tibi spirituale hoc, et incruentum sacrificium: quod suscipiens super altare tuum sanctum, supercoeleste et spirituale, in odorem suavitatis, mitte invicem nobis gratiam sancti tui Spiritus. Ita, o Deus, aspice super nos, et intuere rationalem hunc cultum nostrum, et suscipe illum, sicut suscepisti eumdem ab sanctis Apostolis tuis: cultum hunc verum. Ita et ex manibus nostris, (quamvis) peccatorum, suscipe proposita dona ista, per bonitatem tuam Domine; et concede, ut accepta fiant, sanctificata per Spiritum sanctum, ad expiationem delictorum nostrorum, et populi tui ignorantiarum, et ad requiem animarum eorum qui obierunt, ut etiam nos humiles, peccatores, et indigni servi tui, digni effecti inculpate ministrandi ad altare sanctum tuum, accipiamus mercedem fidelium, et prudentium oeconomorum, et inveniamus gratiam et misericordiam in die timenda retributionis tuae justae et bonae.

Nunc autem da nobis pacem in omnibus, et omni modo; et caritatem tuam concede nobis, Domine Deus noster, ad fraternum amorem neque simulatum, quo possimus ex puro corde nos invicem vehementer diligere. Dignare mundare nos ab omni inquinamento, ab omni dolo, omni malo, et versutia, et mortifera injuriarum recordatione: nosque fac dignos omnes, Domine, salutandi invicem in osculo sancto, ut a condemnatione immunes, participes simus immortalis et supercoelestis doni tui, per miserationes unigeniti Filii tui, per quem benedictus es, et glorificatus cum omnibus sanctis, etc.

μεν χάριν καὶ ἔλεος ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ φοβερᾷ τῆς ἀνταποδόσεώς σου τῆς δικαίας καὶ ἀγαθῆς. Καὶ τὰ νῦν, δὸς ἡμῖν τὴν εἰρήνην διὰ παντὸς ἐν παντὶ τρόπῳ· καὶ τὴν σὴν ἀγάπην, δώρησαι ἡμῖν κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον, ἐκ καθαρᾶς καρδίας ἀλλήλους ἀγαπήσασθαι ἐκτενῶς. Χάρισαι παντὸς ἀποκάθαρον μολύσματος, παντὸς δόλου, καὶ πάσης κακίας, καὶ πανουργίας, καὶ τῆς θανατηφόρου μνησικακίας, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς πάντας δέσποτα, ἀσπάσασθαι ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ, εἰς τὸ μετασχεῖν ἀκατακρίτως τῆς ἀθανάτου καὶ ἐπουρανίου σου δωρεᾶς, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ, καὶ δεδοξασμένος σὺν πάντων ἁγίων.

Oratio alia osculi pacis.

Deus qui es magnus et aeternus: qui creasti hominem in incorruptione, et mortem quae per invidiam Diaboli intraverat in mundum, per vivificam praesentiam unigeniti Filii tui destruxisti: qui pace coelitus demissa terram implevisti, propter quam te Angelorum exercitus glorificaverunt dicentes, Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus bona voluntas; bona illa voluntate pacis tuae imple corda nostra. Dignare mundare nos ab omni inquinamento, ab omni malo et versutia, et mortifera injuriarum recordatione: Nosque fac dignos salutandi invicem in osculo sancto,

Εὐχὴ ἄλλη τοῦ ἀσπασμοῦ.

Ὁ θεὸς ὁ μέγας, ὁ αἰώνιος, ὁ κτίσας ἐν ἀφθαρσίᾳ τὸν ἄνθρωπον καὶ τὸν εἰςελθόντα φθόνῳ τοῦ διαβόλου θάνατον εἰς τὸν κόσμον διὰ τῆς ζωοποιοῦ παρουσίας τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ καθελών, καὶ τῆς οὐρανόθεν εἰρήνης ἐμπλήσας τὴν γήν, ᾗ αἱ τῶν ἀγγέλων ἐδόξασάν σε στρατιαὶ λέγουσαι δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία· εὐδοκίᾳ τῆς σῆς εἰρήνης ἔμπλησον τὰς καρδίας ἡμῶν. Χάρισαι παντὸς ἀποκάθαρον μολύσματος, παντὸς δόλου, καὶ πάσης κακίας, καὶ τῆς θανατηφόρου μνησικακίας, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς ἀσπάσασθαι ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ εἰς τὸ μετασχεῖν ἀκατακρίτως

τῆς ἀθανάτου καὶ ἐπουρανίου σου δωρεᾶς, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, δι᾽ οὗ καὶ μεθ᾽ οὗ σοι δόξα καὶ τιμή, κλ'.

ut condemnationis immunes, participes simus immortalis et coelestis doni tui, in Christo Jesu Domino nostro, per quem, et cum quo tibi gloria et honor, etc.

Εὐχὴ ἄλλη τοῦ ἀσπασμοῦ.

Πᾶσαν ὑπερεκκύπτει τοῦ λόγου δύναμιν, καὶ νοῦ φαντασίαν, ἡ τῶν σῶν δωρεῶν, ὦ δέσποτα φιλοτιμία. Ἃ γὰρ ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν ἀπέκρυψας, αὐτὰ τοῖς νηπίοις ἡμῖν ἀπεκάλυψας. Καὶ οἱ προφῆται καὶ βασιλεῖς ἐπιθυμήσαντες ἰδεῖν οὐχ ἑωράκασιν αὐτά, διακονεῖν καὶ τούτοις ἁγιάζεσθαι, τοῖς ἁμαρτωλοῖς ἡμῖν ἐδωρήσω. Τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ παρέστησας ἡμῖν τὴν οἰκονομίαν καὶ τῆς θυσίας ταύτης τὴν μυσταγωγίαν, καθ᾽ ἂν οὐ νομικὸν αἷμα, οὐ σαρκὸς δικαίωμα, ἀλλὰ πνευματικὸν μέν ἐστι τὸ πρόβατον, ἡ μάχαιρα δὲ λογική τε καὶ ἀσώματος. Ταύτην οὖν σοι προκομίζοντες τὴν θυσίαν, αἰτοῦμέν σε φιλάνθρωπε, καθάρισον ἡμῶν τὰ χείλη, καὶ πάσης ὑλικῆς ἐπιμιξίας τὸν νοῦν ἡμῶν ἐλευθέρωσον. Ἀντικατάπεμψον ἡμῖν τὴν χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς ἀσπάσασθαι ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ, εἰς τὸ μετασχεῖν ἀκατακρίτως τῆς ἀθανάτου καὶ ἐπουρανίου σου δωρεᾶς, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, δι᾽ οὗ· κλ'.

Καὶ γίνεται ὁ ἀσπασμός.

Ὁ *Διάκων λέγει.* Στῶμεν καλῶς.

Ὁ *Ἱερεὺς ἐκφωνήσει.* Ὁ κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν.

Ὁ *Λαὸς λέγει.* Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Alia Oratio osculi pacis.

Omnem superat vim rationis, et intellectus imaginationem, donorum tuorum Domine, magnificentia: quae enim a sapientibus et prudentibus absconderas, ea parvulis nobis revelasti. Prophetae etiam et Reges cupientes ea videre, non viderunt, quae administrare, et per ea sanctificari dedisti nobis peccatoribus. Unigeniti Filii tui dispensationem nobis exhibuisti, et hujus sacrificii mystagogiam, in qua non legalis sanguis, non carnis justificatio, sed agnus spiritualis est: gladius quoque spiritualis et incorporeus. Hoc igitur sacrificium tibi offerentes, petimus a te amator hominum, purifica nostra labia, et ab omni mistione materiali mentem nostram libera. Mitte nobis invicem gratiam sancti tui Spiritus, et nos dignos fac, salutandi invicem in osculo sancto, ut condemnationis immunes, participes simus immortalis et coelestis doni tui, in Christo Jesu Domino nostro, per quem.

Datur osculum pacis.

Diaconus dicit. Stemus decenter.

Sacerdos alta voce. Dominus sit cum vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum habeamus corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos. Dignum et justum: dignum et justum: vere dignum est et justum.

'Ο 'Ιερεὺς λέγει. "Ανω σχῶμεν τὰς καρδίας.

'Ο Λαὸς λέγει. "Εχομεν πρὸς τὸν κύριον.

'Ο 'Ιερεὺς λέγει. Εὐχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ.

'Ο Λαὸς λέγει. "Αξιον καὶ δίκαιον.

'Ο 'Ιερεὺς λέγει. "Αξιον καὶ δίκαιον, ἄξιον καὶ δίκαιον, ἀληθῶς ἄξιόν ἐστιν καὶ δίκαιον.

Initium oblationis.

Domine qui es, Deus veritatis, existens ante saecula et regnans in saecula: qui in excelsis habitas in saeculum et humilia respicis: qui fecisti coelum, et terram, et mare, atque omnia quae in eis sunt: Pater Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem omnia fecisti visibilia et invisibilia: qui sedes super thronum sanctae gloriae regni tui: qui ab omni sancta potestate adoraris.

Diaconus. Qui sedetis surgite.

Sacerdos. Cui adsistunt Angeli et Archangeli, Principatus et Potestates, Throni, Dominationes et Virtutes.

Diaconus dicit. Ad Orientem adspicite.

Qui circum te consistunt, Cherubim multi oculi, Seraphim sex alis instructi, semper laudantes, clamantes et dicentes.

Diaconus. Attendamus.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth.

'Αρχὴ τῆς προςκομιδῆς.

'Ο ὢν δέσποτα κύριε, ὁ θεὸς τῆς ἀληθείας, ὁ ὑπάρχων πρὸ τῶν αἰώνων, καὶ βασιλεύων εἰς τοὺς αἰῶνας· ὁ ἐν ὑψηλοῖς κατοικῶν εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ τὰ ταπεινὰ ἐφορῶν. 'Ο ποιήσας οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς. 'Ο πατὴρ τοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν 'Ιησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐποίησας τά τε ὅρατα καὶ τὰ ἀόρατα. 'Ο καθήμενος ἐπὶ θρόνου τῆς ἁγίας δόξης τῆς βασιλείας σου· ὁ παρὰ πάσης ἁγίας δυνάμεως προςκυνούμενος.

'Ο Διακὼν λέγει. Οἱ καθήμενοι ἀναστῆτε.

'Ο 'Ιερεύς. 'Ωι παραστήκουσιν ἄγγελοι καὶ ἀρχάγγελοι, ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι, θρόνοι, κυριότητες καὶ δυνάμεις.

'Ο Διάκονος λέγει. Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε.

Οἱ παρίστανται κύκλῳ σου, τὰ πολυόμματα Χερουβίμ, καὶ τὰ ἐξαπτέρυγα Σεραφίμ, διὰ παντὸς ὑμνοῦντα καὶ βοῶντα καὶ λέγοντα.

'Ο Διάκονος λέγει. Προσχῶμεν.

'Ο Λαὸς λέγει. "Αγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σαβαώθ.

Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος εἶ ἀληθῶς, κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν· ὃς ἔπλασας ἡμᾶς, καὶ ἔθου ἡμᾶς ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς τρυφῆς· παραβάντας δὲ τὴν ἐντολήν σου διὰ τῆς ἀπάτης τοῦ ὄφεως, καὶ ἐκπεσόντας ἡμᾶς ἐκ τῆς αἰωνίου ζωῆς, καὶ ἐξορισθέντας ἐκ τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς οὐκ ἀπέῤῥιψας ἡμᾶς εἰς τέλος, ἀλλὰ διὰ παντὸς ἐπεσκέψω ἡμᾶς διὰ τῶν ἁγίων σου προφητῶν, καὶ ἐπ᾽ ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων, ἐπέφανες ἡμῖν τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, διὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, κυρίου δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ ἐκ τῆς ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας σαρκωθεὶς καὶ ἐνανθρωπήσας, ὑπέδειξεν ἡμῖν ὁδοὺς σωτηρίας, χαρισάμενος ἡμῖν τὴν ἄνωθεν ἀναγέννησιν ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον· ἡγίασεν ἡμᾶς τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. Ὃς ἠγάπησε τοὺς ἰδίους τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, ἔδωκεν ἑαυτὸν ἀντίλυτρον τῷ βασιλεύοντι ἡμῶν θανάτῳ, ἐν ᾧ κατειχόμεθα πεπρασμένοι ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, καὶ κατελθὼν διὰ τοῦ σταυροῦ εἰς τὸν ᾅδην, ἀνέστη ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ· καὶ ἀνελθὼν εἰς οὐρανούς, ἐκάθισεν ἐν δεξίᾳ σου τοῦ πατρός, ὁρίσας ἡμέραν ἀνταποδόσεως, καθ᾽ ἣν ἐπιφανεὶς κρῖναι τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κατὰ τὸ ἔλεός σου κύριε καὶ μή, κλ'.

Sanctus, Sanctus, Sanctus es vere, Domine Deus noster, qui plasmasti nos, et fecisti nos, et posuisti nos in paradiso voluptatis. Cum vero transgressi essemus praeceptum tuum, per deceptionem serpentis, et excidissemus vita aeterna, expulsique essemus ex paradiso voluptatis, non abjecisti nos usque in finem, sed continenter praecepisti nobis per sanctos tuos prophetas, et in fine dierum istorum illuxisti nobis per unigenitum Filium tuum Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum: qui ex Spiritu sancto et ex sancta Domina nostra Deipara et semper Virgine Maria, carnem assumens et homo factus, demonstravit nobis vias salutis, concedens nobis supernam regenerationem ex aqua et spiritu, et fecit nos sibi populum adquisitum: sanctificavit nos Spiritu tuo sancto. Qui dilexit suos qui erant in mundo, deditque seipsum redemptionem regnanti super nos morti, in qua detinebamur venumdati sub peccato: cumque descendisset per crucem in infernum, resurrexit ex mortuis tertia die; et cum ascendisset in coelum, sedit ad dexteram tuam Patris, definiens diem retributionis, in quo manifestatus judicabit orbem in justitia, et reddet unicuique secundum opus suum.

Populus. Secundum misericordiam tuam Deus, et non, etc.

Sacerdos. Reliquit nobis hoc magnum pietatis mysterium. Cum enim traditurus foret se ipsum in mortem pro mundi vita.

Populus. Credimus.

Accepit panem in sanctas, immaculatas, et beatas suas manus, cumque adspexisset in excelsa coelorum ad te patrem suum, Deum nostrum et Deum universorum: Et cum gratias egisset.

Populus. Amen.

Benedixit.

Populus. Amen.

Sanctificavit.

Populus. Amen.

Fregit, dedit sanctis suis discipulis et Apostolis dicens: Accipite, manducate: Hoc est corpus meum quod pro vobis et multis frangitur et datur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem.

Similiter et calicem postquam coenassent, cum miscuisset ex vino et aqua, gratias egit.

Populus. Amen.

Benedixit.

Populus. Amen.

Sanctificavit.

Populus. Amen.

Gustavit, et postea dedit sanctis suis discipulis et Apostolis dicens, Accipite, bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus Novi Testamenti qui pro vobis et multis effunditur in remissionem peccatorum: Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim

Ὁ Ἱερεύς. Κατέλιπεν δὲ ἡμῖν τοῦτο τὸ μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Μέλλων γὰρ παραδοῦναι ἑαυτὸν εἰς θάνατον, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.

Ὁ Λαὸς λέγει. Πιστεύομεν.

Ἔλαβεν ἄρτον ἐπὶ τῶν ἁγίων καὶ ἀμώμων καὶ μακαρίων αὐτοῦ χειρῶν· ἀναβλέψας εἰς τὰ ὕψη τῶν οὐρανῶν πρός σε τὸν ἑαυτοῦ πατέρα θεὸν ἡμῶν, καὶ θεὸν ὅλων: Εὐχαριστήσας.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Εὐλογήσας.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Ἁγιάσας.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Κλάσας, μετέδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς, καὶ ἀποστόλοις, εἰπών· λάβετε, φάγετε, τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν κλώμενον καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

Ὁμοίως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι, κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, εὐχαριστήσας.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Εὐλογήσας.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Ἁγιάσας.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Γευσάμενος, πάλιν ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις εἰπών· λάβετε, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· τοῦτό μου ἐστὶν τὸ αἷμα τὸ τῆς καινῆς διαθήκης τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν· Ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίετε

τὸν ἄρτον τοῦτον, πίνητε δὲ καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, τὸν ἐμὸν θάνατον καταγγέλλετε, καὶ τὴν ἐμὴν ἀνάστασιν καὶ ἀνάληψιν ὁμολογεῖτε, ἄχρις οὗ ἂν ἔλθω.

manducaveritis panem hunc et calicem hunc bibetis, mortem meam annunciabitis et resurrectionem; ascensionemque meam confitebimini, donec veniam.

Ὁ *Λαὸς* λέγει. Ἀμήν, ἀμήν, ἀμήν. Τὸν θάνατόν σου κύριε.

Populus. Amen. Amen. Amen. Mortem tuam Domine, etc.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Μεμνημένοι τοίνυν καὶ ἡμεῖς τῶν ἁγίων αὐτοῦ παθημάτων, καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, καὶ τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀνόδου, καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν σου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καθέδρας, καὶ τῆς ἐνδόξου καὶ φοβερᾶς πάλιν ἐλεύσεως, τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν δώρων σοι προςφέρομεν, κατὰ πάντα, καὶ διὰ πάντα, καὶ ἐν πᾶσιν.

Sacerdos. Memores igitur et nos sanctarum ipsius passionum et resurrectionis a mortuis, atque ad coelos adscensionis, sessionisque ad dextram tuam Dei et Patris, gloriosique et timendi secundi adventus, tua ex tuis donis tibi offerimus, pro omnibus, propter omnia, et in omnibus.

Ὁ *Λαὸς* λέγει. Σὲ αἰνοῦμέν, σε εὐλογοῦμεν.

Populus. Te laudamus: tibi benedicimus.

Ὁ *Διάκονος* λέγει. Κλίνατε θεῷ μετὰ φόβου.

Diaconus. Inclinamini Deo cum timore.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει ἐν ἑαυτῷ. Καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθέ, κύριε, ἡμεῖς οἱ ἁμαρτωλοὶ καὶ ἀνάξιοι δοῦλοί σου, καὶ προςκυνοῦμέν σε εὐδοκίᾳ τῆς σῆς ἀγαθότητος, ἐλθεῖν τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ᾽ ἡμᾶς τοὺς δούλους σου, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενά σου δῶρα ταῦτα, καὶ ἁγιάσαι καὶ ἀναδεῖξαι ἅγια ἁγίων.

Sacerdos dicit secreto. Rogamus et deprecamur te amator hominum bone, Domine, nos peccatores et indigni servi tui, et adoramus te cum beneplacito bonitatis tuae: ut veniat Spiritus tuus sanctus super nos servos tuos, et super proposita haec dona tua, sanctificetque et efficiat ea sancta sanctorum.

Ὁ *Διάκονος* λέγει. Πρόσχωμεν.

Diaconus. Attendamus.

Ὁ *Λαὸς* λέγει. Ἀμήν.

Populus. Amen.

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφωνήσει. Καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, γίνεται εἰς τὸ ἅγιον σῶμα, αὐτοῦ τοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν τὴν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτοῦ μεταλαμβάνουσιν.

Sacerdos alta voce. Et faciat panem quidem istum, fieri corpus sanctum ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, et vitam aeternam, ex illo participantibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, pretiosum sanguinem Novi Testamenti, ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam, ex illo participantibus.

Populus. Amen. Kyrie eleison. *ter.*

Et nos fac dignos Domine, communicandi mysteriis tuis sanctis, ad sanctificationem animae, corporis, et spiritus, ut efficiamur unum corpus et unus spiritus; et inveniamus partem, consequamurque haereditatem cum omnibus sanctis qui a saeculo tibi placuerunt.

Memento, Domine, sanctae, unicae, Catholicae tuae Ecclesiae, et pacatam fac eam, quam adquisivisti pretioso sanguine Christi tui.

In primis memento, Domine, sancti Patris nostri Archiepiscopi Abba N. Papae et Patriarchae magnae urbis Alexandriae, quem dignare sanctis tuis Ecclesiis praestare in pace salvum, gloriosum, sanum, longaevum, recte dispensantem verbum veritatis, et pascentem gregem tuum in pace.

Memento, Domine, Orthodoxorum Presbyterorum, omnisque Ordinis Diaconici, et Ministerii, omniumque virginitatem servantium, et omnis fidelissimi populi tui.

Memento nostri Domine, ut omnium nostrum miserearis simul et semel.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Τὸ δὲ ποτήριον τοῦτο, τὸ τίμιον αἷμα τὸ τῆς καινῆς διαθήκης αὐτοῦ τοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν τὴν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτοῦ μεταλαμβάνουσιν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν. Κύριε ἐλέησον. γ'.

Καὶ καταξίωσον ἡμᾶς δέσποτα μεταλαβεῖν τῶν ἁγίων σου μυστηρίων εἰς ἁγιασμὸν ψυχῆς, καὶ σώματος καὶ πνεύματος, ἵνα γενώμεθα ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, καὶ εὕρωμεν μέρος καὶ κλῆρον ἔχειν μετὰ πάντων τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος εὐαρεστησάντων σοι.

Μνήσθητι, κύριε τῆς ἁγίας, μόνης, καθολικῆς σου ἐκκλησίας, καὶ εἰρήνευσον αὐτήν, ἣν περιεποιήσω ἐν τῷ τιμίῳ αἵματι τοῦ Χριστοῦ σου.

Ἐν πρώτοις μνήσθητι κύριε τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν ἀρχιεπισκόπου Ἄββα Δ. πάπα καὶ πατριάρχου τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας, ὃν χαρίσαι ταῖς ἁγίαις σου ἐκκλησίαις, ἐν εἰρήνῃ σῶον, ἔντιμον, ὑγιῆ, μακροημερεύοντα, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, καὶ ποιμαίνοντα τὸ ποίμνιόν σου ἐν εἰρήνῃ.

Μνήσθητι κύριε τῶν ὀρθοδόξων πρεσβυτέρων, καὶ πάσης διακονίας, καὶ ὑπηρεσίας, καὶ πάντων τῶν ἐν παρθενίᾳ, καὶ παντὸς τοῦ πιστοτάτου λαοῦ σου.

Μνήσθητι ἡμῶν κύριε, τοῦ ἐλεῆσαι ἡμᾶς πάντας ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐφάπαξ.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἐλέησον ἡμῶν ὁ θεός, ὁ πατήρ, ὁ παντοκράτωρ.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ἐλέησον ἡμῶν ὁ θεός, ὁ παντοκράτωρ. γ'.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον. γ'.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε καὶ σωτηρίας τῆς πόλεως ἡμῶν ταύτης, καὶ τῶν ἐν πίστει θεοῦ κατοικούντων ἐν αὐτῇ.

Μνήσθητι κύριε τοῦ ἀερός, καὶ τῶν καρπῶν τῆς γῆς.

Μνήσθητι κύριε τῶν ὑετῶν καὶ τῶν σπορίμων τῆς γῆς.

Μνήσθητι κύριε τῆς συμμέτρου ἀναβάσεως τῶν ποταμίων ὑδάτων.

Εὔφρανον πάλιν καὶ ἀνακαίνισον τὸ πρόςωπον τῆς γῆς· τοὺς αὔλακας αὐτῆς μέθυσον· πλήθυνον τὰ γεννήματα αὐτῆς. Παράστησον ἡμῖν αὐτὸ εἰς σπέρμα, καὶ εἰς θερισμόν, καὶ νῦν εὐλογῶν εὐλόγησον. Τὴν ζωὴν ἡμῶν οἰκονόμησον. Εὐλόγησον τὸν στέφανον τοῦ ἐνιαυτοῦ τῆς χρηστότητός σου, διὰ τοὺς πτωχοὺς τοῦ λαοῦ σου, διὰ τὴν χήραν καὶ τὸν ὄρφανον, διὰ τὸν ξένον, καὶ τὸν προςήλυτον, καὶ δι' ἡμᾶς πάντας τοὺς ἐλπίζοντας ἐπί σοι, καὶ ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον· οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ πάντων εἰς σε ἐλπίζουσι, καὶ σὺ διδῶς τὴν τροφὴν αὐτῶν ἐν εὐκαιρίᾳ. Ποίησον μεθ' ἡμῶν κατὰ τὴν ἀγαθότητά σου, ὁ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκί. Πλήρωσον χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν, ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες περιστεύσωμεν εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν, τὸ ποιεῖν τὸ θέλημά σου τὸ ἅγιον.

Populus. Miserere nostri Deus Pater omnipotens.

Sacerdos. Miserere nostri Deus Pater omnipotens. *ter.*

Populus. Kyrie eleison. *ter.*

Sacerdos. Memento etiam Domine salutis urbis nostrae hujus, et eorum qui cum fide Dei habitant in ea.

Memento, Domine, aëris et fructuum terrae.

Memento, Domine, pluviarum, et sementum terrae.

Memento, Domine, exundationis aquarum fluvialium juxta mensuram.

Laetifica etiam et renova faciem terrae: sulcos ejus inebria, multiplica genimina ejus. Praesta nobis illam, qualis esse debet ad sementem et ad messem: benedicendoque nunc benedic. Vitam nostram guberna. Benedic coronae anni benignitatis tuae, propter pauperes populi tui, propter viduam et orphanum, propter peregrinum et advenam, et propter nos omnes sperantes in te, et invocantes nomen tuum sanctum: oculi enim omnium in te sperant, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Fac nobiscum secundum bonitatem tuam qui das escam omni carni. Imple gaudio et laetitia corda nostra, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum, ad faciendam voluntatem tuam sanctam.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Memento, Domine, eorum qui pretiosa haec dona tibi offerunt, et eorum a quibus, propter quos et per quos ea intulerunt, mercedemque coelestem illis omnibus tribue: quando quidem Domine, praeceptum est unigeniti Filii tui, memoriae sanctorum nos communicare. Etiam meminisse dignare Domine, eorum qui a saeculo tibi placuerunt, sanctorum Patrum, Patriarcharum, Apostolorum, Prophetarum, Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, et omnis spiritus justi, qui in fide Christi consummatus est.

Praecipue vero sanctissimae, gloriosissimae, immaculatae, benedictionibus cumulatae, Dominae nostrae Deiparae, et semper Virginis Mariae.

Sancti gloriosi, Prophetae, Praecursoris, Baptistae, et Martyris Joannis.

Sancti Stephani primi Diaconorum et primi Martyrum.

Et sancti beatique Patris nostri Marci Apostoli et Evangelistae: et sancti Patris nostri Thaumaturgi Basilii.

Sancti N. cujus memoriam hodierna die celebramus, et omnis chori sanctorum tuorum, quorum precibus et intercessionibus, etiam nostri miserere, et salva nos propter nomen tuum sanctum quod invocatum est super nos.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε τῶν τὰ τίμια δῶρά σοι ταῦτα προςφερόντων, καὶ ὑπὲρ ὧν, καὶ δι᾽ ὧν, καὶ ἐφ᾽ οἷς αὐτὰ προςεκόμισαν, καὶ μισθὸν οὐράνιον παράσχου πᾶσιν αὐτοῖς. ἐπειδὴ δέσποτα πρόςαγμά ἐστιν τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τῆς μνήμης τῶν ἁγίων σου κοινωνεῖν ἡμᾶς. Ἔτι μνησθῆναι καταξίωσον κύριε, καὶ τῶν ἀπ᾽ αἰῶνος εὐαρεστάντων σοι ἁγίων πατέρων, πατριαρχῶν, ἀποστόλων, προφητῶν, κηρύκων, εὐαγγελιστῶν, μαρτύρων, ὁμολογητῶν, καὶ παντὸς πνεύματος δικαίου ἐν πίστει Χριστοῦ τετελειωμένου.

Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας, ὑπερενδόξου, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης, δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου, βαπτιστοῦ καὶ μάρτυρος Ἰωάννου.

Τοῦ ἁγίου Στεφάνου τοῦ πρωτοδιακόνου καὶ πρωτομάρτυρος.

Καὶ τοῦ ἁγίου μακαρίου πατρὸς ἡμῶν Μάρκου τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ· καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν θαυματούργου Βασιλείου.

Τοῦ ἁγίου Δ. οὗ καὶ τὴν μνήμην ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ ἐπιτελοῦμεν, καὶ παντὸς χοροῦ τῶν ἁγίων σου, ὧν ταῖς εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις καὶ ἡμᾶς ἐλέησον, καὶ σῶσον διὰ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον τὸ ἐπικληθὲν ἐφ᾽ ἡμᾶς.

Ὁ Διάκονος λέγει *τὰ δίπτυχα.*

Ὁ Ἱερεὺς λέγει ἐν ἑαυτῷ.

Ὁμοίως δὲ *μνήσθητι κύριε καὶ* πάντων τῶν ἱερωσύνῃ προαναπαυσαμένων, καὶ τῶν λαικῶν ταγμάτων· πάντων τὰς ψυχὰς ἀναπαύσας καταξίωσον, ἐν κόλποις τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακώβ. Ἔκτρεψον, σύναψον εἰς τόπον χλόης, ἐπὶ ὕδατος ἀναπαύσεως ἐν παραδείσῳ τρυφῆς, ἔνθα ἀπέδρα ὀδύνη, καὶ λύπη καὶ στεναγμὸς ἐν τῇ λαμπρότητι τῶν ἁγίων σου.

Καὶ μετὰ τὰ δίπτυχα Ἱερεὺς λέγει.

Ἐκείνους μὲν κύριε τὰς ψυχὰς ἐκεῖ λαβὼν ἀνάπαυσον, καὶ βασιλείας οὐρανῶν καταξίωσον. Ἡμᾶς δὲ τοὺς ἐνταῦθα παροικοῦντας διατήρησον ἐν πίστει σου, καὶ ὁδήγησον ἡμᾶς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου χαριζόμενος ἡμῖν τὴν σὴν εἰρήνην, διὰ παντός, ἵνα σου καὶ ἐν τούτῳ καθὼς καὶ ἐν παντὶ δοξάσθῃ καὶ ὑψώθῃ, καὶ ὑμνήθῃ καὶ εὐλογήθῃ, καὶ ἁγιάσθῃ, τὸ πανάγιον καὶ ἔντιμον, καὶ εὐλογημένον ὄνομά σου, σὺν Χριστῷ Ἰησοῦ καὶ ἁγίῳ πνεύματι.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ὥσπερ ἦν.

Ὁ Διάκονος λέγει. Κατέλθετε οἱ διάκονοι.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Προοίμιον τῆς κλάσεως.

Καὶ πάλιν εὐχαριστήσωμεν τῷ παντοκράτορι Θεῷ, τῷ πατρὶ κυρίου δὲ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι νῦν κατηξίωσεν ἡμᾶς στῆναι ἐν τῷ ἁγίῳ τόπῳ,

Diaconus legit Diptycha.

Sacerdos secreto.

Similiter memento Domine et omnium ex Ordine sacerdotali qui pridem quieverunt, et eorum qui erant in statu saeculari. Praesta, omnium animas requiescere in sinibus sanctorum Patrum nostrorum Abraham, Isaac, et Jacob. Induc et congrega eos in locum herbidum, super aquam requietis, in paradiso voluptatis, unde fugit dolor, tristitia et gemitus, in splendore sanctorum tuorum.

Et post Diptycha Sacerdos dicit.

Illis quidem Domine quorum animas accepisti, illic quietem tribue, eosque in regnum coelorum transferre dignare. Nos vero hic peregre habitantes, conserva in fide tua, et deduc nos ad regnum tuum, concedens nobis tuam pacem omni tempore, ut in hoc sicut et in omnibus, glorificetur, exaltetur, laudetur, benedicatur, et sanctificetur, sanctissimum, gloriosum, et benedictum nomen tuum, cum Christo Jesu et sancto Spiritu.

Populus. Sicut erat.

Diaconus dicit. Descendite Diaconi.

Sacerdos. Pax omnibus.

Prooemium fractionis.

Iterum gratias agamus omnipotenti Deo Patri Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui etiam nunc nobis per gratiam suam praestitit, ut staremus in sancto loco

isto, manusque levaremus, et ministraremus nomini sancto ejus. Illum igitur oremus, ut nos dignos efficiat communione et perceptione sanctorum ejus mysteriorum, immaculati corporis, et pretiosi sanguinis Christi ejus, omnipotens Dominus et Deus noster.

Diaconus. Orate.

Sacerdos. Pax omnibus.

καὶ ἐπάραι χεῖρας καὶ λειτουργῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ ὀνόματι. Αὐτὸν οὖν παρακαλέσωμεν, ὅπως καταξιώσῃ ἡμᾶς τῆς κοινωνίας καὶ μεταλήψεως τῶν ἁγίων αὐτοῦ μυστηρίων, τοῦ ἀχράντου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, ὁ παντοκράτωρ κύριος καὶ θεὸς ἡμῶν.

Ὁ Διάκονος λέγει. Προσεύξασθε.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Oratio ad fractionem S. Basilii.

Deus noster, Deus salvos faciendi, tu doce nos gratias agere digne pro beneficiis tuis, quae praestitisti, et praestas nobis semper. Tu es Deus noster qui suscipis ista dona: munda nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, et doce perficere sanctitatem in timore tuo, ut in puro testimonio conscientiae nostrae suscipientes partem sanctificatorum tuorum, uniamur sancto corpori, et sanguini Christi tui, ea digne suscipientes. Teneamus Christum habitantem in cordibus nostris, et efficiamur templum sancti tui Spiritus. Ita Deus noster, neminem ex nobis reum facias tremendorum tuorum istorum mysteriorum: neque infirma anima, aut corpore (simus) quod ex illis indigne participaverimus. Sed da nobis ad extremum usque vitae spiritum digne suscipere spem sanctificationum tuarum, ad Viaticum vitae aeternae ad defensionem acceptabilem coram timendo tribunali

Εὐχὴ τῆς κλάσεως τοῦ ἁγίου Βασιλείου.

Ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ θεὸς τοῦ σώζειν, σὺ ἡμᾶς δίδαξον, εὐχαριστεῖν ἀξίως τῶν εὐεργεσιῶν σου, ὧν ἐποίησας, καὶ ποιεῖς ἀεὶ μεθ᾽ ἡμῶν· Σὺ εἶ ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ προσδεξάμενος τὰ δῶρα ταῦτα. Καθάρισον ἡμᾶς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, καὶ δίδαξον ἐπιτελεῖν ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ σου, ἵνα ἐν καθαρῷ τῷ μαρτυρίῳ τῆς συνειδήσεως ἡμῶν, ὑποδεχόμενοι τὴν μερίδα τῶν ἁγιασμάτων σου, ἑνωθῶμεν τῷ ἁγίῳ σώματι, καὶ αἵματι τοῦ Χριστοῦ σου, ὑποδεξάμενοι ταῦτα ἀξίως. Σχῶμεν τὸν Χριστὸν κατοικοῦντα ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν καὶ γενώμεθα ναὸς τοῦ ἁγίου σου πνεύματος. Ναὶ ὁ θεὸς ἡμῶν· καὶ μηδένα ἡμῶν ἔνοχον ποιήσῃς τῶν φρικτῶν σου τούτων μυστηρίων· μηδὲ ἀσθενεῖ ψυχῇ καὶ σώματι, ἐκ τοῦ ἀναξίως αὐτῶν μεταλαμβάνειν. Ἀλλὰ δὸς ἡμῖν μέχρις τῆς ἐσχάτης ἡμῶν ἀναπνοῆς ἀξίως ὑποδέχεσθαι τὴν ἐλπίδα τῶν ἁγιασμάτων σου, εἰς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου, εἰς ἀπολογίαν εὐπρόσδεκτον τὴν ἐπὶ τοῦ φοβεροῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ σου, ὅπως

ἂν καὶ ἡμεῖς μετὰ πάντων ἁγίων, τῶν ἀπ' αἰῶνός σοι εὐαρεστησάντων, γενώμεθα μέτοχοι τῶν αἰωνίων σου ἀγαθῶν, ὧν ἡτοίμασας τοῖς ἀγαπῶσί σε κύριε· καὶ καταξίωσον ἡμᾶς δέσποτα, μετὰ παῤῥησίας, ἀκατακρίτως τολμᾷν ἐπικαλεῖσθαί σε τὸν ἐπουράνιον θεὸν πατέρα, καὶ λέγειν.

Christi tui, ut et nos cum omnibus sanctis qui a saeculo tibi placuerunt, fiamus participes aeternorum tuorum bonorum quae praeparasti diligentibus te Domine. Et fac nos dignos Domine ut cum fiducia, damnationis immunes, audeamus invocare te coelestem Deum Patrem, et dicere, etc.

Εὐχὴ ἄλλη τῆς κλάσεως.

Δέσποτα, κύριε, παντόκρατορ ὁ θεός, ὁ μέγας, ὁ αἰώνιος καὶ θαυμαστὸς ἐν δόξῃ· ὁ φυλάσσων τὴν διαθήκην σου καὶ τὸ ἔλεός σου τοῖς ἀγαπῶσί σε. Ὁ δοὺς ἡμῖν λύτρωσιν ἁμαρτιῶν διὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἡ ζωὴ τῶν ἁπάντων, ἡ βοήθεια τῶν πρός σε καταφευγόντων, καὶ ἐλπὶς τῶν ἐπικαλουμένων σε· ᾧ παραστήκουσι χίλιαι χιλιάδες, καὶ μύριαι μυριάδες ἁγίων ἀγγέλων καὶ ἀρχαγγέλων, χερουβὶμ καὶ σεραφίμ, καὶ πᾶσα τῶν οὐρανίων δυναμέων πληθύς. Ὁ ἁγιάσας τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ παναγίου σου πνεύματος. Καθάρισον ἡμᾶς ἀπὸ τῶν κρυφίων καὶ φανερῶν ἡμῶν ἁμαρτημάτων· καὶ πᾶν διανόημα ἀπάρεσκον τῇ ἀγαθότητί σου, μάκραν ἀπόστησον ἀφ' ἡμῶν. Ἁγίασον ἡμῶν τὰς ψυχάς, τὰ σώματα, καὶ τὰ πνεύματα, τὰς συνειδήσεις, ὅπως ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, ψυχῇ πεφωτισμένῃ, τολμῶμεν μετὰ παῤῥησίας, ἄτερ φόβου ἐπικαλεῖσθαί σε τὸν ἐπουράνιον θεόν, πατέρα ἅγιον καὶ λέγειν.

Oratio alia ad fractionem.

Dominator Domine, Pater omnipotens, Deus magnus et mirabilis in gloria: qui custodis testamentum tuum et misericordiam tuam diligentibus te: qui dedisti nobis remissionem peccatorum per unigenitum Filium tuum, Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum. Vita omnium, auxilium eorum qui ad te confugiunt, et spes invocantium te; cui adsistunt millies millia, et decies millies dena millia sanctorum Angelorum et Archangelorum, Cherubim atque Seraphim et omnis coelestium virtutum multitudo. Qui sanctificasti proposita dona ista per illapsum sanctissimi tui Spiritus: munda nos ab occultis et manifestis peccatis nostris, et omnem cogitationem displicentem bonitati tuae, longe repelle a nobis. Sanctifica animas nostras, corpora, spiritus et conscientias, ut corde puro, et anima illuminata, audeamus cum fiducia, absque timore invocare te coelestem Deum, Patrem sanctum et dicere, etc.

Alia Oratio ad fractionem.

Qui adoptionis gratiam nobis largitus es per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, nunc etiam praesta ut absque simulatione, vel hypocrisi, corde puro, et conscientia fiduciae plena, labiisque non titubantibus invocemus te, Abba Pater: utque Ethnici multiloquii, simulque Judaicae stultitiae futilitatem abjicientes, humili voce quae Christianos deceat, orationis supplicationem tibi offerre, juxta salutarem unigeniti Filii tui institutionem valeamus: atque in sanctificatione animae, corporis et spiritus, increatum, sine principio et sine fine, audeamus inclamare omnium Dominum, coelestem Deum, Patrem sanctum, et dicere, etc.

Populus dicit Orationem dominicam: et ea dicta Sacerdos dicit.

Ita Pater bone et boni amator, ne nos inducas in tentationem, neque dominetur nobis omnis iniquitas; sed libera nos ab indecentibus operibus, cogitationibus, motibus, aspectibus et tactibus, et tentatorem re infecta depelle: comprime etiam insitos nobis naturales motus, et perniciosos ad peccandum impetus omnino a nobis reprime: per Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, per quem et cum quo, etc.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Εὐχὴ ἄλλη τῆς κλάσεως.

Τῆς υἱοθεσίας τὴν χάριν ἡμῖν παρασχόμενος διὰ λούτρου παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου· καὶ τὰ νῦν ἀξίωσον ἡμᾶς ἀνυποκρίτως, καθαρᾷ καρδίᾳ, συνειδότι πεπαῤῥησιασμένῳ, καὶ χείλεσιν ἀδιαπτώτοις ἐπικαλεῖσθαί σε ἀββά, ὁ πατήρ, ἵνα τῆς ἐθνικῆς βαττολογίας καὶ ἰουδαϊκῆς ἀπονοίας τὸ μάταιον ἀποθέμενοι, ταπεινῇ, καὶ χριστιανοῖς εὐπρεπῶς, ἐν φωνῇ τῆς προςευχῆς ἀναφέρειν σοι τὴν ἱκετηρίαν, κατὰ τὴν σωτηριώδη τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ νομοθεσίαν ἰσχύσωμεν· καὶ ἁγιασμῷ ψυχῆς, σώματός τε, καὶ πνεύματος, τὸν ἄκτιστόν τε καὶ ἄναρχον, καὶ ἀτελεύτητον τολμῶμεν ἀφόβως ἐπιβοᾶσθαι τὸν πάντων δεσπότην ἐπουράνιον θεὸν πατέρα ἅγιον, καὶ λέγειν.

Ὁ Λαὸς λέγει τὸ Πάτερ ἡμῶν· καὶ μετὰ τὸ Πάτερ ἡμῶν ὁ Ἱερεὺς λέγει.

Ναὶ πάτερ ἀγαθὲ καὶ φιλαγαθέ, μὴ εἰςενέγκῃς ἡμᾶς εἰς τὸν πειρασμόν, μηδὲ κατακυριευσάτω ἡμῶν πᾶσα ἀνομία· ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἀπρεπῶν ἔργων, καὶ διανοημάτων, κινήσεών τε καὶ βλεμμάτων, καὶ ἀφῶν. Καὶ τὸν μὲν πειραστὴν ἄπρακτον ἀποδίωξον· ἐπιτίμησον δέ, καὶ τοῖς ἐμφύτοις καὶ σωματικοῖς ἐν ἡμῖν κινήμασι· καὶ τὰς πρὸς τὸ ἁμαρτάνειν ὁρμάς, κατολικάς τε ὁλικῶς ἀφ' ἡμῶν ἀναχαίτισον, διὰ τοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ. κλ'.

Ὁ Διάκονος. Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.

Ὁ Θεὸς οὕτως ἀγαπήσας ἡμᾶς, καὶ χαρισάμενος ἡμῖν τὸ τῆς υἱοθεσίας ἀξίωμα, ἵνα τέκνα Θεοῦ κληθῶμεν καὶ ἐσμέν, κληρόνομοι μέν σου τοῦ πατρός, συγκληρόνομοι δὲ τοῦ Χριστοῦ σου. Κλῖνον κύριε τὸ οὖς σου, καὶ ἐπάκουσον ἡμῶν τῶν ἐπικλινάντων σοι τὰς ἑαυτῶν κεφαλάς, καὶ ἅγνισον ἡμῶν τὸν ἔσω ἄνθρωπον, καθὼς ἁγνός ἐστιν ὁ μονογενής σου υἱός, ὃν μέλλομεν ὑποδέξασθαι. Καὶ φευγέτω μὲν πορνεία, καὶ ἀκάθαρτος λογισμός, διὰ τὸν ἐκ παρθένου γεννηθέντα Θεόν. Τύφος δὲ καὶ ἄρχειον κακὸν ὑπερηφάνεια, τὸν δι' ἡμᾶς ἑαυτὸν ταπεινώσαντα. Δειλία, τὸν παθόντα σαρκί, καὶ τὸ τοῦ σταυροῦ στήσαντα τρόπαιον. Κενοδοξία, τὸν ῥαπισθέντα, καὶ μαστιχθέντα, καὶ μὴ ἀποστρέψαντα τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἀπὸ αἰσχύνης ἐμπτυσμάτων. Φθόνος καὶ φόνος, καὶ διχοστασία, καὶ μῖσος, τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου· ὀργὴ καὶ μνησικακία, τὸν προσηλώσαντα τῷ σταυρῷ τὸ τῶν ὀφλημάτων χειρόγραφον· δαίμονες καὶ διάβολος τὸν τὰς πονηρὰς ἀρχὰς θριαμβεύσαντα, καὶ τὰς τοῦ σκότους ἐξουσίας ἀπεκδυσάμενον. Ἅπαν τὸ γεῶδες φρόνημα, τὸν ἀναληφθέντα εἰς οὐρανούς· ἵνα οὕτω καθαρῶς τοῦ καθαρωτάτου μυστηρίου μετασχῶμεν, καὶ ἁγιασθῶμεν ὁλοτελεῖ ψυχῇ, σώματι καὶ πνεύματι, σύσσωμοι, καὶ συμμέτοχοι καὶ σύμμορφοι γενόμενοι τοῦ Χριστοῦ σου· καὶ πληρωθήτω τὸ στόμα ἡμῶν αἰνέσεως,

Oratio inclinationis capitis.

Deus qui tantopere dilexisti nos, ut concederes nobis adoptionis dignitatem, ut filii Dei vocaremur et essemus: haeredes quidem tui, Patris, cohaeredes autem Christi tui. Inclina Domine aurem tuam et audi nos inclinantes tibi capita nostra; et munda nostrum interiorem hominem, sicut purus est unigenitus Filius tuus quem suscepturi sumus. Fugiat fornicatio et immunda cogitatio, per eum qui ex Virgine natus est Deum: vanitas et antiquum malum superbia, eum qui pro nobis humiliavit semetipsum: timiditas, eum qui passus est carne, et crucis trophaeum erexit: vana gloriatio, eum qui alapis et flagellis caesus est, nec avertit faciem suam ab opprobrio sputorum: livor, homicidium, dissidium et odium, agnum Dei qui tulit peccatum mundi: ira et injuriarum memoria, eum qui affixit cruci chirographum debitorum: daemones et diabolus, eum qui malignas potestates triumphavit, et tenebrarum principatus spoliavit. Omnis terrena cogitatio, eum qui ad coelos assumptus est: ut ita caste, purissimi mysterii participes fiamus, sanctificemurque in integrum, in anima, corpore, et spiritu; concorporei, comparticipes, et uniformes effecti Christi tuo: impleaturque os nostrum laude, et labia

nostra exultatione, ut laudemus gloriam tuam, patris et unigeniti Filii tui aeterni, per quem, etc.

Alia oratio sancti Basilii post Pater noster.

Quoniam tuum est regnum, tua est potentia et gloria Patris, et Filii, et Spiritus sancti nunc, etc.

Diaconus. Inclinate capita vestra Deo.

Oratio inclinationis capitis.

Dominator Domine, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, inclinantibus tibi capita sua benedic, eosque sanctifica, custodi, robora et virtute confirma. Ab omni opere malo averte illos, et omni operi bono adjunge illos, praestaque ut condemnationis immunes percipiant immaculata ista et vivifica mysteria ad remissionem peccatorum, ad Spiritus sancti communicationem, per gratiam misericordias et benignitatem, etc.

Alia apud Aegyptios ex Liturgia Praesanctificatorum Apostoli Marci post perceptionem sanctorum mysteriorum.

Perfecta sunt beneficentiae tuae munera, quae sunt timenda et superbenedicta mysteria unigeniti Filii tui, Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Salutares ejus passiones confessi sumus, mortem ejus vivificam praedicavimus: sanctam ejus tertia die resurrectionem cre-

καὶ τὰ χείλη ἡμῶν ἀγαλλιάσεως, ὅπως ὑμνήσωμεν τὴν δόξαν σου τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ προόντος· δι᾽ οὗ καὶ μεθ᾽ οὗ. κλ᾽.

Ἄλλο μετὰ τὸ Πάτερ ἡμῶν, εἰς τὸν ἅγιον Βασίλειον.

Ὅτι σου ἐστὶν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξη τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν. κλ᾽.

Ὁ Διάκονος λέγει. Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ θεῷ κλίνατε.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.

Δέσποτα κύριε, ὦ πάτερ τῶν οἰκτιρμῶν καὶ θεὸς πάσης παρακλήσεως, τοὺς ὑποκεκληκότας σοι τὰς ἑαυτῶν κεφαλὰς εὐλόγησον, ἁγίασον, φρούρησον, ὀχύρωσον, ἐνδυνάμωσον· ἀπὸ παντὸς ἔργου πονηροῦ ἀπόστησον, παντὶ δὲ ἔργῳ ἀγαθῷ σύναψον, καὶ καταξίωσον ἀκατακρίτως μετασχεῖν τῶν ἀχράντων τούτων καὶ ζωοποιῶν μυστηρίων, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, εἰς πνεύματος ἁγίου κοινωνίαν, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ. κλ᾽.

Ἄλλο παρ᾽ Αἰγυπτίοις ἀπὸ τῶν προηγιασμένων τοῦ ἀποστόλου Μάρκου μετὰ τὴν μετάληψιν τῶν ἁγίων μυστηρίων.

Τελειωθέντα τῆς εὐεργεσίας τὰ χαρίσματα, ἅτινά ἐστιν φοβερὰ καὶ ὑπερευλογημένα μυστήρια τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, κυρίου δὲ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Τὰ σωτηριώδη αὐτοῦ παθήματα ὡμολογήσαμεν τὸν ζωοποιὸν αὐτοῦ θάνατον ἐκηρύξαμεν· τὴν ἁγίαν τριήμερον αὐτοῦ ἐκ νεκρῶν

ἀνάστασιν ἐπιστεύσαμεν. Τὸ μυστήριον τετέλεσται. Εὐχαριστοῦμέν σοι κύριε, ὁ θεός, ὁ πατήρ, ὁ παντοκράτωρ, ὅτι τὸ ἔλεός σου μέγα ἐφ' ἡμᾶς, καὶ κατηρτίσω ἡμῖν εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι. Ἱκετεύομεν καὶ παρακαλοῦμεν τὴν σὴν ἀγαθότητα, φιλάνθρωπε, ἵνα ἁγνίσῃς ἡμᾶς πάντας τοὺς προσπίπτοντάς σοι, καὶ ἑνώσῃς σαυτῷ διὰ τῆς μεταλήψεως τῶν θείων σου μυστηρίων· γενώμεθα πεπληρωμένοι τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, καὶ ἐστηριγμένοι ἐν τῇ σῇ εὐθείᾳ πίστει. Πληθησώμεθα ἐν ἐπιποθήσει τῆς σῆς ἀγαπήσεως ἀληθοῦς, καὶ δοξολογοῦντές σε πάντοτε, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ. κλ'.

Ὁ *Διάκονος* λέγει. Προσχῶμεν θεῷ μετὰ φόβου.

Ὁ *Ἱερεὺς* λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Δέσποτα κύριε, ὁ θεός, ὁ πατήρ, ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἰώμενος ἡμῶν τὰς ψυχάς, καὶ τὰ σώματα, καὶ τὰ πνεύματα. Σὺ ὁ ἐντειλάμενος Πέτρῳ τῷ κορυφαίῳ τῶν ἁγίων σου μαθητῶν καὶ ἀποστόλων, ἐκ τοῦ στόματος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ λέγοντος αὐτῷ, σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς· καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Ἐσόμεθα τοίνυν καὶ ἡμεῖς οἱ δοῦλοί σου πατέρες μου καὶ ἀδελφοί, ἱερεῖς καὶ

didimus. Mysterium completum est: gratias agimus tibi, Domine Deus Pater omnipotens, quoniam misericordia tua magna est super nos, et ea perfecisti nobis, in quae desiderant Angeli prospicere. Supplicamus et rogamus bonitatem tuam amator hominum, ut purifices nos omnes qui prosternimur coram te, uniasque tibi ipsi per participationem divinorum tuorum mysteriorum, efficiamurque repleti sancto tuo Spiritu, et firmiter stabiliti in tua recta fide. Repleamur desiderio dilectionis tuae verae, et glorificantes te ubique in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo, etc.

Diaconus. Attendamus Deo cum timore.

Sacerdos. Pax omnibus.

Dominator, Domine Deus Pater omnipotens qui sanas animas nostras, corpora et spiritus. Tu es qui praecepisti Petro principi Sanctorum tuorum discipulorum et Apostolorum, ex ore unigeniti Filii tui Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi dicentis ei, Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et dabo tibi claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum in coelis: et quodcumque solveris super terram erit solutum in coelis. Simus igitur omnes servi tui, patres mei et fratres, Sacerdotes et Levitae, omnisque

populus tuus fidelis, prostratus coram sancta gloria tua in hac hora sancta, ferens simul pretiosam tuam crucem, simus omnes soluti et liberi ex ore mei peccatoris, per sanctum tuum Spiritum bonum et benignum. Deus, per Filium tuum qui tulit peccatum mundi, incipe susceptionem poenitentiae servorum tuorum ab ipsis, ad lucem agnitionis, ad propitiationem peccatorum: quia non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: tu es enim Dominus: Dominus miserator et misericors, patiens multae misericordiae et verax, auferens injustitias, iniquitates, et peccata. Quod si quidquam peccaverimus, tibi verbo aut opere, remitte, dimitte et parce nobis, tanquam bonus et benignus Deus. Si enim iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? quia apud te propitiatio est: quia tu es propitiatio peccatorum nostrorum, illuminatio et salvator animarum nostrarum. Deus, nos omnes libera, et omnem populum tuum libera ab omni peccato, abnegatione omni et blasphemia, ab omni maledictione et exsecratione, magia, veneficio, idololatria perjura, perjurio; ab anathemate, et dirarum imprecatione, a discidio formato, a sagitta volante, a lamento justorum et iniquorum, ab omni occursu haereticorum, et Ethnicorum. Concede nobis Domine mentem, prudentiam,

λευῖται, καὶ πᾶς ὁ λαός σου ὁ πιστός, ὁ προσπίπτων ἐνώπιον τῆς ἁγίας σου δόξης ἐν τῇ ἁγίᾳ ὥρᾳ ταύτῃ, καὶ βαστάζων τὸν τίμιόν σου σταυρόν, ἔσμεν πάντες λελυμένοι καὶ ἐλεύθεροι ἐκ τοῦ ἐμοῦ σώματος τοῦ ἁμαρτωλοῦ, διὰ τοῦ παναγίου σου πνεύματος, τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ φιλανθρώπου. Θεέ, διὰ τὸν υἱόν σου τὴν τοῦ κόσμου ἁμαρτίαν ἀράμενον, ἄρξαι τῆς ὑποδοχῆς τῆς μετανοίας τῶν δούλων σου, ἐξ αὐτῶν, εἰς φῶς τῆς ἐπιγνώσεως, εἰς ἱλασμὸν ἁμαρτιῶν· ὅτι οὐ βούλει τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ὡς τοῦ ἐπιστρέψαι καὶ ζῆν αὐτόν· σὺ γὰρ εἶ κύριος, κύριος ὁ θεὸς οἰκτίρμων καὶ ἐλεήμων, μακρόθυμος καὶ πολυέλεος, καὶ ἀληθινός, ἀφαιρῶν ἀνομίας, καὶ ἀδικίας, καὶ ἁμαρτίας. Καὶ εἴ τί σοι ἡμάρτομεν, εἴτε ἐν λόγῳ, ἢ ἐν ἔργῳ, ἄνες, ἄφες, συγχώρησον ἡμῖν, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος θεός. Ἐὰν γὰρ ἀνομίας παρατηρήσῃς κύριε, κύριε τίς ὑποστήσεται; ὅτι παρά σοι ὁ ἱλασμός ἐστιν, ὅτι σὺ εἶ ἱλασμὸς τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ὁ φωτισμὸς καὶ σωτὴρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν. Ὁ θεὸς πάντας ἡμᾶς ἐλευθέρωσον, καὶ ἅπαντα τὸν λαόν σου ἐλευθέρωσον, ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, ἀπαρνήσεως πάσης καὶ βλασφημίας, ἀπὸ πάσης ἄρας καὶ κατάρας, μαγείας, φαρμακείας, εἰδωλολατρείας ἐπιόρκου; καὶ ἐπιορκίας· ἀπὸ ἀναθέματος καὶ καταθέματος, ἀπὸ χωρισμοῦ γενομένου, ἀπὸ βέλους πετομένου, ἀπὸ στεναγμοῦ δικαίων τε καὶ ἀδίκων, ἀπὸ πάσης ἀπαντήσεως αἱρετικῶν καὶ ἐθνικῶν. Χάρισαι ἡμῖν δέσποτα νοῦν καὶ σύνεσιν καὶ δύναμιν τοῦ

φυγεῖν ἕως τέλος ἀπὸ παντὸς ἔργου πονηροῦ τοῦ ἀντικειμένου, καὶ δὸς ἡμῖν τὸ ποιεῖν τὴν σὴν εὐαρέστησιν. Γράψον τὰ ὀνόματα ἡμῶν μετὰ παντὸς χόρου τῶν ἁγίων σου ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν δι᾽ οὗ καὶ μεθ᾽ οὗ. κλ'.

et virtutem ad fugiendum usque in finem ab omni opere malo adversarii, et da nobis ut faciamus semper quod tibi placitum est. Scribe nomina nostra cum omni choro Sanctorum tuorum in regno coelorum, in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo, etc.

Ὁ Ἱερεὺς ὑψοῖ τὸ σπουδικὸν καὶ ἐκφωνήσει.

Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

Sacerdos elevat Σπουδικὸν: hoc est majorem Hostiae partem, et voce elevata clamat. Sancta sanctis.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον. γ'.

Populus. Kyrie eleison. *ter.*

Εἷς πατὴρ ἅγιος· εἷς υἱὸς ἅγιος, ἓν πνεῦμα ἅγιον. Ἀμήν.

Unus Pater sanctus: unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus. Amen.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ὁ κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν.

Sacerdos. Dominus cum omnibus vobis.

Ὁ Λαὸς λέγει. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εὐλογητὸς κύριος εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Sacerdos. Benedictus Dominus in saecula. Amen.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Populus. Amen.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Sacerdos. Pax omnibus.

Ὁ Λαὸς λέγει. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει τὴν Ὁμολογίαν.

Sacerdos dicit Confessionem.

Σῶμα ἅγιον καὶ αἷμα τίμιον, ἀληθινὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Ἀμήν.

Corpus sanctum, et sanguis pretiosus Jesu Christi filii Dei. Amen.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Populus. Amen.

Ἅγιον, τίμιον σῶμα καὶ αἷμα ἀληθινὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Ἀμήν.

Sanctum, pretiosum corpus, et sanguis verus Jesu Christi filii Dei. Amen.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Populus. Amen.

Σῶμα καὶ αἷμα Ἐμμανουὴλ τοῦ θεοῦ ἡμῶν, τοῦτό ἐστιν ἀληθῶς. Ἀμήν.

Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est vere. Amen.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Populus. Amen.

Πιστεύω, πιστεύω, πιστεύω καὶ ὁμολογῶ ἕως ἐσχάτης ἀναπνοῆς, ὅτι αὐτή ἐστιν ἡ σὰρξ ζωοποιὸς

Credo, credo, credo, et confiteor usque ad ultimum spiritum, quod sit ipsa caro vivifica unige-

niti Filii tui, Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Accepit ipsam ex sancta Domina nostra, Deipara et semper Virgine Maria: et fecit illam unam cum divinitate sua, non mistione, confusione, aut alteratione. Confessus quoque est sub Pontio Pilato praeclaram confessionem: tradiditque pro nobis omnibus, ipsam carnem, super lignum crucis sanctae, voluntate sua. Vere credo, quod ejus divinitas nunquam omnino separata est ab ejus humanitate, non momento, aut nictu oculi. Tradidit ipsam ad liberationem; et ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam illis qui ex ea participant. Credo eam ipsam vere esse.

τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἔλαβεν αὐτὴν ἐκ τῆς ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ ἐποίησεν αὐτὴν μίαν σὺν τῇ θεότητι αὐτοῦ, μὴ ἐν μίξει, μηδὲ ἐν φυρμῷ, μηδὲ ἐν ἀλλοιώσει. Καὶ ἐμαρτύρησε ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου τὴν καλὴν ὁμολογίαν· καὶ παρέδωκεν αὐτὴν ὑπὲρ ὑμῶν πάντων, ἐπὶ τοῦ ξύλου τοῦ σταυροῦ τοῦ ἁγίου, ἐν τῷ θελήματι αὐτοῦ. Ἀληθῶς πιστεύω ὅτι θεότης αὐτοῦ οὐδ' οὐ μηδέποτε χωρισθεῖσα ἐξ ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, ἐν ἀτόμῳ, οὐδὲ ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ. Μετέδωκεν αὐτὴν εἰς λύτρωσιν, καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν τὴν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτῆς μεταλαμβάνουσι. Πιστεύω ὅτι αὐτή ἐστιν ἀληθῶς. Ἀμήν.

Populus. Amen.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Diaconus. In pace et caritate, etc.

Ὁ Διάκονος λέγει. Ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀγάπῃ.

Sacerdos elevata voce. Per quem et cum quo te decet omnis gloria, honor et adoratio, Patri et Spiritui sancto nunc, etc.

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφωνήσει. Δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν, κλ'.

Sacerdos dicit psalmum L^um. et orationem ad communionem diei convenientem.

Ὁ Λαὸς λέγει Ψαλμὸν ν'. καὶ τὸ κοινωνικὸν τῇ ἡμέρᾳ.

Diaconus. Congregamini et intrate Diaconi, cum modestia.

Ὁ Διάκονος λέγει. Συνάχθητε καὶ εἰσέλθετε οἱ διάκονοι μετ' εὐλαβείας.

Oratio gratiarum actionis, post perceptionem sanctorum mysteriorum.

Εὐχὴ εὐχαριστίας μετὰ τὴν μετάληψιν τῶν ἁγίων μυστηρίων.

Diaconus. Ad orationem state.

Ὁ Διάκονος λέγει. Ἐπὶ προσευχῇ στάθητε.

Sacerdos. Pax omnibus.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Ὁ Λαὸς λέγει. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ὁ *Διάκονος λέγει.* Προςεύξασθε ὑπὲρ τῆς, κλ'.

Ὁ *Λαὸς λέγει.* Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει τὴν εὐχὴν ταύτην.

Ἐπλήσθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν, καὶ ἡ γλῶσσα ἡμῶν ἀγαλλιάσεως, ἐπὶ τῆς μεταλήψεως τῶν ἁγίων σου μυστηρίων, κύριε. Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἡτοίμασας ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσι τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ τοῖς νηπίοις τὰς ἁγίας σου ἐκκλησίας. Ναὶ ὁ πατήρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. Εὐλογητὸς εἶ ὁ θεός, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου, δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δι' οὗ, κλ'.

Ὁ *Διάκονος λέγει.* Τὰς κεφαλάς.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.

Δέσποτα κύριε ὁ θεός, ὁ πατὴρ ὁ παντοκράτωρ, ὁ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας, τοῖς ἐπικαλουμένοις σε ἐν ἀληθείᾳ, ἔπιδε οὐρανόθεν εὐμενεῖ προςώπῳ, καὶ γαληνῷ ὄμματι ἐπὶ τοὺς δούλους σου· σοὶ γὰρ ἔκλιναν τοὺς ἑαυτῶν αὐχένας τῶν καρδιῶν, ἀπεκδεχόμενοι τὸ παρά σου μέγα καὶ πλούσιον ἔλεος, τὸ παρά σου ἐλέους καὶ εὐλογίας λαβεῖν. Εὐλόγησον αὐτοὺς ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ, ἁγίασον αὐτοὺς ἐν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. Ἄγγελον εἰρηνικὸν τῇ ἑκάστῃ ἡμῶν ζωῇ παρακατάστησον, φρουροῦντα, διατηροῦντα, διαφυλάσσοντα, φωτίζοντα, ὁδηγοῦντα ἡμᾶς εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν. Ἀλλὰ ἐλεῶν ἐλέησον, καὶ οἰκτείρων σῶσον, οἰκτείρησον, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεός σου. Τὴν δὲ

Diaconus. Orate pro, etc.

Populus. Kyrie eleison:

Sacerdos dicit hanc Orationem.

Impletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione, ob perceptionem sanctorum tuorum mysteriorum, Domine. Quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, ea praeparasti Deus diligentibus nomen sanctum tuum, et revelasti ea parvulis Ecclesiae sanctae tuae. Ita Pater, quia sic fuit beneplacitum ante te. Benedictus es o Deus, Pater Domini, Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Oratio inclinationis capitis.

Dominator Domine Deus Pater omnipotens, qui facis misericordiam in millia, invocantibus te in veritate, respice de coelo facie benigna, et oculo sereno super servos tuos: tibi enim inclinaverunt colla cordium sua, exspectantes a te magnam et divitem misericordiam, et a te misericordiam et benedictionem consequi. Benedic eos omni benedictione spirituali: sanctifica eos in Spiritu tuo sancto. Angelum pacificum uniuscujusque nostrum vitae praefice, custodientem, servantem, protegentem, illuminantem, dirigentem nos ad omne opus bonum. Miserans miserere, et clementer salva

niti Filii tui, Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Accepit ipsam ex sancta Domina nostra, Deipara et semper Virgine Maria: et fecit illam unam cum divinitate sua, non mistione, confusione, aut alteratione. Confessus quoque est sub Pontio Pilato praeclaram confessionem: tradiditque pro nobis omnibus, ipsam carnem, super lignum crucis sanctae, voluntate sua. Vere credo, quod ejus divinitas nunquam omnino separata est ab ejus humanitate, non momento, aut nictu oculi. Tradidit ipsam ad liberationem; et ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam illis qui ex ea participant. Credo eam ipsam vere esse.

Populus. Amen.

Diaconus. In pace et caritate, etc.

Sacerdos elevata voce. Per quem et cum quo te decet omnis gloria, honor et adoratio, Patri et Spiritui sancto nunc, etc.

Sacerdos dicit psalmum Lum. et orationem ad communionem diei convenientem.

Diaconus. Congregamini et intrate Diaconi, cum modestia.

Oratio gratiarum actionis, post perceptionem sanctorum mysteriorum.

Diaconus. Ad orationem state.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἔλαβεν αὐτὴν ἐκ τῆς ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ ἐποίησεν αὐτὴν μίαν σὺν τῇ θεότητι αὐτοῦ, μὴ ἐν μίξει, μηδὲ ἐν φυρμῷ, μηδὲ ἐν ἀλλοιώσει. Καὶ ἐμαρτύρησε ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου τὴν καλὴν ὁμολογίαν· καὶ παρέδωκεν αὐτὴν ὑπὲρ ὑμῶν πάντων, ἐπὶ τοῦ ξύλου τοῦ σταυροῦ τοῦ ἁγίου, ἐν τῷ θελήματι αὐτοῦ. Ἀληθῶς πιστεύω ὅτι θεότης αὐτοῦ οὐδ' οὐ μηδέποτε χωρισθεῖσα ἐξ ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, ἐν ἀτόμῳ, οὐδὲ ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ. Μετέδωκεν αὐτὴν εἰς λύτρωσιν, καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν τὴν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτῆς μεταλαμβάνουσι. Πιστεύω ὅτι αὐτή ἐστιν ἀληθῶς. Ἀμήν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ὁ Διάκονος λέγει. Ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀγάπῃ.

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφωνήσει. Δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν, κλ'.

Ὁ Λαὸς λέγει Ψαλμὸν ν'. καὶ τὸ κοινωνικὸν τῇ ἡμέρᾳ.

Ὁ Διάκονος λέγει. Συνάχθητε καὶ εἰσέλθετε οἱ διάκονοι μετ' εὐλαβείας.

Εὐχὴ εὐχαριστίας μετὰ τὴν μετάληψιν τῶν ἁγίων μυστηρίων.

Ὁ Διάκονος λέγει. Ἐπὶ προσευχῇ στάθητε.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ὁ Διάκονος λέγει. Προσεύξασθε ὑπὲρ τῆς, κλ'.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει τὴν εὐχὴν ταύτην.

Ἐπλήσθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν, καὶ ἡ γλῶσσα ἡμῶν ἀγαλλιάσεως, ἐπὶ τῆς μεταλήψεως τῶν ἁγίων σου μυστηρίων, κύριε. Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἡτοίμασας ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσι τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ τοῖς νηπίοις τὰς ἁγίας σου ἐκκλησίας. Ναὶ ὁ πατήρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. Εὐλογητὸς εἶ ὁ θεός, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου, δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δι' οὗ, κλ'.

Ὁ Διάκονος λέγει. Τὰς κεφαλάς.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.

Δέσποτα κύριε ὁ θεός, ὁ πατὴρ ὁ παντοκράτωρ, ὁ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας, τοῖς ἐπικαλουμένοις σε ἐν ἀληθείᾳ, ἔπιδε οὐρανόθεν εὐμενεῖ προσώπῳ, καὶ γαληνῷ ὄμματι ἐπὶ τοὺς δούλους σου· σοὶ γὰρ ἔκλιναν τοὺς ἑαυτῶν αὐχένας τῶν καρδιῶν, ἀπεκδεχόμενοι τὸ παρά σου μέγα καὶ πλούσιον ἔλεος, τὸ παρά σου ἐλέους καὶ εὐλογίας λαβεῖν. Εὐλόγησον αὐτοὺς ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ, ἁγίασον αὐτοὺς ἐν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. Ἄγγελον εἰρηνικὸν τῇ ἑκάστῃ ἡμῶν ζωῇ παρακατάστησον, φρουροῦντα, διατηροῦντα, διαφυλάσσοντα, φωτίζοντα, ὁδηγοῦντα ἡμᾶς εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν. Ἀλλὰ ἐλεῶν ἐλέησον, καὶ οἰκτείρων σῶσον, οἰκτείρησον, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεός σου. Τὴν δὲ

Diaconus. Orate pro, etc.

Populus. Kyrie eleison:

Sacerdos dicit hanc Orationem.

Impletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione, ob perceptionem sanctorum tuorum mysteriorum, Domine. Quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, ea praeparasti Deus diligentibus nomen sanctum tuum, et revelasti ea parvulis Ecclesiae sanctae tuae. Ita Pater, quia sic fuit beneplacitum ante te. Benedictus es o Deus, Pater Domini, Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Oratio inclinationis capitis.

Dominator Domine Deus Pater omnipotens, qui facis misericordiam in millia, invocantibus te in veritate, respice de coelo facie benigna, et oculo sereno super servos tuos: tibi enim inclinaverunt colla cordium sua, exspectantes a te magnam et divitem misericordiam, et a te misericordiam et benedictionem consequi. Benedic eos omni benedictione spirituali: sanctifica eos in Spiritu tuo sancto. Angelum pacificum uniuscujusque nostrum vitae praefice, custodientem, servantem, protegentem, illuminantem, dirigentem nos ad omne opus bonum. Miserans miserere, et clementer salva

et miserere: in aeternum est misericordia tua. Sanctam etiam hanc diem, omnesque dies vitae nostrae, da nobis Domine Deus, absque peccato transigere, cum omni gaudio, sanitate, pace, salute, beneficiis, sanctimoniaque omni, et tuo timore perficere, per gratiam, miserationes et benignitatem Christi Jesu, cum quo benedictus es et glorificatus cum Spiritu sancto.

ἁγίαν ἡμέραν ταύτην καὶ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν, δὸς ἡμῖν κύριε ὁ θεὸς ἀναμαρτήτως διελθεῖν μετὰ πάσης χαρᾶς, ὑγίειας, εἰρήνης, σωτηρίας, εὐεργεσίας, παντὸς ἁγιασμοῦ, καὶ τοῦ σου φόβου ἐπιτελέσαι, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς, καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ, μεθ᾽ οὗ εὐλογητὸς εἶ, καὶ δεδοξασμένος σὺν πνεύματι ἁγίῳ.

Oratio dicenda per dies quadragesimales sancti jejunii.

Εὐχὴ τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν τῶν ἁγίων νηστειῶν.

Dominator Domine omnipotens qui creaturam omnem in sapientia condidisti: qui per ineffabilem tuam providentiam, et multiplicem bonitatem adduxisti nos ad venerabiles dies istos, in purgationem animarum et corporum, passionum coercitionem, et spem resurrectionis: Qui per quadraginta dies tabulas divinis characteribus inscriptas dedisti servo tuo Moysi; concede etiam nobis, o bone, certamen praeclarum, cursum jejunii perficere: fidem indivisam servare: capita draconum invisibilium conterere, victoresque peccati renunciari, et damnationis immunes pervenire ad adorandam sacram resurrectionem: quoniam sanctum est nomen tuum Patris, et Filii et Spiritus sancti nunc etc.

Δέσποτα κύριε παντόκρατορ, ὁ πᾶσαν κτίσιν ἐν σοφίᾳ δημιουργήσας· ὁ διὰ τὴν ἄφατόν σου πρόνοιαν, καὶ πολλὴν ἀγαθότητα ἀγαγὼν ἡμᾶς εἰς τὰς πανσέπτους ἡμέρας ταύτας, πρὸς καθαρισμὸν ψυχῶν καὶ σωμάτων, πρὸς ἐγκράτειαν παθῶν, πρὸς ἐλπίδα ἀναστάσεως. Ὁ διὰ τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν πλάκας χειρίσας, τὰ θεοχάρακτα γράμματα τῷ θεράποντί σου Μωσῇ, παράσχου καὶ ἡμῖν ἀγαθὲ τὸν ἀγῶνα τὸν καλόν, τὸν δρόμον τῆς νηστείας ἐκτελέσαι· τὴν πίστιν ἀδιαίρετον τηρῆσαι· τὰς κεφαλὰς τῶν ἀοράτων δρακόντων συνθλάσαι, νικήτας τε τῆς ἁμαρτίας ἀναφανῆσαι, καὶ ἀκατακρίτως φθάσαι καὶ προσκυνῆσαι τὴν ἁγίαν ἀνάστασιν. Ὅτι ἅγιον ὑπάρχει τὸ ὄνομά σου, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν, κλ΄.

Oratio dimissionis, ad manuum impositionem.

Εὐχὴ τῆς ἀπολύσεως, εἰς τὴν χειροθεσίαν.

Adesto Domine servis tuis, laudantibus et invocantibus te, et deduc eos auxilium praestans, in omni

Τοῖς δούλοις σου κύριε τοῖς ὑμνοῦσί τε καὶ προσκαλουμένοις σε γένου, καὶ διόδευσον βοηθῶν αὐ-

τοῖς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ. Ἀνάστησον τὰς ἑαυτῶν καρδίας, ἀπὸ τῶν τῆς γῆς ἀτόπων λογισμῶν. Δώρησαι αὐτοῖς τοῦ ζῆν αὐτοὺς, καὶ φρονεῖν τὰ τῶν ζώντων, καὶ συνιέναι τὰ σά. Ὁ εὐλογῶν τοὺς εὐλογοῦντάς σε κύριε, καὶ ἁγιάζων τοὺς ἐπί σοι πεποιθότας, σῶσον τὸν λαόν σου, καὶ εὐλόγησον τὴν κληρονομίαν σου· τὸ πλήρωμα τῆς ἐκκλησίας σου φύλαξον. Ἁγίασον τοὺς ἀγαπῶντας τὴν εὐπρέπειαν τοῦ οἴκου σου· Σὺ αὐτοὺς ἀντιδόξασον τῇ θεϊκῇ σου δυνάμει, καὶ μὴ ἐγκαταλίπῃς ἡμᾶς ὁ θεὸς τοὺς ἐλπίζοντας ἐπί σοι.

Τοὺς νοσοῦντας θεράπευσον.

Τοὺς ἀποδημήσαντας εἰρήνευσον.

Τοὺς ἀέρας ἔγκρασον.

Καὶ τοὺς καρποὺς τῆς γῆς εὐλόγησον. Εἰρήνην τῷ κόσμῳ σου δώρησαι, ταῖς ἐκκλησίαις σου, τοῖς ἱερεῦσι, τοῖς βασιλεῦσιν ἡμῶν, τῷ στρατῷ, καὶ παντὶ τῷ λαῷ σου.

Τοὺς προκοιμηθέντας ἀνάπαυσον· τῶν προσενεγκάντων τὰ δῶρα καὶ δι' ὧν προσήγαγον, μνημόνευσον.

Τοὺς ἐν πάσῃ θλίψει καὶ ἀνάγκῃ ὄντας, σῶσον.

Καὶ ἡμῖν τὴν χάριν σου ἐξαπόστειλον. Ἐν τριαδικῇ πίστει ἕως ἐσχάτης ἡμῶν ἀναπνοῆς ἡμᾶς τελείωσον· ὅτι πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον, ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἐκ σου τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. Καί σοι τὴν δόξαν, καὶ τὴν εὐχαριστίαν καὶ τὴν προσκύνησιν ἀναπέμπομεν, τῷ πατρί, καὶ τῷ μονογενεῖ σου υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ σου πνεύματι, νῦν, κλ'.

Ὁ Διάκονος λέγει. Ἡ χάρις τοῦ

opere bono. Erige corda eorum a terrenis omnibus absurdis cogitationibus. Da illis vivere et sapere quae vivos decent, et tua intellectu percipere. Qui benedicis benedicentes te Domine, et sanctificas eos qui in te confidunt, salva populum tuum, et benedic haereditati tuae; et custodi Ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam, et ne derelinquas nos Deus sperantes in te.

Aegrotos sana.

Peregrinantibus pacem tribue.

Aëres tempera.

Et fructibus terrae benedic. Da pacem mundo tuo, Ecclesiis tuis, Sacerdotibus, Regibus nostris, exercitui et omni populo tuo.

Defunctis requiem praesta: eorumque qui dona obtulerunt, et pro quibus obtulerunt, memor esto.

Eos qui in quacumque tribulatione et angustia sunt, salva.

Et nobis gratiam tuam mitte. In Trinitatis fide, nos usque ad ultimum vitae nostrae spiritum, perfice, quoniam omne datum bonum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a te Patre luminum. Et tibi gloriam, gratiarum actionem et adorationem mittimus, Patri et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo nunc, etc.

Diaconus. Gratia Domini Dei

et Salvatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Ite in pace.

κυρίου δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. Πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ.

Populus. Kyrie eleison. *bis.* Domine benedic. Amen.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον. β'. Κύριε εὐλόγησον. Ἀμήν.

Sacerdos dicit benedictionem dimissionis.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει τὴν εὐλογίαν τῆς ἀπολύσεως.

Diaconus. Iterum, ite in pace.

Ὁ Διάκονος λέγει. Καὶ πάλιν πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ.

Diaconi dicunt. Iterum salvatus. Domine benedic. Amen.

Οἱ Διάκονοι λέγουσιν. Καὶ πάλιν σωθείς. Κύριε εὐλόγησον. Ἀμήν.

Sacerdos dicit orationem dimissionis Diaconorum.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εὐχὴ τῆς ἀπολύσεως τῶν Διακόνων.

Postquam perfecimus sacram Liturgiam, sicut jussi sumus Domine, et perceptione sanctorum immaculatorum, immortalium, coelestium et tremendorum mysteriorum digni facti sumus, imus de virtute in virtutem nos peccatores et indigni servi tui, digni facti ministrandi altari sancto tuo, qui tibi obtulimus incruentum sacrificium, immaculatum corpus et pretiosum sanguinem magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: ad gloriam tuam, Patris sine principio, ipsiusque unigeniti Filii tui, et Spiritus sancti, boni, vivificantis et consubstantialis tibi. Oramus ut ad dexteram tuam consistere mereamur in die tua timenda et justa, per intercessiones et supplicationes gloriosissimae dominae nostrae Deiparae semperque Virginis Mariae, et omnium sanctorum tuorum, quoniam benedictus es nunc, etc.

Τελέσαντες τὴν ἱερὰν λειτουργίαν καθὼς προσετάχθημεν κύριε, καὶ τῆς μεταλήψεως τῶν ἁγίων, ἀχράντων, καὶ ἐπουρανίων φρικτῶν μυστηρίων καταξιωθέντες, ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν πορευόμεθα, ἡμεῖς οἱ ἁμαρτωλοὶ καὶ ἀνάξιοι δοῦλοί σου, οἱ καταξιωθέντες λειτουργεῖν τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ προσενεγκόντες σοι τὴν ἀναίμακτον θυσίαν, τὸ ἄχραντον σῶμα, καὶ τὸ τίμιον αἷμα τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς δόξαν σου τοῦ ἀνάρχου πατρός, καὶ αὐτοῦ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου, καὶ ἀγαθοῦ καὶ ζωοποιοῦ καί σοι ὁμοουσίου. Αἰτούμεθα τυχεῖν καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν σου παραστάσεως, ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου τῇ φοβερᾷ καὶ δικαίᾳ, διὰ τῶν πρεσβειῶν καὶ ἱκεσιῶν, τῆς ὑπερενδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ πάντων τῶν ἁγίων σου, ὅτι εὐλογητὸς εἶ νῦν, κλ'.

Explicit in pace divina Litur-

Ἐτελειώθη ἐν εἰρήνῃ ἡ θεία λει-

τουργία τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν τοῦ Θαυματουργοῦ Βασιλείου.

gia sancti Patris nostri Thaumaturgii Basilii.

Δέον εἰδέναι ὅτι τό, Ἐπλήσθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν, *οὐ λέγει ὁ ἱερεὺς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ε΄ τῇ μεγάλῃ, ἀλλ᾽ ἐρεῖ ἀντὶ τοῦ* Ἐπλήσθη.

Sciendum est quod Impletum est gaudio os nostrum, *non dicit Sacerdos feria quinta majori, sed illius Orationis loco dicit.*

Εὐχαριστοῦμέν σοι δέσποτα φιλάνθρωπε εὐέργετα τῶν ψυχῶν ἡμῶν, ὁ καὶ ὡς ἐν τῇ παρούσῃ σήμερον ἡμέρᾳ, καταξιώσας ἡμᾶς τῶν ἐπουρανίων σου καὶ ἀθανάτων μυστηρίων ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, ἕως εἰς τέλος.

Gratias agimus tibi Domine hominum amator, benefactor animarum nostrarum, qui die huic hodierno simili dignos fecisti nos, coelestium et immortalium mysteriorum, quae oculus non vidit *usque ad finem.*

Η ΘΕΙΑ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ.

DIVINA LITURGIA SANCTI PATRIS NOSTRI GREGORII.

Ὁ ἐπισκεψάμενος ἡμᾶς ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς δέσποτα κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, καὶ χαρισάμενος ἡμῖν παῤῥησίαν, τοῖς ταπεινοῖς καὶ ἁμαρτωλοῖς, καὶ ἀναξίοις δούλοις σου, παραστῆναι τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ προςφέρειν σοι τὴν φοβερὰν καὶ ἀναίμακτον θυσίαν, ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων, καὶ τῶν τοῦ λαοῦ σου ἀγνοημάτων, εἰς ἄνεσιν καὶ ἀνάπαυσιν τῶν προκοιμηθέντων πατέρων ἡμῶν καὶ ἀδελφῶν, καὶ στηριγμὸν παντὸς τοῦ λαοῦ σου. Ἐπίβλεψον εἰς ἐμὲ τὸν ἀχρεῖον δοῦλόν σου, καὶ ἐξάλειψόν μου τὰ παραπτώματα, διὰ τὴν σὴν εὐσπλαγχνίαν· καὶ

Qui visitasti nos in misericordia et miserationibus, Dominator Domine Jesu Christe, et concessisti fiduciam nobis abjectis, peccatoribus et indignis servis tuis, adstandi sancto altari tuo, et offerendi tibi timendum et incruentum sacrificium, pro peccatis nostris et populi tui ignorantiis: ut sit ad remissionem et requiem eorum qui pridem dormierunt, patrum et fratrum nostrorum, et ad confirmationem omnis populi tui. Respice super me inutilem servum tuum, et dele offensas meas, per benignitatem tuam: et munda labia mea et cor ab omni sorde carnis et

spiritus; remove quoque a me omnem cogitationem turpem et imprudentem, et fac me dignum per virtutem sancti tui Spiritus, hoc ministerio. Suscipe etiam me per bonitatem tuam, dum accedo ad altare sanctum tuum, et dignare ut accepta fiant dona quae tibi mox offerenda sunt, per manus nostras, compatiens infirmitatibus nostris: et ne rejicias me a facie tua, neque abomineris indignitatem meam: verum miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam: ut a damnatione immunis, accedens coram gloria tua, dignus efficiar protectione tua, et illuminatione sancti tui Spiritus: neque ut servus peccati, reprobus efficiar: sed ut servus qui invenit gratiam, misericordiam, et remissionem peccatorum, et nunc et in futuro saeculo. Ita Dominator omnipotens, Domine qui potes omnia, exaudi deprecationem meam. Tu enim es qui omnia operaris in omnibus: omnesque a te tuum in omnibus auxilium requirimus, et defensionem, quia benignus es erga homines et glorificatus, Jesu Deus noster, cum Patre tuo initii experte, et sancto tuo Spiritu, nunc et semper.

Oratio post praeparationem sancti altaris.

Dominator Domine Jesu Christe

καθάρισόν μου τὰ χείλη καὶ τὴν καρδίαν ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκός τε καὶ πνεύματος· καὶ ἀπόστησον ἀπ᾽ ἐμοῦ πάντα λογισμὸν αἰσχρόν τε καὶ ασύνετον· καὶ ἁγίασόν με τῇ δυνάμει τοῦ ἁγίου σου πνεύματος εἰς τὴν λειτουργίαν ταύτην, καὶ πρόσδεξαί με διὰ τὴν σὴν ἀγαθότητα, προσεγχίζοντα τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ· καὶ εὐδόκησον. κύριε δεκτὰ γενέσθαι τὰ μέλλοντα προσαγόμενά σοι δῶρα, διὰ τῶν ἡμετέρων χειρῶν, συγκαταβαίνων ταῖς ἐμαῖς ἀσθενείαις· καὶ μὴ ἀποῤῥίψῃς με ἀπὸ τοῦ προσώπου σου· μὴ βδελύξῃς με, τὴν ἐμὴν ἀνάξιότητα, ἀλλ᾽ ἐλέησόν με ὁ θεὸς κατὰ τὸ μέγα ἔλεός σου, καὶ κατὰ τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν σου ἐξάλειψον τὸ ἀνόμημά μου, ἵνα ἀκατακρίτως προσελθὼν κατενώπιον τῆς δόξης σου, καταξιώθω τῆς σκέπης σου, καὶ τῆς ἐλλάμψεως τοῦ παναγίου σου πνεύματος· καὶ μὴ ὡς δοῦλος ἁμαρτίας ἀποδόκιμος γένωμαι, ἀλλ᾽ ὡς δοῦλος, ὃς εὕρω* χάριν καὶ ἔλεος καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ἐν τῷ νῦν καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι. Ναὶ δέσποτα παντόκρατορ, παντοδύναμε κύριε, ἐπάκουσον τῆς δεήσεώς μου. Σύ γὰρ εἶ ὁ τὰ πάντα ἐνεργῶν ἐν πᾶσι· καὶ τὴν παρά σου πάντες ἐπιζητοῦμεν ἐπὶ πᾶσι βοήθειάν τε καὶ ἀντίληψιν· ὅτι φιλάνθρωπος εἶ, καὶ δεδοξασμένος ὑπάρχεις Ἰησοῦ ὁ θεὸς ἡμῶν, σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρί, καὶ τῷ ἁγίῳ σου πνεύματι, νῦν καὶ ἀεί.

Εὐχὴ μετὰ τὴν ἑτοιμασίαν τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου.

Δέσποτα κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, ὁ

θεὸς ἡμῶν, ὁ διὰ τῆς σωτηριώδους παρουσίας σου καὶ τῆς ἐλλάμψεως τοῦ παναγίου σου πνεύματος καταξιώσας ἡμᾶς τοὺς ταπεινοὺς καὶ ἁμαρτωλοὺς καὶ ἀναξίους δούλους σου παραστῆναι τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ προςφέρειν καὶ λειτουργεῖν, τοῖς ἀχράντοις μυστηρίοις τῆς καινῆς σου διαθήκης. Αὐτὸς ζωοποιέ, καὶ ἀγαθῶν χορηγέ, ποίησον μεθ' ἡμῶν σημεῖον εἰς ἀγαθόν, καὶ ἀξίωσον ἡμᾶς ἐν καθαρῷ συνειδότι λατρεῦσαί σοι πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν, καὶ ἐν ἁγιασμῷ ταύτην σοι τὴν θείαν προςενέγκειν λειτουργίαν, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ἀπόλαυσιν τῆς μελλούσης μακαριότητος. Μνήσθητι ἀγαθέ, εὐέργετα, βασιλεῦ τῶν αἰώνων, καὶ τῆς κτίσεως ἁπάσης δημιουργέ, τῶν προςενεγκάντων, καὶ δι' ὧν προςήγαγον· καὶ ἡμᾶς ἀκατακρίτους διαφύλαξον ἐν τῇ ἱερουργίᾳ τῶν θείων σου μυστηρίων· ὅτι ηὐλόγηται, καὶ ἡγίασται, καὶ δεδόξασται, τὸ πάντιμον καὶ μεγαλοπρεπὲς ἅγιον ὄνομά σου, μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν, καί.

Deus noster, qui per salutarem adventum tuum et illuminationem sanctissimi Spiritus tui dignos fecisti nos abjectos, peccatores et indignos servos tuos adstandi sancto altari tuo, et offerendi, administrandique mysteria immaculata novi tui Testamenti. Ipse qui vitam praestas, et bona suppeditas, fac nobiscum signum in bonum et praesta nobis, ut in pura conscientia cultum exhibeamus tibi omnibus diebus vitae nostrae et cum sanctitate divinum hoc tibi offeramus ministerium, in remissionem peccatorum et in fruitionem futurae beatitudinis. Memento bone, benefice, rex saeculorum et creaturae omnis opifex, eorum qui obtulerunt, et pro quibus obtulerunt: nosque indemnatos conserva in consecratione divinorum mysteriorum: quoniam benedictum est, sanctificatum et glorificatum, gloriosissimum, et magnificum sanctum nomen tuum, simulque Patris et sancti Spiritus, nunc, etc.

Εὐχὴ τοῦ ἁγίου Εὐαγγελίου.

Εἰρήνη πᾶσιν.

Δέσποτα κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ τοῖς ἁγίοις σου μαθηταῖς καὶ ἱεροῖς σου ἀποστόλοις εἰπών, ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ δίκαιοι ἐπεθύμησαν ἰδεῖν ἃ βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδον· καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν· ὑμῶν γὰρ μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ ὅτι βλέπουσι, καὶ τὰ ὦτα ὑμῶν, ὅτι ἀκούει. Καὶ

Oratio sancti Evangelii.

Pax omnibus.

Dominator Domine Jesu Christe Deus noster, qui sanctis tuis discipulis et sacris Apostolis tuis dixisti, quoniam multi Prophetae et justi cupierunt videre quae viditis, et non viderunt: et audire quae auditis et non audierunt: vestri autem beati sunt oculi, quia vident, et aures vestrae, quia au-

diunt. Digni quoque efficiamur, nunc audire et facere sancta tua Evangelia, per obsecrationes sanctorum tuorum.

Memento igitur etiam nunc Domine, omnium eorum qui nobis indignis praeceperunt, ut eorum memoriam haberemus inter supplicationes et obsecrationes, quas tibi offerimus, Domine Deus noster. Qui pridem obierunt, illis requiem praesta: aegrotos sana; tu enim es vita omnium nostrum, salus, spes, medela et resurrectio propria omnium nostrum, et tibi gloriam, honorem et adorationem sursum mittimus, cum omnipotente et omnia vidente genitore tuo, et sanctissimo, vitaeque autore principe, tibique consubstantiali tuo Spiritu, nunc et semper, etc.

καταξιωθείημεν ἄρτι τοῦ ἀκοῦσαι καὶ ποιῆσαι τὰ ἅγιά σου εὐαγγέλια, ταῖς λιταῖς τῶν ἱερῶν σου.

Μνημόνευσον οὖν δέσποτα καὶ νῦν, πάντων τῶν ἐντειλαμένων ἡμῖν ἀναξίοις, τοῦ μνημονεύειν αὐτῶν εἰς τὰς δεήσεις ἡμετέρας, καὶ τὰς αἰτήσεις, ἃς ἀναβιβάζομέν σοι κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν. Τοὺς προτετελευτηκότας, ἀνάπαυσον αὐτούς· κάμνοντας, ἔῤῥωσον αὐτούς· σὺ γὰρ εἶ ζωὴ ἡμῶν πάντων, καὶ σωτηρία ἡμῶν πάντων· καὶ ἐλπὶς ἡμῶν πάντων, καὶ ἴασις ἡμῶν πάντων, καὶ ἀνάστασις οἰκεία πάντων ἡμῶν· καί σοι τὴν δόξαν, τιμήν, καὶ προσκύνησιν ἀναπέμπομεν, σὺν τῷ παντοκράτορί σου, καὶ παντεπόπτῃ τέκοντι καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ζωαρχικῷ καὶ ὁμοουσίῳ σου πνεύματι νῦν καὶ ἀεί.

Oratio Veli.

Nullus dignus est eorum qui illigati sunt carnalibus desideriis et voluptatibus accedere aut ministerium exhibere tibi, Rex gloriae. Nam ministrare tibi, magnum est et timendum, ipsisque coelestibus potestatibus impervium. Attamen per inexplicabilem et immensam benignitatem tuam erga homines, absque conversione aut mutatione, factus es homo, Pontifexque nobis designatus es, Liturgicique hujus et incruenti sacrificii celebrationem tradidisti nobis, tanquam omnium dominus. Tu enim dominaris in

Εὐχὴ τοῦ καταπετάσματος.

Οὐδεὶς ἄξιος τῶν συνδεδεμένων ταῖς σαρκικαῖς ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς, προσέρχεσθαι, ἢ προσεγγίζειν, ἢ λειτουργεῖν σοι βασιλεῦ τῆς δόξης. Τὸ γὰρ διακονεῖν σοι, μέγα καὶ φοβερόν, καὶ αὐταῖς ταῖς ἐπουρανίαις δυνάμεσιν ἀπρόσιτον. Ἀλλ' ὅμως διὰ τὴν ἄφατον καὶ ἄμετρόν σου φιλανθρωπίαν, ἀτρέπτως, καὶ ἀναλλοίως γέγονας ἄνθρωπος, καὶ ἀρχιερεὺς ἡμῖν ἐχρημάτισας, καὶ τῆς λειτουργικῆς ταύτης καὶ ἀναιμάκτου θυσίας τὴν ἱερουργίαν παρέδωκας ἡμῖν, ὡς δεσπότης τῶν ἁπάντων. Σὺ γὰρ (εἶ) δεσπόζεις τῶν ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων καὶ τῶν καταχθονίων· ὁ ἐπὶ θρόνου*

Χερουβικοῦ ἐποχούμενος· ὁ τῶν Σεραφὶμ κύριος, καὶ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ· ὁ μόνος ἅγιος, καὶ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος. Σὲ τοίνυν δυσωπῶ τὸν μόνον ἀγαθόν, καὶ εὐήκοον θεόν, ἐπίβλεψον ἐπ᾽ ἐμὲ τὸν ἁμαρτωλόν, καὶ ἀχρεῖον δοῦλόν σου· καὶ ἱκάνωσόν με τῇ δυνάμει τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἐνδεδυμένον τὴν τῆς ἱερατείας χάριν, παραστῆναι τῇ ἁγίᾳ σου ταύτῃ τραπέζῃ, καὶ ἱερουργῆσαι τὸ ἄχραντόν σου σῶμα, καὶ τὸ τίμιόν σου αἷμα. Σοὶ γὰρ προςέρχομαι κλίνας τὸν ἐμαυτοῦ αὐχένα· καὶ δέομαί σου, μὴ ἀποστρέψῃς τὸ πρόςωπόν σου ἀπ᾽ ἐμοῦ· μηδὲ ἀποδοκιμάσῃς με ἐκ παίδων σου· ἀλλ᾽ ἀξίωσόν με προςενεχθῆναί σοι τὰ δῶρα ταῦτα, ὑπ᾽ ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀναξίου δούλου σου. Σὺ γὰρ εἶ ἁγιάζων καὶ ἁγιαζόμενος· προςφέρων τε καὶ προςφερόμενος· ὁ δεχόμενος καὶ δεκτός· ὁ διδοὺς καὶ διαδιδόμενος· καί σοι δόξαν ἀναπέμπομεν, μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

coelestibus, terrenis et infernis: qui super thronum Cherubicum veheris; Dominus Seraphim, et Rex Israël: solus sanctus, et in sanctis requiescens. Te igitur deprecor solum bonum Deum, facilemque ad audiendum: respice super me peccatorem et inutilem servum tuum, et idoneum me fac qui virtute Spiritus sancti gratiam Sacerdotii indutus sum, adstandi sanctae tuae huic mensae, et consecrandi immaculatum corpus tuum, pretiosumque sanguinem tuum. Ad te enim accedo inclinans cervicem meam, precorque te, ne avertas faciem tuam a me, neque me rejicias ex numero puerorum tuorum: sed dignum me fac, ut offerantur tibi dona ista a me peccatore et indigno servo tuo. Tu enim es qui sanctificas et sanctificaris: qui offers et offerris: qui suscipis et susciperis: qui das et daris, et tibi gloriam referimus cum Patre et sancto Spiritu.

Εὐχὴ ἄλλη καταπετάσματος παρ᾽ Αἰγυπτίοις.

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἐπιστάμενος τὸν νοῦν τῶν ἀνθρώπων, ὁ ἐτάζων καρδίας, καὶ νεφρούς· ὁ ἐμὲ τὸν ἀνάξιον καλέσας πρὸς τὴν σὴν λειτουργίαν ταύτην· μὴ βδελύξῃς με, μηδὲ τὸ πρόςωπόν σου ἀποστρέψῃς ἀπ᾽ ἐμοῦ· ἀλλ᾽ ἐξάλειψόν μου πάντα τὰ παραπτώματα, καὶ ἀπόπλυνόν μου τὸν ῥύπον τοῦ σώματος, καὶ τὸν σπῖλον τῆς ψυχῆς, καὶ ὅλον με ἁγίασον, ἵνα μὴ ἱκετεύων σε δοῦναι ἄφεσιν ἄλλοις ἁμαρτιῶν, αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι. Ναὶ κύριε μὴ ἀποστραφείῃς με τεταπεινωμένον καὶ κα-

Oratio alia veli apud Aegyptios.

Domine Deus noster omnipotens qui cognoscis mentem hominum, scrutans corda et renes: qui me indignum vocasti ad hoc tuum sacrum ministerium; ne rejicias me, neque avertas faciem tuam a me: sed dele omnia mea peccata, et ablue sordes omnes corporis mei et maculas animae, totumque me sanctifica, ne dum deprecor te, ut concedas aliis remissionem peccatorum, ipse reprobus efficiar. Quaeso Domine ne repellas me humiliatum

et confusum, sed mitte mihi gratiam sancti tui Spiritus, et fac me dignum adstandi sancto altari tuo inculpate, et offerendi tibi rationale et incruentum sacrificium istud, cum conscientia pura, ad remissionem peccatorum, et offensarum mearum, et ad veniam consequendam ignorantiarum populi tui, ad requiem et refrigerium defunctorum patrum et fratrum nostrorum, et ad confirmationem totius populi tui, et ad gloriam tuam, Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc, etc.

τησχυμμένον, ἀλλ' ἐξαπόστειλόν μοι τὴν χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, καὶ ἀξίωσόν με παραστῆναι ἐπὶ τὸ ἅγιόν σου θυσιαστήριον ἀκατακρίτως, καὶ προςφέρειν σοι λογικὴν καὶ ἀναίμακτον προςφορὰν ταύτην, μετὰ συνειδήσεως καθαρᾶς, εἰς συγχώρησιν τῶν ἐμῶν ἁμαρτημάτων, καὶ τῶν παραπτωμάτων· καὶ εἰς ἄφεσιν τῶν τοῦ λαοῦ σοῦ ἀγνοημάτων εἰς ἀνάπαυσιν καὶ ἀναψυχὴν τῶν προκεκοιμημένων πατέρων ἡμῶν καὶ ἀδελφῶν, καὶ εἰς στηριγμὸν παντὸς τοῦ λαοῦ σου, εἰς δόξαν σὴν τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν.

Oratio pacis.

Pax omnibus.

Tu qui es, et ab aeterno praeexistis, et permanes in saecula, Patri coaeternus et consubstantialis, ejusdem throni, et creationis socius. Qui per solam bonitatem ex nihilo ad existendum adduxisti hominem, et eum constituisti in paradiso voluptatis. Eumdem vero cum deceptione inimici, et transgressione mandati tui cecidisset, renovare volens, et ad pristinam restituere dignitatem, non Angélum, non Archangelum, non Patriarcham, non Prophetam elegisti, cui salutem nostram committeres, sed ipse non mutatus, caro factus, hominem assumpsisti, et secundum omnia similis nobis factus es, solo excepto peccato: mediator factus inter nos et Patrem, et medium parietem maceriae, diuturnamque inimicitiam cum sustulisses, terrena coelestibus conjunxisti; et utraque

Εὐχὴ τοῦ ἀσπασμοῦ.

Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ ὢν, καὶ προών, καὶ διαμένων εἰς τοὺς αἰῶνας· ὁ τῷ πατρὶ συναΐδιος καὶ ὁμοούσιος, καὶ σύνθρονος καὶ συνδημιουργός. Ὁ διὰ μόνην ἀγαθότητα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παράγων τὸν ἄνθρωπον, καὶ θέμενος αὐτὸν ἐν παραδείσῳ τρυφῆς. Ἀπάτῃ δὲ τοῦ ἐχθροῦ καὶ παρακοῇ τῆς σῆς ἐντολῆς παραπεσόντα, ἀνακαινίσαι βουλόμενος καὶ πρὸς τὸ ἄρχαιον ἀναγαγεῖν ἀξίωμα, οὐκ ἄγγελος οὐκ ἀρχάγγελος, οὐ πατριάρχης οὐ προφήτης τὴν ἡμῶν ἐνεχείρησας σωτηρίαν· ἀλλ' αὐτὸς ἀτρέπτως σὰρξ γενόμενος, καὶ ἐνηνθρώπησας, κατὰ πάντα ὁμοιώθης ἡμῖν, ἐκτὸς μόνης τῆς ἁμαρτίας· μεσίτης ἡμῶν γενόμενος, καὶ τοῦ πατρός, καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, καὶ τὴν χρονίαν ἔχθραν καθελών, τὰ ἐπίγεια τοῖς ἐπουρανίοις συνῆψας, καὶ τὰ ἀμφότερα εἰς ἓν συνήγαγες καὶ τὴν ἔν-*

σαρκον ἐπλήρωσας οἰκονομίαν. Καὶ μέλλων σωματικῶς ἐλαύνειν εἰς τοὺς οὐρανούς, θεικῶς τὰ πάντα πληρῶν, τοῖς ἁγίοις σου μαθηταῖς, καὶ ἀποστόλοις ἔλεγες· εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν· εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν. Ταύτην καὶ νῦν εἰρήνην ἡμῖν δώρησαι δέσποτα· χάρισαι παντὸς ἀποκάθαρον μολύσματος, παντὸς δόλου καὶ πάσης κακίας, καὶ πανουργίας, καὶ τῆς θανατηφόρου μνησικακίας, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς ἀσπάσασθαι ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ, εἰς τὸ μετασχεῖν ἀκατακρίτως τῆς ἀθανάτου καὶ ἐπουρανίου σου δωρεᾶς· χάριτι τῆς εὐδοκίας τοῦ πατρός, καὶ ἐνεργείᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Σὺ γὰρ εἶ ὁ χορηγὸς καὶ δοτὴρ πάντων τῶν ἀγαθῶν, καί σοι τὴν δόξαν, τὴν ἀΐδιον δοξολογίαν ἀναπέμπομεν, σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρί, καὶ τῷ ἁγίῳ σου πνεύματι νῦν, καὶ ἀεί.

in unum conjunxisti, dispensationemque in carne complevisti. Cumque jam corporaliter in coelos adscensurus esses, divinitus omnia perficiens, sanctis suis discipulis et Apostolis dixisti, pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis. Eam ipsam pacem nunc nobis Domine benigne concede: benigne etiam munda nos ab omni inquinamento, omni dolo, et malitia, et versutia lethalique injuriarum recordatione; et praesta nobis ut salutemus invicem in osculo sancto, ut absque condemnationis periculo participes simus immortalis et coelestis doni tui, per gratiam tuam et beneplacitum Patris, et operationem sancti Spiritus. Tu enim es largitor et dator omnium bonorum, et tibi gloriam aeternamque laudationem referimus, cum Patre tuo principii experte, et sancto tuo Spiritu, nunc et semper.

Εὐχὴ ἄλλη τοῦ ἀσπασμοῦ.

Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν, ἡ φοβερὰ καὶ ἀπερινόητος δύναμις τοῦ θεοῦ καὶ πατρός· ὁ τοῦ φλογίνου θρόνου τῶν χερουβὶμ ὑπερκαθήμενος καὶ ὑπὸ πυρινῶν δυνάμεων δορυφορούμενος, καὶ πῦρ καταναλίσκον ὑπάρχων ὡς θεός· καὶ διὰ τὴν σὴν ἄφατον συγκατάβασιν καὶ φιλανθρωπίαν μὴ φλέξας τῷ προσεγγισμῷ τὸν δολερὸν προδότην, ἀλλὰ φιλικὸν αὐτὸν ἀσπασάμενος, ἕλκων αὐτὸν εἰς μετάνοιαν καὶ ἐπίγνωσιν τοῦ ἰδίου τολμήματος. Καταξίωσον ἡμᾶς δέσποτα ἐπὶ τῆς φρικτῆς ταύτης ὥρας, ἐν ὁμονοίᾳ καὶ δίχα παντὸς ἐν δύο θυμοῦ, καὶ λειψάνου κακίας ἀπολαβεῖν ἀλλήλους ἐν ἁγίῳ

Oratio alia osculi Pacis.

Christe Deus noster timenda et non comprehensibilis potestas Dei et Patris: qui super flammeum thronum Cherubim sedes, qui a potestatibus igneis obsequio coleris, qui es ignis consumens ut Deus: et per ineffabilem benignitatem tuam et amorem hominum, non combussisti in accessu ad te dolosum traditorem, sed amice eum osculatus es trahens illum ad poenitentiam, et audaciae suae agnitionem. Dignare Domine ut hac tremenda hora in concordia, absque ulla animi duplicitate, et reliquiis malitiae, am-

plectamur invicem in osculo sancto: neque condemnes nos, si non perfecte, et sicut placitum est tuae bonitati, mundi sumus ab omni faece peccati, et nequitiae, mortiferaeque injuriarum recordationis. Sed ipse ineffabili tua et inenarrabili commiseratione, cognoscens figmentum nostrum debile, et ad inferiora proclive, dele omnem maculam offensarum nostrarum, ut non in judicium, aut in condemnationem nobis fiat divinum hoc mysterium. Tu enim es potens dimittere quodcumque peccatum, et superare iniquitates, et injustitias miserorum hominum, cum sis purgatio totius mundi; et tibi debetur ab unoquoque concinenter glorificatio, honor, et adoratio, cum immaculato tuo Patre, et Spiritu tuo vivificante, nunc et semper etc.

Et datur osculum pacis.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiam Pacis.

Sacerdos dicet alta voce.

Charitas Dei Patris et gratia unigeniti Filii Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: et communicatio donumque sancti Spiritus sit cum vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda habeamus.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

φιλήματι. Καὶ μὴ κατακρίνῃς ἡμᾶς ὑπὲρ μὴ ὁλοτελῶς, καὶ καθὼς ἀρέσαι τῇ σῇ ἀγαθότητι, καθαρεύωμεν ἀπὸ πάσης τρυγὸς ἁμαρτίας καὶ πονηρίας καὶ τῆς θανατηφόρου μνησικακίας· ἀλλ' αὐτὸς τῇ σῇ ἀφάτῳ, καὶ ἀνεκδιηγήτῳ εὐσπλαγχνίᾳ εἰδὼς τὸ πλάσμα ἡμῶν τὸ ἀσθενές, καὶ κάτω βρίθον, ἐξάλειψον πᾶσαν κηλίδα παραπτωμάτων ἡμῶν, ἵνα μὴ εἰς κρίμα, ἢ εἰς κατάκριμα ἡμῖν γένηται τὸ θεῖον τοῦτο μυστήριον. Σὺ γάρ εἶ ὁ δυνάμενος πᾶσαν ἀφίειν ἁμαρτίαν, καὶ ὑπερβαίνειν ἀδικίας καὶ ἀνομίας τῶν ταλαιπώρων ἀνθρώπων, καθαρισμὸς τοῦ κόσμου παντὸς ὑπάρχων, καί σοι πρέπει ἡ παρὰ παντὸς συμφώνως δοξολογία, τιμὴ καὶ προςκύνησις, ἅμα τῷ ἀχράντῳ σου πατρί, καὶ τῷ ζωοποιῷ σου πνεύματι νῦν, κλ'.

Καὶ γίνεται ἀσπασμός.

Ὁ Διάκονος λέγει. *Στῶμεν καλῶς.*

Ὁ Λαὸς λέγει. *Ἔλεος εἰρήνης.*

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφωνήσει.

Ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ πατρός, καὶ ἡ χάρις τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ, κυρίου δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ ἡ κοινωνία, καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἴη μετὰ πάντων ὑμῶν.

Ὁ Λαὸς λέγει. *Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.*

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. *Ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας.*

Ὁ Λαὸς λέγει. *Ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον.*

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. *Εὐχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ.*

Ὁ Λαὸς λέγει. *Ἄξιον καὶ δίκαιον.*

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ἄξιον καὶ δίκαιον, ἄξιον καὶ δίκαιον.

Ἀρχὴ τῆς προκομιδῆς.

Ἀληθῶς γὰρ ἄξιόν ἐστιν, καὶ δίκαιόν σε αἰνεῖν, σὲ εὐλογεῖν, σὲ προςκυνεῖν, σὲ δοξάζειν τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν, τὸν φιλάνθρωπον, τὸν ἄφραστον, τὸν ἀόρατον, τὸν ἀχώρητον, τὸν ἄναρχον, τὸν αἰώνιον, τὸν ἄχρονον, τὸν ἀμέτρητον, τὸν ἄτρεπτον, τὸν ἀπερινόητον· τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, τὸν λυτρώτην τῶν ἁπάντων· τὸν εὐιλατεύοντα πάσαις ταῖς ἀνομίαις ἡμῶν· τὸν ἰώμενον πάσας νόσους ἡμῶν· τὸν λυτρούμενον ἐκ φθορᾶς τὴν ζωὴν ἡμῶν· τὸν στεφανοῦντα ἡμᾶς, ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς. Σὲ αἰνοῦσιν ἄγγελοι· σὲ προςκυνοῦσιν ἀρχάγγελοι· σὲ ἀρχαὶ ὑμνοῦσι· σὲ κυριότητες ἀνακράζουσι· τὴν σὴν δόξαν ἐξουσίαι ἀναγορεύουσι· σοὶ θρόνοι τὴν εὐφημίαν ἀναπέμπουσι· χίλιαι χιλιάδες σοι παραστήκουσι, καὶ μύριαι μυριάδες σοι τὴν λειτουργίαν προςάγουσι· Σὲ ὑμνεῖ τὰ ἀόρατα· σὲ προςκυνεῖ τὰ φαινόμενα, πάντα ποιοῦντα τὸν λόγον σου δέσποτα.

Ὁ Διάκονος λέγει. Οἱ καθήμενοι ἀνάστητε.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ὁ ὢν θεὲ κύριε ἀληθινὲ ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ· ὁ τοῦ πατρὸς ἡμῖν ὑποδείξας τὸ φέγγος· ὁ τοῦ ἁγίου πνεύματος τὴν ἀληθῆ γνῶσιν ἡμῖν χαρισάμενος· ὁ τὸ μέγα τοῦτο τῆς ζωῆς ἀναδείξας τὸ μυστήριον· ὁ τὴν τῶν ἀσωμάτων τοῖς ἀνθρώποις χοροστασίαν πηξάμενος. Ὁ τὴν τῶν σεραφὶμ τοῖς ἐπὶ γῆς παραδοὺς ὑμνῳδίαν, δέξαι μετὰ τῶν ἀοράτων καὶ τὴν ἡμετέ-

Sacerdos. Dignum et justum est, dignum et justum.

Initium Oblationis.

Vere enim dignum est et justum, te laudare, te hymnis celebrare, tibi te benedicere, te adorare, te glorificare, solum verum Deum, humani generis amatorem, ineffabilem, invisibilem, incircumscriptum, sine principio, aeternum, sine tempore, immensurabilem, immutabilem, nec cogitatione comprehensibilem: factorem universorum, liberatorem omnium: qui propitiaris omnibus iniquitatibus nostris, qui sanas omnes infirmitates nostras, qui redimis de corruptione vitam nostram, qui coronas nos in misericordia et miserationibus. Te laudant Angeli, te adorant Archangeli, te hymnis celebrant Principatus, te Dominationes inclamant: gloriam tuam Potestates praedicant, tibi Throni adclamationes mittunt; mille millena tibi adsistunt, et decies mille millena tibi ministerium offerunt. Te celebrant invisibilia, te adorant ea quae videntur, facientia verbum tuum Domine.

Diaconus dicit. Qui sedetis surgite.

Sacerdos. Tu qui es, o Deus, Domine vere ex Deo vero, qui Patris lumen nobis demonstrasti, qui nobis sancti Spiritus cognitionem veram concessisti: qui magnum hoc vitae mysterium ostendisti: qui hominibus instituisti choros incorporeorum, dum seraphicum nobis, qui in terra sumus, hymnum tradidisti, suscipe cum invisibilium

plectamur invicem in osculo sancto: neque condemnes nos, si non perfecte, et sicut placitum est tuae bonitati, mundi sumus ab omni faece peccati, et nequitiae, mortiferaeque injuriarum recordationis. Sed ipse ineffabili tua et inenarrabili commiseratione, cognoscens figmentum nostrum debile, et ad inferiora proclive, dele omnem maculam offensarum nostrarum, ut non in judicium, aut in condemnationem nobis fiat divinum hoc mysterium. Tu enim es potens dimittere quodcumque peccatum, et superare iniquitates, et injustitias miserorum hominum, cum sis purgatio totius mundi; et tibi debetur ab unoquoque concinenter glorificatio, honor, et adoratio, cum immaculato tuo Patre, et Spiritu tuo vivificante, nunc et semper etc.

Et datur osculum pacis.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiam Pacis.

Sacerdos dicet alta voce.

Charitas Dei Patris et gratia unigeniti Filii Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: et communicatio donumque sancti Spiritus sit cum vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda habeamus.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

φιλήματι. Καὶ μὴ κατακρίνῃς ἡμᾶς ὑπὲρ μὴ ὁλοτελῶς, καὶ καθὼς ἀρέσαι τῇ σῇ ἀγαθότητι, καθαρεύωμεν ἀπὸ πάσης τρυγὸς ἁμαρτίας καὶ πονηρίας καὶ τῆς θανατηφόρου μνησικακίας· ἀλλ' αὐτὸς τῇ σῇ ἀφάτῳ, καὶ ἀνεκδιηγήτῳ εὐσπλαγχνίᾳ εἰδὼς τὸ πλάσμα ἡμῶν τὸ ἀσθενές, καὶ κάτω βρίθον, ἐξάλειψον πᾶσαν κηλίδα παραπτωμάτων ἡμῶν, ἵνα μὴ εἰς κρίμα, ἢ εἰς κατάκριμα ἡμῖν γένηται τὸ θεῖον τοῦτο μυστήριον. Σὺ γάρ εἶ ὁ δυνάμενος πᾶσαν ἀφίειν ἁμαρτίαν, καὶ ὑπερβαίνειν ἀδικίας καὶ ἀνομίας τῶν ταλαιπώρων ἀνθρώπων, καθαρισμὸς τοῦ κόσμου παντὸς ὑπάρχων, καί σοι πρέπει ἡ παρὰ παντὸς συμφώνως δοξολογία, τιμὴ καὶ προσκύνησις, ἅμα τῷ ἀχράντῳ σου πατρί, καὶ τῷ ζωοποιῷ σου πνεύματι νῦν, κλ'.

Καὶ γίνεται ἀσπασμός.

Ὁ Διάκονος λέγει. Στῶμεν καλῶς.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἔλεος εἰρήνης.

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφωνήσει.

Ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ πατρός, καὶ ἡ χάρις τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ, κυρίου δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ ἡ κοινωνία, καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἴη μετὰ πάντων ὑμῶν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εὐχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἄξιον καὶ δίκαιον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ἄξιον καὶ δίκαιον, ἄξιον καὶ δίκαιον.

Ἀρχὴ τῆς προκομιδῆς.

Ἀληθῶς γὰρ ἄξιόν ἐστιν, καὶ δίκαιόν σε αἰνεῖν, σὲ εὐλογεῖν, σὲ προςκυνεῖν, σὲ δοξάζειν τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν, τὸν φιλάνθρωπον, τὸν ἄφραστον, τὸν ἀόρατον, τὸν ἀχώρητον, τὸν ἄναρχον, τὸν αἰώνιον, τὸν ἄχρονον, τὸν ἀμέτρητον, τὸν ἄτρεπτον, τὸν ἀπερινόητον· τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, τὸν λυτρώτην τῶν ἁπάντων· τὸν εὐιλατεύοντα πάσαις ταῖς ἀνομίαις ἡμῶν· τὸν ἰώμενον πάσας νόσους ἡμῶν· τὸν λυτρούμενον ἐκ φθορᾶς τὴν ζωὴν ἡμῶν· τὸν στεφανοῦντα ἡμᾶς, ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς. Σὲ αἰνοῦσιν ἄγγελοι· σὲ προςκυνοῦσιν ἀρχάγγελοι· σὲ ἀρχαὶ ὑμνοῦσι· σὲ κυριότητες ἀνακράζουσι· τὴν σὴν δόξαν ἐξουσίαι ἀναγορεύουσι· σοὶ θρόνοι τὴν εὐφημίαν ἀναπέμπουσι· χίλιαι χιλιάδες σοι παραστήκουσι, καὶ μύριαι μυριάδες σοι τὴν λειτουργίαν προσάγουσι· Σὲ ὑμνεῖ τὰ ἀόρατα· σὲ προςκυνεῖ τὰ φαινόμενα, πάντα ποιοῦντα τὸν λόγον σου δέσποτα.

Ὁ Διάκονος λέγει. Οἱ καθήμενοι ἀνάστητε.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ὁ ὢν θεὲ κύριε ἀληθινὲ ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ· ὁ τοῦ πατρὸς ἡμῖν ὑποδείξας τὸ φέγγος· ὁ τοῦ ἁγίου πνεύματος τὴν ἀληθῆ γνῶσιν ἡμῖν χαρισάμενος· ὁ τὸ μέγα τοῦτο τῆς ζωῆς ἀναδείξας τὸ μυστήριον· ὁ τὴν τῶν ἀσωμάτων τοῖς ἀνθρώποις χοροστασίαν πηξάμενος. Ὁ τὴν τῶν σεραφὶμ τοῖς ἐπὶ γῆς παραδοὺς ὑμνωδίαν, δέξαι μετὰ τῶν ἀοράτων καὶ τὴν ἡμετέ-

Sacerdos. Dignum et justum est, dignum et justum.

Initium Oblationis.

Vere enim dignum est et justum, te laudare, te hymnis celebrare, tibi te benedicere, te adorare, te glorificare, solum verum Deum, humani generis amatorem, ineffabilem, invisibilem, incircumscriptum, sine principio, aeternum, sine tempore, immensurabilem, immutabilem, nec cogitatione comprehensibilem: factorem universorum, liberatorem omnium: qui propitiaris omnibus iniquitatibus nostris, qui sanas omnes infirmitates nostras, qui redimis de corruptione vitam nostram, qui coronas nos in misericordia et miserationibus. Te laudant Angeli, te adorant Archangeli, te hymnis celebrant Principatus, te Dominationes inclamant: gloriam tuam Potestates praedicant, tibi Throni adclamationes mittunt; mille millena tibi adsistunt, et decies mille millena tibi ministerium offerunt. Te celebrant invisibilia, te adorant ea quae videntur, facientia verbum tuum Domine.

Diaconus dicit. Qui sedetis surgite.

Sacerdos. Tu qui es, o Deus, Domine vere ex Deo vero, qui Patris lumen nobis demonstrasti, qui nobis sancti Spiritus cognitionem veram concessisti: qui magnum hoc vitae mysterium ostendisti: qui hominibus instituisti choros incorporeorum, dum seraphicum nobis, qui in terra sumus, hymnum tradidisti, suscipe cum invisibilium

voce, etiam nostram. Conjunge nos potestatibus coelestibus. Loquamur etiam et nos cum ipsis, abjecta omnium absurdarum cogitationum imaginatione, et clamemus quae ipsi incessabilibus vocibus proclamant, et indesinenter magnitudinem tuam oribus celebremus.

Diaconus dicit. Ad Orientem aspicite.

Sacerdos. Te enim circumsistunt Seraphim, sex alae uni, et sex alae alteri: duabus quidem alis velant facies suas, duabus pedes suos, et duabus volantes, clamant alter ad alterum.

Alta voce. Triumphalem hymnum salutarium nostrorum voce clara, et nitida celebrant, canunt, clamant, laudant, clamantes et dicentes.

Diaconus. Attendamus.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth, plenum est coelum, etc.

Sacerdos. Sanctus, Sanctus es Domine et omnino sanctus. Eximium est substantiae tuae lumen, inexplicabilis est tuae sapientiae potentia. Nullus sermo dimetietur benignitatis tuae erga homines pelagus. Fecisti me hominem, tanquam erga humanum genus benignus, non quod servitio meo indigeres, cum ego potius tuo opus haberem dominio. Me cum non essem, misericordia tua produxisti, coelum mihi quasi tectum constituisti: ter-

ραν φωνήν. Σύναψον ἡμᾶς ταῖς ἐπουρανίαις δυνάμεσιν. Εἴπωμεν καὶ ἡμεῖς μετ' αὐτῶν πᾶσαν ἄτοπον ἔννοιαν περιστείλαντες βοήσωμεν ὥςπερ ἐκεῖναι, ταῖς ἀσιγήτοις ἀνακράζει φωναῖς, ἀκαταπαύστοις στόμασι τὸ σὸν μεγαλεῖον ὑμνήσωμεν.

Ὁ Διάκονος λέγει. Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Σοὶ γὰρ παραστήκει κύκλῳ τὰ σεραφὶμ ἓξ πτέρυγες τῷ ἑνί· καὶ ταῖς μὲν δυσὶ πτέρυξι κατακαλύπτουσι τὰ πρόσωπα ἑαυτῶν· ταῖς δὲ δυσὶ τοὺς πόδας ἑαυτῶν· καὶ ταῖς μὲν δυσὶ πετόμενα, καὶ ἐκέκραγον ἕτερον πρὸς ἕτερον.

Ἐκφωνήσει. Τὸν ἐπινίκιον ὕμνον τῶν σωτηρίων ἡμῶν, μετὰ φωνῆς ἐνδόξου, λαμπρᾷ τῇ φωνῇ, ὑμνολογοῦντα, ᾄδοντα, βοῶντα, δοξολογοῦντα, κεκραγότα καὶ λέγοντα.

Ὁ Διάκονος λέγει. Προσχῶμεν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σαβαώθ, πλήρης ὁ οὐρανός, κλ'.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ἅγιος, ἅγιος εἶ κύριε καὶ πανάγιος. Ἐξαίρετόν σου τῆς οὐσίας τὸ φέγγος· ἄφραστός σου τῆς σοφίας ἡ δύναμις. Οὐδεὶς λόγος ἐκμετρήσει τῆς σῆς φιλανθρωπίας τὸ πέλαγος. Ἐποίησάς με ἄνθρωπον, ὡς φιλάνθρωπος, οὐκ αὐτὸς τῆς ἐμῆς ἐπιδεὴς δουλείας, ἐγὼ δὲ μᾶλλον τῆς σῆς χρήζων δεσποτείας. Οὐκ ὄντα με δι' εὐσπλαγχνίαν παρήγαγες· οὐρανόν μοι πρὸς ὄροφον ἔστησας· γῆν μοι πρὸς βάσιν κατέπηξας· δι' ἐμὲ θάλασσαν ἐχαλίνωσας· δι' ἐμὲ

τὴν φύσιν τῶν ζώων ἀνέδειξας· πάντα ὑπέταξας ὑπὸ τῶν ποδῶν μου· οὐδ᾽ ἓν τῶν τῆς σῆς φιλανθρωπίας ἐν ἐμοὶ πραγμάτων παρέλειπας.

ram ut in ea ambularem stabilivisti: propter me mare fraenasti; propter me naturam animalium creasti; omnia subjecisti sub pedibus meis, neque benignitatis erga me tuae quidquam omisisti.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Populus. Kyrie eleison.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Σὺ ἔπλασάς με, καὶ ἔθηκας ἐπ᾽ ἐμὲ τὴν χεῖρά σου· τῆς σῆς ἐξουσίας ἐν ἐμοὶ τὴν εἰκόνα ὑπέγραψας· τοῦ λόγου τὸ δῶρον ἐνέθηκας· εἰς τρυφὴν μοι τὸν παράδεισον ἤνοιξας· τῆς σῆς γνώσεως τὴν διδασκαλίαν παρέδωκας· ἔδειξάς με τὸ δένδρον τῆς ζωῆς* μοι ξύλον ὑπέδειξας· τοῦ θανάτου τὸ κέντρον ἐγνώρισας· ἑνός μοι φύτου τὴν ἀπόλαυσιν ἀπηγόρευσας· ἐξ αὐτοῦ μόνου οὖν εἶπάς μοι μὴ φαγεῖν· ἔφαγον, νόμον ἠθέτησα· γνώμῃ τῆς ἐντολῆς παρημέλησα· ἐγὼ δὲ τοῦ θανάτου τὴν ἀπόφασιν ἥρπασα.

Sacerdos. Tu formasti me et posuisti super me manum tuam, potestatis tuae in me imaginem descripsisti: rationis donum indidisti: Paradisum mihi ad oblectamentum meum aperuisti: cogitationis tuae doctrinam tradidisti: arborem mihi, lignum vitae ostendisti, et mortis stimulum significasti, unius plantae fruitionem mihi prohibuisti, ex ea sola dixisti ne comederem: comedi, legem insuper habui, et ex animi sententia praeceptum neglexi; ego autem sententiam mortis rapui.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Populus. Kyrie eleison.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Σύ μοι ὦ δέσποτα τὴν τιμωρίαν μετέβαλες· ὡς ποιμὴν ἀγαθὸς εἰς πλανώμενον ἔδραμες· ὡς πατὴρ ἀληθινὸς ἐμοὶ τῷ πεπτωκότι συνήλγησας· πᾶσι τοῖς πρὸς ζωὴν φαρμάκοις κατέδησας. Αὐτός μοι προφήτας ἀπέστειλας· δι᾽ ἐμὲ τὸν νοσοῦντα, νόμον εἰς βοήθειαν ἔδωκας. Αὐτός μοι* τὰς πρὸς ὑγιείαν ὦ παρανομηθεῖσας, διηκόνησας· φῶς τοῖς πλανωμένοις ἀνέτειλας· τοῖς ἀγνοοῦσι, ὁ ἀεὶ παρὼν ἐπεδήμησας· ἐπὶ τὴν παρθενικὴν ἦλθες νηδύν. Ὁ ἀχώρητος θεὸς ὤν, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσω τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, ἀλλ᾽ ἑαυτὸν ἐκένωσας μορφὴν δούλου λαβών· τὴν ἐμὴν ἕν σοι φύσιν

Sacerdos. Tu mihi Domine poenam transtulisti: tu velut Pastor bonus, ad errantem cucurristi; tanquam pater verus, mihi, cum cecidissem, condoluisti, omnibusque ad vitam remediis confovisti. Ipse ad me Prophetas misisti; propter me aegrotantem, legem ad auxilium dedisti: ipse mihi ad sanandum ea in quibus praevaricatus eram, quae opus erant administrasti: errantibus lumen exortus es: ignorantibus tu semper praesens advenisti, et in virginalem uterum venisti. Incircumscriptus Deus existens, non rapinam arbitratus es

esse aequalem Deo, sed temetipsum exinanivisti formam servi accipiens: meam in te naturam benedixisti: mei causa legem implevisti: quomodo a lapsu meo surgerem, suggessisti. Illis quos infernus detinebat, remissionem dedisti, legisque maledictionem abstulisti. In carne peccatum destruxisti; potestatis tuae autoritatem mihi demonstrasti: caecis visum restituisti: mortuos ex sepulchris excitasti: verbo solo naturam suscitasti: clementiae tuae dispensationem mihi ostendisti: malignorum violentiam sustinuisti: dorsum tuum ad flagella dedisti; maxillas quoque alapis, nec avertisti propter me faciem tuam ab ignominia sputorum.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Tanquam ovis ad immolationem venisti, usque ad crucem mei curam ostendisti; tuo sepulchro meum peccatum interemisti: in coelum primitias meas elevasti: adventus tui praesentiam mihi significasti, in quo venturus es judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera ejus.

Populus. Secundum misericordiam tuam Domine, etc.

Sacerdos. Istius meae libertatis offero tibi symbola, et verbis tuis res effectas adscribo. Tu mihi mysticam hanc tradidisti carnis tuae, in pane et vino participationem.

Populus. Credimus.

Sacerdos. Ea enim nocte qua ipse tradidisti te ipsum ex propria potestate.

ηὐλόγησας· ὑπὲρ ἐμοῦ τὸν νόμον ἐπλήρωσας, τοῦ πτώματός μου τὴν ἀνάστασιν ὑπηγόρευσας. Ἔδωκας τοῖς ὑπὸ τοῦ ᾅδου κρατουμένοις τὴν ἄφεσιν· τοῦ νόμου τὴν ἀρὰν ἀπεσόβησας· ἐν σαρκὶ τὴν ἁμαρτίαν κατήργησας· τῆς σῆς ἐξουσίας μοι τὴν δυναστείαν ἐγνώρισας· τυφλοῖς τὸ βλέπειν ἀπέδωκας· νεκροὺς ἐκ τάφων ἀνέστησας· ῥήματι τὴν φύσιν ἀνώρθωσας· τῆς σῆς εὐσπλαγχνίας μοι τὴν οἰκονομίαν ὑπέδειξας· τῶν πονηρῶν τὴν βίαν ὑπένεγκας· τὸν νῶτόν σου δέδωκας εἰς μάστιγας· τὰς δὲ σιαγόνας σου ὑπέθηκας εἰς ῥαπίσματα· οὐκ ἀπέστρεψας δι' ἐμὲ τὸ πρόσωπόν σου ἀπὸ αἰσχύνης ἐμπτυσμάτων.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἦλθες, μέχρι σταυροῦ τὴν ἐμὴν κηδεμονίαν ὑπέδειξας· τῷ σῷ τάφῳ τὴν ἐμὴν ἁμαρτίαν ἐνέκρωσας· εἰς οὐρανὸν τὴν ἐμὴν ἀπαρχὴν ἀνεβίβασας· τῆς σῆς αφίξεώς μοι τὴν παρουσίαν ἐμήνυσας, ἐν ᾗ μέλλεις ἔρχεσθαι κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κατὰ τὸ ἔλεός σου κύριε.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ταύτης μου τῆς ἐλευθερίας προσφέρω σοι τὰ σύμβολα, τοῖς ῥήμασί σου ἐπιγράφω τὰ πράγματα. Σύ μοι τὴν μυστικὴν ταύτην παρέδωκας τῆς σῆς σαρκός, ἐν ἄρτῳ καὶ οἴνῳ τὴν μέθεξιν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Πιστεύομεν.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Τῇ γὰρ νυκτὶ ᾗ παρεδίδης αὐτὸς σεαυτόν, τῆς σεαυτοῦ ἐξουσίας.*

Ὁ Λαὸς λέγει. *Πιστεύομεν.*

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. *Λαβὼν ἄρτον ἐν ταῖς ἁγίαις καὶ ἀχράντοις καὶ ἀμωμήτοις σου χερσὶν, ἔνευσας ἄνω πρὸς ἴδιόν σου πατέρα Θεὸν ἡμῶν καὶ Θεὸν τῶν ὅλων· ηὐχαρίστησας † ηὐλόγησας † ἡγίασας † ἔκλασας, μετέδωκας τοῖς ἁγίοις σου μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις εἶπας. Λάβετε φάγετε τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν κλώμενον, καὶ διαδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λαβὼν ποτήριον, καὶ ἐκέρασας αὐτὸ ἐκ γεννήματος ἀμπέλου, καὶ ἐξ ὕδατος ηὐχαρίστησας † ηὐλόγησας † ἡγίασας † μετέδωκας τοῖς ἁγίοις σου μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις, εἶπας· Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· τοῦτό μου ἐστὶν τὸ αἷμα, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Ὁσάκις γὰρ ἐσθίετε τὸν ἄρτον τοῦτον, πίνετε δὲ καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, τὸν ἐμὸν θάνατον καταγγέλλετε, καὶ τὴν ἐμὴν ἀνάστασιν ὁμολογεῖτε ἄχρις οὗ ἂν ἔλθω.*

Ὁ Λαὸς λέγει. *Ἀμήν. γ΄. Τὸν θάνατόν σου.*

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. *Ὥστε οὖν δέσποτα μεμνημένοι τῆς ἐπὶ γῆς συγκαταβάσεως, καὶ τοῦ ζωοποιοῦ θανάτου, καὶ τῆς τριημέρου σου ταφῆς, καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, καὶ τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀνόδου, καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς καθέδρας, καὶ τῆς μελλούσης ἀπ' οὐρανῶν δευτέρας καὶ φοβερᾶς, καὶ ἐνδόξου σου παρουσίας.* **Ἐκφωνήσει.**

Populus. Credimus.

Sacerdos. Accipiens panem in sanctas immaculatas, et intaminatas manus tuas innuisti sursum ad proprium tuum Patrem, Deum nostrum et Deum omnium. Gratias egisti † benedixisti † sanctificasti † fregisti, dedisti sanctis tuis discipulis, et Apostolis, dixistique: accipite, edite, hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur in remissionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem. Similiter postquam coenatum est, accepisti calicem, et miscuisti illum ex genimine vitis et aqua, gratias egisti † benedixisti † sanctificasti, † dedisti sanctis tuis discipulis, et Apostolis et dixisti: bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem istum bibetis, mortem meam annunciabitis, et resurrectionem ascensionemque meam confitebimini donec veniam.

Populus. Amen. *ter.* Mortem tuam, etc.

Sacerdos. Igitur Domine memores tuae super terram descensionis, et mortis vivificae, tuaeque triduanae sepulturae, et ex mortuis resurrectionis, et in coelos ascensionis, sessionisque ad dexteram Patris, venturique e coelis, secundi terribilis, et gloriosi adventus tui. *Alta voce.* Tua ex

tuis donis tibi offerentes, secundum omnia, per omnia, et in omnibus.

Populus. Te laudamus, tibi benedicimus.

Diaconus. Inclinate capita Deo cum timore.

Sacerdos inclinatus dicit secreto.

Ipse igitur Domine tua voce, haec proposita transmuta: ipse praesens, mysticam hanc liturgiam perfice: ipse nobis tuae adorationis et cultus memoriam conserva. Ipse Spiritum tuum sanctum mitte, ut adveniens sancta, bona, et gloriosa sua praesentia, sanctificet et transmutet proposita pretiosa, et sancta dona ista, in ipsum corpus et sanguinem nostrae liberationis.

Populus. Attendamus.

Diaconus. Amen.

Sacerdos alta voce. Et faciat, panem quidem istum fieri sanctum corpus tuum Domini Dei et Salvatoris, supremique regis omnium nostrum Jesu Christi, in remissionem peccatorum et ad vitam aeternam communicantibus ex illo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Calicem autem istum, pretiosum tuum sanguinem Novi Testamenti tui, Domini, Dei Salvatoris, et supremi Regis omnium nostrum Jesu Christi, in remissionem peccatorum, et ad vitam aeternam communicantibus ex illo.

Populus. Amen.

Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν δώρων σοι προςφέροντες, κατὰ πάντα, καὶ διὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσιν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Σὲ αἰνοῦμεν, σὲ εὐλογοῦμεν.

Ὁ Διάκονος λέγει. Κλίνατε Θεῷ μετὰ φόβου.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει ἐν ἑαυτῷ κλίνας.

Αὐτὸς οὖν δέσποτα τῇ σῇ φωνῇ τὰ προκείμενα μεταποίησον· αὐτὸς παρὼν, τὴν μυστικὴν ταύτην λειτουργίαν κατάρτισον· αὐτὸς ἡμῖν τῆς σῆς λατρείας τὴν μνήμην διάσωσον. Αὐτὸς τὸ πνεῦμά σου τὸ πανάγιον κατάπεμψον, ἵνα ἐπιφοιτῆσαν τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀγαθῇ καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ ἁγιάσῃ καὶ μεταποιήσῃ τὰ προκείμενα, τίμια καὶ ἅγια δῶρα ταῦτα, εἰς αὐτὸ τὸ σῶμα καὶ τὸ αἷμα τῆς ἡμετέρας ἀπολυτρώσεως.

Ὁ Λαὸς λέγει. Προσχῶμεν.

Ὁ Διάκονος λέγει. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφωνήσει. Καὶ ποιήσει τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον γένηται εἰς τὸ ἅγιον σῶμά σου, τοῦ κυρίου δὲ καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος, καὶ παμβασιλέως ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν τὴν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτοῦ μεταλαμβάνουσιν.*

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Τὸ δὲ ποτήριον τοῦτο, τὸ τίμιόν σου αἷμα, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης σου, τοῦ κυρίου δέ, καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος καὶ παμβασιλέως ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν τὴν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτοῦ μεταλαμβάνουσιν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ο Ἱερεὺς λέγει καὶ ὁ λαὸς ἀποκρίνεται τὸ Κύριε ἐλέησον.	*Sacerdos dicit sequentia et populus respondet.* Kyrie eleison.
Σὲ δυσωποῦμεν Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν.	Te obsecramus Christe Deus noster.
Τῆς ἐκκλησίας σου κύριε τὴν κρηπῖδα κατάπηξον.	Ecclesiae tuae Domine fundamentum confirma.
Τῆς ἀγάπης ἡμῖν τὴν ὁμόνοιαν ῥίζωσον.	Caritatis nobis concordiam radicitus insere.
Τῆς πίστεως τὴν ἀλήθειαν αὔξησον.	Fidei veritatem auge.
Τῆς σῆς εὐσεβείας ἡμῖν τὴν ὁδὸν εὐθυτόμησον.	Pii tui cultus viam rectam nobis dirige.
Τοὺς ποιμένας ὀχύρωσον.	Pastores robora.
Τοὺς ποιμαινομένους ἀσφάλισαι.	Eos qui pascuntur, securos praesta.
Δὸς τῷ κλήρῳ τὴν εὐκοσμίαν.	Da Clero morum honestatem,
Τοῖς μοναχοῖς τὴν ἐγκράτειαν.	Monachis temperantiam,
Τοῖς ἐν παρθενίᾳ τὸ σωφρονεῖν.	Illis qui virginitatem servant, temperantiam,
Τοῖς ἐν σεμνῷ γάμῳ τὴν εὐζωΐαν.	Illis qui sunt in honorabili conjugio, bonam vitam,
Τοῖς ἐν μετανοίᾳ τὸ ἔλεος.	Illis qui in poenitentia sunt, misericordiam,
Τοῖς πλουτοῦσι τὴν ἀγαθότητα.	Divitibus bonitatem,
Τοῖς πενομένοις τὴν ἐπικουρίαν.	Indigentibus adjutorium,
Τοῖς πτωχοῖς τὴν βοήθειαν.	Pauperibus auxilium.
Τοὺς πρεσβύτας περίζωσον.	Senes robore accinge.
Τοὺς νέους σωφρόνισον.	Juvenes temperantes effice.
Τοὺς ἀπίστους ἐπίστρεψον.	Infideles converte.
Παῦσον τῆς ἐκκλησίας τὰ σχίσματα.	Comprime Ecclesiae schismata.
Τῶν αἱρέσεων κατάλυσον τὰ φρυάγματα.	Haereseon fremitus destrue.
Πάντας ἡμᾶς πρὸς τὴν τῆς σῆς εὐσεβείας ὁμόνοιαν σύναψον.	Nos omnes ad pii cultus tui concordiam conjunge.
Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.	*Populus.* Kyrie eleison.
Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε τῆς εἰρήνης τῆς ἁγίας, μόνης, καθολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς σου ἐκκλησίας, τῆς ἀπὸ περάτων, ἕως περάτων τῆς οἰκουμένης, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ ὀρθοδόξων ἐπισκόπων,	*Sacerdos.* Memento Domine pacis sanctae, unius, Catholicae, et Apostolicae tuae Ecclesiae, quae est a finibus usque ad fines orbis et eorum qui in illa sunt Ortho-

doxorum Episcoporum, qui recte dispensant verbum veritatis.

Elevans vocem.

Praecipue sanctissimi et beatissimi Pontificis nostri Abba N. Papae et Patriarchae magnae civitatis Alexandriae, et pro illis qui superstites sunt Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Anagnostis, Psaltis, Exorcistis, monasticam vitam et perpetuam virginitatem profitentibus, continentibus, viduis, orphanis, laicis, et pro omni plenitudine fidelium sanctae Dei Ecclesiae.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Memento Domine eorum qui pie regnant.

Memento Domine eorum qui sunt in palatio, fratrum nostrorum fidelium et orthodoxorum, et totius exercitus.

Memento Domine eorum qui offerunt sancta haec dona, et pro quibus et per quos obtulerunt, mercedemque coelestem retribue illis omnibus.

Memento Domine eorum qui sunt in montibus, speluncis, et cavernis terrae.

Et eorum qui in captivitate sunt, fratrum nostrorum, illisque pacificum reditum ad propria concede.

Diaconus. Orate pro captivis.

Populus. Kyrie eleison.

Tunc inclinat Sacerdos caput, dicens secreto.

Memento Domine etiam miserae meae et infelicis animae, et humiliationis meae, et remitte mihi omnia delicta mea et ubi abun-

τῶν ὀρθοτομησάντων τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.

Ἐκφωνήσει.

Ἐξαιρέτως τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου ἀρχιερέως ἡμῶν Ἄββα Δ'. πάπα καὶ πατριάρχου τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας. Καὶ ὑπὲρ τῶν περιόντων ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων, ἀναγνωστῶν, ψαλτῶν, ἐξορκιστῶν, μοναζόντων, ἀειπαρθένων, ἐγκρατῶν, χηρῶν, ὀρφανῶν, λαϊκῶν, καὶ ὑπὲρ παντὸς τοῦ πληρώματος, τῆς ἁγίας τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας τῶν πιστῶν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε τῶν εὐσεβῶς βασιλευσάντων.

Μνήσθητι κύριε τῶν ἐν τῷ παλατίῳ, ἡμῶν ἀδελφῶν πιστῶν, καὶ ὀρθοδόξων, καὶ παντὸς τοῦ στρατοπέδου.

Μνήσθητι κύριε τῶν προσφερόντων τὰ ἅγια δῶρα ταῦτα, καὶ ὑπὲρ ὧν, καὶ δι' ὧν προσεκόμισαν, καὶ μισθὸν οὐράνιον παρασχοῦ πᾶσιν αὐτοῖς.

Μνήσθητι κύριε καὶ τῶν ἐν ὄρεσι, καὶ σπηλαίοις καὶ ταῖς ὀπαῖς τῆς γῆς.

Καὶ τῶν ἐν αἰχμαλωσίαις ὄντων ἀδελφῶν ἡμῶν καὶ εἰρηνικὰς ἀποκαταστάσεις εἰς τὰ ἴδια χάρισαι.

Ὁ Διάκονος λέγει. Προσεύξασθε ὑπὲρ τῶν αἰχμαλώτων.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Τότε κλίνει Ἱερεὺς τὴν ἑαυτοῦ κεφαλὴν λέγων καθ' ἑαυτὸν ἐν ἑαυτῷ.

Μνήσθητι κύριε καὶ τῆς ἐμῆς ἀθλίας καὶ ταλαιπώρου ψυχῆς, ταπεινώσεώς μου, καὶ συγχώρησόν μοι πάντα τὰ ἐμὰ πλημμελήματα

καὶ ὅπου ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, περίσσευσόν σου τὴν χάριν, καὶ μὴ διὰ τὰς ἐμὰς ἁμαρτίας, καὶ τὴν βεβήλωσιν τῆς καρδίας μου, ὑστερήσῃς τὸν λαόν σου τῆς χάριτος τοῦ ἁγίου σου πνεύματος.

davit peccatum, abundantiorem praesta gratiam tuam: neque propter peccata mea et immunditiam cordis mei defraudes populum tuum gratia tui sancti Spiritus.

Ὑψώσει τὴν κεφαλὴν καὶ ἐκφωνήσει.

Attollit caput et dicit alta voce.

Ὁ γὰρ λαός σου, καὶ ἡ ἐκκλησία σου ἱκετεύει σε, καὶ διά σου καὶ σύν σοι τὸν πατέρα, λέγουσα.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἐλέησον ἡμᾶς ὁ θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν. γʹ.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ἐλέησον ἡμᾶς ὁ θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν. γʹ.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον. γʹ.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε τοῦ ἀέρος καὶ τῶν καρπῶν τῆς γῆς.

Μνήσθητι κύριε τῆς συμμέτρου ἀναβάσεως τῶν ποταμείων ὑδάτων.

Μνήσθητι κύριε τῶν ὑετῶν καὶ τῶν σπορίμων τῆς γῆς.

Εὔφρανον πάλιν καὶ ἀνακαίνισον τὸ πρόσωπον τῆς γῆς.

Τοὺς αὔλακας αὐτῆς μέθυσον, πλήθυνον τὰ γεννήματα αὐτῆς· παράστησον ἡμῖν αὐτὰ εἰς σπέρμα, καὶ εἰς θερισμόν, καὶ νῦν εὐλογῶν εὐλόγησον. Τὴν ζωὴν ἡμῶν οἰκονόμησον. Εὐλόγησον τὸν στέφανον τοῦ ἐνιαυτοῦ τῆς χρηστότητός σου, διὰ τοὺς πτωχοὺς τοῦ λαοῦ σου, διὰ τὴν χήραν, καὶ τὸν ὀρφανόν, διὰ τὸν ξένον, καὶ τὸν προσήλυτον, καὶ δι' ἡμᾶς πάντας τοὺς ἐλπίζοντας ἐπί σοι, καὶ ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ πάντων εἴς σε ἐλπίζουσι, καὶ σὺ διδὼς τὴν τροφὴν αὐτῶν ἐν εὐκαιρίᾳ. Ποίησον μεθ' ἡμῶν κατὰ τὴν ἀγαθότητά σου, ὁ

Populus enim tuus et Ecclesia tua deprecatur te, et per te atque tecum Patrem dicens.

Populus. Miserere nobis Deus Salvator noster. *ter.*

Sacerdos. Miserere nobis Deus Salvator noster. *ter.*

Populus. Kyrie eleison. *ter.*

Sacerdos. Memento Domine aëris et fructuum terrae.

Memento Domine convenientis ascensionis aquarum fluvialium.

Memento Domine imbrium, et satorum terrae.

Laetifica etiam et renova faciem terrae.

Sulcos ejus inebria, multiplica genimina ejus: praebe nobis illa ad semen et ad messem, et nunc benedicens benedicito. Vitam nostram rege: benedic coronae anni benignitatis tuae, propter pauperes populi tui, propter viduam et orphanum, propter hospitem et advenam, et propter nos omnes sperantes in te, et invocantes nomen tuum sanctum. Oculi enim omnium in te sperant et tu das escam illorum in tempore opportuno. Fac nobiscum secundum bonitatem tuam, qui das escam omni carni. Imple

gaudio et laetitia corda nostra, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum, ad faciendam voluntatem tuam sanctam.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos dicit et populus respondet

Kyrie eleison.

Concede populo tuo concordiam,

Mundo praeclarum statum,

Aëri temperiem,

Aegrotantibus salutem,

Indigentibus refrigerium,

Illis qui in exiliis sunt, quietem,

Orphanis auxilium,

Viduis protectionem.

Angustiatis subministra quantum opus est, ut bene sint.

Stantes confirma.

Eos qui ceciderunt erige.

Securos praesta eos qui stant.

Mortuorum reminiscere.

Eorum qui in confessione sunt, intercessiones suscipe.

Eos qui peccaverunt, et egerunt poenitentiam, adnumera cum fidelibus tuis.

Fideles adnumera cum martyribus tuis.

Eos qui in hoc loco praesentes sunt imitatores Angelorum constitue.

Et nos gratia tua, ad tuum vocatos ministerium indignos licet, suscipe.

Populus. Kyrie eleison.

Memento Domine et urbis nostrae hujus et habitantium in ea in orthodoxa fide, omnis quoque urbis et regionis, cum omni po-

διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκί. Πλήρωσον χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν, ἵνα ἐν πᾶσι, πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, περισσεύσωμεν εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν, τοῦ ποιεῖν τὸ θέλημά σου τὸ ἅγιον.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει, καὶ ὁ λαὸς ἀποκρίνεται.

Κύριε ἐλέησον.

Χάρισαι τῷ λαῷ σου τὴν ὁμόνοιαν.

Τῷ κόσμῳ τὴν εὐστάθειαν.

Τῷ ἀέρι τὴν εὐκρασίαν.

Τοῖς νοσοῦσι τὴν σωτηρίαν.

Τοῖς δεομένοις τὴν ἀνάψυξιν.

Τοῖς ἐν ἐξορίαις τὴν ἄνεσιν.

Τοῖς ὀρφανοῖς τὴν βοήθειαν.

Ταῖς χηραῖς τὴν ἀντίληψιν.

Τοῖς θλιβομένοις ἐπάρκησον εἰς ἀγαθόν.

Τοὺς ἑστῶτας ὀχύρωσον.

Τοὺς πεπτωκότας ἔγειρον.

Τοὺς ἑστηκότας ἀσφάλισαι.

Τῶν κεκοιμημένων μνήσθητι.

Τῶν ἐν ὁμολογίᾳ, τὰς πρεσβείας πρόσδεξαι.

Τοὺς ἡμαρτηκότας καὶ μετανοήσαντας, συναρίθμησον μετὰ τῶν πιστῶν σου.

Τοὺς πιστοὺς συναρίθμησον μετὰ μαρτύρων σου.

Μιμητάς, τοὺς παρόντας ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ τῶν ἀγγέλων κατάστησον.

Καὶ ἡμᾶς τῇ σῇ χάριτι πρὸς τὴν σὴν κεκλημένους διακονίαν ἀναξίους ὄντας ὑπόδεξαι.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε καὶ τῆς πόλεως ἡμῶν ταύτης, καὶ τῶν ἐν ὀρθοδόξῳ πίστει οἰκούντων ἐν αὐτῇ, καὶ πάσης πό-

λεως καὶ χώρας σὺν παντὶ τῷ κόσμῳ αὐτῶν. Καὶ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ λιμοῦ καὶ λοιμοῦ, σεισμοῦ καὶ καταποντισμοῦ πυρός, καὶ ἀπὸ αἰχμαλωσίας βαρβάρων, καὶ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων μαχαιρῶν, καὶ ἐπαναστάσεως ἐχθρῶν τε καὶ αἱρετικῶν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Μνήσθητι κύριε τῶν προλαβόντων ὁσίων πατέρων ἡμῶν ὀρθοδόξων ἐπισκόπων, καὶ πάντων τῶν ἀπ᾽ αἰῶνός σοι εὐαρεστησάντων, ἁγίων πατέρων, πατριαρχῶν, ἀποστόλων, προφητῶν, κηρύκων, εὐαγγελιστῶν, μαρτύρων, ὁμολογητῶν, καὶ παντὸς πνεύματος δικαίου, ἐν πίστει Χριστοῦ τετελειωμένου.

Ἐκφωνήσει.

Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας ὑπερενδόξου, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου, βαπτιστοῦ, καὶ μάρτυρος Ἰωάννου.

Τοῦ ἁγίου Στεφάνου τοῦ πρωτοδιακόνου, καὶ πρωτομάρτυρος.

Καὶ τοῦ ἁγίου καὶ μακαρίου πατρὸς ἡμῶν Μάρκου, τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ.

Καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς Γρηγορίου.

Καὶ ὧν ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ τὴν ὑπόμνησιν ποιούμεθα, καὶ παντὸς χοροῦ τῶν ἁγίων σου, ὧν ταῖς εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις, καὶ ἡμᾶς ἐλέησον, καὶ σῶσον διὰ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον, τὸ ἐπικληθὲν ἐφ᾽ ἡμᾶς.

Ὁ Διάκονος λέγει τὰ Δίπτυχα.

pulo ejus: et libera nos a fame et peste, a terrae motu, a submersione, ab igne, a captivitate barbarorum, a gladiis alienis, ab insultu hostium et haereticorum.

Populus. Kyrie eleison:

Sacerdos. Memento Domine eorum qui dudum obierunt sanctorum Patrum nostrorum; Orthodoxorum Episcoporum, et omnium qui a saeculo tibi placuerunt sanctorum Patrum, Patriarcharum, Apostolorum, Prophetarum, Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, omnisque spiritus justi, in fide Christi consummati.

Alta voce.

Praecipue sanctissimae, gloriosissimae, immaculatae, et benedictionibus cumulatae, dominae nostrae Deiparae et semper Virginis Mariae.

Sancti gloriosi, Prophetae, praecursoris, Baptistae, et martyris Joannis.

S. Stephani primi Diaconi et primi Martyris.

Et sancti et beati Patris nostri Marci, Apostoli et Evangelistae.

Et sancti Patris nostri Gregorii.

Eorumque quorum hodie memoriam facimus, et omnis chori Sanctorum tuorum, quorum precibus et intercessionibus miserere nostri, et salva nos, propter nomen tuum sanctum, quod invocatum est super nos.

Diaconus recitat Diptycha.

Sacerdos dicit secreto.

Memento Domine eorum qui pridem obdormierunt, in orthodoxa fide, patrum et fratrum nostrorum et fac animas eorum quiescere, cum sanctis et justis. Deduc eos et congrega in locum herbidum, super aquam refectionis, in paradiso voluptatis, et cum illis quorum nomina recitavimus.

Tunc commemorationem facit vivorum et mortuorum, et post diptycha Sacerdos dicit.

Memento Domine eorum quorum meminimus, et quorum non meminimus fidelium et orthodoxorum, cum quibus et nobis cum ipsis, tanquam bonus et benignus erga homines Deus.

Populus. Remitte, parce, condona.

Sacerdos. Tu enim es Deus noster, misericors, nolens mortem peccatoris, sed potius ut convertatur et vivat. Deus visita nos in salutari tuo, fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam, qui facis longe plura quam petimus, aut cogitamus, ut in hoc sicut et in omnibus, glorificetur et exaltetur, laudetur et benedicatur, et sanctificetur sanctum, honorandum et benedictum nomen tuum, cum immaculato tuo Patre et sancto Spiritu.

Populus. Sicut erat, est, et erit.

Diaconus. Descendite Diaconi.

Sacerdos. Pax omnibus.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει ἐν ἑαυτῷ.

Μνήσθητι κύριε τῶν προκεκοιμημένων ἐν τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει πατέρων ἡμῶν καὶ ἀδελφῶν, καὶ ἀνάπαυσον τὰς ψυχὰς αὐτῶν μετὰ ὁσίων, μετὰ δικαίων. Ἔκθρεψον, σύναψον εἰς τόπον χλόης, ἐπὶ ὕδατος ἀναπαύσεως, ἐν παραδείσῳ τρυφῆς, καὶ μετὰ τούτων, ὧν εἴπομεν τὰ ὀνόματα αὐτῶν.

Τότε μνημονεύει ζώντων καὶ νεκρῶν, καὶ μετὰ δίπτυχα ὁ Ἱερεὺς λέγει.

Μνήσθητι κύριε ὧν ἐμνήσθημεν, καὶ ὧν οὐκ ἐμνήσθημεν, πιστῶν καὶ ὀρθοδόξων, μεθ' ὧν καὶ ἡμῖν σὺν αὐτοῖς ὡς ἀγαθός, καὶ φιλάνθρωπος θεός.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἄνες, ἄφες, συγχώρησον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Σὺ γὰρ εἶ ὁ θεὸς ἡμῶν, ἐλεήμων, ὁ μὴ βουλόμενος τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ὡς τοῦ ἐπιστρέψαι καὶ ζῆν αὐτόν. Ὁ θεὸς ἐπίσκεψον ἡμᾶς ἐν τῷ σωτηρίῳ σου· ποίησον μεθ' ἡμῶν κατὰ τὴν ἐπιείκειάν σου, ὁ ποιῶν ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ ὧν αἰτούμεθα, ἢ νοοῦμεν· ἵνα σου καὶ ἐν τούτῳ καθὼς καὶ ἐν παντὶ δοξάσθῃ καὶ ὑψωθῇ καὶ ὑμνηθῇ, καὶ εὐλογηθῇ καὶ ἁγιάσθῃ τὸ πανάγιον καὶ ἔντιμον, καὶ εὐλογημένον σου ὄνομα, ἅμα τῷ ἀχράντῳ σου πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ὡς ἦν, καί ἐστι, καὶ ἔσται.

Ὁ Διάκονος λέγει. Κατέλθετε οἱ διάκονοι.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ *Λαὸς λέγει.* Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Προοίμιον τῆς κλάσεως.

Ὁ *Ἱερεὺς λέγει.* Ἰησοῦ Χριστέ, τὸ σωτήριον ὄνομα, ὁ τὰ θεῖα καὶ ἄχραντα καὶ ἐπουράνια ταῦτα μυστήρια διατυπώσας· ὁ τοὺς μὲν ἱερεῖς ἐν τάξει ὑπηρετῶν στήσας· διὰ δὲ τῆς ἀοράτου σου δυνάμεως αὐτὰ μεταστοιχειώσας. Ὁ τοῖς καθαροῖς τῇ καρδίᾳ ἐπιφαινόμενος, καὶ τοῖς γνησίως προσιοῦσι διὰ σεαυτοῦ* παρέχοντος.

Ὁ τότε εὐλογήσας, καὶ νῦν εὐλόγησον.

Ὁ τότε ἁγιάσας, καὶ νῦν ἁγίασον.

Ὁ τότε κλάσας, καὶ νῦν διάθρεψον.

Ὁ τότε διαδοὺς τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις· καὶ νῦν δέσποτα διαδὸς ἡμῖν, καὶ παντὶ τῷ λαῷ σου φιλάνθρωπε, παντόκρατορ, κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν.

Ὁ *Διάκονος λέγει.* Προσεύξασθε.

Ὁ *Λαὸς λέγει.* Κύριε ἐλέησον.

Ὁ *Ἱερεὺς λέγει.* Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ *Λαὸς λέγει.* Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Εὐχὴ τῆς κλάσεως.

Ὁ ὤν, ὁ ἦν, ὁ ἐλθών, καὶ πάλιν ἐρχόμενος· ὁ ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς καθήμενος· ὁ ἄρτος, ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ· ὁ μέγας ἀρχιερεύς, ὁ ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας ἡμῶν· τὸ φῶς ἀληθινὸν τὸ πρὸ πάντων αἰώνων. Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ τοῦ ἰδίου σου πατρός· ὁ εὐδοκήσας καὶ καταξίωσας κατελθεῖν ἐκ τῶν ὑψω-

Populus. Et cum spiritu tuo.

Prooemium fractionis.

Sacerdos. Jesu Christe, nomen salutare, qui divina, immaculata, et coelestia haec mysteria designasti: qui Sacerdotes quidem in ordine ministrorum constituisti, per invisibilem autem tuam potentiam ea transformasti: qui mundis corde exhiberis et illis qui sincere accedunt, per te ipsum ea praebes.

Qui tunc benedixisti, etiam nunc benedic.

Qui tunc sanctificasti, etiam nunc sanctifica.

Qui tunc fregisti, etiam nunc frange.

Qui tunc dedisti discipulis et Apostolis tuis, etiam nunc Domine, da nobis et omni populo tuo, benigne, omnipotens, Domine Deus noster.

Diaconus. Orate.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Oratio fractionis.

Qui es, qui eras, qui venisti et iterum venturus es, qui ad dexteram Patris sedes: panis qui de coelo descendisti et das vitam mundo: Pontifex magnus, autor et princeps salutis nostrae. Lux vera existens ante omnia saecula: qui es splendor gloriae et character substantiae Patris proprii tui: qui per beneplacitum tuum

dignatus es descendere de excelsis coeli, ex sinu luminis inaccessibilis, et veri, invisibilisque solius Patris. Quique incarnatus de Spiritu sancto, et ex gloriosissima, immaculata, sancta, domina nostra, Deipara et semper Virgine Maria, perfecte homo factus es: non per transmutationem, humanitatem mutans, sed uniens tibi eam secundum hypostasin, modo inexplicabili, et inintelligibili, sed absque mutatione et confusione, animam habentem rationalem et intellectu praeditam. Ita ex ea processisti, Deus homo factus, consubstantialis Patri secundum divinitatem, et consubstantialis nobis secundum humanitatem. Non duas personas, aut duas formas habens, neque in duabus naturis agnitus: sed unus Deus, unus Dominus: una substantia, unum regnum, una dominatio, una operatio, una hypostasis, una voluntas, una natura Dei Verbi incarnata et adorata. Crucifixus autem sub Pontio Pilato, confessusque praeclaram confessionem: passus et sepultus resurrexisti tertia die, et ascendens in coelum, consedisti ad dexteram magnitudinis Patris, conculcasti mortem, infernum spoliasti, confringens portas aereas, et vectes ferreos rupisti, captivum Adamum revocasti ex corruptione, nosque liberasti a diaboli servitute.

Idcirco rogamus et imploramus te benigne, bone, praestare nobis dignare, ut puro corde audeamus absque timore, invocare omnium

μάτων τοῦ οὐρανοῦ, ἐκ κόλπων τοῦ ἀπροσίτου φωτός, καὶ ἀληθινοῦ καὶ ἀοράτου μόνου πατρός. Σαρκωθεὶς δὲ ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ ἐκ τῆς πανενδόξου, ἀχράντου, ἁγίας δεσποίνης ὑμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ τελέως ἐνανθρωπήσας· καί κατὰ μετάστασιν, τὴν ἀνθρωπότητα ἀναλλοιώσας· ἑνώσας ἑαυτῷ καθ' ὑπόστασιν, ἀφράστως καὶ ἀπερινοήτως, ἀτρέπτως δὲ καὶ ἀσυγχύτως, ψυχὴν ἔχουσαν λογικήν τε καὶ νοεράν, οὕτως προῆλθες ἐξ αὐτῆς θεανθρωπωθείς· ὁμοούσιος πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιος ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. Οὐ δύο πρόςωπα οὖν, οὐδὲ δύο μορφὰς ἤγουν, οὐδὲ ἐν δυσὶ φύσεσι γνωριζώμενος, ἀλλ' εἷς θεός, εἷς κύριος, μία οὐσία, μία βασιλεία, μία δεσπότεια, μία ἐνέργεια, μία ὑπόστασις, μία θέλησις, μία φύσις τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένη, καὶ προςκυνουμένη. Σταυρωθεὶς δὲ ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου, καὶ ὁμολογήσας τὴν καλὴν ὁμολογίαν· παθὼν καὶ ταφεὶς καὶ ἀναστὰς τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθὼν εἰς οὐρανούς, καὶ καθίσας ἐν τῇ δεξίᾳ τῆς μεγαλωσύνης τοῦ πατρός, πατήσας τὸν θάνατον, καὶ τὸν ᾅδην σκυλεύσας, συντρίψας πύλας χαλκάς, καὶ μόχλους σιδηροὺς συνθλάσας, καὶ τὸν αἰχμάλωτον Ἀδὰμ ἀνακαλεσάμενος ἐκ φθορᾶς, καὶ ἡμᾶς ἐλευθερώσας ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου δουλείας.

Δι' ὃ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε, φιλάνθρωπε, ἀγαθέ, καταξίωσον ἡμᾶς ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ τολμᾷν ἀφόβως ἐπιβοᾶσθαι τὸν

πάντων δεσπότην ἐπουράνιον θεόν, πατέρα ἅγιον καὶ λέγειν.

Dominum coelestem Deum, Patrem sanctum et dicere, etc.

Εὐχὴ ἄλλη τῆς κλάσεως.

Oratio alia fractionis.

Σὺ γὰρ εἶ ὁ λόγος τοῦ πατρός, ὁ προαιώνιος θεός, ὁ μέγας ἀρχιερεύς, ὁ ἐπὶ σωτηρίας τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων σαρκωθεὶς καὶ ἐνανθρωπήσας, καὶ προσκαλεσάμενος ἑαυτῷ ἐκ πάντων τῶν ἐθνῶν γένος ἐκλεκτόν, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸν εἰς περιποίησιν. Δι' ὃ δεόμεθα, καὶ παρακαλοῦμέν σε, φιλάνθρωπε, ἀγαθέ, κύριε, μὴ εἰς ἔλεγχον καὶ ὄνειδος, μὴ εἰς κρίμα, μηδὲ εἰς κατάκριμα τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν γενηθήτω ἡ θυσία αὐτή· ὑπὲρ γὰρ τῶν ἀσθενειῶν ἡμῶν προςηνέγχαμεν· ἀλλ' ὥςπερ τὰ πανάγιά σου τίμια δῶρα ταῦτα πάσης ἁγιωσύνης ἐμπλῆσαι κατηξίωσας, διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ παναγίου σου πνεύματος ἐπ' αὐτῶν, οὕτως καὶ ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν, δούλων σου, ἁγιάσαι καταξίωσον τὰς ψυχάς, τὰ σώματα, τὰ πνεύματα, τὰς συνειδήσεις, ὅπως πεφωτισμένῃ ψυχῇ, ἀνεπαισχύντῳ προσώπῳ, καρδίᾳ καθαρᾷ, συνειδήσει ἀνυποκρίτῳ, ἡγιασμένοις χείλεσιν, ἀγάπῃ τελείᾳ, ἐλπίδι ἀσφαλεῖ, τολμῶμεν μετὰ παῤῥησίας, ἄνευ φόβου, λέγειν τὴν ἁγίαν προσευχήν, ἣν μετέδωκας τοῖς ἰδίοις, τοῖς ἁγίοις σου μαθηταῖς καὶ ἱεροῖς ἀποστόλοις, ὅταν προςεύχησθε, οὕτως προσεύχεσθε ὑμεῖς. Πάτερ ἡμῶν.*

Tu enim es Verbum Patris, ante saecula Deus, magnus Pontifex, qui pro salute generis humani incarnatus, et homo factus es, advocasti ad te ex omnibus gentibus genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum in adquisitionem. Idcirco rogamus et imploramus te, benigne, bone Domine, ne in reprehensionem, et confusionem, non in judicium et condemnationem peccatorum nostrorum, fiat hoc sacrificium, quod pro infirmitatibus nostris obtulimus, sed quemadmodum sanctissima tua haec et pretiosa munera omni sanctitate replere dignatus es, per illapsum sanctissimi tui Spiritus super illa, ita et nostrum peccatorum, servorum tuorum sanctificare dignare animas, corpora, spiritus, et conscientias, ut anima illuminata, facie non confusa, corde puro, conscientia hypocrisis vacua, labiis sanctificatis, caritate perfecta, fide secura, audeamus cum fiducia absque timore, dicere sanctam orationem quam tradidisti sanctis tuis discipulis, et sacris Apostolis, dicendo, quando orabitis in hunc modum orate. Pater noster, etc.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἁγιασθήτω.

Populus. Sanctificetur, etc.

Oratio alia fractionis.

Benedictus es Christe Deus omnipotens liberator Ecclesiae tuae: o Verbum quod cogitatione assequuntur, et homo quem intuentur. Qui per incomprehensibilem incarnationem tuam, praeparasti nobis panem coelestem, hoc corpus tuum quod constituisti in Sacramento, sanctissimum in omnibus. Miscuisti nobis calicem ex vite vera, divino scilicet atque immaculato latere tuo. Qui postquam tradidisses spiritum ex eodem latere effudisti sanguinem et aquam, in quibus sanctificatio esset universo mundo. Posside nos bone Domine, indignos servos tuos: fac nos populum acquisitionis, regale Sacerdotium, gentem sanctam. Sanctifica etiam nos Deus, sicut sanctificasti proposita haec sancta munera, et fecisti ea invisibilia ex visibilibus, mysteria quae solus intelligis, Domine Deus et Salvator noster Jesu Christe. Tu igitur Domine per multam tuam misericordiam praestare nobis dignatus es, ut per Baptismum efficeremur filii et haeredes. Docuisti nos formam orationis mysticam, qua oraremus immaculatum Patrem tuum. Tu ergo etiam nunc Dominator Domine dignos effice nos, ut cum conscientia sanctificata, et mente bona qualis filios decet, cum desiderio, et fiducia bona audeamus invocare, qui in coelis est sanctum Deum Patrem tuum et dicere.

Populus. Pater noster. *et postea quam recitata est oratio dominica Sacerdos dicit.*

Εὐχὴ ἄλλη τῆς κλάσεως.

*Εὐλογητὸς εἶ Χριστὲ ὁ θεός, ὁ παντοκράτωρ, ὁ λυτρώτης τῆς ἑαυτοῦ ἐκκλησίας· ὦ λόγε, ὃν * προνοοῦσιν αὐτόν, καὶ ἄνθρωπε ὃν προθεωροῦσιν αὐτόν. Ὁ διὰ τῆς ἀκαταλήπτου αὐτοῦ σαρκώσεως, ἑτοίμασας ἡμῖν ἄρτον ἐπουράνιον, τοῦτο τὸ σῶμά σου, ὃν ἔθου ἐν μυστήριον * καὶ πανάγιον ἐν τοῖς ἅπασιν. Ἐκέρασας ἡμῖν ποτήριον ἐξ ἀμπέλου ἀληθείας, ἐκ θείας καὶ ἀχράντου σου πλευρᾶς. Ὁ καὶ μετὰ δεδωκέναι τὸ πνεῦμα ἐκχέων ἐξ αὐτῆς αἷμα καὶ ὕδωρ, οἷς ἁγιασμὸς τῷ κόσμῳ παντί. Κτῆσαι ἡμᾶς ἀγαθὲ κύριε τοὺς ἀναξίους δούλους σου· ποίησον ἡμᾶς λαὸν περιούσιον, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον. Ἁγίασον καὶ ἡμᾶς ὁ θεός, ὥςπερ ἡγίασας τὰ προκείμενα καὶ ἅγια δῶρα ταῦτα, καὶ ἐποίησας αὐτὰ ἀόρατα ἐκ τῶν ὁρατῶν, μυστήρια ὧν * προνοοῦσιν, αὐτά σοι κύριε ὁ θεός, ὁ σωτὴρ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός. Σὺ οὖν κύριε διὰ τῆς πολλῆς σου εὐσπλαγχνίας κατηξίωσας ἡμᾶς διὰ τοῦ βαπτίσματος γένεσθαι εἰς υἱοὺς καὶ κληρονόμους. Ἐδίδαξας ἡμᾶς τὸν τύπον τῆς προςευχῆς ὅς ἐστὶν ἐμμυστήριος, τοῦ προςεύχεσθαι ἐν αὐτῇ τὸν ἄχραντόν σου πατέρα. Σὺ οὖν καὶ νῦν δέσποτα κύριε καταξίωσον ἡμᾶς ἐν ἁγιασμένῃ συνειδήσει, καὶ λογισμῷ ἀγαθῷ ὃν * πρέπει ..... πόθῳ καὶ παῤῥησίᾳ ἀγαθῇ τολμᾷν ἐπικαλεῖσθαι τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἅγιον θεόν, πατέρα σου καὶ λέγειν.*

Ὁ Λαὸς λέγει. Πάτερ ἡμῶν. Καὶ μετὰ τὸ Πάτερ ἡμῶν.

*Ναὶ κύριε, κύριε ὁ δεδωκὼς ἡμῖν τὴν ἐξουσίαν τοῦ πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπιῶν, καὶ ἐπὶ πᾶσαν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ, σύντριψον καὶ καθυπόταξον τὰς κεφαλὰς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ὑπὸ τοὺς πόδας ἐν τάχει, καὶ πᾶσαν τὴν κακότεχνον αὐτῶν ἐπίνοιαν, τὴν καθ' ἡμῶν διασκέδασον, ὅτι σὺ εἶ βασιλεὺς ἡμετέρων * πάντων Χριστὲ ὁ θεός· καί σοι τὴν δόξαν καὶ τὴν εὐχαριστείαν καὶ τὴν προσκύνησιν ἀναπέμπομεν, καθ' ἑκάστην ἡμέραν, σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρί, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν.*

Ita Domine: Domine qui dedisti nobis potestatem calcandi serpentes et scorpios, omnemque potestatem inimici, contere et subjice capita inimicorum nostrorum sub pedibus nostris velociter, omnemque dolosam eorum adversus nos cogitationem dissipa, quoniam tu es Rex omnium nostrum, Christe Deus; tibique gloriam, et gratiarum actionem et adorationem quotidie offerimus, simulque Patri tuo qui sine principio est, et sancto Spiritui, nunc, etc.

Ὁ Διάκονος λέγει. Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν.

Diaconus. Inclinate capità vestra, etc.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.

Oratio inclinationis capitis.

Ὁ κλίνας οὐρανοὺς καὶ κατελθὼν ἐπὶ τῆς γῆς, εἰς σωτηρίαν τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων, ὁ τῆς σῆς χάριτος πᾶσαν ἐξαπλώσας τὴν εὐθηνίαν· ὁ ποιῶν πάντα ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ, ὧν αἰτούμεθα, ἢ νοοῦμεν· φιλάνθρωπε, ἀγαθέ, ἔκτεινόν σου τὴν χεῖρα τὴν ἀόρατον, τὴν εὐλογημένην, τὴν μεστὴν ἐλέους καὶ οἰκτιρμῶν, καὶ εὐλογῶν εὐλόγησον τοὺς δούλους σου, καὶ καθάρισον αὐτοὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος· καὶ ποίησον ἡμᾶς μετόχους καὶ συσσώμους γένεσθαι τῇ σῇ χάριτι, ὅπως ἐν ἁγιότητι καὶ δικαιοσύνῃ σοι τὴν ἱκεσίαν προσάγοντες, καί σοι πρέπει πᾶσα δόξα, μεγαλοσύνη, κράτος τε καὶ ἐξουσία, ἅμα τῷ ἀχράντῳ σου πατρί, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν.*

Qui inclinans coelos descendisti in terram, ad salutem humani generis, qui gratiae tuae omnem abundantiam explicasti: qui omnia facis abundantius quam petimus et cogitamus: benigne, bone, extende manum tuam invisibilem, benedictam, plenam misericordiae et miserationum, et benedicens benedic servis tuis, eosque munda ab omni inquinamento carnis et spiritus: et fac nos participes esse et concorporeos tuae gratiae, ut in sanctitate et justitia tibi supplicationem offeramus: et te decet omnis gloria, magnitudo, potestas et imperium, cum immaculato tuo Patre et sancto Spiritus, nunc, etc.

Oratio alia similiter dicenda.

Attende Domine Jesu Christe Deus noster ex sancto habitaculo tuo, et ex throno gloriae regni tui, et veni ad sanctificandum nos, qui inclinamur coram te. Qui sursum sedes cum Patre, et hic nobiscum invisibiliter ades: dignareque potenti manu tua, participes facere nos immaculati corporis tui et pretiosi sanguinis, et per nos omnem populum. Tu enim es qui frangis et frangeris, quamvis infractus, et tibi gloriam referimus cum Patre et sancto Spiritu, nunc, etc.

Diaconus. Attendamus Deo cum timore.

Oratio libertatis, seu absolutionis.

Pax omnibus.

Agnus Dei, qui tollis peccatum mundi, qui sanguinem tuum maculae omnis expertem profudisti ad vitam mundi, et in redemptionem permutationemque omnium tradidisti te ipsum, liberans a morte in qua detinebamur, venundati sub peccato. Qui facis voluntatem timentium te, et orationem eorum exaudis salvasque ipsos: qui justum Job exaudivisti cum mane surgens, offerret sacrificia pro liberis propriis dicens, ne forte cogitaverint filii mei mala in corde suo coram Deo: exaudi me quoque miserabilem peccatorem, et inutilem servum tuum dum deprecor pro famulis tuis, patribus meis et fratribus, et pro me quo-

Εὐχὴ ἄλλη ὁμοίως.

Πρόσχες κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν ἐξ ἁγίου τοῦ κατοικητηρίου σου, καὶ ἀπὸ θρόνου τῆς βασιλείας σου, καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ ἁγιάσαι ἡμᾶς τοὺς ἐπικλίναντάς σου. Ὁ ἄνω τῷ πατρὶ συγκαθήμενος, καὶ ὧδε ἡμῖν ἀοράτως συνών· καὶ καταξίωσον τῇ κραταιᾷ σου χειρί, μεταδοῦναι ἡμῖν τοῦ ἀχράντου σώματός σου, καὶ δι' ἡμῶν παντὶ τῷ λαῷ. Σὺ γὰρ εἶ ὁ κλῶν καὶ κλώμενος, καὶ ἄκλαστος· καί σοι τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν, σὺν τῷ πατρί, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν.

Ὁ Διάκονος λέγει. Προσχῶμεν θεῷ μετὰ φόβου.

Εὐχὴ τῆς ἐλευθερίας.

Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου· τὸ πανάσπιλον αὐτοῦ αἷμα διαχύσας ἐπὶ τὴν τοῦ κόσμου ζωήν, καὶ εἰς λύτρον καὶ ἀντάλλαγμα πάντων, ἑαυτὸν παρέδωκας, ἐκ θανάτου λυτρωσάμενος ἐν ᾧ κατειχόμεθα, πεπραμένοι ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν. Ὁ τῶν φοβουμένων αὐτὸν ποιῶν τὸ θέλημα, καὶ τῆς δεήσεως αὐτῶν εἰσακούων, καὶ σώζων αὐτούς. Ὁ τοῦ δικαίου Ἰὼβ εἰσακούσας ἀνιστάμενος τὸ πρωΐ καὶ ὑπὲρ παιδίων φίλτρων θυσίας προσαγαγὼν εἰπών, μήπως ἐνενόησαν υἱοί μου πονηρὰ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν ἔναντι θεοῦ. Καὶ ἐμοῦ τοῦ ἐλεεινοῦ καὶ ἁμαρτωλοῦ, καὶ ἀχρείου σου δούλου, ἱκετεύω ὑπὲρ τῶν σῶν οἰκετῶν, πατέρων μου καὶ ἀδελφῶν, καὶ ὑπὲρ τῆς ἐμῆς ἀθλιότητος. Εὐμενεῖ*

προσώπῳ καὶ γαληνῷ ὄμματι, ἔπιδε ἐφ᾽ ἡμᾶς ἐν ταύτῃ τῇ ὥρᾳ· καὶ παρὲς οὖν ἡμῖν πᾶσαν ἀθετηρίαν, καὶ πᾶσαν παράβασιν, καὶ παρακοὴν νόμου καὶ τῶν σῶν ἐντολῶν· ἔτι δὲ καὶ πᾶσαν συνείδησιν, καὶ πᾶσαν ἐνθύμησιν, καὶ πάσαις* πράξεσι, καὶ πάσαις κινήσεσι γεγωνυίαις ἐν ἑαυταῖς, ἡμερικῶς τε καὶ νυκτερικῶς ἐπιδῆσαι καὶ κατακρατῆσαι κατὰ τῆς ψυχῆς. Καὶ ἀθώωσον αὐτοὺς ἀπὸ πάσης συνειδήσεως πονηρῶν, καὶ πάσης ἀκάρπου πράξεως, καὶ παντὸς λογισμοῦ πεπυρωμένου.....* ἐστὶν βεβηλὰ παρὰ τὴν τῆς ψυχῆς καθαρότητα. Χάρισαι αὐτῶν τὴν τῶν ἁμαρτιῶν ἐπίγνωσιν, καὶ τελείως ἀπέχεσθαι ἀπ᾽ αὐτῶν. Δώρησαι αὐτοῖς μετανοίας ἁγνότητος,* καὶ τὴν εἰς σε ἐπιστροφήν· σὺ γὰρ δέσποτα κύριε ἐπτώχευσας ἑκουσίως ἐν τῷ σε σαρκωθῆναι, διὰ τὴν τοῦ γένους ἡμῶν σωτηρίαν· καὶ διέῤῥηξας τὸ καθ᾽ ἡμῶν χειρόγραφον, διὰ τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τῶν θείων σου παλάμων ἐφάπλωσιν. Φεῖσαι πάντων δέσποτα φιλόψυχε, ὅτι τὰ σύμπαντα δοῦλα σά, καὶ παρά σου ἡμέτερα ἀφετήρια, καὶ οὐδὲν τῶν ἐπιτηδευμάτων τῶν χειρῶν ἡμῶν· δι᾽ ὃ τὴν σὴν βασιλείαν δοξάζομεν καὶ ἀνυμνοῦμέν σε Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν ἅτινα ν... λου... ων... θορων.

que misero. Benigno vultu et oculo sereno respice super nos hac hora, et dimitte nobis omnem iniquitatem omnemque transgressionem, et inobedientiam contra legem et praecepta tua: omnem quoque reatum conscientiae, omnem cogitationem, omnes actiones et motus qui in nobis excitantur die ac nocte, ut animam alligent et captivam teneant. Fac eos immunes ab omni conscientia rerum malarum, et omni actione infructuosa, omnique cogitatione sordida eorum quae profana sint et animae puritati contraria. Concede ipsis peccatorum agnitionem, utque perfecte ab illis abstineant. Da illis poenitentiae castitatem, et ad te conversionem: tu enim dominator Domine pauper factus es voluntarie, dum carnem assumsisti, ad generis nostri salutem, et conscidisti chirographum quod erat adversum nos, per divinarum manuum tuarum in cruce expansionem. Parce omnibus Domine amator animarum, quia omnia tibi serviunt, et a te sunt praemia liberationis nostrae, non quidquam vero opus manuum nostrarum. Idcirco regnum tuum glorificamus, laudamus te Christe Deus noster.

* * * * *

Πάσαις ἡμέραις ἕως, αἱρετικῶν καὶ ἐθνικῶν.

Omnibus diebus *usque ad* haereticorum et Ethnicorum.

Ἔμπλησον ἡμᾶς τοῦ σοῦ φόβου, καὶ κατεύθυνον εἰς τὸ ἀγαθόν σου θέλημα· σὺ γὰρ εἶ ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ πρέπει σοι δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις.

Imple nos timore tuo, et dirige nos ad bonam voluntatem tuam: tu enim es Deus noster, et te decet gloria, honor et adoratio.

Sacerdos. Corpus et sanguis.

Diaconus. Cum timore Deo attendamus.

Sacerdos elevat Δεσποτικόν: seu partem Hostiae majorem et alta voce dicit. Sancta sanctis.

Populus. Kyrie eleison.

Unus Pater sanctus; unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus. Amen.

Sacerdos. Dominus cum omnibus vobis.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Benedictus Dominus in saecula. Amen.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Corpus Sanctum et sanguis pretiosus, verus, Jesu Christi Filii Dei. Amen.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sanctum corpus, et sanguis pretiosus, verus, Jesu Christi Filii Dei. Amen.

Populus. Amen.

Sacerdos. Corpus et sanguis Emmanuel Dei nostri, hoc est vere. Amen.

Populus. Amen.

Credo, credo, credo, et confiteor usque ad ultimum spiritum quod haec ipsa est caro vivifica, quam accepisti Christe Deus noster ex sancta domina nostra Deipara, et semper Virgine Maria: quamque fecisti unam cum divinitate tua, non per mistionem, confusionem, aut alterationem: et testatus es sub Pontio Pilato prae-

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Σῶμα καὶ αἷμα.

Ὁ Διακῶν λέγει. Μετὰ φόβου Θεοῦ προσχῶμεν.

Ὁ Ἱερεὺς ὑψοῖ Δεσποτικὸν καὶ ἐκφωνήσει Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος, ἓν πνεῦμα ἅγιον. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ὁ κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εὐλογητὸς κύριος εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Σῶμα ἅγιον καὶ αἷμα τίμιον, ἀληθινὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Ἀμήν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Σῶμα ἅγιον καὶ αἷμα τίμιον, ἀληθινόν, Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Ἀμήν.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Σῶμα καὶ αἷμα Ἐμμανουὴλ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, τοῦτό ἐστιν ἀληθῶς, Ἀμήν.

Ο Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Πιστεύω, πιστεύω, πιστεύω καὶ ὁμολογῶ ἕως ἐσχάτης ἀναπνοῆς, ὅτι αὕτη ἐστιν ἡ σὰρξ ἡ ζωοποιός, ἣν ἔλαβες Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐκ τῆς ἁγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας· καὶ ἐποίησας αὐτὴν μίαν σὺν τῇ Θεότητί σου, μὴ ἐν μίξει, μηδὲ ἐν φυρμῷ, μηδὲ ἐν ἀλλοιώσει· καὶ ἐμαρτύρησας ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου τὴν κα-

λὴν ὁμολογίαν, καὶ παρέδωκεν* αὐτὴν ὑπὲρ ἡμῶν πάντων.... ἑρων ἐπὶ τοῦ ξύλου τοῦ σταυροῦ τοῦ ἁγίου, ἐν τῷ θελήματί σου.

claram confessionem; et quam tradidisti pro nobis omnibus, super lignum crucis sanctae, voluntate tua.

Ἀληθῶς πιστεύω, ὅτι θεότης σου οὐδ' οὐ μηδέποτε χωρισθεῖσα ἐξ ἀνθρωπότητος σου, ἐν ἀτόμῳ, οὐδὲ ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ. Μετέδωκας αὐτὴν εἰς λύτρωσιν, καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν τὴν αἰώνιον, τοῖς ἐξ αὐτῆς μεταλαμβάνουσι.

Vere credo, quod divinitas tua nunquam separata fuit ab humanitate tua, in instanti, aut in nictu oculi. Tradidisti eam in redemptionem, et in remissionem peccatorum, et in vitam aeternam, illis qui ex ea communicant.

Πιστεύω ὅτι αὕτη ἐστὶν ἀληθῶς. Ἀμήν.

Credo quod haec re vera sit. Amen.

Ὁ Λαὸς λέγει. Ἀμήν.

Populus. Amen.

Ὁ Διάκονος λέγει. Ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀγάπῃ.

Diaconus. In pace et caritate.

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφωνήσει. Ἀκατάληπτε θεέ, λόγε ἀχώρητε, ἀΐδιε, δέχου παρ' ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν, ἐξ ἀναξίων χειλέων, ὕμνον, μετὰ τῶν ἄνω δυνάμεων· σοὶ γὰρ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρί, καὶ τῷ ζωοποιῷ σου πνεύματι εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Sacerdos alta voce. Incomprehensibilis Deus, Verbum incircumscriptum, aeternum, suscipe a nobis peccatoribus ex indignis labiis hymnum, cum supernis potestatibus: te enim decet omnis gloria, honor et adoratio cum experte principii Patre tuo, et vivificante tuo Spiritu, in omnia saecula saeculorum. Amen.

Ὁ Λαὸς λέγει ψαλμὸν ρν'.

Populus dicit Psalmum CL.

Ὁ Διάκονος λέγει. Συνάχθητε καὶ εἰσέλθετε οἱ διάκονοι μετ' εὐλαβείας.

Diaconus. Congregamini et intrate Diaconi cum reverentia.

Εὐχὴ εὐχαριστίας μετὰ τὴν μετάληψιν τῶν ἁγίων μυστηρίων.

Oratio gratiarum actionis, post communionem sanctorum mysteriorum.

Ὁ Διάκονος λέγει. Ἐπὶ προσευχῆς στάθητε.

Diaconus. Ad Orationem state.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Εἰρήνη πᾶσιν.

Sacerdos. Pax omnibus.

Ὁ Λαὸς λέγει. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Ὁ Διάκονος λέγει. Προσεύξασθε ὑπὲρ τῆς ἀξίας μεταλήψεως.

Diaconus. Orate pro digna communione.

Ὁ Λαὸς λέγει. Κύριε ἐλέησον.

Populus. Kyrie eleison.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει τὴν εὐχὴν ταύτην.

Sacerdos dicit hanc orationem.

Εὐχαριστοῦμέν σοι, λόγε θεοῦ ἀληθινέ, ὁ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ ἀνάρ-

Gratias agimus tibi, Verbum Dei verum, qui es ex substantia

Patris principium non habentis, quoniam tantopere dilexisti nos, et dedisti te ipsum pro nobis immolatus. Concede nobis per immaculatum corpus tuum, et pretiosum tuum sanguinem redemtionem, sicut benigne praestitisti nobis nunc ut ex ipsis Eucharistiam acciperemus. Idcirco confitemur tibi nunc benigne et bone, et tibi gloriam, honorem et adorationem continue offerimus, cum experte principii Patre tuo, et sancto tuo Spiritu, nunc, etc.

Diaconus. Capita vestra Domino inclinate.

Oratio inclinationis capitis.

Qui es, qui eras, et venisti in mundum ad eum illuminandum, qui carnem assumens, homo factus es, et crucifixus es pro nobis, passusque voluntarie in carne, mansisti impassibilis ut Deus: sepultusque, tertia die resurrexisti, ascendensque in coelum, sedisti ad dexteram magnitudinis gloriae Patris: divinum, sanctum, consubstantialem aequalis potestatis et gloriae, et coaeternum Spiritum misisti super sanctos tuos discipulos et Apostolos, atque per eum illos illuminasti et per eos orbem universum; Christe vere Deus noster.

. . . . Gabriel et Raphael.

Et Angelorum quadriformium, animalium incorporeorum; et Angelorum, viginti quatuor Seniorum; sanctique gloriosi Prophetae praecursoris, Baptistae et Martyris Joannis.

χου πατρός, ὅτι οὕτως ἠγάπησας ἡμᾶς καὶ ἔδωκας σεαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, * ἐσφαγιάσθης. Κεχάρισας ἡμῖν, διὰ τοῦ ἀχράντου σου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου σου αἵματος, τὴν ἀπολύτρωσιν, ὡς κατηξίωσας ἡμᾶς νῦν φιλάνθρωπε ἵνα λάβωμεν ἐξ αὐτῶν εὐχαριστια.* Διὸ ἐξομολογοῦμέν σοι νῦν φιλάνθρωπε, ἀγαθέ, καί σοι τὴν δόξαν, καὶ τὴν τιμήν, καὶ τὴν προσκύνησιν διηνεκῶς ἀναπέμπομεν, σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ σου πνεύματι, νῦν.

Ὁ Διάκονος λέγει. Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ κυρίῳ κλίνατε.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας.

Ὁ ὤν, ὁ ἦν, ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον τοῦ φωτίσαι αὐτόν· ὁ σαρκωθείς, ἐνανθρωπήσας, καὶ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, καὶ παθὼν ἑκουσίως σαρκί, καὶ μείνας ἀπαθής, ὡς θεός· καὶ ταφείς, καὶ ἀναστὰς τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθὼν εἰς οὐρανούς, καὶ καθίσας ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλοσύνης τῆς δόξης τοῦ πατρός, τό τε θεῖον, καὶ ἅγιον, καὶ ὁμοούσιον, καὶ ὁμοδύναμον, καὶ ὁμόδοξον, καὶ συναΐδιον πνεῦμα καταπέμψας ἐπὶ τοὺς ἁγίους σου μαθητάς, καὶ ἀποστόλους, καὶ διὰ τούτου φωτίσας μὲν αὐτούς, δι' αὐτῶν δὲ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην Χριστέ, ὁ ἀληθινὸς θεὸς ἡμῶν.

.... καὶ Γαβριὴλ καὶ Ῥαφαήλ.

Καὶ τῶν ἀγγέλων τετραμόρφων ζώων ἀσωμάτων· καὶ τῶν ἀγγέλων, εἴκοσι τεσσάρων πρεσβυτέρων. Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου, προφήτου, προδρόμου, βαπτίστου, καὶ μάρτυρος Ἰωάννου.

Τοῦ ἁγίου Στεφάνου τοῦ πρωτοδιακόνου καὶ πρωτομάρτυρος.

Τῶν θείων, ἱερῶν, ἐνδόξων ἀποστόλων, ἀθλοφόρων προφητῶν, καὶ καλλινίκων μαρτύρων.

Καὶ τοῦ ἁγίου καὶ μακαρίου πατρὸς ἡμῶν Μάρκου τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ, καὶ πάντων τῶν χόρων τῶν ἁγίων σου.

Καὶ σῶσον, καὶ ἐλέησον, καὶ εὐλόγησον πάντα χριστιανόν. Καί σοι τὴν δόξαν καὶ τιμήν, καὶ προςκύνησιν σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν καὶ ἀεί.

Ἐν εἰρήνῃ τοῦ θεοῦ ἐτελειώθη ἡ θεία λειτουργία, ἡ ὡρισμένη τῷ ἐν ἁγίοις πατρὶ ἡμῶν θεολόγῳ Γρηγορίῳ.

Sancti Stephani primi Diaconi et primi Martyris.

Divinorum gloriosorum sanctorum Apostolorum; Prophetarum qui certamina sustinuerunt, et Martyrum praeclaris victoriis insignium.

Et sancti et beati patris nostri Marci Apostoli et Evangelistae, chororumque omnium Sanctorum tuorum.

Et salva, miserere, benedicque omnemcumque Christianum: tibique gloriam et honorem et adorationem offerimus, cum Patre tuo qui est absque principio, et sancto Spiritu, nunc et semper.

In pace Dei completa est divina Liturgia, ordinata a sancto Patre nostro Theologo Gregorio.

IN LITURGIAM MARCI GRAECAM

PRAEFATIO.

In optimo codice Bibliothecae Regiae, ex quo superiores Liturgias duas descripsimus, communem scilicet quae Basilii nomine insignitur, et secundam Gregorii theologi, deerat tertia quae tamen inter Coptitas, seu Jacobitas Aegyptios conservatur, et quam ex patria traditione Cyrillo Alexandrino attribuunt. At illam esse quae anno 1583. Lutetiae edita est a viro clarissimo Joanne a S. Andrea, insignis Ecclesiae Parisiensis Canonico, aut illi admodum similem, multis et satis solidis argumentis potest demonstrari. Nam autor Aegyptius Abulbircat, et alii qui de Cyrilli Liturgia Coptica mentionem fecerunt, eam aliquando D. Marci nomine appellatam fuisse scribunt; qua ratione constat ternarius Liturgiarum Alexandrinae Ecclesiae numerus, qui multorum Jacobitarum testimoniis confirmatur, atque inter alios Christoduli illorum Patriarchae, qui undecimo vivebat saeculo. Cum vero non plane certa ex titulis solis ratio colligatur, apud eos praesertim qui Criticae omnis expertes sunt, et Alexandrinis omnibus Liturgiis ob sedis fundatorem, Marci nomen convenire, quodam modo possit, majoris prorsus momenti est, quod ex tribus quae Coptitis in usu sunt, nulla magis Graecae D. Marci, quam Cyrillina respondeat. Itaque cum Graecum illius textum manuscriptus codex Regius non repraesentaret, nec unde haberi posset satis sciretur, Marci Graecam qualis Lutetiae olim edita est subjicere operae pretium visum est, velut eam ipsam quae a Coptitis Cyrillo tribuitur.

Codicem ex quo ἀπόγραφον suum a Cardinale Sirleto habuit olim, Joannes a S. Andrea, Romae anno 1701. tractavimus in Bibliotheca Basilianorum Monachorum Graecorum, isque optimus, integerrimus, et annorum circiter sexcentorum nobis visus est. Fuit autem ex Monasterio Cryptae-Ferratae Romam delatus, cum prius pertinuisset ad Ecclesiam D. Mariae Ὀδηγητρίας in Calabria: atque

inde certum videtur, officium illud Alexandrinis Orthodoxis fuisse proprium, cum duae alterae Liturgiae Basilii et Gregorii ad Jacobitas certissime pertineant: ut ex sola Confessione quae ante communionem praemittitur, animadvertere quisque potest: nam Monophysitarum de una Christi natura fidem expressis verbis continet. In ista ne verbulum quidem occurrit ab Orthodoxa doctrina alienum. Talis procul dubio esse debebat Liturgiae quae apud Graecos in Calabriae Monasteriis constitutos atque adeo Orthodoxos usurpabatur forma, in rebus ad fidem spectantibus, etsi circa ritus et orationes, esset inter eam, et usitatas in Ecclesia Constantinopolitana Liturgias, discrimen non mediocre, sed innoxium. Illud nihilominus tanti visum est Constantinopolitanis, a decimo circiter saeculo Patriarchis, ut Alexandrinam Liturgiam prorsus aboleverint, pessimo et a veteris Ecclesiae moribus alienissimo exemplo. Itaque ista quam Codex Cryptae-Ferratae repraesentat Liturgia, ipsa est quae apud Orthodoxos in usu fuit, sub titulo D. Marci, quia scilicet proprium Alexandrinae Ecclesiae, cujus primus Episcopus fuit, ritum continebat; neque aliam videntur tunc habuisse: cum Jacobitae tres haberent, cujus differentiae causa afferri nulla potest: obscurissimae enim sunt illius disciplinae origines.

Unum et idem officium Liturgicum fuisse inter Christianos Patriarchatus Alexandrini, ante scissam per Dioscori sectatores Ecclesiam, indubitatum est: neque usque ad captam per Muhamedanos Aegyptum, mutationis ullius occurrit vel levissimum indicium. Istud duntaxat discrimen inter Jacobitas et Orthodoxos circa disciplinam animadvertitur, quod primi Coptica solum seu nativa Aegyptiaca lingua Liturgiam celebrant a multis saeculis: isti sola Graeca. Haec porro certa, si quae unquam, conjectura videbatur, cum nullius Graeci codicis Jacobitarum Liturgici memoria extaret, adeo ut ea sola ratione quod Alexandrina Liturgia, Graece scripta esset, demonstrari videretur eam ad Orthodoxos pertinere. Hanc tamen verisimilem et variis argumentis firmatam conjecturam unicus Bibliothecae Regiae codex evertit. Ex eo enim intelleximus Jacobitas, etsi non vulgo, alicubi tamen Liturgiam Graece celebrasse, secundum eam orationum et rituum formam quae in Codice Regio continetur. Neque est quod illam recentiorem esse suspicemur; cum praeter antiquitatem quae est undecimi aut duodecimi saeculi, et fortasse superior, certum sit ea aetate, et ante-

cedentibus aliquot saeculis, Coptitas tantam linguae Graecae facultatem non habuisse, ut istas Liturgias composuisse potuerint: cum etiam vulgatissimas formulas quae passim occurrunt in officiis, eos vix intellexisse perspicuum sit. Ita ultimam istam non minus quam priores duas, Alexandrinae Ecclesiae propriam fuisse non est dubitandum: istam imo antiquiorem et puriorem existimare oportet, non modo quod naevis illis quos Monophysitarum haeresis induxit, infuscata non est, verum etiam quod illa ipsa videatur esse de qua Jur. Orient. l. 5. p. 362. *Theodorus Balsamon absurde prorsus et inique judicavit. Illud saltem ejus testimonio intelligimus, usum illius aliquem in partibus Aegypti, eo quo scribebat tempore viguisse, quod aliunde non satis constat, nisi quod neminem styli exercendi gratia tales Liturgias scripsisse, non verisimile modo, sed certissimum videatur.*

Habet illa non modo partem officii Eucharistici, quae Anaphora proprie dicitur, et quae Canoni Romano aliquo modo respondet, quia scilicet sacram Actionem continet, a Praefatione usque ad communionem, et orationes gratiarum actionis: sed etiam alteram quae preces et ritus ab initio Liturgiae usque ad Praefationem repraesentat. Ita enim dispositae sunt Orientales omnes Liturgiae, ut cum Canon Romanus, praeter unam aut alteram orationem idem semper esse soleat: quae Praefationem antecedunt, secundum dierum festorumque diversitatem varie se habeant: in Oriente prima officii pars, si lectiones ex Veteri Testamento, Evangeliis, Actis Apostolorum, et Epistolis excipimus, perpetuo sit eadem; altera in singulis Liturgiis sit diversa, ut alibi fusius exposuimus.

In Codice Regio Graeco-Arabico quamvis initio quaedam folia desiderentur, apparet tamen integra prioris officii illius forma, quae ut in Copticis Codicibus, Basilio tribuitur, et quam inde petere debebant Sacerdotes, cum duabus aliis Gregorii et Cyrilli, sive Marci, ad celebrandum sacrificium utebantur. In secunda, ut in tertia Copticis, nihil simile, sed singulares tantum quaedam orationes ad osculum pacis, et ad Evangelii lectionem: at in Graeca Marci, tota prior pars, quae usque ad Praefationem extenditur, perscripta est. Diversitatis hujus statim occurrit ratio valde quidem speciosa et probabilis, quod haec Liturgia Marci, quam solam, ut significare Balsamon videtur, Graeci agnoscebant, sola quoque apud Alexandrinos Graeci ritus, usurpabatur: unde ut orationes προπαρασκευαστικαί, sive praeparatoriae adjungerentur, necesse erat. Sed obstat

huic conjecturae quod non modo circa finem, sed multis et praecipuis istius Marci Liturgiae locis, initia tantum diversarum orationum occurrunt, certissimo indicio, quod aliunde petendae forent, atque adeo ex priori aliqua, et quae aliarum formam complecteretur, Liturgia.

Donec igitur Codices integriores reperiantur, nihil propius est quam ut istam D. Marci eamdem esse judicemus cum ea quae Cyrillo a Coptitis tribuitur, ut suadere potest certiorum testimoniorum defectu, non magni alioqui aestimanda in remotissimis originibus Ecclesiasticis Abulbircati autoritas. Neque sane absque exemplo est, plures fuisse in eadem Ecclesia Liturgias: cum nulla sit Ecclesia cujuscumque linguae, quae unicam habeat: Graeca enim Orthodoxa Basilii et Chrysostomi Liturgiis utitur, ut antiquitus Hierosolymitana, ea quae Jacobi nomen praefert: Syri Orthodoxi praeter primariam, Jacobi quoque dictam, non paucas alias usurpant: Jacobitae longe plures: Nestoriani tres: Aethiopes duodecim.

Versionem Joannis a S. Andrea retinuimus quantum fieri potuit, eam tamen pluribus locis emendavimus, ubi plane necesse fuit: tum in textu Graeco nonnulla correximus. Ut etiam quorum cura et labore haec Liturgia primum in lucem prodierit, renovetur memoria, Cardinalis Sirleti ad Joannem a S. Andrea, et istius ad illum Epistolas ad finem adjiciendas curavimus.

DIVINA LITURGIA, SEU MISSA, SANCTI APOSTOLI et Evangelistae Marci, Discipuli sancti Petri.

Sacerdos. Pax omnibus.
Populus. Et spiritui tuo.
Diaconus. Orate.
Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos sic orat.

Gratias agimus tibi, et plus quam gratias agimus, Domine Deus noster, Pater, et Dei Domini, et Servatoris nostri Jesu Christi propter omnia, et per omnia, et in omnibus: quia protexisti, adjuvisti, fovisti, et deduxisti nos anteactae nostrae vitae tempore, et adduxisti nos ad hanc usque horam, dignatus denuo sistere coram te in loco sancto tuo: remissionem petens peccatorum nostrorum, et propitiationem omni populo tuo. Certe precamur et obsecramus te, humani generis amator, bone, da nobis ut sanctum hunc diem, totumque vitae nostrae tempus sine peccato transigamus, cum omni gaudio, sanitate, salute, et omni sanctificatione, et timore tuo. Omnem autem invidiam, omnem metum, omnem tentationem, omnem Satanicam operationem, omnes improborum hominum insidias repelle a nobis, o Deus, et a sancta tua Catholica et Apostolica Ecclesia. Tu nobis ea largire, quae honesta et utilia sunt; si quid peccavimus in verbo, vel opere, vel

Η ΘΕΙΑ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ *τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Μάρκου, μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Πέτρου.*

Ὁ Ἱερεύς. *Εἰρήνη πᾶσιν.*
Ὁ Λαός. *Καὶ τῷ πνεύματί σου.*
Ὁ Διάκονος. *Προσεύξασθε.*
Ὁ Λαός. *Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον.*

Ὁ δὲ Ἱερεὺς εὔχεται.

Εὐχαριστοῦμέν σοι καὶ ὑπερευχαριστοῦμεν κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατὰ πάντα, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν, ὅτι ἐσκέπασας, ἐβοήθησας, ἀντελάβου, καὶ παρήγαγες ἡμᾶς τὸν παρελθόντα χρόνον τῆς ζωῆς ἡμῶν, καὶ ἤγαγες ἡμᾶς ἕως τῆς ὥρας ταύτης, ἀξιώσας πάλιν παραστῆναι ἐνώπιόν σου ἐν τόπῳ ἁγίῳ σου ἄφεσιν αἰτοῦντες τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, καὶ ἱλασμὸν παντὶ τῷ λαῷ σου. Καὶ δεόμεθα, καὶ παρακαλοῦμεν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθέ, δὸς ἡμῖν τὴν ἁγίαν ἡμέραν ταύτην, καὶ ἅπαντα τὸν χρόνον τῆς ζωῆς ἡμῶν ἐπιτελέσαι ἀναμαρτήτως, μετὰ πάσης χαρᾶς, ὑγιείας, σωτηρίας, καὶ παντὸς ἁγιασμοῦ, καὶ τοῦ σοῦ φόβου. Πάντα δὲ φθόνον, πάντα φόβον, πάντα πειρασμόν, πᾶσαν σατανικὴν ἐνέργειαν, πᾶσαν πονηρῶν ἀνθρώπων ἐπιβουλὴν ἐκδίωξον ἀφ' ἡμῶν ὁ θεός, καὶ ἀπὸ τῆς ἁγίας σου καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας. Τὰ καλὰ καὶ τὰ συμφέροντα ἡμῖν ἐπιχορήγησον· εἴτι σοι ἡμάρ–

τομεν ἐν λόγῳ, ἢ ἔργῳ, ἢ κατὰ διάνοιαν, σὺ ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος παριδεῖν καταξίωσον, καὶ μὴ ἐγκαταλίπῃς ἡμᾶς ὁ Θεὸς ἐλπίζοντας ἐπί σοι, μηδὲ εἰςενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, καὶ ἐκ τῶν ἔργων αὐτοῦ, χάριτι καὶ οἰκτιρμῷ καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, Ἐκφώνως. Δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, ἐν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

cogitatione, tu tanquam bonus, et humani generis amator non animadvertere digneris, neque deseras nos, o Deus, sperantes in te, neque inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo, et ab omnibus operibus ejus: gratia et commiseratione, et benignitate unigeniti Filii tui, *Elata voce*, Per quem, et cum quo tibi gloria et imperium in sanctissimo, et bono, et vivifico Spiritu tuo, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.
Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.
Ὁ Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.
Ὁ Διάκονος. Προςεύξασθε ὑπὲρ τοῦ βασιλέως.
Ὁ Λαός. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax omnibus.
Populus. Et spiritui tuo.
Diaconus. Orate pro Rege.
Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Ὁ δὲ Ἱερεὺς ἐπεύχεται.

Δέσποτα κύριε ὁ Θεός, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου, καὶ Θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε, τὸν βασιλέα ἡμῶν ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀνδρίᾳ καὶ δικαιοσύνῃ διαφύλαξον. Καθυπόταξον αὐτῷ ὁ Θεὸς πάντα ἐχθρὸν καὶ πολέμιον· ἐπιλαβοῦ ὅπλου καὶ θυρεοῦ, καὶ ἀνάστηθι εἰς τὴν βοήθειαν αὐτοῦ. Δὸς αὐτῷ ὁ Θεὸς νίκας, εἰρηνικὰ φρονεῖν ἡμᾶς, καὶ πρὸς τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον, ἵνα καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ γαληνότητι τῶν ἡμερῶν αὐτοῦ ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγοιμεν, ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. Ἐκφώνως. Δι' οὗ, καὶ μεθ' οὗ σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, σὺν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωο-

Sacerdos autem orat.

Dominator, Domine, Deus, Pater Domini, et Dei et Servatoris nostri Jesu Christi, precamur et obsecramus te, ut Regem nostrum in pace ac fortitudine, justitiaque conserves. Subjicito ei, o Deus, omnem inimicum et adversarium: apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium ejus. Da ei, o Deus, victorias, ut animum ad ea intendat, quae nobis pacifica sunt, et ad nomen sanctum tuum: ut et nos in tranquillitate dierum ejus quietam et tranquillam vitam degamus, in omni pietate et honestate, gratia et commiserationibus, et benignitate unigeniti Filii tui. *Elata voce*, Per quem et cum quo tibi gloria et imperium, cum sanctissimo et bono, et vivifico

Spiritu, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Orate pro Papa et Episcopo.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos.

Dominator Domine, Deus omnipotens, Pater Domini, et Dei, et Servatoris nostri Jesu Christi, precamur et obsecramus te, humani generis amator, bone, ut sanctissimum et beatissimum Pontificem nostrum Papam N. et Reverendissimum Episcopum N. conserves. Conserva nobis eos annis multis pacifice, perfungentes sancto sacerdotio a te ipsis concredito, secundum sanctam et beatam voluntatem tuam, verbum veritatis recte dispensantes, cum omnibus Orthodoxis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, et laïcis, cum omni plenitudine sanctae et solius universalis Ecclesiae, pacem et sanitatem et salutem eis largiens. Preces autem eorum, quas pro nobis offerunt, et nos pro ipsis, admitte, Domine, ad sanctum et coeleste, rationaleque altare tuum. Omnem autem adversarium sanctae tuae Ecclesiae pedibus eorum cito subjice. Gratia et miserationibus et benignitate unigeniti Filii tui, *Elata voce,* Per quem et cum quo tibi gloria et imperium, cum sanctissimo, et bono et vivifico Spiritu,

ποιῷ σου πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ *Λαός. Ἀμήν.*

Ὁ *Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.*

Ὁ *Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.*

Ὁ *Διάκονος. Προσεύξασθε ὑπὲρ τοῦ Πάπα καὶ ἐπισκόπου.*

Ὁ *Λαός. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον.*

Ὁ *Ἱερεύς.*

Δέσποτα κύριε ὁ θεός, ὁ παντοκράτωρ, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθέ, τὸν ἁγιώτατον καὶ μακαριώτατον ἀρχιερέα ἡμῶν Πάπαν Δ'. καὶ τὸν ὁσιώτατον ἐπίσκοπον Δ'. συντηρῶν. Συντήρησον ἡμῖν αὐτοὺς ἔτεσι πολλοῖς εἰρηνικῶς, ἐκτελοῦντας τὴν ὑπό σου ἐμπεπιστευμένην ἁγίαν ἀρχιερωσύνην, κατὰ τὸ ἅγιον καὶ μακάριόν σου θέλημα, ὀρθοτομοῦντας τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, σὺν πᾶσιν ὀρθοδόξοις ἐπισκόποις, πρεσβυτέροις, διακόνοις, ὑποδιακόνοις, ἀναγνώσταις, ψάλταις τε καὶ λαικοῖς, σὺν παντὶ τῷ πληρώματι τῆς ἁγίας καὶ μόνης καθολικῆς ἐκκλησίας, εἰρήνην καὶ ὑγιείαν καὶ σωτηρίαν αὐτοῖς χαριζόμενος. Τὰς δὲ εὐχὰς αὐτῶν, ἃς ποιοῦσιν ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ἡμεῖς ὑπὲρ αὐτῶν, πρόσδεξαι κύριε, εἰς τὸ ἅγιον, καὶ ἐπουράνιον, καὶ λογικόν σου θυσιαστήριον. Πάντα δὲ ἐχθρὸν τῆς ἁγίας σου ἐκκλησίας καθυπόταξον ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτῶν ἐν τάχει, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. Ἐκφώνως. δι' οὗ, καὶ μεθ' οὗ, σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν

τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ὁ Διάκονος. Ἐπὶ προσευχὴν στάθητε.

Ὁ Λαός. Κύριε ἐλέησον. τρίς.

Ὁ δὲ Ἱερεὺς ἐπεύχεται εὐχὴν τῆς εἰσόδου καὶ εἰς τὸ θυμίαμα.

Δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ τὴν δωδεκάφωτον λαμπάδα τῶν δώδεκα ἀποστόλων ἐκλεξάμενος, καὶ ἐξαποστείλας αὐτούς, ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ κηρύξαι, καὶ διδάξαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας σου, καὶ θεραπεύειν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ, καὶ ἐμφυσήσας εἰς τὰ πρόσωπα αὐτῶν, καὶ εἰπὼν αὐτοῖς, λάβετε πνεῦμα ἅγιον, τὸ παράκλητον· ἄντινων ἀφίετε τὰς ἁμαρτίας ἀφίενται αὐτοῖς, ἄντινων κρατεῖτε, κεκράτηνται· οὕτως καὶ ἐφ᾽ ἡμᾶς τοὺς περιστηκότας δούλους σου, ἐν τῇ εἰσόδῳ τῆς ἱερουργίας, τὰς * τοῖς ἐπισκόποις, πρεσβυτέροις, διακόνοις, ἀναγνώσταις, ψάλταις τε καὶ λαικοῖς σὺν παντὶ τῷ πληρώματι τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας· ῥῦσαι ἡμᾶς κύριε ἀπὸ ἀρᾶς καὶ κατάρας, καὶ ἀπὸ ἀναθέματος, καὶ δεσμοῦ, καὶ ἀφορισμοῦ, καὶ ἐκ τῆς μερίδος τοῦ ἀντικειμένου· καὶ καθάρισον ἡμῶν τὰ χείλη καὶ τὴν καρδίαν ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ, καὶ ἀπὸ πάσης ῥαδιουργίας· ἵνα ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ καὶ καθαρῷ συνειδότι προσφέρωμέν σοι τὸ θυμίαμα τοῦτο, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, καὶ παντὸς

nunc et semper et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Ad orationem state.

Populus. Kyrie eleison. *ter.*

Sacerdos subjungit orationem Introitus, et ad incensum.

Domine Christe Deus noster, qui δωδεκάφωτον, hoc est, duodena luce lucentem lampadem duodecim Apostolorum elegisti, et eos in universum mundum misisti, ut praedicarent et docerent Evangelium regni tui, et curarent omnem morbum et infirmitatem in populo et insufflasti in facies eorum, et dixisti eis, Accipite Spiritum sanctum paracletum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt: ita et * in nos insuffla circumassistentes servos tuos in introitu sacri ministerii, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Lectores, Cantores, et Laïcos, cum omni plenitudine sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae. Libera nos, Domine, ab execratione, et maledictione, et ab anathemate, et vinculo, et excommunicatione, et a parte adversarii, et purga labia nostra et cor nostrum ab omni inquinamento, et ab omni nequitia: Ut in corde puro et pura conscientia tibi hoc incensum offeramus, in odorem suavitatis, et in remissionem peccatorum nostrorum, et totius populi tui. Gratia, et commiserationibus, et benignitate uni-

geniti Filii tui, *elata voce*, per quem et cum quo tibi gloria et imperium cum sanctissimo et bono, et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Diaconus. Recti.

Et psallunt Unigenitus Filius et Verbum.

Fitque introitus Evangelii, et dicit Diaconus. Ad orationem.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Ad orationem.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos dicit orationem trisagii.

Dominator Domine, Jesu Christe, Verbum coaeternum principio carentis Patris, qui nobis similis per omnia factus es, excepto peccato, ad generis nostri salutem, qui sanctos tuos discipulos et Apostolos misisti, ut praedicarent et docerent Evangelium regni tui, et mederentur omni morbo, et omni infirmitati in populo tuo: ipse nunc quoque, Domine, emitte lucem tuam et veritatem tuam, et illumina oculos mentis, ut intelligamus sermones tuos divinos: fac ut idonei eorum auditores simus: et non solum auditores, verum etiam factores verbi fiamus: ut fructificemus, et bonos fructus producamus, a tricenis ad centenos, ut regni coelorum digni habeamur. *elata voce*, Et cito anticipent nos misericordiae tuae, Domine. *elata voce*, Tu enim es Evangelismus, seu boni Annunciatio,

τοῦ λαοῦ σου, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς, καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ. Ἐκφώνως. Δι' οὗ, καὶ μεθ' οὗ, σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Ὁ Διάκονος. Ὀρθοί.

Καὶ ψάλλουσιν τὸ Μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος.

Καὶ γίνεται ἡ εἴςοδος τοῦ εὐαγγελίου, καὶ λέγει ὁ Διάκονος. Ἐπὶ προςευχήν.

Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ὁ Διάκονος. Ἐπὶ προςευχήν.

Ὁ Λαός. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερεὺς εὔχεται εὐχὴν τοῦ τρισαγίου.

Δέσποτα κύριε, Ἰησοῦ Χριστέ, ὁ συναίδιος λόγος τοῦ ἀνάρχου πατρός, ὁ καθ' ἡμᾶς γενόμενος κατὰ πάντα χωρὶς ἁμαρτίας ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ γένους ἡμῶν· ὁ ἐξαποστείλας τοὺς ἁγίους σου μαθητὰς καὶ ἀποστόλους κηρύξαι καὶ διδάξαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας σου, καὶ θεραπεύειν πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ σου, αὐτὸς καὶ νῦν δέσποτα ἐξαπόστειλον τὸ φῶς σου καὶ τὴν ἀλήθειάν σου· καὶ καταύγασον τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας, εἰς κατανόησιν τῶν θείων σου λογίων· καὶ ἱκάνωσον ἡμᾶς ἀκροάτας αὐτῶν γενέσθαι· καὶ μὴ μόνον ἀκροάτας, ἀλλὰ καὶ ποιητὰς λόγου, γενόμενοι εἰς τὸ καρποφορῆσαι, καὶ ποιῆσαι καρποὺς ἀγαθούς, ἀνὰ τριάκοντα καὶ ἐν ἕκατον, ὅπως καταξιωθῶμεν τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Ἐκφώνως. Καὶ ταχὺ προκαταλαβέτωσαν ἡμᾶς

οἱ οἰκτιρμοί σου κύριε. Ἐκφώνως. Σὺ γὰρ εἶ εὐαγγελισμός, σωτήρ, καὶ φύλαξ τῶν ψυχῶν, καὶ τῶν σωμάτων ἡμῶν, κύριε ὁ Θεός, καί σοι τὴν δόξαν καὶ τὴν εὐχαριστίαν, καὶ τὸν τρισάγιον ὕμνον ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος.

Καὶ μετὰ τρισάγιον, σφραγίζει τὸ ὁ Ἱερεὺς τὸν λαόν, λέγων. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Εἶτα, τὸ πρόσχωμεν. ὁ ἀπόστολος, ὁ πρόλογος τοῦ ἀλληλούια. Οἱ διάκονοι κατὰ ῥητὸν λέγουσι. Κύριε εὐλόγησον.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Ὁ κύριος εὐλογήσῃ καὶ συνδιακονήσῃ ὑμῖν, τῇ αὐτοῦ χάριτι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ Ἱερεὺς πρὸ τοῦ εὐαγγελίου, βάλλει θυμίαμα, λέγων οὕτως.

Θυμίαμα προσφέρομεν ἐνώπιον τῆς ἁγίας δόξης σου, ὁ Θεός, προσδεξάμενος εἰς τὸ ἅγιον, καὶ ὑπερουράνιον, καὶ νοερόν σου θυσιαστήριον. Ἀντικατάπεμψον ἡμῖν τὴν χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, ὅτι εὐλογημένος ὑπάρχεις, καὶ σὺ τὴν δόξαν σου ἀνάπεμψον.

Ὁ Διάκονος ὅτε μέλλει εἰπεῖν τὸ εὐαγγέλιον, λέγει. Κύριε εὐλόγησον.

Ὁ Ἱερεύς. Ὁ κύριος εὐλογήσῃ, καὶ ἐνισχύσῃ, καὶ ἀκροατὰς ἡμᾶς ποιήσῃ τοῦ ἁγίου αὐτοῦ εὐαγγελίου, ὁ ὢν εὐλογητὸς Θεός, νῦν, καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

servator, et custos animarum et corporum nostrorum, Domine Deus, et tibi gloriam et gratiarum actionem, et trisagium hymnum offerimus, Patri, et Filio, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. **Amen.**

Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.

Trisagio completo populum cruce signat Sacerdos dicens. **Pax omnibus.**

Populus. **Et spiritui tuo.**

Sequitur Πρόσχωμεν, hoc est Attenti simus. Apostolus. Prologus Alleluya. Diaconi ex praescripto dicunt. **Domine benedicito.**

Sacerdos dicit. **Dominus benedicat, et vobiscum ministret, ipsius gratia, nunc et semper, et in saecula saeculorum.**

Sacerdos, prius quam Evangelium recitetur, incensum offert dicens.

Incensum offerimus coram sancta gloria tua, quod assumas in sanctum et supercoeleste, et intellectuale tuum altare. Vicissim nobis mitte gratiam sancti tui Spiritus, quia benedictus es: tu quoque gloriam tuam mitte.

Diaconus Evangelium recitaturus dicit. **Domine benedicito.**

Sacerdos. **Dominus benedicat, et fortificet, et auditores nos faciat sancti tui Evangelii, qui est benedictus Deus, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.**

Diaconus. State recti. Audiamus sanctum Evangelium.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Hinc recitat Evangelium Diaconus. Mox Συνάπτην seu Collectae orationem subjungit Sacerdos.

Aegrotos, Domine, populi tui visitans in misericordia et miserationibus, sana. Peregre profectos, vel profecturos fratres nostros, eo quo tendunt, singulos deducito. Bonas pluvias mittito, in loca iis opus habentia et egentia. Fluviales aquas ad earum mensuram, tua gratia sursum elevato. Fructus terrae augeto in semen et in messem. Regnum servi tui, quem in terra regnare justum censuisti, in pace et fortitudine, et justitia, et tranquillitate conservato. Humilem et miserabilem, et Christi amantem civitatem istam libera, Deus, a diebus malis, a fame, peste, et gentium incursione, ut et Ninivi civitati pepercisti: quia misericors et miserator es, quique iniquitatum hominum non recordaris. Tu per Prophetam tuum Esaiam dixisti: Protegam civitatem istam, ut salvem eam, propter me et propter David servum meum. Quare precamur et obsecramus te, humani generis amator bone, protege civitatem istam propter Martyrem tuum et Evangelistam Marcum qui nobis viam salutis demonstravit, gratia, et miserationibus, et benignitate unigeniti tui

Ὁ Διάκονος. Στάθητε, ἀκούσωμεν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου.

Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Καὶ λέγει τὸ εὐαγγέλιον ὁ Διάκονος, τὴν συνάπτην, ὁ Ἱερεὺς ἐπεύχεται.

Τοὺς νοσοῦντας κύριε, τοῦ λαοῦ σου ἐπισκεψάμενος ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς, ἴασαι. Τοὺς ἀποδημήσαντας ἡμῶν ἀδελφούς, ἢ μέλλοντας ἀποδημεῖν, ἐν τῷ τόπῳ κατευόδωσον ἕκαστον εἰς τὸν καιρόν. Τοὺς ἀγαθοὺς ὑετοὺς κατάπεμψον ἐπὶ τοὺς χρήζοντας, καὶ ἐπιδεομένους τόπους. Τὰ ποτάμια ὕδατα ἀνάγαγε ἐπὶ τὸ μέτρον αὐτῶν, κατὰ τὴν σὴν χάριν. Τοὺς καρποὺς τῆς γῆς αὔξησον εἰς σπέρμα, καὶ εἰς θερισμόν. Τὴν βασιλείαν τοῦ δούλου σου, ὃν ἐδικαίωσας βασιλεύειν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐν εἰρήνῃ, καὶ ἀνδρίᾳ, καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ γαληνότητι διαφύλαξον. Τὴν ταπεινήν, καὶ ἐλεεινήν, καὶ φιλόχριστον πόλιν ταύτην, ῥῦσαι αὐτήν, ὁ θεός, ἀφ᾽ ἡμερῶν πονηρῶν, ἀπὸ λιμοῦ, λοιμοῦ, καὶ ἐπιστάσεως ἐθνῶν, ὡς καὶ Νινευὶ τῆς πόλεως ἐφείσω· ὅτι ἐλεήμων καὶ οἰκτίρμων εἶ, καὶ ἀμνησίκακος ἐπὶ κακίας ἀνθρώπων. Σὺ διὰ τοῦ προφήτου σου Ἠσαΐου εἶπας, ὑπερασπιῶ ὑπὲρ τῆς πόλεως ταύτης, τοῦ σῶσαι αὐτὴν δι᾽ ἐμέ, καὶ διὰ Δαβὶδ τὸν παῖδά μου. Δι᾽ ὃ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθέ, ὑπεράσπισαι τῆς πόλεως ταύτης, διὰ τὸν μάρτυρα καὶ εὐαγγελιστὴν Μάρκον, τὸν ὑποδείξαντα ἡμῖν ὁδὸν τῆς σωτηρίας, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς

σοῦ υἱοῦ. Ἐκφώνως. δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ, σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, σὺν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι.

Ὁ Διάκονος. Ἄρξαι.

Καὶ λέγουσι τὸν στίχον. ὁ Διάκονος λέγει. Τὰς τρεῖς.

Ὁ Ἱερεὺς ἐπεύχεται.

Δέσποτα κύριε, ὁ θεός, ὁ παντοκράτωρ, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε· τὴν ἐξ οὐρανοῦ εἰρήνην βράβευσον ταῖς ἁπάντων ἡμῶν καρδίαις· ἀλλὰ καὶ τοῦ βίου τούτου τὴν εἰρήνην ἡμῖν δώρησαι. Τὸν ἁγιώτατον καὶ μακαριώτατον ἡμῶν Πάπαν τὸν Δ', καὶ τὸν ὁσιώτατον ἡμῶν ἐπίσκοπον τὸν Δ'. συντηρῶν, συντήρησον ἡμῖν αὐτοὺς ἔτεσι πολλοῖς, εἰρηνικῶς ἐκτελοῦντας τὴν ὑπό σου ἐμπεπιστευμένην ἁγίαν ἀρχιερωσύνην, κατὰ τὸ ἅγιον καὶ μακάριόν σου θέλημα, ὀρθοτομοῦντας τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, σὺν πᾶσιν ὀρθοδόξοις ἐπισκόποις, πρεσβυτέροις, διακόνοις, ὑποδιακόνοις, ἀναγνώσταις, ψάλταις, σὺν παντὶ τῷ πληρώματι τῆς ἁγίας, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας. Τὰς ἐπισυναγωγὰς ἡμῶν κύριε εὐλόγησον· δὸς αὐτὰς ἀκωλύτως καὶ ἀνεμποδίστως γενέσθαι κατὰ τὸ ἅγιόν σου θέλημα. Οἴκους εὐχῶν, οἴκους εὐλογιῶν ἡμῖν τε καὶ τοῖς μεθ' ἡμᾶς δούλοις σου εἰς τὸν αἰῶνα δώρησαι.

Ἐξεγέρθητι κύριε καὶ διασκορπισθήτωσαν οἱ ἐχθροί σου· φυγέτωσαν πάντες οἱ μισοῦντες τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Τὸν δὲ λαόν σου τὸν πιστὸν καὶ ὀρθόδοξον εὐλόγησον· ποίησον αὐτὸν εἰς χιλιάδας

Filii. *Elata voce*, per quem et cum quo tibi gloria et imperium, cum sanctissimo, et bono, et vivifico tuo Spiritu.

Diaconus. Incipe.

Hinc dicunt versum. Diaconus dicit τὰς τρεῖς, hoc est tres.

Sacerdos hanc subjungit orationem.

Dominator Domine, Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, precamur et obsecramus te: ut pacem quae de coelo est, cordibus nostris infundas, quin et vitae hujus pacem nobis dones. Sanctissimum et beatissimum Papam nostrum N. et reverendissimum Episcopum nostrum N. conservans, conservato nobis eos multis annis, pacifice fungentes sancto, quod ipsis concredidisti Pontificatu secundum sanctam et beatam voluntatem tuam, recte dispensantes verbum veritatis, cum omnibus Orthodoxis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, cum omni plenitudine sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae. Congregationibus nostris, Domine, benedicito: da ut eas libere, citraque impedimentum celebremus pro sancta tua voluntate. Aedes precibus, aedes eulogiis, seu benedictionibus accommoda, et nobis et successoribus nostris servis tuis in saeculum largire.

Exurge, Domine, et dissipentur inimici tui, fugiant omnes, qui oderunt nomen sanctum tuum. Populo autem tuo fideli et orthodoxo benedic, multiplica eos in millia et

decies millia: nec praevaleat mors peccati contra nos, neque contra omnem populum tuum: gratia et miserationibus, et benignitate unigeniti Filii tui. *Elata voce*, per quem, et cum quo, tibi gloria et imperium cum sanctissimo, et bono, et vivifico Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Videte, ne quis Catechumenorum.

Hinc psallant Cherubim mystice.

Sacerdos incensum offert ad Εἰςόδιον, seu majorem introitum et sic orat.

Domine Deus noster, qui nullis rebus eges, suscipe incensum hoc, quod tibi ab indigna manu offertur, tuaque benedictione nos omnes dignare. Tu enim es sanctificatio nostra, tibique gloriam sursum mittimus.

Et sancta ingrediuntur ad altare, et Sacerdos sic orat.

Sancte, summe, tremende, qui in sanctis requiescis, Domine, ipse nos sanctifica, nosque dignare tremendo tuo sacerdotio, nosque siste venerando altari tuo, cum omni conscientia bona, cordaque nostra purgato ab omni inquinamento, reprobum omnem sensum a nobis expelle. Sanctifica mentem et animam, et da nobis sanctorum Patrum nostrorum cultum observare cum timore tuo, propitiantibus vultum tuum omni tempore. Tu enim

καὶ μυριάδας· καὶ μὴ κατισχύσῃ θάνατος ἁμαρτίας καθ' ἡμῶν, μὴ δὲ κατὰ παντὸς τοῦ λαοῦ σου, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. Ἐκφώνως. δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Ὁ Διάκονος. Βλέπετε μήτις τῶν κατηχουμένων.

Καὶ ψάλλουσιν οἱ χερουβὶμ μυστικῶς.

Ὁ Ἱερεὺς βάλλει θυμίαμα εἰς τὸ Εἰςόδιον καὶ εὔχεται.

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ πάντων ἀπροςδεής, δέξαι τὸ θυμίαμα τοῦτο, ἐξ ἀναξίου χειρὸς προςφερόμενον, καὶ τῆς παρά σου εὐλογίας πάντας ἡμᾶς ἀξίωσον. Σὺ γὰρ εἶ ὁ ἁγιασμὸς ἡμῶν, καί σοι τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν.

Καὶ εἰςέρχονται τὰ ἅγια εἰς τὸ θυσιαστήριον, καὶ ὁ Ἱερεὺς εὔχεται οὕτως.

Ἅγιε, ὕψιστε, φοβερέ, ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, κύριε, αὐτὸς ἡμᾶς ἁγίασον, καὶ ἀξίωσον τῆς φοβερᾶς σου ἱερωσύνης, καὶ προςάγαγε ἡμᾶς τῷ τιμίῳ σου θυσιαστηρίῳ, μετὰ πάσης συνειδήσεως ἀγαθῆς· καὶ καθάρισον ἡμῶν τὰς καρδίας ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ· πᾶσαν αἴσθησιν πονηρὰν ἐκδίωξον ἀφ' ἡμῶν. Ἁγίασον τὸν νοῦν καὶ τὴν ψυχήν, καὶ δὸς ἡμῖν τὴν τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν ἐπιτελεῖν λατρείαν, μετὰ φόβου σου, ἐξιλασκόμενοι τὸ πρόσω-

πόν σου διὰ παντός. Σὺ γάρ εἶ ὁ εὐλογῶν, καὶ ἁγιάζων τὰ σύμπαντα, καί σοι τὴν δόξαν καὶ τὴν εὐχαριστίαν ἀναπέμπομεν.

Ὁ Διάκονος. Ἀσπάσασθε ἀλλήλους.

Ὁ Ἱερεὺς εὔχεται τὸν ἀσπασμόν.

*Δέσποτα κύριε παντόκρατορ, οὐρανόθεν ἐπίβλεψον ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν σου, καὶ ἐπὶ πάντα τὸν λαόν σου, καὶ πᾶν τὸ ποίμνιόν σου, καὶ σῶσον πάντας ἡμᾶς τοὺς ἀναξίους δούλους σου, τὰ θρέμματα τῆς σῆς ἀγέλης· καὶ δώρησαι ἡμῖν τὴν σὴν εἰρήνην, καὶ τὴν σὴν ἀγάπην, καὶ τὴν σὴν βοήθειαν, καὶ κατάπεμψον ἡμῖν τὴν δωρεὰν τοῦ παναγίου σου πνεύματος, ὅπως ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, καὶ συνειδήσει ἀγαθῇ, ἀσπασώμεθα ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ, μὴ ἐν ὑποκρίσει, μὴ τὴν τοῦ ἀλλοτρίου κεκτημένοι προαίρεσιν, * ἀλλὰ ἄμωμον, καὶ ἄσπιλον ἐν ἑνὶ πνεύματι, ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης καὶ τῆς ἀγάπης, ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, ἐν μιᾷ πίστει, καθὼς καὶ ἐκλήθημεν, ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ἡμῶν, ὅπως καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν θείαν καὶ ἀπέραντον στοργήν, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ.*

Εἶτα ὁ Ἱερεὺς βάλλει θυμίαμα, λέγων.

Θυμίαμα προσφέρεται τῷ ὀνόματί σου, ἀναληφθήτω δὴ δεόμεθα ἐκ τῶν πενιχρῶν χειρῶν ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, εἰς ἱλασμὸν παντὸς τοῦ λαοῦ σου. Ὅτι σοι πρέπει πᾶσα δόξα, τιμή, προσκύνησις, καὶ εὐχαριστία, τῷ πατρί, καὶ τῷ υἱῷ

es qui benedicis, et sanctificas universa, et tibi gloriam et gratiarum actionem sursum mittimus.

Diaconus. Salutate invicem.

Sacerdos dicit orationem osculi pacis.

Dominator Domine omnipotens, aspice de coelo ad Ecclesiam tuam, et ad omnem populum tuum, et totum gregem tuum, servaque nos omnes indignos servos tuos, oves gregis tui: nobisque tuam largire pacem, et tuam caritatem, et tuum auxilium, et mitte nobis donum sanctissimi tui Spiritus, ut in corde puro puraque conscientia salutemus nos invicem in osculo sancto, non in dolo, non in hypocrisi, non alieno adhaerentes instituto, sed innocens et immaculatus in uno spiritu, in vinculo pacis et caritatis, unum corpus et unus spiritus in una fide, quemadmodum etiam vocati sumus in una spe vocationis nostrae, ut occurramus omnes in divinum et infinitum amorem in Christo Jesu Domino nostro, cum quo benedictus es.

Tunc Sacerdos incensum offert dicens.

Incensum offertur nomini tuo. Ascendat, quaesumus, e pauperculis manibus nostris, qui peccatores sumus, ad supercoeleste altare tuum, in odorem suavitatis, in propitiationem totius populi tui. Quia te decet omnis gloria, honor, adoratio, et gratiarum actio, Patrem, et Filium, et Spiritum san-

decies millia: nec praevaleat mors peccati contra nos, neque contra omnem populum tuum: gratia et miserationibus, et benignitate unigeniti Filii tui. *Elata voce*, per quem, et cum quo, tibi gloria et imperium cum sanctissimo, et bono, et vivifico Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Videte, ne quis Catechumenorum.

Hinc psallant Cherubim mystice.

Sacerdos incensum offert ad Εἰςόδιον, seu majorem introitum et sic orat.

Domine Deus noster, qui nullis rebus eges, suscipe incensum hoc, quod tibi ab indigna manu offertur, tuaque benedictione nos omnes dignare. Tu enim es sanctificatio nostra, tibique gloriam sursum mittimus.

Et sancta ingrediuntur ad altare, et Sacerdos sic orat.

Sancte, summe, tremende, qui in sanctis requiescis, Domine, ipse nos sanctifica, nosque dignare tremendo tuo sacerdotio, nosque siste venerando altari tuo, cum omni conscientia bona, cordaque nostra purgato ab omni inquinamento, reprobum omnem sensum a nobis expelle. Sanctifica mentem et animam, et da nobis sanctorum Patrum nostrorum cultum observare cum timore tuo, propitiantibus vultum tuum omni tempore. Tu enim

καὶ μυριάδας· καὶ μὴ κατισχύσῃ θάνατος ἁμαρτίας καθ' ἡμῶν, μὴ δὲ κατὰ παντὸς τοῦ λαοῦ σου, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. Ἐκφώνως. δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι.

Ὁ Λαός. *Ἀμήν.*

Ὁ Ἱερεύς. *Εἰρήνη πᾶσιν.*

Ὁ Λαός. *Καὶ τῷ πνεύματί σου.*

Ὁ Διάκονος. *Βλέπετε μήτις τῶν κατηχουμένων.*

Καὶ ψάλλουσιν οἱ χερουβὶμ μυστικῶς.

Ὁ Ἱερεὺς βάλλει θυμίαμα εἰς τὸ Εἰςόδιον καὶ εὔχεται.

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ πάντων ἀπροςδεής, δέξαι τὸ θυμίαμα τοῦτο, ἐξ ἀναξίου χειρὸς προςφερόμενον, καὶ τῆς παρά σου εὐλογίας πάντας ἡμᾶς ἀξίωσον. Σὺ γάρ εἶ ὁ ἁγιασμὸς ἡμῶν, καί σοι τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν.

Καὶ εἰςέρχονται τὰ ἅγια εἰς τὸ θυσιαστήριον, καὶ ὁ Ἱερεὺς εὔχεται οὕτως.

Ἅγιε, ὕψιστε, φοβερέ, ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, κύριε, αὐτὸς ἡμᾶς ἁγίασον, καὶ ἀξίωσον τῆς φοβερᾶς σου ἱερωσύνης, καὶ προςάγαγε ἡμᾶς τῷ τιμίῳ σου θυσιαστηρίῳ, μετὰ πάσης συνειδήσεως ἀγαθῆς· καὶ καθάρισον ἡμῶν τὰς καρδίας ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ· πᾶσαν αἴσθησιν πονηρὰν ἐκδίωξον ἀφ' ἡμῶν. Ἁγίασον τὸν νοῦν καὶ τὴν ψυχήν, καὶ δὸς ἡμῖν τὴν τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν ἐπιτελεῖν λατρείαν, μετὰ φόβου σου, ἐξιλασκόμενοι τὸ πρόσω-

πόν σου διὰ παντός. Σὺ γάρ εἶ ὁ εὐλογῶν, καὶ ἁγιάζων τὰ σύμπαντα, καί σοι τὴν δόξαν καὶ τὴν εὐχαριστίαν ἀναπέμπομεν.

Ὁ Διάκονος. Ἀσπάσασθε ἀλλήλους.

Ὁ Ἱερεὺς εὔχεται τὸν ἀσπασμόν.

*Δέσποτα κύριε παντόκρατορ, οὐρανόθεν ἐπίβλεψον ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν σου, καὶ ἐπὶ πάντα τὸν λαόν σου, καὶ πᾶν τὸ ποίμνιόν σου, καὶ σῶσον πάντας ἡμᾶς τοὺς ἀναξίους δούλους σου, τὰ θρέμματα τῆς σῆς ἀγέλης· καὶ δώρησαι ἡμῖν τὴν σὴν εἰρήνην, καὶ τὴν σὴν ἀγάπην, καὶ τὴν σὴν βοήθειαν, καὶ κατάπεμψον ἡμῖν τὴν δωρεὰν τοῦ παναγίου σου πνεύματος, ὅπως ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, καὶ συνειδήσει ἀγαθῇ, ἀσπασώμεθα ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ, μὴ ἐν ὑποκρίσει, μὴ τὴν τοῦ ἀλλοτρίου κεκτημένοι προαίρεσιν, * ἀλλὰ ἄμωμον, καὶ ἄσπιλον ἐν ἑνὶ πνεύματι, ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης καὶ τῆς ἀγάπης, ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, ἐν μιᾷ πίστει, καθὼς καὶ ἐκλήθημεν, ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ἡμῶν, ὅπως καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν θείαν καὶ ἀπέραντον στοργήν, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ.*

Εἶτα ὁ Ἱερεὺς βάλλει θυμίαμα, λέγων.

Θυμίαμα προςφέρεται τῷ ὀνόματί σου, ἀναληφθήτω δὴ δεόμεθα ἐκ τῶν πενιχρῶν χειρῶν ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, εἰς ἱλασμὸν παντὸς τοῦ λαοῦ σου. Ὅτι σοι πρέπει πᾶσα δόξα, τιμή, προςκύνησις, καὶ εὐχαριστία, τῷ πατρί, καὶ τῷ υἱῷ

es qui benedicis, et sanctificas universa, et tibi gloriam et gratiarum actionem sursum mittimus.

Diaconus. Salutate invicem.

Sacerdos dicit orationem osculi pacis.

Dominator Domine omnipotens, aspice de coelo ad Ecclesiam tuam, et ad omnem populum tuum, et totum gregem tuum, servaque nos omnes indignos servos tuos, oves gregis tui: nobisque tuam largire pacem, et tuam caritatem, et tuum auxilium, et mitte nobis donum sanctissimi tui Spiritus, ut in corde puro puraque conscientia salutemus nos invicem in osculo sancto, non in dolo, non in hypocrisi, non alieno adhaerentes instituto, sed innocens et immaculatus in uno spiritu, in vinculo pacis et caritatis, unum corpus et unus spiritus in una fide, quemadmodum etiam vocati sumus in una spe vocationis nostrae, ut occurramus omnes in divinum et infinitum amorem in Christo Jesu Domino nostro, cum quo benedictus es.

Tunc Sacerdos incensum offert dicens.

Incensum offertur nomini tuo. Ascendat, quaesumus, e pauperculis manibus nostris, qui peccatores sumus, ad supercoeleste altare tuum, in odorem suavitatis, in propitiationem totius populi tui. Quia te decet omnis gloria, honor, adoratio, et gratiarum actio, Patrem, et Filium, et Spiritum san-

ctum, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Et post osculum pacis, Diaconus elata voce. Ad oblationem modeste state.

Sacerdos Cruce signans discos et calices, elata voce dicit.

Credo in Deum, etc.

Diaconus. Ad orationem state.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Orate pro offerentibus.

Sacerdos dicit orationem propositionis.

Dominator Domine, Jesu Christe, Verbum coaequale imperio cum Patre absque principio, et Spiritu sancto, magne Pontifex, panis qui de coelo descendisti, et eduxisti de corruptione vitam nostram, qui dedisti teipsum agnum immaculatum pro mundi vita, rogamus et obsecramus te, hominum amator Domine, ostende faciem tuam super hunc panem, et super hos calices, quos sanctissima mensa suscipit astantibus ad ministerium Angelis, circumstantibus Archangelorum choris, per sacrum Sacerdotale ministerium in tuam gloriam et renovationem animarum nostrarum, gratia, et miserationibus, et humanitate unigeniti Filii tui, per quem et cum quo tibi gloria et imperium.

Populoque dicente. Et incarnatus est de Spiritu sancto.

Crucem facit; eodemque subjungente. Crucifixus etiam pro nobis.

Denuo cruce signat. Et in Spiritum sanctum.

Itidem et finito symbolo Sacer-

καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Καὶ μετὰ τὸ ἀσπασμόν, ἐκφώνως ὁ Διάκονος. Προςφέρειν κατὰ τρόπους στάθητε.

Ὁ Ἱερεὺς σφραγίζων τοὺς δίσκους, καὶ τὰ ποτήρια, ἐκφώνως.

Πιστεύω εἰς ἕνα θεόν.

Ὁ Διάκονος. Ἐπὶ προςευχὴν στάθητε.

Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Διάκονος. Προςεύξασθε ὑπὲρ τῶν προςφερόντων.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει εὐχὴν τῆς προθέσεως.

Δέσποτα Ἰησοῦ Χριστέ, κύριε, ὁ σύναρχος λόγος τοῦ ἀνάρχου πατρός, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὁ μέγας ἀρχιερεύς, ὁ ἄρτος ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς, καὶ ἀναγαγὼν ἐκ φθορᾶς τὴν ζωὴν ἡμῶν, ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀμνὸν ἄμωμον ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε κύριε φιλάνθρωπε, ἐπίφανον τὸ πρόσωπόν σου ἐπὶ τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ ἐπὶ τὰ ποτήρια ταῦτα, ἃ ἡ παναγία τράπεζα ὑποδέχεται δι' ἀγγελικῆς λειτουργίας καὶ ἀρχαγγελικῆς χοροστασίας, καὶ ἱερατικῆς ἱερουργίας, εἰς σὴν δόξαν καὶ ἀνακαινισμὸν τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, χάριτι, καὶ οἰκτιρμοῖς, καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, δι' οὗ, καὶ μεθ' οὗ σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος.

Καὶ ὅταν λέγει ὁ λαός· Καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου.

Ποιεῖ σταυρόν. Καὶ σταυρωθέντα ὑπὲρ ἡμῶν.

Καὶ πάλιν σφραγίζει. Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Ὁμοίως καὶ μετὰ τὴν πίστιν, σφρα-

γίζει ὁ Ἱερεὺς τὸν λαὸν, ἐκφωνῶν. Ὁ κύριος μετὰ πάντων.

dos cruce populum signat elata voce pronuntians. Dominus vobiscum omnibus.

Ὁ Λαός. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Ὁ Ἱερεύς. Ἄνω ἡμῶν τὰς καρδίας.

Sacerdos. Sursum nostra corda.

Ὁ Λαός. Ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον.

Populus. Habemus ad Dominum.

Ὁ Ἱερεύς. Εὐχαριστῶμεν τῷ κυρίῳ.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Ὁ Λαός. Ἄξιον καὶ δίκαιον.

Populus. Dignum et justum.

Ὁ Διάκονος. * * *

Diaconus. * * *

Ὁ Ἱερεὺς ἄρχεται τῆς ἀναφορᾶς.

Sacerdos Anaphoram seu Canonem inchoat.

Ἀληθῶς γὰρ ἄξιόν ἐστιν καὶ δίκαιον, ὅσιόν τε καὶ πρέπον, καὶ ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς ἐπωφελές, ὁ ὤν, δέσποτα, κύριε θεέ, πάτερ παντόκρατορ, σὲ αἰνεῖν, σὲ ὑμνεῖν, σοὶ εὐχαριστεῖν, σοὶ ἀνθομολογεῖσθαι νύκτωρ τε καὶ καθ' ἡμέραν ἀκαταπαύστῳ στόματι, καὶ ἀσιγήτοις χείλεσι, καὶ ἀσιωπήτῳ καρδίᾳ· σοὶ τῷ ποιήσαντι τὸν οὐρανόν, καὶ τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ, γῆν, καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ, θάλασσαν, πηγάς, ποταμούς, λίμνας, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, σοὶ τῷ ποιήσαντι τὸν ἄνθρωπον κατ' ἰδίαν εἰκόνα, καὶ καθ' ὁμοίωσιν, ᾧ καὶ ἐχαρίσω τὴν ἐν παραδείσῳ τρυφήν, παραβάντα δὲ αὐτὸν οὐχ ὑπερεῖδες, οὐδὲ ἐγκατέλιπες ἀγαθέ, ἀλλὰ πάλιν ἀνεκαλέσω διὰ νόμου, ἐπαιδαγώγησας διὰ προφητῶν, ἀνέπλασας, καὶ ἀνεκαίνισας διὰ τοῦ φρικτοῦ καὶ ζωοποιοῦ, καὶ οὐρανίου μυστηρίου τούτου· πάντα δὲ ἐποίησας διὰ τῆς σῆς σοφίας, τοῦ φωτὸς τοῦ ἀληθινοῦ, τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· δι'

Vere quippe dignum est et justum, sanctumque et decorum, atque nostris animabus utile, qui es, o Dominator Domine, Deus Pater omnipotens, te laudibus et hymnis celebrare, tibi gratias agere, tibi confiteri per diem et noctem incessabili ore, non silentibus labiis et corde non tacito; tibi, inquam, qui fecisti coelum et quae coeli ambitu continentur, terram quaeque in terra sunt, mare, fontes, flumina, lacus, et omnia, quae in eis sunt; tibique, qui fecisti hominem ad imaginem et similitudinem tuam, cui Paradisi quoque delicias largitus es, transgressum non aspernatus es, neque deseruisti, o bone, sed denuo per legem revocasti, per Prophetas erudiisti, denique reformasti et renovasti per hoc tremendum, et vivificum, et coeleste sacramentum. Quae omnia fecisti per tuam sapientiam, lucem veram, unigenitum Filium tuum, Dominum, et Deum, et Servatorem nostrum Jesum Christum, per

quem tibi, cum ipso et Spiritu sancto gratias agentes, offerimus rationabilem et incruentam *λατρείαν,* seu oblationem hanc, quam offerunt tibi, Domine, omnes gentes ab ortu Solis usque ad occasum; a Septentrione, ad Meridiem: quia magnum nomen tuum in omnibus gentibus, et in omni loco incensum offertur nomini sancto tuo, et sacrificium, et oblatio.

Certe precamur et obsecramus, humani generis amator bone:

Memento, Domine, sanctae, soliusque Catholicae Ecclesiae, quae a finibus terrae ad ejusdem fines ultimos diffunditur, omnium denique populorum, et omnium ovilium tuorum.

Pacem, quae de coelo est, largire nostris omnium cordibus, imo et vitae hujus pacem nobis dona.

Regem, Ordines militares, Principes, Senatus et concilia, populos, vicinias, introitus, et exitus nostros, in omni pace disponito,

Rex pacis, tuam pacem da nobis, in concordia et charitate, posside nos o Deus: alium praeter te non novimus, nomen tuum nominamus: vivifica nostras omnium animas, et non praevalebit mors peccati contra nos, neque contra totum populum tuum.

Aegrotos, Domine, populi tui visitans in misericordia et miserationibus sana.

Averte ab eis, et a nobis omnem morbum et infirmitatem: Spiritum

οὗ σοι σὺν αὐτῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι εὐχαριστοῦντες, προςφέρομεν τὴν λογικὴν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν ταύτην, ἣν προςφέρει σοι κύριε πάντα τὰ ἔθνη, ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου καὶ μέχρι δυσμῶν· ἀπὸ ἄρκτου καὶ μεσημβρίας· ὅτι μέγα τὸ ὄνομά σου ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προςφέρεται τῷ ὀνόματι ἁγίῳ σου, καὶ θυσία καὶ προςφορά.

Καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε ἀγαθέ.

Μνήσθητι κύριε τῆς ἁγίας καὶ μόνης καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, τῆς ἀπὸ γῆς περάτων μέχρι τῶν περάτων αὐτῆς, πάντων τῶν λαῶν, καὶ πάντων τῶν ποιμνίων σου.

Τὴν ἐξ οὐρανοῦ εἰρήνην βράβευσον ταῖς ἁπάντων ἡμῶν καρδίαις· ἀλλὰ καὶ τὴν βίου τούτου τὴν εἰρήνην ἡμῖν δώρησαι.

Τὸν βασιλέα, τὰ στρατιωτικά, τοὺς ἄρχοντας, βουλάς, δήμους, γειτονίας, εἰςόδους καὶ ἐξόδους ἡμῶν, ἐν πάσῃ εἰρήνῃ κατακόσμησον.

Βασιλεῦ τῆς εἰρήνης, τὴν σὴν εἰρήνην δὸς ἡμῖν ἐν ὁμονοίᾳ καὶ ἀγάπῃ· κτῆσαι ἡμᾶς ὁ θεός, ἐκτός σου ἄλλον οὐκ οἴδαμεν· τὸ ὄνομά σου ὀνομάζομεν· ζωοποίησον τὰς ἁπάντων ἡμῶν ψυχάς, καὶ μὴ κατισχύσει θάνατος ἁμαρτίας καθ' ἡμῶν, μηδὲ κατὰ παντὸς τοῦ λαοῦ σου.

Τοὺς νοσοῦντας κύριε τοῦ λαοῦ σου ἐπισκεψάμενος ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς ἴασαι.

Ἀπόστησον ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἀφ' ἡμῶν πᾶσαν νόσον καὶ μαλακίαν,

τὸ πνεῦμα τῆς ἀσθενείας * ἐξάλευσον ἀπ' αὐτῶν. Τοὺς ἐν μακροῖς ἀῤῥωστήμασι προκατακειμένους ἐξανάστησον. Τοὺς ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων ἐνοχλουμένους, ἴασαι. Τοὺς ἐν φυλακαῖς, ἢ ἐν μετάλλοις, ἢ δίκαις, ἢ καταδίκαις, ἢ ἐν ἐξορίαις, ἢ πικρᾷ δουλείᾳ, ἢ φόροις κατεχομένους πάντας ἐλέησον, πάντας ἐλευθέρωσον· ὅτι σὺ ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ λύων πεπεδημένους· ὁ ἀνορθῶν τοὺς κατεῤῥαγμένους, ἡ ἐλπὶς τῶν ἀπελπισμένων, ἡ βοήθεια τῶν ἀβοηθήτων, ἡ ἀνάστασις τῶν πεπτωκότων, ὁ λιμὴν τῶν χειμαζομένων, ὁ ἔκδικος τῶν καταπονουμένων· πάσῃ ψυχῇ χριστιανῇ θλιβομένῃ καὶ περιερχομένῃ δὸς ἔλεος, δὸς ἄνεσιν, δὸς ἀνάψυξιν. Ἀλλὰ καὶ ἡμῶν κύριε τὰς κατὰ ψυχὴν νόσους ἴασαι, τὰς σωματικὰς ἀσθενείας θεράπευσον, ἰατρὲ ψυχῶν καὶ σωμάτων, ἐπίσκοπε πάσης σαρκός, ἐπίσκεψαι καὶ ἴασαι ἡμᾶς διὰ τοῦ σωτηρίου σου. Τοὺς ἀποδημήσαντας ἡμῶν ἀδελφούς, ἢ μέλλοντας ἀποδημεῖν ἐν παντὶ τόπῳ κατευόδωσον, εἴτε διὰ γῆς, ἢ ποταμῶν, ἢ λιμνῶν, ἢ ὁδοιποριῶν, ἢ οἰῳδήποτε τρόπῳ τὴν πορείαν ποιοῦντας, πάντας πανταχοῦ ἀποκατάστησον εἰς λιμένα εὔδιον, εἰς λιμένα σωτήριον· σύμπλους καὶ συνοδοίπορος αὐτῶν γενέσθαι καταξίωσον. ἀπόδος τοῖς οἰκείοις αὐτῶν χαίρουσιν, ὑγιαίνοντας ὑγιαίνουσιν. ἀλλὰ καὶ ἡμῶν κύριε τὴν παρεπιδημίαν τὴν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ, ἀβλαβῆ καὶ ἀχείμαστον μέχρι τέλους διαφύλαξον. Τοὺς ὑετοὺς ἀγαθοὺς πλουσίως κατάπεμψον ἐπὶ τοὺς χρήζοντας καὶ ἐπὶ τοὺς δεομένους

debilitatis effugato ab eis. Valetudinarios diuturnis morbis decubantes exsuscita. Spiritibus impuris vexatos sana. Eorum qui vel carceribus, vel metallis, vel accusationibus, vel condemnationibus, vel exiliis, vel amara servitute, vel tributis, divexantur, miserere: omnes liberato: quoniam tu Deus noster, qui solvis compeditos, qui erigis elisos, spes desperantium, auxilium destitutorum, resurrectio lapsorum, portus naufragantium, ultor afflictorum: omni animae Christianae afflictae et oberranti, da misericordiam, da remissionem, da refrigerium. Quin et nos, Domine, quibus animo laboramus, morbos sana, corporis infirmitates cura, Medice animarum et corporum, Episcope, seu Inspector, omnis carnis, visita et sana nos, per salutare tuum. Fratres nostros peregre profectos, vel profecturos, in omni loco dirige, sive per terram, sive flumina, sive lacus, sive vias, sive quovis modo iter facientes, omnes undique adducito ad portum tranquillum, ad portum salutarem, ipse navigationis et viae comes eis esse dignare, suis eos redde, gaudentes gaudentibus, sanos sanis: quin et nostram, Domine, hac in vita peregrinationem a damno et tempestate immunem, usque in finem conservato. Pluvias bonas ex thesauris tuis in loca demitte iis opus habentia et egentia. Laetifica et renova earum descensu faciem terrae, ut stillicidiis ejus laetetur germinans. Fluviales aquas eleva ad justam earum mensuram. Laetifica

et renova earum ascensu faciem terrae. Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus. Fructibus terrae, Domine, benedicito, salvosque nobis et incorruptos conservato: exhibe nobis eos in semen et messem. Benedicito etiamnum, Domine, coronae anni benignitatis tuae, propter pauperes populi tui, propter viduam et propter pupillum: propter peregrinum, et propter advenam: propter nos omnes sperantes in te, et invocantes sanctum nomen tuum. Oculi enim omnium in te sperant, et tu das escam ipsorum in tempore opportuno. Qui das escam omni carni, imple gaudio et laetitia corda nostra, ut semper omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Jesu Domino nostro. Rex Regum, et Domine dominantium, regnum servi tui orthodoxi et Christum amantis Regis nostri, quem super terram regnare justum censuisti, in pace, et fortitudine, et justitia, et tranquillitate, conservato. Subjicito ei Deus, omnem hostem et adversarium, tam nostratem quam externum. Apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium ei: effunde frameam et conclude adversus eos, qui persequuntur eum: obumbra super caput ejus in die belli: fac, ut de fructu lumbi ejus sedeat super sedem ejus. Loquere ad cor ejus bona, pro sancta tua Catholica, et Apostolica Ecclesia, et omni Christum amante populo, ut et nos in tranquillitate ejus, tranquillam et quietam

τόπους. εὔφρανον καὶ ἀνακαίνισον τῇ καταβάσει αὐτῶν τὸ πρόςωπον τῆς γῆς, ἵνα ἐν ταῖς σταγόσιν αὐτῆς εὐφρανθήσηται, ἀνατέλλουσα. Ποτάμια ὕδατα ἀνάγαγε ἐπὶ τὸ ἴδιον μέτρον αὐτῶν, εὔφρανον καὶ ἀνακαίνισον τῇ ἀναβάσει αὐτῶν τὸ πρόςωπον τῆς γῆς. Τοὺς αὔλακας αὐτῆς μέθυσον, πλήθυνον τὰ γεννήματα αὐτῆς. Τοὺς καρποὺς τῆς γῆς κύριε εὐλόγησον, σώους καὶ ἀκεραίους ἡμῖν διατήρησον· παράστησον ἡμῖν αὐτοὺς εἰς σπέρμα καὶ εἰς θερισμόν. Εὐλόγησον, καὶ νῦν κύριε τὸν στέφανον τοῦ ἐνιαυτοῦ τῆς χρηστότητός σου, διὰ τοὺς πτωχοὺς τοῦ λαοῦ σου, διὰ τὴν χήραν καὶ διὰ τὸν ὄρφανον, διὰ τὸν προςήλυτον, δι᾽ ἡμᾶς πάντας τοὺς ἐλπίζοντας ἐπί σε, καὶ ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ πάντων εἴς σε ἐλπίζουσιν, καὶ σὺ διδὼς τὴν τροφὴν αὐτῶν ἐν εὐκαιρίᾳ. Ὁ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκί, πλήρωσον χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν, ἵνα πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, περισσεύωμεν εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν. Βασιλεῦ τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριε τῶν κυριευόντων, τὴν βασιλείαν τοῦ δούλου σου τοῦ ὀρθοδόξου καὶ φιλοχρίστου ἡμῶν βασιλέως, ὃν ἐδικαίωσας βασιλεύειν ἐπὶ τῆς γῆς ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀνδρίᾳ καὶ δικαιοσύνῃ. Ὁ θεὸς πάντα ἐχθρὸν καὶ πολέμιον ἐμφύλιόν τε καὶ ἀλλόφυλον. ἐπιλαβοῦ ὅπλου καὶ θυρεοῦ, καὶ ἀνάστηθι εἰς τὴν βοήθειαν αὐτοῦ, καὶ ἔκχεον ῥομφαίαν καὶ σύγκλεισον ἐξεναντίας τῶν καταδιωκόντων αὐτόν. Ἐπισκίασον*

ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἐν ἡμέρᾳ πολέμου· κάθισον ἐκ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ ἀγαθὰ ὑπὲρ τῆς ἁγίας σου καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας καὶ παντὸς τοῦ φιλοχρίστου λαοῦ, ἵνα καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ γαληνότητι αὐτοῦ ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν, ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι. Τῶν ἐν πίστει Χριστοῦ προκεκοιμημένων πατέρων τε καὶ ἀδελφῶν τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον, κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, μνησθεὶς τῶν ἀπ' αἰῶνος προπατέρων, πατέρων, πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, μαρτύρων, ὁμολογητῶν, ἐπισκόπων, ὁσίων, δικαίων, παντὸς πνεύματος ἐν πίστει Χριστοῦ τετελειωμένων· καὶ ὧν ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ τὴν ὑπόμνησιν ποιούμεθα, καὶ τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Μάρκου τοῦ ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ, τοῦ ὑποδείξαντος ἡμῖν ὁδὸν σωτηρίας.*

Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετά σου, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου, ὅτι ἔτεκες σωτῆρα τῶν ψυχῶν ἡμῶν. Ἐκφώνως. Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας, ἀχράντου, εὐλογημένης δεσποίνης ἡμῶν, θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

Ὁ Διάκονος. Κύριε εὐλόγησον.

Ὁ Ἱερεύς. Ὁ κύριος εὐλογήσει σε τῇ αὐτοῦ χάριτι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ Διάκονος τὰ δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων.

Ὁ δὲ Ἱερεὺς κλινόμενος ἐπεύχεται.

Καὶ τούτων πάντων τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον, δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ἐν ταῖς τῶν ἁγίων σου σκη-

vitam degamus, in omni pietate et sanctitate. Animabus patrum et fratrum nostrorum, qui antea in Christi fide obdormierunt, dona requiem, Domine Deus noster, memor majorum nostrorum, qui a saeculo sunt, avorum, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, Sanctorum, Justorum, omnis spiritus in fide Christi defunctorum, necnon eorum, quorum hodierno die memoriam agimus, et sancti Patris nostri Marci Apostoli et Evangelistae, qui demonstravit nobis viam salutis.

Ave gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, quia peperisti Servatorem animarum nostrarum. *Elata voce.* In primis sanctissimae, intemeratae, et benedictae Dominae nostrae Dei genitricis et semper Virginis Mariae.

Diaconus. Domine benedicito.

Sacerdos. Dominus benedicat tibi gratia sua, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Diaconus legit Diptycha defunctorum.

Sacerdos autem se inclinans precatur.

Et horum omnium animabus dona requiem, Dominator domine Deus noster, in sanctis tuis tabernaculis,

in regno tuo, largiens eis promissionum tuarum bona, quae oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quae praeparasti, Deus, diligentibus nomen sanctum tuum. Eorum animabus dona requiem, easque regno coelorum dignare: nobis autem fines vitae Christianos, et tibi bene placitos, peccatique immunes largire: et da nobis, ut partem et sortem habeamus cum omnibus sanctis tuis. Eorum qui sacrificia et oblationes offerunt, Eucharisteria, seu gratiarum agendarum munera, suscipe Deus in sanctum, et coeleste, et intellectuale altare tuum, in magnitudines coelorum, per Archangelicum ministerium tuum: eorum qui multum et parum, clam et palam et libere, offerre volunt, et non habent: et eorum, qui hodierno die oblationes obtulerunt, ut suscepisti munera justi tui Abel, *Hinc thurificat Sacerdos et dicit.* Sacrificium patris nostri Abrahae, Zachariae incensum, Cornelii eleemosynas, viduae minuta duo. Suscipe insuper eorumdem munera gratiarum actionis, eisque retribue pro terrenis coelestia, pro temporalibus aeterna. Sanctissimum et beatissimum Papam N. quem praescivisti recturum sanctam tuam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam, necnon sanctissimum Episcopum N. nostrum conservans, conservato eos, ut multis annis pacificis temporibus, sancto tuo fungantur Pontificatu, sibi credito per sanctam tuam beatamque voluntatem, recte dispensantes verbum veri-

*ναῖς, ἐν τῇ βασιλείᾳ σου χαριζόμενος αὐτοῖς τὰ τῶν εὐαγγελίων σου ἀγαθά, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπων οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασας ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσι τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Αὐτῶν μὲν τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον, καὶ βασιλείας οὐρανῶν καταξίωσον· ἡμῖν δὲ τὰ τέλη τῆς ζωῆς χριστιανὰ καὶ εὐάρεστα, καὶ ἀναμάρτητα δώρησαι· καὶ δὸς ἡμῖν μερίδα καὶ κλῆρον ἔχειν μετὰ πάντων τῶν ἁγίων σου. Τῶν προσφερόντων τὰς θυσίας, καὶ τὰς προσφοράς, τὰ εὐχαριστήρια πρόσδεξαι ὁ Θεὸς εἰς τὸ ἅγιον καὶ ἐπουράνιον καὶ νοερόν σου θυσιαστήριον, εἰς τὰ μεγέθη τῶν οὐρανῶν, διὰ τῆς ἀρχαγγελικῆς σου λειτουργίας, τῶν τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον, κρυφᾶ καὶ παῤῥησίᾳ, βουλομένων, καὶ οὐκ ἐχόντων· καὶ τῶν ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ τὰς προσφορὰς προσενεγκάντων, ὡς προσεδέξω τὰ δῶρα τοῦ δικαίου σου Ἀβέλ. Καὶ βάλλει θυμίαμα ὁ Ἱερεὺς καὶ λέγει. Τὴν θυσίαν τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ, Ζαχαρίου τὸ θυμίαμα, Κορνελίου τὰς ἐλεημοσύνας, καὶ τῆς χήρας τὰ δύο λεπτά, πρόσδεξαι, καὶ αὐτῶν τὰ εὐχαριστήρια, καὶ ἀντίδος αὐτοῖς ἀντὶ τῶν ἐπιγείων, τὰ οὐράνια, ἀντὶ τῶν προσκαίρων, τὰ αἰώνια. Τὸν ἁγιώτατον καὶ μακαριώτατον Πάπαν Δ'. ὃν προέγνως καὶ * προχειρίσασθαι τὴν ἁγίαν σου καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὸν ὁσιώτατον ἐπίσκοπον Δ'. τὸν ἡμέτερον, συντηρῶν συντήρησον αὐτοὺς ἔτεσι πολλοῖς χρόνοις εἰρηνικοῖς, ἐκτελοῦντας αὐτοὺς τὴν ὑπὸ σοῦ ἐμπεπιστευμένην ἁγίαν σου ἀρχιερωσύ-*

νην, κατὰ τὸ ἅγιον καὶ μακάριόν σου θέλημα, ὀρθοτομοῦντας τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Μνήσθητι δὲ καὶ τῶν ἁπανταχοῦ ὀρθοδόξων ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων, ὑποδιακόνων, ἀναγνωστῶν, ψαλτῶν, μοναζόντων, ἀειπαρθένων, χηρῶν, λαϊκῶν. Μνήσθητι κύριε τῆς ἁγίας Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν πόλεως καὶ τῆς βασιλευούσης, καὶ τῆς πόλεως ἡμῶν ταύτης, πάσης πόλεως καὶ χώρας, καὶ τῶν ἐν ὀρθοδόξῳ πίστει Χριστοῦ οἰκούντων ἐν αὐταῖς, εἰρήνης καὶ ἀσφαλείας αὐτῶν. Μνήσθητι κύριε πάσης ψυχῆς χριστιανῆς θλιβομένης καὶ καταπονουμένης, ἐλέους θεοῦ καὶ βοηθείας ἐπιδεομένης, καὶ ἐπιστροφῆς τῶν πεπλανημένων. Μνήσθητι κύριε τῶν ἐν αἰχμαλωσίᾳ, τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, δὸς αὐτοῖς ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς εἶναι, ἐναντίον πάντων τῶν αἰχμαλωτευσάντων αὐτούς. Μνήσθητι κύριε καὶ ἡμῶν, τῶν ἁμαρτωλῶν καὶ ἀναξίων δούλων σου, καὶ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἐξάλειψον, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος θεός. Μνήσθητι κύριε καὶ ἐμοῦ τοῦ ταπεινοῦ, καὶ ἁμαρτωλοῦ, καὶ ἀναξίου δούλου σου, καὶ τὰς ἁμαρτίας μου ἐξάλειψον ὡς φιλάνθρωπος θεός. Συμπάρεσο δὲ ἡμῖν λειτουργοῦσι τῷ παναγίῳ σου ὀνόματι. Τὰς ἐπισυναγωγὰς ἡμῶν κύριε εὐλόγησον. Τὴν εἰδωλολατρείαν τέλεον ἐκρίζωσον ἀπὸ τοῦ κόσμου. Τὸν σατανᾶν καὶ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν καὶ πονηρίαν σύντριψον ὑπὸ τοὺς πόδας ἡμῶν. Τοὺς ἐχθροὺς τῆς ἐκκλησίας σου κύριε, ὡς πάντοτε καὶ νῦν ταπείνωσον. Γύμνωσον αὐτῶν τὴν ὑπερηφανίαν·

tatis. Memento etiam ubique degentium orthodoxorum Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Monachorum, Semper-virginum, Viduarum, Laïcorum. Memento, Domine, sanctae Christi Dei nostri civitatis, et civitatis imperialis, et nostrae hujus, omnis denique civitatis et regionis, et eorum, qui in orthodoxa Christi fide eas incolunt, pacis et securitatis. Memento, Domine, omnis animae christianae afflictae et vexatae, Deique misericordia et auxilio egentis, necnon conversionis eorum, qui a recta via deerraverunt. Memento, Domine, fratrum nostrorum, qui captivi tenentur, da eis, Domine, ut misericordiam inveniant coram omnibus qui eos captivos duxerunt. Memento, Domine, nostri quoque peccatorum, et indignorum servorum tuorum, et peccata nostra deleto, ut bonus et benignus Deus. Memento, Domine, mei quoque humilis et abjecti peccatoris, et indigni servi tui, et peccata mea deleto, ut bonus, benignus Deus. Adesto nobis, qui sanctissimo nomini tuo ministramus. Congregationibus nostris, Domine, benedicito. Idololatriam e mundo radicitus extirpato. Satanam et omnem ejus operationem et nequitiam conterito sub pedibus nostris. Inimicos Ecclesiae tuae, Domine, ut semper, ita etiam nunc humilia.

Patefac eorum superbiam. Demonstra eis cito eorum imbecillitatem. Insidias eorum, praestigias eorum et versutias, quibus nos adoriuntur, infectas et irritas efficito. Exurge Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant retrorsum omnes qui oderunt sanctum nomen tuum. Populo autem tuo fideli et orthodoxo benedic in millena millia, et decies millena millia, facientibus sanctam voluntatem tuam.

Diaconus. Qui sedetis surgite.

Sacerdos dicit hanc orationem.

Redime vinctos, de necessitatibus suis, afflictos exime, esurientes satia, desolatos consolare, errantes converte, in tenebris sedentes illumina, lapsos erige, instabiles confirma, aegros sana, omnes, o bone, in viam salutis dirige, eosdemque in sanctum ovile tuum congrega: nos autem ab iniquitatibus nostris libera, protector noster et defensor per omnia factus.

Diaconus. Ad Orientem.

Sacerdos se inclinat et orat.

Tu es supra omne imperium, et omnem potentiam, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Tibi adstant millia millium, et decies millies centena millia sanctorum Angelorum, et Archangelorum exercitus. Tibi adstant honoratissima tua duo animalia, nimirum multocula Cherubim, et sex alata Seraphim, quae duabus quidem alis

δεῖξον αὐτοῖς ἐν τάχει τὴν ἀσθένειαν αὐτῶν, τὰς ἐπιβουλὰς αὐτῶν καὶ τὰς πανουργίας, ἃς ποιοῦσιν καθ' ἡμῶν ἀπράκτους ποίησον. Ἐξεγέρθητι κύριε καὶ διασκορπισθήτωσαν οἱ ἐχθροί σου, καὶ φυγέτωσαν εἰς τὰ ὀπίσω πάντες οἱ μισοῦντες τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Τὸν * δὲ λαόν σου τὸν πιστὸν καὶ ὀρθόδοξον, ἐπ' εὐλογίας χιλίας χιλιάδας καὶ μυρίας μυριάδας, ποιοῦντας τὸ θέλημά σου τὸ ἅγιον.

Ὁ Διάκονος. Οἱ καθήμενοι ἀνάστητε.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει εὐχήν.

Λύτρωσαι δεσμίους, ἐξέλου τοὺς ἐν ἀνάγκαις, πεινῶντας χόρτασον, ὀλιγοψυχοῦντας παρακάλεσον, πεπλανημένους ἐπίστρεψον, ἐσκοτισμένους φωταγώγησον, πεπτωκότας ἔγειρον, σαλευομένους στήριξον, νενοσηκότας ἴασαι, πάντας ἀγαθέ, εἰς τὴν ὁδὸν τῆς σωτηρίας σύναψον, καὶ αὐτοὺς τῇ ἁγίᾳ σου ποίμνῃ· ἡμᾶς δὲ ῥῦσαι ἀπὸ τῶν ἀνομιῶν ἡμῶν, φρουρὸς ἡμῶν καὶ ἀντιλήπτωρ κατὰ πάντα γενόμενος.

Ὁ Διάκονος. Εἰς ἀνατολήν.

Καὶ κλίνει ὁ Ἱερεύς, καὶ εὔχεται.

Σὺ γὰρ εἶ ὁ ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς ὀνόματος, ὀνομαζομένου, οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. Σοὶ παραστήκουσι χίλιαι χιλιάδες, καὶ μύριαι μυριάδες ἁγίων ἀγγέλων, καὶ ἀρχαγγέλων στρατιαί. Σοὶ παραστήκουσι τὰ δύο τιμιώτατά σου ζῶα, τὰ πολυόμματα χερουβίμ, καὶ τὰ ἑξαπτέρυγα σεραφίμ, ἃ δυσὶ μὲν πτέρυξι τὰ πρόσωπα καλύ-

πτοντα, καὶ δυσὶ τοὺς πόδας, καὶ δυσὶν ἱπτάμενα, καὶ κέκραγεν ἕτερον πρὸς τὸ ἕτερον ἀκαταπαύστοις στόμασι, καὶ ἀσιγήτοις θεολογίαις, τὸν ἐπινίκιον καὶ τρισάγιον ὕμνον ᾄδοντα, βοῶντα, δοξολογοῦντα, κεκραγότα καὶ λέγοντα τῇ μεγαλοπρεπεῖ σου δόξῃ.

facies tegunt, et duabus pedes, et duabus volant et clamant alterum ad alterum incessabilibus vocibus, et non tacentibus theologiis, triumphalem et ter-sanctum hymnum, canentia, clamantia, glorificantia, et dicentia, magnificae tuae gloriae.

Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σαββαώθ. Πλήρης ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ τῆς ἁγίας του δόξης. *Ἐκφώνως.* Πάντοτε μὲν πάντας ἁγιάζῃ, ἀλλὰ καὶ μετὰ πάντων τῶν σε ἁγιαζόντων, δέξαι δέσποτα κύριε καὶ τὸν ἡμέτερον ἁγιασμόν, σὺν αὐτοῖς ὑμνούντων καὶ λεγόντων.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabbaoth. Plenum est coelum et terra gloria sancta tua, *Elata voce.* Semper equidem omnes sanctificas, sed et cum omnibus te glorificantibus suscipe, Dominator Domine, nostram quoque sanctificationem, qui cum ipsis te laudamus et dicimus.

Ὁ Λαός. Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.

Ὁ Ἱερεὺς σφραγίζει τὰ ἅγια, λέγων.

Sacerdos mysteria sancta signaculo crucis signat, dicens.

Πλήρης γάρ ἐστιν ὡς ἀληθῶς ὁ οὐρανός, καὶ ἡ γῆ τῆς ἁγίας σου δόξης διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· πλήρωσον ὁ θεὸς καὶ ταύτην τὴν θυσίαν τῆς παρὰ σοῦ εὐλογίας, διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ παναγίου σου πνεύματος. Ὅτι αὐτὸς ὁ κύριος, καὶ ὁ θεὸς καὶ παμβασιλεὺς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδου ἑαυτὸν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, καὶ τὸν ὑπὲρ πάντων ὑψίστατον * θάνατον σαρκί, συνανακλιθεὶς μετὰ τῶν ἁγίων καὶ ἀχράντων καὶ ἀνώμων αὐτοῦ χειρῶν, ἀναβλέψας εἰς τὸν ἴδιον πατέρα, θεὸν δὲ ἡμῶν καὶ θεὸν τῶν ὅλων, εὐχαριστήσας, εὐλογήσας, ἁγιάσας, κλάσας, διέδωκε τοῖς ἁγίοις καὶ μακαρίοις αὐτοῦ

Plenum enim re vera est coelum et terra gloria tua, per manifestationem Domini et Dei et Servatoris nostri Jesu Christi, fac, o Deus, ut plenum quoque sit hoc sacrificium benedictione tua, per adventum sanctissimi Spiritus tui. Qui ipse Dominus et Deus, et summus Rex noster Jesus Christus nocte qua tradebat seipsum pro peccatis nostris, et mortem pro omnibus subibat carne, recumbens cum sanctis discipulis et Apostolis, accepit panem in sanctas, et immaculatas, et inculpatas manus suas, suspiciens in coelum ad te Patrem suum, Deumque nostrum et Deum universorum, gratias egit, benedixit, sanctificavit, fregit, deditque sanctis et beatis discipulis

et Apostolis, dicens, *Elata voce*, Accipite, comedite.

Diaconus. Extendite.

μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις, εἰπών. Ἐκφώνως. *Λάβετε, φάγετε.*

Ὁ *Διάκονος.* Ἐκτείνατε.

Sacerdos elata voce.

Hoc enim est corpus meum, quod pro vobis frangitur, et distribuitur in remissionem peccatorum.

Populus. Amen.

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφώνως.

Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Ὁ *Λαός.* Ἀμήν.

Sacerdos orans ait.

Similiter et calicem postquam coenavit accipiens, miscensque vino et aqua, suspiciens in coelum ad te Patrem suum, Deumque nostrum, et Deum universorum, gratias egit, benedixit, sanctificavit, implevit Spiritu sancto, et tradidit sanctis et beatis discipulis suis et Apostolis, dicens, *Elata voce*, Bibite ex eo omnes.

Diaconus. Denuo impensius orate.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει ἐπευχόμενος.

Ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι λαβών, καὶ κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν πρός σε τὸν ἴδιον πατέρα, θεὸν δὲ ἡμῶν καὶ θεὸν τῶν ὅλων, εὐχαριστήσας, εὐλογήσας, πλήσας πνεύματος ἁγίου, μετέδωκε τοῖς ἁγίοις καὶ μακαρίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις, εἰπών, Ἐκφώνως. πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες.

Ὁ *Διάκονος.* Ἔτι ἐκτείνατε.

Sacerdos elata voce.

Hic enim est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis et multis effunditur, et distribuitur in remissionem peccatorum.

Populus. Amen.

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφώνως.

Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Ὁ *Λαός.* Ἀμήν.

Sacerdos sic orare pergit.

Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem meam annuntiabitis, et resurrectionem meam, et ascensionem confitebimini, donec veniam. Mortem, Dominator Domine omnipotens, coelestis Rex, unigeniti tui Filii, Dominique et Dei, et Servatoris nostri Jesu Christi, an-

Ὁ Ἱερεὺς εὔχεται οὕτως.

Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, πίνητε δὲ καὶ ποτήριον τοῦτο, τὸν ἐμὸν θάνατον καταγγέλλετε, καὶ τὴν ἐμὴν ἀνάστασιν καὶ ἀνάληψιν ὁμολογεῖτε, ἄχρις οὗ ἂν ἔλθω. Τὸν θάνατον δέσποτα κύριε παντόκρατορ ἐπουράνιε βασιλεῦ, τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, κυρίου δὲ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καταγ-

γέλλοντες, καὶ τὴν τριήμερον καὶ μακαρίαν αὐτοῦ ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν ὁμολογοῦντες, καὶ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάληψιν ὁμολογοῦμεν, καὶ τὴν ἐκ δεξιῶν σου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καθέδραν, καὶ τὴν δευτέραν καὶ φρικτὴν καὶ φοβερὰν αὐτοῦ παρουσίαν ἀπεκδεχόμενοι, ἐν ᾗ μέλλει ἔρχεσθαι κρῖναι ζῶντας καὶ* νεκροὺς ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ ἀποδοῦναι. Σοὶ κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν δώρων προεθήκαμεν ἐνώπιόν σου. Καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε ἀγαθέ, ἐξαπόστειλον ἐξ ὕψους τοῦ ἁγίου σου, ἐξ ἑτοίμου κατοικητηρίου σου, ἐκ τῶν ἀπεριγράπτων κόλπων, αὐτὸν τὸν παράκλητον, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸν ἅγιον, τὸν κύριον, τὸν ζωοποιόν, τὸν ἐν νόμῳ καὶ προφήταις καὶ ἀποστόλοις λαλῆσαν, τὸ πανταχοῦ παρὸν καὶ τὰ πάντα πληροῦν, ἐνεργοῦντε αὐτεξουσίως, οὐ διακονικῶς, ἐφ' οὓς βούλεται τὸν ἁγιασμὸν εὐδοκίᾳ τῇ σῇ, τὸ ἁπλοῦν τὴν φύσιν, τὸ πληθμερὲς τὴν ἐνέργειαν, τὴν τῶν θείων χαρισμάτων πηγήν· τό σοι ὁμοούσιον· τὸ ἐκ σοῦ ἐκπορευόμενον, τὸ σύνθρονον τῆς βασιλείας σου, καὶ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἔτι δὲ ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τοὺς ἄρτους τούτους, καὶ ἐπὶ τὰ ποτήρια ταῦτα, τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἵνα αὐτὰ ἁγιάσῃ καὶ τελειώσῃ, ὡς παντοδύναμος θεός. Ἐκφώνως. καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφώνως.

Τὸ δὲ ποτήριον, αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης, αὐτοῦ τοῦ κυρίου καὶ

nuntiantes, et triduanam beatamque ejus a mortuis resurrectionem confitentes, in coelos quoque ascensionem confitemur, tuamque a dexteris Dei tui et Patris cathedram, necnon secundum et terribilem et tremendum ejus adventum expectantes, in quo venturus est judicare vivos et mortuos in justitia, et reddere, etc. Tibi, Domine Deus noster, quae tua sunt, de tuis bonis haec proposuimus coram te. Enimvero te rogamus et obsecramus, generis humani amator bone, ut emittas ex alto sancto tuo, ex praeparato habitaculo tuo, ex incircumscriptis sinubus tuis, ipsum Paracletum, Spiritum veritatis, sanctum, Dominum, vivificantem, qui in Lege, et Prophetis, et Apostolis locutus est: qui ubique adest, et omnia replet, et operatur sua potentia, non tanquam minister, in quibus vult, sanctificationem pro beneplacito tuo: simplex natura, in plura divisus actu, divinorum charismatum fons, tibi consubstantialis, ex te procedens, in throno regni tui tecum sedens, et cum unigenito Filio tuo Domino et Deo et Servatore nostro Jesu Christo. Emitte praeterea super nos, et super panes et calices istos Spiritum sanctum tuum, ut eos sanctificet et consecret, tanquam Deus omnipotens, *Elata voce*, et faciat panem quidem corpus.

Populus. Amen.

Sacerdos elata voce.

Calicem autem, sanguinem Novi Testamenti, ipsius Domini et Dei,

et Servatoris, et summi Regis nostri Jesu Christi.

Diaconus. Descendite Diaconi.

Sacerdos elata voce.

Ut fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem, in sobrietatem, in medelam, in temperantiam, in sanctificationem, in renovationem animae, corporis, et spiritus, in communionem beatitudinis vitae aeternae, et immortalitatis, in glorificationem sanctissimi tui nominis, in remissionem peccatorum, ut tuum et in hoc, quemadmodum in universo, glorificetur et laudetur, et sanctificetur sanctissimum et pretiosum, et glorificatum nomen tuum cum Jesu Christo et sancto Spiritu.

Populus. Sicut erat, et est.
Sacerdos. Pax omnibus.
Diaconus. Orate.

Sacerdos secreto orat.

Deus lucis, genitor vitae, autor gratiae, factor saeculorum, fundator scientiae, dator sapientiae, thesaure sanctitatis, Doctor precum purarum, animae benefactor, qui pusillanimibus in te confidentibus das ea in quae desiderant Angeli prospicere; qui eduxisti nos ex abysso ad lucem, qui dedisti nobis e morte vitam, qui largitus es nobis e servitute libertatem, qui tenebras peccati, per adventum unigeniti tui Filii discussisti, et ipse nunc, Dominator Domine, per adventum sanctissimi tui Spiritus, illu-

θεοῦ καὶ σωτῆρος, καὶ παμβασιλέως ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Ὁ Διάκονος. *Κατέλθετε οἱ διάκονοι.*

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφώνως.

Ἵνα γένωνται πᾶσιν ἡμῖν ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν, εἰς πίστιν, εἰς νῆψιν, εἰς ἴασιν, εἰς σωφροσύνην, εἰς ἁγιασμόν, εἰς ἐπανανέωσιν ψυχῆς, σώματος, καὶ πνεύματος, εἰς κοινωνίαν μακαριότητος ζωῆς αἰωνίου καὶ ἀφθαρσίας, εἰς δοξολογίαν τοῦ παναγίου σου ὀνόματος, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ἵνα σου καὶ ἐν τούτῳ, καθὼς καὶ ἐν παντί, δοξάσθῃ, καὶ ὑμνήθῃ τὸ πανάγιον καὶ ἔντιμον καὶ δεδοξασμένον σου ὄνομα σὺν Ἰησοῦ Χριστῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι.

Ὁ Λαός. *Ὥσπερ ἦν καὶ ἔστιν.*
Ὁ Ἱερεύς. *Εἰρήνη πᾶσιν.*
Ὁ Διάκονος. *Προσεύξασθε.*

Ὁ Ἱερεὺς εὔχεται καθ' ἑαυτόν.

Θεὲ φωτός, γέννητορ ζωῆς, ἀρχηγὲ χάριτος, ποιητὰ αἰώνων, θεμελιωτὰ γνώσεως, δωροτὰ σοφίας, θησαυρὲ ἁγιωσύνης, διδάσκαλε εὐχῶν καθαρῶν, ψυχῆς εὐέργετα, ὁ τοῖς ὀλιγοψύχοις εἰς σε πεποιθῶσι διδοὺς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακῦψαι· ὁ ἀναγαγὼν ἡμᾶς ἐξ ἀβύσσου εἰς φῶς, ὁ δοὺς ἡμῖν ἐκ θανάτου ζωήν, ὁ χαρισάμενος ἡμῖν ἐκ δουλείας ἐλευθερίαν, ὁ τὸ ἐν ἡμῖν σκότος τῆς ἁμαρτίας διὰ τῆς παρουσίας τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ λύσας, αὐτὸς καὶ νῦν δέσποτα κύριε διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ παναγίου σου πνεύματος, καταύγασον τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας

ἡμῶν, εἰς τὸ μεταλαβεῖν ἀκατακρίτως τῆς ἀθανάτου καὶ ἐπουρανίου ταύτης τροφῆς· καὶ ἁγίασον ἡμᾶς ὁλοτελῶς ψυχῇ, σώματι, καὶ πνεύματι, ἵνα μετὰ τῶν ἁγίων σου μαθητῶν καὶ ἀποστόλων εἴπωμεν σοὶ τὴν προσευχὴν ταύτην, τό,

Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἑξῆς.

Ἐκφώνως. *Καὶ καταξίωσον ἡμᾶς δέσποτα φιλάνθρωπε κύριε μετὰ παῤῥησίας, ἀκατακρίτως, ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, ψυχῇ πεφωτισμένῃ, ἐν ἀπαισχύντῳ προσώπῳ, ἡγιασμένοις χείλεσιν, τολμᾷν ἐπικαλεῖσθαί σε τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἅγιον θεὸν πατέρα, καὶ λέγειν.*

Ὁ Λαός. *Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.*

Ὁ Ἱερεὺς εὔχεται.

Ναὶ κύριε, κύριε, μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Οἶδεν γὰρ ἡ πολλή σου εὐσπλαγχνία, ὅτι οὐ δυνάμεθα ὑπενέγκειν διὰ τὴν πολλὴν ἡμῶν ἀσθένειαν· ἀλλὰ ποίησον σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ ἔκβασιν, τοῦ δύνασθαι ἡμᾶς ὑπενεγκεῖν. Σὺ γὰρ ἔδωκας ἡμῖν ἐξουσίαν πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ. Ἐκφώνως. *Ὅτι σου ἐστὶν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις.*

Ὁ Λαός. *Ἀμήν.*

Ὁ Ἱερεύς. *Εἰρήνη πᾶσιν.*

Ὁ Διάκονος. *Τὰς κεφαλὰς ἡμῶν τῷ Ἰησοῦ κλίνατε.*

Ὁ Λαός. *Σὺ κύριε.*

Ὁ Ἱερεὺς ἐπεύχεται.

Δέσποτα κύριε ὁ θεός, ὁ παντοκράτωρ, ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν χε-

mina oculos mentis nostrae, ad percipiendum sine condemnationis metu, immortalem et coelestem hunc cibum, et sanctifica nos integre anima, corpore, et spiritu; ut cum sanctis tuis discipulis et Apostolis dicamus tibi orationem hanc,

Pater noster, qui es in coelis, etc.

Elata voce, Et dignare nos, Dominator, generis humani amator, Domine, ut cum libertate, sine condemnationis metu, corde puro, anima illuminata, inconfusa facie, sanctificatis labris, audeamus invocare te, qui in coelis es, sanctum Deum Patrem, et dicere.

Populus. Pater noster, etc.

Sacerdos orat.

Ita Domine, Domine, ne inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo. Novit enim multa tua misericordia, quod sustinere non possumus, prae multa nostra infirmitate: sed fac etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. Tu enim dedisti nobis potestatem calcandi serpentes et scorpios, et omnem potestatem inimici, *Elata voce*, quia tuum est regnum et potentia.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Capita vestra Jesu Christo inclinate.

Populus. Tu Domine.

Sacerdos orat.

Dominator Domine Deus omnipotens, qui sedes super Cherubim,

et glorificaris a Seraphim: qui ex aquis coelum condidisti, et astrorum choris eum ornasti: qui in excelsis incorporeos Angelorum exercitus constituisti ad perennes glorificationes: tibi animarum corporumque nostrorum cervices inclinavimus, servitutis obsequium designantes, et rogamus te, ut tenebrosos peccati insultus ex cogitatione nostra depellas, et divinis sancti Spiritus tui splendoribus mentem nostram exhilares, ut cogitatione tui repleti, digne participemus iis, quae nobis proposita sunt bonis, immaculati corporis, et pretiosi sanguinis, unigeniti Filii tui Domini, et Dei, et Servatoris nostri, Jesu Christi, condonans nobis omnem peccatorum speciem, per multam et investigabilem bonitatem tuam, gratia, et miserationibus, et humanitate unigeniti Filii tui, *Elata voce*, per quem et cum quo tibi gloria et imperium cum sanctissimo et bono et vivifico Spiritu tuo.

Sacerdos. Pax omnibus.
Diaconus. Cum timore Dei.

Sacerdos orat.

Sancte, summe, tremende, qui in sanctis requiescis, Domine sanctifica nos verbo gratiae tuae, et illapsu sanctissimi Spiritus tui. Tu enim dixisti, Domine, Sancti estote, quia ego sanctus sum, Domine Deus noster, incomprehensibile Dei Verbum, Patri et sancto Spiritui consubstantiale, et coaeternum, et

ρουβίμ, καὶ δοξαζόμενος ὑπὸ τῶν σεραφίμ· ὁ ἐξ ὑδάτων οὐρανὸν σκευάσας, καὶ τοῖς τῶν ἀστέρων χοροῖς κατακοσμήσας· ὁ ἐν ὑψίστοις ἀσωμάτους ἀγγέλων συστησάμενος στρατιάς, πρὸς ἀεννάους δοξολογίας· σοὶ ἐκλίναμεν τὸν αὐχένα τῶν ψυχῶν, καὶ τῶν σωμάτων ἡμῶν, τὸ τῆς δουλείας πρόσχημα σημαίνοντες, καὶ δεόμεθά σου, τὰς σκοτοειδεῖς τῆς ἁμαρτίας ἐφόδους ἐκ τῆς ἡμῶν διανοίας ἀπέλασον, καὶ ταῖς τοῦ ἁγίου σου θεοειδέσιν αὐγαῖς τὸν ἡμέτερον νοῦν καταφαίδρυνον, ὅπως τῇ γνώσει σου πληθυνόμενοι, ἀξίως μετάσχοιμεν τῶν προκειμένων ἡμῖν ἀγαθῶν, τοῦ ἀχράντου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, συγχωρῶν ἡμῖν πᾶν εἶδος ἁμαρτιῶν, διὰ τὴν πολλὴν καὶ ἀνεξιχνίαστόν σου ἀγαθότητα, χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. Ἐκφώνως, δι' οὗ, καὶ μεθ' οὗ, σοὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ πνεύματι.

Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.
Ὁ Διάκονος. Μετὰ φόβου θεοῦ.

Ὁ Ἱερεὺς εὔχεται.

Ἅγιε, ὕψιστε, φοβερέ, ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, κύριε, ἁγίασον ἡμᾶς τῷ λόγῳ τῆς σῆς χάριτος, καὶ τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ παναγίου σου πνεύματος. Σὺ γὰρ εἶπας δέσποτα, ἅγιοι ἔσεσθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιος εἰμί, κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, ἀκατάληπτε θεοῦ λόγε, τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι ὁμοούσιε,

συναΐδιε, καὶ σύναρχε, πρόςδεξο τὸν ἀκήρατον ὕμνον, σὺν τοῖς χερουβὶμ καὶ σεραφὶμ, καὶ παρ' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀναξίου δούλου σου, ἐξ ἀναξίων μου χειλέων βοῶντα καὶ λέγοντα.

Ὁ Λαός. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφώνως. Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

Ὁ Λαός. Εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος, ἓν πνεῦμα ἅγιον, εἰς ἑνότητα πνεύματος ἁγίου. Ἀμήν.

Ὁ Διάκονος. Ὑπὲρ σωτηρίας καὶ ἀντιλήψεως.

Ὁ Ἱερεὺς σφραγίζων τὸν λαὸν ἐκφώνως. Ὁ κύριος μετὰ πάντων.

Καὶ κλάνει ὁ Ἱερεὺς τὸν ἄρτον, καὶ λέγει. Αἰνεῖτε τὸν θεὸν ἐν τοῖς.

Καὶ μελίζει ὁ Ἱερεὺς λέγων τοῖς παροῦσιν. Ὁ κύριος εὐλογήσει καὶ συνδιακονήσει, διὰ τῆς μεγάλης.

Καὶ λέγει ὁ Ἱερεύς. Κελεύετε.

Ὁ Κλῆρος. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κελεύει καὶ ἁγιάζει.

Ὁ Ἱερεύς. Ἰδοὺ ἡγίασται καὶ τετελείωται.

Ὁ Κλῆρος. Εἷς πατὴρ ἅγιος. τρίς.

Καὶ λέγει ὁ Ἱερεύς. Ὁ κύριος μετὰ πάντων.

Ὁ Κλῆρος. Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

Ὁ Ἱερεὺς λέγει. Αὐτὸς εὐλόγησεν αὐτόν.

Καὶ μεταλαμβάνει ὁ Ἱερεύς, εὐχ. τῆς κατὰ φιλανθρωπίας.

Ἄλλως.

principio, ut ille carens, suscipe immortalem hymnum, qui cum Cherubim et Seraphim, et a me peccatore et indigno servo tuo ex indignis meis labiis, clamat et dicit.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos elata voce. Sancta Sanctis.

Populus. Unus Pater, sanctus: unus Filius, sanctus: unus Spiritus, sanctus: in unitate Spiritus sancti. Amen.

Diaconus. Pro salute et defensione.

Sacerdos cruce signans populum elata voce. Dominus cum omnibus.

Hinc frangit Sacerdos panem et dicit. Laudate Deum.

Panem dividit Sacerdos dicens assistentibus. Dominus benedicat, et vobiscum ministret, per magnam, etc.

Hinc Sacerdos dicit. Jubete.

Clerus. Spiritus sanctus jubeat et sanctificet.

Sacerdos. Ecce sanctificata sunt et consecrata.

Clerus. Unus Pater sanctus *ter.*

Et Sacerdos dicit. Dominus cum omnibus.

Clerus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos dicit. Ipse benedixit ei.

Et communicat Sacerdos.

Oratio. Secundum benignitatem.

Aut.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, etc.

Et cum communionem dat clero dicit. Corpus sanctum.

Et ad calicem dicit. Sanguis pretiosus Domini, et Dei, et Servatoris nostri.

Hinc sacrificio completo dicit Diaconus. Ad orationem state.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Orate.

Sacerdos dicit orationem gratiarum actionis.

Gratias agimus tibi, Dominator Domine Deus noster, pro perceptione sanctorum, intemeratorum, immortalium, et coelestium mysteriorum tuorum, quae dedisti nobis in beneficium, et sanctificationem, et salutem animarum et corporum nostrorum. Certe precamur et obsecramus te, generis humani amator bone Domine, largire nobis ut communio sancti corporis et pretiosi sanguinis unigeniti Filii tui, sit nobis in fidem inconfusam, in caritatem non fictam, in abundantiam pietatis, in aversionem cujusvis contrarii, in observationem mandatorum tuorum, in viaticum vitae aeternae, in defensionem acceptabilem, ante tremendum tribunal Christi tui. *Elata voce.* per quem et cum quo tibi gloria et imperium, cum sanctissimo et bono et vivifico Spiritu.

Deinde Sacerdos conversus ad populum dicit.

Rex maxime, Patrique coaeterne, qui potentia tua infernum spoliasti, et mortem conculcasti, et fortem vinxisti, et Adam e tumulo exci-

Ὃν τρόπον ἐπιποθεῖ ἡ ἔλαφος ἐπὶ τῆς πηγῆς.

Καὶ ὅταν μεταδίδει τὸν κλῆρον, λέγει. Σῶμα ἅγιον.

Καὶ εἰς τὸ ποτήριον λέγει. Αἷμα τίμιον τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν.

Καὶ μετὰ τὸ πληρῶσαι, λέγει ὁ Διάκονος. Ἐπὶ προσευχὴν στάθητε.

Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.

Ὁ Διάκονος. Προσεύξασθε.

Ὁ Ἱερεὺς εὔχεται τὴν εὐχαριστίαν.

Εὐχαριστοῦμέν σοι δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ἐπὶ τῇ μεταλήψει τῶν ἁγίων, ἀχράντων, ἀθανάτων, καὶ ἐπουρανίων σου μυστηρίων, ὧν ἔδωκας ἡμῖν ἐπὶ εὐεργεσίᾳ, καὶ ἁγιασμῷ καὶ σωτηρίᾳ τῶν ψυχῶν καὶ τῶν σωμάτων ἡμῶν, καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε, ἀγαθέ, κύριε, χάρισαι ἡμῖν τὴν κοινωνίαν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, εἰς πίστιν ἀκαταίσχυντον, εἰς ἀγάπην ἀνυπόκριτον, εἰς πλησμονὴν θεοσεβείας, εἰς ἀποτροπὴν ἐναντίου, εἰς περιποίησιν τῶν ἐντολῶν σου, εἰς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου, εἰς ἀπολογίαν εὐπρόςδεκτον τὴν ἐπὶ τοῦ φοβεροῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ σου. Ἐκφώνως. δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ, σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι.

Εἶτα ὁ Ἱερεὺς στρέφεται πρὸς τὸν λαόν, λέγων.

Ἄναξ μέγιστε, καὶ τῷ πατρὶ σύναρχε, ὁ τῷ σῷ κράτει τὸν ᾅδην σκυλεύσας, καὶ τὸν θάνατον πατήσας, καὶ τὸν ἰσχυρὸν δεσμεύσας,

καὶ τὸν Ἀδὰμ ἐκ τάφου ἀναστήσας τῇ θεουργικῇ σου δυνάμει καὶ φωτιστικῇ αἴγλῃ τῆς σῆς ἀῤῥήτου θεότητος, αὐτὸς δέσποτα, διὰ τῆς μεταλήψεως τοῦ ἀχράντου σου σώματος καὶ τοῦ τιμίου σου αἵματος, ἐξαπόστειλον τὴν ἀόρατόν σου δεξιὰν, τὴν πλήρη εὐλογιῶν, καὶ πάντας ἡμᾶς εὐλόγησον, οἰκτείρησον, σθένωσον τῇ θεϊκῇ σου δυνάμει, καὶ περίελε ἀφ' ἡμῶν τὴν κακοηθῆ καὶ ἁμαρτάδα σαρκικῆς ἐπιθυμίας ἐργασίαν· καταύγασον τοὺς νοητοὺς ἡμῶν ὀφθαλμοὺς τῆς περικειμένης ζοφερᾶς ἀνομίας, σύναψον ἡμᾶς τῷ παμμακαρίστῳ, τῷ εὐαρεστήσαντί σοι συλλόγῳ, ὅτι διὰ σοῦ, καὶ σύν σοι τῷ πατρὶ καὶ τῷ παναγίῳ πνεύματι πᾶς ὕμνος πρέπει, τιμὴ, κράτος, προσκύνησίς τε καὶ εὐχαριστία, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ Διάκονος. Πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ.

Ὁ Λαός. Ἐν ὀνόματι κυρίου.

Ὁ Ἱερεὺς ἐκφώνως.

Ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ καὶ πατρός, ἡ χάρις τοῦ υἱοῦ, κυρίου δὲ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἡ κοινωνία καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ παναγίου πνεύματος εἴη μετὰ πάντων ἡμῶν, νῦν, καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.

Εἴη τὸ ὄνομα κυρίου εὐλογημένον.

Ὁ Ἱερεὺς ἐπεύχεται ἐν τῷ Διακονικῷ λέγων.

Ἔδωκαν ἡμῖν δέσποτα τὸν ἁγιασμὸν ἐν τῇ μετουσίᾳ τοῦ παναγίου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος

tasti, Deifica tua virtute, et lucido splendore ineffabilis tuae divinitatis, ipse, Domine, per persumptionem intemerati corporis tui et pretiosi sanguinis tui, emitte invisibilem dexteram tuam plenam benedictionum, et omnibus nobis benedic, miserere, corrobora divina tua virtute, et aufer a nobis malitiosam et peccatricem carnalis concupiscentiae operationem, illumina intellectuales oculos nostros contra circumstantem tenebrarum nequitiam. Conjunge nos beatissimo beneplacitoque tibi conventui, quia per te, et tecum, Patrem et sanctissimum Spiritum omnis hymnus decet, honor, imperium, adoratio, et gratiarum actio, nunc et semper et in saecula saeculorum.

Diaconus. Ite in pace.

Populus. In nomine Domini.

Sacerdos elata voce.

Caritas Dei et Patris, gratia Filii Dominique nostri Jesu Christi, communicatio et donum sanctissimi Spiritus, sit cum omnibus nobis nunc et semper et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Sit nomen Domini benedictum.

Sacerdos orat in Diaconico dicens.

Dedisti nobis, Domine, sanctificationem in participatione sanctissimi corporis et pretiosi sanguinis

unigeniti Filii tui, da nobis gratiam et donum sanctissimi Spiritus, et custodi nos irreprehensibiles in vita, et deduc ad perfectam redemptionem et adoptionem, et ad futuras sempiternas fruitiones. Tu enim es sanctificatio nostra, et tibi gloriam sursum mittimus, Patri et Filio, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, δὸς ἡμῖν τὴν χάριν καὶ τὴν δωρεὰν τοῦ παναγίου πνεύματος, καὶ φύλαξον ἡμᾶς ἀνώμους ἐν τῷ βίῳ καὶ ὁδήγησον εἰς τὴν τελείαν ἀπολύτρωσιν καὶ υἱοθεσίαν, καὶ εἰς τὰς μελλούσας αἰωνίους ἀπολαύσεις. Σὺ γάρ εἶ ὁ ἁγιασμὸς ἡμῶν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπωμεν, τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax omnibus.
Populus. Et spiritui tuo.

Ὁ Λαός. Ἀμήν.
Ὁ Ἱερεύς. Εἰρήνη πᾶσιν.
Ὁ Λαός. Καὶ τῷ πνεύματί σου.

Et dimittit dicens.

Benedictus Deus, qui benedicit et sanctificat, et protegit, et conservat omnes nos per participationem sanctorum ejus mysteriorum, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Καὶ ἀπολύει λέγων.

Εὐλογείτω ὁ Θεὸς ὁ εὐλογῶν καὶ ἁγιάζων, καὶ σκέπων, καὶ διατηρῶν πάντας ἡμᾶς διὰ τῆς μεθέξεως τῶν ἁγίων αὐτοῦ μυστηρίων, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

JOANNI A S. ANDREA

ECCLESIAE PARISIENSIS CANONICO

G. SIRLETUS CARD. S.

*Cum ex litteris tuis ad Illustrissimum et Reverendissimum dominum meum Cardinalem Senonensem *, cognovissem te Sancti Marci Evangelistae Liturgiam vehementer cupere; dedi operam ut ex vetustissimo codice Monasterii S. Mariae ὁδηγητρίας quod Rossani apud Calabros, sub instituto Sancti Basilii regitur, describeretur, et quam diligentissime cum exemplari collata, primo quoque tempore ad me mitteretur. Cumque Illustrissimus, et Reverendissimus Senonensis, ut est tui amantissimus, omniumque bonarum rerum, earum praesertim quae ad Ecclesiae Catholicae antiquitatem pertinent, observantissimus, a nobis flagitaret, ut Liturgiam ipsam mitteremus, non potuimus hoc diutius tibi debere. Idque ut libentius faceremus, ea res nos maxime adhortata est, quod ab amplissimo atque optimo Domino Senonensi plene didicimus, quam egregia sit in te pietas, illa quidem patria et avita virtus: quanta in propugnanda orthodoxae fidei veritate alacritas. Sunt haec quidem semper utilia et laboranti Ecclesiae necessaria remedia, tum vel maxime hoc tempore, cum novi, recentesque exurgentes, loquuntur perversa, ut abducant discipulos post se, magistri mendaces, introducentes sectas perditionis. Quapropter vigilandum est, si nolumus decipi; pugnandum si volumus superare, et divinae providentiae majores, in dies, gratiae sunt agendae, quae quotidie nobis arma suppeditat, quibus hostiles acies retundere, impetus repellere, et paternam Catholicae veritatis possessionem ab adversariorum injuria tuentes, integram inviolatamque fidem servare possimus. Non deerit Dominus Ecclesiae sanctae, quam acquisivit sanguine suo, fidelis est ad servandum, potensque ad praestandum quod promisit, fore scilicet ut portae inferi non praevaleant adversus eam: nunquam praevaluerunt, neque aliquando praevalebunt adjuvante Christo Domino, qui assiduis pre-*

* Nicolaum Pelleveum.

cibus rogandus est, ut mittat operarios plures in vineam suam, quam exterminare aper de sylva, et singularis ferus depasci in dies, magis, magisque conatur. Nostris orationibus excitatus clementissimus Jesus, exurgens imperabit ventis, et fiet tranquillitas in mari. Agamus gratias, ut diximus Deo ipsi, quod telu nobis suggerat praesentium temporum vexationi opportuna, et operarios optimos in vineam suam mittat, non tantum probatae fidei, vitae et doctrinae viros, verum etiam antiqua Ecclesiae Catholicae monumenta atque orthodoxorum Patrum libros, quibus profanae vocum novitates redargui possint. Ex horum numero esse arbitramur Beati Marci Evangelistae sacram Liturgiam, paucis ante annis inventam in Abbatia Beatae Mariae ὁδηγητρίας, *quae vulgo dicitur,* De lo patire, *antiquissimo Monachorum Sancti Basilii monasterio, ubi et D. Cyrilli Hierosolymorum Episcopi, Catecheses; Dionysii Alexandrini adversus Noëtianos, et Hippolyti Martyris adversus Noëti haeresim, et contra Paulum Samosatenum opuscula, sunt inventa, quae omnia curabimus accurate describenda, ut ad communem utilitatem conferantur. Interea misimus Hierurgiam, quam a Beato Marco traditam Alexandrina accepit Ecclesia. Ex qua doctores Sancti Basilius et Joannes Chrysostomus multa in suas, quas habemus, Liturgias, transtulerunt. Bene vale in Christo frater honorande, Romae XVI. Kal. Maii, M. D. LXXXII.*

GUILLELMO SIRLETO

CARDINALI AMPLISSIMO

J. A. S. ANDREA S. P. D.

Fruimur tandem tua opera, sacra illa Liturgia D. Marci Evangelistae, quae nobis certe gratissima fuit, tum propter Evangelium ejus Evangelistae, quod D. Nazianzenus scripsisse Italis dicit, tum etiam quod ex tua Bibliotheca procedat, quam, ut scribis, ex vetustissimo codice monasterii S. Mariae ὁδηγητρίας *describere jussisti. Sane quod ad me attinet,* χάριν εἰδέναι σοι τὴν ἰσόῤῥοπον οὐκ ἂν οἷος ὦ. *Etenim si quod ait ille,* Νικᾶν δ᾽ εὖ ἔρδοντας ἐπὶ πλεόνεσσι καθήκει. *Quid quaeso relaturus sum, quod tanto*

tuo in me beneficio par esse possit? tantum abest, ut majus dicam. Per te enim video et habeo quod prope jam habere me posse desperabam. Viginti ab hinc annis feci ut exirent in lucem tres illae aliae Liturgiae Divorum Jacobi, Basilii Magni, et Joannis Chrysostomi, quibus elisae sunt miserae et infelices nostrorum haeresiarcharum argutiae, quas Epiphanius in Manich. κυβευτικὰς διδασκαλίας, vocat. Nostra etiam ope in publicum editum est Missale Gothicum, et magni D. Areopagitae Liturgiae, quorum omnia exemplaria vetustissima, nostra Bibliotheca, quantumvis exigua, continet: et haec deinceps, Deo favente, D. Marci Liturgia accessura est, quam novo isti perditissimo hominum generi intulimus, ut rationibus non modo necessariis adducantur ad id confitendum quod tam pertinaciter impugnant, sed testes etiam habeant sanctissimos et locupletissimos: quibus fidem derogare ut impium est, ita impudens et insanum. Curavi igitur, ut haec Liturgia tuo in nomine appareat, praefigaturque illis quas ante diximus, jam a multo tempore excusis. Verum enim cupio, ut hoc tantum beneficium nostrates ac deinde caeteri a te uno profectum intelligant, ut non mihi tantum innotescat, sed etiam omnibus; quanta sit in te pietas, quanta doctrina, quantus denique in sanctam Catholicam Ecclesiam zelus. Praeterea quod tuis literis tantum mihi laudis tribuisti, non equidem is ego sum, fateor, nec eas unquam in me dotes agnovi, quas dicis. Ad alium ergo quaeso spectet illa pars literarum tuarum, qui se ornatiorem, instructioremve sentiat. Tu, ut optimus es, et humanitatis plenissimus, vis aliquid concedere magno illi ardori quo feror in studiosos, et ad investigandum quod nostram hanc sanctissimam religionem magis magisque exornet. Deus Opt. Max. faveat tuis votis, ac te diutius bene superstitem, bonis omnibus et Ecclesiae nostrae, conservet: nosque ames oro atque obsecro. Datum Lutetiae XII. Kal. Maii M. D. LXXXIII.

COMMENTARIUS
AD LITURGIAM COPTITARUM
SANCTI BASILII.

Pag. 1.

LITURGIA BASILII.

Liturgia quid proprie significet.

Cum ea sit hujus nostri in Liturgiam Aegyptiacam commentarii ratio, ut in eum conferre designemus omnia quae ad Eucharisticorum rituum disciplinam attinent, adeo ut aliis ejusmodi Officiis illustrandis inservire queat, multa quae alibi fusius tractata sunt, ita delibare conabimur, ut paucis complectamur quaecumque ad illorum Officiorum intelligentiam necessaria videbuntur. Liturgiarum nomine intelligi debent Officia, seu Rituales libri autoritate publica Ecclesiarum scripti, earumque usu comprobati, quibus preces et ritus ad consecrandam et administrandam Eucharistiam continentur. Secundum hanc definitionem, Liturgiae nomen dari non potest Officiis omnium Sacramentorum, ut Baptismi, Chrismatis et aliorum, quod tamen a multis, praesertim Protestantibus solet fieri, non alia opinor ratione quam quod suas sacras preces Liturgiam ipsis appellare placuit, absque ullo veterum exemplo. Nam Graecis a quibus hoc nomen acceptum est *Λειτουργίαι* vocantur libri precum rituales qui ad celebrandam Eucharistiam pertinent, quo sensu celebres sunt apud eos Jacobi, Basilii, Chrysostomi Liturgiae. Magis etiam contra decorum Ecclesiae peccant, qui Liturgias appellant collectaneas preces Judaeorum, Samaritanorum et Muhamedanorum, ut fecerunt recentiores multi Lexicographi et Bibliothecarii. Neque enim nomen illud, in sacris significatione peculiari usurpatum ad profanas infidelium superstitiones trahi debet. Vide Glossarium Graeco-barbarum Viri Clarissimi Caroli Cangii verbo *Λειτουργία*.

Ejus varia nomina.

Ea vox a Graecis dudum usurpatur, nec aliam a multis saeculis inter eos significationem habet, quamvis ex ipsius linguae originibus aliae multae occurrant. Neque tamen ad Coptitas, qui mixtam ex Graecis vocibus quam plurimis linguam retinent, ad Officia Ecclesiastica transiit, sed ejus loco utuntur altera quae est *Ἀναφορά*. Itaque in nostris codicibus et multis quos in versione nostra expressimus, ita appellatur: quae vox pariter eodem omnino sensu recepta est a Syris, et Aethiopibus; sed in usu vocis illius non

levis est inter Graecos et Orientales qui eam ab ipsis acceperunt discrepantia. Nam apud illos proprie est, *oblatio, sacrificium Missae,* ut Ἀναφοραὶ μυστηρίων, Palladio: Ἀναφορὰι ἐν ἀδύτοις ποιούμενος in Vita Ignatii: εὐχαὶ τῆς ἁγίας ἀναφορᾶς in historia Martyrii S. Marci et passim alibi. *Pall. Vit. Chrys. p. 88.* Illis enim locis actum ipsum sacrum oblationis Eucharistiae significari manifestum est, et aliquando sacra ipsa mysteria, ut cum apud Pachymerem αἱ προηγιασμέναι ἀναφοραὶ vocantur, *praesanctificata.* Aliam quoque vox eadem *L. 7. c. 28.* in Ritibus significationem habet, nempe *veli* quo teguntur oblatae in disco positae, aliter dicti Δισκοκάλυμμα et Ἀήρ, de quibus videndi Goarius et Cangius. At pro Rituali Orationes Liturgias continente frequenter usurpatur apud Coptitas: ea ratione quod, quia continet omnia ad Oblationem sacrificii Eucharistici necessaria, *Oblatio* non immerito dici possit: ut aliter apud Syros vocatus est ejusmodi liber *Koudcho,* hoc est *sanctificatio,* seu *sanctum* quia sancta τὰ Ἅγια per illas preces consecrabantur. Ita quoque Arabes et Aethiopes ab eadem voce appellaverunt eas *Kadas,* quasi dicerent *sanctificationem* seu *consecrationem oblationis.* Atque haec de nomine sufficiunt.

Autoritas Liturgiarum.

De autoritate ut paucis dicamus, duo spectanda sunt, autoris nomen, et ipsius Officii quale a nobis repraesentatur autoritas, in Ecclesiis quae illud usurpant. Si Orientales sequimur, quorum res potissimum agitur, ex utraque aequalem istis Officiis dignitatem tribuunt. Nam existimant non eam modo, sed reliquas omnes a sanctissimis viris quorum nominibus designantur, esse compositas; quodque Graeci de sua lingua extantibus firmissime credunt, Proclus in opusculo de Divina Liturgia, Episcopi in Trullo congregati, Cabasilas, Marcus Ephesinus, recentiores tandem omnes uno consensu, scriptas eas esse a Jacobo, Basilio, et Chrysostomo, idem Coptitae de Aegyptiacis suis: Syri de Syriacis opinantur, neque ab ea se opinione avelli patiuntur. Usus Ecclesiarum certus est: nam ut apud Graecos istae de quibus diximus, ita apud Coptitas, tres quas commentario illustramus, semper ad altaria usurpatae leguntur; citantur ex illis sententiae et orationes apud melioris notae Theologos et historicos: quaecumque de ritibus Eucharisticis scripta extant, ad eas referuntur. Ita Tractatus varii de Caeremoniis in Liturgia servandis: Praecepta de iisdem in Rituali Gabrielis Patriarchae: Expositio ejusdem apud Abulbircat, et autorem Scientiae Ecclesiasticae, atque alii passim.

De illarum Autoribus Orientalium traditio.

Ut vero traditionem illam Orientalium propriis eorum verbis exponamus, Severus Episcopus Aschmonin, in Historia Patriarcharum Alexandrinorum, et in Athanasii vita, loquens de Synodo Ancyrae celebrata adversus Paulum Samosatenum: *Erat,* inquit, *illic cum aliis Basilius magnus Liturgiae autor.* Ebnassalus in Collectione Canonum cap. 12. quod est de Missae sacrificio, ita scribit. *In Ecclesia Coptica tres Liturgiae ordinatae, sunt Basilii, Gregorii et Cyrilli, quas sequi solent.* Autor Scientiae Ecclesiasticae, cap. 85. *Tres sunt Liturgiae quae antiquorum Patrum communi sententia probatae sunt. Prima et major, seu prolixior autorem habet Basilium Cae-*

sariensem Episcopum, personae Patris omnipotentis praecipue dicata. Secunda est Liturgia sancti Gregorii, singulariter spectans personam Filii unigeniti et aeterni, quae commemorat ejus Incarnationem, Crucifixionem, Passionem, Sepulturam, Resurrectionem a mortuis, Ascensionem ad coelos, et Adventum ejus ad judicandum vivos et mortuos: et hae sunt quidem duae priores. Tertia est Liturgia S. Cyrilli ad Patris quoque personam praecipue spectans, in quo eam quae a Basilio facta est imitatur, quod proprie respiciat personam Patris. His tribus Liturgiis potissimum insistitur, et de illis consentitur, omissis aliis quae in Ecclesia conservantur, et duodecim dicuntur esse. Gabriel filius Tarich Patriarcha Alexandrinus LXX. in Constitutionibus Synodicis de iisdem ita loquitur. *Pervenit ad mediocritatem nostram esse nonnullos ex Provinciis Sahid, sive Thebaidis, qui Liturgias celebrent, de quibus controvertitur, diversasque a tribus notis, nempe Liturgia S. Basilii, et duabus aliis sancti Gregorii et S. Cyrilli. Prohibitum est autem a nobis sub excommunicationis poena, ne quisquam ita faciat, donec ad Cellam Patriarchalem venerit, et Liturgiae quas habet examinatae fuerint.* Abulbircat inter alia Basilii opera primum recenset *Liturgiam ad celebranda mysteria.*

Praeter tres vulgatas nullae extant apud Coptitas.

Praeter illas nullae dudum extant apud Coptitas, aut si extant nullum in Ecclesiis usum habent, nullam autoritatem. Severus Aschmoninensis in Vita Petri Moggi inter alia opera ab eo scripta, Liturgiam recenset, sed de ea nihil apud alios autores legitur. Eo nomine Petri unam esse a Coptitis usurpatam scripsit Athanasius Kircherus in Prodromi sui Coptici supplemento, sed quam tamen nemo vidit: neque verum est illam usurpari ad altaris ministeria. Neque magis credendum, quod in eodem Prodromo legitur, extare in Vaticana Bibliotheca Liturgiam Copticam sancti Marci, si quis haec verba de singulari et ab aliis tribus diversa intelligenda credat. Par codex extat in Regia, cum Marci nomine: sed ipsa est Cyrilli interpolata; quam, ut ex Abulbircat discimus, quidam Marco tribuebant. *Statutum est,* inquit operis sui cap. 29. *in Ecclesia Coptica tres Liturgias usurpari. Una est quae per omnes jejunii dies, et alios extra jejunium usurpatur, scilicet Liturgia S. Basilii Episcopi Caesareae Cappadociae. Secunda quam Aegyptii consueverunt usurpare tantum per quadragesimale jejunium, et mensem Cohiac, est Liturgia Marci quam perfecit Cyrillus. Tertia propria est diebus festorum divinorum, et laetitiae quae est Liturgia S. Gregorii.* Si quid dubii superesset solvitur autoritate codicis MS. Bib. R. Graeci et Arabici, in quo duae priores extant Basilii et Gregorii nomine. Tertia deest; sed quae Marci nomine edita est a Joanne a S. Andrea Graece et Latine, ea ipsa est quae Cyrilli titulum habet in Copticis Codicibus.

De aliis Liturgiis Basilio adscriptis.

Cum autem S. Basilii nomine aliae extent diversis linguis Liturgiae, quid illae inter se commune habeant explicandum est. Notissima prae caeteris et antiquissima censeri debet Graeca, quam Graeci olim in Patriarchatu Constantinopolitano, ut et alteram Chrysostomi usurpaverunt, nunc ubique usurpant, quacumque patet eorum Ecclesia. Alteram Syriacam Latine edidit vir doctissimus Andreas Masius, sed quae in multis optimae notae codi-

cibus deest, vel aliis tribuitur. Neutra respondet Copticae hujus nostrae exemplaribus, atque adeo certissimum est, istam ab alio fonte derivatam, atque ex Graeco codice. Is huc usque ignotus omnino fuit, sed tandem repertus in Bibliotheca Regia maximam istius Liturgiae partem exhibet, cum hoc titulo ἡ Θεία Λειτουργία τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν βασιλείου adjuncta est versio Arabica.

Ex illa porro Liturgia expressa est Aethiopica communis, quae vulgo appellatur *Canon Generalis Aethiopum:* quia cum Aethiopes integram subjectionem Alexandrinis Jacobitarum Patriarchis professi dudum fuerint, eorumque haeresim acceperint, quaecumque ad Sacramenta pertinebant ab iisdem acceperunt. Itaque Liturgia, paucis exceptis, prorsus est eadem; nec tamen in codicibus Aethiopicis praefert Basilii, vel alterius ullius autoris nomen. **Ex Basilii Liturgia facta est Aethiopica.**

Liturgiae Copticae dispositio talis est, ut in duas partes dividatur. Prima incipit ab orationibus, quae statim dicuntur dum paratur altare, atque ita omnes ritus et preces complectitur, tam ad inferendas oblatas, quam ad lectiones sacrarum scripturarum, quarum ultima ex Evangelio est, usque ad Osculum pacis, quod ritu Orientali datur antequam consecratio incipiatur. Secunda pars, quae *Anaphora* proprie et stricte loquendo appellatur, incipit ab Oratione Osculi pacis, et ad finem usque Liturgiae perducitur. Ita postrema pars illa rationem quamdam habet Latini Canonis, quia continet orationes omnes quae Canone nostro continentur. Verum in eo discrimen est, quod paucis omnino exceptis quae in eo inseruntur, secundum diversas majoresque solennitates, unus semper et idem est: apud Orientales aliter omnino fit: quippe pars illa quae consecrationis preces complectitur, varia est pro diversitate Liturgiarum, ita ut apud Coptitas, in Gregoriana et Cyrillina preces illae diversae sint, quamvis in unam formam sententiamque conveniant: prima vero pars semper est eadem, demptis sacrae Scripturae lectionibus. Ex ea quae generalis Canonis locum habet, sumi solent omnia, quae Osculum pacis antecedunt. Itaque quando celebratur Liturgia Gregorii aut Cyrilli, prima illa officii pars ex Basiliana petenda est: ut apud Aethiopes qui duodecim Liturgias habent, petitur ex Canone generali: apud Syros Jacobitas qui triginta et plures numerant, ex Jacobi: apud Nestorianos qui tres tantum, ex Liturgia Apostolorum. Haec disciplina singularis observanda fuit, quia ex ejus ignoratione saepe factum est, ut Liturgica quaedam Officia, quae in Codicibus manuscriptis reperiuntur, aut Latine edita sunt, imperfecta quibusdam visa fuerint, quia statim ab Osculo pacis incipiunt, atque adeo multis officii Eucharistici partibus mutilata judicata sunt. Istius vero quam explicamus Copticae, pars prima προπαρασκευαστική, formata est ex Graeca Marci edita: nam in Codice Regio Graeco-Arabico initium est ab Oratione veli, seu καταπετάσματος, et quibusdam diversis orationibus ad osculum pacis. Neque pars illa prima magis ad unam ex tribus quam ad alteram pertinet: est enim communis omnibus. Sed Basiliana, ut ex autoribus Aegyptiacis quorum testimonia retulimus patet, fuit, ut est étiamnum, praecipua et in usu quotidiano. **Liturgiae hujus dispositio.**

Autoritas illius.

De $\alpha\dot{\upsilon}\vartheta\varepsilon\nu\tau\acute{\iota}\alpha$ et autoritate istius Liturgiae jam paucis explicandum, quod fusius alibi tractatum est. Nullam esse debere Liturgiarum autoritatem, communis fuit aliquando non modo Protestantium, sed etiam quorumdam Catholicorum opinio, ex unica simplicissimaque, ut videtur, ratione, nempe quod supposititiae essent, quandoquidem nec a Basilio, nec ab aliis, quorum nomina prae se ferunt, autoribus profectae fuissent, aut ita interpolatae judicarentur, ut ab archetypi forma longissime recederent: at supposititiorum scriptorum fidem esse nullam. Cum igitur Graecas ipsas tales esse probatum videretur, multo minus Aegyptiacas et aliis linguis extantes ad tanta nomina pertinere censuerunt. Ita plerique etiam nostrae aetatis viri doctissimi, quia Liturgias eodem judicio, ac vetera alia monumenta expenderunt: in quo magnopere errasse deprehenduntur. Neque enim par est ratio, sed prorsus diversa. Nam opera sanctorum Patrum ex autorum nomine et sanctimonia dignitatem habent, autoritatem non nisi ex reliquorum consensu, doctrinaeque similitudine, quia quantacumque sit doctoris Ecclesiastici autoritas, inferior tamen esse censenda est ea, quam totius Ecclesiae concordia stabilivit. Non pendet ab autorum nomine, sed ab usu Ecclesiarum. Nihil autem post sacras literas potiorem inter Christianos autoritatem habuit, quam publica Ecclesiarum monumenta, quae vocem illarum repraesentant, et earum nomine loquuntur quodam modo. Ita Augustinum videmus productis sanctorum Patrum adversus Pelagianos amplissimis testimoniis, alia ex precibus Ecclesiasticis adjungere, ut ex earum sententia probationibus validissimis cumulus accederet. Habebant preces illae autores suos, qui tamen ignorabantur, neque ex eorum nomine, sed ex usu Ecclesiae, quae preces illas sacrificio quotidiano consecraverat, pondus earum testimonio accedebat. Secundum illam igitur regulam de Liturgiis inquirendum erat, et ubi semel constitisset de usu illarum in celebratione sacrificii Eucharistici, nulla de autoribus quaestio instituenda fuit. Ea enim sola ratione quidquid dignitatis et autoritatis in monumentis publicis Ecclesiarum esse potest illis asserebatur. Exemplum ex Romano Canone ducere licet. Autor ejus non adeo certus est: nam alii Musaeum Presbyterum Massiliensem: alii Scholasticum ignotum: Gelasium vel Gregorium alii nominant. Ignoti Scholastici autoritas in Ecclesia prope nulla: Musaei mediocris, Gelasii et Gregorii magna: sed Ecclesiae quae eo Canone utitur, multo maxima. An Ambrosius Missam quae ab eo nomen habet scripserit, dubitatur, neque tamen idcirco Ambrosianae Missae autoritas nihili est, quia certo scimus antiquissimam Mediolanensem Ecclesiam eam usu comprobasse: imo major prorsus esse censenda est illius ad aliquod fidei dogma demonstrandum efficacia, quam testimoniorum ex certis operibus Ambrosii, quia in illis suo nomine loquitur; Ecclesiae nomine in Liturgia. Ita de Gothica, Mosarabica, veterique Gallicana judicandum. Nempe nemo hominum falli non potest aliquando, sed Ecclesia, adversus quam portae inferi praevalere non possunt, mendacio aut errori non est obnoxia. Cum igitur extra dubium sit Ecclesiam Hierosolymitanam exempli causa, aut easdem aut similes orationes habuisse, illis quae in Jacobi Graeca Liturgia leguntur, (nam eas in Cate-

chesibus suis Cyrillus ejus Episcopus satis designat: Constantinopolitanam pariter ex Chrysostomi testimoniis, quisque facile agnoscit:) et ab aliis saeculis ad haec usque postrema, actis, libris, monumentis publicis, testibus tandem oculatis constet eam Eucharistiae consecrandae formam a Graecis servatam, quam Liturgiae repraesentant, nihil refert sintne Jacobi, aut Basilii, aut Chrysostomi, cum illas Ecclesiae vocem esse constet, quae potiorem sua autoritatem non agnoscit. His ita constitutis, ipsa quibus Critici Liturgias antiquas oppugnatum iverunt argumenta, ut eas suppositionis et falsi condemnarent, summam habent in illarum autoritate stabilienda vim et efficaciam. Observant preces et caeremonias alienas a primis Ecclesiae saeculis, adeo ut autorum aetati convenire non possint: nempe quia addita sunt ex posteriori disciplina, quam lex credendi exigebat. Observatur inter exemplaria diversitas, quia in diversis Ecclesiis consuetudo sua cuique manebat: atque ita de caeteris. Ex illis igitur principiis de Orientalibus Liturgiis ferendum erat judicium, non ex minutis observationibus criticis, in quibus etiam plerique saepe hallucinati sunt.

Haec Liturgia usu antiquissimo Ecclesiae Copticae commendatur.

Itaque altera et hanc praecipue quae in manibus est, a Basilio scriptam esse non arbitramur, et contrariam opinionem Coptitis relinquimus. Verum simul constituimus ex omnium Aegyptiacae Ecclesiae monumentorum testimoniis certissimum esse illam ipsam Liturgiam, saltem a Muhamedanorum initiis, perpetuum in Ecclesiis Copticis usum habuisse, qui ad haec usque tempora perseverat. Ex eo usu Ecclesiarum tanta ejus est apud Coptitas autoritas, ut post sacras scripturas, majorem nullam agnoscant. Etsi vero Coptitis ab illo tempore propriae factae fuerint, non tamen existimandum est, eas in illorum secta originem habuisse, verum Basiliana quae duarum reliquarum Canon, ut diximus, censeri debet, ex antiqua Graeca expressa est, unde certum, eam ipsam esse Liturgiae formam, quae Alexandriae sub Christianis Imperatoribus frequentabatur. Neque haec nostra solum sententia est, cum de illorum officiorum antiquitate splendidiora etiam testimonia tulerint Josephus Scaliger et Claudius Salmasius, uterque in Protestantium communione.

Aegyptiace scripta.

Ipsa Liturgia, ut etiam id a nobis observetur, scripta est lingua Coptica, hoc est Aegyptiaca, quae in usu erat sub Christianis Imperatoribus ante Muhamedana tempora.

Versio ejus Arabica.

Versio Arabica ab aliquot saeculis ad oram adjungi solet, ex quo Coptica lingua a vulgo intelligi desiit, non quidem ut Liturgia Arabice celebraretur, quod a nonnullis temere nimis affirmatum est, sed ut haberent Sacerdotes, unde illam lingua vernacula explicare possent. Omnia enim Coptice canuntur et recitantur, etiam ipsae sacrarum scripturarum lectiones. Sed adjungitur post istarum lectionem explicatio Arabica, quae a mille annis in Aegypto vernacula est. Duplex autem habetur versio Liturgiae Arabica. Nam quae in Codice Regio Graecis paginis respondet, ab ea quam Coptici Codices repraesentant diversa est, et ab alia manu. Imo quantum percipere possumus, recentior, et ab iis hominibus facta, quibus Graeca lingua minus familiaris esset, quam Coptica alteris, qui ex ea interpretationem suam

fecerunt. Ista videtur profecta a peritiori interprete, nec una fortassis fuit, multas enim lectionum vel potius vocum diversitates manuscripti Codices subministrant, nullo tamen sententiae detrimento. Atque inde agnosci potest certo atque indubitato argumento conformitas Orientalis disciplinae cum Romana, quae tam contumeliose a Protestantibus exagitari solet. Nam apud Coptitas multo minus intelligitur Aegyptiaca Liturgiae lingua, quam Latina in Occidente, ubi Sacerdotes pauci admodum sunt, qui Latine nesciant. Inter alios paucissimi Coptice sciunt, plebi lingua illa prorsus est barbara. Tamen eadem lingua, ex antiqui moris veneratione, quamvis non intellecta populo, conservatur in Liturgia, in Psalmodia, in omnibus Sacramentis perficiendis. Nec alia est Syrorum disciplina, inter quos docti Syriacam linguam intelligunt, quae illiteratis ignota est: nec alia Graecorum, Armenorum et Aethiopum consuetudo est. Huc accedit quod multa inter sacras preces etiam Graece dicuntur, ut suis locis notabimus, quae est antiquitatis nota, tum etiam originis illarum Liturgiarum a Graecis, argumentum certissimum.

Multa sunt hujus Liturgiae exemplaria.

Extant hujus et aliarum Liturgiarum Copticarum exemplaria in diversis Bibliothecis multa et quidem antiquissima, absque ulla insigni diversitate: neque ullum quod majori praestet vetustate observavimus, in quo deesset Arabica versio. Id autem monendum quia nonnullis, inter quos Isaacus Vossius fuit, haec nota antiquitatis judicata est, quamvis quidam reperiantur recentissimi absque illa versione, et antiquissimi illam repraesentent. Cum enim Copticae solae orationes recitentur, Arabica versio juvandae Sacerdotum imperitiae scripta sit, ut et scripturas et publicas preces interpretari ad populum possint, factae sunt versiones statim atque Arabum lingua communis per totam Aegyptum esse coepit, quod ante saecula prope decem contigit: libros autem qui ad eam aetatem accedant, paucissimos esse sciunt eruditi. Omnes igitur ferme tam Liturgici, quam sacrae Scripturae, versiones adjunctas habent: quidam non habent, ut insignis Evangeliorum codex scriptus a Michaele Metropolita Damiatensi in membranis ante annos quingentos septuaginta, qui extat in Bibliotheca Regia.

Pauci codices rubricas habent.

Pauci adjunctas habent rubricas seu breves rituum leges: quae in antiquis prope omnibus desunt; quam consuetudinem observare licet in Missalibus Graecis et Latinis: nam quae ad rite fungendum Sacerdotium pertinebant, sero literis consignata sunt. At recentiores codices eas repraesentant, praesertim optimus et integerrimus Bibliothecae Regiae, quem interpretando praecipue secuti sumus, ne quid ad rituum plenam intelligentiam deesset. Verum aliunde suppletur defectus rubricarum. Nam extant in multis codicibus tractatus, qui accurate omnes explicant: de quibus etiam reperiuntur apud autores varios integri commentarii. Talis est quem operi suo inseruit Abulbircat: eamdemque disciplinam multis capitibus prosequitur Abuseba in Scientia Ecclesiastica: et Anonymi non pauci. Sed maximam hoc in genere publicamque autoritatem habet Ritualis liber Gabrielis Patriarchae Alexandrini Jacobitarum 88. editus an. Martyrum 1127. J. C. 1411. in quo omnia accuratissime perscribuntur, et ex illo plerosque ritus descripsimus.

Oratio praeparationis.

Pag. 1.

Praeparatio ad Liturgiam celebrandam.

Haec Oratio, ut titulus admonet, praeparatoria est, diciturque a Sacerdote sacra celebraturo statim atque ad conspectum sanctuarii ingreditur, ubi deposita exteriori toga, procumbens coram altari per aliquod temporis spatium orare solet. Qualiter autem paratus accedere debeat multis verbis autores explicant, tam secundum exteriorem, quam interiorem castimoniam, quae paucis complectemur. Quantum ad primam attinet, quaecumque conditiones praescribuntur ad communionem percipiendam, easdem in Sacerdote ad celebrandam Liturgiam exigit Coptitarum et omnium Orientalium disciplina. In casto fuisse illum, nocte praecedenti, aut triduo, secundum Canones oportet, si conjugatus fuerit: si per insomnia ludibrium passus est, celebrare prohibetur. Eapropter solent plerumque Sacerdotes noctem quae Liturgiam antecedit in Ecclesia transigere, magnamque ejus partem orationibus impendere. Sacerdos pedes et manus lavare debet: jejunasse etiam die praecedenti, et ad vesperam abstinuisse a vino et potu omni, quo caput tentari posset, atque haec praecipua praecepta sunt, quantum ad exteriorem munditiam. Postea debet examen instituere intra se ipsum, num alicujus peccati reus sit, quo non solum a celebratione Eucharistiae, sed etiam ab ejus communione arceretur: num alicui injuriam aut damnum fecerit, ut statim proximo satisfaciat, juxta illud Christi praeceptum, *si offers munus tuum ad altare, etc. vade prius reconciliari fratri tuo.* Haec fusius Gabriel Patriarcha, Scientia Ecclesiastica, Canonesque varii repraesentant ex communi non modo Orientalibus Christianis omnibus, sed Graecis etiam, disciplina, a quibus illam acceperunt.

Sacerdos confiteri debet.

Euchol. p. 58. 109.

In recentioribus istorum libris qui modum et leges celebrationis Eucharistiae continent praescribitur ut Sacerdos Exomologesin faciat, scilicet ex posteriorum temporum consuetudine, quia antiquitus privata illa apud *πνευματικὸν* seu Confessorem poenitentia locum non habebat. Eadem quoque lex primitus apud Orientales fuit, donec mutata multis de causis, praesertim ex Graecorum exemplo, aliam poenitentialis disciplinae formam accepit. Contigit id ante annum millesimum, ex quo rarissima sunt depositionis Sacerdotum exempla, ob secretum crimen, sed tantum ob publicum aliquod, idque gravissimum. Apud Syros Jacobitas, cum Franci in Palaestina regnarent, novam de Sacerdotum poenitentia regulam viguisse, discimus ex Tractatu de recipiendis poenitentibus, Dionysii Barsalibi Metropolitae Amideni, qui tunc magna apud eos doctrinae fama florebat. Ea porro fuit ut ad privatam confessionem et poenitentiam Sacerdotes et alii ex Clero admitterentur, ita tamen *ut duplicaretur ipsis Canon*, sive poena canonica, quod in hunc modum fieri praescribitur. Laïcus peccatum commisit, cujus poena est jejunium per tres quadragesimas, aut per annum: eleemosyna tot aureorum: metanoeae per certos dies centum: si Sacerdos de eodem crimine se accuset apud Poeni-

Tract. de recip. poenit. MS. Syr.

tentiarium, imponentur illi sex quadragesimarum, vel biennii jejunia: duplex eleemosyna: metanoeae, seu prostrationes corporis, ducentae, et sic de reliquis: atque interea abstinebit ab altaris ministerio. Itaque apud Syros Jacobitas nihil praescriptum legitur de frequenti confessione ante celebrandam vel suscipiendam Eucharistiam, nisi quod singulis annis, saltem semel, quisque confiteri debet. Apud Coptitas, de quorum disciplina tractatur, alia omnino ratio est. Cum enim per annos ferme ducentos duodecimo et decimo tertio saeculo Confessio peccatorum non modo omitteretur, sed etiam per nefariorum Patriarcharum audaciam sublata esset, tandem more antiquo restituto, Confessio tantopere commendari coepit, ut quotidiana prope fieret, omnesque pietatis studiosi eam assidue frequentarent, nec auderent, licet lethalium peccatorum immunes, ad communionem nisi praevia Confessione accedere. Ita praecipiunt Michael Antiochenus in Tractatu de praeparatione ad Eucharistiam: Paraenesis antiqua ad poenitentiam Chrysostomi nomine: Ebnassalus, Abulbircat, et praesertim Homiliae in Evangelia et Epistolas de circulo anni, in Ecclesia Coptica legi solitae. Ea igitur postmodum consuetudo apud Coptitas quoque recepta est, ut etiam de venialibus et quotidianis offensis Sacerdotes confiterentur: legem tamen confitendi nullam vidimus.

Ornamenta ad Liturgiam celebrandam.

Proxima deinde cura est ut ornamenta accipiat ordini suo convenientia: ita Rituales libri: Scientia Ecclesiastica: Canones varii absque autorum nomine: Epitome doctrinae Ecclesiasticae ex sententiis Patrum. Gabriel filius Tarich Patriarcha Alexandrinus in Constitutionibus §. 24. *Nullus e Clero ad oblationes inferendas, aut ad ministerium altaris accedat cum illis vestibus quibus amictus in publicum prodire solet: sed induet vestes Liturgiae proprias, et ad hoc officium singulariter destinatas, et tunc sacris operabitur: neque hanc regulam transgredietur.* Ita quoque Ebnassalus, Echmimensis et alii Canonum Interpretes. Nec praecipitur tantum Clericis ut non accedant ad Ministerium altaris absque ornatu, qui singulis convenit juxta ordinis sui dignitatem, sed ne aliter accedant ad preces publicas, aut ad suscipiendam communionem. Epitome ex sententiis Patrum. *Non licet Sacerdotem orare, aut communionem accipere nisi vestitum χιτωνίῳ. Aliter res indecora esset, et contra fidei sanctae Canonem.* Idem praecipit Cyrillus filius Laklaki Patr. Alexandrinus Constitutionum suarum, cap. 34°. *Non accedet Sacerdos ad communionem suscipiendam, super gradus altaris, nisi vestitus Sticbario: qui illud non habet, communicabit extra altare.* In Collectione Ebnassali, cap. 12°. refertur Canon tanquam Basilii magni in haec verba. *Vestes quibus utendum est ad sacra facienda, albi coloris esse oportet, non alterius, et quae Sacerdotibus conveniant. Christus enim cum transfiguratus est, vestimenta habuit lucis instar candida.* Idem praescribitur in Canonibus quos Imperiales vocant: *ut vestes Sacerdotales talares sint, candidae, non coloratae, utque adserventur in loco ministeriis Ecclesiasticis destinato, aut in Ecclesiae repositorio: neque extra haec loca relinquantur, neque etiam ab ullo intra altare vestiantur.*

Sacerdotales vestes.

Sacerdotalia vestimenta enumerat Gabriel Patriarcha in Rituali. Sunt autem Vestis longa sericea: Epomis, sive amiculum e serico candido; Stola,

cingulum, manicae, et pallium seu cappa e serico candido. Abusebah in Tractatu de Scientia Ecclesiastica, cap. 61. *Vestimenta Sacerdotalia sunt septem, juxta numerum ordinum Ecclesiae.* 1°. *Vestis longa sive tunica.* 2°. *Epomis sive amiculum, instar Aaronis Sacerdotis, quem Deus in tabernaculo legali, superhumerali amictum esse jussit.* 3°. *Zona qua Sacerdos medius praecingitur.* 4°. et 5°. *Manicae quibus Sacerdotis manus ad suscipienda sacra mysteria muniuntur.* 6°. *Ἐπιτραχήλιον sive stola quam ex collo suo Sacerdos appendit.* 7°. *Camisia, sive Alba, quae, si fuerit Episcopus, limbo ad summum pretioso praetexetur, secus eo carebit. Induet autem Sacerdos vestes antequam ad altare accedat: si fuerit Episcopus, eo tantum tempore induetur, quo oblationem inferet, ante Absolutionem, ut ita aliquod discrimen intercedat ratione dignitatis, inter Episcopos et Sacerdotes.* Partes omnes illas rei vestiariae Ecclesiasticae accurate explicare non admodum facile est: nam voces quibus designantur singulae, vix Lexicographi intelligunt.

Prima quam Abusebah vocat *Jabat,* hoc est longa talarisque vestis, a Gabriele Patriarcha *Touniat* appellatur, estque proprie Graecorum *χιτώνιον,* vel potius *στιχάριον* ut recte eam vocat Cyrillus Patriarcha in testimonio superius adducto. Est enim prima vestis quae non solum Episcopis et Sacerdotibus, sed Diaconis et Hypodiaconis communis est; strictior scilicet tunica, eaque alba, ut Germanus Constantinopolitanus in Theoria, Cabasilas, Symeon Thessalonicensis et alii observant, quorum et aliorum multorum testimonia collecta reperiuntur in Glossario Graeco-Barbaro clarissimi Caroli Cangii. גבה תוניה Vestis talaris, seu *στιχάριον.*

Secunda Arabice vocatur *Tilsan,* cui in Glossariis Copticis respondet *ἐπωμίς,* sed corrupte scripta *ταπομίς,* in aliquibus *πιλόγιον,* hoc est *Rationale;* at hic intelligi debet vestis aut ornamentum humeris imponi solitum, ita ut sit Superhumerali, quam Rationali similius. Sed explicari posse non incommode videtur per *Φαινώλιον;* vestis autem est talaris absque manicis, et totum corpus ambiens, ita ut Latinorum antiquae Casulae omnino respondeat; ut recte Cangio observatum. Et apud Arabes vox quae hoc loco usurpatur togam quamdam hujus generis Religiosis propriam significat, ex Camusio. טילסאן

Zona satis intelligitur, quae praeter communem usum, quo ab omni retro antiquitate commendatur, multisque mysticis significationibus exornatur apud autores Ecclesiasticos, qui de sacris Officiis scripserunt, habet inter Christianos Orientales singularem commendationem, ex ratione quae illis propria est, ex quo sub Muhamedanorum imperio vivunt. Nam Califae nonnulli, et alii Principes praesertim in Aegypto, multa statuerunt, ut Christiani notis exterioribus a Muhamedanis distinguerentur, tum colore vestium, cogebantur enim pullas tantum induere: tum maxime, quia zona super togam exteriorem praecingi eos oportebat. Id severissime ab ipsis exactum est ab Hakemo Califa Aegypti Fatimida, et a Salaheddino Yubidarum Sultanorum primo: quae distinctio cum aliquam ignominiam conjunctam habere videretur, gravissima Christianis judicabatur. Si quis apud Principes gratia et autoritate polleret, ea utebatur, ut immunitatem Zonae ferendae obtineret. Istud vero Zona. *Hist. Patr. Alex. p. 293. 390. 426. 450. 540.*

inter Muhamedanos Christianosque ex habitu discrimen Episcopos non magnopere commovebat, cum inde minus periculum commercii familiaris cum Infidelibus esset, quod saepe Christianis et fraudi et exitio erat. Itaque ad istorum consolationem multa in Homiliis, tractatibusque spiritualibus dicta sunt ad Zonae dignitatem commendandam, ex Scripturis, Basilii Regulis fusius disputatis, et aliis Asceticis. Tum quasi lex constituta, quam refert Ebnassalus in Principiis fidei, ut ad orationem rite faciendam Christiani Zona praecincti accederent: quod etiam exposuit Severus Episcopus Aschmoninae, in Tractatu de exercitiis Christianorum. In alio Opusculo de Agno Paschali *Sacerdotes,* inquit, *fideles, calceos in pedibus habent, dum consecrant corpus Christi, signum externum rei internae: sicut etiam quod Zonis praecinguntur, signum est praecinctionis interioris.* Quia vero prae caeteris Orientalibus Aegyptii Zona ab aliis distinguebantur, idcirco a nonnullis aevi sequioris autoribus *Christiani praecincturae*, aut *de cingulo* appellati sunt: cujus denominationis causa non satis intellecta, nugacissimis multis interpretationibus occasionem dedit.

Reg. fus. Disp. c. 22.

Manicae.
Euchol. p. 111.

Quarto et quinto loco Manicae numerantur, qui sunt, ut existimare possumus, Graecorum *Ἐπιμανίκια*, quae, ut notat Goarius ad Liturgiam Chrysostomi, soluta gerunt, et fune sericeo per illorum oras transversim acto, brachiis strictius alligant: Ea tamen *Ἐπιμανίκια* quamvis aliam formam habeant, similitudinem referunt manipulorum Ritus Romani. At quemadmodum Manicae a Coptitis describuntur, alia fortassis earum figura est, sed de qua nihil certi nobis occurrit dicendum.

Stola seu *Ἐπιτραχήλιον.*
בטרשיל

Sexto loco Stola est quam et nomen ipsum et autoris mox relata verba e collo appendi docent, cujus quidem ex Graecae linguae ignorantia mirificam interpretationem dedit Abusebah: ait enim *Bitarchil,* significare *petram* et *mille,* ex qua illud solum colligitur, quod ea voce Coptitae *Ἐπιτραχήλιον* intelligant. In Nomenclatore Coptico respondet Arabicae isti alia vox Graeca *Σχόρδιον*, cujus tamen nullus est usus in rebus Liturgicis. De *Ἐπιτραχηλίῳ* multa erudite congessit autor Glossarii.

אלברנס
Albornoz seu Casula.
קסלה

Tandem ultimo loco numeratur *Albornos*, seu, ut Coptitae eam vocem Arabicam intelligunt, *Καμάσιον*; quae quidem vox in quibusdam locis respondet *Camisiae* seu Albae Latinorum: sed non hoc loco. Nam intelligenda potius est vestis quaedam antiquae casulae respondens, quae caeteris superimponatur et totum corpus circumdet. In summo, (limbum habet auro, aut alio opere phrygionico praetextum, *τχοχλια* dictum Coptitis; *Kaslet* Arabice dicitur) ut habent quoque Graecorum sacrae vestes de quibus consulendus Goarius qui eas accurate descripsit. Pleraeque sunt, ut diximus, sericeae: at ex modestia et simplicitate multi Monachi et Sacerdotes ex Kahira, teste Abulbircat, vestem illam superiorem laneam habebant, albi coloris absque limbo, aut serico praetexto, qualem Cartusiani ad altare usurpant, in ministerio Diaconico. Erat quoque consuetudo apud Monachos S. Macarii, ut ultima

illa veste *Albornos,* seu Camasio non uterentur in ministerio Liturgico, sed tantum in precibus publicis, ex disciplina peculiari; cujus imaginem observare licet apud nostros quosdam Religiosos. Illarum vestium sacras significationes explicant passim autores, eodem prope modo ac Graeci suas. De illis Echmimensis ex Canonibus Athanasio, Basilioque tributis, tum ex quibusdam Apostolicis. In illis porro et aliis testimoniis non exigua est nominum Arabicorum permutatio, quia vix ullo satis exprimitur, Copticum aut Graecum, cui respondeant. Sed in istis diutius immorari non videtur operae pretium, cum antiqua forma ex autorum descriptionibus non satis intelligi possit: recentior paulum immutata ab oculatis potius testibus, quam ex libris petenda sit. Omnia autem indumenta illa sacra Graecis potissimum respondent. Nam illud quod postremo loco explicatum est, proprie respondet *Φαινολίῳ* seu *Φελονίῳ*, quam vocem exponit Glossarium; ipsam vestis sacrae figuram repraesentat Goarius; estque Casula antiqua seu planeta Latinorum. Prima vestis quae Albae nostrae respondet, est proprie loquendo *Στιχάριον*, quam vocem Arabes Christiani servaverunt, et eam Echmimensis per *Kamis,* sive *Camisiam* explicat loco citato. Manicae sive *Ἐπιμανίκια* vinculis sericeis alligantur, ad significanda vincula quibus Christus ligatus est, unde apparet eas ad Graecorum formam factas. *Tilsan* sive Epomis amiculum est, ut diximus, adjunctum habens capucium, ut ait Echmimensis. Stola collo circumponitur, atque in crucis formam circa humeros decussatur, ut repraesentat eam figura apud Goarium. Mentio fit praeterea Cidaris quam Sacerdos imponit capiti, et quae cruciculis ornata est, apud eumdem Echmimensem. Omnes autem illae vestes, quantum ferre potest Ecclesiarum facultas, pretiosae fuerunt olim, et sunt etiamnum. Servantur magna cura, neque extra Ecclesiam aut Secretarium transferri debent, juxta antiquos et saepe renovatos Canones, qui Apostolis, antiquisque Patribus tribuuntur. Benedictione Episcopali consecrantur, ut omnia quae ad sacrum ministerium pertinent. Si ab haereticis, hoc est diversae communionis hominibus usurpatae fuerint Sacerdotales vestes, eas profanas existimant, et expiant certis orationibus vel flammis absumunt. Ita in Vita Chailis Patriarchae Alexandrini LVI. legitur, Jacobitas a Sultano obtinuisse, *ut sex Episcoporum Melchitarum vestes Sacerdotales igni traderentur.* Inter Episcopales et Sacerdotales ad celebrandam Liturgiam exigua differentia est, et in ipsa forma exteriori prope nulla: distinguuntur circulis, limbis, et crucibus ut apud Graecos.

Cap. 10. §. 5.

Mitte mihi virtutem ex alto, etc.

Pag. 1. l. 13.

In Codice qui rubricas omnes habet juxta recensionem Gabrielis Patriarchae, notatur, Sacerdotem cum ad haec verba pervenerit, vasa sacra in altari disponere: Discum primo, postquam manu leviter detersit, suo loco constituere, simulque linteolum quod purificatorio nostro respondet: deinde calicem in ea parte quae *Karsi* sive solium dicitur, cochlearque similiter.

P. 1. lin. 22.

Oratio postquam praeparatum fuerit altare.

Altaria apud Orientales omnes Christianos vocantur sacrae mensae in quibus Deo sacrificium incruentum offertur. Coptitae voce Graeca Ἱλαστήριον vocant, quamvis in hac Liturgia utantur voce Aegyptiaca antiqua *Pimanerschoouschi,* quae in Pentateuchi, Evangeliorum, Psalmorumque versionibus respondet Hebraeorum מזבח et Graecorum Θυσιαστηρίῳ. Neque mirum esse debet, uti illos voce quae sacrificio conveniat, cum verum propriumque novae legis sacrificium multis locis Liturgiae, Eucharistiae celebrationem appellent. Vocant etiam quandoque *Mensam Sacerdotalem* aut sacram τράπεζα ἱερατική, *mensam sacram, spiritualem*, ut pariter omnes qui altera voce utuntur.

De Altaribus. Altaria ut apud veteres Christianos lignea fuerunt, quod primis Ecclesiae saeculis solida ob persecutiones continuas habere vix licebat, ita cum Christiani libertatem nacti sunt, fuere duplicis generis: nam in Basilicis majoribus solida fuisse, ex marmore, ex lapide alio, ex argento, certissime demon-

Rer. Liturg. l. 1. c. 20. stratur. Videnda quae de illis erudite scripsit Cardinalis Bona. Ut autem Romae, Constantinopoli, in Africa, in Syria, in Ecclesiis insignibus solidi operis altaria fuerunt, ita quoque Alexandriae fuisse non est dubitandum, in tot magnificis Ecclesiis, quarum celebris in historia memoria est. Quia vero Orientalibus sub Muhamedana dominatione constitutis saepe accidit, ut Ecclesiis ejicerentur, easque infideles in suae superstitionis templa converterent, altariaque profanarent, dum in congregatos Christianos impetus fieret, consuetudo a multis saeculis invaluit, ut tabulas solas sive mensas haberent, quibus insternebatur mappa benedictionibus Episcopalibus consecrata, aut tabula ad altaris ipsius longitudinem, aut tandem altaria, ut apud autores nostros vocantur, portatilia: laminae scilicet aut segmenta ex marmore, quae facile afferri, et removeri possent, ut si Infideles synaxin subito conturbarent, facili negotio subtrahi possent. Ita non modo Graecorum, sed etiam Latinorum disciplinae de sacris altaribus convenire deprehenditur Orientalis disciplina. Ut enim solida vulgo apud nos altaria sunt, multa tamen in Capellis ex tabula lapidea ligneae inserta fiunt, sunt quoque portatilia multa, ita quoque

Vid. Alvarez. descriptionem Ecclesiarum S. Salvatoris, etc. apud Orientales observatur. Nam in antiquis Ecclesiis Aegypti, ut ad S. Macarium in Deserto Scetis, in Maraeotide et aliis, ut etiam in ipsa Aethiopia, quae multis saeculis tota Christiana fuit, reperiuntur altaria ex solido lapide. Jam vero consecrantur tabulae et mappae: et utrisque communis est consecratio eadem, quae non ab alio fieri potest, quam ab Episcopo. Illius ritus sacri Ordo extat tam in Rituali Gabrielis Patriarchae, quam apud Abulbircat et alios, ita ferente communi Orientalium omnium Ecclesiarum disciplina, ut nullo in altari Liturgia celebrari legitime queat, quin prius consecratum fuerit ab Episcopo, multis orationibus, unctionibusque ex chrismate seu myro in modum crucis, atque hoc Officium vocatur *consecrationis altaris,* quod non modo celebratur ad altaris lapidei, sed ex tabulis facti consecra-

tionem. Praeter illam habent etiam singularem benedictionem mapparum quae altari insternuntur, respondentque Graecorum Ἀντιμινσίοις.

Antimensia. Quaecumque de illis observari possunt ex Responsis Manuelis Charitopuli, Balsamone et aliis autoribus accurate collecta sunt in Glossario: ex L. 3. Jur. Orient. quibus intelligitur Ἀντιμίνσια esse segmenta panni, vel mappae, quae sacrae mensae insternitur in die Encoeniorum Ecclesiae, quae precibus et ritu Ecclesiastico consecrata in varias partes discinditur, et quae altarium ut Latini vocant portatilium vicem praestant, adeo ut in Oratoriorum aut aliarum aedium sacrarum mensis non consecratis, absque ejusmodi Antimensiis, sacras Liturgias peragere non liceat. Est igitur inter Graecos et Orientales hoc discrimen, quod tabulae consecratae apud istos Antimensiorum rationem habeant, quodque etiam in altaribus consecratis eas tabulas ut plurimum adhibere soleant: communis vero utrisque consuetudo est, quod in locis aut altaribus non consecratis absque tabula vel Antimensio consecrare Eucharistiam nefas existiment. Eadem est Syrorum Jacobitarum disciplina, quam in Nomocanone suo explicat Abulfaragius, et in qua singulare quiddam observatur. Nam tabulae aut antimensii defectu dicunt, *Sumendum esse folium ex Evangelio, in eorum vicem, et supra collocandum discum et calicem: tum in loco deserto necessitate urgentè manibus Diaconorum uti posse Sacerdotem altaris vice,* quod in Philotheo factum a se Theodoretus observat, in gratiam senis sanctissimi, qui per annos multos in cella reclusus, sacra, mysteria celebrata non viderat. Citantur eodem loco Constitutiones Ecclesiae Antiochenae et Cyriaci Patriarchae, secundum quas praecipitur, *ut Sacerdos non celebret absque tabula consecrata ab Episcopo, quae altari imponatur, quae si fracta fuerit, debet defodi in loco sacro*, tanta est inter Orientales Christianos altarium veneratio. In iisdem praecipitur quoque *ut reliquiae martyrum in altaribus deponantur.* Cap. 1. n. 7. Haec omnia accurate exponuntur in praedicto Nomocanone, et apud Echmimensem, Ebnassalum, aliosque Canonum collectores aut interpretes, ex quibus liquido apparet, omnem honorem quem Ecclesia ab initio sacris altaribus tribuit, adeo ut illa nunquam per haereticos violari aut destrui sine horrore viderit, ut notissima Optati testimonia demonstrant, etiam Orientales iisdem deferre.

Altaria saepius unica. Ut id etiam moneamus, altaria in Ecclesiis Orientalibus, ut plurimum, unica sunt, ex veteri consuetudine, quamvis ut jam a multis saeculis, praeter majus, quaedam minora habeant in Παρεκκλησίαις seu ut eas vulgo appellamus *Capellis.* Majus autem eam fere habet formam quam apud Graecos, nempe ut sit in superiori parte Ecclesiae versum ad Orientem, et in Chori meditullio. Ambitus autem sive septum, in quo altare collocatum est, a Graecis Ἱερατεῖον seu sanctuarium appellatur, quam vocem ut multas alias Coptitae retinuerunt, sed corruptam, nam Arabice scribunt *Aradion.* Complectitur proprie loquendo omnem illam sanctuarii partem, in qua Sacerdotes et alii Ecclesiastici consistunt, nam illius aditu plebi prorsus interdicitur. In ea parte locus altaris, qui gradibus aliquot sublimis est, Βῆμα appellatur, ut apud Graecos; Arabice *Heikel* quasi templum ex Hebraeo, sed ita ut ea vox היכל

non pro toto templo, sed sanctuario usurpetur. Quae de istis sacrorum aedificiorum partibus fusius dici possent, reperiuntur in Notis Goarii ad Euchologium cum ichnographia Graecae Ecclesiae, cui aliae in Oriente similes sunt. Videndum quoque Glossarium in voce *Βῆμα* et aliis, ut Constantinopolis Christiana, et Allatius de Templis Graecorum. Quae vero postea Guillelmus Beveregius in notis suis ad Canones, Ludolfus in Commentario historiae suae Aethiopicae, et alii de hoc argumento scripserunt, ab illis quos antea laudavimus desumta sunt; et si quando quidquam addidere de suo, plerumque suspectissima sunt, aut ad eruditionis specimen comparata. Cum autem insignes olim Ecclesiae multae in Aegypto essent, jam omnino paucae supersunt, in quibus primaevae antiquitatis obscura vestigia agnosci possint. Cum enim capta saepius et vastata Alexandria fuerit, etiam ex quo ab Arabibus occupata est, jamque urbs ea quae superest, antiquae potius cadaver, quam illa ipsa censenda sit, nihil ex antiquis Christianis aedificiis residuum est, unde conjectura de Ecclesiarum aut altarium forma capi queat; nihilque vero propius, quam ut illorum forma ex Graecarum lineamentis intelligatur; eadem enim erat utrarumque dispositio.

Euchol. p. 13.

Altaris ornatus.

Igitur Sacerdos cum ad altare Sacra facturus accedit, dicturusque Orationem quae praeparationis appellatur: tunc paramenta imponuntur. Ad eam enim Liturgiae partem haec caeremonia pertinet, variantque hoc loco rubricae, cum aliae habeant *postquam ornatum fuerit altare:* aliae *postquam praeparata fuerint altaris ornamenta,* quod idem est: tunc enim nec antea ornatur altare, nempe mappa nigra quae tabulae altaris proxima est, tegitur alia longissima, quae totam sacram mensam operit: collocantur cruces, reliquiae, cerei, et omnia tandem quae ad fungendum sacrum ministerium attinent, afferuntur e secretario per Diaconos, et coram Sacerdote celebraturo collocantur. Ea enim est disciplina totius Orientis, ut altare extra horam sacrificii nudum sit vasis et omnibus ornamentis, quae afferri et auferri solent. Gabriel filius Tarich in Constitutionibus Synodicis. *Non celebrabitur Liturgia, nisi postquam altare opertum fuerit operimento alio, quam quod illud tegit,* ordinario scilicet et tabulae proximo, quod Graeci *κατάσαρκα* vocant. *Finita Liturgia aufertur illud tegumentum et ita complicabitur, ut linteum ipsi adjunctum non separetur. Cum omnia quae ad Liturgiam necessaria sunt Sacerdos collocata ante se viderit, dicet Orationem praeparationis, qua finita, illa disponet, mappamque evolvet et explicabit.* Ritualis liber de rebus in Liturgia observandis. *Non tanget quidquam ex vasis, aut ornamentis altaris, sed ea coram ipso disponentur operimentis suis nudata: manusque expansas tenebit, donec dixerit orationem.* Autor scientiae Ecclesiasticae. *Sacerdos operimentum altaris super eo collocabit coram se, et extendens manus suas, dicet orationem operiendi altaris primam: nondum tamen illud operiet: mentem colliget, manusque extensas tenebit usque ad finem orationis primae, qua finita, teget altare; cumque Sanctuarii ornatus absolutus fuerit, omnia instrumenta suo loco et ordine disponet, tum dicet orationem secundam.* His verbis intelligi debet secunda periodus hujus ipsius Orationis quae incipit ab eo

loco. *Deus gratiae largitor, etc.* neque enim alia oratio praeparationis occurrit in Codice Scaligerano, quem Maronita secutus est, nec in nostro, nec in Regiis tum antiquis tum recentioribus. Observari quoque oportet et in ista, et in aliis orationibus vertendis, non temere nos ab interprete Maronita recessisse, qui quod Arabica sola haberet prae oculis, saepe voces minus proprias adhibuit: ut cum vertit *exequamur hoc munus,* cum sit in originali *Διακονία* quae proprie ministerium Liturgicum significat. *Hostiam benedictionis τοῦ θυσιασμοῦ. Sacrificium,* et ita semper: nam hostia non est sacrificium. Male etiam prorsus in fine doxologiae vertit, *et Spiritu sancto vivificante, qui aequalis est tibi:* nam hic et alibi Coptitae semper adhibent τὸ ὁμοούσιον νομοούσιος νεμμαχ, *consubstantiali tecum,* cum sensus, *aequalis* et *consubstantialis* sint magnopere diversi. Illud vero a multis aliis interpretibus peccatum admissum est, dum verborum Syrorum et Arabicorum originem magis quam sententiam attenderunt.

Oratio Gratiarum Actionis.

P. 2. l. 9.

Oratio Gratiarum actionis.

JAM incipiunt orationes, quarum prima, secundum Canonem ex Didascalia seu Constitutionibus Apostolicis Ebnassalo relatum, haec est. *Incipiet,* inquit, *Sacerdos celebrans ab oratione Gratiarum actionis, quam postmodum sequetur sacrae Scripturae interpretatio.* Ita vocatur haec oratio, ob prima ipsius verba. Gravissime autem erravit Maronita, dum vertit *Orationem ad cingulum* nullo sensu: nam Coptica et Arabica vox nihil minus significant: et ut ex antea observatis manifestum est, Sacerdos vestimenta jam accepit, atque adeo cingulum, quando hanc orationem pronunciat. Adjunxit eo loco et aliis ad marginem Graeca quaedam ut ὁ Ἱερεύς, ὁ Λαός, etc. προσεύξασθε quae formulae nisi explicentur, quo pertineant in obscuro est. Primae quidem nihil aliud sunt quam ex antiqua lingua quae Graeca fuit, indicatio earum partium quae a Sacerdote, Diacono, populo dicendae erant. Secundarum alia ratio est: nam hortationes sunt et commonitiones Diaconi ad populum ut oret, designata simul causa. Cum vero ex communi illius linguae apud Alexandrinos usu haec pauca verba quae quotidie in Ecclesiis audiebantur omnes intelligerent, conservata fuerunt etiam in Coptica Liturgia: praecipue celeberrimae illae de quibus infra dicetur. Atque vel ex hoc unico argumento demonstratur origo Graeca Copticorum rituum, etiam si multae aliae illius originis probationes non suppeterent. Statim igitur post primam istius Orationis periodum, Diaconus dicit *Προσεύξασθε Orate,* et ut in aliis codicibus *Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε: ad Orientem adspicite.* Is enim antiquissimus Christianorum mos est, multis Liturgiae locis confirmatus, et de quo, praeter infinita antiquorum testimonia Graecorum et Latinorum, extant multa apud Severum Opusculo de Exercitiis Christianorum, Ebnassalum de Oratione, Abulbircat; Autorem scientiae Ecclesiasticae: anonymos varios et Nestorianum Amrum Mathaei filium.

Pag. 3. l. 1.

Oratio Oblationis, etc.

Titulus hujus Orationis varie se habet in optimis codicibus. In quibusdam Bibliothecae regiae *Εὐχὴ ·ντεπροθέσεως*: in aliis *Εὐχὴ ·ντεπροοιμιον*, in nostro *Πρόθεσις*, quae tres diversae lectiones totidem sensus diversos efficiunt: quartum versio Arabica, quae significat *Oblationem*, si Maronitae credimus: melius tamen *illationem* oblatae consecrandae, et calicis. Primus sensus est ut verba pure Graeca significant, *Oratio propositionis;* sive *protheseos,* nam utramque significationem ea vox habere potest: secundus *Oratio prooemii:* tertius nostri Codicis *Oratio super prothesin.* Arabes ut multa alia *Πρόθεσιν* intellexerunt grammatice, potius quam Liturgice, ita ut *propositionem* seu *illationem munerum* consecrandorum significare voluerint, quam etiam designat Rubrica Codicis Regii alterius Coptica, in quo legitur *Οὐ εὐχὴ ·ντε πρόθεσις ·ντε πιωικ*, *Oratio propositionis panis,* Sed hae lectiones diversae conciliari possunt. Prima quae est *Oratio prooemii,* etsi deterior reliquis, stare tamen potest, quia haec oratio praeparatoria quodammodo est, ad oblationem munerum: tum quod inter diversas preces Ecclesiasticas numerantur etiam *Prooemia* in Collectione Canonum Africanorum, ut apud nos *Praefationes,* sed diverso tamen sensu. Nam apud Latinos proprie intelliguntur Orationes illae solennes, quae paulo ante Canonem recitantur, et in hymno Cherubico desinunt. Syris et Aegyptiis, ut apparet tum ex isto loco, tum ex Syriaca Jacobi Liturgia, *Proumion*, ut efferunt, aliter intelligitur, nempe pro quadam Oratione, ut saepe occurrit in Liturgiis Syris, *Prooemium ad Deiparam.* Itaque Aegyptii ex voce prooemii quam in quibusdam codicibus repererunt, Arabicam deduxerunt, quae et *oblationem* et *illationem munerum,* et *Πρόθεσιν* significare ex suae originis natura aequaliter posset, ut facilius intelligetur ex ipsius ritus in quo versamur explicatione.

Collect. Afric. n. 103.

Ritus in quo consistat.

Is est, ut Sacerdos panem Eucharisticum et calicem deferat ex *Prothesi* sive *Credentia*, ut vulgo appellatur. Est autem in Graeco ritu *Prothesis,* pars illa ad dextram *Bematis* sita, in qua Missam auspicaturus Sacerdos, quae ad sacrificium peragendum necessaria sunt disponit ac praeparat, sacrasque vestes induit, indeque ad altare solenni quodam ritu procedit. Ita paucis rem optime explicavit Carolus Cangius, atque ita autores antiqui, Germanus Constantinopolitanus et alii, quorum testimoniis utitur: inter recentiores, praecipuus hoc in genere Jacobus Goarius. Quod autem processionem ad altare a Prothesi vocare possumus, id Graeci vocant *μεγάλην εἴσοδον*. Ea fit majori apparatu quam *μικρὰ εἴσοδος* in qua Evangelium deferri solet: post lectum Evangelium Sacerdote sacra dona nondum consecrata ad altare deferente, praecedentibus Lectoribus, Diaconis et Sacerdotibus cum cereis: ut idem ait. Cabasilas. *Ὁ δὲ Ἱερεὺς βοῶν τὸν Θεὸν δοξολογῶν, ἔρχεται ἐπὶ τὰ δῶρα καὶ ἀνελόμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς μάλα κοσμίως ἔξεισι, καὶ οὕτως αὐτὰ κομίζων ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον εἰσάγει, περιάγων ἐπιεικῶς δ'*

τῷ ναῷ, σχολῇ καὶ βάδην, καὶ αὐτοὶ ᾄδουσιν καὶ προςπίπτουσιν αὐτῷ σὺν αἰδοῖ πάσῃ καὶ εὐλαβείᾳ, δεόμενοι μνήμης παρ' αὐτοῦ τυχεῖν ἐν τῇ τῶν δώρων προςαγωγῇ, καὶ αὐτὸς χωρεῖ πεμπόμενος ὑπὸ λαμπάσι καὶ θυμιάμασι καὶ οὕτως ἔχων τὸ θυσιαστήριον εἰςέρχεται. Sacerdos magna voce Doxologia ad Deum dicta, venit ad dona sancta, eaque rite super caput attollens progreditur, et ita illa gestans ad altare infert, data opera in Ecclesia lente et sensim per circuitum ambulans: illi autem canunt et procidunt coram eo cum reverentia et honore maximo, rogantes ut in oblatione donorum memoriam sui habeat: Ipse deductus cum lampadibus et odoribus, hunc in modum ad altare ingreditur. Quod igitur circa tempus quo haec oratio dici debet, observatur a Coptitis, simile est Graecorum caeremoniae quae *magnus Introitus* dicitur, eo tantum discrimine, quod isti eam differunt usque ad perfectam Evangelii lectionem, illi praemittunt. De ea a multis scriptum est, tum olim, tum isto saeculo: olim quia jam ex quo Florentiae laboratum est de sancienda inter Graecos et Latinos concordia, a quibusdam ex Latinorum parte Theologis accusati sunt Graeci, quod sacra dona antequam per consecrationem transmutata fuissent in corpus Christi et sanguinem, illis honoribus prosequerentur, qui nudis elementis convenire non poterant. Alii negabant dona se ante consecrationem adorare, sed venerari: non ut corpus Christi, cui verus *λατρείας* cultus debebatur: neque honorare tantum ut sacras imagines, sed anticipata quadam veneratione prosequi, tanquam transmutanda mox in Christi carnem et sanguinem. Alterius vero saeculi initio Apologiam illius ritus edidit Venetiis Gabriel Severus Philadelphiae Metropolita, quae a viro doctissimo ante annos aliquot Graece et Latine iterum edita est, cum notis fusissimis. Qui plura volet praeter Germani Constantinopolitani de hoc argumento expositionem, legat Simeonem Thessalonicensem lib. de Templo et de sacris Ordinationibus cap. 3. Allatium de Missa praesanctificatorum num. 7. Goarium in Notis ad Euchologium et Glossarium, ubi multa praeterea de illo ritu observata sunt; qui quantum ad Graecos attinet satis explicatus est. Cum vero doctissimi illi viri scripserint quando Orientalis disciplina, Liturgica praesertim, in magna obscuritate jaceret, quid apud Syros, Coptitas aut alios circa hanc ejus partem servaretur, nondum satis expositum est. *P. 120. 121.*

Ritus ille communis est Aegyptiis. Editor Opusculorum Gabrielis cum illam exponeret: de Ruthenis quidem ex Alexandro Guagnino et aliis, de Aethiopibus ex Alvarezio constare docuit eos simile quiddam habere suis in Liturgiis; de aliis Christianis nemo quod sciam, tale quidquam memoriae prodidit. Verum ex autoribus certissimis quorum mox a nobis testimonia proferentur discimus, Coptitas eadem veneratione dona sacra, antequam perfecta consecratio fit, prosequi, quod paucis est ostendendum. Autor Scientiae Ecclesiasticae. *Post ea quae superius dicta sunt, Sacerdos progredietur ad altare parvum prothesis*, (utitur autor voce Arabica *Takaddamet* quae eadem usurpatur in istius orationis titulo, propositionemque significat, atque adeo *Πρόθεσιν*) *ex quo accipiet Agnum,* hoc est panem Eucharisticum, *quem attente dispiciet ne forte fissus sit: fissura autem* תקדמה

vitium est: et scriptura praecipit ut agnus sit absque vitio. Oblata porro, sive Eucharistia, est agnus anniculus in veteri lege praeceptus, in quo vitium esse nullum debet; et fissura vitium est. Si ergo oblata fuerit fissa, aut fracta, non licet eam offerre legitime, et quando tota fissa fuerit, vinumque in acetum ita versum ut plane corruptum sit, illud offerre nequaquam licet. Et paulo post. *Cum sacerdos reperit quaecumque opus sunt ipsi, oblatam, vinum, thus, carbones et omnia vasa et instrumenta sacri ministerii, recteque ut oportet omnia se habere comperit, accipiet oblatam, eamque leviter absterget, sicut Christus Dominus aquis primo abstersus est, antequam Simeoni Sacerdoti traderetur: deinde super manus eam circumferet, sicut eum Simeon in templo circumtulit. Tandem deponet eam Sacerdos et in disco seu patena collocabit; quae praesepe significat, et linteo velo eam involvet, sicut fecit Virgo in ejus nativitate. Discus autem primo praesepium significat, et postremo sepulcrum.* Sed accuratius ritum explicat Gabriel Patriarcha. *His peractis involvit panem Eucharisticum sericeo panno, illumque attollit super caput suum, praecedente Diacono cereum gestante. Similiter alius Diaconus elevatam tenet ampullam vini super caput suum, sericeo velo involutam: et coram eo Diaconus cereum praeferens, circumeuntque altare semel: atque interea aliquot Orationes lingua Coptica recitantur. Circuitu peracto, stat in loco suo facie ad Orientem conversa: Diaconus similiter suo in loco ad Occidentem conversus: Sacerdosque oblatam suam imponit manui sinistrae, eamque simul cum ampulla vini ter cruce signat, Diacono eam velo sericeo involutam tenente.* Eumdem quoque ritum circumeundi altaris cum pane consecrando notat idem Gabriel, in Officio quod celebrari debet ad ἐνϑρονισμὸν novi Episcopi. Ita etiam Abulbircat cap. 19. Ex his testimoniis intelligitur, ritum fuisse, ut Sacerdos ad Prothesin seu altare parvum iret, atque ex eo acciperet Oblatam consecrandam, quam circuitu peracto ad altare deferret, nec sine pompa, cum Diaconi cereos gestare jubeantur. De veneratione quae donis nondum sanctificatis defertur nihil legimus, sed ipsa pompa et processio satis eam designant.

Syris et aliis Orientalibus. Ne quis autem existimet Aegyptiis solis communem hanc cum Graecis esse consuetudinem, testis est Dionysius Barsalibi in Commentario ad Jacobi Liturgiam, idem apud Jacobitas suos observari. *Deferri* enim ait *Sacramenta ab altari parvo in gyrum circa altare majus, ante oblationem sacrificii, quo ritu significari* dicit *Christi in terras descensum totiusque ejus in terris divinae conversationis sive τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας periodum: illationem ad altare, significare elevationem ejus in crucem.* Apud Aethiopes plane ut
Alvar. c. 11. inter Coptitas, idem ritus observatos fuisse, docet ejus descriptio ab Alvarezio, ubi non solum processionem sive circumgestationem oblatae notat, sed adjungit pulsari campanulas, et statim omnes in genua procumbere, qui honor ipse est, quem Graeci sacris muneribus deferunt. Cum vero Aethiopes omnium suorum rituum Liturgicorum autores agnoscant Aegyptios, quin ab ipsis iste derivatus sit, non est dubitandum. Neque quod in Codicibus non adscribuntur minutatim omnia quae observanda sunt, ea idcirco ignorari est

existimandum. Porro quantus honor Sacramentis deferatur, hinc licet existimare, quod non modo postquam consecrata novam dignitatem acceperunt, sed etiam quo momento destinata sunt sacrificio Eucharistico, statim omnes illa speciali quodam cultu, et majori quam est imaginum, prosequuntur. Unde in historia Ecclesiastica Alexandrina eorum ante consecrationem profana conculcatio piaculo grandi accensetur, ut constat exemplo cujusdam Episcopi Saca, qui cum *Δῶρον*, hoc est oblatam jam altari illatam fregisset et conculcasset, depositus est.

Rituum sequentium expositio ex Gabriele.

Ubi vero ad altare rediit Sacerdos, omnia sacra vasa altaris manu tractabit, ut notat Gabriel, *constituetque discum in loco suo: calicem in suo, postquam solium seu partem tabulae altari impositae scrutatus fuerit,* nempe ne moveri aut effundi possit calix in eo collocandus. *Eoque ipso loco λαβίδα, seu cochlear collocabit, mappulas quoque,* sive ea quae dicimus purificatoria lintea. *His peractis absolvet orationem praeparationis et sequentem. Tum osculabitur altare, respicietque ad Occidentem, ut eligat panem Eucharisticum seu Agnum, qui est panis propositionis, quem diligenter expendet, num sit Agnus integer, recens, absque vitio. Et accipiet eum postquam ita expenderit, ejusque aversam partem panno mundo leviter absterget, osculabitur eum, collocabitque ad dextram altaris partem, velo sericeo tectum. Explorabit quoque vinum an recte se habeat, quem in finem aliquis non jejunus, cava manu ex eo gustabit. Vinum quippe si saporem mutat, acetum fit: Oblata si alia non reperiatur ex necessitate offerri potest, modo naturam suam panis non amiserit.* Haec Gabriel, in quibus multa complectitur quae non eodem loco et tempore fiunt: Nam ut ex superius dictis patet, ad Prothesin fiebat experimentum Oblatae et vini: sed cum alia esse potuerit ratio solennissimi caeremoniarum apparatus, et ritus quotidiani in minoribus Ecclesiis, complectitur haec regula quaecumque ab Oratione praeparationis, usque ad collocationem Disci et Calicis in altari, observanda sunt. Jam igitur apparet origo diversarum illarum lectionum, quas initio hujus notae retulimus. Recta et antiqua est quam Cod. Regius et noster exhibent, *Oratio protheseos,* aut *super prothesin;* nempe ad mensam seu altare minus, ut illud vocant, quamvis improprie, cum in ea sacrificium non offeratur. Tunc enim dicitur haec oratio, cum ad eam Sacerdos accedit, offerunturque ipsi a Diaconis panis cum disco, et vinum in ampulla, quae cum illic expenderit, ea quam descripsimus pompa, ad altare deferuntur. Quia vero *Πρόθεσις propositionem* significat, et *illationem;* Arabes interpretes vocem adhibuerunt usui potius quotidiano, cujus testes erant, quam origini Graecae accommodatam, nempe *Illationis* seu Oblationis, quia tunc a Prothesi ad altare procedebat Sacerdos, et dona inferebat. Alia denique lectio quae *Προοίμιον* habet, magis ad Orationis genus, quam ad ipsum ritum referenda est: vere quippe prooemialis quaedam Oratio est, ante eas dicenda quae ad sacrificium proprie pertinere censendae sunt, quae etiam duplicis generis observantur. Nam quae ad consecrationem efficiendam spectant, et in quibus illa praecipue consistit, illae incipiunt ab ea Liturgiae parte quae Praefationem et hymnum

Angelicum *Sanctus*, sequitur: aliae ut illae in quibus versamur *Προπαρασκευαστικαὶ* sunt, et ad consecranda mysteria non nisi per praeparationem pertinent.

P. 3. l. 1.

Panis et calicis.

Oblatae quibus nominibus designentur.

Antequam ad alia progrediamur, observare oportet quae sit Orientalium omnium disciplina circa panem Eucharistiae conficiendae destinatum: in qua tantus honos ipsis elementis consecrandis adhibetur, tanta cura ad illorum praeparationem, ut inde satis intelligatur quae sit illorum de hoc Sacramento fides, neque eos sine summa ratione post consecrationem maximo divinoquè cultu eadem elementa jam mutata prosequi, qui ex futura mox sanctificatione tantum ipsis honorem deferant. Nomina quibus panis Eucharisticus designari solet, varia sunt: Coptitae singulare nullum habent in Liturgiis, sed appellant *dona, munera, oblationem*, utentes Graecis vocibus *Δώρων*, *προςφορᾶς* et si quae sunt aliae. Cum Arabice scribunt, primo simpliciter panem appellant, aut *panem Eucharistiae* sive *Oblationis* et aliquando etiam per קרבאן designant, ac si dicerent *Oblatam* sive *sacrificium*, aut *Eucharistiam*, quae vox eadem prorsus significatione, ab Aegypto in Aethiopiam transiit, ad significandas Oblatas: eas enim *Korban* appellari testatur Alvarezius, et Liturgici libri confirmant. Vocibus quoque Graecis utuntur ad Oblatam significandam, easque Arabice scribunt *Δῶρον*, in vita Michaëlis Patriarchae LXVIII. et *Προςφορά*, sed scribunt צורון צרן אברספורא in versione Arabica Canonis Trullani 28. Utriusque vocis frequentissimum apud Graecos scriptores usum fuisse ostendunt testimonia plurima in Glossario repraesentata. Propria Orientalibus alia sunt plerumque *Μεταφορικά*. Autor Scientiae Ecclesiasticae, Abulbircat, Gabriel Patriarcha, saepe usurpant vocem חמל quae proprie *Agnum* significat, quia panis mutandus est in carnem Agni veri, immaculati. Nestoriani בוכרא appellant *primogenitum:* ad Christi primogeniti omnis creaturae perfectam similitudinem: alii vocant קורבנא *Kourbono*, Oblationem seu sacrificium לחמא דארזא *Panem mysteriorum*, uno sensu omnes, ut aliud nomen habeat ante consecrationem, aliud ea jam peracta.

Panis Eucharisticus qualis esse debeat.

Debet panis Eucharisticus fieri ex simila pura, cujus etiam conficiendae curam Canones quidam anonymi, Sacerdotem habere volunt, adeo ut grana triticea seligat, tum coram se moli, furfuresque secerni curet. Sed haec lex non ubique obtinet: verum quae sequuntur observari accurate huc usque solent. Primo, ut praecipiunt Constitutiones Cyrilli filii Laklaki Patriarchae Alexandrini. *Oportet ut panis Eucharisticus non coquatur alibi quam in furno Ecclesiae, sed neque pinset eum aut coquet femina: qui contra fecerit excommunicetur.* In Codice quem secuti sumus unius puncti discrimen sensum variat, sed absque magna mutatione; scribitur enim קרן quod *cornu* seu *angulum* Ecclesiae: aliter פרן quod *furnum* significat: utrumque verum. Nam coquitur panis in latere Ecclesiae et in quodam secretario, ut de Aethiopi-

bus notat Alvarezius, et ita fieri in plerisque Orientalibus docent Relationes Itinerariae variae, et ab advenis Syris multis didicimus. Furnus quem designant authepsa quaedam est, in qua placentulae in quarum figuram finguntur subjecto igne statim excoquuntur. Sed neque minor olim fuit in Latinis Ecclesiis cura et diligentia, ut panis et vinum ex quibus sacrificium offerebatur, summo studio pararentur, praesertim in Monasteriis. Insigne hujus religiosae disciplinae testimonium continent Consuetudines Cluniacenses. Quoties igitur Liturgia celebranda est, ipso die oblata paratur; nam si praecedenti cocta fuisset, eam ad altare offerre religioni ducerent. Echmimensis in Collectione Canonum cap. 14. *Offerri ad altare debet panis hornus, quemadmodum in postremo Constitutionum capite statuerunt Apostoli. Athanasius etiam cap. 14. ait: non inferetur ad altare panis hesternus, aut fissus: atque ita pariter constituit Basilius.* Id confirmat Canon eorum qui Apostolis tribuuntur 30. in amplissima Coptitarum Collectione, quem citat Abulbircat, tanquam 29. ejusque sententiam ita exprimit. *De Pane Eucharistico, utque oblatio ejus fiat ipsa hora qua coctus est.* Eorumdem Canonum autoritatem appellat Dionysius Barsalibi dum ait: *Statuerunt Apostoli, sicut in Canonibus scriptum est, panem oblationis, eodem die quo coctus est, offerri ad altare.* Ebnassalus cap. 12. *Panis oblationum qui offertur ad altare ipso die coctus sit, non in crastinum reservetur.* Ita observant omnes tam Coptitae quam Syri, Jacobitae, Melchitae, et Nestoriani cujuscumque linguae. Inter alia quae Francis objicit Petrus Melichae Episcopus, tanquam contra regulas Ecclesiasticas et illud reperitur, *quod panem ante plures dies coctum ad altare offerant.*

Itin. Aeth. cap. 11.

Fermentato utuntur Orientales exceptis Armenis.

Omnes autem illi, si Armenos excipimus, fermentato utuntur, ex Graecae Ecclesiae, e qua prodierunt, exemplo. Iidem in Armenis ac in Francis culpant, quod Azymis utantur, qua de re praeter Petrum Melichenum, de quo mox dictum est, multi scripserunt, interque omnes accuratius anonymus quidam Syrus in Codice Colbertino. Sed quia nihil in eo tractatu aut aliis occurrit, quod a Graecis centies dictum non fuerit, et pariter refutatum, illum indicasse sufficit. Major his disputationibus apud ignaram Sacerdotum Orientalium plebem, autoritas adjungitur, ex sententiis aliquot Basilii et Joannis Chrysostomi adversus Judaeos, quas interpolatas, et tanquam adversus Azymorum usum pronunciatas, Canones appellant. Sed in illis de Azymo quaestionibus non videtur immorandum, cum illae proprie ad Graecos pertineant. Armeni dudum accusantur, quod a communi eorum usu recesserunt, tum quod aquam vino non admiscent: qua de re quantum ad antiquos spectat, praeter Niconem, Theorianum et quosdam alios eruditis notissimos, ex ineditis quibusdam Graecis, intelligimus singularem hanc disciplinam Armenorum ab Orthodoxis vexatam fuisse, tanquam ex Monophysitarum haeresi natam, quo in judicio illos magnopere falli certum est. Nam Petrus Melichae, et alii anonymi, Jacobitae erant, atque adeo ejusdem cum Armenis sectae, quantum ad unius in Christo naturae confessionem attinet; neque tamen minus acriter adversus Armenos invehuntur ob Azymorum, et meri usum in Eucharistiae celebratione, multaque alia in illis non probant.

De Syrianorum ritu singulari dum oleum et sal admiscent.

Sed magis adhuc mirum est esse communionem Ecclesiasticam inter Coptitas, Alexandrinos et Jacobitas Antiochenos a multis saeculis, praesertim a Severi tempore, cujus sepulchrum in Aegypto magna veneratione colitur, et tamen istos ritum habere singularem circa panis Eucharistici confectionem, quem alii majorem in modum condemnant. Nam Syri praeter fermentum quod omnes admiscent, salis et olei parum adjiciunt, cujus consuetudinis Apologiam allegoriis inanissimis refertam exhibet idem Codex Colbertinus. Ea vero adversus Latinos instituta non est, sed adversus Jacobitas et alios, qui hanc novitatem magnopere aversabantur, tanquam absque Ecclesiae, aut sanctorum Patrum autoritate factam, nullaque idonea ratione stabilitam. Exemplum extat et quidem insigne in vita Christoduli Patriarchae Alexandrini LXVI. qui ordinatus est anno J. C. MXLVII. Habebant Syriani, ita vocant Syros Jacobitas, Ecclesiam Misrae; cumque illic Christodulus ad sancti Mercurii, Missas celebraret, Laicique ex more oblatas offerrent, Abulbecher quidam, vir inter eos primarius et Principis Archiater, unam obtulit, sed Syrorum more cum oleo et sale confectam, quam Patriarcha rejecit, et hominem male tractatum Ecclesia pelli jussit. Ille graves ad Joannem Antiochenum Patriarcham contra Alexandrinum literas scripsit; qua occasione editus videtur Tractatus ille Apologeticus, nam Joanni Patriarchae attribuitur: neque dubitandum quin adversus Aegyptios scriptus fuerit.

Hist. Patr. Alex. p. 425.

Nestorianorum ritus proprius.

Hujus superstitionis imitatores, aut fortasse primi autores fuerunt Nestoriani qui ritum eum servant, ut patet ex illorum singulari officio, quod vocant *Innovationem fermenti sancti.* Sed illud ipsis proprium, quod quando oblatas parant, (id autem fit inter eos simili plane ratione ac in Sectis reliquis,) non omne fermentum admiscent, sed sacrum ut existimant, et de quo multa nugantur, tanquam ad decessores eorum Hierosolymis delatum fuerit, ex particula illius quod ad parandum panem quo Christus in ultima coena usus erat, usurpatum fuit. Porro Abrahamus Echellensis in notis ad Hebed Jesu, et in Eutychio vindicato, Jacobitis atque illorum praecipuo Jacobo Baradaeo, quem Nicephorus Zanzalum appellatum dicit, istam olei salisque in pane Eucharistico mistionem attribuit: vel Joanni Barsussan quam opinionem ultimo asseruit Faustus Naironus Maronita Romae professor in opere quod inscriptum *Evoplia fidei Catholicae* editum ibidem anno 1694. *Jacobitae,* inquit, *censent oleum et salem triticeo seu fermentato pani consecrando esse admiscendum. Hujus opinionis autor et innovator fuit Joannes Barsussan Monophysita Pseudo-Patriarcha Antiochenus.* Refert in eam sententiam verba Catechesis Jacobitarum. *Orta est,* inquit, *inter Coptitas et Syros dissensio, quia Syri ponunt in sua oblatione salem et oleum, et scripsit Pater noster Joannes Barsussan libellum in quo demonstravit verificationem positionis salis et olei in Eucharistia:* vel ut melius verti potest, *scripsit Epistolam in qua ostendit recte adhiberi sal et oleum in parandis oblatis Eucharisticis.* Numquam tamen abruptam idcirco inter Aegyptios et Syrianos communionem fuisse legimus, quamvis Petrus Melichae Episcopus id quoque in illis condemnet, cujus sententiae accedit Abulbircat, qui verba

illius refert. Qui hanc consuetudinem excusant Nestoriani et Syri Jacobitae, inanissimis rationibus omissis, dicunt non majorem olei quantitatem admisceri, quam necesse sit, ut oblata dum formatur, manui Sacerdotis non adhaereat: salis tantillum, ut gustu explorari vix queat. Abhorrent tamen ab illa novitate Aegyptii Jacobitae, nec panem alium adhibent, quam qui secundum veterem disciplinam ex purissimo frumento paratus est. Formam illarum oblatarum dedit Vir Clarissimus Jacobus Sirmondus in sua de Azymo Disquisitione, sub titulo Alexandrinorum. Sunt in modum placentarum majorum, cum multis cruciculis, quarum una in meditullio major, atque ea pars oblatae vulgo accipitur ad consecrandum. Refert Wanslebius eos minutiores quasdam Dallerorum magnitudine oblatas ad altare offerre, quod jam fortasse in usu est: verum quantum ex eorum libris cognoscere potuimus, unam tantum olim majoremque usurpabant ut Graeci faciunt: de quorum pane Eucharistico videnda sunt quae docte et accurate observavit ad Euchologium eorum Jacobus Goarius: particularum similem divisionem Orientales non agnoscunt.

Calicis.

Ib. p. 3.

De vino ad Liturgiam.

De calice primum, de vino postea dicendum est. Vasis sacri illius quo Sanguis Christi continetur summa apud Orientales omnes dignitas et reverentia semper fuit. Paratur ex pretiosissima materia, quantum Ecclesiarum afflictissimarum patiuntur angustiae: sed ubique ferme in historia Alexandrina mentio est calicum aureorum et argenteorum. In vita Alexandri Patriarchae inter sacra vasa recensentur *calices in quibus ferebatur sanguis sanctus.* In Rituali Gabrielis extat officium singulare ad calicem consecrandum. In Codicibus Liturgicis variis extat Oratio ad eandem consecrationem, in qua oratur Deus *ut imponat manum divinam suam super illum calicem, consecret et sanctificet illum, ut feratur in eo sanguis sanctus et pretiosus: tum ungitur calix chrismate intus et foris.* Itaque quodcumque antiqua primitivae Ecclesiae pietas nobis constituit observandum, circa calicis venerationem et consecrationem, ob sanguinis Christi qui in eo conficitur sacramentum, illud idem servat Ecclesia Jacobitica Aegypti, omnesque tandem Orientales. Eadem benedictio extat in Liturgia Aethiopica. Neque talibus modo testimoniis efficitur, credere Orientales, ex contactu sanguinis Christi sanctificari calices, sed ex miraculis quae ab illis referuntur. Nam in Alexandrina Patriarchali historia legitur raptum a Muhamedanis inter alia vasa sacra calicem, dum ab aurifice frangeretur, sanguinem fudisse. Sanatum hominem ruina muri prope oppressum et semivivum, statim atque aqua calici immissa perfusus fuisset, narrat Historia Nestorianorum.

Quomodo praeparetur.

Vinum Eucharistiae conficiendae destinatum, summa diligentia parari et explorari jubetur. In Canonibus anonymis ex doctrina Patrum haec constitutio legitur. *Non oportet omnino Sacerdotem ad altare deferre vinum, in eo vase quod fidelis quisque laicus vir aut foemina attulerint, sed deferet*

illud in vase quod in Ecclesia peculiariter ad hunc usum destinatum sit. In Canonibus Athanasio tributis numero 107. Vinum quod ad Eucharistiam consecrandam offertur, nemo gustabit nisi completo Sacrificio. In singulis porro domibus, dum cados vini aperiunt, nemo ex eo gustabit, donec acceptae fuerint ex eo primitiae: cumque illae in benedictionis modum acceptae fuerint, indeque in calicem infusum fuerit, tunc aliud vinum proment in vase mundo, et effundent super illud hanc benedictionem. In Tractatu Arabico excerpta continente ex Dionysio Barsalibi de modo celebrandae et suscipiendae Eucharistiae, praescribitur ut *uvae mundae seligantur ad vinum conficiendum, illaeque manibus exprimantur, non pedibus conculcentur:* quae tamen regula non est, verum pia ad Sacerdotes admonitio. Neque enim quidquam in Orientalium monumentis occurrit, quod hanc disciplinam legis vim habuisse ostendat, ut quemadmodum panis Eucharistiae, ita vinum a Sacerdotibus, parari intra Ecclesiae septa deberet. Factum id tamen, sed apud solos Aethiopes, qui aliter vinum non exprimunt, quam ex passis uvis, ut mox explicabitur. Ita quoque aliquando apud Aegyptios in summa necessitate factum docet Historia Patriarchalis in vita Cosmae LIV. Scribit autor ejus tempore circa annum Martyrum DLXVII. qui respondet anno Christi DCCCLI. extitisse in Aegypto Praefectum, qui Christianis infestus, eos multis et eo usque inauditis injuriis oppressit: nam Ecclesias claudi jussit, ne ad publicas preces, synaxesque convenirent, cruces et imagines frangi: tandemque vetuisse sub capitis poena, ne quis venderet vinum, aut apud se haberet. *Haec omnia,* inquit Historicus, *ab eo fiebant, ut vinum ad Liturgiam celebrandam deficeret, et ita contigit. Nam Christiani cum eo carerent, coacti sunt palmites vitis accipere, quibus aqua maceratis et succo expresso, operam dederunt ne Eucharistiae oblatione privarentur.* Per palmites, intellige uvas ex illis pensiles, quales in Oriente, praesertim in Aethiopia asservantur, ut ex illis vinum fiat. *Vinum,* inquit Alvarezius, *quo celebratur Missa, ita paratur. In Ecclesiis et Monasteriis habent uvas passas non plane siccas, quae in Secretario seu Sacristia asservantur: eas diebus decem aqua macerant: cumque humore distentae fuerint, siccari sinunt: mox torculari impositas premunt, succumque eliciunt, atque hoc vino utuntur ad missam celebrandam.* Illud tamen vinum non nisi in summa necessitate usurpatum fuisse, et communiter prohibitum, docet Michaël Episcopus Melichae in Responsis Ecclesiasticis art. 13. *Licetne Eucharistiam offerre ex picato aut resinato vino, vel eo quod maceratione exprimitur?* Responsio. *Picatum quidem adhiberi potest, quia medicamento quodam e genere picis praeparatur, in eoque non est aqua, verum odor tantum et fumosum quid: sed quod maceratione exprimitur, cum in eo aqua sit, illud omnino usurpare non licet ad Liturgiam celebrandam.* Picatum seu resinatum hoc loco intelligendum est, illud quod picatis doliis aut utribus infusum, odorem tantummodo contraxisset, et *saporis quaedam* ut ait Plinius lib. 14. cap. 20. *acumina, ex aspersu picis, aut crudo flore resinae.*

Cod. Colb. 4684.

Hist. Patr. Alex. p. 297.

Cap. 11.

Multo magis cavetur ne acidum offeratur. Idem Episcopus Melichae eodem loco art. 31. *Panis Eucharisticus fissus est aut ruptus: potestne offerri ex eo?* R. *Eligendus est melior et integer: tamen ob earum rerum defectum quae ad melius conducunt, non est abstinendum ab Eucharistia celebranda. Sed quando vinum in acetum mutatum est, Liturgia cum eo non est celebranda, etiamsi aliud non reperiatur. Etenim Scriptura divina panem et vinum adhiberi praecipit: panis autem Eucharisticus, cum fissus est, non amittit panis naturam, saporem, appellationem, aut utilitatem. Contra vinum suam prorsus naturam amittit, quando in aceti saporem, nomen et usum versum est: atque ita illud offerre omnino non licet.* Eamdem disciplinam atque iisdem verbis exprimit Echminensis in Collectione Canonum cap. 14. §. 4. Gabriel Patriarcha in Rituali. Anonymus de ritibus in Missa servandis et multi alii. Praecipue vero omnia paucis verbis complexus est Barsalibi, ut docet nos Tractatus Arabicus de iis quae ad Liturgiae celebrationem observari debent: ubi, contra sententiam Michaëlis Episcopi Melichae superius relatam, succum ex uvis exprimi, et ex illis Eucharisticum calicem offerri, licere existimat. *Oblata observetur, ita ut neque fissa sit neque adusta, sed integra: neque paretur ita ut vel fermentata non sit, vel fermentum acorem contraxerit. In necessitate porro celebrari Liturgia potest cum oblata quae fissa erit, modo de caetero integra sit, ab azymo aut acore. Nam adustio quae fissuram gignit, eam non mutat a natura panis. Observet quoque Sacerdos diligenter vinum, ne in acetum versum fuerit, aut saporem suum amiserit. In necessitate autem sumatur uvarum succus, aut ex uvis passis liquor expressus, modo expers sit ignis aut alterius hujusmodi excoctionis: cum enim vinum bonum deest, cum isto Liturgia celebrari potest. Vinum acidum si fuerit, aut saporem alienum contraxerit, odoremque amiserit, cum eo consecratio fieri non potest, eo enim modo exuit vini naturam, et cum desunt istae conditiones, omittenda est Liturgiae celebratio.* Haec Barsalibi, quae conciliari possunt cum alia sententia, quia usus passi permittitur tantum in extrema necessitate. Adeo autem non obliterata est cura haec summa, quam Coptitae adhibent in praeparandis elementis ad consecrationem destinatis, ut, quod Wanslebius notavit, huc usque ad altare non offerant vinum ex oenopolio petitum, tanquam mistioni obnoxium, aut non satis decenter habitum. De Aethiopibus in quorum disciplina major difficultas videtur, eo quod uvas prope siccas aqua macerare contenti, ex illo succo, qui plus aquae habere videtur, sacrificium offerunt; aut etiam, si non falsus fuit Abuselah Armenus, *ex aqua sola calicem miscent,* quod tamen a nemine praeter illum idoneo autore memoriae proditum est: si haec faciunt, peccare illos in materia necessaria certum est.

Canones varii de vitio in pane aut vino.

Superest aquae mistio, quam omnes Ecclesiasticae Orientalium leges praescribunt; qua etiam ratione in Liturgiae oratione, per quam invocatur Spiritus sanctus, quod calice continetur, non vinum, sed mistum appellatur, in plerisque Syriacis Jacobitarum Liturgiis, et in ea Oratione apud Coptitas quae paulo post in Liturgia sequitur. Armenis quoque vitio vertitur, quod

Aquae mistio.

vino consecrando aquam non admisceant. Consuetudo autem omnium illarum Ecclesiarum est, ut pars aquae admisceatur, ea proportione quam ita describit Echmimensis. *Aquae ad vinum proportio, sit a tertia parte usque ad decimam, ita ut si vinum generosius omnino sit, ita temperetur, ut aquae tertia pars admisceatur: si imbecillius minuatur usque ad decimam, si mediam vim habeat, adhibeatur secundum eamdem proportionem.* Extat in Nomocanone Graeco Coteleriano Constitutio quaedam satis absurda quae huc referri potest. *Dum*, inquit, *necessitas non est, Sacerdos cum aceto Liturgiam ne celebret. Sed ut dicitur felle et aceto propter me potatus es, ex quadam oratione depromtum videtur. Sed uvam exprime, si forte necessitas premit et ita sacrificium fiat, quia tunc mutatio fit legis.* Haec attulimus ne existimetur consuetudinem uvas ad sacrificium offerendum exprimendi, solis Orientalibus usurpatam esse: simulque observetur minus adhuc errare istos, Graeculis recentioribus; cum acetum, et vinum quod acescere coeperit, non usurpari posse ad altare statuant, Graeci vero permittant, etsi omnes hac opinione implicatos non fuisse maxime verisimile sit. Nam Nomocanon ille, et similes quidam, tam editi quam Manuscripti, absurda tam multa continent, ut ex illis vera disciplinae forma delineari nulla possit.

Monum. Eccles. Gr. T. I. p. 82.

Discus seu patena.

Ut Calix vino, ita *discus* seu patena pani Eucharistico adjungitur, estque ut nomine, ita et forma, Graecorum disco similis, nam eam vocem cum aliis Ecclesiasticis multis Coptitae retinuerunt. Latior est, multoque capacior quam Latinorum patena, ita ut calix et oblata in eo simul collocari possint. Consecratur apud Coptitas ab Episcopo singulari benedictione, et ad eam perficiendam extat oratio in multis Liturgiae codicibus. In ea rogatur Deus, *ut extendat brachium suum sanctum, et sanctificet discum plenum bonis, quae praeparavit diligentibus nomen suum sanctum, scilicet corpus et sanguinem pretiosum Christi sui.* Nempe ita loquuntur non modo in precibus Ecclesiasticis, sed etiam in tractatibus Theologicis, et praesentem localiter quodammodo, Christum in disco Eucharistico intueri jubent. Severus Episcopus Aschmonin, ait *eum sindone* hoc est velo quo tegitur sacramentum, *involvi, et esse positum in disco, sicut in sepulchro, et in praesepio collocatus olim fuit.* Homiliae in Ecclesia Alexandrina legi solitae dicunt, *quotidie exoriri nobis Christum incarnatum in disco eucharistico et in calice: videri a Christianis porrectum corpus ejus in disco, sicut in sepulchro.* Ea vero verba non semel occurrunt, sed reperiuntur diversis locis, ne quis existimet, ea incauto oratori excidisse, non ab attento Theologo esse perscripta. In alia oratione ad benedictionem disci. *Extende manum tuam divinam super hunc discum benedictum, qui implendus est partibus corporis tui sancti, quod offerent super altare sanctuarii, hujus sanctae civitatis.* In historia Ecclesiae Alexandrinae eo loco ubi narratur miraculum apparentis Jesu Christi in Eucharistiae celebratione sub forma pueri, quod alibi retulimus, dicitur in disco apparuisse. Ad eum spectat benedictio quae prima inter alias occurrit in Canone Generali Aethiopum. Paratur sicut et calix ex auro, argento, atque alia pretiosa materia, nisi obstent afflictissimarum Ecclesiarum angustiae.

Hist. Patr. Alex. p. 378.

Adjungitur his vasis sacris cochlear, quod habent Graeci pariter et Coptitae Ἁγίαν λαβίδα vocant, quia scilicet typus est *forcipis* quo Seraph carbonem accepit de altari et Isaiae labia tetigit. Christum enim vocant *carbonem vivum, igne divinitatis plenum.* Forma eadem quae apud Graecos, nempe cochlearis manubrium in cruciculam desinit; unde ab Aethiopibus *Cochlear crucis* appellatur. Consecratur non minori apparatu quam Discus et Calix: rogaturque Deus in hunc modum. *Extende manum tuam super hoc cochlear, in quo suscipienda sunt membra corporis sancti, quod est corpus Filii tui unigeniti.* Figuram dedit Goarius in Notis ad Missam Chrysostomi: et multa de cochleari annotavit, ut et Clarissimus Cangius in Glossario. De ejus usu plura dicentur, ubi communionis ritus erit explicandus:

Cochlear.

Euchol. p. 152.

Quae spectant apparatum caeremoniarum ad Liturgiam celebrandam, communia sunt omnibus Ecclesiis: praeparatur thuribulum et in majoribus Ecclesiis plura, ad adolendum incensum: cruces, reliquiae martyrum, libri Evangeliorum, et alii sacrae Scripturae, ex quibus lectiones fieri debent, afferuntur a Sacerdotibus et Diaconis, et in Prothesi collocantur: accenduntur que cerei: quorum saepe mentio fit in pompis, solennibusque processionibus Christianorum, quarum memoria est in Historia Alexandrina. Gabriel filius Tarich Patriarcha in Constitutionibus ita definit: *Liturgia non celebretur absque cereis duobus majoribus aut minoribus, qui circa altare luceant.* Idem praecipiunt Autor Scientiae Ecclesiasticae, Abulbircat, omnesque Liturgiarum expositores.

Thuribula et cerei.

Ostende faciem tuam super hunc panem, etc.

P. 3. l. 6.

HAEC prima oratio est, in qua finis totius Liturgici officii perspicue significatur, nempe transmutatio elementorum propositorum panis et vini aqua temperati, in corpus et sanguinem Christi Domini. Notanda vero sunt verba quibus Orientales significare solent sanctificationem rerum corporearum et sensibilium, quam in Orationibus suis a Deo postulant, nempe ut mittat Spiritum sanctum, qui est omnis sanctificationis autor, et Dei digitus. Invocatur autem super omnia quae ad sacrum usum destinantur, qua invocatione significatur consecratio rei ipsi inhaerens, etiam absque usu sacro, materiaeque dignitatem tribuens. Ita in orationibus quarum particulas retulimus ad vasa sacra benedicenda, invocatur Deus, ut ea consecret, eo fine ut in illis conficiantur Sacramenta. Inde vero eadem vasa sancta habentur, nec profanis manibus absque crimine tractari possunt. Invocatur quoque ut mittat Spiritum sanctum super aquas baptismales, ut in illis baptisati accipiant regenerationem, omniumque peccatorum remissionem: super oleum et chrisma, ut gratiam baptisatis novam conferant: super ordinandos, ut accipiant sanctimoniam, et potestatem ad sacra ministeria sancte exercenda: super oleum infirmorum, ut ejus unctio prosit infirmis, ad salutem animae et corporis, quae omnia clare et perspicue per easdem orationes explicantur. Verum in Eucharistia consecranda aliud quiddam se petere designant, nempe illapsum

Invocatio Spiritus sancti prima, super dona proposita.

efficacem Spiritus sancti in dona proposita, ut mutentur et transferantur in corpus et sanguinem Christi: quod de aqua, chrismate, oleoque in aliis Sacramentis nunquam postulasse Orientales reperiuntur. Igitur ex solis illorum precibus constat certissime transmutationem ab ipsis agnosci, nam praecipua est, ut ex Augustino constat ad cognoscendam Ecclesiae fidem, publicarum orationum autoritas. Quod vero haec quam hic Coptitae postulant transmutatio, ad ipsam elementorum substantiam naturamque pertineat, alibi probatum est, et fusius demonstrabitur in notis ad Invocationem Spiritus sancti et ad Confessionem. Duo tantum hoc loco monebimus. Primum est vocem, *transfer ea* in omnibus linguis, non minus quam in Latina et Graeca, integram perfectamque mutationem significare. De Aegyptiacis quidem facile id demonstratur ex collatione variorum Scripturae sacrae locorum: de Arabica et aliis linguis aeque constare certum est.

Orationibus non omnem consecrationem tribuunt Orientales.

Secundum observationis nostrae caput, Orationes ipsas spectat et earum efficaciam, de qua amplior erit postea disserendi locus. Illis ad Sacramenta efficienda plurimum tribuunt Orientales Theologi, sed quod in illis solis Eucharistiae consecrationem non constituant, satis haec una ostendit. Nam quamvis oretur Deus, ut mittat Spiritum suum sanctum super dona proposita, et ea transmutet in corpus et sanguinem Christi, nemini inter eos Theologo venit in mentem, ex illa oratione sequi consecrationem saltem inchoatam, quamvis secundum antiquorum Patrum doctrinam, credant Ecclesiam non frustra orare, semperque exaudiri. Igitur et orationem dicunt, et eam non frustra dici existimant, securi de illius effectu, quando verba dominica et omnia rite facienda secuta fuerint. Pari quoque ratione cum videmus eos post eadem verba pronunciata, invocare Spiritum sanctum, ut eadem dona commutet per efficacem operationem suam, non statim judicandum est, constare ex illa invocatione quod per praecedentia verba Christi Domini nihil effectum fuisse existiment, absunt enim longissime ab ista sententia. Verum ut consecrationem, antequam facta censeri queat, postulant iisdem orationibus, quibus eam obtineri certo credunt, ubi peracta sunt quae rite peragi debent: ita preces plane similes adhibent, etiam quando illa facta judicari debet, neque tamen idcirco eam factam negant, aut credunt se orare inaniter, quia de momento consummatae elementorum consecrationis, nulla quaestio unquam inter eos fuit. In hujus autem orationis versione, Maronita vocem *Oblationis* inseruit quam contextus Aegyptiacus et Arabicus non agnoscunt. Notandum quoque hoc loco, ut in multis aliis istorum Officiorum locis occurrere vocem *purificare,* et cum alia esse conjunctam quae est *sanctificare;* quarum significatio valde proxima est, si non plane eadem, ut sane prorsus eadem est infinitis locis: ut cum dicitur *pura et sancta Maria: puri et sancti Apostoli.* Ita quippe interpretes vertunt ut plurimum, origines potius nominum, quam ipsorùm vim et usum attendentes. Nam ut proprium קדש, et ab eo derivata ex Hebraea lingua proprie ἁγιάζειν significant, tam in Arabica quam in Syriaca et aliis, ita illa טהר quae proprie *purificare,* mundareque significat, eodem sensu prorsus accipitur in omnibus libris Chri-

stianis Arabice scriptis. Hujus synonymiae rationes, fortasse ingeniosae magis quam verae excogitari possunt, quae ut in ejusmodi conjectaneis frequenter accidere solet, non raro veritatis hostibus, causas leves quidem et nullas, sed quibus incauti lectores decipi possunt, praebent ad aliquarum insigniorum orationum sententiam circumveniendam. Sed ratio vera hujus tam frequentis synonymi simplicissima est. Coptitae, ut alibi explicatum est, ita veterem linguam Aegyptiacam retinent, ut eam multis vocabulis Graecis miscuerint, praesertim Ecclesiasticis, quae saepe per alias vulgares explicata sunt. Ita retinuerunt voces ἅγιος, ἁγιάζειν, et multas alias; sed cum additae essent Aegyptiacae ἐθουαβ et τοουβο, quarum erat vis eadem, Arabes utrasque verterunt, et vocibus non plane ἰσοδυνάμοις expresserunt, quod interpres Maronita qui ad Aegyptiacum exemplar non attendit, imitari conatus est, sed neque feliciter, neque necessario. Si utraque vox eo loco verti debet, melius exprimentur in hunc modum, *benedic, sanctifica et consecra illa,* τὰ προκείμενα scilicet.

Oratio absolutionis.

P. 3. l. 21.

Quid significet absolutio.

Insignis est et notissima in Aegyptiaco ritu haec Oratio, cujus titulus in edita Maronitae versione corruptus est: vertit enim *Orationem Glorificationis filii,* ex vitiosa vocis Arabicae punctatione: cum vertendum sit ex Coptico *Oratio absolutionis filii,* hoc est, quae ad filium dirigitur. Ipsa enim totius orationis series satis ostendit, nullam in ea δοξολογίαν contineri, sed esse orationem pro obtinenda remissione peccatorum: unde *Absolutionis* nomen deductum est: et vox Coptica absolutionem significat. Ex Collatione cum Graeca Basilii et Marci, satis apparet utramque ex eodem fonte prodivisse, quamvis eo loco hiatus in Graeco istius exemplari, textum interturbet. Habet autem illud singulare Ecclesiae Copticae disciplina, quod haec oratio non recitatur a Sacerdote sacra faciente, sed ab alio, sive is adsistens sit, ut aliquis plerumque hoc ministerio fungitur, cum unica tantum uno die Liturgia celebretur: vel quod frequentius est, ab Archimandrita seu Hegumeno. Cyrillus Patriarcha filius Laklaki in Constitutionibus Synodalibus, inter alia Hegumeni munera recenset *jus pronunciandi absolutionem super Sacerdotem sacra facientem.* Abulbircat in Epitome caeremoniarum Liturgiae. *Si adsit Sacerdos alter, qui simul ministret, leget super Sacerdotem et Diaconum, orationem absolutionis: si non adsit, pronunciabit eam Sacerdos celebrans pro se, et super Diaconum: qui prostratus erit: Sacerdos vero stabit: si Patriarcha adfuerit, ipse Absolutionem pronunciabit, super Sacerdotem et Diaconum: atque ita faciet Episcopus in sede sua.* Observat idem autor, Sacerdotem et Diaconum, prostratione seu metanoea facta, se invicem salutare, postea descendere infra gradus altaris, ibique sedere capite ad terram usque inclinato, dum recitatur Absolutio. Confirmat eamdem disciplinam Gabriel Patriarcha, additque, *interea dum legitur, circumstantes Sacerdotes, Diaconos et omnem Clerum, nudato et inclinato capite esse, us-*

que ad orationis finem. Illa vero non absimilis est formulis illis absolutionum generalibus, quae in Latina Ecclesia usurpantur ad Officium Feriae V. in Coena Domini: tum etiam proxime respondet absolutioni illi generali quae apud nos post *Confiteor* pronunciari solet. Porro quamvis haec oratio absolutionis Sacramentalis locum habere nequeat, valere tamen existimatur ad levia et quotidiana peccata purganda, imo dedit occasionem superstitioni maximae apud Aegyptios et Aethiopes, quando Patriarcharum aliquot negligentia, et aliorum temeritate factum est, ut Confessio peccatorum apud eos aboleretur. Tunc enim multi audita absolutione quae publice recitabatur, peccata sua secreto intra se Deo confitebantur eaque maxime immurmurabant, cum incensum adoleretur, ut mox videbimus, atque ita absolutos se a gravissimis peccatis, absque confessione et poenitentia stulte existimabant. De ea re dicetur fusius in Dissertatione de poenitentia, et jam dictum est alibi. *Perp. T. 5. p. 243.* In Constitutionibus Cyrilli praecipitur *ne haec oratio legatur super populum Feria VI. majoris hebdomadae.*

Forma ejus orationis in Liturgia Marci.

In Codice Graeco Marci Liturgia qui majorem antiquitatem prae se fert quam antiquissimi Coptici, brevior omnino haec oratio est, factaque mentione potestatis remittendi peccata datae Apostolis, petitur quoque remissio τοῖς ἐπισκόποις, πρεσβυτέροις, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, etc. cum omni plenitudine sanctae Apostolicae Ecclesiae: nam τας ubi hiatus est in codice Sirleti, quo usus est ad editionem suam adornandam Joannes a S. Andrea Canonicus insignis Ecclesiae Parisiensis, ἁμαρτίας, vel simile quid exigit: *P. 10.* nihil vero minus, quam ea verba quibus illum supplere conatus est, *ita et in nos insuffla circumassistentes servos tuos in introitu sacri ministerii Episcopos, Presbyteros,* etc. Nihil enim alienius quam interpositio sententiae, cui parem nemo in tota Ecclesiastica antiquitate reperiet. Non enim a Deo postulatur, ut det Episcopis et Sacerdotibus, quod Apostolis dedit, cum insufflavit et dixit *Accipite Spiritum sanctum.* Quippe certum est talem esse in Ecclesia potestatem, quam Episcopi et Sacerdotes in persona Apostolorum acceperunt: et oratio ipsa ad plenitudinem Ecclesiae Catholicae hoc est non minus ad Laïcos quam ad Sacerdotes pertinet: rogare ut ad illos talis autoritas perveniret, non tam oratio foret, quam ridicula blasphemia. Generalis igitur hic venia et absolutio postulatur per autoritatem Apostolicam et Sanctorum merita, qua occasione addiderunt Coptitae de suo, commemorationem sancti Marci tanquam primi Alexandrinorum Episcopi, qui Aegyptios per Evangelium in Christo genuerat: tum Sanctorum propriorum sectae Jacobiticae, hoc est haereticorum Severi, Dioscori et aliorum: tandem Synodorum. Porro singularis ritus istius apud Alexandrinos, ut ante inchoatam Liturgiae partem quae Canoni respondet, commemorationes faciant, tanquam noti sibi meminit Jacobus Edessenus cujus verba refert Abulfaragius in Nomocanone part. 1. cap. 7. *In Graecia,* inquit, *idem quod nos, Graeci quoque observant: Alexandriae vero primo faciunt commemorationem Patrum, Fratrum, Regum, etc. deinde incipiunt Oblationem.*

Oratio thuris. *Pag. 4.*

Thuris usus apud Orientales multiplex.

Ejus usus in Ecclesiis Orientalibus perpetuus, et prope quotidianus: nec enim absque thure Liturgiam celebrant, nisi summa necessitas premat: illud adhibent in Officiis Sacramentalibus omnibus, in precibus nocturnis diurnisque, nihil ut possit esse frequentius. Observantur autem apud Coptitas eaedem quae apud alios Christianos caeremoniae, nempe ut thus adoleatur circum altare et per Ecclesiam: Sacerdotes, et qui in sublimiori dignitate sunt, eo perfundantur, imagines, vasa sacra, ambitus Ecclesiae. Autor Scientiae Ecclesiasticae. *Cum Sacerdos ad altare venerit, afferet naviculam incensi ad eum, qui dignitate superior est, ut benedicat illud, antequam thuribulo imponatur. Si vero nullus major eo praesens fuerit, benedicet ipse crucis signo naviculam, antequam thus imponatur.* Antiquum esse thuris in hunc modum adolendi apud Alexandrinos morem, docet illorum historia in vita Sanutii Patriarchae: *Inchoavit*, inquit, *Liturgiam, circumeundo cum incenso altare et gradus ejus.* Quam vero accurate praescribant omnes etiam minutissimas caeremonias, ne de quibusdam, quae majoris ad fidem eorum probandam momenti erunt, dubitetur, dabimus e Codice manuscripto quae ad primam illam thurificationem servari jubent Coptitae. *Sacerdos osculabitur gradus altaris; ad quod ascendet, et illud quoque osculabitur. Tum accipiet thuribulum a Diacono, capietque acerram seu naviculam, conversusque ad Sacerdotes et Clerum, dicet* εὐλόγησον: quod Arabes vertunt, *benedicite. Respondetur ipsi* νθοκ εὐλόγησον, *tu ipse benedic: postea benedicit incensum, facto signo crucis super acerram, dicitque Coptice.* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti unius Dei. *Tunc incensum adolet quinquies dicendo.* 1°. Benedictus Dominus Deus pater omnipotens. Amen. 2°. Benedictus Filius ejus unigenitus Jesus Christus Dominus noster. Amen. 3°. Benedictus Spiritus sanctus Paraclitus. Amen. 4°. et 5°. Gloria, laus, honor, et glorificatio Trinitati sanctae, Patri, Filio et Spiritui sancto nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. His expletis, ut fusius in eodem ordine praescribitur, recitat orationem in qua versamur; et postea, *ascendens iterum ad altare rursus thurificat ter, dicens,* Adoramus te Christe: *tum* Ego in multitudine misericordiae tuae, introibo in domum tuam, et adorabo coram templo tuo sancto: *tandemque:* In conspectu Angelorum psallam tibi, et adorabo coram templo sancto tuo. *Dein adolet incensum coram imagine Deiparae, dicens simul Coptice.* Ave Maria, etc. Quae peperisti nobis Deum Verbum, etc. *Tum incensat alias imagines, Sacerdotes, reliquum Clerum et populum.*

In Codice Regio recentiori, sed accuratam caeremoniarum seriem continente, adjiciuntur ea quae Sacerdotem celebrantem dicere oportet dum Patriarcham et reliquos incensat. Ad illum quidem dicit 1°. *Deus conservet vitam Patris nostri venerabilis Archiepiscopi Abba N.* 2°. *Conservando conserva illum nobis per annos multos et dies pacificos.* 3°. *Conterat hostes ejus omnes sub pedibus ejus velociter.* Ad Episcopum, cum ter incensatur,

dicit sacerdos 1°. *Memento Domine Patris nostri Episcopi Abba N.* 2°. *et* 3°. *sicut ad Patriarcham.* Hegumeno seu Archimandritae bis datur incensum. 1°. dicitur. *Benedictionem peto a te Pater mi Hegumene Abba N. memento mei in tuis orationibus.* 2°. *Conserva eum in pace, et perfectione.* Respondet Hegumenus. *Dominus conservet Sacerdotium tuum, ut Melchisedeci, Aaronis, Zachariae et Simeonis Sacerdotum Dei excelsi.* Sacerdoti, cum datur incensum, dicit celebrans. *Benedictionem peto a te, Pater mi Presbyter: memento mei in tuis orationibus.* Respondetque iisdem verbis, quibus Hegumenus.

Statim iterum datur incensum versus populum, diciturque prima benedictio ante lectionem Epistolae S. Pauli in hunc modum. *Benedictio Pauli Apostoli Jesu Christi: ejusque benedictiones sanctae sint cum omnibus nobis. Amen.* Thus quoque similiter datur, quod in istis ritibus est frequentissimum. Patriarchae, Episcopis, Sacerdotibus, Clericis datur in Sanctuario, ubi proprius eorum locus est: Laïcis ut ad eos thurificatio pertineat, hunc in modum thus dari solet.

Postquam Patriarchae, Episcopis, Sacerdotibus et Clero thus datum est, quod multoties in Liturgia fit apud Coptitas, ut ex superioribus Rubricis manifestum est, Sacerdos celebrans ad fores Sanctuarii progressus, Laïcos circuitu per Ecclesiam facto incensat, ut notatur in Codice Regio recentiori, ut etiam in Rituali Gabrielis Patriarchae, Abulbircat, Autore Scientiae Ecclesiasticae et aliis. Similis caeremonia ubique prope observatur, nec apud Orientales solum, sed apud Graecos et Latinos, ut Christiana plebs in communionis signum, per quam, suo modo, precibus et Sacrificio participat, honoris quoque partem habeat, et ad orandum attentius excitetur. Id omnibus Ecclesiis commune est; verum Copticis singularis quaedam fuit consuetudo, hac in Liturgiae parte, quae in teterrimam superstitionem degeneravit. Nempe cum Sacerdos thus adolens in Ecclesiam progrederetur, solebant olim Coptitae ejus precibus commendare se, simulque confiteri se peccatores, et confessionem quamdam verbis generalibus pronunciare, illi non absimilem quam initio Missae recitat Latina Ecclesia, cujus antiquae formulae breviores aliquot occurrunt, ut fuerunt aliae prolixiores.

Superstitio inde orta. Cum interea Sacerdos orationem diceret quae videbatur pertinere ad remissionem peccatorum, existimaverunt, quod in promtu erat, eam non frustra pronunciari, ut similes benedictiones et absolutiones valere judicatae sunt ad abolenda peccata, quae per fragilitatem humanam, a piis etiam quotidie committuntur. Saeculo demum undecimo et sequenti praeter calamitates innumeras quas ab Infidelibus Ecclesia Alexandrina sustinuit, maximum ab ipsis Ecclesiasticis et Patriarchis in Poenitentiali disciplina vulnus accepit. Ad communionem quippe mysteriorum admittere coeperunt, eos qui graviorum criminum rei, illa Sacerdotibus confiteri, et Canonem seu poenitentiam subire negligebant, cum, si disciplinam Ecclesiasticam erga eos exercuissent, timerent ne calumniam ipsis aliquam obdurati peccatores apud Muhamedanos impingerent, aut fidem abnegarent. Alii longius progressi, ut inter alios Joannes f. Abugaleb Patriarcha Coptitarum, et Marcus filius Zaraa, confes-

Hist. Patr. Alex. p. 550.

sionem penitus sustulerunt, ut fusius alibi expositum est: et illo Alexandrinam sedem occupante, Michaël Damiatensis opusculum insulsissimum edidit, quod tamen ex parte servatum est in Collectione Canonum Alexandrina, laudaturque ab Abulbircat, et Autore Scientiae Ecclesiasticae. Summa vero novae illius doctrinae haec fuit, Christum vetuisse ne magistros nobis constitueremus super terram, cum unus ipse sit magister noster: neque Marcum Ecclesiae Alexandrinae fundatorem, simile quidquam instituisse. *Mohallem*, vulgari inter Christianos Aegyptios usu, Sacerdotem a poenitentia seu Confessionibus significat, quem Graeci *Πνευματικὸν* vocant. Quia porro vox eadem in Arabica Evangelii versione usurpatur, alia omnino significatione, ex *ὁμωνυμίᾳ*, praeclarus ille doctor argumentum firmissimum haberi existimavit, ad evertendam poenitentialem omnem disciplinam. Cumque favitorum, ut olim dictum est, satis habeat, qui recte facit, plures adhuc habent, qui peccatoribus male palpantur: et sane multos habuerunt nefarii illi Antistites, neque enim error ille plane sublatus est. Sed de illa innovatione dicetur alibi; et jam nonnulla dicta sunt in Historia Patriarchali. Itaque ex pessima illa institutione multi existimare coeperunt, sufficere ad expianda peccata, ut, cum Sacerdos thuribulum circumferret, inclamareturque a populo *Kyrie eleison*, adjicerentur haec verba post illud, *Domine miserere* quod Arabice quoque dicitur multoties. *Suscipe Domine hoc incensum, quod offertur tibi a Sacerdote tuo pro peccatis nostris.* Tunc unusquisque animo revolvens peccata sua, ea secreto coram Deo confitebatur, atque ita illa sibi remitti stulte existimabant. Neque illic constitit superstitio: sed tandem fuerunt qui posito coram se thuribulo domi, absque Sacerdotis ministerio, thus injicientes et fumo peccata sua immurmurantes, illa sibi plene remissa crederent: quod ab Aethiopibus factum testatur Abuselah, et a Nestorianis Malabarensibus Historia Alexii Menesii Goensis Archiepiscopi. Illam brevem formulam agnoscendi se peccatores coram Deo, *Confessionem* vocaverunt; de qua intelligi oportet quae sequuntur hoc loco tam in Rituali Gabrielis, quam in Codice Regio recentiori, in quo ritus accurate praescribuntur. Post benedictionem ad Pauli Epistolarum lectionem, occurrit haec rubrica. *Postquam suscepit Sacerdos Confessionem populi, reditque cum incenso, ascendit ad altare, et conversus ad Orientem, dicit. Deus qui suscepisti Confessionem Latronis super Crucem gloriosam, suscipe ad te Confessionem populi tui, et parce illis omnia peccata eorum, propter nomen tuum sanctum quod invocatum est super eos.* Porro haec benedictio non legitur in antiquioribus codicibus, neque istius Confessionis mentio in illis est. Cum tamen illius meminerit Michaël Damiatensis qui sub Marco filio Zaraae scribebat anno circiter J. C. 1171. antiquam superstitionem esse oportet: sed nihilo minus a veteri disciplina abit longissime. Rituales quoque vetustis aliquot exemplaribus adjuncti illius non meminerunt.

l. I. c. 17.

Quale incensum usurpent Orientales.

Antequam ista de thure nota finiatur, observabimus apud Coptitas et alios ferme omnes Orientales Christianos, thuris loco diversi generis suffimenta adhiberi, quibus illae gentes magnopere delectantur: praesertim ubi

Ecclesiae opulentiores sunt. Ita in Historia Patriarchali legitur de quodam Metropolita in Aethiopiam misso, tam insigni pompa exceptum illum fuisse, ut qua die primam Liturgiam celebravit, agallochum, quod aromata omnia apud Orientales pretio superat, thuris loco usurparetur. Extitit autem 12. saeculo Marcus Elkonbari filius qui adversus Sacramentalis confessionis omissionem acerrime disputavit, et ab Ecclesia Jacobitica se subtraxit ea occasione, cum magno discipulorum suorum numero. Is quoque inter alia quae condemnabat, thuris legitimi immutationem Coptitis objecit, cujus loco alia aromata substituerent. Negabat autem id licere, sed thure tantum supplicandum asserebat, eo quod cum auro et myrrha Christo fuisset oblatum. Rem narrat Abuselah, refertque ad an. Martyrum DCCCLX. qui est J. C. MCXLIV. Honoris quoque gratia coram Patriarchis et Episcopis thuribula fumantia deferri, multis exemplis probari potest.

Vide notas Beveregii ad Can. 111. Apost. p. 16.

P. 5. l. 23.

Cum lecta fuerit lectio Pauli Coptice.

Lectiones Scripturae.

Jam ad sacrarum Scripturarum lectionem pervenimus, quae incipit ab aliqua sectione Paulinarum Epistolarum, quas Graecorum exemplo Coptitae simpliciter vocant Ἀπόστολος, quae vox characteribus quoque Arabicis non raro expressa reperitur apud autores rerum Liturgicarum. Legitur autem Epistola primo Coptice, ut in rubrica notatur: postea Arabice, quod mox lectum fuit, explicatur. De illa scripturarum lectione Cyrilli filii Laklaki Patriarchae haec habetur Constitutio. *Oportet Episcopum de statu Sacerdotum in monasteriis et in aliis locis inquirere, quave ratione in sacris obeundis se gerant: utque non omittant lectionem librorum quinque in quavis Liturgia, nempe Pauli, Catholici, Actuum, Psalmorum et Evangelii, et ad uniuscujusque lectionem adjungatur oratio, neque ex illis quidquam omittatur. Qui vero in Liturgia celebranda aliquid ex illorum librorum lectione omiserit, anathemati subjiciatur.* Ita quoque Ebnassalus in Canonum Collectione cap. 12. notat, postquam Sacerdos ter cum thuribulo altare circumierit: illudque alteri Sacerdoti dederit, qui per totam Ecclesiam circa populum adolet incensa, sequi cantum, nempe responsorum aliquot, et Hymnorum breviorum; quo expleto *legent Diaconi sectiones ex verbis Apostolicis; quo nomine comprehenduntur Pauli Epistolae, Catholicae, Actaque Apostolorum: tum ex Psalmis canetur aliquid, et postea Sacerdos leget sanctum Evangelium.* Porro haec disciplina cum apud Ecclesias omnes Orientales communis sit, de ea singulare nihil habemus notandum, sed de more tantum legendi scripturas utraque lingua.

Lingua Aegyptiaca factae.

Coptice quidem ut legerentur, consuetudo antiquissima est, cujus certam seriem agnoscimus saltem a Muhamedanorum initiis, ad haec usque tempora nunquam interruptam, hoc est ab annis mille et amplius. Nam Benjaminum Jacobitarum Alexandrinum, cum per annos circiter duodecim in Monasteriis Thebaïdis delituisset, ubi vix alterius linguae quam Aegyptiacae, in sacris

et in vita quotidiana usus erat, ut Coptice sacra officia Alexandriae celebrarentur instituisse, si quis existimet, difficile erit omnino ut contrariis rationibus haec conjectura evertatur. Saltem ab eo aut proximo saeculo, cum lingua Graeca in Aegypto prope penitus obsolevisset, successissetque Arabica in ejus locum, vulgaris consuetudo introducta est ut inter Coptitas, hoc est nativos Aegyptios, qui plerique Jacobitae erant, neque aliam praeter suam linguam noverant, sacra Officia in eadem ipsa lingua celebrarentur. Neque enim dubitari potest quin antiquitus linguae vernaculae usus in Ecclesiis fuerit, nec de ea re quaeritur. Certum autem et extra omnem controversiam esse debet, ab ea quam designamus Epocha, seu saeculo proximo post occupatam Aegyptum a Saracenis, Alexandriae et in tota ferme Provincia, praeter quam in Thebaïde, ita amissam esse linguae Aegyptiacae apud Christianos, qui soli ea utebantur cognitionem, ut non nisi inter doctos superesset, quibus etiam ad eam comparandam via non aliter patebat, quam ut eam studio addiscerent. Verum apud plebem incognita prorsus remansit, non minus quam Graeca, et tamen ubi post centum annos aut circiter Melchitis seu Orthodoxis quaedam Ecclesiae redditae sunt, suumque Patriarcham ipsis habere concessum est, redintegrata sunt inter eos Officia sacra, prout ante Arabum invasionem celebrabantur, hoc est Graeca lingua, quam adhuc retinent, quamvis vulgo ignota foret: simulque Coptitae Jacobitae Aegyptiacam retinuerunt, etsi eadem apud populum illiteratum obscuritate laboraret. Quin ita fiat saltem a nongentis annis dubitari non potest; neque interitus linguae dudum prorsus ignotae eos ab antiquo suo instituto revocavit. Verumtamen ut plebis commodo consuleretur, institutum fuit ut postquam scripturarum lectio antiquo idiomate Coptico facta esset, statim explicarentur quae lecta erant per interpretem, lingua vulgari Arabica, quod huc usque observatur.

Interpretatio vulgaris quomodo facta sit.

Olim quantum ex variis historiae Patriarchalis locis conjicere possumus, haec interpretatio ad populum non ex libro fiebat, sed viva voce: suadet id locus ex Constitutionibus Cyrilli Patriarchae supra citatis. *Munus,* inquit, *scripturas Arabice interpretandi in Ecclesia, ad singularem aliquem Ordinem non pertinet, sed quicumque facultatem habet dicendi, ad recte interpretandum, sive Presbyter, sive Diaconus, eo officio fungi potest.* Nihil vero significasset ista Constitutio, si jam cum promulgata est, labente duodecimo saeculo, interpretationes, ut nunc fieri solet, fuissent ex codicibus recitatae: tunc enim legere tantum et elementa Coptica nosse satis fuisset, ut nunc apud Coptitas sufficit. Id confirmatur ex eo quod legitur in vita Cyrilli II. qui cum illiteratus omnino foret, postquam ad Patriarchalem dignitatem evectus est, *magnam in studio Copticorum librorum operam impendit, ut scripturas ad populum posset interpretari.* In Historia Vazae filii Rejah qui miraculo ad fidem Christianam conversus est, scribitur Sacerdotem, quo catechisante, ejus mysteria edidicit, *scripturas ipsi ex Coptica lingua Arabice interpretatum fuisse.* Ita de Marco filio Elkonbari, qui tam vehementer errores Ecclesiae Alexandrinae varios insectatus est, et de quo dictum tam in Epitome Historica, quam in Dissertatione de Poenitentia, legimus, quod apud plebem

summae admirationi esset, dum scripturas sacras ipsis ex Coptico interpretaretur. Ex his exemplis aliisque rationibus, verisimile omnino est, primo sacrae scripturae lectiones a Sacerdotibus memoriter fuisse interpretatas in Arabicam linguam, antequam, ut factum est ab annis ut minimum quingentis, versiones ipsae accuratius compositae et a viris doctis recensitae ad oram codicis Aegyptiaci apponerentur: atque adeo deinceps nihil Sacerdotibus Coptitis operae superfuit, quam eas legendi labor: unde jam pauci admodum reperiuntur, qui Aegyptiace sciant.

Praeter rationes et autoritates quibus confirmatur factam esse viva voce, non ex scripto, lectionum interpretationem, occurrit aliud argumentum petitum ex antiquissimis Glossariis. In illis enim glossae Arabicae non veluti apud Graecos et Latinos ordine Alphabetico distributae sunt, neque ut quaedam per certa capita, ut nomenclatores, et vocabularia, verum omnino secundum sacrorum librorum ordinem, difficiliores voces explicantur, qualia multa extant Glossaria ad sacram Scripturam Latinam in Bibliothecis, quae explicationes continent vocum obscuriorum per notiores aut vernaculas. Nempe facta illa tunc fuerunt, dum esset adhuc aliquis in Europa Latinae linguae usus, sed jam semi-barbarae, et ut in Capitularibus Regum nostrorum appellatur *Rusticae Romanae,* in quam Homilias aliquot SS. Patrum transferri sapientissimi Principes jusserunt. Tunc enim erant multa vocabula quorum significatio ex communi sermone etiam illiteratis nota erat: abstrusiora explicari oportebat: pari prorsus ratione in Ecclesia Aegyptiaca, praesertim in Thebaïde, res se habebat. Multi enim Christiani linguam Copticam adhuc servabant, sed vulgarem, et corruptiorem, quam ut illius solo subsidio sacrae Scripturae versiones, officiaque Ecclesiastica intelligere, aut aliis explicare possent. In Sacerdotum igitur gratiam institutae sunt collectaneae illae glossae, quae difficiles voces explicarent: et tales sunt multae quas repraesentant Codices Manuscripti Bibliothecae Regiae.

De antiqua versione Scripturarum Aegyptiaca.

An vero antiquitus extiterit aliqua Aegyptiaca Scripturarum versio quae publice in Ecclesiis legeretur, ut dubitare vix licet, ita an ex libris recitata, an eo, quo diximus, modo facta fuerit viva Sacerdotum voce, conjicere difficile est. Lectas fuisse quidem ea lingua scripturas satis probat vel unicum ex S. Antonii vita exemplum. Testatur Athanasius eum audita lectione Evangelii, tanquam verba illa: *Vade, vende omnia quae habes et da pauperibus,* soli sibi dicta fuissent, omnibus renunciasse. At Antonius, ut ex Hieronymo, Palladio, aliisque autoribus manifestum est, Graece nesciebat: et peregrinos alloquebatur per interpretem. Insignis ille sermo qui illius vitae insertus est, Aegyptiace habitus fuit: Epistolae eadem lingua scriptae, teste Hieronymo. Joannes Lycopolitanus et alii non pauci sanctitate celebres monachi, Graecae quoque linguae ignari fuerunt: et ita non solum plerique in Nitriae et Scetis Monasteriis, sed Tabennesiotae in extrema parte Provinciae, et qui erant ex Antonii disciplina in deserto ad Mare Rubrum Ascetae, non nisi Aegyptiace loquebantur: tamen in continua psalmodia et lectione scripturarum, quas multi memoria tenebant, dies noctesque transigere erant so-

T. 2. N. Ed. p. 276.

liti. Sed, quod majoris hoc in genere autoritatis est, etiam post annos prope ducentos Episcoporum subscriptiones legimus Aegyptiace factas, quales extant aliquot in Concilio Ephesino et Calchedonensi: quia Episcopi Graece nesciebant. Quomodo igitur sacra fecissent, Officiaque celebrassent, nisi publicus multis in locis linguae vulgaris usus in sacris fuisset. Cum igitur certum videatur, extitisse antiquitus vulgares lingua Aegyptiaca sacrae scripturae interpretationes, easque in Ecclesiis legi solitas, verisimile omnino est morem legendi lingua vernacula scripturas antiquissimum inter Aegyptios esse; et cum qui a quingentis et amplius annis obtinet, ut postquam Coptice lectae sunt, Arabice ex libro interpretatio earumdem legatur, esse conformem veteri disciplinae, neque certam unquam regulam fuisse, etsi in Constitutionibus Cyrilli f. Laklaki contrarietas quaedam appareat, ut non ex libro, sed viva Sacerdotis voce lectiones exponerentur. Quippe Interpretationes ut eas vocant Arabice, *Tafassir* תפאסיר duplici sensu accipiuntur. Primus literalem versionem significat, quae certissime lectionibus Coptice factis, statim subjicitur. Secundus sensus qui non minus frequens est, designat expositionem liberiorem, homiliamque seu sermonem de scriptura quae legitur, et ad istas verius, ut opinor, referri possunt ea testimonia quae superius retulimus. Nam sermones viva potius voce quam ex codice pronunciantur; licet postmodum eo deventum fuerit per Sacerdotum ignorantiam, ut illae etiam *Interpretationes spirituales*, (ita namque distinctionis gratia saepe appellantur) in formulas quoque redigerentur, et populo legerentur.

Antiqua disciplina quaenam fuerit circa scripturae lectiones.

Quaeri etiam hoc loco posset an ex consuetudine, quam mille annis antiquiorem esse judicamus, legendi scripturas sacras Coptica lingua, quae tunc vulgaris erat, duo quaedam disciplinae capita elici queant: primum est an ut nunc ex veneratione antiquitatis, legantur illae eadem ipsa lingua, quamvis non amplius intellecta: ita quoque dum vernacula erat, lectiones scripturarum Graece primum, postea Coptice fierent. Secundum an in veteri Ecclesia Alexandrina utraque lingua legerentur. De primo nihil praeter conjecturas occurrit: sed tamen non omnino inverisimiles, quae ducuntur ex aliis Liturgiae partibus Graece adhuc pronunciari solitis. Tales sunt omnes Diaconorum acclamationes *Στῶμεν καλῶς. Προσεύξασθε. Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε*: et communia illa *Ἄνω τὰς καρδίας. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus. Dignum et justum est. Sanctus.* Confessio fidei ad communionem *Corpus sanctum*, etc. quae omnia Graece dicuntur, servata ex antiquissimis Liturgiae formulis, quae Graece peragebatur. Fieri igitur potuit, ut ex eadem antiquitatis reverentia, quae tales orationes, etiam ignota lingua servavit, scripturae ex primitivo Codice Graeco recitarentur, tum Aegyptiace exponerentur. Etenim in actis omnibus, quae cum aliqua solemnitate celebrantur, usus linguae Graecae sero perstitit et in publica renunciatione Patriarcharum, Systaticae Epistolae, quae primum et praecipuum electionis et ordinationis legitime factae testimonium continebant, publice scribebantur et recitabantur Graece, Coptice et Arabice, ut observatum an. J. C. MCIII. in Macarii LXIX. inauguratione testatur ejus historia et talium

literarum publice scriptarum exemplum reperitur in Pontificali Seguieriano, Graece, Coptice et Arabice.

Probatur ex Glossariis.

Suadere quoque id possunt alia diversi generis ab illis quae commemoravimus Glossaria Coptica, quae extant in diversis Bibliothecis. Cum enim alia voces Aegyptiacas contineant Arabice expositas, ista Graecas multas et quidem vulgatissimas linguae particulas, Coptice primo, deinde Arabice expositas. Hae autem Glossae usum habere nullum poterant, nisi ad Graeca legenda: neque omnia, sed ea solum quae ad Ecclesiasticos libros pertinebant; unde unum ex istis Glossariis *scala Ecclesiastica Sahidica* appellatur, quia scilicet continebat voces ex sacris libris depromtas, et lingua *Sahid,* seu Thebaïdis, quae purior erat, explicatas. Conjecturas porro nostras adjuvat testimonium unius ejusmodi Collectionis glossarum, cujus in praefatione sic habetur: *Antiquum morem fuisse ut sectiones ex scripturis legerentur Graece, sequereturque Coptica interpretatio, idque factum antequam ulla omnino apud Christianos foret Arabicae linguae cognitio. Sed per universam Aegyptum, antiquitus Christiani legebant sectionem Graece, eamque Coptice explicabant et postea aliam, sicut nunc, legunt sectionem Copticam, et eam Arabice interpretantur.* Itaque ex eo testimonio multisque aliis argumentis constat, usum duplici lingua scripturas legendi esse in Aegypto vetustissimum Muhamedanisque temporibus superiorem. Jam vero in antiqua illa, ut et recenti disciplina animadvertere licet usum ignotae linguae quem Catholicis Protestantes tam acerbe objicere solent, apud Orientales non minus quam apud nos vigere, imo etiam multo magis. Nam rari sunt Sacerdotes qui Latine prorsus nesciant, magis rari apud Aegyptios qui Coptice sciant: inter Laïcos ferme nulli: nec tamen idcirco desinunt Aegyptiace Liturgias celebrare suas, aut scripturas eadem lingua publice legere. Ita quoque Syri, quorum ipsi Sacerdotes nisi docti, Syram linguam vix intelligunt. Imo Nestorianis, qui non alia lingua in sacris utuntur singulare illud fuit, quod eam, ubicumque Ecclesias habuerunt in Perside, Tartaria, India et remotissimis regionibus, usurpaverunt, etsi plane ignotam et peregrinam, non alia ratione, quam quod antiquitus, sacras scripturas, et Officia ea lingua habuissent. Neque etiam omittenda est consuetudo propria Monasterio S. Macarii cujus meminit Abulbircat *ut in Liturgia Arabice nihil dicatur.* Cap. 29. *Leguntur deinde chartae,* ita scripturas vocant, *sectio scilicet ex Epistolis Pauli, alia ex Catholicis, tertia ex Actis quae Arabice explicabuntur ut plebi sensus illarum palam fiat.. excepto Monasterio S. Macarii ubi nihil quidquam Arabice legitur, ad hanc usque diem:* quod de Evangelio quidem dicit, sed de reliquis scripturis etiam est intelligendum; in quibus legendis idem observari solet atque in Evangelio.

Versio qua Coptitae utuntur est secundum Septuaginta.

Etiam et obiter illud observandum est Interpretationem Copticam ex qua lectiones desumuntur, factam esse ex Graecis exemplaribus septuaginta Interpretum, quae in Dioecesi Alexandrina semper in usu fuerunt: tantumque abest ut ex Origenis aliorumque laboribus profecerint, ea cum versionibus ex codice Hebraeo factis comparando, ut in vita Demetrii accusetur eo

nomine Origenes, quod *antiquas de Christo Prophetias evacuaverit; quod tandem ad Judaeos se transtulerit, postquam ab Episcopo suo excommunicatus est,* studium ejus ad discendam Hebraicam linguam, a quo satis laudari non poterat, tanquam apostasiam calumniati.

Versio Arabica quae in omnibus ferme codicibus adjuncta reperitur, ad Copticum facta credi potest, cum Graecam repraesentet, qua ratione melior est aliis quibuscumque Arabicis, quarum summa diversitas est. Nam cum multa exemplaria inter se comparantur, major omnino adhuc illa animadvertitur, quam statuit vir Clarissimus Edwardus Pocockius, et eum secutus Brianus Waltonus Editor Bibliorum Polyglottorum; et utriusque observationibus multas adjungere necesse erit, antequam illarum Arabicarum versionum vera Critice possit institui. Quippe omnes quibus Syri, Jacobitae, Melchitae, et Nestoriani utuntur, versionem continent ex Syriaca expressam, quae Hebraeum exemplar sequitur, et post Graecas, omnium videtur antiquissima. Etsi vero aliam Syri habent secundum Graecos codices, ejus tamen neque in Officiis Ecclesiasticis, neque inter Theologos usus est, nisi cum scripturas interpretando, diversis lectionibus suas expositiones illustrant. Alia est Arabica, facta ut dicitur, *κατὰ τοὺς* O, autore Haretho filio Senan; inter cujus diversa exemplaria tanta est tamque insignis dissimilitudo, ut conciliari non possint. Istius versionis usus non adeo communis est, sed haeret in quibusdam Melchitarum seu Graecorum Orthodoxorum Ecclesiis, ubi Graece sacra fiunt: tamen quantum adipisci potuimus, publice inter Officia non legitur, sed tantum privatim ab illis Christianis, qui Graecae linguae ignari, Arabicam vernaculam habent. Ea vero quam Coptitae usurpant melius omnino repraesentat Codicem Graecum, licet occurrant non pauca, in quibus neque satis Copticae versioni cum Graeca, neque Arabicae cum utraque conveniat. Sed haec vitia non tam in autores versionum, quam in librarios rejicienda sunt, quibus in Oriente familiare est immutare absque ratione et judicio quidquid describunt, si forte in aliis exemplaribus aliqua occurrat ipsis lectio, quae melior esse judicetur. Nec tamen dissimulandum Arabicam Scripturae versionem quae occurrit in optimis et antiquis codicibus, videri factam potius ex Graeca, quam ex Coptica: sed utraque ex Graeco exemplari expressa est. Omnes porro versiones Arabicae commune nihil habent cum ea quae primum Lutetiae in Bibliis Polyglottis, tum in Londinensibus edita est: et quod magis mirum, nulla est in Oriente Ecclesia, quae suam in talibus editionibus versionem Arabicam agnoscat. Quippe illa Pentateuchi interpolata est ex ea quam Rabbi Saadia Gaon, Aegyptius Fiumensis, in Judaeorum gratiam fecerat ex codice Hebraïco. Ea saepius descripta et interpolata a Christianis adoptata est, non quidem ut ex ea lectiones in Ecclesiis fierent; sed ut privatim describeretur et legeretur, et talem codicem secutus est Gabriël Sionita Maronita, qui Parisinae editionis praeses fuit. Eam nonnulli emendasse et meliorem facere conati sunt ex comparatione aliquot diversorum exemplarium quae differentes illas versiones continerent, de quibus dictum mox a nobis est. Extat ipsius collationis specimen in Codice

De versionibus Arabicis.

Tom. VI.

Colbertino, ex quo editio procurata est, sed ad paucissima capita perducta est. In ea vero non modo praecipuas illas versiones, sed Samaritanis propriam aliam adhibuit, quisquis conferendi laborem suscepit. Ita ex tot versionum Arabicarum farragine natae sunt editiones Parisiensis et Londinensis, quarum nulla est inter Christianos Orientales autoritas, multo minor earum quae ab aliis Judaeis factae in Bibliothecis delitescunt, ut illa quae edita est ab Erpenio, Lugduni Batavorum, Pentateuchi Arabica interpretatio. Atque hae observationes versionem veteris Testamenti spectant, quae eodem modo Coptice et Arabice leguntur in Ecclesiis, apud Aegyptios.

Versiones Novi Testamenti.

De novo Testamento minor est difficultas, licet etiam nonnulla nondum dicta, circa illius versiones observari debeant. Coptica quae in Aegypto legitur, antiqua est, et quantum judicari potest, reliquas vetustate adaequat. Inter omnes Orientales Syriaca vetustissima creditur: Coptica aetate haud multum inferior est, non quod eam a Marco Evangelista factam existimemus, juxta popularem traditionem, sed quod ut superius observatum est, etiam ante pacatam per Constantinum Ecclesiam, lectas fuisse lingua vulgari, sacras Scripturas ab Antonio et aliis sanctis Anachoretis certissimum sit: neque minus certum, non potuisse aliter quam patria lingua legi, memoriaeque commendari, et in ore haberi ab illis hominibus qui Graece nesciebant; ut neque explicari ad populum e superiore loco, ab illis Episcopis, quibus Graecarum literarum non satis erat, ut nomen suum subscribere in Conciliis, aliter quam Aegyptiace possent. Igitur Coptica versio Muhamedana tempora aliquot saeculorum antiquitate superat: Arabica ejusdem versio, ea est quae legitur publice in Synaxibus, Coptitisque propria est. Syri tam Jacobitae, quam Nestoriani, non minus quam Melchitae aliam habent ex antiqua Syriaca versione factam, ex qua etiam Persica prodiit, eaque multiplex. Graecum codicem exprimentes Arabicae novi Testamenti versiones, sunt illae quae Melchitis potius quam aliis propriae sunt; pleraeque tamen ita interpolatae ex aliarum versionum comparatione, ut inter eas diversitates, Graecum exemplar primitivum agnosci non facile possit. Omnia vero quae huc usque de istis scripturae lectionibus dicta sunt, occasione Paulinarum Epistolarum, de reliquis libris et de Evangelii lectione sunt quoque intelligenda.

De interpretationibus in modum homiliarum.

Superest ut de *Tafassir* sive interpretationibus per Homiliarum modum, dicatur aliquid. Origo earum prima et simplicissima a sermonibus petenda est, quos post scripturarum lectionem sancti Patres, praesertim Episcopi, habebant ad populum, sumto ex iisdem Homiliae argumento. De ea communi omnium Ecclesiarum consuetudine extat Constitutio quam inter Canones Basilii Magni numerant, et quam refert Ebnassalus in Collectione sua cap. 12. *Cum absoluta fuerit lectio, Episcopus si adsit, verba faciet ad populum, interpretando caput quod modo lectum fuerit: Episcopo absente, Sacerdos peritus id faciet.* Postea quam vero rarior fuit apud Orientales doctrina, paucique id praestare poterant, versae sunt in vulgarem linguam breves Patrum Homiliae, vel potius Ἀπανθίσματα, ut Graeci vocant, quae post scripturas legerentur: tandem aliquae stylo simpliciori et magis ad populi

capitum accommodatae conscriptae sunt, quales extant multae in variis Codicibus. Insignes hoc in genere sunt prae caeteris, quas ex Colbertina Bibliotheca nacti sumus in Epistolas et Evangelia de Circulo anni, in quibus non contemnenda doctrina, praesertim vero quae ad Ethicam Christianam pertinet, tum inculcata saepissime praecepta de necessitate confessionis peccatorum, et poenitentiae apud Sacerdotes faciendae; tum eximia multa testimonia circa fidem Eucharistiae. Patrum Homiliae quas eo loco legere solent, sunt ut plurimum ex Chrysostomo, Basilio, Gregorio Nysseno, Cyrillo et paucis aliis: multas adjungunt Severi Antiocheni, et ex recentioribus, Jacobi Serugensis, et Edesseni, quorum, quamvis Syriace scripserint, multa extant Arabice in Aegyptiacis Ecclesiis. Alias Severi Episcopi Achmoninae qui multa scripsit erudite, et ad communem utilitatem apposite.

Catholicon.

P. 6. l. 18.

Ita vocantur apud Orientales Epistolae Jacobi, Petri, Joannis et Judae, quae Catholicae appellantur: quia ad omnes scriptae sunt, ex quibus unum volumen conficitur quod Catholicon dicitur. Itaque cum Theologi laudant aliquam ex istis Epistolis sententiam dicunt *Jacobus in Catholico, Petrus, etc.* Eam lectionem sequitur alia ex Actis Apostolorum.

Oratio Evangelii Sancti.

P. 6. l. 31.

His quae superius exposuimus peractis, legitur Evangelium, juxta omnium Ecclesiarum consuetudinem, de qua haec Constitutio extat in Collectione Ebnassali. *Post Hymnos e Psalmis, legetur sanctum Evangelium a Sacerdote vel Diacono, omnibus interea stantibus et silentibus.* De caeremoniis vero quae ad hanc Liturgiae partem observandae sunt, fuse scribit Abusebah in Tractatu de scientia Ecclesiastica cap. 68. Ait autem prius recitari varias ad Deum orationes, quibus rogatur ut ita auditores disponat ad auribus et corde excipiendum sanctum Evangelium, ut illud opere exequi valeant. Id expresse significant orationes variae ante, vel post lectionem Evangelii in omnibus Liturgiis. Idem Autor subjungit postea dici Hymnos et Psalmos varios, secundum festorum diversitatem: tum ita prosequitur. *Circuit Sacerdos altare, et Diaconus simul progreditur cum Evangelio glorioso, et ex iis Clericis qui ad altare ministrant aliqui, cereos accensos praeferentes. Diaconus librum gestat, et cum descenderint de Sanctuario, populus canit.* Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi. *Diaconus secreto apud se dicit.* Notam fac mihi Domine viam, in qua ambulem. *Tum Evangelium gestans, defert illud, transiens per medium populum. Circuitus autem ille unicus, qui fit circa altare intra Sanctuarium, similitudo est circuitus Evangelii per universum orbem: circuitus illius peregrinatorii qui universam terram implevit. Paulo post Sacerdos Evangelii librum aperit,*

Ritus legendi Evangelii.

atque illum apertum altari imponit, in signum quod haec scriptura promanavit ex verbis Christi, qui super hoc ipsum altare ponitur. Et cap. 69. *Sacerdos advocat sacerdotes alios circumstantes, ut inspiciant verbum eo in libro exaratum, deque eo certiores sint, testesque fiant hunc librum apertum, esse vere Evangelium. Post ejus inspectionem, certamque agnitionem, osculabuntur librum apertum, ut osculo illius aperti, juxta sacerdotalem dignitatem suam, a Laïcis distinguantur. Postea si vult Sacerdos legere Evangelium, officium illud, ad ipsius ordinem pertinet, omnibus aliis exceptis: est enim e successoribus Apostolorum, qui Evangelium praedicaverunt. Si Sacerdos nolit ipse legere, potest Diacono permittere ut illud legat, qui ita ab aliis Diaconis distinguetur, manebitque cum singulari quadam praerogativa, appellabiturque Diaconus Evangelii. Tandem Evangelii lectio ex Ambone fiet, qui est sublimis, juxta illud quod ait Dominus,* quae in aure audistis praedicate super tecta. *Tectum enim est Ambon, quem ita Salvator designavit cum sit sublimis, instar tecti. Deinde postquam descenderit is qui Evangelium legit, et ejus interpres,* is scilicet qui illius versionem vulgarem legit, *perfecta scripturae lectione et interpretatione, accedent omnes Sacerdotes adstantes, et osculabuntur illud, ad fidei et certitudinis quam de eo habent testimonium, sicut in osculo primo factum est.* Tandem cap 70. *Deferet Subdiaconus librum Evangelii ad populum, involvetque illud velo sericeo, circumferetque per mediam multitudinem, ut omnes librum clausum osculentur, sequentes Sacerdotum exemplum in ejus veritate et certitudine approbanda.* De eodem ritu, ita Gabriel Patriarcha in Rituali. *Evangelium defertur primo circum altare, gestante illud Diacono, reliquis praecedentibus, cereosque gestantibus. Tum incensatur ter, dicitque Diaconus,* hoc est Evangelium Jesu Christi Filii Dei. *Postea accipit librum et ab altari progreditur: tunc Sacerdotes et Episcopi adstantes capita detegunt, baculosque deponunt, et venerantur Evangelium inclinatione capitis: deferturque cum pompa ad Ambonem, ubi praemissis aliquot precibus et acclamationibus, quae in Liturgia annotantur, legitur Coptice, et postea Arabice. Lectione completa, liber refertur ad sacerdotem, qui illud ter incensat, et manibus sustinens, osculandum singulis sacerdotibus praebet. Illi vero accedunt detecto capite, dimissisque baculis: postremo osculatur ipse, et Diacono reponendum tradit in locum suum.* In alio codice manuscripto, et in Regio recentiori caeremoniali legitur, sacerdotem dum incensat Evangelium dicere. *Adoro Evangelium filii Dei vivi Domini nostri Jesu Christi.*

In eodem codice totus ille legendi Evangelii ritus accurate describitur, eodem ferme modo: nempe Sacerdos incensat Evangelium, deferente illud Diacono circum altare: postea descendit ad portam Sanctuarii, qua ad ambonem itur, ubi iterum incensat dicendo: *Adoro Evangelium D. N. Jesu Christi Filii Dei vivi:* accipit librum ex manu Diaconi, conversusque ad Occidentem, osculandum illum praebet Sacerdotibus omnibus suo ordine: tum librum Diacono reddit, qui Evangelium legit, modo probe legere sciat; sin minus, legetur a Sacerdote. Finita lectione Sacerdos inclinabit se cum libro

coram altari: si adfuerit Episcopus, solus illum osculabitur: si nullus adsit, Sacerdotes. Tum iterum adoletur incensum, et Diacono dicente, *State cum timore,* subjungit Sacerdos, *In nomine Dei.* Iterum incensat Sacerdos dicente Diacono, *Εὐλόγησον, Benedic:* et dicit, *Initium Evangelii secundum Matthaeum, Marcum,* etc. *Lectio sancti Evangelii*, quae verba Graece dicuntur, ut annotatur in omnibus codicibus. *Ἀρχὴ εὐαγγελίου κατὰ Ματθαῖον, καὶ Μαρκόν, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην. Ἅγιον εὐαγγέλιον ἀνάγνωσμα.* Sed verba mire corrupta sunt, ut Graeca omnia.

Tum adhuc incensat, et dicitur Coptice, *Verbum Evangelii D. N. J. C. filii Dei vivi, qui est usque in aeternum Dominus noster.* Incensat deinde Sacerdotes et dicit, *Beati oculi vestri quia vident, et aures vestrae quia audiunt. Digni efficiamur audire, et obedire faciendo Evangelium tuum sanctum per preces omnium sanctorum tuorum.* Tum ad locum Diaconorum conversus et thure dato dicit, *Adorate Evangelium Domini nostri Jesu Christi.* Postea stat ad latus altaris, usque dum finita fuerit lectio Evangelii Coptice: tuncque incensabit sicut prius: iterumque altare incensabit, cum interpres dicet: *Domini et Dei nostri:* tandem circumferetur Evangelium sicut prius, et dicentur orationes. Eadem ferme leguntur apud Abulbircat, quae iterum ejus verbis reponere necesse non est: observat tantum, Diaconum quando legit, vertere se ad Orientem: Sacerdotem qui ad altare stat, verti ad Occidentem. In antiqua Canonum diversorum Collectione notatur, pulsari campanas, ligneas nempe illas quarum in Oriente apud Christianos usus est. De lectione per Diaconum ita scribit Gabriel Patriarcha. *Legem nemo legebat nisi Sacerdos, aut Propheta: atque eapropter Patres constituerunt, ut Evangelium non legeretur nisi a Sacerdote, quod etiam apud omnes nationes fuit observatum. Jam vero usu receptum est ut illud legat Diaconus, atque interea stat Sacerdos, facie ad Occidentem conversa.*

Porro ex illis quae huc usque autorum ipsorum verbis exposita sunt, statim agnoscitur ritus ille quem Graeci appellant *Μικρὰν· εἴσοδον.* Is est autem circumlatio Codicis Evangelici cum pompa, cereis et thure, procumbentibus interea, qui in Ecclesia sunt, coram codice, qui verba Christi continet. De ea videndum Graecorum Euchologium, et quae ad num. 74. notarum in Chrysostomi Liturgiam Goarius observavit, ut et Glossarium Graecobarbarum in voce *Εἴσοδος.* **Ritus ille respondet Graecorum *μικρᾷ εἰσόδῳ.*** *Euchol. p. 124.*

Quae porro ad posteriorem, istorumque temporum disciplinam circa Evangelii lectionem pertinent, ea tam accurate explicant rubricae codicis Regii, quas interpretatione nostra retulimus, ut adjici nihil queat. Qualis esset librorum Evangelii forma major, eorum praesertim qui ad altaria usurpantur, judicari potest ex inspectione talis codicis qui extat in Bibliotheca Regia majoribus literis scriptus in membrana cum figuris, manu Michaëlis Metropolitae Damiatensis, et oblatus Marco filio Zaraae, Patriarchae Alexandrino, qui ordinatus est an. Martyrum DCCCLXXX. Jesu Christi MCLXIV. Neque ut plerique alii codices, adjunctam habet e regione versionem Arabicam. Observandum quoque est consuetudinem fuisse in Ecclesia **Libri Evangeliorum.**

Alexandrina, ut in publicis supplicationibus, cum crucibus, imaginibus, et thuribulis, deferrentur libri Evangeliorum, ut patet ex multis Historiae Patriarchalis locis.

P. 8. l. 15.

Memento Domine aquarum fluminis.

De Nilo.

In illis Orationibus quas Graeca Marci Liturgia continet circa lectionem Evangelii, magna cum Copticis similitudo statim agnoscitur, praesertim vero ritus *εἰςόδου*, seu delationis Evangelii. Quae vero sequuntur orationes pro diversis, eaedem quoque sunt in ea ipsa Liturgia, ut in Graeca Basilii Alexandrina; adeo ut satis appareat, non modo Jacobitas, sed Orthodoxos etiam, quorum prior fuit, singularem praeter alias Ecclesias consuetudinem habuisse, ut ante quam Oblatio inferretur, et Canon proprie dictus inciperet, diversae orationes fierent. Porro pro aquis Nili, certissima nota est, eam pertinuisse ad Aegypti Ecclesias. *Τὰ ποτάμια ὕδατα ἀνάγαγε ἐπὶ τὸ μέτρον αὐτῶν κατὰ τὴν σὴν χάριν. Fluviales aquas ad earum mensuram, tua gratia sursum elicito.* Ita legitur in Graeca Liturgia: aquae vero fluviales nullae aliae sunt praeter Niliacas, quas ad publicam utilitatem excrescere a Deo petitur. Brevem igitur illam orationem auxerunt Coptitae, et diversas ejus formas addiderunt. Cum enim ab exundatione Nili, qui *viridem Aegyptum nigra foecundat arena,* fertilitas, aut sterilitas pendeat, semper oratum apud Christianos Coptitas pro aquis Nili, utque olim sacerdotibus Aegyptiacis *Nilotica incrementa* sacra habebantur, ita Christiani vocant *Nilum benedictum.* Accuratissimi semper fuerunt Aegyptii in observanda accretione Nili, cujus mensura famosa extat prope Memphin, quam si Arabes sequimur, primus excogitavit et erexit Joseph Patriarcha, cum Aegyptum administraret: ea autem non semel refecta, puteum quemdam habet in quem Nili aqua per canalem derivatur. In medio columna est, per cubitos et digitos divisa, ad quam aestimatio fit, quantum creverit Nilus, aut decreverit. Olim dictus fuit puteus ille *Νειλομέτριον*: vocant Arabes דיר אלמקיאס *Dir el mekias;* mensurae locum. Descriptio illius, tum omnium quae ad caeremonias aperiendi canalis quem *Halige* vocant, et reliqua alia Nilum spectantia, optima reperitur in Itinerario primo Thevenoti junioris; et passim alibi. Apud Arabes Aegyptum incolentes praeter multos et varios de Nilo libros, unum prae caeteris commendant, qui dicitur *Tarich el Nil,* seu Historia Nili; in quo a primis eorum Imperii annis recensetur, quantum quoque anno creverit, quove die, et ad quantam mensuram, quaeque deinde fertilitas, aut sterilitas consecuta fuerit. In Historiis generalibus, quales sunt multae rerum Aegypti, ut sunt per annos digestae, ad finem singulorum incrementi Nilotici ratio redditur.

Solennes supplicationes pro ejus exundatione.

Certum porro, non modo in publicis privatisque precibus suis orasse Christianos pro exundatione Nili, verum etiam, si quando tardior eveniret, cogebantur processiones facere suo more, praesertim cum Muhamedanos suas supplicationes nullo successu facere contigisset. Tunc enim maxime

superstitiosa illa gens, omnes cujuscumque Religionis homines orare seorsim, suoque die jubebat. In Historia Patriarchali narratur Judaeos aliquando pecunia redemisse jus primarum supplicationum, rati ex diversis indiciis futuram mox inundationem, quae ideo ipsis honori foret, quasi ipsorum precibus impetrata: sed cum contra Nilus decrescere visus esset, non solum gravi mulcta damnati sunt, sed etiam interdictum, ne per multos dies precarentur. De publicis supplicationibus illius exundationis causa factis, aliquot exempla sunt in eadem Historia: superstitio deinde successit cujus testem tamen alium laudare non possumus, quam Makrizium Muhamedanum. Ait enim eam inter Christianos consuetudinem fuisse, ut arcam in qua continebatur digitus cujusdam Martyris, in aquam demitterent, existimantes non futuram exundationem, si id omitteretur. Anno tamen Hegirae DCCII. regnante Nasser, Muhamede filio Kelaoun ex Mamalukis, vetitum ne id fieret, quamvis instarent semper Christiani ut licentiam obtinerent: anno demum DCCLIII. J. C. MCCCLII. diruta Ecclesia, capsa cum reliquiis consumta est. Sed hujus moris vestigium nullum est in antiquioribus libris.

Hist. Patr. Alex. p. 229. 311. 482. 606.

Hist. Patr. Alex. p. 606. 610. Makriz Ann. Aeg. ad hunc annum.

Memento Domine Patrum et Fratrum qui obdormierunt.

P. 8. l. 26.

Commemoratio mortuorum et oratio pro illis.

Orationis pro mortuis, eorumque inter Officia sacra commemorationis, perpetua communisque inter Orientales Christianos observatio est, eamque ad Apostolos referunt. Nam illis attribuunt Constitutionem illam ex Clementinis depromtam, quae extat in Collectione Ebnassali cap. 12. *Congregamini absque scandalo in Ecclesiis et legite scripturas sanctas, et orate super eos qui dormierunt sanctos, Martyres, aut fratres vestros credentes in Deum. Tum offerte Liturgiam Gratiarum actionis, corpus sanctum et sanguinem pretiosum Regis Christi,* Et sane nulla quacumque in Ecclesia Liturgia est, in qua pro mortuis oratio non fiat: quotidiana quoque officia nulla sunt, quae eorum commemoratione careant. Neque solum oratur pro illis, sed offertur sacrificium eorum causa, sepulturae ipso die, tum aliis. In illis quas modo laudavimus Constitutionibus: *Celebrabitis diem tertium cum Psalmis, et orationibus: septimo etiam agetis commemorationem vivorum et mortuorum: rursus finem mensis celebrabitis ad illorum dierum formam, tandemque anniversarium diem, in fine anni.* Praeter infinita testimonia quae ex Liturgiis, Euchologiis, et aliis officiis colligi possunt, extant integra officia exequiarum quas *Tageniz* vocant, quae nihil nisi tales orationes continent. In Historia Patriarchali ubique ferme mentio est Liturgiae celebratae pro defunctis Patriarchis, non solum in sepulturae die, sed in anniversario: imo communis erat dies, in quo omnium Patriarcharum memoria in Ecclesia Coptica celebrabatur. Ita apud Syros Jacobitas, Melchitas, Nestorianos: neque enim ulla unquam de hac disciplinae parte controversia fuit. Illud solum observari oportet, ipsos ita Sacrificium et preces offerre pro mortuis, ut non sicuti apud nos solet, immutetur totum quotidianum officium et aliud adhibeatur; sed Liturgiam diei convenientem ita celebrant, ut praeter lectiones quasdam ex scri-

pluris, et orationes quae suis locis inseruntur, reliqua ex communi ipsius diei officio continuentur. Ea occasio fuit nonnullis existimandi Missas illos non celebrare pro mortuis, quia qualem in Ecclesiis nostris, lugubrem apparatum nullum videbant. Orationes etsi pertineant ad petendam pro defunctis remissionem peccatorum, plus tamen Christianae spei de resurrectione et beatitudine, quam luctus et terroris offerre solent. Illud vero praecipue non sine admiratione in istis officiis ubique ferme animadvertitur, spem maximam resurrectionis, et liberationis a gehenna collocari in sanctificatione quam corpora fidelium contraxerunt, per susceptionem Eucharistiae. In Euchologio Jacobitico Syro. *Praesta Domine fili Dei, requiem et memoriam bonam mortuis, qui comederunt corpus tuum, et biberunt sanguinem tuum cum fide, dormitionemque acceperunt:* et postea. *Arrhabonem quippe vitae novae dedit Salvator noster fidelibus, transeundi de morte ad vitam, per corpus et sanguinem, quae beatitudinem conferent mortuis, qui illa perceperunt, et quorum beneficio suscitabuntur.* In officio Paschali. *Beati eritis o mortui in die resurrectionis, corpus enim vivum quod edistis, et sanguis propitiatorius quem bibistis, constituet vos ad dexteram.* In Liturgia quae in edito Romae Missali Syro, Xysti nomen, aliud, nec unum in manuscriptis praefert, tanquam ex persona Christiani dicitur: *Timebit ignis membra mea, quia repellet eum odor corporis et sanguinis Christi.* In alia Ioannis Barsusan. *Domine Jesu Christe qui es agnus sine macula pro nobis immolatus, ex quo epulati sumus, custodi corpora nostra quae corpori tuo sancto commista sunt, et obsigna labia nostra, quae sanguine tuo sancto peruncta sunt.* Nempe quia, ut in Liturgia Mathaei Pastoris et multis aliis orationibus legitur, *Eucharistia fermentum est vitae: pignusque beatae resurrectionis.* Severus Episcopus Aschmonin, idem explicat in Opusculo de Agno Paschali, dicens sanguinem Christi in Eucharistia perceptum, *signum esse super ostia spiritualia domus fidelium, quod cum vident Angeli exterminatores, fugiunt.* Nempe eadem omnino doctrina est quam paucis sed eximiis verbis Martyr Irenaeus complexus est: *corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non esse corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Sed de Oratione pro mortuis alibi. Interea legi non inutiliter possunt, quae de hoc argumento commentario suo in Bibliothecam Syriacam Hebed Jesu inseruit Abrahamus Echellensis: quae auctiora reposuit in Eutychio vindicato adversus Joannem Seldenum, tum ejus in Professione Romana successor Faustus Naironus, in Evoplia Catholica, quae multa continet scitu dignissima: tum Officia exequiarum Coptica et Syriaca, et ex istis officium Syriace Romae editum, quod manuscriptis codicibus conforme est.

P. 9. l. 8.

Oratio veli.

Haec Oratio ita appellatur, quia dici solet cum Sacerdos ingreditur intra Βῆμα, sive solium altaris, circa quod velum praetenditur, apud Orientales, ut etiam apud Graecos; ne vulgi oculis sacra mysteria exponantur.

Videndum Glossarium in voce καταπέτασμα. Respondet haec oratio illi, quae in Chrysostomi Liturgia dicitur πρώτη τῶν πιστῶν, *Prima fidelium*: quia tunc soli *fideles*, hoc est Christiani qui mysteriorum participes esse poterant, in Ecclesia erant, ejectis Catechumenis et Poenitentibus. Aliam etiam titulus iste significationem habet, nam καταπέτασμα vocatur etiam velum illud, quod εἰλητὸν Graeci vocant, quo scilicet Discus et Calix simul teguntur, et Corporali Latinorum aliquatenus respondet, illius potissimum formae antiquae, quo et Patena et Calix tegebantur, quam Carthusiani retinuerunt. Tunc enim cum Oratio τοῦ καταπετάσματος pronunciatur, sacra munera, quae statim atque deposita in altari fuerant isto velo tegebantur, eo sublato Sacerdos detegebat: quod in Graecis Liturgiis dicitur ἐξαπλοῖ τὸ εἰλητόν.

Oratio pro Pace, etc. P. 9. et 10.

Satis ex hujus orationis contextu apparet desumtam eam esse ex antiquo Ritu Alexandrino, quem Graeca repraesentat. Tota scilicet haec oratio Graece legitur et eodem ordine, paucis mutatis in Codice Regio: pro pace, pro Ecclesia, Rege, Principibus, Papa, hoc est Patriarcha Alexandrino, etc. Τὸν βασιλέα simpliciter nominat. In Marci Liturgia. Τὴν βασιλείαν τοῦ δούλου σου ὃν ἐδικαίωσας βασιλεύειν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀνδρείᾳ καὶ γαληνότητι διαφύλαξον τὴν ταπεινὰν καὶ ἐλεεινήν, καὶ φιλόχριστον πόλιν ταύτην ῥῦσαι αὐτὴν ὁ Θεός, ἀφ' ἡμερῶν πονηρῶν, etc. *Regnum servi tui quem in terra regnare justum censuisti, in pace et fortitudine, et justitia et tranquillitate conservato. Humilem et misericordem et Christi amantem civitatem istam, libera Domine a diebus malis.* Ita vertit interpres, non plane accurate: Neque enim, quantum judicare possumus, ad Christiana tempora haec oratio pertinet, sed ad infelicem jam Arabum dominorum tyrannidem. Quippe legitur in Liturgia Chrysostomi ὑπὲρ σωτηρίας τῶν εὐσεβεστάτων καὶ θεοφυλάκτων βασιλέων ἡμῶν. *Pro salute piissimorum et a Deo custoditorum Imperatorum nostrorum*: et in Basiliana. Μνήσθητι κύριε τῶν εὐσεβεστάτων καὶ πιστοτάτων ἡμῶν βασιλέων: et in eo exemplari quod servatur in Bibliotheca Regia. Ὑπὲρ σωτηρίας, κράτους, νίκης, καὶ διαμονῆς τῶν εὐσεβεστάτων καὶ φιλοχρίστων ἡμῶν βασιλέων. *Pro salute, victoria, potentia, conservatione piissimorum et Christi amantium Imperatorum nostrorum* — quae formula quantum a Marci Graeca diversa sit, nemo non videt. Nam in primis verbis agnoscitur infidelem, non Christianum principem designari, cum de eo dicitur, *quem justo judicio tuo super hanc terram regnare voluisti.* Nihil hic ad laudem illius fidei, quae tamen nunquam omittitur, quoties de Christianis Imperatoribus verba fiunt. Accedit etiam sequentis orationis forma: nam de urbe sub Christianis Imperatoribus, liberam habente verae Religionis professionem, nunquam ista verba usurpantur; afflictae autem et sub Barbarica tyrannide gementi ταπεινῆς καὶ ἐλεεινῆς, *humilis et miserabilis* nomina maxime conveniunt; talis enim fuit tunc Alexandriae con-

Orationis pro Regibus formae diversae.

Euchol. p. 99.

ditio. Verum Christiani non destiterunt idcirco, orare pro Regibus, etiam infidelibus. In vita Dionysii Patr. Alexandrini de Gallo Imperatore scribitur, *eum occidisse Sacerdotes qui pro ejus salute Deum interpellabant.* In vita Zachariae LXIV. inducitur Jacobitarum Patriarcha Joannes, Romanum Imperatorem Melchitam, atque adeo secundum illius sectae praejudicia Haereticum, ita alloquens. *Domine Imperator, Deus imperium tuum et majestatem tuam conservet: novit autem ille me indesinenter orationes precesque facere pro imperio tuo potenti, sicut nobis scripturae sanctae praecipiunt,* Nec dissimilia in vita Cyrilli. Elias Hierosolymitanus et postea Nisibenus Metropolita Nestorianus, in Homilia de Nativitate Domini, *Regem et principem nostrum Deus in septis adyti muniti collocet.* In Euchologio Arabico Melchitarum, Fani Fortunae edito an. 1514. *Reges nostros fideles instrue armatura tua coelesti, et da illis victoriam de illorum hostibus.* Nempe Melchitae, qui diutius quam alii, multis in Provinciis sub Christianis principibus vixerunt, veterem quoque formulam servaverunt, qualis extat adhuc in Nestorianorum Liturgiis, ut orarent *pro Regibus fidelibus*, quae tamen ultima vox sublata est: quando periculum aliquod ab infidelibus timebatur. Itaque hoc loco orant Coptitae simpliciter, *pro Rege terrae,* sed ut in Orationibus sequentibus patet, servaverunt antiqui moris vestigia, dum orant *pro Regibus Orthodoxis*: quales sane non sunt Muhamedani: neque tales habentur apud Jacobitas alii, quam qui eorum haeresin profitentur. Non occurrit autem in commemorationibus Regum titulus ille frequenter, alibi quam in istis Liturgiis Jacobiticis, sed ut de Graecis mox observavimus, *piissimi, fidelissimique* appellantur Reges Christiani pro quibus orant, non *Orthodoxi.*

Per Reges Orthodoxos qui nam intelligendi.

In ea porro affectata appellatione est causa quaedam secretior, ad Jacobitas proprie pertinens. Nam a Marciani Imperatoris tempore, perturbata per eorum factiones Ecclesia, praesertim Aegyptiaca, omnes fere Imperatores Graecos infensissimos experti sunt, praeter eos qui haeresin defendebant; Zenonem et praecipue Anastasium, quos in Coelum ferunt, et in Kalendariis suis consignatos, ad annuam commemorationem habent. En homines a quibus Orthodoxi primum Reges, inter Orationes Ecclesiasticas appellati sunt, quamvis aliis in locis, praesertim in Diptycho, sub ea classe contineantur antiquiores Imperatores Constantinus, et Theodosius senior, quod eorum opera Nicaenum et Ephesinum Concilia Arii et Nestorii haereses condemnaverunt. Postea vero cum Arabes rerum potiti sunt, orandi pro Christianis Imperatoribus causa nulla erat, a quorum dominatione distracti erant, et quos ut Calchedonenses, Haereticorum loco habebant. Cum igitur pro Orthodoxis Regibus orationes reperiuntur inter Jacobitarum Aegyptiorum officia, duo designantur, Rex Aethiopiae et Rex Nubiae, qui ab eo ferme tempore quo Muhamedani Aegyptum subegerunt, ad Jacobiticam sectam translati, in ea huc usque perseveraverunt. Ambo quippe sedi Alexandrinae Jacobiticae subjecti, eam matrem agnoscunt, nec aliunde Metropolitas aut Episcopos accipiunt. Quocirca Orthodoxorum Regum titulus illis tribuitur ab autoribus Historiae Patriarchalis, Abuselah Armeno, et aliis. Eo autem no-

mine praecipue gloriantur Alexandrini Jacobitarum Patriarchae, quod soli in Muhamedanorum Imperio, Reges Christianos habeant suae sedis autoritati subjectos, qua dignitate carebat Antiochenus ejusdem sectae. Qui enim in vastissima illa dioecesi Christiani principes superfuerunt aliquando, aut ex Graecae Ecclesiae communione, aut ex Latinae post bella Transmarina fuerunt, quibus cum Jacobitis commune nihil unquam fuit. Nestoriani serius, cum apud Turcas et Cataïos Religionem Christianam, sed sua haeresi infectam propagassent, habuerunt quoque more suo *fideles Reges* hoc est suae sectae, qualis fuit famosus ille Ungchanus, quem Presbyterum Joannem plerique fuisse volunt, is scilicet qui a Ginghizchano Mogolici Imperii fundatore, vita regnoque spoliatus est. Fuerunt alii quoque, ante et post Ginghizchanum Christiani in Tartaria principes, qui Hordis amplissimis imperarent; de quibus dicemus alibi.

Quid in Jacobitis culpandum circa obedientiam Principibus debitam.

Porro quamvis Christianae Religionis praecepta et exempla Jacobitae Aegyptii non minus in libris suis consignata habeant, de obedientia erga Principes etiam infideles, eamque metu et malis subacti Muhamedanis abjectissimam semper praestiterint, attamen hac in parte Christiani officii, dupliciter peccasse et quidem gravissime deprehenduntur. Primum quidem peccatum et in Christianis inexcusabile fuit petulantia et libido calumniandi Marcianum et Pulcheriam, de quibus, regum majestate insuper habita, multa mentiuntur, et conviciorum in eos plaustra effundunt. Omnia quae per scelus et seditionem a Dioscori sectatoribus et successoribus gesta sunt, probant et collaudant: tandem quod caput scelerum fuit, cum Arabes Aegyptum invaserunt, non modo Jacobitae reipublicae defuerunt, sed contra Imperiales praefectos, cum Amro et aliis hostium ducibus coitionem fecerunt, et excusso Christianorum principum legitimo dominio, Barbaris se tradiderunt. Haec non negant illorum meliores Historici, etiam Ecclesiastici, nam ex Eutychio et autoribus rerum Aegyptiacarum multis, discimus Coptitas omnes, sive nativos Aegyptios, quia plerique Jacobiticam sectam perdite tuebantur, ad Arabes statim defecisse, et Melchitas qui Graeci erant et Orthodoxi, ex illa defectione coactos fuisse ad deditionem faciendam. Haec fuit Haereticorum illorum adversus legitimos principes suos fides: majori vero adhuc scelere, cujus non unus aut alter insimulari poterant, sed tota Ecclesia Jacobitica, sub Patriarcharum suorum autoritate, Graecos Orthodoxos qui paucissimi et absque Episcopo remanserant, in extrema saepe pericula adduxerunt, calumniis suis eos apud gentem suspiciosissimam traducendo, quasi novas res in favorem Graecorum Imperatorum molirentur, quia in eadem religione erant. Neque meliores in hoc officii genere Melchitae fuerunt, quamvis minor esset fidei, aut prope nulla inter eos Francosque Hierosolymis regnantes diversitas, tamen cum eam urbem Salaheddinus obsessam teneret, nec obsidio ex voto omnino succederet, eam omittere cogitabat, nisi Melchita quidam, omnes suae religionis homines, simul cum Jacobitis conjuratione illigasset, qua Franci adeo perterriti sunt, ut statim deditionem fecerint. Tanta est haeresis et rebellionis affinitas.

Severus in Hist. Concil. Elmac. Hist. I. p. Ms. Tarich. Armeni Hist. Patr. Alex. p. 163.

Hamad Ispahanensis in vita Salaheddini.

Illorum nimia erga Muhamedanos principes adulatio.

Alterum caput in quo Orientales culpa non vacant, nimiam adulationem spectat, qua Muhamedanis Sultanis, praeter preces quas ex officio debebant, multa detulerunt, quae non licebant. Non modo publicas supplicationes coram ipsis faciebant, sed cum omni ornatu Ecclesiae, et sacris etiam vasis et Evangeliis ad Palatium ibant, praesertim in Patriarcharum inaugurationibus: multas causas Ecclesiasticas ad eorum tribunalia deferebant, tandemque eorum metu, non modo adversus Muhamedanam impietatem ne hiscere quidem audebant, sed etiam ipsum impostorem Muhamedem absque honoris praefatione non nominabant, et saepe laudibus prosequebantur, ut fecit inter alios Amrou Mathaei filius Nestorianus, qui illum magnopere commendat, quod *Idololatriam sustulerit, uniusque Dei cultum propagaverit.* In eo modum omnem excesserunt Nestoriani, in quorum libris Theologicis post scripturae testimonia, occurrunt petitae ex impurissimo Alcorani coeno autoritates, ut in Tractatu de Fide Christiana Eliae Metropolitae Nisibeni, postea Catholici: in aliis sectis tale quid non facile occurrit.

P. 11. l. 24.

Dicet populus Fidem Orthodoxam.

Symbolum recitatum olim Graece.

Ut apud Graecos Πίστις, ita apud Orientales *fidei* vocabulum, Symbolum Nicaenum in communi usu Ecclesiastico significat, quod Coptitae vocant, *Fidem Orthodoxam.* Hujus exemplaria Graece exarata, cum versione Arabica, ad antiquitatis memoriam, repraesentat Codex Canonum antiquus Bibliothecae Regiae. Apud Coptitas an olim Graece dictum fuerit potest dubitari; sed dudum est cum Arabice dicitur: suntque illius diversae versiones; nam antiquior et melior ex Graeco exemplari, quae passim extat in Euchologiis, et aliis libris Ecclesiasticis, facta est; aliae ex Syriaca versione, et quidem duplices, nam est discriminis nonnihil inter eam qua Nestoriani utuntur, et alias. Eo nomine ipsos vehementer exagitat Severus Episcopus Aschmonin, singulari opusculo adversus Ebn Obeid Metropolitam eorum Damascenum. Notat praecipue quod omittant haec verba *coeli et terrae:* legantque ita, *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem omnium visibilium et invisibilium.* Tum *et in unum Dominum filium Dei unigenitum, primogenitum omnis creaturae: ex patre natum ante saecula, non creatum.* Neque habent, *lumen de lumine*: addunt etiam post ea verba *et homo factus est, conceptus in ea et natus ex Virgine*: reliqua minoris momenti sunt. In eo autem Symbolo, ut olim Christiani omnes, ita sectae Orientales paucis syllabis exceptis conveniunt. Pariter etiam non modo inter se ipsae, sed cum Graecis consentiunt, in exagitanda additione a Latinis facta circa Spiritus Sancti processionem, per illa verba *qui ex patre filioque* procedit.

Ms. B. R.

Nestoriani singularem ejus versionem habebant.

De additione *filioque.*

Eam quippe additionem condemnant, non modo quasi temere factam, et absque legitima autoritate contra Constantinopolitani Concilii et aliorum definitionem, sed etiam quasi novum dogma contineat, de processione sancti

Spiritus a Patre et Filio, de qua nihil Symbolo adjectum velint: si quid alibi explicationis gratia addendum sit, nihil aliud quam scripturae verbis dicitur, *qui a patre procedit et a filio accipit,* ut in Liturgia Syriaca Dionysii: aut sicut in alia Jacobitis quoque propria Mathaei Pastoris. *Ipse a te, o Pater, ab aeterno procedit, et a filio tuo quae essentialia sunt accipit.* Illius igitur additionis causa, accusantur *Franci,* hoc est Latini a Severo Episcopo Aschmonin, et Ebnassalo Collectionis Principiorum fidei cap. 24. in quo adversus eos, contra hanc additionem disputat, ut Petrus Melichae Episcopus, de sectis: Paulus Seidae sive Sidonis in Tractatu de eodem argumento: Abulbircat duobus in locis, non modo ubi loquitur de sectarum differentia, sed in expositione Symboli, ut etiam Autor scientiae Ecclesiasticae. Cum vero multae ejusmodi expositiones extent in Codd. Mss. breves aliae, et quasi simplices Paraphrases, prolixiores aliae, vix ulla talem observationem adversus Latinos non habet. Neque ipsius symboli antiquum aliquod exemplar, aut recentius, cujus aliqua autoritas censeri possit, hanc additionem Latinorum more factam exhibet, nisi interpolatum manu recenti, ut sunt edita officia ad usum Maronitarum, ex quibus nulla adversus communem usum Orientalium testimonia duci possunt. Occurrunt enim codices aliquot non valde antiqui, sed sinceri, pro ipsis Maronitis scripti, diu postquam ad Ecclesiae Romanae unitatem redierunt, in quibus haec additio desideratur. In Euchologiis Melchitarum Arabicis Symbolum descriptum est, ut vulgo apud Graecos legitur: *et in Spiritum sanctum Dominum; vivificantem; qui e Patre procedit.* Ita quoque in ejusdem Euchologii Melchitarum Arabici editione Fanensi an. 1514. Ut in antiquissimo Syriaco Codice Mediceo Collectionis Canonum. De Nestorianis certum facit consensus codicum illorum qui preces continent, eos sequi pariter Graecam lectionem: ita quoque Coptitae. Nam in Codice qui *Theotokia* et diversas alias orationes Coptice et Arabice scriptas continet, Symbolum legitur absque additione, ut in aliquot aliis, tam antiquis quam recentioribus exemplaribus.

Temere igitur omnino Abrahamus Echellensis in Notis ad Praefationem Arabicam Nicaeni Concilii, in editione magna Parisiensi cum aliis ejus de hoc argumento opusculis recusam, scripsit. *Symbolum Nicaenum cum particula,* filioque, *expresse habetur in editione Coptitarum cujus extat exemplar in Bibliotheca Ill. viri D. Gilberti Gaulmini.* Temere, inquam, omnino, nam Codex Regius fuit olim Gaulmini, cujus omnes manuscripti in Regiam Bibliothecam translati sunt. Quod si ut idem Echellensis subjungit, habetur eadem additio in Maronitarum exemplaribus, emendata illa fuerunt procul dubio per recentiores manus, ut in editione Liturgiae Aethiopicae, post Novum Testamentum factum est, et in omnibus ferme libris aliis qui aut Romae, aut sub Romanorum Censorum oculis editi fuerunt. Nihil est enim certius, quam ignorari penitus illam additionem ab Ecclesiis, quae a Romana eam non acceperunt. Frustra etiam invocabuntur adversus hanc observationem indubitatam, testimonia quae postea adjungit Abrahamus, ex autoribus quos nemo praeter eum unquam aut vidit, aut appellavit, et quos re-

Echellensis notatur.

centissimos esse dubitare non possumus. Unum habemus codicem ex quo excusari aliquatenus posse videretur, et is est Collectionis Canonum Coptitarum amplissimae, in quo legitur Symbolum, cum additione verborum, *filioque*. Verum annotat simul scriptor, illud esse secundum Francorum Codices; qua sola nota testatur, eadem verba a popularibus suis Christianis ignorari. Attamen licet ea sit Orientalium opinio, in sua traditione fundata, quod nihil Symbolo adjiciendum sit, ignorant tamen contentiosam illam omnem Graecorum posteriorum de hoc argumento Theologiam, breviterque admodum in ea versati sunt.

Morem recitandi in Liturgia Symboli, Orientales Nicaenis Patribus attribuunt.

Quamvis autem Symboli inter sacra mysteria recitatio non ab initio instituta fuerit, statim postquam ejus formula in Nicaeno Concilio stabilita est, communis tamen Orientalium traditio illum recitandi morem illis Patribus attribuit. Isa f. Zaraa Jacobita insignis Theologus, ita scribit in opusculo de Conciliis. *Praeceperunt CCCXVIII. Patres ut istud fidei Symbolum recitaretur in omni Liturgia et oratione, utque illud ediscerent viri et foeminae, juvenes et senes servi et omnes fideles, illudque memoria tenerent, ut ad stata orationum divinarum et vespertinarum tempora illud recitarent.* Ebnassalus in Canonum Collectione cap. 14. *Recitetur Symbolum fidei Catholicae in omni oratione:* alter quoque Ebnassalus in principiis fidei cap. 9. idem docet, ut etiam Severus opere de Synodis et Symbolo. Ebneltaïb Nestorianus Tractatu de Incarnatione. *Patres qui fidei Orthodoxae Symbolum ediderunt, jussere ut illud memoriae mandaremus; utque illud in omni oratione et Liturgia recitaremus.* Ita omnes passim: neque enim in antiquis originibus Ecclesiasticis quidquam sciunt, praeter communem et disciplinae, quam oculis observant, conformem traditionem. Ita facile crediderunt recitatum fuisse Symbolum jam a Nicaenis temporibus, quia a Schismatum initiis aut circiter, talis erat Graecorum consuetudo. Theodorus lector anno DX. Timotheum Patriarcham statuisse scribit, ut per singulas Synaxes recitaretur: neque antiquiorum temporum autoritates certae suppetunt: nam quae ex falsis Decretalibus adducuntur, nullius momenti sunt. Petrum Gnapheum, Nicephorus recitationem Symboli instituisse scribit: et inde forte conjectura non inverisimilis duci potest, Haereticos prius incoepisse quam Orthodoxos. Nam Nicaenum Concilium semper in ore habent, quasi illorum novitatibus quidquam praesidii ab illo accederet. *Sane serius omnino et non nisi post annum M. XIV. sub Benedicto VIII. Romae coepit cantari Symbolum, et ideo nec in Ordine Romano, nec in priscis Sacramentorum codicibus, nec apud Amalarium, Alcuinum, Rabanum, Remigium, et alios qui ante praedictum annum Romanae Missae Ordinem explanarunt, ulla Symboli mentio reperitur, cum tamen multo ante in Hispania, Gallia et Germania cantaretur.* Verba sunt Cardinalis Bona, apud quem plura de hoc ritu legere quisque poterit, ut etiam apud Hugonem Menardum in Notis ad Sacramentale Gregorianum. Concilii Toletani III. an. D. LXXXIX. habiti Canon II. in re obscura lumen praeferre videtur maximum: *Ut per omnes Ecclesias Hispaniae vel Gallaeciae, secundum formam Ecclesiarum Orientalium, Concilii Constantinopolitani Symbolum fidei recitetur.* Jam igitur ante illam

Rerum Liturg. l. 2. c. 8.

aetatem certa erat et usque in Hispanias pervulgata Symboli recitatio, in Orientalibus Ecclesiis, neque noviter introducta. Non alia igitur origo quaerenda est inter Syros, Aegyptios, et alios qui ab Ecclesia recesserunt, quam imitatio consuetudinis Ecclesiasticae, neque postulandum ut Symbolum cum additione recitarent, quae facta nondum fuerat, cum ut omnes agnoscunt, in Hispania coeperit Priscillianistarum causa, et non nisi post aliquot saecula in Romanam Ecclesiam inducta fuerit.

Oratio osculi pacis.

P. 11. l. 33.

De osculo pacis.

Osculum sanctum, quod ex vetustissima Ecclesiarum consuetudine dare invicem Christiani inter sacra solent, Ἀσπασμὸς apud Graecos appellatur, quam vocem Coptitae, Arabesque, ut et multas alias retinuerunt: itaque titulus istius Orationis est in eorum exemplaribus *οονευχηνπασμός*. Neque solum ea utuntur quando Coptice scribunt, sed etiam Arabice. In Historia Patriarchali ad annum Martyrum CCCXXXIII. *quando adfuit tempus ἀσπασμοῦ* hoc est pacis. Nempe eam retinuerunt ex Paulinis Epistolis ubi non semel occurrit *Ἀσπάζεσθε ἀλλήλους, ἐν φιλήματι ἁγίῳ*, *salutate invicem in osculo sancto*. In Syriacis Liturgiis *Pax* tantum appellatur nempe שלמא, Arabice סלח, eodem sensu, ut etiam apud nos. Ritus ille ab omnibus Ecclesiis retinetur: cum aliqua differentia: nam Latino ritu juxta illam Innocentii III. sententiam Ep. I. *cum post omnia quae aperire non debeo*, inquit, hoc est post mysteriorum consecrationem *pax sit necessario indicenda*. Attamen etiam inter Latinos, Ambrosianus et Mozarabicus Ritus, osculum pacis ante consecrationem praescribunt. Nota sunt quae in Clementinis Constitutionibus occurrunt de antiquo illo ritu l. 8. c. 11. et Concilii Laodiceni can. 19. *ut tres a fidelibus orationes fiant*, *prima silentio, duae elata voce, tum pax detur*. Ex antiquis illis monumentis petita sunt quae habet Ebnassalus in Collectione Canonum cap. 12. *Diaconus stans cum Episcopo (aut Sacerdote) ad ministerium, edicet plebi, ut nullus inter se et fratrem suum dolum aut hypocrisin foveat: tum viri se invicem osculabuntur: mulieres vero alias mulieres osculabuntur, nec illis viri osculum dabunt.* Idem praescribit Abulbircat in Expositione Liturgiae, Gabriël Patriarcha et alii rituum interpretes. Illud etiam non praetereundum est, quod ex antiquitatis veneratione, Diaconus osculum pacis denuncians, adhuc populum Graece alloquitur dicens: *Ἀσπάζεσθε ἀλλήλους, ἐν φιλήματι ἁγίῳ*: quae verba leguntur apud Abulbircat, ut alibi. Ubi tamen observandum est Graecum exemplar editum Liturgiae D. Marci, hoc loco transpositione turbatum esse: sequitur quippe osculum pacis, Oratio *Προθέσεως*, de qua initio diximus. At ejus sensus et verba satis ostendunt, eam non suo loco esse positam, sed ad initium Liturgiae revocandam: neque minus turbatus ordo videtur, dum Symbolum in eadem Marci, osculo pacis subjungitur: nisi haec disciplinae diversitas locum aliquando apud Graecos Alexandrinos habuerit, de qua tamen

non liquet, aut suspicandi locus est. Verum haec difficultas facile solvitur: nam Orationes in codicem transcriptae, non omnes dicuntur, sed aliae atque aliae, pro temporum diversitate. Itaque et ista *Προθέσεως*, et aliae positae locis non suis, recitandae sunt juxta communem ordinem: neque diversi ritus indicia sunt.

Ritus diversi ad eam Liturgiae partem olim observati.

Eo autem Liturgiae loco, diversi ritus veteres proprium locum habebant, qui dudum non adscribuntur in Codicibus, quia obsoleverunt. Tunc enim significabat Diaconus: *Ne quis ex Catechumenis: ne quis ex Infidelibus: ne quis ex haereticis: ne quis contra quempiam, ne quis in hypocrisi*, et alia quae exprimuntur ultimo Constitutionum Apostolicarum libro, Jacoboque attribuuntur: quaeque leguntur in Marci Graeca, et aliis Liturgiis. In Copticis nullum jam istorum apparet vestigium: superest tamen obscurum aliquod in Liturgia Aethiopica, quae dicitur Domini nostri Jesu Christi, ubi circa Praefationis initium Diaconus dicit. *Si quis hypocrisin cogitavit intra cor suum, confiteatur: qui incidit in peccatum, ne obliviscatur illud, ut non oblivioni tradatur. Qui vitio aliquo mentis laborat, ne accedat: qui pollutus, qui impurus est, abeat.* Eo vero testimonio capi leve saltem indicium potest, has Diaconorum obnunciationes, quae antiquitus communes toti Ecclesiae fuerunt, in Aegyptiaca non omissas fuisse: verum cum a Muhamedanorum temporibus, maximum disciplina detrimentum ceperit, inseri codicibus desierunt, quae ex quotidiano usu sublata fuerant. Neque enim jam Catechumeni publici, multo minus poenitentes, ulli supererant. Hujus mutationis, antiquaeque pariter disciplinae testimonium insigne habetur in Jacobitarum

Ms. Syr. Bib. Colb.

Syrorum Nomocanone verbis Jacobi Edesseni. *Olim*, ait, *post scripturarum lectionem recitabatur oratio super audientes, et alta voce denunciabat Diaconus:* abite audientes: *atque ita transibant sub manu Episcoporum aut Sacerdotum: et abibant, simul etiam, Energumeni, Catechumeni, et Poenitentes, super quos oratio peculiaris recitabatur a Sacerdote, post admonitionem Diaconi: cumque benedictionem accepissent, exibant. Jam vero, cum haec sublata sint, post lectionem scripturarum dicitur Oratio Introïtus* (seu *εἰςόδου μεγάλης*: nam est, ut diximus, delatio donorum consecrandorum a Prothesi ad altare, quae ut apud Graecos ita et apud Syros non nisi post scripturas lectas perficitur: apud Coptitas, antea quam legantur) *deinde dicitur Symbolum fidei, quod ab omni populo pronunciatur. Sequuntur tres orationes, Pacis, impositionis manuum, et ablationis anaphorae, seu veli. Tum Sacerdos ter cruce signat populum dicens:* Charitas Dei Patris etc. *Deinde incipit Oblationem prius admonens et dicens* Sursum corda. Quam vero haec omnia Liturgiae huic nostrae conveniant, patet, simulque Syriacum ritum, aut Graecum, ab Aegyptiaco non differre, nisi in illis quae mutatio disciplinae omittere coegit, ut est Catechumenorum et Poenitentium dimissio.

Benedictionis formula antiquissima.

Porro illa benedictio, *Charitas Dei Patris, gratia Filii, et communicatio Spiritus sancti* desumta est ex 2. ad Corinthios cap. 13. §. 13. quam esse *ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τῆς μυστικῆς λειτουργίας προοίμιον, in omnibus*

Theod. Ep. 146.

Ecclesiis mysticae Liturgiae prooemium, scribit Theodoretus ad Joannem

Oeconomum. Extat in omnibus Graecis et Orientalibus, Syris, Armenis; neque satis intelligere possumus, cur in hac Basilii Coptica hoc loco non reperiatur. Etsi enim multos optimaeque notae codices illius tractaverimus, in nullo a nobis observata est: neque in Aethiopico generali Canone qui ex ea expressus est. Sed nec illius meminit Abulbircat, dum singulas Liturgiae partes explicat, quae ratio cum aliis conjuncta, facit ut dubitanter affirmemus, benedictionem illam praetermissam esse in codice Basilianae Liturgiae. Attamen reperitur in Graeco Codice Regio Liturgiae Alexandrinae S. Basilii, ut in altera Gregorii. Ejusdem tituli Coptica eamdem habet et quidem Graece; ut etiam a Maronita Interprete observatum est, qui verba Graeca ad oram apposuit.

Notandum porro in codice Coptico, primam orationem osculi pacis eam esse quae ita incipit. *Deus magne et aeterne qui hominem absque vitio condidisti.* Ea vero in Cod. Gr. Regio ita se habet. Ὁ θεός, ὁ μέγας, ὁ αἰώνιος, ὁ κτίσας ἐν ἀφθαρσίᾳ τὸν ἄνθρωπον. Eam sequitur altera. *Superant omnem vim sermonis:* quam Codex idem repraesentat Πᾶσαν ὑπερεκκύπτει τοῦ λόγου δύναμιν. Sed in Graeco exemplari prima est, cujus hoc initium. Κύριε ὁ θεός, ὁ κτίσας ἡμᾶς, καὶ ἀγαγὼν εἰς τὴν ζωὴν ταύτην. *Domine Deus qui creasti nos et adduxisti in vitam hanc:* dicitur autem in titulo, esse S. Basilii: atque ea ipsa legitur in Graeca vulgari Basilii Liturgia. In codice meo manuscripto Coptico-Arabico, duae aliae occurrunt: una titulo Joannis Bostreni in Coptico textu; at in Arabico qui est e regione dicitur sancti Joannis Chrysostomi. Incipit: *Deus Charitatis qui das cor unum.* Huic subjungitur alia Oratio pacis ad Patrem: *Deus omnium Domine, fac nos dignos hoc salutari, etc.* Quis sit iste Joannes Bostrenus huc usque agnoscere non potuimus. Bostra eadem urbs, quae ab Arabibus postmodum Basora appellata est; itaque illum eumdem esse non dubitamus qui alibi Joannes Basorensis dicitur, et cujus nomine extat Liturgia Syriaca, in codice Colbertino, ad usum Jacobitarum. Nam initio ejusdem occurrit statim haec oratio, cum levi tamen, et quae sententiam non interturbet, diversitate. Titulo מרי *Mar*, hoc est *Sancti* seu *Beati*, honestatur in codice Syriaco.

Hinc porro manifestum est id quod semper in memoria haberi oportet cum Orientalium ritus examini subjiciuntur, codices progressu temporis, ex descriptorum obscura diligentia, multas orationes quae primitus non extabant accepisse, ut ad arbitrium Sacerdotum dicerentur: et ex aliorum ignorantia titulos augustiores aliquando tulisse, qui deinde lectoribus fraudi fuerint. Ea oratione et altera breviori quae subjungitur, carent Regii codices melioris notae quam noster, qui non admodum antiquus est, ut non legebatur in Scaligerano; et aliis quos Maronitae Romae consuluerunt.

Anaphora sancti Basilii.

P. 12. l. 33.

Anaphora proprie dicta quid significet.

Titulus hic secundo loco repetitus, alio sensu accipiendus est quam initio Liturgiae, ubi integrum illius officium significat, hic vero secundam

Euchol. Goar. p. 136. primariamque simul illius partem, in qua oblatio fit donorum, eorumque consecratio et distributio, quae gratiarum actione concluditur. Ea propter ἀναφορὰ proprie appellatur, quia, ut in Missa Chrysostomi legitur, tunc ἀναφορὰ προςφέρεται, *Oblatio offertur:* et ut in Clementis Constitutionibus, est proprie tempus oblationis καιρὸς ἀναφορᾶς, quo appetente, portas claudi jubetur. Eo sensu etiam Προςφορὰ dicitur in Collectione Canonum saepius laudata. *Diaconus afferet aquam, lavabuntque Sacerdotes manus suas, et dicetur Προςφορά.* Ita haec officii pars Canoni nostro respondet, quod intelligendum tamen ea ratione, quam hujus commentarii initio exposuimus. Nam proprie loquendo, hic incipit Liturgia, cum reliquae orationes et caeremoniae ad hunc usque locum, προπαρασκευαστικαὶ censendae sint: atque ea fuit communis Expositorum Missae Romanae antiquiorum sententia. Florus Magister. *Antiqui autores ita sentiunt, Missam a praefatione incipere, praecedente lectione Apostolorum et Evangeliorum: praecedente nonnunquam etiam allocutione magistrorum, subjuncta quoque Symboli confessione, et oblatione populorum et initiata consecratione Sacramentorum.* Antiqua Expositio autoris anonymi. *Missa vocatur ab eo loco, ubi incipit Sacerdos Sacrificium Deo offerre, usque ad Ite Missa est.* In antiquissimis codicibus ante praefationem adscribitur titulus *Immolationis* et *Inlationis:* de qua Isidorus l. I. c. 15. *infertur illatio in sanctificatione oblationis*, In Missali Gothico et Gallicano. *Immolatio Missae.*

Cum igitur significatam rem habeamus ex communi omnium Ecclesiarum Orientalium Occidentaliumque disciplina, atque certum sit Oblationem hoc loco incipere, facile intelliguntur verba semi-graeca quae hoc loco Codices Coptici repraesentant, quaeque Arabes interpretes fefellerunt. Ita legitur προςφέρειν κατὰ τρόπον ἡμῶν. Στάθητε εἰς ἀνατολὰς βλέπετε: at versionis Arabicae talis est sensus. *Accedite o homines, state, ad Orientem, aspicite et respondete.* Maronita. *Accedite, sistite vos, et Orientem versus aspicite.* Nempe in Codice Scaligerano talis fuit Scriptura προςφερήματα στάθητε εἰς ἀνατολὰς βλέψατε. Sed haec sunt plane nihili. Itaque primo legendum προςφέρειν: quae vox titulus est sequentis officii quod προςφορὰν et ἀναφορὰν vocari dictum est: inde formata, quia paulo ante in Graecis Liturgiis legitur, πρόσχωμεν τὴν ἁγίαν ἀναφορὰν ἐν εἰρήνῃ προςφέρειν, *attendamus ad sanctam oblationem in pace offerendam.* Hanc ultimam vocem ignari linguae Graecae facile pro προςφορᾷ acceperunt; idque eo certius asserimus, quod Arabes eam scribunt *Ebrosforin.* Ex voce προςφέρειν Arabes verterunt, quasi initium orationis foret תקדמו, quae est ambigua: significatque *accedite,* vel potius *offerte:* nullo etiam plane sensu. Neque enim Diaconus populum alloquitur, ad quem adhortatio accedendi vel offerendi, nulla ratione pertinet, quia nec accedunt ad altare Laïci, ut oblatas offerant: neque ipsi offerunt eas Deo per Sacrificium, nec inferunt ad altare ut eas Sacerdos consecret; sed haec sunt sacerdotalia munia. Neque etiam ad Sacerdotes aut Diaconos verba fiunt pro afferendis muneribus, jam enim facta est ἡ μεγάλη εἴσοδος, seu *munerum illatio:* multo minus ad sacerdo-

tem celebrantem. Nullum igitur illa vox sensum habet, alium quam designatum a nobis, nempe ut significet *Prosphoram* sive oblationem hic incipere.

Sequitur μετά, ut in Codice Scaligerano, in nostro, κατὰ τρόπον ἡμῶν στάθητε. *State juxta morem nostrum vel vestrum:* aut post μετὰ subintelligendum φόβου: *stemus decenter, stemus cum timore:* εἰς ἀνατολὰς βλέψατε. Haec, inquam, omnia sunt adhortationes ordinariae Diaconorum ante diversas orationes. Notantur autem vocibus tantum initialibus, ut in Graecis Syriacisque codicibus observatur. In omnibus vero Orientalibus Graecae multae ejusmodi voces occurrunt: aut initiales tantum, aut integrae, quae saepe molestiam insignem dederunt interpretibus, dum ex illis sensum continuum efficere nisi sunt: quod infeliciter praesertim tentavit Guido Fabricius Boderianus in versione Officii Baptismalis Severi Patriarchae Antiocheni, quem reclamantibus manuscriptis codicibus Alexandrinum appellavit: neque enim Syriacae linguae usus in sacris aliquando Alexandriae magis, quam Gothicae fuit. In Graeco Regio codice quae antiquitatis nota certa est, nihil occurrit, nisi quod Diaconus dicit Στῶμεν καλῶς.

Sursum corda, etc.

P. 13. l. 6.

Hoc loco incipit Praefationis, ut nostro more loquamur, antiquissimum et apud omnes Ecclesias receptum officium: nemini quippe in Ecclesiastica antiquitate vel leviter versato ignota sunt tam multa sanctorum Patrum testimonia, quae ad hanc hortationem manifeste referuntur. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5. Mystagogica. Chrysostomus multis locis ut hom. 2. et 18. in 2. ad Corinthios. Augustinus, de bono viduitatis cap. 16. de vera religione cap. 3. In expos. Psalmi 85. Epist. ad Dardanum et ad Probam; de bono perseverantiae cap. 13. §. 25. novae edit. ut et 53. et 346. tum alibi. Nihil porro frequentius apud sanctos Patres occurrit, quam ut ex notissima illa inter fideles adhortatione eos excitarent ad terrena despicienda, et cor in caelis habendum. Omnes igitur quotcumque extant, aut quarum memoria superest, Liturgiae, eamdem formulam repraesentant, non modo Orthodoxorum Graecae et Syriacae, sed Nestorianorum tres: Jacobitarum Syrorum triginta sex aut amplius, antiquae aut recentiores: Aegyptiacae tres, Graecae ritus Alexandrini totidem: Aethiopicae decem: Armenica: omnes tandem. Porro id singulare habent Aegyptiacae, quae antiquitatis nota certissima est, quod omnis illa adhortatio Graece dicitur, etiam ex quo totum officium lingua vernacula coepit celebrari. Orationes primae, et tota haec formula extant in Liturgiis Graecis, ex quibus desumtae sunt. Absurde igitur faciunt qui ex alio quam ex Graeco fonte illas interpretantur: ut Maronita qui ἔλεος εἰρήνης, et quae sequuntur, ita cum primis verbis conjunxit ut sensum confici existimaverit, sed omnino falsum. *Afferte misericordiam et pacem, et praeclaram venerationem:* aut ut ex alio codice ad marginem adposuit. *Po-*

Hujus formulae antiquus et generalis usus.

Euchol. Goar. p. Bona Lit. l. 2. c. 10. Menard. ad Sacr. Greg. p. 8.

pulus. Misericordiam et pacem et Oblationem perfectam. Ita quidem Arabes expresserunt, sed quos sequi non oportebat in errore tam manifesto: nam quae conjuncta sunt quasi sententiam efficerent, distingui oportuit, cum prima verba dicantur a Diacono: respondeat populus. *ἔλεος εἰρήνης, θυσίαν αἰνέσεως. Misericordiam pacis, sacrificium laudis,* nempe quasi dicerent, ita, o Diacone, attenti sumus ad Oblationem, quae est misericordiae et pacis obtinendae efficax; laudisque Sacrificium: quod autem Arabes verterunt *Sacrificium perfectum*, ex vitiosa lectione *αἰνέσεως* factum, quod intellexerunt quasi esset *ἑνώσεως*. At si Graecarum Liturgiarum lectionem sequimur, plana faciliaque sunt omnia. Ita quoque dicendum de subjunctis particulis: *Ubi sunt mentes vestrae*: quem sensum unde acceperit interpres divinare non possumus: nam in codicibus aliis multis legitur. *Levate corda vestra:* quod idem esse ac *Sursum corda,* vel *Sursum cor,* ut saepe scribitur apud Augustinum, satis quisque intelligit. Tandem illa ultima periodus *Dignum et justum est*: quae a Sacerdote resumitur Praefationis initio, male vertitur *Dignus et justus,* quasi ad sequentia verba pertineret; quae in unam sententiam Interpres conjunxit, in hunc modum. *Dignus et justus est, qui permanet princeps,* etc. Cum procul dubio vertendum sit, *Dignum et justum est*, quae verba secundum rubricam ter repetuntur: et postea comma figendum; ut oratio a sequentibus verbis incipiatur. Quod vero ut apud Graecos et Latinos ab ea parte, Liturgia proprie dicta, sive oblatio incipiat, etiam ex Coptitarum sententia, probat Historia Patriarchalis in vita Sanutii LII. in qua de Abrahamo viro primario qui ad eum conquirendum Misram seu Cahiram venerat, ita scribitur. *Ingressus est in Ecclesiam S. Sergii, in qua congregati erant; reperitque illos Liturgiam inchoantes dicebatque plebs: Dignum et justum est.* In codice Regio recentiori scribitur hic esse initium Liturgiae Basilii. In Rituali Gabriëlis Patriarchae notatur *Sacerdotem, quando pronunciat Sursum corda, ter facere signum crucis,* 1°. *super se ipsum,* 2°. *super Diaconos ad altare ministrantes,* 3°. *super populum.*

In Regio codice Graeco-Arabico hae formulae recte expressae sunt: at Arabs qui eas interpretatus est, aliis vocibus usus est quam qui Coptica verterunt. In Graeca Marci quaedam vocum diversitas: et mox ὁ Ἱερεὺς ἄρχεται τῆς ἀναφορᾶς: *Sacerdos oblationem seu illationem incipit*, quod in Graeca Regii ἀρχὴ τῆς προκομιδῆς. Male Latinus interpres *elevationem inchoat.* Nam nunquam eo sensu accipitur vox Ἀναφορά, neque elevationi locus, ante consecrationem.

Ibid. l. 18.

Qui sedetis surgite.

Illa etiam verba Graece extant ex antiquitatis reverentia, in codicibus Aegyptiacis, ut et sequentia *ad Orientem adspicite*, et multa alia, quorum aliqua jam notavimus. Cum prolixissima sit celebratio Liturgiarum in Oriente, per intervalla sedere licet, at in certis orationibus stare admonentur omnes, ex

vetusta consuetudine; nam olim stantes et expansis manibus orabant Christiani, ut ex multis monumentis apparet quae passim Romae extant in Martyrum caemeteriis, quorum multa typis descripta sunt in Roma subterranea. Ea ratione vetitum est Apostolicis et aliis antiquis canonibus, ne Dominicis et toto Paschali tempore genua flecterentur. De veteri more ad Orientem aspiciendi inter orandum, testatur Basilius de Spiritu sancto, atque illum inter traditiones non scriptas recenset. Autor Quaestionum ad Orthodoxos inter opera Justini quaest. 118. Tertullianus in Apologetico. Aug. l. 1°. de sermone Domini in monte, *cum ad Orationes stamus, ad Orientem convertimur:* praeter recentiores innumeros, totamque utriusque Ecclesiae traditionem. Vid. Hugonis Menardi notas ad Librum Sacramentorum S. Gregorii. Adde Liturgias veteres Graecas omnes, Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Marci, et Orientales cujuscumque linguae. *P. 68. et seq.* De eo ritu Ebnassalus in Collectione principiorum fidei cap. 13. et Jahia sive Joannes filius Isa Girjanensis ab eo laudatus, Abulfedail Ebnassalus praedicti frater in Canonum Collectione cap. 15. Autores anonymi varii, Abulbircat, Abusebah Tractatu de scientia Ecclesiastica, Amrus Mathaei filius Nestorianus, qui fusius de hoc argumento tractat. Originem vero repetit usus orandi ad Orientem, ab Adamo, qui paradiso pulsus, cum sub vesperam pararet se ad orationem, vidit ad Orientem circa locum paradisi, lucem magnam. Patriarchas deinde morem hunc servasse scribit, postea Apostolos: omnia altaria etiam antiquissima Antiochiae et Modaïnae ad Orientem versa fuisse. Ea porro qualiacumque sint reperiuntur passim in libris Orientalibus; sed Nestorianus autor plus adhuc operae impendit, quia cum vulgo Nestoriani se Christianos Orientales appellari velint, ad suae sectae dignitatem pertinere arbitratus est omnia quae ad Orientis honorem spectare viderentur.

Sanctus, Sanctus, Sanctus.

P. 13. l. 25.

De hymno ter Sanctus.

Hymnus notissimus qui in omnibus Ecclesiis hoc loco canitur, et quem Graeci ἐπινίκιον appellant, ut Arabes etiam, eodem sensu. Nam ut Goario et aliis observatum, quatuor hymnos Graeci distinguunt, Angelicum, Cherubicum, Trisagium et illum Triumphalem. Illos, cum accuratius loquuntur, distinguunt: ita ut Angelicus sit *Gloria in excelsis:* Cherubicus, qui habetur in Euchologio p. 106. incipitque ab illis verbis *Οἱ τὰ χερουβὶμ μυστικῶς εἰκονίζοντες. Qui Cherubin mystice repraesentant*: Trisagius is proprie sit, qui ita concipitur, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, etc.* Triumphalis vero, is in quo explicando sumus. Attamen, ut ipse Goarius agnoscit, non tam certa est illa distinctio, quin etiam hymnus ἐπινίκιος, et Angelicus et Cherubicus, imo et τρισάγιος appelletur a probatissimis scriptoribus. Eam sententiam confirmat multis autorum testimoniis Carolus Fraxineus Cangius in Glossario Graeco-Barbaro, voce Ὕμνος. Imo et Seraphicus appellatur sive

Ἡ ἐκ τῶν σεραφὶμ θεολογία a Cyrillo Hierosolymitano et τρισάγιος τῶν σεραφὶμ ὕμνος ab Aretha in cap. 1. Apocalypseos. De eo videndi Germanus Patriarcha, Cabasilas, Symeon Thessalonicensis, Goarius in Notis ad Euchologium et Menardus ad Sacramentarium Gregorii. Sed haec Graecos spectant, Syri tam Jacobitae, quam Nestoriani et Melchitae, Coptitae, et Orientales tandem omnes, duos tantum hymnos seu *sanctificationes*, ut vocant, agnoscunt, istum qui simpliciter *Sanctus* dicitur a prima voce, et *Trisagium* proprie dictum. Cherubicum non habent: *Gloria in excelsis*, non alibi quam in precibus extra Liturgiam, recitare solent. Alium vero qui proprie Τρισάγιος appellatur, dicunt Syri ante praefationem; quidam non nisi post lectum Evangelium. In officio Coptico, ex quo excerpsimus omnia ferme disciplinae capita, quae in aliis codicibus non reperiuntur, praeceptum reperimus, ut ille hymnus dicatur ante Orationem, quam proxime sequitur Evangelii lectio. In ea vero disciplina sequuntur eam quam Marci Graeca Liturgia praescribit. Nam ante Evangelium lectum, statim atque Sacerdos pronunciavit Orationem, quae idcirco Trisagii appellatur; (ea vero sequitur Εἴσοδον Evangelii seu solennem ejus illationem) dicitur *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* In Copticis exemplaribus vulgo non assignatur hic Hymnus. Cum vero duo illi hymni ter sanctum contineant, de utroque ad hunc locum dicere distulimus.

Cyr. Cath. Myst. 5.
Euchol. p. 135.
Menard p. 10. et seq.

De primo quidem observandum, antiquum illum omnino esse, atque si non illum ipsum, saltem ejus vestigia apparere in vetustis Judaeorum precibus, quarum, ut eruditi sciunt, summa vetustas est, et si paucas excipimus, reliquae e veteri Synagoga acceptae sunt, adeo ut cum primis Christianorum precibus aliquam habere queant affinitatem. Ista igitur Δοξολογία similis est alteri quam in Judaïcis Ritualibus legimus. *Angeli omnes aperiunt ora sua in sanctitate et puritate, cantico et hymno benedicunt, laudant, extollunt, sanctificant, fortitudinemque et imperium tribuunt nomini Dei, regis magni, potentis, terribilis, sancti illius. Omnes in se jugum regni coelorum suscipiunt, unus ab altero: dantque potestatem sibi invicem sanctificandi factorem suum, tranquillo spiritu, labio puro, et voluptate sancta: omnes unius instar respondent, cum terrore et cum timore dicunt: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus.* Hunc porro hymnum Ἐπινίκιον, non modo in Liturgia, Christiani Orientales ad hunc locum recitant, sed etiam in quotidianis precibus quae Euchologio continentur, tam secundum codices manuscriptos quam secundum antiquam editionem Fanensem, ubi ita legitur. *Sex aliis instructi, labiis incorporeis indesinenter loquuntur, offeruntque tibi laudem ter repetitam: et nos in terra constituti offerimus tibi gloriam et dicimus, sanctus etc.* Cum vero omnes illae formulae in unam eamdemque sententiam conspirent: ut in Graecis, ita in Aegyptiacis, sed maxime in Syriacis Liturgiis magna est illarum, quoad verba orationisque elegantiam, varietas; et recentiores autores in illis maxime locis amant rhetoricari.

Horol. Arab. Fani editum 1514.

De Trisagio proprie dicto pauca jam observanda sunt. Hymnus ita Graece se habet Ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς. *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* Illius originem Graeci autores omnes referunt ad Procli Constantinopolitani Patriarchae tempora, cum scilicet, urbe magno terrae motu concussa, puer in sublime raptus, illum edoctus est, omnemque plebem eum canere hortatus est, atque ita calamitati finis fuit. Ita Jobius apud Photium, Joannes Damascenus Theophanes, et omnes ferme recentiores, tum historici, tum rituum interpretes. Illorum testimonia et quaecumque ferme de Trisagio dici possunt, compendio explicavit vir Clarissimus in suo Glossario. Hymno, cujus simplex haec primum forma fuit, Petrus Gnapheus Antiochenus Episcopus addidit haec verba *qui crucifixus es pro nobis:* quae cum memoriae plebis mandata supprimere difficile foret, Calandion Orthodoxus, ut ea ad sententiam innoxiam reduceret, haec adjunxit Χριστὲ βασιλεῦ, *Christe rex*, ut ad Christum referrentur: sed reclamavit semper adversus pium Calandionis, Ephraemii (qui de his apud Photium multa notatu digna refert,) aliorumque Orthodoxorum consilium, factio Gnaphei sequax. Ita factum, ut Monophysitae tanquam communi tessera, hoc hymno per Gnapheum corrupto, non alio uterentur. Extant de hoc argumento aliquot insignes Epistolae Felicis III. Romani, Acacii Constantinopolitani, Quintiani Acullianarum, Justini Episcopi in Sicilia, Asclepiadis Trallium, Antheonis Arsinoes, Fausti Apolloniadis, Pamphili Abydorum, de quibus varia sunt doctorum virorum judicia. Anastasius Imperator quem Jacobitae ob partium suarum studium, quasi novum Constantinum venerantur, additionis Gnaphei acerrimus defensor fuit, ut ex Theophane, Cyrillo Scythopolitano in vita S. Sabae, Marcellino Comite, Victore Tononensi et aliis observavit Cangius, qui pariter ex Graecis autoribus probat eam additionem a Monophysitis conservatam fuisse; quod ut istorum autoritate, quantum opus erat, probavit, de Jacobitis eorum successoribus, idem omnino statuendum est. Sed de illis videndae sunt praefatio et notae doctissimi P. Michaëlis Lequien qui omnia quae apud Graecos autores referuntur de hoc argumento, accurate explicavit.

De Trisagio.

Cod. 222. L. 3. de fide Orth. et Opusculo de Trisagio. n. ed. T. I. p. 480.

Vit. S. Sabae. c. 32.

In Euchologiis Melchitarum manuscriptis et in eo quod Fani editum fuit, hymnus absque illa additione reperitur, sicut Orthodoxa ab initio illum recitavit Ecclesia. Ita et in Nestorianorum sacris officiis, eumque purum et absque tali lacinia refert Amrus Mathaei filius. *Alia*, inquit, *oratio, est hymnus trium verborum, aut tripartitus, qui auditus fuit in sanctuario Ecclesiae majoris Constantinopoli ex ore Angeli, quando accidit continuus per quadraginta dies terrae motus, qui conquievit statim atque magna voce cani hymnus coeptus est. Is autem ita habet: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* Jacobitae porro cujusdam manu ad marginem adjunctum est, *qui crucifixus es pro nobis.* Et sane Jacobitae, Syri et Aegyptii aliter eum non recitant, nisi cum additione illa antiqua et breviori, vel cum ampliori, et quae ad eamdem sententiam explicandam adhiberi potest, paraphrasi, cujus etiam non una forma est. In Euchologio Coptico.

Quomodo recitetur a Jacobitis.

Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis; qui natus es de Virgine, miserere nobis. Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis, qui surrexisti a mortuis et adscendisti in caelum, miserere nobis: Et ut in alio Codice quo Theotokia continentur: *Sanctus Deus, sanctus fortis, etc.* ad singulas illas additiones repetitur.

Illius diversae paraphrases, et explicationes.

Cod. 228.

Aliae diversaeque ejusdem paraphrases occurrunt in Jacobitarum Syrorum libris Ecclesiasticis, ex quibus intelligi volunt, hymnum totum ad Christum referri; quod si fieret, carere illum omni pravae doctrinae suspicione judicavit olim Calandion Antiochenus, qui *Christe Rex* initio addi jusserat: et postea ejus successor, fideique imitator Ephraemius, qui in suis excerptis apud Photium, (nam liber ipsius intercidit,) Orientales qui hymnum ad Christum referendum certis verbis determinant, ab omni erroris suspicione absolvit. In eadem prorsus sententia sunt Theologi Jacobitae qui de eodem hymno scripserunt, Dionysius Barsalibi Amidae Metropolita, in Commentario ad Jacobi Liturgiam, et in Apologia adversus Calchedonenses, seu Orthodoxos. *Dicimus,* inquit, *ad illum* (Christum) Sanctus Deus, *quia licet pauper factus sit cum incarnatus est, non est tamen immutatus, sed eo ipso quo incarnatus est, Deum esse se ostendit. Cum dicimus* Sanctus fortis, *intelligimus Deum Verbum, qui carnem accipiendo pro nobis, infirmus apparuit, fortem esse duplici ratione: et quia mansit impassibilis, et quia satanam devicit. Cum dicimus* Sanctus immortalis, *laudamus Verbum, quia post incarnationem et pugnam cum morte, mansit immortale quatenus Deus: Tandem addendo* qui crucifixus es pro nobis, *gratias ipsi agimus, quod ad crucem et mortem in carne perferendam, nostri causa devenerit.* Sed fusius de hoc argumento scripsit Abu Raitha Takritensis in opere singulari, ubi inter alia haec leguntur. *Cum Nestoriani et Melchitae audiunt a nobis hymnum quem ter dicimus, Sanctus Deus: sanctus fortis: sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis; extollunt voces suas adversum nos, nosque sectae Jacobiticae Orthodoxae sequaces graviter insectantur. Verum faciunt id immerito, dum opinantur, quod sanctus Deus, cadat in Patrem: sanctus fortis, cadat in Filium: sanctus immortalis, cadat in spiritum sanctum. Cum vero ea diximus verba, concludimusque per crucis commemorationem, existimant illa ultima referre nos ad Trinitatem sanctam. Verum res non ita se habet, quemadmodum judicant, neque vera est illorum adversus nos criminatio. Hujus autem hymni haec interpretatio est. Sanctus Deus qui incarnatus es pro nobis absque immutatione, permanens in statu divinitatis tuae: sanctus fortis qui ostendisti quam magna potestas tua esset, exhibendo infirmitatem. Sanctus immortalis qui crucifixus es propter nos; qui mortem volens suscepisti, et sustinuisti eam in corpore tuo super crucem: mortuus visus, nec tamen moreris, miserere nobis. Respondemus igitur, quantum ad opinionem illam quam de nobis habent, nos talem blasphemiam non credere, neque vel cogitando ad eam inclinare. Verum eo hymno laudamus unam trium personarum divinarum, Deum Verbum incarnatum et hominem factum propter nos, absque immutatione, aut alteratione a divinitate sua, aut divi-*

sione, quae cadat in eum qui pro nobis crucifixus est. Eamdem prorsus explicationem afferunt autor Scientiae Ecclesiasticae, Abulbircat, et omnes tandem qui de Trisagio scripserunt Jacobitarum Theologi, quos Ephraemio judice excusare facile foret, nisi novitati importunae pertinacia accessisset in retinenda additione, quae sola sua novitate Ecclesiam conturbaverat. Verum quamvis culpa non careant, absunt tamen a Patripassianorum haeresi, de qua vulgo a nostris autoribus postulantur.

Hoc est enim corpus meum, etc.

P. 14. l. 31.

Praefationis expositio.

ORATIONIS, quae a Sacerdote post hymnum triumphalem a plebe dictum pronunciatur, communis est in omnibus Officiis forma: nisi quod in antiquis brevior, in aliis aliquanto prolixior est. Omnium sententia eadem, nempe beneficiorum Dei erga humanum genus enumeratio a creatione: tum ex caritate, qua post Adami lapsum homines a perditione revocavit, mittendo Patriarchas, et Prophetas et legem dando: tandemque per Incarnationem unigeniti filii sui, totamque ejus in terris dispensationem, mortemque salutarem, liberando a servitute diaboli. Cum vero ante passionem, Christus Sacramentum corporis et sanguinis instituerit, jusseritque Apostolis et per eos Ecclesiis omnibus, ut illud in sui memoriam celebraretur, ab illorum usque temporibus, Ecclesiasticae disciplinae perpetua lex fuit, ut ejusdem institutionis memoria repeteretur, et eadem ipsa verba adhiberentur quibus in ultima coena Christus corpus suum et sanguinem discipulis tradens, usus fuerat. Quippe Liturgia vetus nulla verbis illis caruit, quae, ut illa Dei *crescite et multiplicamini* initio rerum creatarum prolata, huc usque operantur, ita quotidie a sacerdotibus prolata, producunt efficaciter id quod significant; ut Chrysostomus scripsit, pie juxta et eleganter. Omnes igitur illarum Orationum formulae de divinis beneficiis sunt, deque ultimo illo passionis, et sacramenti instituti, ad peccatorum remissionem, vitamque aeternam praestandam. Haec vero omnia in hac Coptica Liturgia referuntur oratione continua, ut apud plerosque Orientales, qui preces varias pro vivis et mortuis, sanctorumque commemorationes non interponunt; sed differunt usque ad Invocationem Spiritus sancti. In tertia tamen Liturgia quae Cyrilli dicitur, inseruntur ante pronunciationem verborum Christi orationes multae pro diversis, quod etiam observatur in Liturgiis Nestorianorum. Idem observatur in Graeca Marci, in qua paucis verbis post hymnum triumphalem ad sacrorum Christi verborum pronunciationem pergitur.

Verba Christi quomodo pronunciantur.

Ea autem alta voce dicuntur a Sacerdote, ut populus audiat: et assensum fidemque suam testetur, ut facit dicendo et quidem Graece, quod majoris antiquitatis indicium est, *Πιστεύομεν*, *Credimus.* Ad singulas quoque orationis partes acclamatur, *Amen;* ut ex rubrica, quam ex Codice Regio transtulimus, manifestum est. Ea vero acclamatio assensum fidei religiosum exprimit, circa omnia quae ex Evangelica historia mox proferuntur,

tandemque Sacerdos pronunciat haec sacra verba. *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis frangitur et pro multis datur in remissionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem.* Graeca Marci *Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον καὶ διαδιδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis frangitur, et datur in remissionem peccatorum.* Illud *enim*, ut formulam per partes explicemus, non habet Liturgia quae subjungitur Clementinis Constitutionibus: non Jacobi, non Basilii tam vulgaris, quam Alexandrina. Sed Coptica vocem ipsam Graecam habet, quae in illam alteram linguam migravit *Φαῖ γὰρ πεπάσωμα*: Syri, quorum primaria Liturgia ex Jacobi Graeca expressa est, *γὰρ* non habent, etsi in Syra non minus quam in Aegyptiaca lingua usurpatum. Verum in omnibus manuscriptis atque inter alios, membranaceo uno vetusto Colbertino, legitur: *Hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur et datur in remissionem peccatorum et vitam aeternam.* Ita quoque in Gregorii Liturgia Coptica, in Aethiopicis et in multis Syriacis. Nempe illis verbis fractio corporis Christi in Eucharistia, fractionem ejus, lacerationemque in passione significat, quae per panis Eucharistici divisionem repraesentatur. Unde non solum vox *κλώμενον* occurrit, sed et alia *θρυπτόμενον*, quae utrumque sensum complectitur.

Omnes porro, quas unquam videre licuit, Liturgiae, quacumque lingua, formam verborum Christi eo ferme modo, quo haec Basiliana, exhibent: neque ulla simpliciter Latinam refert, nisi recentiores et reformatae. Qui vero aliquando existimaverunt periculum aliquod in diversis ab ea formulis delitescere, dubitarique posse de verborum Christi efficacia, si quid adderetur vel minueretur, atque ea ratione formas mutandas censuerunt, fecerunt id, quantum perspicere potuimus, privato judicio suo, non legitima Pontificum autoritate. Quis enim unquam dubitavit de efficacia et integritate formae, quam Liturgiae Basilii, Chrysostomique continent, quamque Ecclesiae Graecae omnes per multa saecula, cum Orientalium et Occidentalium summa concordia foret, ad altaria usurpaverunt, cum vigeret inter omnes arctissima communio.

De adjuncto *Amen* et illius significatione.

Est autem aliqua circa illam acclamationem populi in Codicibus differentia: Codices enim antiqui *Amen* habent, nihil praeterea; ut etiam recentiores non pauci. Regius qui cum caeremoniis omnibus accuratissime descriptus est, habet haec verba: *Hoc vere ita est.* Quae pariter recitanda praescribuntur, post calicis benedictionem. Inde quaestio nascitur de illorum sensu, qui duplex esse potest. Primus ut ad historiam institutionis sacramenti referantur, de qua particulatim per *Amen* pronunciatum, testentur credere se Coptitae, facta esse a Christo omnia, quae Sacerdos recitavit; atque ita agnoscere se, Christum panem accepisse, benedixisse, fregisse, et corpus suum fecisse, Apostolisque suis distribuisse dicendo: *Hoc est corpus meum.* Ita haec verba explicavit autor scientiae Ecclesiasticae. *Dicet populus,* Credimus, confitemur et laudamus. *Idem est ac si diceretur, firmissime tenemus, certi sumus et confitemur quidquid modo dixisti, o Sacerdos, de historia*

Evangelica quam recitasti nobis, nempe quod Christus acceperit panem in manus suas, etc. Et sane quae huic opinioni faveant rationes multae sunt. Nam ut confessio ad veritatem corporis Christi in altari jam praesentis referatur, necesse non est ad singula quae Christus in sacramento instituendo fecit immorari, et *Amen* inclamare: neque duplex esse videtur in eadem Liturgia fidei de Eucharistia confessio. Ea autem quae proprie ita appellatur, et quae dicitur ante communionem, talis est tamque perspicua, ut alteram non desideret.

An referendum sit ad veritatem narrationis Evangelicae, an ad fidem realis praesentiae.

Eo igitur inclinare videntur omnia rationum momenta, ut acclamatio *τοῦ Amen* magis pertineat ad agnoscendam veritatem eorum, quae ex Evangelica historia Sacerdos pronunciavit circa institutionem sacramenti, quam ad singularem de veritate corporis et sanguinis Christi confessionem. Obstat Liturgiae Aethiopicae autoritas, quae cum ante aliquot saecula ex Coptica expressa fuerit, hunc locum ita exprimit, ut ad Eucharistiam, non ad institutionem ejus, referatur: *Credimus et confidimus, et laudamus te: hoc est in veritate corpus tuum:* ita vertit Kircherus, ea verba referens in Prodromo Coptico. In Romana editione *Amen, Amen, Amen. Credimus et confidimus et laudamus te, Deus noster; hoc vere est corpus tuum.* Accuratius ex Aethiopico vertas. *Credimus, et certi sumus, et laudamus te Domine Deus noster; hoc est vere, et ita credimus, corpus tuum.* Ita quoque post calicis benedictionem. Ea vero tam perspicue ad fidem ipsius mysterii, non ad institutionem ipsius pertinent, ut nulla, nisi violenta interpretatione, in contrariam sententiam duci queant. Cum igitur Liturgiae Aethiopicae autores, qui vel erant ipsi Patriarchae Alexandrini, vel Metropolitae ab illis missi, hanc orationem ex Coptico exemplari expresserunt, eam ita sunt interpretati, ut ad Eucharistiae fidem referri censuerint, illam tali sensu a Coptitis intellectam fuisse, non temeraria prorsus conjectura est. Eamdem confirmant aliae Aethiopicae Liturgiae. Quae cum ita sint, neque satis determinari possit, quo sensu haec confessio intelligenda sit, rem in medio relinquimus. Neque enim magnopere refert in quo accipiatur; cum fides Coptitarum atque Aethiopum ex aliis Liturgiae locis tam perspicue probata sit, ut de ea ne levis quidem causa dubitandi esse queat.

Fides realis praesentiae aliis locis significatur.

Tribus quippe locis mutatio elementorum in corpus et sanguinem Christi manifeste significatur: Oratione quae post praeparationem altaris dicitur: Invocatione Spiritus Sancti, et Confessione praescripta ante communionem. Illud modo superest, quod, si haec quam exponimus, *τοῦ Amen* acclamatio pertineat ad agnoscendam veritatem corporis Christi in Eucharistia, sed ad solam rerum ex Evangelio recitatarum historiam, sequi videtur Coptitas, ut etiam Graecos, etsi Invocationi spiritus sancti multum tribuant, et eam ex simplici verborum sono intelligendam arbitrentur, agnoscere tamen praecipuam in Christi verbis efficaciam, quod postea probabitur. Quibus enim incommoda multa ex Invocatione sequi creduntur, adversus doctrinam de consecratione elementorum per verba Christi Domini, ut Bessarion, et Petrus Arcudius; illi in acclamatione *τοῦ Amen* confessionem de reali praesentia

corporis Christi contineri pertendunt. *Hoc ostendunt*, inquit Bessarion, *populi ad ea verba responsiones. Sacerdote enim illa verba, ut vos Graeci soletis, pronunciante, assistens populus in utraque parte respondet* Amen, *quasi dicat, vere ita est ut dicis...* Amen *igitur ad ea verba respondens populus: certe, inquit, corpus et sanguis Christi sunt munera ista proposita, ita credimus, ita confitemur.* Confirmatur etiam haec sententia per orationem quam Graeci inter haec verba pronunciant, cum *Amen* dictum est *Πιστεύω κύριε καὶ ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι ὧν πρῶτος εἰμὶ ἐγώ. Credo Domine atque confiteor, quoniam tu es Christus filius Dei vivi, qui in mundum venisti peccatores salvare, quorum primus ego sum.* Ex ea quippe

Arcud. l. 3. c. 26. *Euchol. p. 138.* Arcudius elicit confessionem breviorem, quae per *Amen* explicatur, ad consecrationis factae veritatem pertinere; atque ad eam opinionem accedit Jacobus Goarius. Et sane quandoquidem ex vetustissima Ecclesiae disciplina scimus, fideles, cum illis Eucharistia distribueretur, sacerdotesque dicerent *Corpus Christi*, nihil aliud respondisse quam *Amen;* et in illa tamen simplici responsione contineatur confessio de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia exhibiti, eadem affirmandi formula, quam Liturgiae Copticae repraesentant, similem sensum initio habere potuit: neque enim ullum alium pati posse videtur in Graeca Marci Liturgia, ubi *Amen* non multoties reperitur post singula verba, ut in Copticis exemplaribus, sed semel tantum post verba, quae ad panis consecrationem pertinent. Quod vero multiplicatio acclamationis *Amen*, hanc pepererit ambiguitatem manifestum est. Ea si desit, nulla difficultas superest quin, ut apud antiquos Christianos, ita et apud Coptitas de veritate narrationis, non magis, quam de veritate mysterii possint intelligi; praesertim cum Liturgia Coptica, quae dudum facta est ex Codicibus qui vulgares Graecos antiquitate superant, aliam earum acclamationum dispositionem habeat, integramque de veritate corporis Christi confessionem. Saltem ex innoxia illa lectionum diversitate agnosci potest alterum illum sensum non ita excludi, quin etiam commode Coptitarum acclamationibus adjungi queat: id si fiat, nihil novum aut inauditum postulabitur, dum asserimus eos ipsis, quibus antiqua Ecclesia, verbis fidem explicasse suam. Lectio Graeca Codicis R. opinionem firmat.

P. 15. l. 6.

Hic est enim Sanguis meus, etc.

Forma benedicendi calicis.

Haec forma benedicendi calicis eodem modo se habet in Codice manuscripto Graeco Cod. R. *Ὁμοίως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, εὐχαριστήσας. Ὁ λαός. Ἀμήν. Εὐλογήσας. Ὁ λ. ἀμήν. ἁγιάσας. Ὁ λ. ἀμήν. Γευσάμενος, πάλιν, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς. Similiter et calicem postquam coenavit miscens et vino et aqua, gratias agens* Pop. *Amen: benedicens* P. *Amen. Sanctificans* Pop. *Amen, gustans iterum dedit sanctis suis discipulis, etc.* Ea verba accurate reddit textus Copticus, qui recte *ἀορίστοις*,

quos ut Latina, ita Aegyptiaca lingua non habet, per praeteritum interpretatur. Gratias egit, *Amen*: benedixit eum, *Amen*. Sanctificavit eum *Amen*. *Gustavit*. Ita Graeca Marci in qua ita legitur, Ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι λαβών, καὶ κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν πρός σε τὸν ἴδιον πατέρα, Θεὸν δὲ ἡμῶν, καὶ Θεὸν τῶν ὅλων, εὐχαριστήσας, εὐλογήσας, πλήσας πνεύματος ἁγίου, μετέδωκε τοῖς ἁγίοις μακαρίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις εἰπών· πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ ὑπὲρ ἡμῶν καὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Ὁ λαός, ἀμήν. *Similiter et calicem, postquam coenavit, accipiens et miscens vino et aqua, aspiciens ad caelum, ad te patrem suum, nostrum autem et omnium Deum, gratias agens, benedicens, replens Spiritu sancto, dedit sanctis et beatis suis discipulis et Apostolis, dicens: bibite ex eo omnes: hic est enim sanguis meus novi Testamenti qui pro vobis et multis effunditur in remissionem peccatorum.* Populus. *Amen.* Omnes vero Orientales formulae, Syriacae, Aegyptiacae, Aethiopicae, iisdem prope verbis constant. Solae Maroniticae recentiores, scilicet quae in Missali Chaldaïco Romae edito leguntur, Latinam formam exprimunt, contra manuscriptorum omnium fidem. Neque enim ulla Graeca aut Orientalis alia Liturgia agnoscit haec verba, *aeterni* Testamenti, neque illa *mysterium fidei:* neque Ecclesia Romana ex illorum defectu unquam judicavit deesse aliquid Orientalibus ad Eucharistici ritus integritatem: neque Graecos aut alios Christianos peregrinos, quando ad Catholicam unitatem reversi sunt hortata est ad illa in Codices Liturgicos suos recipienda, multo minus ut id facere cogerentur, unquam cogitavit. Alio ritu saepe mutatur ordo verborum, ut *Hic est calix sanguinis mei:* alias *Hic est sanguis meus*, ut in Cyrilli Syriaca: *qui testamentum mortis meae obsignat.* In primaria, quae est Jacobi. *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis fidelibus effunditur et datur in remissionem peccatorum et vitam aeternam.* In Aethiopica generali. *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effunditur in remissionem seu veniam multorum, Amen.* Sequiturque, ut ad priora verba quae super panem dicuntur, similis confessio *Amen: vere hic est sanguis tuus, et ita credimus.*

Quamvis vero Missa Latina vulgaris habeat haec additamenta *aeterni et mysterium fidei*, quorum verborum antiquior est usus, quam ut illa necesse sit, autoritate alia, quam vetustissima Ecclesiae Romanae traditione confirmare, observandum tamen eorum causa, qui illa Liturgiis Orientalibus adjici vellent, carere illis antiquam Missam Mozarabicam, ubi ita legitur. *Hic est calix novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* sicut et in Ambrosiana antiqua legebatur tantum: *Hic est enim sanguis meus:* quemadmodum ad primam partem formae dicebatur: *Hoc est enim corpus meum quod pro vobis confringetur.* Eam vero formam Gallicanae fuisse similem judicat doctissimus Joannes Mabillonius ex Missali Gothico, ubi in Missa de Nativitate Domini *post secreta*, id est post consecrationem, haec leguntur: *Corpus tuum in remissione pecca-*

Additio *aeterni et mysterium fidei:* non est in Mozarabicis et aliis manuscriptis.

De Liturg. Gall. l. I. c. 5.

torum confractum etc. quae verba proxime relatis consecrationis verbis respondent. Admonet autem ad haec verba Autor scientiae Ecclesiasticae, sacerdotem, dum illa pronunciat, calicem leviter inclinare, ad designandam effusionem sanguinis Christi: populum vero sicut prius dicere, *credimus et confitemur et laudamus.*

De additione vocis *gustavit.*

In hoc vero Liturgiae loco ad ea quae ex Evangelica historia desumta sunt, adjectum est in forma calicis benedicendi, *gustavit,* ut in duabus aliis ejusdem linguae, Gregorii et Cyrilli. In Nestorianis tribus, ut in Jacobitica Syra manuscripta, quae nomen habet Petri Principis Apostolorum, in priori parte additur post verba *fregit, et comedit,* nempe ex communi Orientalium traditione secundum quam credunt Christum Dominum in ultima coena, cum sacramentum institueret, utrumque degustasse, juxta illa verba Hieronymi ad Hedibiam, *ipse conviva et convivium.* Irenaeus lib. 5 c. 33. *Propter hoc autem ad passionem veniens ut evangelisaret Abrahae et iis qui cum eo, apertionem haereditatis, cum gratias egisset, tenens calicem, et bibisset ab eo, et dedisset discipulis, dicebat eis: bibite ex eo omnes.* Chrysostomus Homil. 82. in Mathaeum. Ἵνα οὖν μὴ τότε ταραχθῶσι, πρῶτος αὐτὸς τοῦτο ἐποίησεν, ἐνάγων αὐτοὺς ἀταράχως εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν μυστηρίων· διὰ τοῦτο οὖν τὸ ἑαυτοῦ αἷμα αὐτὸς ἔπιε. *Ut illi tunc temporis non turbarentur, primus ipse hoc fecit, incitans eos secure ad sacramentorum communionem: eapropter suum ipsius sanguinem ipse bibit.* Chrysostomi sententiam expressit Commentarius Arabicus ex eo desumtus in Harmoniam Evangelicam. *Si quaerat aliquis, num ederit Christus de corpore suo et de sanguine suo biberit, respondemus ita esse, atque id ex istis ejus verbis probatur, non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Gregorius Abulfaragius in compendio quodam Theologico quod appellavit *Demonstrationes intellectuales. Quaeritur num Christus ederit ex pane et biberit ex vino, quae fecerat corpus et sanguinem suum? Respondemus edisse, cujus rei probatio inde petitur quod dixerit non edam ex hoc pane, nec bibam ex hoc calice, donec bibam illum vobiscum in regno patris mei.* Ita quoque Dionysius Barsalibi Commentario in Liturgiam S. Jacobi cap. 13. *Quaeritur an Christus ederit ex corpore suo, necne. Dicimus autem illum ex eo edisse, et bibisse ex sanguine suo, ait enim non bibam vobiscum de hoc genimine vitis, etc. S. Ephrem ait, discipulos edisse ex ejus corpore, eumque simul cum ipsis comedisse: bibisse illos sanguinem, et ipsum simul bibisse. Ita et Joannes Chrysostomus asserit illum, postquam gustasset, dedisse discipulis suis. Jacobus Edessenus eum edisse, et bibisse ex sanguine suo vero. Idem etiam docent Cyriacus Patriarcha Antiochenus et Moses Barcepha.* Idem Barsalibi cap. 18. operis ejusdem docet *Sacerdotem primum communicare sacris mysteriis, quia Christus in coenaculo primus communicavit corpori et sanguini suo, quae postea aliis distribuit.* Vide D. Thomam 3. p. quaest. 87. et in eum locum asserit Vasquesius, communem hanc esse Theologorum opinionem, quod a nobis observatur, ne quis Orientales Theologos singularis in hoc argumento opinionis insimulet.

Mortem tuam annunciamus Domine. P. 15. l. 15.

Antiqua et pia forma confessionis, qua post eam quae mox pronunciata est de veritate institutionis Sacramenti, deque ejus vera et certa repraesentatione, juxta praeceptum Jesu Christi, annunciatur mors ejus et resurrectio. In Graeca Arabica Τὸν θάνατόν σου κύριε, *Mortis tuae Domine meminimus,* postquam ter dictum est, *Amen.* confessio extat in Graeca Marci Liturgia, sed paraphrasi prolixiore exposita. Τὸν θάνατον δέσποτα κύριε παντόκρατορ, ἐπουράνιε, βασιλεῦ, τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καταγγέλλοντες, καὶ τὴν τριήμερον καὶ μακαρίαν αὐτοῦ ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν ὁμολογοῦντες, καὶ τὴν ἐκ δεξιῶν σου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καθέδραν, καὶ τὴν δευτέραν καὶ φρικτὴν καὶ φοβερὰν αὐτοῦ παρουσίαν ἀπεκδεχόμενοι, etc. *Mortem, Domine omnipotens, Rex coelestis, unigeniti filii tui, Domini autem Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi annunciantes: triduanamque et beatam ejus a mortuis resurrectionem confitentes, consessionemque ad dexteram tuam Dei et Patris; secundumque, timendum et terribilem ejus adventum exspectantes.* At in hac Liturgia multo brevior occurrit hujus professionis formula; et ipsa, ut multae officii partes, quae praecipuam dignitatem habent, Graece a populo dicitur. Ita autem verba exprimuntur in antiquo codice Regio, licet corrupta ob librariorum imperitiam. Τὸν θάνατόν σου κύριε καταγγέλλομεν καὶ τὴν ἁγίαν σου ἀνάστασιν, καὶ ἀνάληψιν ὁμολογοῦμεν, σὲ αἰνοῦμεν, σὲ εὐλογοῦμεν, σὲ εὐχαριστοῦμεν: atque ita habebat codex Scaligeri ex quo Latina versio facta est, nisi quod additur σὲ πιστεύομεν, σὲ εὐλογοῦμεν, καὶ εὐχαριστοῦμεν, καὶ δεόμεθά σου ὁ θεὸς ἡμῶν: Et sane in Codice Regio formula illa graeca tanquam notissima et in ore plebis, non integra adscribitur: in nostro autem prima tantum verba designantur: In altero Regio manuscripto verba Coptice apponuntur. In Jacobi Syra. *Mortis tuae Domine memoriam agimus, resurrectionem tuam confitemur, et adventum tuum secundum exspectamus: misericordiam et gratiam a te postulamus, remissionem peccatorum deprecamur; misericordiae tuae sint super nos omnes.* Illa autem ipsa verba, eodem modo absque immutatione ulla, leguntur in Syriacis omnibus Liturgiis: neque magnum discrimen est inter illas, et alias cujuscumque linguae, quae hanc commemorationem exhibent, licet non verbis populi, sed Sacerdotis. In Missa enim Chrysostomi ita, post *Amen* inclamatum a populo, Sacerdos prosequitur: Μεμνημένοι τοίνυν τῆς σωτηρίου ταύτης ἐντολῆς, καὶ πάντων τῶν ὑπὲρ ἡμῶν γεγενημένων, τοῦ σταυροῦ, τοῦ τάφου, τῆς τριημέρου ἀναστάσεως, τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναβάσεως, τῆς ἐκ δεξιῶν καθέδρας, τῆς δευτέρας καὶ ἐνδόξου πάλιν παρουσίας τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν. *Memores igitur salutaris hujus mandati et omnium quae pro nobis facta sunt, crucis, sepulcri, triduanae resurrectionis, in coelos ascensionis, a dextris sessionis, secundi et gloriosi rursus adventus, tua ex tuis tibi offerimus:*

Confessio de mysteriis Christi.

quae eodem sensu leguntur in Basilii, Jacobique Liturgiis Graecis. Eadem quoque sententia est istius Orationis in Romano Canone. *Unde et memores Domine nos servi tui, sed et plebs tua sancta, tam beatae passionis et resurrectionis, etc. Offerimus tibi de tuis donis ac datis hostiam puram, etc.* Eodem etiam modo in hac Liturgia, post populi acclamationem, Sacerdos resumit eamdem mortis Domini commemorationem, et reliqua ad salutis humanae opus spectantia mysteria pariter commemorat: ita in Ritu Aethiopico, et in omnibus tandem.

P. 15. l. 23.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Invocatio Spiritus sancti.

Haec est insignis illa Oratio, quam omnes Orientales Liturgiae repraesentant, qua demum pronunciata, omne divinum consecrationis opus perfectum et consummatum esse intelligitur. Illa Oratio voce Graeca, quam Coptitae retinuerunt, Ἐπίκλησις appellatur, quo sensu Syri eam appellant, aut *Invocationem* simpliciter, aut *Invocationem Spiritus sancti.* Ejus sententia plane eadem quae Graecarum, in Liturgiis Basilii, Chrysostomi, Jacobi, Marci, Clementina. Ab ea incipiemus quam exhibet Regius Codex Graeco-Arabicus. *Καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε ἀγαθέ, κύριε, ἡμεῖς οἱ ἁμαρτωλοί, καὶ ἀνάξιοι δοῦλοί σου, καὶ προςκυνοῦμέν σε, εὐδοκίᾳ τῆς σῆς ἀγαθότητος, ἐλθεῖν τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἐφ᾽ ἡμᾶς τοὺς δούλους σου, καὶ ἐπὶ προκείμενά σου δῶρα ταῦτα, καὶ ἁγιάσαι καὶ ἀναδεῖξαι ἅγια ἁγίων. Ὁ Δ. πρόσχωμεν. Ὁ Λ. ἀμήν. Καὶ ποιήσει τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, γίνεται εἰς τὸ ἅγιον σῶμα, αὐτοῦ τοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ, κλ. Τὸ δὲ ποτήριον τοῦτο, τὸ τίμιον αἷμα τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, αὐτοῦ τοῦ κυρίου δὲ καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, κλ.* In Marci Liturgia quae cum Coptica majorem habet affinitatem. *Καὶ δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμέν σε φιλάνθρωπε ἀγαθέ, ἐξαπόστειλον ἐξ ὕψους τοῦ ἁγίου σου, ἐξ ἑτοίμου κατοικητηρίου σου, ἐκ τῶν ἀπεριγράπτων κόλπων σου αὐτὸν τὸν παράκλητον, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸν ἅγιον, τὸν κύριον, τὸ ζωοποιόν, τὸ ἐν νόμῳ καὶ προφήταις καὶ ἀποστόλοις λαλῆσαν, τὸ πανταχοῦ παρόν, καὶ τὰ πάντα πληροῦν, ἐνεργοῦν τε αὐτεξουσίως, οὐ διακονικῶς, ἐφ᾽ οὓς βούλεται τὸν ἁγιασμόν, εὐδοκίᾳ τῇ σῇ, τὸ ἁπλοῦν τὴν φύσιν, τὸ πλημερὲς τὴν ἐνέργειαν, τὴν τῶν θείων χαρισμάτων πηγήν, τὸ σοὶ ὁμοούσιον, τὸ ἐκ σου ἐκπορευόμενον, τὸ σύνθρονον τῆς βασιλείας σου, καὶ του μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἔτι δὲ ἐφ᾽ ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τοὺς ἄρτους τούτους, καὶ ἐπὶ τὰ ποτήρια ταῦτα, τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἵνα ταῦτα ἁγιάσῃ, καὶ τελειώσῃ ὡς παντοδύναμος θεός. ἘΚΦΩΝΩΣ. Καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον, σῶμα. Ὁ λαός, Ἀμήν. Ὁ ἱερεὺς ἐκφώνως. τὸ δὲ ποτήριον αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης, αὐτοῦ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος, καὶ παμβασιλέως ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. ἵνα γίνωνται πᾶσιν ἡμῖν, τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς πίστιν, εἰς νῆψιν, εἰς ἴασιν, εἰς σωφροσύνην, etc.* *Rogamus te amator*

hominum bone, mitte ex excelso sancto tuo, ex praeparato habitaculo tuo, ex incircumscripto sinu tuo, ipsum paraclitum Spiritum veritatis, sanctum, Dominum, vivificantem, qui in lege, Prophetis et Apostolis locutus est, qui ubique praesens est, et omnia replet, operaturque libere non ministerialiter, in quos vult, sanctificationem per beneplacitum tuum; simplicem natura, plenum operatione, divinorum charismatum fontem: tibi consubstantialem, qui ex te procedit, aequalem tibi in regni solio, et unigenito tuo filio, Domino Deo et Salvatori nostro Jesu Christo: mitte, inquam, super nos et super istos panes, et super hos calices Spiritum tuum sanctum, ut ea sanctificet atque perficiat, tanquam omnipotens Deus. ELATA *voce. Et efficiat panem quidem corpus; calicem autem, sanguinem novi Testamenti ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi omnium regis . . . ut fiant omnibus nobis qui eorum participes erimus ad fidem, sobrietatem, medelam, temperantiam, sanctificationem, etc.* Illam porro verborum formam fortassis recentiorem esse ea, quam Aegyptiaci libri servant, et brevitas et simplicitas videntur demonstrare; et ista magis accedit ad eam quae in Clementina servatur: *Καὶ καταπέμψῃς τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην, τὸν μάρτυρα τῶν παθημάτων τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον, σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου. ἵνα οἱ μεταλαβόντες αὐτοῦ βεβαιωθῶσι πρὸς εὐσέβειαν, ἀφέσεως ἁμαρτημάτων τύχωσι. τοῦ διαβόλου καὶ τῆς πλάνης αὐτοῦ ῥυσθῶσι, πνεύματος ἁγίου πληρωθῶσιν, ἄξιοι τοῦ Χριστοῦ σου γίνωνται, ζωῆς αἰωνίου τύχωσι,* etc. *Et mittas sanctum tuum Spiritum super sacrificium hoc, testem passionum Domini Jesu, ut efficiat panem hunc, corpus Christi tui: et calicem hunc, sanguinem Christi tui, ut qui ejus participes futuri sunt, confirmentur ad pietatem; remissionem peccatorum consequantur; a diabolo et ejus seductione liberentur: Spiritu sancto repleantur: digni Christo tuo efficiantur, vitam aeternam obtineant, etc.* In Basilii Graeca, *Δεόμεθα, καί σε παρακαλοῦμεν, ἅγιε ἁγίων, εὐδοκίᾳ τῆς σῆς ἀγαθότητος, ἐλθεῖν τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα καὶ εὐλογῆσαι αὐτά, καὶ ἁγιάσαι, καὶ ἀναδεῖξαι . . . τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, (ποίησον αὐτὸ) τὸ τίμιον σῶμα τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὸ δὲ ποτήριον τοῦτο, αὐτὸ τὸ τίμιον αἷμα τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ,* etc. *Rogamus te et obsecramus, sancte sanctorum, ut beneplacito bonitatis tuae veniat Spiritus tuus sanctus super nos et super proposita dona ista, et ea benedicat sanctificetque, et ostendat,* (seu efficiat..) *panem quidem istum fac ipsum pretiosum corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi; et calicem hunc ipsum pretiosum sanguinem Domini Dei, etc.* Illud vero *ποίησον fac,* quo sensus conturbari quodammodo videtur, non habet codex antiquus Pyromali quem vidit Jacobus Goarius, ut ipse observat ad Liturgiam Chrysostomi, in qua ea vox occurrit: sed prima orationis verba, *mitte spiritum sanctum tuum in nos et in haec dona proposita,* habent adjunctas preces aliquot breves tum Sacerdotis, tum Diaconi, quas sequitur istud *ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου... Fac panem qui-*

dem istum, pretiosum corpus Christi tui: tum postquam dixit Diaconus, *benedic Domine sanctum calicem* τὸ δὲ ἐν ποτηρίῳ τούτῳ, τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου: *Et quod in hoc calice est sanguinem pretiosum Christi tui,* et interjecta alia benedictione subjungit μεταβαλὼν τῷ πνεύματι σῷ ἁγίῳ, *transmutans Spiritu sancto tuo:* quae ultima verba Chrysostomi Liturgiae propria sunt. In ea Jacobi, cujus antiquitas magna est et autoritas, quia ex ea Syriacae omnes originem habuerunt: post uberiorem de Spiritus sancti dignitate paraphrasin ita legitur. ἵνα ἐπιφοιτήσαν τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀγαθῇ καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ, τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον σῶμα ἅγιον τοῦ Χριστοῦ σου. Ὁ λαός, ἀμήν. Καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, αἷμα τίμιον τοῦ Χριστοῦ σου. Ἀμήν. ἵνα γίνηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον, εἰς ἁγιασμὸν ψυχῶν, etc. *Ut adveniens, sancta, bona, et gloriosa sua praesentia sanctificet et faciat, panem quidem istum, corpus sanctum Christi sui.* Populus. *Amen. Et calicem hunc sanguinem pretiosum Christi sui, ut fiant omnibus ea percipientibus, in remissionem peccatorum et vitam aeternam, in sanctificationem animarum, etc.* Diversas illas praecipuarum Liturgiarum lectiones Orationis istius referre operae pretium erat, quia omnes Orientales cujuscumque linguae ad unam aliquam ex relatis formulis referuntur, et Copticam Basilianam ex ea collatione facilius per partes examinabimus.

Ejus interpretatio. Ac primo quidem interpretatio ejus constare debet. Postulatur a Deo, ut adveniat Spiritus sanctus super nos, et super dona proposita. Ita prorsus vertendum ex Coptico verbum, *adveniat*, idem ea lingua significans ac Graecum ἐλθεῖν. At in Arabica versione praeter simplicem significationem, latet alia non vulgaris, haud tam ex ipsius linguae genio, quam ex usu Ecclesiastico deducta. Ea est, *illapsus* sive ἐπιφοιτήσεως, quae proprie hac voce exprimitur, et apud Theologos Orientales communiter usurpatur, ad significandum illapsum Spiritus sancti in Virginem Mariam, ipso Incarnationis Verbi momento, juxta Gabriëlis Archangeli sermonem, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Illa igitur ipsa voce, dum Arabice, aut Syriace scribunt, adventum illabentis sancti Spiritus in dona proposita, ad mutandum ea in corpus et sanguinem Christi exprimunt, qua ejusdem in Mariam illapsum, ad formandum ex ejus carne corpus et sanguinem Christi, sive ipsum corpus, in quo Verbum Dei humanam carnem adsumpsit, et illa voce significantior adhiberi nulla poterat.

Sequitur: *et panem quidem hunc, faciat corpus sanctum Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi:* quae verba accurate respondent Copticis et Arabicis, exprimuntque Graeca ista ποιεῖν, ἀποφαίνειν, ἀποδεικνύναι, quae hoc loco prorsus eamdem significationem habent, ut ante nos alii docuerunt, non modo Catholici, sed etiam Protestantes, atque inter alios summus literarum Graecarum magister Isaacus Casaubonus. Is enim contra Cardinalis Baronii sententiam, demonstravit, verba S. Basilii lib. de Spiritu sancto ἐπὶ τῆς ἀναδείξεως τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, quae plerique de ostensione Eucharistiae interpretati fuerant, esse de ejus consecratione intelligenda.

Exercit. in Baron. p. 52. S. Ed. Lond.

Exempla profert, etiam ex autoribus classicis multa, quae etsi non plane cogerent ad eumdem sensum sequendum in stylo Ecclesiastico, non tamen inutilia sunt ad hunc quem designamus, confirmandum. Nam ἀναδεῖξαι dicitur de Magistratibus creatis, ut etiam ἀποφαίνειν, quod Latini dicunt *renunciare, designare:* atque ita significatur apud utrosque, nova honoris et dignitatis accessio immutatioque conditionis; nec habebant Orientales, aut Graeci quos sequebantur voces magis accommodatas ad significandum mysterium, cujus explicationi verba deerant. Itaque qui vim Graecarum illarum vocum noverit, omnium alia lingua Liturgiarum hoc in ipso loco sententiam noscet pariter. Nihil porro difficile erit, modo duo certissima interpretandi principia constituantur. Primum ut voces Graecae, in Invocationis forma usurpatae, una per alteram explicentur; tum ut sensus earum quaeratur in variis Liturgiis: alterum ut haec interpretatio confirmetur per alias Orientales Liturgias. Secundum illas regulas cum in una Graeca legimus ποιήσῃ, in alia ἀποφήνῃ, in alia ἀναδείξῃ, dubitare non licet quin eamdem omnes significationem habeant, nempe verae realisque transmutationis, quae efficiat dona proposita aliquid esse, quod prius non erant, et ut in ipsa Liturgia dicitur, *invisibilia ex visibilibus.* Id autem eo certius, secundum eamdem alteram regulam, quod in Orientalibus officiis tres voces illae indifferenter usurpatae reperiuntur, cum eas reddant per verba, quae effectum et operationem certam efficacemque significant, ut sunt Syriaca עבר, Arabica נקל געל et aliae; aut magis adhuc cum utuntur vocibus צור quae *facere,* חיל quae *mutare* significant. Si quando alias adhibuerunt interpretes, ut aliquot in Liturgiis vox חוא, quae proprio sensu est ἀποφαίνειν, aut ἀναδεικνῦναι, pressius ad ista Graeca verba respexerunt, ut saepe ab ipsis factum videmus, cum alia vox plane synonyma, in promptu non esset. Unde illarum et similium sensus, non tam ex Syriaca aut Arabica lingua, quam ex Graeca petendus est, ut multis exemplis constat; praesertim in vocibus compositis: duo tantum vulgatissima proferemus. *Orthodoxus,* vox in Liturgiis usitatissima, reddi a Syris solet תריץ שובחא proprie et ad verbum *rectae gloriae,* ut interpretatus est Guido Fabricius Boderianus in Ritibus Severi Baptismalibus: nempe δόξα quae vox *gloriam* significat, notior apud illos eo sensu, quam altero, quo *opinionem* et *persuasionem.* Ineptus foret qui aliter quam *Orthodoxum* verteret, quamvis Syriaca verba aliud innuere videantur. Ὁμοούσιος, seu *Consubstantialis,* vox est pariter usu Ecclesiastico consecrata: eam Syri et Arabes ita vertunt, ut *parem,* aut *aequalem essentia,* aut *substantia* significet, atque adeo, si morosius agere velimus, non magis ὁμοούσιον significabit, quam ὁμοιούσιον. Itaque non ex illarum vocum peregrinarum vi, sed ex Graecarum, ad quas exprimendas formatae sunt sensu, ducenda est illarum significatio. In ea igitur oratione explicanda, etsi verba occurrant, quae ad τοῦ ἀποφαίνειν significationem accedant in propria sua lingua, migrasse tamen in alienam intelligendae sunt, quotiescumque, ut in hoc loco manifestum est, respondent aliis, quae majus quiddam significant. Neque ex alienis originibus

quaerenda est occasio, eam orationem, quae tota sibi constans, et cum Graecis aliarumque omnium linguarum officiis conveniens, a genuino sensu suo moveri non potest, ad typos, figuratamque mutationem significandam detorquendi. Reliqua ad ejus Grammaticam explicationem pertinentia, non magni momenti sunt, ut enallage satis frequens personae, dum in quibusdam tota ad Deum operatio refertur, nempe dum rogatur ut mittat Spiritum sanctum qui per illapsum faciat dona proposita corpus et sanguinem Christi, vel ut *facias, mutes, transferas* eadem. Neque enim quantum ad opus divinum quod postulatur, aliqua in utroque sensu differentia est. Jam ad reliqua, in quibus tota hujus orationis sententia continetur pergendum est.

Lectio Codicum Aegyptiacorum aliis omnibus conformis.

Illud primo certum et indubitatum haberi debet, eam quam exhibemus, hujus Invocationis interpretationem, conformem esse lectioni constantissimae manuscriptorum Codicum Aegyptiacae Basilii Liturgiae, tam secundum exemplar Graecum, et Copticum, quam secundum adjunctam Arabicam versionem. Neque ita solum legitur in Regiis Codicibus, quorum nonnulli antiquissimi sunt, sed in Colbertino uno, in nostro, et quod non temere dictum judicari debet, in omnibus, quando antiquissimi Theologi, Rituum Interpretes, Gabriël Patriarcha, Autor Scientiae Ecclesiasticae, Abulbircat, non aliter legerunt, ut ex eorum verbis manifesto demonstratur. Accedit autoritas Liturgiarum Aethiopicarum, quae ex Aegyptiacis factae sunt: Jacobitarum Syriacarum, et Nestorianarum, Armenicae, et Graecarum omnium, quarum una communisque lectio est. Contra igitur certam perspectamque autoritatem peccatum est a Maronita interprete, dum ita hunc locum reddidit. *Hunc panem, facit corpus suum sanctificatum sibi, Dominus noster Jesus Christus, dabitur in remissionem peccatorum, et vita aeterna sumenti ex eo.* Et ad calicem. *Hic calix etiam, sanguinis pretiosi Testamenti novi Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi, dabitur in remissionem peccatorum, et vita aeterna sumenti ex ipso.* In duabus aliis Copticis Liturgiis fidelius versatus est, et quamvis sensum non plane integrum reddiderit, saltem non, ut in ista, plane corrupit; quod indicium est factum id potius esse per ignorantiam, quam certo consilio. Sane cum Coptica verba habeamus, quae ne minimam quidem obscuritatem habent, frustra quaerenda sunt in Arabicis, quae secundi tantum exemplaris locum obtinent, subterfugia, ad istam versionem excusandam.

Lectio illa immutata in Missali Syro Romae edito.

At in aliis prope omnibus Liturgicis officiis quae Romae edita sunt, maxime in versionibus, nova prorsus et ab autorum mente lectio substituta est. Commissum id maxime in Missali edito ad usum Maronitarum, qui ex multis Jacobiticis Liturgiis conflatus est. In eo enim omnes Invocationis formae in hanc sententiam commutatae deprehenduntur. *Et hunc panem, corpus videlicet Christi, faciat nobis prodesse sumentibus, ad remissionem peccatorum et vitam aeternam: Et hunc calicem, sanguinem pretiosum Christi, faciat nobis prodesse,* etc. In Codicibus vero manuscriptis illarum omnium Liturgiarum et aliarum quos habuimus, nihil simile legitur, sed simplex, eique quam exposuimus similis, sententia: *ut adveniens Spiritus sanctus, efficiat panem*

quidem corpus Christi, calicem ejus sanguinem, ut omnes illis communicantes percipiant remissionem peccatorum, sanctificationem et vitam aeternam. Effugit tamen oculos eorum qui editioni praefuerunt, Invocationis forma quam continet Jacobi Syra Liturgia: in ea enim integre legitur, pag. 193. *Miserere nostri Deus pater omnipotens, et mitte super nos, et super has oblationes propositas, Spiritum tuum sanctum et vivificantem, σύνθρονον tibi, Deus pater, cum filio conregnantem, consubstantialem et coaeternum: qui locutus est in Lege, Prophetis et Testamento tuo novo: qui columbae specie, super Jesum Christum Dominum nostrum, in Jordane fluvio descendit, et super Apostolos sanctos ignearum linguarum forma est illapsus: ut adveniens efficiat panem istum corpus vivificum, corpus salutare, corpus coeleste, corpus animabus et corporibus salutem praestans, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam, accipientibus illud.* Populus *Amen. Et mistum quod in hoc calice est, efficiat sanguinem Testamenti novi, sanguinem salutarem, sanguinem vivificum, sanguinem coelestem, sanguinem qui animabus et corporibus salutem praestet, sanguinem Domini, Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam suscipientibus illum,* etc. Atque illae sunt praecipuae invocandi Spiritus sancti formulae, quas Orientales Liturgiae nobis subministrant, de quibus non praecipitanter adeo judicandum est, quam a multis superiori et nostro saeculo scriptoribus factum dolemus, cum damnaverunt privato suo judicio, quae vigente inter Occidentem Orientemque concordia, in Graecis, Syris et aliis, Ecclesia universa et ipsa Romana comprobavit. Igitur ex comparatione diversarum formularum quas retulimus, et aliarum plurimarum, quas tantum designavimus, tum ex immutata per editores Maroniticarum lectione, ut et quarumdam aliarum, quae mutatio tamen intra Latinas versiones constitit, intactis primaevis exemplaribus, duo manifesta sunt. Primum est, Invocationem Aegyptiacae Liturgiae, omniumque reliquarum, Graecis prorsus formulis esse similem: alterum quod interpolatio facta, sive in Codicibus peregrina lingua scriptis, sive in eorum Latinis versionibus, sententiam primae lectionis ita commutet, ut altera cum altera conciliari nulla ratione possit. Nam secundum illam oratur Deus ut mittat Spiritum sanctum, qui suo in dona proposita illapsu, efficacissimaque operatione, faciat ea corpus et sanguinem Christi, simulque fidelibus ea suscipientibus ita per gratiam suam superveniat, et illabatur in eorum cordibus, ut eadem mysteria prosint illis ad remissionem peccatorum, gratiae augmentum, et vitam aeternam. Conciliari vero visae sunt ipsis commode duae illae sententiae, si ita prima lectio refingeretur, ut loco illorum, aut similium verborum *Spiritus sanctus faciat ea corpus et sanguinem Christi, eaque ipsa nobis prodesse ad remissionem peccatorum,* ita legatur: *ut Spiritus sanctus faciat haec mysteria, videlicet corpus et sanguinem Christi, nobis prodesse ad vitam aeternam:* qui sensus omnino et ab antiqua traditione, et ab omnium codicum lectione, et ab Orientali Theologia, et ab ipsius Liturgiae ordine, abest quam longissime.

Gabriëlis Patriarchae de Invocatione verba.

Gabriël Patriarcha Alexandrinus in Rituali suo. *Sacerdos dictis his verbis* et hunc panem, *tres cruces super oblatam in eodem verbo formabit, antequam dixerit*, efficiat ipsum corpus sanctum, *quae cum pronunciavit, perficitur et efficitur corpus Christi, illud ipsum quod accepit ex Maria Virgine, etc. Cumque dixerit*, et hunc Calicem, *signat etiam ter signo crucis, antequam dicat* sanguinem pretiosum novi Testamenti tui, *quae cum pronunciaverit, vinum propositum fit sanguis Christi, super lignum crucis effusus*, etc.... *Et deinde Sacerdoti non licet vel unam benedictionem formare, neque ad principem, aut quemquam alium in dignitate constitutum respicere: ad Christum enim, qui coram eo immolatus est, imperium pertinet, et ad eum preces dirigendae sunt.* Eadem omnino habet Autor Scientiae Ecclesiasticae, ut Tractatus de benedictionibus quae in Liturgia fieri debent: et alii diversi.

Testimonia Theologorum.

Probant id etiam testimonia Theologorum varia, in quibus cum sancto Spiritui illabenti consecrationem tribuunt, manifeste designant Invocationem, qua illapsus seu ἐπιφοίτησις postulatur. Severus Episcopus Aschmonin in Tractatu de Paschate et Eucharistia, explicans ea verba, quae jubent carnes Agni Paschalis comedi assas igni: *nempe*, inquit, *igne Spiritus sancti, et quidem ille ignis est, qui requiescit super pane, et efficit illum corpus Christi.* Idem in Quaestionibus et Responsionibus. *Super panem et vinum, cum Liturgia celebratur, et consecrantur in nomine Christi, cui sit gloria, descendit Spiritus sanctus, et efficiuntur corpus et sanguis.* Eodem in opere comparat Spiritus sancti illapsum soli exorienti omniaque illustranti, et calefacienti. *Sicut*, inquit, *omnia corpora calorem solis percipiunt integrum, non vero quamdam ex eo partem, ita plane in Eucharistia se res habet: quia Spiritus Sanctus descendit super omnes Ecclesias, et efficit omnia quae ibi offeruntur, corpus et sanguinem Christi.* Homiliae de circulo anni ad usum Ecclesiae Copticae, in ea quae est de initio Evangelii secundum Lucam.

Mss. Bibl. Colb.

Assumit Filius Verbum, panem et vinum, efficitque ea corpus et sanguinem, ita tamen ut praecedat Spiritus sanctus illabendo super ea, atque ea sanctificando, sicut fecit in primo Incarnationis momento. Si quidem Sacerdos orat pro illapsu Spiritus sancti, super panem et vinum, ut ea sanctificet, cumque ab eodem (Spiritu sancto) *sanctificata sunt, tunc unitur illis Filius, efficiunturque ei corpus et sanguis, per unionem ejus cum illis.* De illa ratione explicandi elementorum consecrationem per assumtionis modum, simili illi qua Verbum in utero Beatae Virginis Mariae carnem assumsit, dicetur alibi, cum de Orientalium circa Eucharistiae mysterium Theologia tractabitur: sufficit hoc loco annotare eam, quam observare quisque potest, inter Orationis et Homiliae verba conformitatem. Idem autor in alia Homilia: *Spiritus vitae illabitur et requiescit super panem et vinum, eaque consecrat et sanctificat.*

Ms. Ar. Bibl. Reg.

Idem et alii Jacobitae docent. Epistola Sacerdotis recenter ordinati. *Qua hora accipit Sacerdos oblationem in manus suas puras, et eam elevat super altare sanctum, eadem hora descendit gratia Dei, et Spiritus ejus sanctus illabitur, cum Angelorum invisibilium myriadibus, et unitur Verbum ejus*

aeternum, ipsi consubstantiale, tali corpori quod eum designabat. Dionysius Barsalibi commentario ad Evangelii Joan. cap. 6. *Spiritus sanctus descendit super Sacramenta, efficitque illa corpus et sanguinem:* et ad Jacobi Liturgiam. *Illo ipso modo,* (nempe quo in mysterio Incarnationis) *in altare, quod est typus uteri virginalis et sepulcri, illabitur Spiritus sanctus, transmutans panem et vinum, efficiensque ea corpus et sanguinem Verbi.* In Opusculo de Institutione Sacramenti. *Virtus Spiritus sancti illabitur super panes altari impositos, et sanctificat eos, perficitque et efficit eos corpus Verbi.* Tractatus de praeparatione ad communionem. *Spiritus sanctus requiescit, sive illabitur, super Eucharistiam: atque in ea exhibetur nobis Christus, quamvis ab oculis nostris absconditus.* In Homilia ante communionem quam refert Autor Scientiae Ecclesiasticae cap. 84. dicitur *panem et vinum fieri corpus et sanguinem, per illapsum Spiritus sancti, quo transferuntur a natura sua priori, in substantiam corporis et sanguinis Christi.* *Ms. Syr. Bibl. Colb.*

Neque soli Theologi ita loquuntur, sed Rituales ipsi libri Coptici, dum vetant juxta Gabriëlis Patriarchae Constitutionem, ne Sacerdos, postquam dicta est haec Oratio, quidquam tangat nudis manibus, sed sericea tela involutis, honoris et reverentiae causa erga corpus Christi quod tetigit: ex qua disciplina constat eos credere, tum demum perfectam et consummatam esse consecrationem. Idem probant orationes Diaconicae, quae ritu Syriaco dicuntur in haec verba: *Quam timenda est haec hora, quam terribile momentum hoc, dilectissimi: cum Spiritus sanctus de caelo adveniens, illabitur super dona proposita et ea sanctificat.* Id autem inclamatur a Diaconis, paulo antequam Invocatio pronuncietur. In ritu quoque Nestoriano eodem loco dicitur. *Ecce mensa posita est in sancto sanctorum, et Sacerdotes praeclari cingunt eam in modum Seraphim: invocatque Sacerdos Spiritum sanctum, isque descendit, habitatque in pane, et calici commiscetur.* Ex illis autem, et praesertim ex ipsius orationis expositione, quam dedit in Commentario suo Dionysius Barsalibi, ad Liturgiam Syriacam S. Jacobi, significatur ipsum, ut et alios, ita existimasse, consecrationem completam censeri, cum Invocatio dicta est; quia tunc de effectu promissorum Christi, qui per eam orationem exprimitur, dubitare non licet. **Testimonia ex Ritualibus.**

Ex illius igitur Orationis verbis, si quidem in eam sententiam trahi non possunt, quae totum illapsus sancti Spiritus effectum determinet ad piam fructuosamque mysteriorum perceptionem, statim plerisque Theologis veniet in mentem, Coptitas, non minus quam Orientales reliquos Christianos, in eodem errore versari, quo teneri affirmant Graecos recentiores. Illum porro ita definiunt: Quod verbis Dominicis vim consecrandi nullam tribuant; sed Sacerdotum precibus, Invocationi praesertim: quam opinionem Cabasilae et Marco Ephesio, quasi noviter ab illis introductam attribuunt; damnatamque pertendunt in Concilio Florentino: ejuratam quidem prius a Graecis, sed Constantinopoli postmodum a Schismaticis, Marco praesertim Ephesio, renovatam. Vir doctissimus qui de hoc argumento multa commentatus est, Orientales in eadem opinione esse affirmat; quam quidem videtur agnoscere, non **De Invocatione quid censeant nonnulli Theologi.** *Rich. Simon not. ad Gabriëlem Philadelph.*

aliam esse quam quae vulgo illis tribuitur. Ea est consecrationem fieri, non per verba sacramentalia Christi Domini, sed per Invocationem Spiritus sancti. Illam vero opinionem frustra in erroris suspicionnem vocari contendit, quia solis verbis Dominicis Eucharistiam consecrari fide certum non est, neque ab Ecclesia determinatum, cum Theologi non pauci eam doctrinam impune propugnasse reperiantur, quod autoritate Ambrosii Catharini, et Christophori de Capite Fontium potissimum probat. Cum vero a Fausto Nairono Maronita excerpta quarumdam Liturgiarum Roma accepisset, in quibus verba Christi deerant, rem confectam judicavit, et multis locis testatam voluit. Imo cum Testimonia Orientalium Ecclesiarum, de sua circa realem elementorum transmutationem fide, vocare in suspicionem non dubitasset, quod viro Catholico non conveniebat, illo praecipue argumento nonnullas impugnavit, quod verbis Dominicis consecrationem fieri, autores Actorum illorum agnoscerent. In illa autem doctrina certam extare censebat suggestionis notam, quod Orientales eam Invocatione sancti Spiritus fieri, non illis verbis crederent. Cum vero illa de verbis consecratoriis quaestio ardua et multis difficultatibus implicata, quantum ad Graecos pertinet, paucis explicari non possit, de ea agetur in singulari Dissertatione. Hic vero quae ad Orientalium doctrinam de Invocatione sancti Spiritus explicandam necessaria sunt, breviter referemus.

Voyage du Mont-Liban.

Graecis tributa opinio ad Orientales non pertinet.

Graecorum quidem illa, ut vocant, haeresis cum Invocatione Spiritus sancti Liturgica affinitatem nullam habet: quandoquidem orationis illius antiquissimus usus est, ab Apostolicis usque ductus temporibus, neque per annos mille ducentos et amplius, quisquam in ea errorem deprehenderat. Primi litem movere coeperunt in Graecia, Latini quidam Theologi, quos Nicolaus Cabasilas modeste refutavit, Liturgiam Ecclesiae suae ab illorum criminationibus vindicans, et cum Latino Canone conciliare satagens, neque Latinos accusans. Inde usque ad Synodum Florentinam de illo argumento controversia nulla fuit; cumque Ferrariae et Florentiae per annos prope duos actum esset in Congregationibus de Processione Spiritus sancti, de Azymo, de Primatu Papae, de Purgatorio, et aliis doctrinae capitibus, quae Ecclesiarum divisioni causam dederant, et jam Decretum unionis utriusque partis consensu scriptum fuisset, coepit Joannes de Turrecremata Graecos accusare, quod verbis Christi Invocationem conjungerent, quae illorum efficaciam destruere videbatur. Negaverunt Graeci, ulla se, quae verborum Christi vim et dignitatem imminueret, opinione teneri; Invocationem sancti Spiritus antiquitus a sanctis Patribus traditam, solummodo servare se, de qua suspicio nulla esse posset, quin vocaretur simul in dubium illorum fides et religio, quos Ecclesia, ut magistros semper coluerat. Interea Bessarion cum aliis quinque Episcopis, inconsulto Patriarcha et reliquis Antistitibus, eam professionem edidit, quae Turrecrematae rationibus congruebat. Joannes Palaeologus et Episcopi Marcum Ephesium, qui nondum secessionem fecerat, hortati sunt ad Ecclesiae suae doctrinam paucis exponendam, quod ille brevi scripto praestitit, quo probare aggressus est, non solis verbis dominicis, sed

adjunctis precibus, praesertim Invocatione Spiritus sancti, Eucharistiam consecrari. Illius sententiam Imperator, Joseph Patriarcha, et Episcopi, sex exceptis, omnes probaverunt, nec ab ea avelli potuerunt. Institit Turrecremata, ut Definitioni Synodali adjiceretur quantum satis esset, ut, quod pauci illi credere se testati fuerant, omnibus tanquam fide certum praescriberetur. Id Eugenio Pontifici non placuit, et Definitio absque ulla additione promulgata est, Graecique ad Ecclesiae Romanae communionem recepti, in patriam reversi sunt. Cum vero unio statim turbata fuisset, et Marco Ephesio incentore, eam plerique rejecissent; missi a Pontifice Constantinopolin Legati, nullam Graecis de illo articulo litem moverunt: qui Decretum scriptis impugnaverunt, de eo verbum non fecerunt: neque de altero ad Armenos, quod plerique Theologi adversus eos allegare solent, quidquam audierunt. Haec cum Graecis Florentiae transacta, autorum aequalium testimonia demonstrant, non minus, quam Acta legitima, quidquid in Collectaneis, quae privati, Actorum nomine publicaverunt, contrarium occurrat.

Haec disputatio Orientalibus ignota fuit.

Illa porro omnia non magis Coptitas, Syros et reliquos Orientales spectant quam alias Ecclesias, quae nullam cum Graecis communionem habebant. Nam Decretum ad Armenos, et aliud ad Jacobitas, quae soluto Concilio facta sunt, ad Graecos pertinebunt, cum Graeci erunt, non Armeni aut Jacobitae. Cum igitur nulla sit Graecis cum Orientalibus aliis fidei sacrorumque communio, haeresin Graecorum, quaecumque tandem sit, Orientales prorsus ignoraverunt, neque si quid Cabasilas, aut Marcus Ephesius perperam de consecratoriis verbis scripserunt, fraudi aliis esse debet. Retinent vetustissimam Ecclesiarum suarum Traditionem in recitanda Invocatione, quam ab Orthodoxa Graeca Ecclesia acceperant, et quae ab illis introducta non fuit. De illius significatione nulla inter eos controversia fuit, aut esse potuit: nam quaestiones Theologicas de momento consecrationis perfectae, et similes alias apud nos natas, semper ignoraverunt: et adoratio Eucharistiae apud eos fieri solet, non post pronunciata Christi verba, sed cum inclamatur, *Sancta Sanctis,* et tunc Invocatio dicta est.

Verba simpliciter ut a majoribus accepta intelligunt.

Ut illam vero subtiliorem quaestionem, ita reliquas omnes Theologicas de Sacramentis nesciunt; et orationes Ecclesiae simpliciter intelligunt: credentes modo, non orare frustra Ecclesiam, et ex Christi promisso effici, quae a Deo postulantur, ad consecrationem elementorum. Verba Christi Domini ad eam perficiendam necessaria existimant, et habentur in omnibus Liturgiis Alexandrinis, Graecis et Copticis. De Syriacis tribus in quibus desunt, dicemus in notis ad Jacobi Liturgiam, neque ex illis reformari, aut explicari debent omnes aliae, cum recentiores sint, et culpae potius librariorum quam certo consilio, discrimen illud insigne a reliquis omnibus Liturgiis adscribendum videatur. Invocationi virtutem maximam tribuunt; verumtamen, ita ut neque ex Liturgicis Officiis, neque ex illorum expositoribus probari possit, per eam solam mutari elementa, aut, antequam pronunciata sit, mutationem nondum esse factam. In istius Basilii Copticae Liturgiae primis orationibus, occurrit una in qua oratur Deus, ut *benedicat*, *consecret, transferatque*

oblationes propositas in corpus et sanguinem Christi Domini: eademque prope verba sunt, quae in Invocatione dici solent. Nemo Theologus inter illos cogitavit consecrationem illis verbis fieri. In Ritu Nestoriano, primaque et praecipua trium, quas habent, Liturgiarum, Invocatio verbis Christi praemittitur, neque illis subjungitur; cum in duabus aliis, eodem loco, iisdemque verbis legatur, ac in Graecis, caeterisque omnibus Liturgiis. Ex antiquissima igitur Nestorianorum traditione constat, illos in verbis Christi agnovisse vim praecipuam ad elementorum consecrationem, neque per Invocationem subsequentem, aut praecedentem detrimentum illis fieri existimasse.

Et illis verbis non sequitur consecrationem non esse factam.

Quod vero illius orationis verba, transmutationem panis et vini postulari a Deo significent, non idcirco sequitur, id quod circa Graecos tam confidenter affirmavere, qui illorum ritus impugnant, eam nondum esse factam ab illis existimari. Gabriel Patriarcha Alexandrinus et alii nonnulli rituum interpretes eam sententiam designare quidem videntur, dum scribunt, pronunciatis verbis Invocationis panem fieri corpus; vinum sanguinem Christi Domini. Verumtamen alteram quoque Gabrielis verba interpretationem admittunt, illa scilicet Invocatione pronunciata, factum esse et perfectum esse corpus Christi et sanguinem, seu tunc demum consummatam intelligi debere consecrationem, quando omnia rite celebrata sunt, quae ad eam ex instituto Apostolico pertinere censentur. Consummatam igitur illam credunt, cum verbis Christi rite et secundum intentionem Ecclesiae prolatis a sacerdote, illabitur super dona proposita Spiritus sanctus, perfector et consummator omnium Sacramentorum, quod tunc omnino factum esse credunt, cum Ecclesiae precibus invocatus fuit, agunt enim et loquuntur humano more, secundum quem successio et temporis aliquod intervallum, cogitatione saltem intercipi potest, in transmutatione quae per miraculum facta momento fieri intelligitur, sed non nisi successive verbis exprimitur. Duo autem maximi ad quaestionem istam elucidandam momenti, observanda sunt. Primum est, non ita certo constare, credi ab Orientalibus non fieri consecrationem, antequam Invocatio Spiritus sancti pronunciata sit, quin multis rationibus, saltem verisimillimis, contrarium efficiatur. Alterum, vetustissimam omnibusque Ecclesiis, etiam Occidentalibus communem, disciplinam dudum fuisse, ut inter sacra officia, non modo ante sacramentum perfectum, sed postea, preces fiant ad Deum, quasi nondum quod Ecclesia postulat, factum fuisset.

Rationes quibus contrarium probari potest.

Prima observatio.

Prima observatio ex ipso Coptitarum ritu stabilitur. Cum pronunciantur verba Christi, alta voce, quae Orientalium consuetudo est, acclamat populus *Amen;* ad singula Evangelii verba; *benedixit.* Amen *fregit.* Amen: *deditque discipulis suis dicens:* Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur et datur ad remissionem peccatorum etc. *Amen; Credimus vere ita esse.* Diximus in notis ad hunc Liturgiae locum, *ἐπιφώνημα* illud non tam ad confessionem verae realisque praesentiae corporis Christi, quam ad approbationem et fidem totius orationis ex Evangelio contextae, videri referendum. Quippe circa veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, satis praeclaram, et perspicuam Coptitae fidei confessionem pronunciant, paulo

ante communionem, ut praevia altera opus esse non videatur. Aethiopes tamen qui sacramentales libros suos a Jacobitis Alexandrinis acceperunt, ipsamque Basilii Liturgiam, quae Aethiopum Canonis, ut vocant, generalis primarium exemplar est, ultima verba in eam sententiam interpretati sunt, quae ad veritatem realis praesentiae pertineret. Dicunt enim: *Credo et Confiteor: hoc est vere corpus tuum.* Eadem reverentia tractantur mysteria, quae post pronunciatam Invocationem adhiberi solet, eo solum discrimine, quod signationes illa dicta non fiunt. At ritu Latino, secundum quem consecratio perfecta creditur pronunciatis Christi verbis, calix et hostia crucis signo benedicuntur a Sacerdote, cum dicit, *Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, Panem sanctum vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae.* Unde constat consignari posse dona, etiam consecrata, ut fit ritu Orientali, in illa parte quae vocatur Ἁγία ἕνωσις: unio scilicet speciei utriusque, cum panis consecratus signatur particula sanguine delibuta. Sed nec statim atque Invocatio pronunciata est, adoranda proponitur Eucharistia, aut aliqua caeremonia praescribitur, quae novae dignitatis accessionem ullatenus significet. Ita neque per verba alicujus orationis, aut acclamationis, neque caeremoniis determinatur, quae sit opinio de donis propositis utrum jam perfecte consecrata sint, an proxime ad consecrationem disposita. Neque enim ad miraculum, quod humanae mentis captum superat attendere Christianos jubent Theologi Orientales, sed ad sui probationem, conscientiaeque mundationem, ut mysteria cum fructu percipiantur. Cum vero praecipua et necessaria praeparatio ad illa digne suscipienda fides sit, illam Ecclesiae Orientales testatam a suis esse instituerunt, paulo ante communionem, postquam orationibus et caeremoniis rite perfectis, de veritate corporis et sanguinis Christi, quae mox exhibentur, dubitare Christiano non licet. In aliquibus etiam orationibus, antequam Invocatio pronunciata sit, sacra dona vocantur *corpus et sanguis.* Uno verbo, nihil occurrit in Liturgiis Orientalibus, unde consecrationem nondum esse factam ex illorum sententia certo constare possit, praeter Invocationem Spiritus sancti. Per illam verborum Christi effectum destrui, vulgaris recentiorum quorumdam opinio est: ab ea tamen veteres tam in Oriente quam in Occidente Theologi vehementissime dissentiunt, accedente omnium Ecclesiarum contraria disciplina.

Secunda observatio.

Huc spectat secunda observatio, quae plurimis nec ambiguis Ritualium librorum ad omnia sacramenta celebranda testimoniis confirmatur; nempe Ecclesiam orationibus suis postulare sacramentalem gratiam, quam obtinuisse se non dubitat. Id maxime perspicuum est ex Officiis ad ea sacramenta celebranda, de quorum forma, secundum Theologorum Latinorum sententiam, et communem hujus vocis usum intellecta, non disputatur. In Baptismalibus Officiis praeter orationes praevias, tam ad fontis benedictionem, quam ad Exorcismos reliquasque caeremonias, dicuntur aliquae, etiam prolatis verbis: *Ego te Baptiso*, vel secundum ritum Orientalem *Baptisatur* N. etc. et postulatur a Deo, ut illis qui baptismum suscipiunt, gratiam Spiritus sancti

concedat. Neque id observatur solummodo in Ritualibus Graecis, Syris et Copticis, cujuscumque sectae, sed in Latinis etiam antiquis. At nemo dubitat quin remissio peccatorum, per regenerationem in baptismo, plenitudinem gratiae, et Spiritus sancti contulerit. Ita in Officio Chrismatis, sive Confirmationis, etiam post orationem, quae prae caeteris formae rationem habet, nempe *Signaculum doni Spiritus Sancti,* oratur ad eum obtinendum. In Ordinatione similiter: et licet non una sit doctissimorum Theologorum de forma proprie dicta hujus Sacramenti sententia, ad finem usque Officii, quod omnes orationes formulasque complectitur, preces ad Deum fiunt, ut Ordinato, non modo gratiam sanctitatis ministerio suo convenientis, sed potestatem autoritatemque tribuat, quam per impositionem manuum, et verba sacramentalia jam consecutus est. Poenitentiae, Extremae-Unctionis, et Matrimonii Officia precibus et benedictionibus constant, quod cum Latinis antiquis et Graecis Ritualibus commune illis est.

Nullus huc usque inter acerrimos Rituum Orientalium impugnatores, illos condemnavit eo nomine, quod sacramentalibus ad Baptismum dandum verbis injuriam facerent, cum invocant Spiritum sanctum, ut illabatur super aquam regenerandis hominibus praeparatam, et super baptisandos, antequam regenerationis gratiam consecuti sint, aut signaculum sancti Spiritus acceperint. Cum ejus inhabitatio per fidem in cordibus Neophytorum jam baptisatorum postulatur, nihil designatur aliud, quam doni mox per aquam sacris verbis accedentibus administratam postulatio, aut jam accepti confirmatio. Ita in Confirmatione, in Poenitentium reconciliatione, in Ordinatione: et aliis:

Rit. Sev. p. 98. In Rituali Severi. *Tu Domine hos servos tuos, qui nunc baptisati sunt regenerationis lavacro, sanctifica in veritate tua, imple eos gratia Spiritus sancti tui,* quod in aliis quoque Officiis legitur. Hae porro similesque orationes non rigide accipiendae sunt, quasi vel dubitetur de certitudine promissionum Christi, vel de virtute verborum sacramentalium. Unica enim, et quasi indivisa animo concipitur tota Actio, quae celebrandorum sacramentorum formam, orationesque complectitur: verbis tamen et ritibus exprimi nonnisi successive potest. Orationes et caeremoniae mutuam et necessariam conjunctionem habent, ita ut neque sine caeremoniis et materia orationes Sacramentum efficiant, neque caeremoniae et materia, sine conceptis verbis et orationibus. Illas conjunctim accipiunt Orientales Christiani, utilesque et efficaces orationes existimant, quamvis absolute quaedam non sint necessariae. Quippe in Baptismi Officio, qui infantibus, aut aliis periculose habentibus administratur, multae orationes et caeremoniae omittuntur quas aliter omittere piaculum foret. Si quis aquam fontis Baptismalis, Invocatione sancti Spiritus, et variis orationibus consecratam infanti affunderet, nisi pronunciaret verba sacramentalia, nihil agere censeretur, ex Orientalium sententia. Si Invocationem Spiritus solam recitaret super dona proposita, omissis verbis Dominicis, Eucharistiam factam esse non crederent. Invocant Spiritum sanctum initio Liturgiae, et toto orationum decursu Deum interpellant, ut secundum filii sui Jesu Christi promissa et institutionem, idem efficiat in donis propositis, quod ipse institutor

Sacramenti Christus Dominus in ultima coena fecit, et faciendum praecepit in sui commemorationem. Verba ejus recitant: tum iterum rogant Deum, ut Spiritu sancto operante, divinum et supra vires humanas miraculum perficiatur. Haec omnia quasi uno tenore facta et dicta intelligunt Orientales, neque per intermissiones, et necessaria intervalla, sacram actionem ita dividi existimant, ut non omnia ad eumdem finem referantur. Itaque in eo tantum omnes consentiunt, quod Gabriël Patriarcha paucis explicavit: pronunciata scilicet Invocatione, factam esse et completam consecrationem panis et vini, in corpus et sanguinem Christi Domini: de cujus veritate paulo post pronunciatur eximia illa Confessio.

Atque haec sola inter multas quae a Theologiis excogitatae sunt interpretationes, Invocationis verbis convenire potest, cum reliquae, nulla excepta, praeterquam quod novae sint, veteribusque incognitae, tot laborent incommodis, ut longis ipsae commentariis indigeant. Quod nonnulli μεταβαλὼν ad praeteriti significationem referunt, inaniter prorsus, et absque probali autoritate: nullius ad Copticas Liturgias momenti est, ut neque ad Syras, Jacobiticas, aut Melchiticas. Sola nempe Nestorii Liturgia haec verba repraesentat, sumta ex Chrysostomi Graeca, quod non leve antiquitatis indicium est: et μεταβάλλων praesentis, non praeteriti temporis significatione explicatur. *Invocatio quomodo videatur intelligenda.*

Illas vero quas Bessarion et Arcudius, nullo praeeunte, verbosissime proposuerunt interpretationes, ut formulam Invocationis Graecam explicarent; multo magis rejicerent Orientales Theologi, cum novitate non minus quam singularitate displicere debeant. Primus quippe ut haeresin quam Graecis impingit, paratam haberet, Jacobum Apostolum illius autorem facit: alter Cyrillum Hierosolymitanum, Joannemque Damascenum, erroris quem insectatur accusat, periculoso plane exemplo. Reliquarum interpretationum etiam quae tolerabiliores videri possunt, nulla Orientalibus Theologis venit in mentem, quorum nemo, vel minimam erroris in conservanda oratione, quam a majoribus acceperant in Ecclesia Orthodoxa, suspicionem habuit. Atque haec quaestio de Invocationis significatione agitari inter Catholicos potest, ad Protestantes non pertinet, quamvis illis concertationibus causam suam juvari existiment. Errent Orientales quantum libet, eadem cum Graecis Schismaticis opinione teneantur; at sane de vera elementorum in corpus et sanguinem Christi transmutatione non dubitant, eamque miraculo, et illapsu Spiritus sancti super ipsa elementa panis et vini, fieri confitentur, secundum simplicem verborum Invocationis sententiam. Sunt igitur ab opinionibus Protestantium alienissimi, qui nullam panis et vini transmutationem agnoscunt, et medium quo corpus et sanguis Christi recipiuntur, non aliud, quam suscipientium fidem esse volunt, quod Graeci in Cyrilli Lucaris Confessione damnaverunt. De perfecta consecratione nulla apud Protestantes quaestio est, nec esse potest, cum non aliam agnoscant corporis et sanguinis Christi veritatem, nisi in ipsa illius participatione. At Orientales, pronunciata Invocatione, completam esse transmutationem profitentur, et inter Sacerdotum *Aliae explicationes stare non possunt.*

manus, non solis *vescentibus in Coena Domini:* nihil igitur ex Invocationis qualicumque interpretatione adversus communem totius Ecclesiae doctrinam deduci potest; unumque tantummodo accusationis adversus eos caput, ex illa probari cum aliqua verisimilitudine poterit, quod credant non solis verbis Dominicis, quocumque modo prolatis, Eucharistiam consecrari: quodque preces Sacerdotales, maxime Invocationem Spiritus sancti, utiles, imo necessarias judicent, ut agatur commemoratio legitima mortis Christi Domini, secundum ejus institutionem.

Atque haec erant, quae de Invocatione Spiritus sancti, ut a Coptitis Graecorum exemplo usurpatur, non minus quam ab omnibus Christianis Orientalibus, observare necesse erat. Hoc enim disciplinae caput cum doctrina ita conjunctum est, ut ex eo non satis explicato, monstra errorum formata sint, et objecta Orientali Ecclesiae, quasi Orthodoxa esse non posset, nisi abjectis Officiis Eucharisticis suis, quae vetustissima traditione commendantur, non minus quam integra cum omnium Ecclesiarum Graeci Ritus libris conformitate. Tandem interpolatio librorum Ecclesiasticorum nulla publica autoritate facta est, ad effugiendam haeresin de qua nunquam Orientales audierunt, et ad inculcandum vetustissimae orationis sensum, de quo Censores illi convenire huc usque non potuerunt: qua sola ratione illum ad fidem non pertinere demonstratur. Concedamus esse quamdam Graecorum haeresin, qualem Turrecremata ipsis objicit; at de illa, neque de Cabasila, aut Marco Ephesio ejus, ut recentiores volunt, architectis, Coptitae, Syrive Orthodoxi, Nestoriani, Jacobitae, Aethiopes, Armeni ne levem quidem auditionem acceperunt. Efficaciam verborum Christi ad consecrationem negare Orientales, insignis et summae ignorantiae conjuncta calumnia est. Sed orant pro donis jam consecratis, ita sane: at novum illud crimen, et ante decimi quarti saeculi finem inauditum, Romanis, Gothicis, Mozarabicis, Gallicanis Ecclesiis objici poterat, nec objectum unquam fuit. Errent tandem, ut talibus Censoribus videtur, Orientales: at in illa ipsa oratione certum extat sincerae illorum fidei de vera et reali elementorum in corpus et sanguinem Christi transmutatione testimonium, quod Protestantes eripere nobis non possunt, refellere multo minus. Quid porro illorum refert, an solis verbis Dominicis Eucharistia consecretur, an vero iisdem, adjunctis Ecclesiae precibus, praesertim Invocatione Spiritus sancti; modo consecretur? At vere illa consecrari, et aliud quam quod videbantur fieri, Coptitae certissime credunt, et perspicuis verbis confitentur. Verum objici solet, non credere illos fieri id per verba Christi Domini; quod negamus: Detur ita esse, precibusque consecrationem tribuere illos; illam igitur agnoscunt, ut Confessio de qua mox dicetur satis significat; et id nobis negocii solum dari cum Protestantibus, extra dubium est. Neque tamen, ut de Graecis diximus, sola Invocatione Spiritus sancti illam perfici, Coptitae quorum Liturgiam exponimus, credunt, etsi autoritate Critici nostratis: quae hoc in genere nulla esse debet, id multis existimatum fuerit. Nam oratio quam supra exposuimus, praeparationis vulgo dicta, eadem prorsus verba continet, ad postu-

landum in panem et vinum, illapsum Spiritus sancti, ut ea efficiat corpus et sanguinem Christi Domini. Attamen nullus unquam apud eos Theologus, aut Rituum Interpres, mutationem tum fieri existimavit, aut inutiliter pronunciari talem orationem, nempe quia verba Christi nondum prolata sunt. Eadem igitur oratio repetita, postquàm sacra verba recitata sunt, detrimenti nihil illis afferre, sed ea potius in circumstantium memoriam revocare ad excitandam eorum fidem, constans et perpetua Orientalium sententia est.

Memento Domine pacis unicae Ecclesiae, etc. P. 16. l. 11.

Diptycha.

Hoc loco incipiunt Diptycha, quam vocem Coptitae retinuerunt: hanc enim et sequentes orationes appellant *Πιτουπτικόν*: et eam Syri, ut multas alias Graecas retinuerunt, ut patet ex Commentario Barsalibi ad Liturgiam sancti Jacobi. Ea vox pessime explicatur in Nomenclatore Kircheriano, ex vitiosa vocis Arabicae punctuatione; atque redditur *Interpretatio.* Legit enim interpres תרגים, cum legendum sit תרחים. Ea vox ultima Diptychis indita est, quia dum orationes recitantur a Sacerdote, populus saepe repetit יא רב ארחם, *Domine miserere,* aut quod idem est, *Kyrie eleison.* Ea illorum est apud Coptitas dispositio. Sacerdos dicit: *Memento Domine, etc. Ecclesiae tuae, etc.* mox Diaconus clamat ad populum, *Orate pro Ecclesia.* Populus dicit, *Kyrie eleison,* sive *Domine miserere,* pluries: et ut notat Barsalibi, eo loco non debet populus aliud quam *Kyrie eleison*, ad singulas orationes dicere. Singulare est apud Syros Jacobitas institútum, ut ad unumquodque Diptychorum caput, Sacerdos celebrans duas orationes recitet, unam alta voce, unam secreto. Oratur vero apud Coptitas in hunc modum: pro Ecclesia, pro Episcopis universim, et singulariter pro Patriarcha Alexandrino solo, si Alexandriae Liturgia celebratur; alibi pro Episcopo oratur, post memoriam Patriarchae: pro ordinibús Ecclesiasticis: pro urbe: pro Ecclesia, in qua Liturgia peragitur, et monasteriis: pro fructibus terrae et aquis Nili. Sequitur altera pars quae ad praeterita spectat: nempe commemoratio sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Sanctorum reliquorum, incipiendo a Beata Maria Virgine: Tertia tandem est mortuorum apud Deum commendatio. Varia autem est, non modo in diversis Ecclesiis, sed in iisdem ejusmodi commemorationum dispositio. In Ritu Nestoriano qui antiquissimus est, oratur pro omnibus creaturis: pro Ecclesia Catholica toto orbe diffusa: pro Ecclesiasticis cujuscumque ordinis: pro plebe Christiana, sive Laïcis: pro piis: pro Regibus fidelibus: pro principibus, magistratibus, et barbarorum compressione: pro aëris temperie, frugum ubertate: pro loco: pro peregrinantibus terra vel mari: pro afflictis et captivis: pro vitandis insidiis, pro variis necessitatibus. Postea fit memoria sanctorum, sequiturque commemoratio mortuorum et oratio pro illorum quiete: sed varietas illa nullius momenti est. Aegyptiorum ordinem in Diptychis, praeter Liturgias, explicant

Abulbircat, Ebnassalus in Epitome Canonum, Gabriël Patriarcha, Autor Scientiae Ecclesiasticae, et alii. De Syriacis Jacobitarum, Barsatibi commentario ad Liturgiam, Abulfaragius in Nomocanone; tum variae Liturgiae, ex quibus ordo Diptychorum intelligitur.

Diptycha Alexandrina.

Verum ordo ille, et quicumque in libris praescribitur, non omnia nomina continebat, quae praesertim ritu Aegyptiaco commemorari solebant. Ac de vivis quidem post nomen Patriarchae Alexandrini, qui vivebat tunc temporis, nominabatur quoque Patriarcha Antiochenus Jacobitarum, idque ex antiqua consuetudine, ex quo Severus Jacobitarum spes altera, qui Antiochenam sedem occupaverat, arctissimam cum Dioscori successoribus societatem et communionem habuit. Interrupta postmodum aliquamdiu commemoratio Antiochenorum in Diptychis fuit, quia inter turbas bellorum, quibus Oriens ardebat, desiit utriusque Ecclesiae per literas commercium. Sed illud renovatum est; atque postmodum consuetudo fuit, ut illorum in Diptychis nomina recitarentur; inter vivos, ejus qui tunc Cathedram obtinebat; et inter mortuos, decessoris ejus. Verum tunc incipiebat memoria viventis fieri, quando Alexandriam pervenerant literae, quas statim ab ordinatione sua scribere solebat cum Confessione fidei, quae quia ex Synodo mittebantur, *Synodicae* appellabantur. Nam donec tales literae receptae fuissent, decessoris nomen, quasi viventis, recitabatur, etsi de ejus obitu constaret, ut in Alexandrina historia non semel factum observavimus. Postea nomen proxime defuncti Patriarchae Diptychis inserebatur. Nullius ex aliis Patriarchis memoria fiebat: non Constantinopolitani, non Romani, quamvis de dignitate ejus inter omnes constaret, ut testantur Canonum Collectores, qui primum illi locum attribuunt, ob sedem Petri principis Apostolorum. Sed propter defensionem Concilii Calchedonensis, haeretici habebantur Romanus et Constantinopolitanus; atque idcirco nulla eorum memoria fiebat. Antiochiae quoque inter Jacobitas, pari modo referebatur in Diptycha nomen Alexandrini Patriarchae viventis, et ejus decessoris, statim atque literae Synodicae ejus receptae fuerant. In mortuorum commemoratione recensebatur quoque nomen Patriarchae Alexandrini nuper defuncti, ut multis historiae exemplis manifestum est: atque e tabulis eximebatur, post successoris obitum. Ita quoque observabatur in Ecclesia Aethiopica, quae Alexandrinae in omnibus subjecta erat. In Aethiopica Liturgia Metropolitarum plurimum nomina successive recitabantur, ut patet ex Canone Generali. Idem quoque factum in Ecclesia Nestoriani, docet nos ipsorum historiae scriptor Maris Salomonis filius, qui de duobus Pseudo-Catholicis, notat *eorum nomina libro vitae inscripta non fuisse*, hoc est Diptychis, *eo quod contra leges Ecclesiasticas dignitatem usurpaverant.* Atque haec de Ecclesiasticis, circa quorum commemorationem similis erat ubique ferme disciplina.

Regum memoria in Diptychis.

De Regibus occurrunt quaedam notatu digna, praeter ea quae superius observavimus. Nam in quibusdam Liturgiis, ut Nestoriana, oratur *pro Regibus fidelibus;* ut in Jacobiticis nonnullis. Ea occasione reprehendit Barsalibi in Commentario suo quosdam saeculi sui homines, qui existimabant tol-

lendam esse ex Diptychis Regum memoriam, quia tunc hostes Ecclesiae et nefarii essent. Sed ait esse quosdam Reges impios, id est Muhamedanos; Calchedonenses quosdam nequitia non inferiores, pro quibus tamen orandum sit, quia ab illis pax orbis, pro qua deprecari Ecclesia jubet, pendet quodammodo. Itaque ubique ferme tandem pro illis orationes praescribuntur, sed hoc loco, in aliquibus Liturgiis, ut in hac Basiliana, Regum nulla mentio est, quamvis initio pro illis oretur. In secunda quae est Gregorii, *pro Regibus Christianis*, nempe φιλοχρίστοις retentum ex antiqua consuetudine, quando adhuc sub Christianis Imperatoribus Aegyptii vivebant: quem usum confirmat Abulbircat, dum inter alias orationes recenset βασιλέων παλάτιον nempe *pro regibus et qui in Palatio*. Ea porro differentia est, ut iis in Provincis, quae Christianos principes habebant, non solum oraretur pro ipsis, sed nomina eorum recitarentur, quemadmodum observatur in Graecis Liturgiis, quarum diversi codices Imperatores nominant illius temporis quo scripti fuerunt. Si neque Christiani, neque ejusdem sectae fuerunt, nominatim non appellantur. Itaque cum Muhamedani toto dudum Oriente potiantur, neque in istis Liturgiis Aegyptiacis, neque in Jacobiticis Syrorum, aut Nestorianis, aut aliis tandem, nominatus reperitur princeps ullus Muhamedanus, etsi multos Christiani benevolos experti sunt. Antiochia recepta a Christianis non semel, postmodum fuit per saeculum ferme integrum in Francorum potestate: at quia tum Graeci Imperatores, tum Franci, Calchedonenses erant, atque adeo haeretici a Jacobitis judicabantur, nulla eorum temporum Liturgiae exemplaria occurrunt, ubi alterutri nominentur, in Jacobitarum Antiochenorum, aut Palaestinorum codicibus. Duo igitur tantum exempla sunt in Orientalium Christianorum libris, Armenorum qui reges aliquando Christianos habuerunt, quorum nomina ex Diptychis commemorantur; et Aethiopum qui semper sub Christianis Regibus fuerunt. Adhuc in istorum Liturgia nominati reperiuntur, non modo qui regnabant cum libri scripti fuerunt, sed majores eorum, et veteres non pauci, qui virtutis aut pietatis fama quondam floruerant, ut Gabra-Maskal, Constantinus, Fresennai, Lalibela, Zara-Jacob, et alii.

Sanctorum commemoratio.

Sequitur altera pars, quae est sanctorum commemoratio, nempe non ut pro illis oretur, sed ut per eorum preces et intercessiones, Deus misereatur supplicantium. Primum vero apud omnes Ecclesias nominatur Virgo Maria, erga quam notissima est omnium Orientalium pietas, praesertim Jacobitarum: qui praeter frequentes ad eam in ipsa Liturgia orationes, singulares multas habent, in libro qui voce Graeca *Theotokia* appellatur, quasi hymni a Deiparam. Extat ille in Bibliotheca Regia Coptice et Arabice, recenseturque ab Abulbircat inter alios libros Ecclesiasticos. Multae quoque hujus generis continentur in Liturgia Aethiopica, quae cum Canone Generali post Novum Testamentum Romae edita est; vocaturque idcirco *Liturgia sanctae Mariae:* plures in libro singulari, quem vocant *Organum:* et in breviori secundum hebdomadae dies disposito, cujus extant varia exemplaria in Bibliothecis. Neque officio suo desunt Nestoriani, quamvis Mariam negent esse Deiparam;

nam in Liturgia triplici quam habent: in Thesauro precum quotidianarum, seu Horologio, hymni multi ad eam occurrunt, sed in quibus semper *Christipara* appellatur: quae nota illius sectae indubitata est. Multae quoque ad Virginem orationes occurrunt in Melchitarum Horologio Fani edito, et in manuscriptis ejusdem libri Codicibus. Imagines ejus colunt, et multae antiquissimae reperiuntur adhuc, in ruinis veterum Ecclesiarum Thebaïdis, ubi Virgo repraesentatur filium in sinu gestans, ut de multis notant, non satis gnari quid istae imagines significarent Makrizius, Kazuinius et alii Muhamedani. Antiquissimam Ecclesiam eidem dicatam extare adhuc suo tempore, hoc est duodecimo saeculo *Mirtouti* dictam, refert Abuselah, idque significare *Matrem Dei Verbi*, nempe voce corrupta, ex Graecis abbrevians $\overline{M}\overline{H}\overline{P}$ τοῦ $\overline{\Theta}\overline{Y}$. Multas recenset Makrizius in Topographia Aegypti, quarum frequens est in Christianorum libris memoria. Festi dies diversi in honorem Deiparae, quales apud Graecos et apud nos. De summa ejus dignitate, quod Dei mater sit, extant insignes Tractatus diversorum Theologorum; inter alios Abrahami Monachi Tiberiadensis, Abu Raithae Takritensis, Jahiae sive Joannis filii Zachariae, Severi Episcopi Aschmonin, Isae filii Zaraae, qui omnes Jacobitae fuerunt, praeter ea quae de hoc argumento scripsit Ebnassalus in Principiis fidei toto cap. 45. Eutychium Alexandrinum et Orthodoxos alios praeterimus. Nemo sane Orientales accusavit quod legitimis, qui Deiparae debentur, honoribus deessent: multi quod eo in cultu modum aliquando excederent, et ad superstitionem usque procederent; quae accusatio fundamento non caret. Nam habent praeter libros quos designavimus, qui a doctrina sana commendari possunt, infinitos alios fabulis et superstitionibus inquinatos, ex apocryphorum faece collectis.

Sancti qui apud Coptitas commemorantur.

Sanctorum qui in Diptychis commemorantur diversa ratio est, sunt enim quorum sanctitas apud omnes Ecclesias commendata est antiquitus, ut Apostolorum, Martyrum, et Ecclesiae Doctorum, qui ante Concilia Ephesinum et Calchedonense floruerunt. Praecipuorum illorum nomina apud omnes ferme Ecclesias commemorantur, non tamen omnium, id enim infinitum foret. Postea vero Nestoriani, nullos qui sibi in damnanda haeresi sua contrarii fuerunt, memoria dignos judicaverunt. Itaque sanctis omnibus Orthodoxis posthabitis, duo aliorum genera substituerunt, eos nempe quos Patres Graecos appellant, Diodorum Tarsensem, Theodorum Mopsuestenum, Nestorium et quosdam illis conjunctos; tum eos qui Syri Patres appellantur, nempe eorum discipulos, quorum aliqui Cathedram Seleuciensem tenuerunt, et quos suae sectae supremos Antistites olim habuerunt. Pari modo Jacobitae post Concilium Calchedonense ab Ecclesia secedentes, sicut Nestoriani Cyrillum diris et anathematibus devoverunt, ita ipsi Leonem Romanum, et qui in ejus communione fuerunt, pro haereticis habentes, Dioscorum, Severum et alios Jacobiticae haeresis defensores et propagatores, in Sanctorum numero Diptychis inseruerunt. De istis vero notissimis nihil singulariter observandum est: at in aliis quorum obscurior, praesertim apud Graecos et Latinos, memoria est, non semel multi hallucinati sunt. Plerique sane Monachi, si Pa-

tres vitae Anachoreticae excipias, haeretici fuerunt; atque in illis decepti sunt saepe peregrini ad Aegypti monasteria delati, in quibus colebantur tales haereseos defensores. Multos enim fuisse inter Aegypti Monachos testantur autores varii.

De Sanctis qui praecipue coluntur in Jacobitica Ecclesia, operosior tractatio foret, nec hujus loci. Multa in eam rem colligi possunt ex Synaxariis Coptitarum, tum ex Kalendario quod extat apud Abulbircat. Edidit illud, sed valde imperfectum, nominibus tam Arabice quam Latine mirum in modum corruptis, Joannes Seldenus in Tractatu de Synedriis veterum Hebraeorum: recudit multisque locis emendavit Jobus Ludolfus, adjuncto Aethiopico, et notis in quibus multa observat, ita tamen ut plura supersint colligenda ex Codd. Mss. quos ille non viderat.

Judicium Scaligeri de Diptychis.

Josephus Scaliger, ex cujus Codice hae Liturgiae Aegyptiacae lucem primo Latine viderunt, in Epistola ad Marcum Velserum Augustanum, de Diptychis ita scribit. *A Diptychis duo manarunt, quae tam in Orientis quam in Occidentis Ecclesiis hodie extant αἱ λιτανεῖαι καὶ τὰ μαρτυρολόγια. Litaniae a κύριε ἐλέησον, incipiunt: partibus duabus, Sanctorum memoria, et precibus constant. Hoc in illis Liturgiis clare extat: nam Diptycha in illis a verbo* ארחם, *hoc est ἐλέησον, incipiunt.* In hac observatione aliquid verum est: quamvis divinando potius dictum sit a Scaligero, quam petitum ex antiquitate Ecclesiastica: nam ex Diptychis manaverunt Martyrologia, vel potius ea fuerunt antiqua Diptycha, seu tabulae Ecclesiasticae, quae in hoc loco recitabantur: aucta, et in libros relata, aliam deinde diversamque, pro Ecclesiarum temporumque varietate formam acceperunt. Nam antiquissima quae extant, collecta sunt a diversis autoribus serius, neque publica Ecclesiarum autoritate: et illud de quo loquitur Gregorius Magnus, non extat: sed de his videndi Baronius, Molanus, Valesius, quique de Martyrologiis accuratius tractaverunt. Apud Graecos omnesque Christianos Orientales nihil simile: sola habent Synaxaria, multo Latinis Martyrologiis ampliora, illique non absimilia quod saeculi decimi sexti fine, Maximus Margunius Cytherensis Episcopus, in Graecorum suorum gratiam sermone vernaculo Graeco, Venetiis edidit. In illis autem refertur breviter Sanctorum historia, cum in Latinis nomina tantum Martyrum, et passionis locus et tempus referri soleant: aliorum Sanctorum nomen, dignitas et patria. In Graecis memoria fit multorum qui in Ecclesia Latina floruerunt: in Orientalibus Synaxariis vix ullorum qui extra Orientem. Ita maxima differentia est inter ea et Martyrologia. Litanias quod attinet, dictum Scaligeri ingeniosum magis est quam verum: et quas proprie ita appellamus, ignorant penitus Orientales, neque *Kyrie eleison,* quod initium nostrarum est, eodem apud ipsos loco et modo dicitur, sicut nec apud Graecos. Nam dum indicatur a Diacono, oratio facienda pro quacumque re, vel certis personis, Sacerdos dicit singularem aut duas orationes, unam alta voce, aliam secreto; et ad earum finem populus dicit *Kyrie eleison,* vel ארחם id est *Miserere,* idque non semel, sed multoties, atque aliquando quadragies. Appellari vero postmodum Sanctorum nomina, et sin-

gulis subjungi, *orate pro nobis*, non est ex Orientali consuetudine. Nam quod extant in Codicibus recentioribus quaedam Litaniae nostris similes, vel prope eaedem, debetur Missionariorum diligentiae, qui illas Orientalibus sunt interpretati, ut diversas ex nostris libris orationes alias.

De mortuorum commemoratione et precibus pro ipsorum quiete, dictum est superius, quia duplices ut etiam observatum est, in Ritu Aegyptiaco fieri solent, pro diversis rebus et personis orationes.

P. 18. l. 33.

Prooemium ante fractionem.

Prooemium appellatur in multis codicibus haec oratio, quia ex illarum genere est quae dicuntur ante sacram aliquam actionem, ad Sacrificium pertinentem, ut ista quae antecedit fractionem Corporis Christi, de cujus consummata transmutatione jam non dubitatur, et tamen orant, ut digni efficiantur communione et participatione mysteriorum ejus divinorum, quae nova probatio est adversus abnormem Claudii Salmasii interpretationem, de qua dicetur in notis ad secundam Liturgiam. Fractio autem hostiae, sive oblatae, duplex est, prima eo ipso tempore quo pronunciantur haec verba Christi, *Fregit*, ad quae adnotatur in rubricis, et Gabrielis Rituali, aliisque rituum expositoribus, Sacerdotem frangere oblatam in tres partes, quas tamen ita invicem conjungit, ut fracta non appareat. Secunda vero et proprie dicta Fractio, quae hoc loco perficitur, est illarum partium in multas particulas divisio, ad distribuendam communionem. Ritus Fractionis nullus singularis est; sed particulae, ut apud Graecos, in disco collocantur, et postea velo teguntur. Tum Sacerdos signat ex sanguine in quem digitum intingit, partem hostiae majorem: ea enim est quam *Isbodicon* vocant, quae vox, nullo in loco explicata a nobis reperta est; quippe notissima cum esset, nemo eam explicandam judicavit. In Codice Graeco Regio *Σπουδικόν*, quae scriptura facit ut judicemus vocem detortam esse a Graeca *Δεσποτικόν*, ut subintelligatur *σῶμα*: nempe *corpus Dominicum,* nam literam T. Aegyptii in *Δ* vulgo convertunt. Cum vero nunquam ea vox usurpetur de hostia non consecrata, certissimum videtur particulam mediam, quae ad consecrationem deligitur, intelligi debere, sicut ejus etiam minores partes, cum ea vox reperiatur plurali numero. Igitur per istum ritum fit unitio et consecratio corporis et sanguinis Domini, vel potius inchoatur; cum, ut ex sequentibus rubricis manifestum est, immissio particulae consecratae in calicem, et signatio ex eadem, particularum quae sunt in disco, fiat post recitatas orationes Fractionis, quas hoc loco Liturgia repraesentat, aut omnes, aut unam ex tribus. Omnem autem Fractionis ritum explicat Gabriel Alexandrinus, cujus verba hic apponemus. *Patres,* inquit, *nostri constituerunt, ut, quo tempore haec oratio dicitur, Sacerdos manus in crucis modum componeret, atque ita designaret Deum esse praesentem inter nos. Cum dicit,* corpus sanctum; *accipiet corpus sanctum, imponetque illud super manum suam sinistram, et ponet digitum*

suum super illud. Cumque dicet, et sanguis pretiosus; *tollet digitum suum de super corpore, extendetque eum ad calicem, et indicem suum in pretioso sanguine intinget, ita tamen ut unguem non immergat. Mox ubi indicem sanguine intinxerit, educet eum ex sanguine: et eodem digito sanguinem signabit in modum crucis; educetque manum ex calice prius extersam, ne quid ex ea decidat, qua in re diligentiam adhibebit; signabitque sanguine, quem in digito habet, corpus sanctum semel, supra eam partem quam primo signavit: et signabit iterum aversam partem corporis, ab ima parte: ita, ut tres omnino consignationes fiant, ex eo, et ad illud,* (nempe ex corpore et sanguine, mutuae benedictiones fiant,) *et quae compleantur ex quo incipit dicere,* corpus sanctum, *donec dicat*, Pax omnibus. *Inde incipiet Sacerdos recitationem Orationis Fractionis, dividetque corpus in tres partes, sicut primo fecerat ad ea verba* fregit. *Tertiam partem accipiet, quam collocabit super tres alias in modum crucis: et accipiet margaritam, seu particulam unam ex superioribus tribus, eamque ponet in latere disci Orientali: tum aliam inferiorem ex illis acceptam, collocabit ex adverso ad occidentem: duas quoque alias a dextra et a sinistra disponet ita, ut omnes particulae efficiant figuram crucis: ex superioribus autem particulis accipiet eam in qua est Isbodicon,* hoc est mediam majorem, *quam in medio disco collocabit. Tum incipiet Fractionem tertiae, quam manu tenebit; qua finita, accipiet tertiam primo collocatam et eam franget: finita fractione ejus accipiet tertiam, quam in medio posuerat, conservabitque ex ea Isbodicon seorsum, ex superiori facie, cavebitque diligenter ne quid findatur, aut frietur. Tum ponet eam in loco suo; tertiam in medio locabit in loco suo, et ad eam colliget omne corpus sanctum quod fregit. Quod si Sacerdos fuerit rituum peritus, habeatque multorum annorum experientiam, juxta praescriptam hanc formam oblationem suam recte dividet, donec tota fracta in minutas partes integre fuerit: elevabitque eam manibus suis, ita perfecte divisam et integram,* hoc est, particulis ita collocatis, ut integra appareat. *Ea cum perfecerit Sacerdos, manus intra discum continebit, ne quid tangat, ne quid forte ipsis adhaereat, ne minima quidem margarita seu particula.* Huc usque Gabriel, quem sequuntur Autor Scientiae Ecclesiasticae et alii. Minutas illas caeremonias non ita facile explicare licet: neque sane magni refert, cum sufficienter ex relatis verbis intelligatur, quam accurate se habeant Aegyptii in fractione hostiae, adeo ut ipsi, quibus ignari quidam Viatores objecerunt summam in Sacramentis tractandis irreverentiam, talem curam adhibeant, qua major esse ulla nequeat. Res ipsa per se satis loquitur, neque enim, ut ex ipsis Protestantium disputationibus intelligitur, similis diligentia adhiberi potest, ubi non est fides verae substantialisque elementorum transmutationis. De ea quoque in hoc ipso ritu occurrit perspicua confessio, dum Sacerdos pronunciat haec verba, *corpus sanctum et sanguis pretiosus.* Nam quae dicuntur eo ipso momento, quo panis consecratus tenetur manibus, et in calicem digitus immittitur, certo certius significant fidem indubitatam de utroque jam translato in corpus, et sanguinem Christi Domini. Quod autem spectat Fractionis modum facile is

intelligi potest considerata forma oblatarum Orientalium, quarum imaginem dedit vir Clarissimus Jacobus Sirmondus in Disquisitione de Azymo. Sunt enim illae sectae quodammodo, multis et variis tum lineis, tum cruciculis, quae ferro impresso ita sulcantur, ut tota oblata facile frangi possit, ea quam Gabriel describit ratione. Media autem pars ea est quae majorem aut crucem, aut figuram habet: nam utraque ratione formantur, et nisi vehementer memoria nos fallit, non modo crucis, sed aliae etiam figurae aliquando oblatis imprimebantur. Operae pretium erit adjicere ex Ritualibus aliarum Ecclesiarum quomodo Fractio et consignatio apud Nestorianos, et Jacobitas Syros fieri soleat. In Liturgia Nestoriana, quae sanctorum Apostolorum dicitur. *Osculatur Sacerdos hostiam in modum crucis, ita tamen, ut ad labia sua non adjungat, sed eam quasi osculatur et suscipit utraque manu: tum dicit. Accedimus Domine cum fide vera, et frangimus cum Orthodoxa confessione, signamusque per misericordiam tuam, corpus et sanguinem Domini Jesu Christi, vitae largitoris, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Frangit hostiam in duas partes, deponitque partem, quam manu sinistra tenet, in altaris mensa, ita, ut fractura ejus respiciat os calicis: signatque partem quam dextra tenet, in calice, in quo immergit tertiam ejus partem et dicit.* Signatur sanguis pretiosus corporis vivifici, Domini nostri Jesu Christi, in nomine Patris, etc. *Et postea ex eadem particula signat corpus, et dicit,* Signatur corpus sanctum sanguine propitiatorio Domini nostri Jesu Christi in nomine Patris, etc. *Tum accipit partem quae super mensa est, manu sinistra, eamque alteri particulae ita conjungit, quasi fractae non essent, et dicit.* Segregata et commista sunt haec mysteria unum cum altero: in quibus ritibus integra cum Copticis apparet conformitas. In Ritu Maronitico, sive potius Jacobitico. *Credimus, offerimus, obsignamus et frangimus Eucharistiam hanc, panem coelestem, corpus Verbi Dei vivi, in calice salutis et gratiarum actionis, signamus perfectione propitiatoria, mysteriisque sublimibus plenissima, in nomine Patris, etc.* In aliis codicibus ex ea particula quae in calice intincta est, fieri praecipitur consignatio super alias partes, diciturque simul, *Spargitur sanguis Domini nostri Jesu Christi super corpus ejus sanctum, in nomine Patris, etc.* Atque hic est ritus quem plerique vocant *consignationem Sacramentorum*, nempe quia post Fractionem, ex particula consecrata signatur calix, et ex eadem intincta consignatur panis mutatus in corpus Christi, ut ita duae species conjungantur, et quamvis divisae, unius ejusdemque Christi corpus esse et sanguinem, per Ecclesiasticas caeremonias demonstretur. Ipsae quas hoc loco Coptitae observant, et quarum similes habent Ecclesiae Orientales prope omnes, non ex communibus Graecorum Liturgiis Basilii et Chrysostomi acceptae sunt, sed ex Jacobi quae cum antiquissima sit omnium, magis in Oriente propagata est, quam aliae. In ea ita praecipitur *Sacerdos frangit panem, dimidiumque dextra, sinistra vero dimidium tenet, et quod tenet manu dextra immergit in calicem dicens.* Unio sanctissimi corporis, et pretiosi sanguinis Domini et Dei ac servatoris nostri Jesu Christi. *Et signat id quod tenet manu sinistra, deinde hoc signato, alterum dimidium signat:*

ac statim incipit dividere et ante omnia distribuere in singulos calices partem unam, dicens. Unitum est et sanctificatum et consummatum in nomine Patris, etc. *Et cum signat panem dicit.* Ecce agnus Dei, filius Patris, qui tollit peccata mundi, vita et salute. *Et cum distribuit unam partem in singulos calices dicit.* Portio sancta Christi, plena gratiae, et veritatis, Patris et Spiritus sancti, cui gloria, imperium in saecula saeculorum. In aliis quoque ut Chrysostomi, et Basilii, satis designatur idem ritus, qui Latinis quoque communis est, nempe, ut fracta hostia, ejusdem particula calici immittatur, dum dicitur: *Haec commixtio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam.* Quae oratio etsi leviter immutata, reperitur eodem sensu in omnibus antiquis codicibus, ita tamen, ut ea lectio quam Autor Notarum ad Gabrielem Philadelphiensem observat vidisse se in uno, in quo legeretur *corpus et sanguis,* in nullo a quoquam autore idoneo deprehensa sit, neque a nobis qui multos tractavimus, atque adeo suspectissima de mendo esse debeat. Nec enim locus omnino est, ut oretur pro consecratione corporis et sanguinis Christi, non solum quia jam omnibus modis, etiam secundum Graecorum recentiorum opinionem, perfecta censenda est; sed quia consecratio quae postulatur, non alia est, quam commistio speciei utriusque. Hujus vero caeremoniae quae in Fractione hostiae, particularumque intinctione observatur significationes mysticas, ut apud Graecos Germanus Constantinopolitanus, Maximus, et inter recentiores Cabasilas, explicaverunt de scissione et laceratione corporis Christi inter flagellantium et crucifigentium manus, de effusione sanguinis: de resurrectione ejus, deque aliis mysteriis, ita eodem sensu Dionysius Barsalibi, atque alii Theologi Orientales eam intelligendam esse docuerunt.

Oratio post Pater noster.

P. 21. l. 1.

Oratio post *Pater noster.*

In omnibus Orientalibus, non minus quam Occidentalibus Ritibus, paulo ante communionem dici solet Oratio Dominica, ex Apostolica institutione, de qua passim autores Liturgici, Graeci et Latini. Sed differunt Orientales ab Occidentalibus, quod apud istos dicitur post Fractionem, apud illos eam praecedit. Iterum Latino ritu a Sacerdote canitur, aut recitatur elata voce: in Oriente Sacerdos praemissa oratione brevi, incipit tantum *Pater noster:* populus prosequitur: et ad finem subjungitur haec oratio, qua rogatur Deus, ut nos a maligno liberet. *Sacerdotem oportet,* inquit Barsalibi, *tanquam corporis Ecclesiae linguam, incipere Orationem Dominicam, quam reliqui fideles prosequentur.* Cum vero recitanda sit Coptice a populo Oratio Dominica, idcirco inter ea quae Sacerdotibus, ad quos animarum cura spectat, districtius praecipiuntur, occurrit illud mandatum, ut populus eam et Symbolum doceatur eadem lingua: tum ut vulgari idiomate explicentur, sed extra Liturgiam, de qua consuetudine observanda extat Gabrielis Filii Tarich Synodica constitutio. Ea ratione factae sunt ab Episcopis et a Theologis variae

Card. Bona Rer. Liturg. l. 2. c. 15.

Orationis Dominicae expositiones, similes illis quae extant in Sermonibus Augustini: simplices scilicet, et piae potius quam Theologicae. Tales extant in Opusculis Severi Aschmoninensis, apud Ebnassalum, et anonymae plures. Ab ea omnem orationem debere inchoari docet Ebnassalus Theologus, in Principiis fidei cap. 13. In ejus fine addunt illa verba ultima quae extant in Graecorum libris, *quia tuum est regnum,* etc. Neque id solum observatur in Officiorum Ecclesiasticorum, sed etiam in Evangeliorum codicibus.

P. 21. l. 25.

Dicit Sacerdos Orationem absolutionis.

Absolutio ante communionem.

Ea est iterata absolutionis generalis formula, qualem initio Liturgiae jam observavimus, quae ut prima ad Filium dirigitur, ita ista ad Patrem. Nam cum omnes orationes Latini Canonis ex vetustissima traditione ad Deum Patrem dirigantur, in Oriente plures ad Filium: nempe quia magis conflictata est Arianorum et aliorum qui ejus divinitatem impugnabant contentionibus, Orientalis quam Occidentalis Ecclesia. Porro haec oratio, sicut superior, comparari recte potest formulis illis in Occidente usurpatis, quae in praecipuis solennitatibus praesertim Feria quinta in Coena Domini, super populum pronunciantur, et adhuc in vulgari sermone Absolutionis nomen retinent. Quamvis autem Absolutiones illae ritus Aegyptiaci, Sacramentales proprie loquendo dici non possint, neque talem de illarum efficacia opinionem Coptitae habuerint, nisi quando sublata inter eos fuit Poenitentiae Canonicae disciplina, non levem tamen esse illarum fructum existimant. Quippe etsi non valeant ad eluenda peccata, de quibus confessio nulla facta est, quod volebant Joannes, et Marcus Patriarchae, de quibus alibi dictum est; sicut nec ad ea quae Canone, hoc est legitimis poenis praescriptis expiabantur; tamen valere eas crediderunt ad obtinendam remissionem eorum, pro quibus etiam Sancti quotidie ante altaria Domini pectus tundunt dicentes, *dimitte nobis debita nostra.* Itaque pronunciatur, quamvis deprecando, ex fiducia autoritatis Petro concessae, ad ligandum et solvendum, quae tantopere apud eos a Theologis, et Canonum Interpretibus commendatur. Unde ejusdem orationis verba afferuntur in Opusculo Severi Episcopi de Officiis Christianorum, et in Tractatu Monachorum Antiochenorum de legitima praeparatione ad suscipiendam Eucharistiam. In Ritu Syriaco *Oratio Impositionis manuum super fideles,* recensetur a Jacobo Edesseno, quae huic quodammodo respondet, etsi non est plane eadem. Omnino enim intentio Ecclesiae Orientalis ea est, ut per istam orationem ultimo loco gratia postuletur, pro illis qui communionem percepturi sunt. Ita in Jacobi Liturgia, in qua rogatur Deus, *ut sanctificet eorum animas et corpora, et efficiantur digni communicandi corpori et sanguini Domini nostri Jesu Christi:* atque eadem ratione oratur in Chrysostomi et Basilii Liturgiis. Addiderunt igitur Aegyptii Jacobitae novam illam absolutionis orationem, tunc maxime cum puros ab omni etiam veniali sorde Christianos esse oportebat, quamvis jam similis

pronunciata foret initio Liturgiae, quo exemplo, etiam Latino ritu, quamvis generali peccatorum confessione facta, initio Missae, pronunciataque absolutione, quotidie cum accedunt fideles ad percipiendam communionem repetitur eadem confessio, absolutioque iterum pronunciatur. Patriarcha Gabriel de ea praecipit hunc in modum. *Sacerdos dicet Absolutionem ad Patrem, usque ad haec verba*, populus tuus: *tum involvet manum suam velo bombycino, aspiciensque ad Occidentem, manu populum innuet, sinistra extensa, oculisque ad sanctum corpus conversis, tanquam precabundus, et petens ab eo aliquid pro populo.* Autor Scientiae Ecclesiasticae: *Sacerdos dicet Absolutionem, facie ad Occidentem conversa, juxta consuetudinem: quod si fuerit Episcopus, leget eam in sede sua, facie quoque versa ad Occidentem, ut populum suum excitet ad digne percipiendum corpus et sanguinem sanctum.* In ista Absolutione pronuncianda idem observatur ac in prima, quae est initio Liturgiae. Quod vero ipsa non ad legitimam peccatorum per canonicam poenitentiam expiandorum Absolutionem pertineat, si esset aliqua dubitandi causa idonea, multis rationibus probari posset. Nam ex quo antiqua poenitendi lex immutata est in eam formam, quae in Ecclesia Graeca servabatur Chrysostomi tempore, supererat adhuc in Synaxibus poenitentium statio: atque illi post sacrarum scripturarum lectionem, antequam Canon inciperet, dimittebantur, facta super eos oratione. Memoriam moris istius servant Ecclesiae Orientales, quamvis ipsam disciplinam dudum obsoletam fuisse testentur Jacobus Edessenus, Barsalibi et alii. Neque haec oratio Absolutio Sacramentalis fuit, aut illius rationem habuit: nam si ita fuisset, Poenitentes in Ecclesia constitissent, tanquam communioni reconciliati; sed contra statim pellebantur. Itaque non dicebatur super alios quam super fideles, qui jus communicandi haberent, quo exciderant non modo qui publice, sed qui etiam secreto poenitentiam agebant, aut illi tandem qui lethalis alicujus peccati culpa tenebantur. Isti quamvis non minus quam secreto poenitentes, et sub Canone sive ἐπιτιμίῳ constituti starent in Ecclesia, cum integris Christianis, arcebantur tamen satis a communione per obnunciationes Diaconorum, petitas ex antiquissima disciplina: *Ne quis impurus, ne quis in hypocrisi*, de quibus dictum est superius. Quod si aliquando ad talem impietatem delapsi sunt Jacobitae Aegyptii, ut Canonem, hoc est laboriosa opera poenitentiae imposita per sacerdotem, et confessionem accuratam peccatorum, omitti sinerent, factum id obscoenis temporibus, reclamatumque a magna illius Ecclesiae parte fuit, adversus irreligiosam illam novitatem, ut alibi expositum est. Tunc autem valere existimaverunt istam et alias absolutiones, ad omnium peccatorum remissionem, modo ea simul secreto intra se confiterentur, praesertim cum Diaconus incensum adolens transibat per mediam Ecclesiam, ut cum fumo confessio illa inanis ad caelum ascenderet: quam etiam posito intra privatos parietes thuribulo usurpare coeperunt.

Huic orationi non minus quam primae inseritur commemoratio duplex, Sanctorum, ut per eorum merita et preces Deus remissionem peccatorum supplicantibus largiatur: defunctorum, ut ad eos quoque fructus orationum

Ecclesiae perveniat, quia nempe Sanctorum communionis ea ratio est, ut non modo Sanctos in coelis cum Christo regnantes, et fideles in unitate ejus et pace defunctos, sed et laborantes in hac vita simul conjungat, quasi unius corporis membra. Extat haec Absolutio prope iisdem verbis, in Liturgia Aethiopum communi, quae ex Coptica desumta est.

P. 22. l. 32.

Unus Pater Sanctus.

Confessio de Trinitate.

Quae ad communionis legitimam praeparationem spectant prosequitur Orientalis Ecclesiae disciplina, et cum prima et praecipua conditio sit ne detur Sanctum canibus, antequam ulterius progrediatur Sacerdos dispensator mysteriorum Dei, edicit per Diaconum solennia illa verba, quae ex antiquitatis reverentia Graece dicuntur *Μετὰ φόβου τῷ Θεῷ πρόσχωμεν. Cum timore Deo attendamus:* quae hortatio non modo, ut in aliis sacri ministerii partibus, attentionem et mentis ad Deum elevationem significat, sed singularem et praecipuam, ad Christum in Eucharistia praesentem, ut relata Gabrielis Patriarchae et aliorum verba palam faciunt. Postea quia prima dispositio eorum qui accedunt ad Sacramenti perceptionem fides est, profertur a circumstantibus confessio circa Trinitatem, his verbis: *Unus Pater Sanctus,* quae oratio extat in Graecis Alexandrinis, ut in aliis, paulum immutata in hunc modum: *Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus:* in ea Jacobi, et in Graecis aliis similiter, ita ut ad Christum solum referatur. Lectio quam interpretatione nostra expressimus, est antiquorum Codd. Copticorum Bibliothecae Regiae, in quibus, ut in Gabrielis Rituali, Graece dici praecipitur, his verbis quae librarii linguae imperiti mire corruperunt. *Εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος, πνεῦμα ἅγιον. Ἀμήν.* Arabice exponunt non uno modo. In uno antiquiore, *Sanctus pater unus: Sanctus filius unus, Sanctus Spiritus Sanctus:* in alio melius, *Unus est Pater Sanctus,* etc. sicut Graece. Eamdem formulam exhibent Syriacae Jacobitarum Liturgiae, nisi quod addunt, *ipsi gloria et gratiarum actio in saecula. Amen.* Eam orationem exponit Dionysius Barsalibi; meminitque ejus Jacobus Edessenus. Extat quoque apud Nestorianos. Omnes atque inter alios Ebnassalus, notant eam dici paulo antequam ostendantur populo sacra mystèria.

P. 22. l. 36.

Sancta sanctis.

Sancta sanctis, et elevatio Eucharistiae.

Haec celebratissima apud antiquos Christianos verba, tunc dici a Sacerdote monet rubrica Codicis Regii, simul cum Sacerdos assumit in manus *Spodicon,* sive ut Arabice scribitur, *Isbodicon* vel *Isbadicon,* et evelans quantum potest, ostendensque populo, simul inclamat *Sancta sanctis.* Diximus voce illa significari mediam hostiae partem: ex qua calix et aliae particulae consignantur, et quae reservatur ad elevationem faciendam, simulque

ab omnibus adoratur. Itaque in hac parte duae occurrunt caeremoniae ad Eucharistiae fidem pertinentes, elevatio scilicet Sacramenti, et ejusdem adoratio, quas tam secure negaverunt Protestantes in Oriente observari. Pugnabant autoritate Theologorum aliquot, qui nimis creduli et Eucharisticae disciplinae non satis periti, Graecos accusaverant, quod Eucharistiam non adorarent, idque satis probari videbatur, quia illius elevatio apud illos nulla esset, nempe quod in multis antiquis codicibus rubricae deerant, preces tantum continebantur. Ea tamen notatur in Liturgia Basilii Graeca et Arabica Ritus Alexandrini, in codice Regio. Sed quod jam multi accurate docuerunt, Graeci habent ritum eumdem quem ἁγίαν ὕψωσιν appellant, *non eodem quo Latini loco, sed longe post orationem Dominicam brevi ante communionem spatio: juxta Jacobi, Basilii, et Chrysostomi Liturgias,* inquit Goarius, *Dominicum corpus, non ita tamen ut a populo conspiciatur, elevat Graecus Sacerdos; nempe quia populus extra sanctuarii cancellos, et vela longe positus est, tum quod ritu Graeco non admodum extollatur.* Sed parum aut nihil refert cum statim adoratio consequatur. *Εἶτα προςκυνεῖ ὁ ἱερεὺς καὶ ὁ διάκονος ἐν ᾧ ἐστι τόπῳ, λέγοντες μυστικῶς τρίς.* Ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι ἁμαρτωλῷ. *Καὶ ὁ λαὸς ὁμοίως πάντες μετὰ εὐλαβείας προςκυνοῦσιν. Ὅταν δὲ ἴδῃ ὁ διάκονος τὸν ἱερέα ἐκτείνοντα τὰς χεῖρας, καὶ ἁπτόμενον τοῦ ἁγίου ἄρτου πρὸς τὸ ποιῆσαι τὴν ἁγίαν ὕψωσιν, ἐκφωνεῖ* Πρόσχωμεν, *καὶ ὁ ἱερεύς.* Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. *Deinde adorat Sacerdos, et Diaconus in quo est loco, dicentes secreto ter:* Deus propitius esto mihi peccatori. *Omnes ex populo pariter cum reverentia adorant. Cum vero viderit Diaconus Sacerdotem manus suas extendentem, et tangentem sacrum panem ad faciendam sanctam elevationem, alta voce dicit;* Attendamus: *et Sacerdos,* Sancta sanctis. Itaque in Ritu Graeco habemus et elevationem et adorationem. Neque excipi potest, ut a multis factum, in antiquis libris non semper reperiri quae recentiores in hanc sententiam continent. Nam extra dubium est in antiquissimis libris solas preces contineri, ritus petendos aliunde, quod non modo in Graecis, sed in Orientalibus libris omnibus, imo et Latinis aeque observari potest. Verum satis aliunde scitur utrumque et ostensionis, et adorationis ritum observatum fuisse apud Orientales. Gabriel Patriarcha in Rituali. *Finita Absolutione Sacerdos respiciet ad Orientem, et Diaconus alta voce clamabit, populo interea nudum caput et elevatas manus habente. Diaconus deinde dicet,* Amen: et cum Spiritu tuo. Cum timore Deo attendamus. In Codice recentiori adjicitur, *Diaconum manu crucem elevatam tenere, nempe quo magis conspicua ipsius admonitio sit. Respondet Populus alta voce,* Kyrie eleison. *Tum accipiet Sacerdos Isbodicon in manus suas, illudque sursum elevabit, quantum brachia sua extendere poterit, caput inclinans, clamabitque voce altissima.* Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. *Sancta sanctis. Omnes e populo inclinabunt capita sua, adorantes Dominum in timore et tremore, postulantes cum lacrymis, summo studio, et tunsione pectorum, remissionem peccatorum suorum, et confirmationem suam in fide Orthodoxa, ad extremum usque vitae spiritum.* Plura adhuc Autor Scientiae Ecclesiasticae. *Postea,* inquit, *ad*

Euchol. p. 145.

Orientem respiciet cum reverentia et humilitate, accipietque partem ex corpore sancto, jam diviso, partem nempe mediam Oblatae suae: atque ea est quam Gabriel et Rubricae *Isbodicon* vocant, *et in sublime eam elevabit, simulque elevabuntur cerei et crux: mediaeque horae spatio ita elevata manebit* (particula major:) *Sacerdosque clamabit voce altissima, et quantum fieri potest, contenta,* Sancta sanctis. *Omnes ex Ecclesiae populo, uno ore clamabunt,* Kyrie eleison, Domine miserere, *capite nudato in genua provoluti, si fuerit dies Dominica; si dies alia, omnes in frontem ad terram usque prosternentur, deposita capitum fascia.* Meminerunt cultus istius religiosi, simulque rituum secundum quos peragitur, autores antiquiores. Severus Episcopus Aschmonin in Opere de exercitiis Christianorum. *Post hanc,* inquit, *orationem satis prolixam,* (nempe Absolutionis de qua mox dictum est,) *Sacerdos elevat corpus super manus suas, supra populum universum, sicut olim* (Christus) *elevatus est in ligno crucis: clamantque omnes sicut tunc ad eum Latro clamavit:* Miserere mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Et in alio opere de Agno Paschali et Eucharistia, idem explicat uberius: nempe, ut cum Christum in Eucharistia sub modica specie panis et vini intuemur, fides nostra non deficiat, sed augeatur potius Latronis exemplo, qui divinitatem ejus in Cruce agnovit. *Quod,* inquit, *ab eo percepit Latro nobis etiam ultro offertur. Accedamus ergo ad eum dicentes,* Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Eamdem orationem hoc ipso loco a Graecis usurpari, docet nos Liturgia Chrysostomi *ὡς λῃστὴς ὁμολογῶ σοι, μνήσθητί μου κύριε, ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. Sicut Latro confiteor tibi, memento mei Domine in regno tuo,* quae est pars ultima prolixioris orationis quam dicunt circa communionem. *Πιστεύω κύριε καὶ ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ ἐλθὼν εἰς κόσμον, ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτος ἐγώ εἰμι. Credo Domine et confiteor, quia tu es Christus filius Dei, qui in mundum venisti peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Nempe non una sola oratio a Graecis dicitur et aliis Orientalibus, in ostensione Eucharistiae, aut in ejus perceptione, sed plures occurrunt ejusdem sententiae. In Ecclesia vero Coptica, quando quidem insignis alia confessio sequitur, de qua mox dicemus, differtur quod in Graeca formula, ad fidei de hoc Sacramento profitendae rationem pertinet: oratio tantum fit ad Christum praesentem, eo quo diximus modo. Indifferens vero prorsus est haec rituum diversitas: illud modo commune omnibus Ecclesiis Orientalibus, quod ostenduntur sacra mysteria, simul ac dicitur *Sancta sanctis.* De Aegyptiacis dubitari non potest, post tam perspicua Autorum testimonia, praesertim Gabrielis Patriarchae. Quod si recentiora illa quisquam existimet, refelletur statim ex Graeco Codice Regio ejusdem Liturgiae, ubi habetur. *Ὁ ἱερεὺς ὑψοῖ τὸ σπονδικόν; Sacerdos elevat corpus Dominicum.* Severi Patriarchae Constitutio extat in Syrorum Nomocanone. *Signat cruce populum dicendo.* Gratia Dei sit. *Tum Diaconus:* Cum timore aspiciamus. *Sacerdos:* Accedant qui sanctificati sunt. Sancta sanctis: *et elevat mysteria. Populus,* Unus Pater: *et communionem distribuit.* Jacobus Edessenus. *Sacerdos*

signo crucis ter facto, benedicit populum, simulque admonet quod sancta haec puris et sanctis solum traduntur. Tum elevat et ostendit Sacramenta universo populo, tanquam in testimonium. Idem habet Dionysius Barsalibi commentario ad hunc Liturgiae locum. *Sacerdos elevat et circumfert Sacramenta, clamans et dicens, Sancta sanctis.* Itaque ne una quidem Liturgia est, quae celebrem illam, atque a tota retro antiquitate commendatam formulam non habeat, hoc ipso in loco. Nam praeter Copticas, Syriacae omnes, Jacobiticae, Melchiticae, et Nestorianae eam exhibent, ut etiam Armenica. Omnes etiam Aethiopicae, quae ex Aegyptiacis expressae sunt, eam referunt, nullo inter se discrimine. In ea quae Constitutionibus Canonicis inserta est, et quam Latine edidit simul cum Aethiopico textu Jobus Ludolfus, haec verba mirifice interpretatus est, *Sanctuarium sanctis;* non minus contra Aethiopicae linguae proprietatem, quam communem omnium Liturgiarum sententiam, praeter quam quod nullum haec versio sensum efficit. Quis enim unquam audivit talia verba in Liturgicis Officiis? Sed ea fuit illius, in omnibus ferme quae ad controversias de religione spectarent affectatio, ut quasi secure de omnibus nemine intercedente pronunciare posset, absurdissimas non modo opiniones, sed quod minus excusari potest, verborum Aethiopicorum explicationes dederit, quae ferri non possunt. Hinc natae sunt portentosae illae voces *Coenae* quam ubique usurpat pro Eucharistia: *Orationis Eucharisticae* pro Liturgia, et multae aliae quas alibi notavimus.

Comparatio elevationis Ritu Orientali cum ea quae fit Latino ritu.

Nihil porro refert hoc loco disquisitionem instituere de elevationis similitudine cum ea quae fit Graeco aut Latino Ritu, et ea quam observant Orientales. Neque enim Christianorum fides pendet a simili caeremonia, nisi quod ostendi Eucharistia, praesertim cum honoris significatione non potest, apud eos qui non vere credant illam esse corpus et sanguinem Christi: at quamvis non elevaretur, modo tamen Ecclesiarum fides aliunde constaret, non idcirco revocari cum aliqua ratione posset in dubium, ex illius caeremoniae defectu. Nam in sola quam Latini habent, Praesanctificatorum Missa, Feria sexta Majoris hebdomadae, vix Eucharistia ostenditur: in Carthusianorum usu Ecclesiastico calix vix attollitur, neque a circumstantibus videri potest. Non idcirco dubitabitur, aut de Ecclesiae Latinae in hac Missa, aut de piorum illorum Ascetarum religione. Observandum quoque est, non levem esse inter eos qui Liturgicas antiquitates illustraverunt quaestionem de ritus elevationis apud Latinos origine. *In antiquis enim libris, et in codicibus Ordinis Romani tam excusis quam manuscriptis, nec in priscis rituum Expositoribus, Alcuino, Amalario, Walafrido, Micrologo et aliis, aliquod ejus vestigium reperitur. Ea duntaxat in Ordine Romano elevatio memoratur, qua calix attollitur ante orationem Dominicam.* Verba sunt Cardinalis Bonae. Potest sane fieri, ut quamvis elevatio observaretur in Latina Missa, nullum tamen ejus vestigium extet in Missalibus, qui rubricas antiquitus non recipiebant. Majus est argumentum, ex Expositorum Missae silentio: quamvis parum intersit, ut diximus, quo momento ostendatur Eucharistia, imo et an ostendatur. At quidquid de judicio piissimi doctissimique Cardinalis statuatur,

De Reb. Liturg. l. 2. §. 13. c. 2.

certum' est elevationem, si necessaria judicatur, sufficienter probari ex eo ritu quem omnes Latinae Missae agnoscunt, quando hostia cum calice elevatur modice, paulo ante orationem Dominicam. Nam antiquissimam illam esse elevationis disciplinam omnes ferme agnoscunt. Vir Clarissimus Joannes

Pag. 49.

Mabillonius Commentario praevio ad Ordinem Romanum. *Non statim post consecrationem in altum a Sacerdote, hostia itemque calix primis illis temporibus efferebantur, sed sub finem Canonis, cum diceret Sacerdos;* Per quem haec omnia, etc. *erigebat se Archidiaconus solus: et cum diceretur;* Per ipsum et cum ipso, *levabat cum offertorio calicem per ansas, et tenebat exaltans illum juxta Pontificem. Micrologus, corpus cum calice tunc levatum fuisse, dicit in cap. 15. ubi nullam alterius post consecrationem levationis mentionem facit. Orientales id praestant paulo ante communionem. Porro elevatio post consecrationem in Gallia, post medium saeculum undecimum videtur fieri coepta, haud scio an paulo serius in Ecclesia Romana.* Cum igitur initio, elevationem Eucharistiae in Ecclesia Romana eo in loco quem nunc habet non fuisse, doctorum hominum testimonio constet, neque tamen inde merito quisquam inferre possit, ignotam fuisse tunc Sacramenti quam profitemur fidem, quae satis magnis aliunde argumentis confirmatur, ita plane concludi non debet Orientales, quia elevationem eodem loco non agnoscunt, posse idcirco in suspicionem vocari, quasi non rectam de Eucharistia fidem habeant. Neque enim quod ita judicaverunt Theologi, aut Itinerariorum autores aliqui, causa ulla fuit, nisi silentium Liturgiarum: tum observatio parum accurata caeremoniarum Orientalium, ita ut, quia statim post verba Christi pronunciata, non videbant levari Eucharistiam, prorsus illam non

Dam. a Goes de Mor. Aethiopum.

ostendi crediderint. Ita quoque judicavit Zagazabo Aethiops in Lusitania, cum de suis ita referret. *Apud nos Eucharistia non ostenditur, sicut hic video fieri.* Sed ex relatis autorum testimoniis haec quorumdam hominum opinio aperte revincitur. Nam quod Gabriel Patriarcha, quod Abusebah Autor Tractatus de Scientia Ecclesiastica, quod Rituales alii libri testantur de Aegyptiorum Jacobitarum hac in parte disciplina, eam non noviter introductam, sed antiquitus usurpatam esse satis demonstrat. Idem de Syris dicere possumus, quorum ritus non praescripserunt, aut noviter instituerunt Severus Antiochenus, et alii ex ejus secta autores, Jacobus Edessenus, Dionysius Barsalibi et Abulfaragius, qui eos in Nomocanone collegit, sed quales erant, referunt. Accedit nota certa ritus ostendendae Eucharistiae paulo ante communionem, cum pronunciatur Confessio, de qua mox dicemus. Sed ne quid desit ad ostendendam perpetuam Ecclesiarum consensionem in veneratione Eucharistiae, adjiciemus ritum alium quem Canones de disciplina Ecclesiastica anonymi praescribunt: leguntur autem in Codice satis vetusto. *Quotiescumque*, inquiunt, *elevabitur Eucharistia pulsabuntur campanae:* minores scilicet quas gestant manibus, et quas tangere extra Ecclesias non licet, sub Muhamedanorum tyrannide. Nam in Nubia et Aethiopia, ubi Christiani

Hist. Patr. Alex. p. 282.

regnabant, pulsabantur ex superiori loco, ut observatum est in vita Yuçabi Patriarchae Alexandrini LII. de Georgio filio Zachariae Regis Nubiae, qui

cum apud Praefectum Aegypti gratia valeret, eo ipso in castro, ubi Liturgia ab Episcopis celebrabatur, pulsari ex superiori tabulato campanas jussit, more patrio. Reliqua ad ipsum elevationis ritum spectantia legi possunt quantum ad Latinos et Graecos pertinet, in Commentariis Jacobi Goarii ad Chrysostomi Liturgiam: notis Hugonis Menardi, ad Gregorii librum Sacramentalem: Cardinalis Bonae Tractatu de rebus Liturgicis, optimo sane et pererudito, tum apud autores alios qui passim a nobis designati sunt. Jam de Adoratione Eucharistiae, quantum ad Orientales pertinet, paucis dicendum.

De Adoratione Eucharistiae antiquitus usurpata.

Constat sane ex omnium Theologorum, imo Protestantium, sententia, cultum illum religiosum, ita cum fide realis praesentiae corporis et sanguinis Christi in Sacramento, semper conjunctum fuisse, ut qui eam crediderint, adorasse Eucharistiam verisimile, imo certum quodammodo esse videretur. Cum itaque sanctos Patres ita sensisse satis demonstratum fuerit, etiamsi perspicua testimonia nobis deforent, dubitari tamen non posset quin Eucharistia adorata antiquitus fuerit. At testimoniis Ambrosii l. 3. de Spiritu sancto, cap. 12. Augustini in Psalmum 98. Theodoreti in Dialogo Ἀσύγχυτος, Cyrilli Catechesi Mystagogica V. et quibusdam aliis probari contendimus, eos Eucharistiae, non minus quam verae Christi carni τεθεωμένῃ adorationem deferendam censuisse. Neque multum immorari debere existimavimus in conquirendis autoritatibus de hoc argumento, aut ex aliis non adeo perspicuis deducere probationes novas circa religiosum Sacramenti cultum, ut ad illum loci quidam SS. PP. referrentur, qui aliter intelligi possunt, et debent. Unde locum Basilii libro de Spiritu sancto, quem superius retulimus, ubi de Invocatione Spiritus sancti agebatur, quique meminit ἀναδείξεως panis et calicis, ad utriusque ostensionem non pertinere certissimum est, quamvis Bellarmino multisque aliis visum aliter fuerit. Nam eo loco ἀνάδειξις Basilio, est consecratio elementorum in corpus et sanguinem Christi; nempe opus divinum quod a Deo postulatur per interventum sancti Spiritus illabentis in dona proposita, non actio aliqua ad disciplinam exteriorem pertinens. Sed enim in illis quae antiquitatem Ecclesiasticam spectant, dogmata quidem in sanctorum Patrum scriptis quaerenda sunt, ita ut quod ignoraverint, aut non propriis verbis communique consensu docuerint, ad finem non pertinere possit judicari: at in disciplina res aliter se habet, cum circa illam semper esse potuerit, et fuerit innoxia diversitas, nullo sanae doctrinae detrimento ac periculo: et multa per traditionem ad Ecclesias pervenerint, quorum perscriptas autoritates proferre vix licet, quamvis, ut Augustinus post Basilium, Chrysostomum, et omnes alios docuit, ex sola eorum rituum observatione constet sufficienter, quod ab Apostolica traditione proveniant. Cum igitur Eucharistiae adorationem perpetua traditio omnium Ecclesiarum commendet, ejusque initia assignari nulla possint, tanquam nuper introductae contra majorum exempla, non est quod laborent Theologi, in conquirendis veterum testimoniis in re evidenti, quae ut non a scripta aliqua lege ducit originem, ita non scriptis autoritatibus, sed usu, consuetudine, omnium saeculorum exemplo, quantum opus est, a novitatis suspicione vindicatur.

Quorsum enim scriberentur in Sacramentorum libris omnia illa quae non ex codice, sed ex usu, quotidianoque ministerio Sacerdotes, et Diaconi discebant? Aiunt Protestantium plerique, Innocentium IV. induxisse morem adorandae Eucharistiae: ostendant ubi id perscriptum sit. Ostendemus contra Sacramentales libros, et quidem multos, illius aetate recentiores qui ne notam quidem habeant adorationis Eucharistiae: neque tamen idcirco eam non adoratam fuisse, vel ipsi tot paradoxorum autores affirmare audebunt.

Adorationem Eu- [illegible] observant [illegible]

Par fuit Orientalium Ecclesiarum ratio, ubi quaecumque ad rite perficienda Sacramenta spectabant, serius omnino in literas missa sunt, quia Codices orationibus solis constabant, ritus alibi notabantur, etiam cum scribi coeperunt. De Graecis certa et constantissima traditio dudum ipsarum Liturgiarum Codicibus consignata est: eos Aegyptii Jacobitae sunt imitati, ut quod usu stabilitum erat, in Rituales libros, aut Liturgicos, qui adjunctum haberent caeremoniarum apparatum tandem referrentur, quae ad ostensionem, elevationem, adorationemque Eucharistiae spectabant. Illa vero disciplina, qualis ex Gabrielis Patriarchae Rituali a nobis exposita est, plenam habet ex ipsius nomine autoritatem, majorem adhuc ex usu, et traditione ejusdem Ecclesiae, quae satis apparet ex testimonio Severi Episcopi Aschmoninensis, qui quadringentis annis scribebat ante Gabrielem. Nam ex ejusdem Severi verbis agnoscitur, et elevatam sua aetate fuisse Eucharistiam, et adoratam, quando preces ad Christum in ea praesentem dirigi praecipiuntur: illae nempe, *Deus propitius esto mihi peccatori:* et *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum:* tum adhortationes Severi ipsius, Autoris Homiliarum de Circulo anni: publicae etiam Diaconorum hoc ipso sacri officii loco, ad orandum intentius, cum timore et tremore, Christique in disco Eucharistico porrecti, et immolati fidem memoriamque excitandam: quae omnia cum summi cultus, qualis Deo soli exhibere legitime potest, officia sint, ipsam quoque adorationem, summumque religionis actum simul complectuntur. Cum enim Propheta scelus idololatriae sculptilia sibi fabricantium exagitaret vehementius, exprobrat illis, quod tandem dicerent, *Libera me quia Deus meus es tu.* Utque recte D. Thomas. *Per orationem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum illi se subjicit, et profitetur orando se eo indigere, sicut autore suorum bonorum:* et ut alio loco docet, duplex adoratio est, spiritualis quae consistit in interiori mentis devotione, et corporalis, quae consistit in exteriori corporis humiliatione: eam exhibent procul dubio, qui, ut Coptitae faciunt, ad Eucharistiam dirigunt preces pro misericordia impetranda, praesertim quando, ut ex dictis manifestum est, interiori illi devotioni exteriorem, prostrationem scilicet corporis, et alios honores adjungunt.

2. 2. q. 83. a. 3. q. 84. a. 2.

P. 23. l. 14.

Confessio Corpus sanctum, etc.

Confessio fidei ante Communionem.

Pervenimus tandem ad eam Liturgiae partem quae communionem proxime antecedit, et quae confessionem continet de veritate corporis et sanguinis Domini Jesu Christi in Eucharistia, tam perspicuam, tam indubitatam, ut

nulla toto orbe Ecclesia unquam sit aut fuerit, in qua Sacerdotes et Laïci luculentius de sacratissimo illo mysterio testimonium dedisse reperiantur. Atque ea opinor ratione factum est, ut absolute Ὁμολογία appellaretur, quasi omnia complectens, quae non modo ad Sacramenti, sed etiam ad Incarnationis fidem pertinerent: quamvis ultima sui parte, ante aliquot saecula interpolationem passa sit, ut ad propriam Jacobitis haeresin accommodaretur: quod cur et quando factum fuerit ex certis monumentis exponemus. Adeo celebris est in Alexandrina Ecclesia haec oratio, ut in nulla Liturgia sive Aegyptiaca, sive in Aethiopicis ex illa derivatis, desideretur: nullus Autor Rituum illius non meminerit. Ut autem intelligatur melius, quo ordine dicatur, praeter rubricas Codicis Regii, quas versioni nostrae inseruimus, ritum integrum antecedentem proponemus, verbis Gabrielis Patriarchae. Post illa quae superius relata sunt, ita prosequitur. *Accipiet Sacerdos Isbodicon, seu majorem hostiae partem in manum suam dexteram, eoque consignabit sanguinem pretiosum in calice, in modum crucis: attolletque illud sanguine intinctum, sedulo cavens, ne quid ex illo decidat: ex eo deinde signabit in formam crucis totum corpus sanctum, quod est in disco. Tunc referet illud ad sanguinem, et ex eo rursus in sanguine crucis figuram designabit, immittetque illud in sanguinem calice contentum, dicens interea. Εὐλογητὸς Ἰησοῦς Χριστὸς υἱὸς θεοῦ. ἁγιασμὸς πνεύματος ἁγίου ἀμήν.* Benedictus Jesus Christus filius Dei: sanctificatio Spiritus sancti. Amen. *Populus vero adoratione sua peracta, se attollens, respondebit alta voce.* Unus Pater Sanctus etc. *Tum Sacerdos dicet.* Pax omnibus. *Respondebunt*, Et cum Spiritu tuo. *Postea Sacerdos dicet Confessionem; pronunciandoque* Corpus sanctum, *accipiet illam majorem partem quae in medio disci posita est, et ex ea accipiet Isbodicon, et dividet illud in tres partes. Quod si major hostia fuerit: accipiet ex Isbodico tres partes in manus suas, frangetque particulatim in disco ad haec usque verba.* Accepit illud ex Domina nostra Deipara sancta Maria. *Tum accipiet particulam in manu sua et eam in disco deponet, cujus loco aliam accipiet ex corpore, quod est in disco, et eam manui suae imponet:* nempe, ut habeat in manu particulas consecratas, dum Confessionem pronunciat; et Sacerdote praeeunte populus eam prosequitur. Nam simul ac demonstratur Eucharistia, eodemque momento, Confessionem dici certissimum est non modo ex Rubricis, Gabriele, Scientia Ecclesiastica, et aliis autoribus, sed in Ordinationibus Episcoporum et Sacerdotum praescribitur, ut dum novus ordinatus eam pronunciat, habeat in manu particulam corporis Christi, et eam ostendat, quo edita simul confessione, populus de ejus fide circa Eucharistiam certus esse possit. Jam quae ad eam Orationem singulariter attinent, paucis explicanda sunt.

Partes hujus Confessionis duae. Prima antiquissima.

Duae sunt autem ejus partes; prima antiquior est, quae his verbis continetur. *Corpus sanctum et sanguis pretiosus Jesu Christi filii Dei nostri. Amen. Sanctum pretiosum corpus et sanguis verus Jesu Christi Filii Dei nostri. Amen.* Haec Graece dicuntur, quae nota est primaevae vetustatis indubitata: nam quod ea lingua in Liturgiis extat, procul dubio acceptum fuit

ab Ecclesia Orthodoxa, antequam ab ea Jacobitae secessionem fecissent. Postea enim nihil quod noviter institutum fuisset Graece dictum est. Extat quoque in Graecis Alexandrini ritus Liturgiis.

Secunda recentior. Secunda pars quae non parem antiquitatem habet, in duas quoque alias dividitur; nam primo adjuncta sunt tantum illa verba, *Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est in rei veritate*, quae quidem ex Cyrillo desumpta videntur, adversus Nestorianos, qui negare probabantur ex suis principiis esse in sacris mysteriis carnem Christi divinam factam; ea autem verba, ut et sequentia, Coptice dicuntur: quae quidem cum contineant luculentam de Eucharistiae veritate Confessionem, infecta sunt nihilominus doctrinae Jacobiticae particula, dum dicunt fecisse *unum quid ex humanitate et divinitate.* Illa quidem verba secundum doctrinam Orthodoxam intelligi possent, si referantur ad unitatem personae: unus quippe Christus est, non confusione substantiae, sed unitate personae, ut in Symbolo Athanasii dicto legitur. Verum illa Jacobitae referunt ad unitatem naturae quam pertinacissime profitentur, et cum Eutychen detestentur, eique anathema denuncient tanquam Apollinaristae; illaque verba confusionem quamdam, mistionemque inducere viderentur, explicata sunt per subsequentia, atque ita Confessio eam quam habet in codicibus formam, paulatim accepit. Tota igitur ipsius sententia cum primo pertineat ad agnoscendam, verbisque simplicissimis contestandam veritatem corporis sanguinisque Domini nostri Jesu Christi, refertur simul ad Incarnationis fidem, ut dum verum corpus ejus, et sanguinem in Eucharistia se agnoscere profitentur Jacobitae, simul veritatem assumtae ab eo carnis agnoscant, omniumque pariter quae in τῇ ἐνσάρκῳ οἰκονομίᾳ gesta sunt. Eam fidem cum antiquitus simplex professio unionis perfectae naturarum, conjunctionisque in unitatem personae satis exprimeret, postmodum tamen cum unitas illa naturae, quam ipsi credunt, usque ad confusionis, quam detestantur, sensum progredi videretur, ultima verba addiderunt, ut Eutychianam haeresin excluderent. Ea porro cura tanta, ne, dum confessionem de Eucharistia pronunciabant, contra suae de Incarnatione Ecclesiae opinionem quidquam dicerent, certissimum documentum est credere illos, esse in Eucharistia corpus Christi, non typicum aut repraesentativum, sed illud ipsum quod assumtum est a Verbo divino, ex Maria Virgine, et divinae personae conjunctum intima unitate, quam naturae esse volunt. Unde tota, quae in posteriori Confessionis parte sequitur, eorum Theologia, de Incarnationis mysterio frustranea futura fuisset, si non ipsum verum Christi corpus in Sacramento se credere agnovissent.

Eadem Confessio non potest intelligi aliter quam secundum fidem realis praesentiae. Si nihil aliud Confessio ipsa significaret, quam Eucharistiam esse *corpus Christi typicum, quod nos sumus*, nam ita explicare vel potius obscurare aggressus est Albertinus, vetustissimam illam formulam, Tertulliano Eusebio et omnibus aliis memoratam, *Corpus Christi, Amen.* ita ut Diaconi et Sacerdotes dum haec dicebant non magis crederent id quod porrigebatur et accipiebatur esse proprie Christi corpus, quam se esse proprie, illud ipsummet corpus, si, inquam, nihil aliud verba ipsa significant, nihil hac

oratione absurdius. Nemo enim, non modo inter religiosissimae actionis, qualis communio est, solennia, sed nec Rhetorice potius quam Theologice loquendo, unquam dixit: *Credo, et ad ultimum usque vitae halitum credam, fideles esse corpus Christi, illud ipsum quod assumsit ex Maria Virgine et in quo passus est.*

Id tamen significare oportet Confessionis verba, si alio quam realis et substantialis transmutationis sensu accipiantur. Et sane id fassus est Albertinus, indirecte quidem, sed non minus certo, cum ita scriberet. *Sicut,* inquit, *facile concedimus haec verba* (Corpus Christi. Amen,) *ad Eucharistiam pertinere, contra pariter negamus Diaconum Eucharistiam porrigentem dicere solitum se verum corpus Christi praebere.* Attamen in ritu Coptitarum quem expendimus, non modo Sacerdotes et Diaconi communionem praebentes ita loquuntur, sed ante ipsam ejus distributionem, et ita ut non modo ad communicaturos, verum et ad omnes in Ecclesia praesentes verba faciant. Ita quoque designant illud ipsum quod esse dicunt corpus verum Christi, ut non modo discus seu patena quae Eucharistiam continet manu extenta ostendatur; sed etiam particulam majorem, ut mox Gabrielis testimonio probavimus, Sacerdos manu teneat: eam novus ordinatus in manum accipiat, et eam quoque demonstret, dum Confessionem pronunciat: omnesque etiam Laïci, cum dicunt: *Credo et Confiteor*, ad eam ipsam, quae ipsis ostenditur particulam, oculos sermonemque dirigant. Itaque quod tam confidenter affirmavit Albertinus, non de Orientalibus intelligi potest, quorum Ritualibus sufficienter ejus temeritas refellitur, sed de veteri Ecclesia, adversus quam non minus peccat, dum incompertam sibi ejus disciplinam ex inanibus conjecturis ad arbitrium, non ad veritatem effingit. Nam et antiquam simplicemque formulam *Corpus Christi, Amen,* demonstrari facile potest, (et id multi ante nos fecerunt,) ad hoc illud ipsum, quod fidelibus praebebatur, pertinere. Et quamvis ex rubricarum defectu, accurataque minutarum caeremoniarum descriptione, quando illam codices Liturgici non repraesentant, recte concludi non possit, nihil ultra observatum esse, satis enim constat haec omnia non scripto, sed traditione ad Ecclesias venisse, id ad Orientales Christianos nihil attinet. Nam in ipsorum Codicibus singulares illi ritus descripti, perspicue significant, Confessionem, ad ipsum quod praebetur communicantibus, et quod demonstratur oculis, Christi corpus, certissime referri. Nam major in rebus humanis certitudo esse nulla potest, quam tot caeremoniae: quam perpetua consuetudo, ut quod panis et vinum videtur, appelletur corpus et sanguis; quam denique tota illa actio cum oratione conjuncta, per quam certissime de ea particula, quam ostendit Sacerdos, et de aliis quae in disco collocatae sunt, affirmatur esse illas Christi corpus et sanguinem. Illas igitur cum in mensa sacra, et in disco vident, fatentur esse ipsum pretiosum et sanctum corpus et sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, illudque non typicum, non repraesentativum, sed ipsum verum, quod assumsit ex Maria Virgine, et fecit unum, sive univit, cum divinitate sua: ita ut ne momento quidem levissimo separata caro, et humanitas ejus fuerit ab ipsius

Albertinus refellitur.

L. 2. p. 345.

divinitate, qua ratione confitentur Coptitae non modo corpus Christi, sed animam cum divinitate in Eucharistia esse, quae doctrina eadem est ac Concilii Tridentini. Quantum porro incommodaverit Protestantium opinionibus tam insignis expressaque Confessio, non potiori argumento ostendi potest quam Salmasii, Albertinique et aliorum silentio.

Conc. Trid. Sess. 13.

Albertini et aliorum in hac Confessione dissimulanda, mala fides.

Extat haec ipsa ante annos centum et sexaginta ex Aethiopico edita in Canone Generali Aethiopum, et in Versione trium Copticarum Liturgiarum: nulla de ejus sensu controversia fuit, nam verba simplicissima sunt, nullus tamen eorum de ea locutus reperitur, non Salmasius, qui ipsas Copticas formulas tam maligne vellicavit. Nempe, neque id temere a nobis dicitur, quia Protestantes commentariis illam suis torqueri ad sententiam suam posse, desperaverunt. Quid enim fingi, quid excogitari queat magis alienum ab eorum novitatibus, praesertim adjunctis ritibus qui vim ejus determinant? In Latina Ecclesia nihil tale, etsi realis praesentiae fides certissime teneatur. Nam cum Sacerdos dicit, ostendens Eucharistiam, *Ecce Agnus Dei, etc.* et eam distribuendo: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen*: nihil tam expresse significat, quod metaphorice interpretari Protestantes non soleant. Ita per insigne divinae providentiae miraculum, illis in Ecclesiis quae schismate et haeresi a Catholica separatae sunt, ne, ut hac aetate factum est, dubitari posset de illarum circa Eucharistiam fide, plura testimonia illius remanserunt, quam in ipsa Catholica. Nihil quippe in Canone Romano, nihil in precibus publica autoritate et antiqua Ecclesiarum disciplina confirmatis, apud nos est ad contestandam fidem de Eucharistia nostram, quod in alienum sensum a Protestantibus detorqueri non soleat. Contra in Orientalibus Ecclesiis tales supersunt orationes et caeremoniae, quae omnes illorum rationes ita conturbant, ut sensum alium quam realis praesentiae plane refugiant; et inter omnes praecipue haec Confessio, quae longe plura continet quam praescriptae Berengario et aliis, de quorum fide dubitabatur.

Quid adversus illam Confessionem objici possit.

Superesse unam effugiendi rationem videmus, qua tam facile tamque immoderate abuti solent, ut revocent in dubium autoritatem illius Confessionis, adversus quam tamen ne speciosa quidem objectio fieri ulla potest. Nam meridie lucere negaret, qui Liturgiae istius suspectam haberet veritatem, neque enim de antiquitate ejus quaestio est, sed tantum an apud Aegyptios in usu sit, aut olim fuerit, quod non magis negari potest, quam extare urbem Alexandriam, aut aliquid simile, moraliter certissimum. Igitur adversus insolitam ejus formam declamare poterunt, et quod in obscuris quaestionibus libenter factitant, designari sibi postulabunt initia illius et incrementa, quod licet nullo jure postulent, eorum enim partes essent, afferre in medium argumenta quibus impugnari cum aliquo colore possit, id tamen ex certis monumentis praestare facile est. Nam quod primam Confessionis partem attinet quae Graece dicitur, ejus antiquitas et autoritas vocari nequit in suspicionem; cum eam Graecae Alexandrinae Liturgiae repraesentent: et ipsa peregrinitas Graecae linguae in qua pronunciatur, eam scissione Ec-

clesiarum vetustiorem esse confirmet. Nam quidquid in Liturgiis illis Graece extat, omnem antecedit schismatum memoriam: saltem est Muhamedanis temporibus, hoc est mille et amplius annis, vetustius. Omnes libri Theologorum, Commentarii Liturgiae, quidquid tandem monumentorum Ecclesiasticorum superest, idem efficiunt.

Sed ut ex Historia Patriarcharum Alexandrinorum discimus, initio saeculi duodecimi, et eo labente, duae circa eam quaestiones exortae sunt. Prima fuit sub Gabriele filio Tarich qui LXX. numeratur et ordinatus est anno Martyrum DCCCXLVII. Jesu Christi MCXXXI. Is cum post ordinationem processisset more majorum, ad Monasterium sancti Macarii, ut ibi proclamaretur, solennemque Liturgiam celebraret, ubi ad communionem pervenit, Confessionem pronunciavit hunc in modum. *Credo et confiteor hoc esse corpus Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quod accepit ex Dei genitrice sancta Maria, fecitque unum cum divinitate sua.* Testatur historicus, Monachis nonnullis displicuisse haec ultima verba, tanquam adjectitia; dicebant enim consuetudinem apud se non esse, ut eadem pronunciarentur. Gabriel excusabat se, quod illa dixisset die ordinationis suae, sicut suggesserant ipsi, qui eum ordinaverant Episcopi, neque licere ea supprimi, cum sententiam veram continerent. Itaque de ea re multis sermonibus habitis, tandem istis verbis alia adjici placuit, ab omnibus comprobata, hunc in modum. *Fecit illud unum cum divinitate sua, absque divisione, commistione et confusione.* Addit Autor, non paucos in Sahid, sive superiori Provincia, antiquam consuetudinem retinuisse. Insigne sane est illud testimonium, quo demonstratur quam vetusta jam esset apud Coptitas illa Confessio, cui ne Monachi sancti Macarii quidquam adjicerent, antiquorum exemplo se tuebantur. Neque de fide Eucharistiae lis erat, cum in ea omnes consentirent, sed de additione ultimorum verborum, quae prave intellecta, ad sententiam Eutychianae haereseos trahi poterant, saltem Orthodoxis occasionem dabant, ut de Synchytarum, qui commistionem naturarum inducebant, errore, Jacobitas postularent. Notandus quoque in illis historici verbis mos antiquus, quem pariter varii de Ordinationibus Canones, librique Pontificales stabiliunt, ut Patriarchae inter ordinationis suae solennia ad primam Liturgiam, Episcopi qui manus ipsi imposuerant, suggererent verbatim ipsam Confessionem de Eucharistia. Illam sane legem praescriptam reperimus apud Abulbircat non modo ad Patriarcharum, sed ad Episcoporum et Sacerdotum ordinationes. *Sacerdos qui ordinationem suscipit, accedet, et franget cum Patriarcha corpus Christi: habebit autem dexteram manum suam sinistrae superpositam, et in ea erit particula Eucharistiae. Suggeret illi Patriarcha Confessionem verbatim.* Credo, etc. *quam repetet ejus exemplo, ut manifesta fiat hominibus rectitudo confessionis* (seu ὀρθοδοξία) *ejus, dum corpus est in ejus manu.* Et ad Episcopum ordinandum praecipitur, ut *Confessio illi suggeratur lingua vernacula quam ordinatus intelligat, ut certo constet fides ejus apud Patriarcham.* Ita Abusebah in Scientia Ecclesiastica, et Gabriel in Rituali, quae testimonia majorem in modum confirmantur exemplo Patriarchae, in cujus

Quaestiones circa illam natae inter Coptitas duae.

Prima circa illa verba, *fecit illud unum*, etc.

ordinatione eadem disciplina observata fuit. Porro qui tanta religione cavebant ne Confessioni quidquam temere adjungeretur, neque additionem pati poterant, quamvis Orthodoxa agnosceretur, eos sane nemo existimabit, non intellexisse, quid verba significarent, aut Confessionem qualis extat, in suos libros temere recepisse, multo minus novam prorsus, rationique et sensibus repugnantem de Eucharistia doctrinam.

Secunda circa vocem *Vivificum*.

Hist. Patr. Alex. p. 526.

Verum par illorum diligentia altero exemplo, ex eadem historia probari potest, nempe circa vocem *Vivificum,* quae in antiqua Graeca formula non erat, Joanne LXXII. Patriarcha Jacobitarum Alexandrinam sedem obtinente. Abbas Salmon et Monachi Laurae sancti Justi eam addiderunt, dicentes *Credo, etc. hoc esse corpus vivificum, quod assumsit Filius unigenitus, etc.* Agitata quoque haec additio fuit inter Episcopos, tandemque constitutum, ut quia vox ipsa in sacris scripturis legebatur, neque dubitari poterat quin corpus Christi esset *vivificum,* ea vox retineretur omnesque eam reciperent in Codices Liturgicos suos, quod ubique tandem factum, praeter quam ad sancti Macarii: nam Monachi excusaverunt se ex majorum consuetudine, quae talem vocem non agnoscebat. Ordinatus est Joannes an. Jesu Christi M.CXLVII. obiit M.CLXVII. Ex secundo illo exemplo constat usus Confessionis illius certus, adeo ut ante sexcentos annos jam illa eam formam accepisset, quam nunc habet. Nulla circa eamdem controversia fuit, quantum ad Eucharistiae fidem, neque enim ulla esse poterat, cum illis in Ecclesiis erroris in hac religionis parte ne umbra quidem fuerit. Qui vero eam incorruptam formulam tam religiose servaverunt, ut vix Patriarchis suis, quorum tamen summa autoritas erat, obtemperarent, quando orationi pauca verba addenda visa sunt, judicare facile est illos non admissuros fuisse novitatem aliquam circa Sacramenti fidem, si quae unquam nata apud eos fuisset.

De Syrorum et aliorum Confessione ante Communionem.

Cum autem, ut superius expositum est, apud antiquos simplicissima foret, paucisque verbis constans illa Confessio, ita quoque apud Syros, tam Jacobitas, quam Melchitas et Nestorianos. In Codice antiquo Liturgiae communis Syrorum Jacobitarum Colbertino praescribitur, ut Sacerdos cum tenet corpus in manibus dicat. *Tu es Christus Deus noster; tu es ipse qui prope Hierusalem, in latere transfixus es propter nos, in vertice Golgathae: tu es Agnus Dei qui tollis peccata mundi.* Extat alia prolixior Dionysii Barsalibi: cujus haec ultima verba sunt. *Unus est Emmanuel, non divisus post unionem inseparabilem duarum naturarum. Ita credimus, ita confitemur, ita asserimus, hoc esse corpus hujus sanguinis et hunc esse sanguinem hujus corporis.* Graeci dicunt, *Credo Domine et confiteor quia tu es Christus Filius Dei, etc.* Apud alios more vetustissimo ad illam Confessionem significandam, *Amen* dicitur, cum Sacerdos vel Diaconus Sacramenta distribuunt. Cur prolixior apud Coptitas fuerit illa confessio, haec videtur causa fuisse. Primo ex antiqua consuetudine vetus et simplex formula *Corpus sanctum pretiosum,* sive ἅγιον τίμιον Graece dicta est: eam ut populus intelligeret, Coptice exposita fuit, non iisdem plane verbis, sed aliis quae eodem reciderent. Quia vero Coptica lingua postmodum et ipsa vulgaris esse desiit, Arabice quoque dici coepit Confessio

non modo a populo, qui quaedam vulgari sua lingua acclamabat, sed etiam, ut mox antea observatum est, ab ipsis Sacerdotibus et Episcopis, cum ordinarentur, ut publico apud plebem vocis eorum testimonio constaret, quam recte de corporis et sanguinis Dominici Sacramento sentirent.

Origo additionum quae Confessioni factae sunt.

In toto Muhamedanorum, quam latissime patebat Imperio, Melchitarum seu Orthodoxorum, Jacobitarumque iisdem in locis magna erat multitudo: et quamvis acerbissima essent inter partes odia, ex communi tamen quotidianoque commercio, non modo familiaritas inter homines sectae diversae, sed etiam aliquando affinitates coalescebant, quamvis multis Patriarcharum sanctionibus id fieri prohiberetur. In summa quoque, qualis afflictissimorum sub Barbaris dominis esse solet, doctrinae et consilii, spiritualiumque subsidiorum inopia, fieri facile potuit, ut Christiani Melchitae, qui saepe et diu nec Patriarchas habuerunt, nec Episcopos, furtim ad Jacobitarum Ecclesias accederent, ne Sacramento corporis et sanguinis Christi penitus privarentur. Id enim non infrequenter accidisse ut existimemus, faciunt diversi Canones poenitentiales, adversus eos qui apud Haereticos Sacramenta acciperent, quorum nonnulli leguntur in Collectione Barsalibi, alii in multis *ἀδεσπότοις*. Ut igitur Jacobitae caverent a communicatione illa Sacramentorum cum Orthodoxis Melchitis, seu ut eos vocant Calchedonensibus, quos haereticos judicabant, videntur instituisse, ut in ipsa communionis hora, non modo exigeretur de corporis sanguinisque dominici veritate Confessio, sed etiam ut illa cum professione Jacobiticae fidei conjungeretur, ne cui Sacramenta distribuerent, qui eam apud Sacerdotes non protulisset. Eo enim proprie pertinent verba illa quae posterius addita fuisse observavimus, *fecit illud unum cum divinitate sua*, in quibus sita est Confessio unitatis naturarum, quae Jacobitarum praecipua doctrina est: quae verba non nisi post undecimum saeculum antiquae formulae accessisse admodum verisimile est. Nam si antea in usu apud Ecclesias fuissent, ignorari non poterant a Monachis sancti Macarii, in quorum Ecclesia, more jam a multis saeculis observato, novus Patriarcha proclamari, et Liturgiam celebrare tenebatur, in qua Confessio alta voce recitabatur, audiebantque eam adstantes omnes. Cum igitur additio illa Monachos sola novitate perculerit, forte non fuerat Alexandriae usurpata ante Gabrielem filium Tarich, sed ut ipse excusandi sui causa dicebat, praescripta fuerat ab Episcopis qui eum ordinaverant, a quibus, ea quam exposuimus ratione, necessaria judicata fuerat, ut a Jacobitis Melchitae dignosci possent. Id vero non videbatur tam necessarium in Monasterio sancti Macarii, ubi talis concursus esse non poterat, quin noti essent Archimandritae et Religiosis, omnes qui eo loco ad communionem accederent. Quidquid sit, neque enim argumenta certa suppetunt, quibus haec nostra conjectura demonstrari queat, eam verisimilem arbitramur, et Alexandrinae Jacobitarum Ecclesiae moribus plane consentaneam. Neque enim objici adversus eam potest, Jacobitas quoque Antiochiae et multis aliis in urbibus et provinciis eadem plane ratione cum Melchitis commistos, neque tamen simile quidquam apud illos extra Aegyptum observari. Verum id sane, nec tamen idcirco con-

jectura prorsus inanis judicanda est, cum magna semper fuerit etiam in Ecclesiis communionis ejusdem, rituum diversitas. Nemo tamen in Orientali historia Ecclesiastica leviter versatus ignorat, Jacobitas Antiochenos Patriarchas neque eam dignitatem, neque jurisdictionis amplitudinem habuisse, quam Alexandrini ex eadem secta olim obtinuerunt. Nam alteri non Antiochiae, sed Malatiae sedem habebant: et quamdiu urbs sub Graecorum, aut Francorum potestate fuit, in eam ipsis ingredi, aut in ea synaxes agere Jacobitis non licebat. Erant praeterea Patriarchae Graeci, fuerunt et Latini, et cum Nestoriani in Aula Bagdadensi plurimum possent sub Califis Abbassidis, omnem aliquando in Christianos cujuscumque communionis jurisdictionem ad se traxerunt. Verum Benjamin qui se Muhamedanis capta Alexandria statim subjecit, amplissimaque idcirco privilegia consecutus est, non modo omnes, Orthodoxis fugere coactis et spoliatis, Ecclesias occupavit, sed etiam ejus successores per annos prope centum, absolutam illam autoritatem obtinuerunt, donec tandem redditae sunt Melchitis aliquot Ecclesiae, et ipsis Patriarcham suum habere concessum est. Cum vero primo illo intervallo temporis, omnes ferme in superiori Aegypto Episcopatus, a Jacobitis occupati fuissent, Orthodoxis ea in provincia nulli remanserunt. Ita fieri potuit ut, qui avitam fidem retinebant, carerent et Episcopis et Sacerdotibus, atque adeo apud haereticos Eucharistiam quaererent.

Doctrina in Confessione exposita conformis est Jacobitarum Theologiae.

Porro doctrina de Incarnationis mysterio quam paucis in hac oratione verbis complexi sunt Jacobitae, fusissime exponitur ab ipsorum Theologis eodem omnino sensu, nempe secundum naturae unitatem, exclusa prorsus confusione, commistione, et alteratione; quod legitur etiam in Horologio, seu Euchologio Coptico, et in multis aliis precibus. Inter Theologos de hoc argumento disputaverunt Ebnassalus in Collectione Principiorum fidei, Jahia filius Adaei in Tractatu de Incarnatione, Abu-Raïta Takritensis, Severus Episcopus Aschmonin, Vincentius Episcopus Copti, et Anonymi plures, quorum testimonia integra alibi referentur. Quod adjicitur, *confessus est confessionem bonam*, referri debet ad illud 1. Timoth. c. 6. *qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem*, quem locum citant et simul ejus explicationem ex Epistola Cyrilli ad Nestorium, Severus Episcopus Aschmonin, in Historia Alexandrina et varii autores Collectaneorum ex sanctis Patribus. Multa quoque apud Theologos leguntur, circa sequentem articulum quod *ne momento quidem separata ejusdem Christi divinitas fuerit ab humanitate*, de quo extant testimonia Vincentii Episcopi Copti, Jahiae filii Adaei, Severi, Isae f. Zaraae, Abu-Raïtae, Ebnassali, et Epistolae Sacerdotis Jacobitae nuper ordinati.

Confessio extat in omnibus Liturgiis Aegyptiacis et in Aethiopica.

Tandem ut quae ad Confessionem spectant expediamus, ea qualis est in Basiliana Liturgia, talis omnino reperitur in Gregoriana et Cyrilli, nullo discrimine. A Coptitis eam acceperunt Aethiopes, qui eam totam inseruerunt Canoni Generali, seu Liturgiae communi, a qua peti solet ad alias Liturgias. Illius tamen orationis, quae eorum de Eucharistia fidem tam perspicue significat, ne meminisse quidem dignatus est Jobus Ludolfus, nempe ut satis ap-

paret quia eam ad Lutherana placita torqueri posse desperavit. In aliis Liturgiis Orientalibus non extat eadem forma, verum ea quam designavimus, ad antiquam simplicitatem propius accedens.... Sed ut diximus nulla in Oriente Ecclesia est, quae non habeat ad communionis horam destinatas orationes, quae eadem prope sententia, quamvis non tam prolixe nec tam diligenter, exponant illorum Christianorum de Eucharistia fidem. Nam a Sacerdote dicuntur haec aut similia verba *Corpus sanctum filii Dei:* et qui accedit ad communicandum respondet. *Amen:* sed de his dicetur inferius cum explicandus erit communionis ritus.

Adjiciemus denique quod praeter omnes codices antiquos et recentiores qui hanc Confessionem repraesentant, eadem verbatim refertur ab Abulbircat in Expositione Ordinis Missae, a Gabriele Patriarcha in Rituali suo, et ab Autore Scientiae Ecclesiasticae: quibus si adjungatur autoritas Historiae Patriarcharum Alexandrinorum, disciplinaque Ecclesiae Aethiopicae, extra dubium est, eam Confessionem omnes, quaecumque haberi possunt certitudinis et veritatis notas continere; ritibus quoque adjunctis secundum quos pronunciari debet, ita ad realis praesentiae fidem determinari, ut majus argumentum consensus Aegyptiorum cum Ecclesia Catholica ne excogitari quidem possit: quando nec ipsa de cujus fide non dubitatur, talem tamque expressam Confessionem publica autoritate munitam, nullam in sacris Officiis suis, aut fidei professionibus habeat.

Confessio extat in Codice Regio Graeco-Arabico.

Porro quam certa sit hujus Confessionis autoritas et antiquitas, praeter illa quae protulimus argumenta, probat Codex Regius Graeco-Arabicus, in quo integre legitur, cum additionibus duabus, quae controversiis ab autoribus historiae Alexandrinae memoratis occasionem dederunt. In Marci Graeca Liturgia primis tantum vocibus Confessio designatur. *Σῶμα ἅγιον*, ex quibus solis concludi non potest ea sola dicta fuisse: cum multa sint exempla similium orationum, quae primis tantum vocibus designantur, integraeque ex aliis codicibus petendae sunt. Itaque et Jacobiticae et Orthodoxae Ecclesiae convenire potuit haec formula. Verum tamen cum Marci Liturgiam, multis aliis indiciis constet Orthodoxis potius propriam quam Jacobitis fuisse, quando sola illa Graecis nota fuit, ususque illius in Calabria fuerit, et in Aegypti provinciis, quae Mario Patriarchae subjectae erant, quin Jacobitica illa additione caruerit, vix est dubitandum. Sed neque si tam verisimilia argumenta deficerent, esset ambiguitati locus, cum certum haberi debeat, Theologiam, novitatis, et erroris in Oecumenico Concilio condemnatam ab Ecclesia Catholica probari, aut sacris orationibus inseri non potuisse.

At illam ipsam Confessionem qualis extat in Copticis Liturgiis tribus, totidem verbis legimus in Graecis Alexandrinis duabus Basiliana et Gregoriana, quas haec nota sola, Jacobitis usurpatas fuisse certissime demonstrat. Codex qui illas continet videtur aetate Patriarcharum illorum duorum, sub quibus de additionibus disputatum est, antiquior. Unde vocari posset in dubium Historiae Alexandrinae fides, quia significare videtur quodammodo, factas illas esse primum, cum de illis Monachi Macariani litem moverunt. At

cum excusatio qua Gabriel filius Tarich, eaque unica usus est, non alia fuerit, nisi quod ab Episcopis qui eum ordinaverant, praescripta, verbatimque suggesta foret: eam prius in Ecclesia Alexandrina viguisse probat haec responsio. Quod eam Macariani Monachi ignoraverint, facile explicatur: erant enim disciplinae veteris observantissimi: cumque additionem primam; *fecit illud unum cum divinitate sua*, negarent habere se in suis codicibus, docemur inde obscuriuscule fortassis, sed non inverisimiliter, servasse illos codices Liturgicos veteres, in quibus haec additio recepta esse non poterat, cum schismatum initiis foret recentior. At alibi in Ecclesiis usum illius nullum fuisse, non inde probatur.

Quidquid tandem sit, cum omnes Alexandrinae Liturgiae illam Confessionem contineant, neque controversiae quibus occasionem dedit, ad fidem Eucharistiae, sed ad Incarnationis mysterium pertineant: quocumque modo se habeat, aequalem adversus Protestantes retinet autoritatem. Nam duae Liturgiae Graecae Basilii et Gregorii illam repraesentant, ut legitur in Copticis tribus, et Aethiopica, quae ab illis expressa est: tum Marci Graeca eamdem designat. Quod si tanta religione caverunt Episcopi, et Monachi Macariani, ne quid in eadem relinqueretur, quod ad suspectam circa Incarnationis mysterium doctrinam referri posset; quis negligentes illos ita fuisse suspicabitur, circa illud, de quo potissimum agebatur, Eucharistiae mysterium, ut ea verba quae veram substantialemque transmutationem perspicue significabant, inexplicata praeterirent. Non fecissent sane, si quid aliud in mente habuissent: at contra prorsus; nam verba ritusque ita disposuerunt, ut ex illis intelligeretur praesentia realis corporis et sanguinis Christi, quod praescriptae ad communionem distribuendam caeremoniae in majori luce collocabunt.

P. 23. l. 37.

Sacerdos dignos fac Domine, etc.

Non una est illarum orationum forma, quamvis communis eademque omnium sententia sit: alias refert Gabriel Patriarcha, quarum haec prior est. *Fac nos omnes dignos Domine, ut percipiamus ex corpore tuo sancto et sanguine tuo pretioso sanctitatem animarum, corporum et spirituum nostrorum, remissionemque peccatorum et delictorum nostrorum, ut efficiamur corpus unum, et spiritus unus tecum: quia tu es benedictus, et tibi debetur gloria, cum Patre tuo bono et Spiritu sancto in aeternum. Amen.* Posterior quam dicit ab aliquibus hoc loco recitari solitam, talis est. *Domine Jesu Christe fac nos dignos, ut percipiamus corpus tuum sanctum et sanguinem tuum pretiosum: neque fiat nobis ad judicium, sed sicut dixisti discipulis tuis sanctis: Accipite ex corpore et sanguine meo ad remissionem peccatorum vestrorum, sit nobis societas cum discipulis tuis sanctis, ut ex participatione nostra mysteriorum tuorum vivificantium, percipiamus remissionem peccatorum nostrorum, abolitionem delictorum nostrorum, puritatemque animarum, cor-*

porum et spirituum nostrorum, et conscientiarum, per fidem in nomen tuum sanctum, ad extremum usque vitae spiritum. Amen. Colligi multae aliae possunt ex libris Ecclesiasticis, neque enim istarum orationum et earum quae in Liturgia praescribuntur ratio est prorsus eadem: istis addere aut detrahere nihil licet: in aliis quae dicuntur ad libitum, ut Rubricae nostrae loquuntur, aut quae privatim inter caeremoniarum intervalla recitantur a sacerdotibus, aut a Laïcis, alias adjungere semper licuit. Itaque multae similes occurrunt ad communionem, et ad gratiarum actionem, non in Orientalibus modo, sed in Graecis quoque libris, quae omnes realem praesentiam ita confirmant, ut vix ulla sit quae ad eam stabiliendam argumenta perspicua non suppeditet.

Communicabit Sacerdos.

P. 24. l. 3.

Communionis distribuendae ritus.

De communione Sacerdotis nihil singulare observandum occurrit, nihilque praescribunt rubricae codicum recentiorum, tanquam scilicet in ritu qui omnibus satis notus esse debet. Gabriel qui illum accuratius describit, ait Sacerdotem corpus sanctum osculari, tum illud sumere, moxque discum operire, nempe ex reverentia Sacramenti, ne particulae in eo remanentes, quae distribuendae sunt ad aliorum communionem, oculis expositae sint. Tum praecipit, ut Sacerdos calicem detegat, qui velo quoque suo opertus est, et ex eo sanguinem Christi bibat, mappula deinde, quam sinistra manu tenet, os abstergat, et oram calicis, qua parte bibit. Communioni Sacerdotis reservatur particula illa major *Isbodicon* dicta, seu media illius pars, ex qua consignatus fuit calix, et ex qua minor particula quam *margaritam* vocant desumta, immitti in calicem jubetur, in excerptis ex Gabriele et aliis, quae a nobis relata sunt. Cum autem oblatae majores sint in Oriente quam apud nos soleant, omnesque vulgo ex una et eadem communicent, illa pars quasi praecipua (etsi nulla sit diversitas inter eam et alias, omnesque credantur aequaliter esse corpus Christi) reservatur ad consignandos alios calices, in quibus communio distribuitur, et ad praebendum Sacerdotibus, Clero, aliisque dignioribus. Mox Gabriel ita prosequitur. *Sacerdos Diacono ministranti communionem impertit, et si provectior aetate fuerit, dat ei calicem, simulque cochlear a latere adjunctum. Tum accipit Diaconus calicem, et illud circumfert, incipiendo a latere australi, proceditque coram eo alter Diaconus, cereum accensum praeferens; oportetque ministros altaris omnes illud adorare, capita inclinantes, donec in latere boreali constiterit. Tunc incipiet Sacerdos communionem praebere ministris inferioris ordinis, et intinget ipsis: unusque eorum adstans cum mappula, ora eorum absterget postquam communicaverint. Majoribus autem seu primi ordinis ministris, Sacerdos dabit corpus; Diaconus praebebit sanguinem cum cochleari.*

Tres diversi ritus.

Nempe, ut ex eo loco multisque aliis manifestum est, communio apud Orientales tribus modis distribuitur, ita ut nulla, quantum ad Sacramenti le-

gitimam perceptionem, inter illos modos judicetur esse diversitas. Primo simpliciter et magis ad morem antiquissimum, panis factus corpus Christi, praebetur; et postea calix, ex quo bibit qui communicat. Eo modo communicant Sacramentis, Sacerdos sacra celebrans, alter qui vocatur ministrans, vel socius, quem Rituales nostri *Assistentem* vocant; Diaconusque ministerio fungens: tum Episcopus si adsit, nec Liturgiam celebret, una enim tantum apud Orientales celebratur. Secundus modus est, ut Corpus Christi praebeatur a Sacerdote: Sanguis a Diacono qui calicem tenet, atque ex eo guttam cochleari praebet, ut Sacerdotibus et aliis primi ordinis Ecclesiasticis fieri Gabriel statuit. Tertius tandem est communio intincta, ita scilicet, ut ex fractis majoribus partibus hostiae, plures particulae in calicem immittantur, quas cochleari praebet Diaconus: atque ea ratione secundi ordinis Ecclesiasticis et Laïcis, communio distribuitur. Hanc vero disciplinam non a Latina Ecclesia, quae similem nullam habet, sed a Graeca acceperunt, ne quis ex rituum imitatione, fidem quoque nostram imitatos esse illos somniet.

Cochlearis usus.

Cochlearis quippe ad calicis participationem usum a Graecis acceperunt, quem antiquissimum esse oportet, cum nulla in Oriente Ecclesia sit quae illum non servet: atque ita ante divisionem Ecclesiarum viguisse hanc consuetudinem necesse est. Probatur id quia illum, ut omnia reliqua schismatum initiis vetustiora statuta disciplinae, consignata habent in *ἀδεσπότοις* illis Canonum, quos vocant Apostolorum, Collectionibus. In illis qui secunda Apostolorum praecepta dicuntur, Constitutio extat, quae jubet coram Episcopo Diaconum distribuere communionem populo, non ut Sacerdos et Episcopus faciunt, sed tanquam ministrum *λαβίδι*, hoc est *cochleari*. בלאבידן nam vocem graecam, ut infinitas alias retinuerunt. Sed quacumque ratione administretur Eucharistia, perinde est: neque se deesse existimant officio suo, aut peccare contra Christi institutionem, ipsiusque Sacramenti naturam, aut contra praeceptum de bibendo calice, cum ita faciunt: licet satis intelligat quisque, non bibi, loquendo proprie, calicem, cum intincta communio accipitur, aut mica consecrati panis madefacta, cochleari praebetur. Quod sane ab omnibus concordiae Christianae amantibus, si absque ullis partium praejudiciis consideretur; satis intelligent, quanta primorum Reformationis architectorum adversus Romanam Ecclesiam calumnia fuerit, dum recentiorem disciplinam ex invidia Pontificum natam judicaverunt, quasi ex certo consilio, Christianam plebem calicis participatione fraudaverint. Ut enim apud Graecos et Orientales omnes qui eos imitati sunt, summa erga Christi corpus et sanguinem reverentia fecit, ut calix tantummodo Ecclesiasticis daretur, tum etiam ut ex calice hauriretur gutta et cochleari distribueretur: tum ut particula panis, vino madida, utriusque speciei locum teneret, quamvis si morosius agatur, haec communionis dandae forma, neque verae comestionis, neque potus rationem habeat, ita et apud nos praesertim, quando privatae missae frequentiores fuerunt, sub una specie Eucharistia dari coepit, ex eadem erga Sacramentum reverentia, nullo aut religionis defectu, aut innovandi consilio. Atque ut pro Ecclesiarum diversitate, absque ulla contradi-

ctione receptum est, ut secundum varios illos ritus communio distribueretur, idcirco neque ubi calix praebitus est, aut ubi solum cochlear, aut ubi intinctae particulae, magis aut minus quidquam accepisse communicantes existimaverunt.

Syrorum disciplina circa communionem.

In Syrorum Jacobitarum Nomocanone utraque disciplina indifferenter praescribitur. De Ecclesiasticis quidem, praesertim ad altare in ipsa Liturgia ministrantibus. *Hi,* inquit Constitutio, *calicem bibent, sibique invicem bibendum praebebunt, postea saecularibus. Sacerdoti autem non licet absque calice corpus sanctum tribuere; sed si fieri potest ipse dabit corpus: Diaconus vero calicem bibendum praebebit, quod legitime et secundum canones fiet, cum praeceperit Dominus in hunc modum.* Edite ex corpore meo, et bibite ex sanguine meo. *Quod si id fieri non potest, corpus intingat Sacerdos in calice, quem Diaconus dextra tenet, communionemque det, ut in Occidente facere solent. Quod si nec illud poterit intingere, ob nimiam populi multitudinem, antequam separet, margaritam intingat in calice tempore fractionis, et ita det communionem, sicut in Oriente solemus facere.* Quibus verbis perspicue significatur, nullum circa communionis integritatem discrimen reputari, sive calix bibendus praebeatur, sive sanguis Christi ex cochleari sumatur, sive communio intincta detur. Nam quod in hac Syriaci Nomocanonis constitutione memoratur Occidentalium consuetudo, etsi ad proprie dictos Occidentis populos, hoc est Latinos, referri queat (nam apud eos aliquando communionis intinctae usus fuit, etsi non ubique receptus) tamen ad alios referri verisimilius est, Graecos scilicet atque Aegyptios. Quippe ex communi more loquendi, Orientales proprie dicebantur, qui in Orientis Patriarchatu erant Christiani, nempe sub Patriarchae Antiocheni jurisdictione, qui idcirco titulum *Papae Orientis,* praesertim apud Jacobitas, habuit. Illorum igitur comparatione, qui extra amplissimam dioecesin illam erant, Occidentales vocabantur, atque ita Graeci et Aegyptii, tales erant. Et sane apud eos viguit praecipue intinctae communionis usus, adeo ut non alia, praesertim erga Laïcos, adhibeatur. In ea etiam praebenda Sacerdotibus et aliis Ecclesiastici Ordinis, quibus vulgo calix offerri praecipitur, tantum abfuit ut calicis usus ad essentiam Sacramenti pertinere judicatus fuerit, ut quemadmodum patet ex eodem Nomocanone, cochleari posse ipsi praeberi sanguinem Christi, perscriptum reperiatur. *Sacerdotes et Diaconos cochleari communicabit Sacerdos, vel Episcopus.*

Reliquae communionis caeremoniae.

Quae sequuntur sumta ex ejusdem Gabrielis Rituali, reliqua ad ritum communionis spectantia absolvunt. *Si Sacerdos alium assistentem sibi Sacerdotem habuerit, communionem dabit ei celebrans, postquam ipse eam acceperit. Scilicet celebrans ponet margaritam, seu particulam consecratam, in manu alterius Sacerdotis, aut in cochleari: et assistens illam ab eo ita accipiet. Idem assistens accipiet mappulam desuper calice, ponetque eam super manum celebrantis, et praebebit ei calicem, ex quo cum communicaverit, assistenti Sacerdoti praebebit illum, et cum eo reliqua perficiet,* hoc est Sacerdotum reliquorumque, qui circa altare sunt Ecclesiasticorum commu-

nionem absolvet. *Cum Diaconus junior erit, ne praesumat ad quidquam eorum quae diximus faciendum accedere:* id est calicem communicantibus porrigere, aut ex cochleari sanguinem, vel particulas intinctas praebere, *ne scilicet ob experientiae in ritibus sacris defectum, aliquid ex calice effundi aut particulas in terram cadere sinat*, quam negligentiam, ut mox videbitur, et cavent magnopere, et poenis canonicis vindicant. *Postea communionem dabit singulis qui ad altare ministraverunt, cumque absolverit, os suum absterget mappula quam in manu habet Diaconus, lumen coram disco praeferens. Cumque Sacerdos absolverit communionem ministrorum, deferet discum super manum suam sinistram cum mappula, seu velo sericeo, cujus orae intra discum ita colligatae erunt, ut extra non propendeant. Deus prohibeat ne quid ex margarita seu ex particulis consecratis, adhaereat aut in terram decidat. Caveat etiam diligenter Diaconus, ne cochlear ex ipsius manu in calicem labatur: id si acciderit, aliud manu sua innuendo petat: Deusque avertat ne illud manicae aut togae suae affricet, aut aliquis alius, ita ut quidquam in terram decidat, aut illud ipsum ex se excidat, et in terram labatur: ea enim de causa Dei, hominumque indignationem experiretur, ob suam circa ea negligentiam et curae defectum.*

Laïcorum communio. De Laïcorum communione idem Gabriel ita praecepit. *Descendet Diaconus cum calice sanguinis Christi, et coram eo Diaconus senior judicio pollens, cum cereo: descendetque ante Sacerdotem, et post eum respiciet Sacerdos qui discum gestat cum corpore Christi, ad Occidentem: descendetque extra altaris ambitum, benedicetque populo, formans signum crucis cum disco, omnesque prosternent se, adorantes usque ad terram, parvi et magni, incipientque distribuere communionem ordinatim, uni post alium. E Laïcis qui communionem accipiet, metanoeam sive prostrationem faciet versus altare Dei, nudumque caput habebit.* Ita etiam statutum legimus in Synodalibus Constitutionibus Cyrilli f. Laklaki, Patriarchae Alexandrini, ubi scribitur: *Nullus saecularium admittatur ad communionem, nisi detecto capite:* quae lex etiam reperitur in statutis Gabrielis f. Tarich Patriarchae §. 7. et in Canone qui Basilio adscribitur, quemque refert Echmimensis in sua Collectione, cujus verba mox referentur. Pergit Gabriel. *Cum quis communionem acceperit, non dorsum obvertet, sed paulatim retrocedendo, se ad locum suum recipiet. Si quidem Judas, cum a Domino panem accepisset, tergum obvertit, exiens odio diabolico plenus. Deus vero non sinat, ut simile quid committamus. Absoluta virorum communione, populum rursus cum disco, facto crucis signo benedicet et ad locum mulierum procedet, Sacerdos celebrans: et coram eo Diaconus cereum praeferens accensum, ad communionem mulieribus distribuendam. Oportet autem omnes e populo, quando Sacerdotes transeunt cum corpore Christi, procedentes ad locum mulierum simulque cum redit Sacerdos, capita detergere, Deoque se inclinare, ipsi gratias agentes, eumque laudantes, qui dignos illos praestitit dono illo magno, quod Angeli aspicere non possunt. Communio autem mulierum summam diligentiam et curam exigit: nam cum mulier velata sit, nemo quaenam illa sit agnoscere*

potest. Magnam igitur circa illas curam adhibere vos oportet, o Sacerdotes, ne detis corpus Christi et sanguinem ejus indignae, et eapropter judicium sustineatis. Cum Sacerdos ad locum ubi sunt mulieres pervenerit, signum faciet super eas, ut superius, cum disco: quod iterum faciet absoluta earum communione, antequam ad altare revertatur, dicetque, communionem illis impertiendo, sicut cum viris distribuitur. Cum ad altare reversus erit, adhuc ad Occidentem conversus signabit populum, sicut prius fecerat; omnesque interea capita sua usque ad terram coram Deo inclinabunt, dicentes: Memento nostri Domine, cum veneris in regnum tuum; sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus, Trinitas sancta, *et quae supra exposuimus circa corpus et sanguinem, hoc est quod corpus et sanguis una sint divinitas; et quod divinitas ejus* (Christi) *non destituit ejus humanitatem: quodque tres personae voluntas una sint, arbitrium unum: quodque* (Deus) *humanitatem ejus non deseruerit, in crucifixione, aut post crucifixionem, quodque hae cruces,* (hoc est benedictiones cum disco in quo est Eucharistia,) *ex ipso et per ipsum fiant: ex corpore Christi et per corpus Christi: quodque Dominus eas expresserit, quando fregit panem, et dedit discipulis suis in caenaculo.* Ut non detur communio nisi notis personis, statuunt multi Canones ex Didascalia seu Apostolicis Constitutionibus, quos refert Echmimensis Collectionis suae cap. 2. Ebnassalus et alii, reumque officii sui neglecti Sacerdotem qui secus agat, statuit Petrus Melichae Episcopus, Responsione quinta. Detegi caput, etiam a mulieribus, iidem praecipiunt; quod magis adhuc observandum apud eos est, qui hunc honoris deferendi morem non habent in vita civili.

Quae verba a Sacerdote dicenda sint, cum communionem praebet, ita praescribit Gabriel. *Sacerdos cum ministris altaris et aliis praebebit corpus intinctum, dicet coptice,* Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est in rei veritate. *Cumque corpus sanctum impertiet absque sanguine, dicet.* Corpus Emmanuelis Dei nostri, hoc est in rei veritate. Amen: *et qui communicat, dicet:* Amen. In Canonum Ebnassali cap. 13. *Sacerdos impertiendo corpus dicet*: Hoc est corpus Christi quod tradidit pro peccatis nostris, *et qui recipit, dicet:* Amen. *Ita qui gestat calicem, dicet*: Hic est sanguis Christi quem effudit pro nobis; *et qui recipit, respondebit:* Amen. In Collectione Echmimensis cap. 14. de communione ita praecipitur: *Eucharisticus panis, non dividetur, ita ut particulae minimae sint, vel talis magnitudinis, ut una vice absumi non possint: sed eorum quantitas talis, ut ore possit contineri. Qui autem communionem accipiet, os clausum teneat, cavens ne quid ex Eucharistia decidat, aut ex intersepto dentium elabatur. Super unamquamque particulam impressum erit signum crucis, proportione habita, ut facile accipi a communicante queat. Qui vero communionem accipiet, habebit caput nudatum, manusque conformatas in crucis modum, cor humile, oculos demissos, animum prae humilitate dejectum, confitendo se indignum esse accipiendi ignis divini. Qui communionem praebet, dicit:* Hoc est corpus Christi quod tradidit pro peccatis nostris, *et qui communicat, dicit:*

Quid dicitur a Sacerdote cum datur communio.

Ita Abulbircat cap. de Liturgiae celebratione.

Amen. Reliqua in Rubricis satis explicata sunt. Neque tam certis legibus et consuetudinibus adstricta disciplina Ecclesiarum illarum est, ut non observetur innoxia in quibusdam capitibus diversitas. Sed in praecipuis omnes consentiunt, scilicet ut cum summa reverentia exhibeatur a Sacerdotibus et Diaconis Eucharistia, ut significent illam vere esse corpus et sanguinem Christi: ut communicantes confiteantur idem, vel pluribus verbis, ut in Coptitarum Confessione, vel paucioribus, ut in Syriacis Ecclesiis, aut tandem sola responsione, *Amen*, quae omnia complectitur, praesertim cum nihil amplius dici soleat a singulis, dum sacramentum suscipiunt. Neque enim omnes singulatim eo momento dicunt, praeeunte Sacerdote Confessionem integram: alioquin Liturgia toto die vix perficeretur: sed quemadmodum praecipitur in illis Constitutionibus, quae superius relatae sunt, dicitur elata voce Confessio, cum Ecclesiasticis communio distribuitur, et omnes uno ore respondent, ea verba inclamantes, *Credimus, et confitemur usque ad ultimum vitae spiritum:* vel *Amen:* vel simpliciter *Credimus;* ita quoque in Laïcorum et mulierum communione. Cum processit Sacerdos extra cancellos altaris, seu ad portam sanctuarii, ubi Laïci communicant, iterum Confessio ad eos pronunciatur, cumque singuli accedunt et Sacramenta suscipiunt, Sacerdos dicit, ut supra ex Echmimensi relatum est: et ex Gabriele, si Eucharistia intincta datur, *Corpus et sanguis*, et aliter, si panis et calix aut cochlear seorsim praebeantur. Cum vero Confessio facta censeatur omnium nomine communicantes dicunt tantum, *Amen*, aut *Credo*, vel aliquas alias orationes.

Dispositio in communicantibus requisita et primo interior.

Sequitur ut de dispositione eorum qui ad communionem accedunt, dicatur, non quidem de interiori, de qua libri extant complures, quorum omnium una sententia est; neminem qui alicujus peccati lethalis conscius sit ipse sibi, posse ad corpus et sanguinem Christi accedere, antequam peccata apud Sacerdotem confessus fuerit, ἐπιτίμιον, seu Canonem poenitentialem susceperit et perfecerit, absolutionemque obtinuerit. Ita multis Michael Patriarcha Antiochenus Jacobitarum, ante annos circiter sexcentos docebat in opere eximio. *De praeparatione ad suscipiendam Eucharistiam,* Ebnassalus, Severus Episcopus Aschmonin in Tractatu de Agno Paschali, et alio, de Exercitiis Christianorum: Homiliae de circulo anni ad usum Ecclesiae Alexandrinae, et Tractatus anonymi complures.

Exterior dispositio jejunium.

Quod exteriorem dispositionem attinet, prima conditio est, ut nemo ad communionem nisi jejunus accedat. Disciplinae hujus fundamentum est Apostolica traditio quae ex Canonibus antiquis Apostolorum refertur ab Ebnassalo cap. 13. Collectionis suae. *Omnis fidelis operam dabit, ut Sacramentis communicet antequam aliquid gustaverit.* Ea Constitutio habetur quoque in eo syntagmate quod Orientales vocant praecepta Apostolòrum secunda. Refert eosdem Canones Echmimensis Collectionis suae cap. 14. titulo qui est: *Quod jejunis solum Eucharistia communicanda sit*, citatque praeterea Epistolam Petri ad Clementem, et Can. 19. Hippolyti Romani. Autor Commentarii Arabici in Harmoniam Evangelicam. *Quomodo Christus corpus et sanguinem suu udiscipulis praebuit post esum Paschatis; nobis vero non*

licet ita facere, neque communionem, nisi jejunis, accipere? Respondetur. *Dominum non alio fine dedisse discipulis suis corpus et sanguinem suum, postquam primum Pascha comedissent, nisi ut illud per illa aboleret. Ex quo autem primum Pascha sublatum est, non licet nobis ante communionem comedere.* Severus Episcopus Aschmonin in Tractatu de jejunii praestantia. *Non oportet*, inquit, *accipere corpus Christi nisi cum oris amaritudine quae ex jejunio nascitur, et abstinentia etiam a pane et aqua, atque ita ut lingua sancta sit, et in os nihil eo die prius ingressum fuerit, quam corpus Christi: neque enim licet in os in quod intrat corpus Christi, quidquam prius ingredi.* Nempe quasi Augustinum exscripsisset qui iisdem prope verbis ita scribebat. *Ex hoc enim placuit Spiritui sancto: ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam caeteri cibi.* Ita quoque docent Dionysius Barsalibi tum in Opusculo de Institutione Eucharistiae, tum in Commentario ad Jacobi Liturgiam: Michael Episcopus Melichae in Quaestionibus et Responsionibus Canonicis n. 21. *Qui nocte, siti fatigatus bibit, licetne ut mane sequenti communionem accipiat.* R. *Si id ante mediam noctem contigerit, licet: si deinde; non licet.* Et in iisdem. *Si matutino tempore communio celebrabitur, cavebit unusquisque ne post occasum solem, edat aut bibat: quando vero edit aut bibit, non licet ipsi eodem die Eucharistiam accipere.* In Nomocanone Syrorum extat Constitutio Timothei Alexandrini Patriarchae: is est ut videtur quem Aelurum vocant antiqui. *Nisi necessitas urgeat, non licet edere quidquam aut bibere, quod vulgo homines usurpant in cibo vel potu, ante Sacramentorum perceptionem, neque nisi ex causa gravissimae infirmitatis, cum vitae periculo. Si quis vero imprudenter potum communem hauriat in aliquo ex festis majoribus, et communicare desiderat, cum Sacerdotis licentia; communicabit, sed accepta poenitentia.* Et ibidem. *Post potum, ante solem exortum ob infirmitatis causam, ei qui gravi morbo tenetur, dabitur sanctum,* hoc est Sacramentum, *neque eo privabitur.* Pleni sunt libri ejusmodi sententiis, neque ulla est hac in parte disciplinae varietas.

Ep. 118. vet. Ed.

Castimonia.

Jejunii praeceptum sequitur alia abstinentiae species, quam Orientales non minus exigunt a communicantibus, nempe ab opere conjugali. Severus Episcopus eo quem mox laudavimus Tractatu de Jejunii praestantia. *Si quis Eucharistiam percipere animo designat aliquo die, jejunare debet ab uxore sua, a vespera diei praecedentis: ut cum Eucharistiam percipere cogitat die 3. hebdomadis, abstineat ab uxore sua a vespera Feriae 2. quae initium est Feriae 3.* Timotheus idem qui supra: *Virum et mulierem qui copulam exercuerunt, non oportet eodem die communicare.* Eam disciplinam multis Canonibus ἀδεσπότοις, sed antiquis, confirmant, ut etiam sententiis SS. Athanasii, Basilii, Gregorii Theologi, Chrysostomi, quae extant in variis Collectaneis Quaestionum et Responsionum. Eas vero non carere autoritate, quamvis ad eos, quibus attribuuntur non pertineant, certum habemus argumentum: quia in multis Graecis syntagmatibus extant plane similes. Opusculi Athanasio adscripti *de abstinendo ab uxoribus ante communionem,* me-

minit Petrus Lambecius Bibliothecae Caesareae l. 8. et Anastasii Sinaitae, de eodem argumento. Unde in Canonibus poenitentialibus variis, tam Arabicis quam Syriacis, poenitentia praescribitur adversus eos, qui contra hanc disciplinam peccaverunt, ut in Graecis et Latinis.

Pari ratione excluditur a communione Laïcus et Sacerdos a sacrificio celebrando qui per somnium illusionem passus est, non quod idcirco immundus sit, ut habetur in Syrorum Nomocanone: sed ob honorem Sacramentorum: atque ita Jacobus Edessenus. Permittit tamen Liturgiam celebrare Michael Melichae Episcopus, *si nullus alius Sacerdos occurrat, qui die festo aut dominico vices ejus explere queat; praecipiens tamen prius et lavari corpus, et fieri metanoeas, seu prostrationes centum quinquaginta; aut etiam trecentas si Sacerdos uxorem non habeat.* Extat in Graecorum Euchologio officium ad illius immunditiae expiationem. Canones praeterea poenitentiales, hanc disciplinam confirmant. Menstruatas quoque mulieres, et a partu recentes a communione excludunt: atque de ea re extant Constitutiones duae Severi Antiocheni et Jacobi Edesseni, in Syrorum Nomocanone.

Euchol. p. 135.

Alia praecepta.

Gabriel f. Tarich in suis, vetat *ne vespere ejus diei, qui Liturgiae celebrationem antecedit, Sacerdos bibat liquorem ullum, quo tentari caput possit.* Et post Sacramenti perceptionem multa prohibet Orientalis disciplina. Jacobus Edessenus. *Non oportet aliquem post susceptionem Sacramentorum, balneum adire, lavari, aut caput radere, non quod illud sit peccatum mortale, sed propter scandalum fidelium et honorem Sacramentorum.* In Quaestionibus ex doctrina Patrum. *Licetne illi cui vena secta est, aut qui rasit caput suum, eadem die communicare.* Respondetur. *Licet ei communicare, modo haec ante Eucharistiam sumtam fecerit; postea non licet.* Eadem sententia fuit Theodori Balsamonis in Responsis ad Quaesita Marci Alexandrini, ubi haec fieri legitime posse negat, *cum eo die,* inquit, *gratias Deo agere oporteat, ob Dominici corporis susceptionem, non vero aquis foveri, aut deliciari, vel sectione venae in alicujus mali discrimen venire.* His testimoniis plura adjungi possunt, sed res ita certa est, omnibusque Ecclesiis cujuscumque linguae, ut etiam Graecis ex usu quotidiano notissima, ut diutius immorari in ea exponenda necesse non sit.

Orientalium cura ne Eucharistia profanetur.

Superest ut de cura quam adhiberi praecipiunt Orientales Christiani, ne Eucharistia negligentius habeatur, ne decidat, ne conculcetur, ne profanetur, pauca dicantur: haec enim cura ad religionem et fidem de Sacramento pertinet, neque communis locus in controversiis magis exagitatus a Protestantibus fuit, eo confidentius, quo majores huc usque fuerunt in istius disciplinae historia tenebrae, quas Itinerariorum Autores summa temeritate sua, auxerunt mirum in modum. Nihil tamen certius, quam quod inter Orientales Christianos talis et tanta in tractandis mysteriis cautela adhibeatur, ut quae nobis Catholicis objicitur tanquam nata noviter ex Transubstantiationis opinione, religio et cura circa eorum venerationem, metumque ne Sacramentum minus digne habeatur, comparata cum ea quam illi adhibendam praecipiunt, nihil esse videatur. Vidimus in relato Gabrielis filii Tarich testimonio, quam

diligenter administrari calicem a Diaconis jubeat, ita ut juniores ea sola ratione a tali ministerio excludantur. *Deus,* inquit, *prohibeat ne per eorum negligentiam quidquam in terram decidat, et eapropter gravissimo judicio sint obnoxii.* In Collectione Canonum Ebnassali cap. 13. statuitur. *Ne calix usque ad labra impleatur, ita ut effluat aliquid et in terram effundatur.* In Canonibus qui vocantur. *Praecepta Apostolorum secunda. Unusquisque summam curam adhibebit, ne quis infidelis ad communionem Sacramentorum admittatur: ut etiam ne mus, aut aliud animal ad ea accedat, aut aliquid decidat: et peccet, cum sit corpus Christi et sanguis ejus. Omnis igitur fidelis qui Sacramentis communicat, non debet circa illud negligens esse, neque enim oportet aliquid effundi ex calice postquam in Dei nomine benedictus est, et illum percepit, quia sanguis est Christi. Cave igitur, quicumque sis, sedulo, ne quid ex eo effundatur, ne eum immundi spiritus polluant, neque is esto qui asperneris sanguinem Christi, reusque sis tanquam contemtor illius sanguinis quo redemtus es.* In Quaesitis et Responsis de Jure statuitur Sacerdotem, cujus negligentia aliquid ex corpore aut sanguine Christi cecidit super altare aut extra, vel in sacra vestimenta, *abstineri per quadraginta dies ab altaris ministerio et communione, jejunareque per illud tempus, abstinendo ab esu rerum pinguium, et quavis nocte quinquaginta metanoeas facere.* In Historia Patriarchali legitur de Vaza filio Reja antequam ad fidem Christianam converteretur, eum Ecclesias Bagdadi frequentasse, ut Eucharistiam conculcaret, quo sacrilegio tantopere afflicti sunt Christiani, ut Liturgiam omitterent. Sunt adversus negligentiae istius reos poenitentiae canonicae non leves. Ne quis vero judicet haec esse quidem constituta ad continendos in officio Sacerdotes, ut sacra decenter obeant, non quod de ipsis Sacramentis cura ulla sit, obstant ea quae in Juridicis Responsis praecipiuntur circa Eucharistiae vomitum. *Qui eam vomuerit casu, et absque culpa sua, nihil aliud facere tenetur praeter prostrationes centum: et post triduum communicabit: post biduum vero, si Sacerdos sit, et nullus alius in ipso loco reperiatur: sed post expletas prostrationes. De eo quoque quod vomitu egestum est cura habebitur, et in profluentem projicietur, aut in loco mundo sepelietur, cum honore, propter Eucharistiam. Si per ebrietatem et intemperantiam vomitus contigit, sive sponte, sive alio cogente vinum meracius hauserit, poenitentia ejus ad quadraginta dies producetur:* atque idem praecipit in Responsionibus suis circa poenam, Michael Episcopus Melichae. *Homini perpetua pituitae molestia laboranti, licere* quidem *communionem* volunt; *modo sit invaletudo perpetua. Cum vero accidit, ut post communionem pituitam egerat, caveat ne in terram projiciat, sed asservet, donec in mare projecerit, aut in loco mundo sepelierit.* Eum qui continuo vomitu laborat, arcet a communione Michael Melichae Episcopus, *nisi experientia per quadraginta dies facta fuerit, num imminuto cibo levius se habeat.* Neque aliter statuunt Graeci Canonum Interpretes Balsamon in Resp. 12. ad Quaesita Marci Alexandrini, circa eos qui Eucharistiam vomuerint. Joannes Citri Episcopus, erga Ecclesiae ministros, quorum negligentia aliquid in terram

cecidit ex disco vel .ex calice. Joannes Jejunator in Nomocanone manuscripto et Poenitentiali ineditis, in quibus Sacerdoti et Diacono pro culpa simili imponitur poenitentia biennii, et quotidie metanoeae ducentae: tres anni si animal immundum Sacramenta attigerit; et ita de aliis. Neque aliter Latina Ecclesia, quae, ut ex variis Poenitentialibus, Yvone Carnutensi, Burchardo, Reginone et aliis autoribus manifestum est, eamdem prorsus hoc in genere disciplinam habuit: ut ex eorum testimoniis relatis in Dissertatione de Eucharistia patet manifeste.

De communione puerorum et infirmorum.

In communione aegrotis et pueris administranda, eadem quoque religio est. Ad illos enim si Sacerdos deferre Eucharistiam potest, ea ipsis administratur, ut aliis: si longius pergendum erit, jubetur eam cum honore deferre, ita ut si jumento vehi Sacerdotem oporteat, Eucharistia manticae non includatur, sed ipse eam gestet. Si Sacerdos ad aegrotum proficisci non possit, mitti posse dicunt Eucharistiam, etiam per saecularem et mulierem, in panno gossypino, vel in charta munda, vel in pane, vel in cista, quae ad Ecclesiam referri jubetur; charta comburi, panis cum reverentia consumi. Ita variae Constitutiones in Jacobitarum Nomocanone, quarum cum non paucae a Patriarchis Alexandrinis editae sint, eamdem habent apud Alexandrinos, quam apud Antiochenos Jacobitas autoritatem. Nec interest quod, ut passim observatur, non eadem omnino sit circa communionis praebitionem in Ecclesiis rituum dispositio. Nam etiam in ipsa, qualiscumque sit, dissimilitudine, eadem animadvertitur religio circa Eucharistiam, ut quam decentissime tractetur, nullusque sit profanationi, negligentiae, imo nec superstitioni locus. Nam cum ex summa erga Sacramentum veneratione quidam particulas Eucharisticas servarent, et in pergamena charta ex collo appenderent cum cruce et reliquiis, aut in cubiculis ad tutelam servarent, prohibitum id fuit sub excommunicationis poena, in eodem Nomocanone.

Singularis disciplina circa infantium communionem.

In Ecclesia Alexandrina a multis jam saeculis Eucharistia non datur in manum communicantibus, cujus consuetudinis rationem mysticam quaesivit Gabriel Patriarcha in istis Christi ad Mariam Magdalenam verbis, *Noli me tangere*. Simpliciorem omnino verioremque esse existimamus parem in Graeca disciplinam, in qua cochlearis usus antiquam formam distribuendae communionis abolevit, qui diutius in Syriacis Ecclesiis perseveravit, etsi ubi major foret communicantium numerus, intinctas ipsi quoque particulas cochleari praebitas accipere solerent. Testis Jacobus Edessenus atque alii, quorum sententiae referuntur in Nomocanone.

Circa puerorum atque ipsorum infantium communionem ita Gabriel praecipit in Rituali suo. *Dabitur tantum communio ei qui jam edere potest: at vero flenti et moleste se habenti, Sacerdos summum digitum indicem tinget sanguine pretioso: mox imponet corpori, deinde digitum immittet in os infantis, cui statim aqua bibenda praebebitur.* De hoc ritu testes sunt multi Itinerariorum scriptores, et de Ecclesia Alexandrina ita scribit Vanslebius. Videant qui tam multis adversus Ecclesiam Romanam declamant circa calicis subtractionem, an ex eorum sensu istae puerorum, et aliae quas descri-

psimus, dandi communionem methodi, vere sub utraque specie censeri possint: illamque saltem agnoscant a nobis ad Coptitas non translatam fuisse, qui eam ignoramus, ut etiam disciplinam dandi Eucharistiam infantibus, a multis saeculis intermissam, jam omittimus. Videnda etiam quae in hanc sententiam leguntur in Epistola Gabrielis Sionitae ad Bartholdum Nihusium, et apud alios.

Aliae caeremoniae.

Sunt aliae singulares caeremoniae, de quibus Rubricae nihil praecipiunt, ut de rebus notissimis, quas tamen exponere operae pretium est, ex Abulbircat qui haec accurate prosequitur, et cujus verba antequam referantur, pauca praefari ad eorum intelligentiam necesse est. In Graeca Alexandrina Liturgia Marci, quae Copticarum omnium primitivum exemplar est, initio statim dum invocatur divina benedictio super dona offerenda, sed vixdum in prothesi collocata, non unius calicis, sed plurium mentio fit, sive quod simul cum praecipuo consecrarentur, sive, quod credibilius facit consuetudo non Orientalium modo, sed Occidentalium Ecclesiarum, quod ex uno plures, quantum sufficerent ad dandam multitudini communionem, consecrari solerent. In Copticis Liturgiis unius tantum calicis memoria est, neque tamen inde concludi potest unicum super altari fuisse, sed unicum acceptum in manus, a Sacerdotibus sacra celebrantibus, in eo consecrationem peractam, et ex eodem reliquos *confirmatos*, ut Ritualium Romanorum verbo utamur, hoc est immissa corporis Christi particula, et refusa sanguinis parte, in vinum non consecratum. De eo apud veteres Romanos ritu docte admodum, ut omnia, scripsit vir Clarissimus D. Joannes Mabillonius commentario praevio ad Ordinis Romani novam et accuratam ex multis exemplaribus editionem pag. 45. 47. et locis aliis. Ibi docet non eamdem fuisse apud autores opinionem de commistione particulae consecratae cum vino non consecrato. Aliis enim, ut Amalario, in prima operis sui editione, judicatum, sanctificari vinum non consecratum, per sanctificatum panem, quam fuisse diversarum Ecclesiarum communem sententiam probat num. ejusdem Commentarii 13. ex Missalibus et Ordinariis Remensi, Suessionensi, Ambianensi, Viennensi, Virdunensi, et aliquot aliis. Diversa in sententia fuisse observat sanctum Bernardum, Jacobum de Vitriaco, et recentiores multos, concluditque tandem nihil ab Ecclesia Romana circa alterutram opinionem determinatum, quod vere prudenterque annotatum est. Neque sane operose disquirendum an ea commistione, sive particulae consecratae, sive refusi ex majore calice in ministerialem, sanguinis Christi, vinum ita consecraretur, ut fieret sanguis Christi. Omnes sanctificari secundarium illum calicem nulla prorsus opinionum diversitate agnoverunt. Ecclesia vero quae talem commistionem per multa saecula observavit, dum ita Laïcis communionem dari voluit, satis docuit credere se quod ad plenam integramque Sacramenti participationem sufficeret specierum consecratarum cum non consecratis conjunctio. Atque ita ex disciplina Ecclesiastica sufficienter demonstratur, aut Ecclesiae judicio factam fuisse ex commistione consecrationem calicis ministerialis, aut sanctificationem, quanta sufficiebat ad integram communionem corporis et sanguinis

Christi, quamvis de integra in eumdem transmutatione vini in calice secundario posset dubitari. Porro quae huc usque de antiqua illius circa consecrationem, aut sanctificationem calicis per particulam, aut per transfusionem consuetudine dicta sunt, ad Copticam Ecclesiam quodammodo pertinere videbuntur, cum Abulbircati verbis disciplina exposita erit.

Ritus confirmandi calicis ex Abulbircat.

Post recitatam fidei Confessionem superius a nobis explicatam, *descendit Diaconus et prostrationem facit versus populum* (causa scilicet salutandi et monendi, ut ad communionem se praeparent) *conversusque ad eumdem populum Sacerdos, levem inclinationem facit. Tum communicat ipse et Sacerdos assistens, qui cum eo ministravit. Peracta quoque aliorum Sacerdotum communione, si sint super altare alter aut plures calices, eos consecrat, accipiendo scilicet ex calice majori in Liturgia consecrato, et fundendo in alium non consecratum tria cochlearia, dicendo simul Orationem quae incipit* Benedictus etc. *Respondet populus*, Unus Pater sanctus, etc. *Prosequiturque illam consecrationem, fundendo ter ex uno calice in alium. Postea particulas consecratas ex Isbodico, immittit in calicem majorem, eas scilicet quae superfuerant, et eas extrahit, partiturque in reliquos calices. Deinde communionem dat Diacono qui cum eo ministravit, et reliquis Diaconis, caniturque Psalmus 108. tono diverso, secundum festorum varietatem, tum aliquot alii hymni et Theotokia. Cumque haec compleverit circa communionis distributionem, Sacerdos curam habebit, ut si forte aliqua particula quamvis minima corporis superest, eam colligat, et ministrantibus ad altare distribuat. Diaconus quoque auferet calicem in quo communicavit Sacerdos cum Isbodico, atque ita sanguinem, si ex eo aliquid superest.* Reliqua de divisione Eucharistici panis rite facienda, utque particulae modum non excedant, sed tales sint, ut commode suscipi a communicantibus queant, buccellaeque quantitate definiantur, et sint crucicula insignitae, traduntur ab eodem autore, et iisdem prope verbis quae supra ex Echmimensi retulimus, nec non cura habenda a Sacerdotibus et Diaconis ne quidquam ex disco, vel ex calice decidat. Ex hoc, quem prius explicavit, ritu, habemus modum confirmandi, et sanctificandi calices ministeriales ad Laïcorum communionem, eumque duplicem, per particulae consecratae, seu *Isbodici,* immissionem, et per liquoris infusionem. Per primam efficitur ex Orientalium sententia, id quod exprimit oratio ipsorum qua dicunt se consignare, et sanctificare, et conjungere corpus Domini nostri Jesu Christi cum ejus sanguine, et sanguinem cum corpore: nempe utramque speciem commiscendo, ut ostendatur unio ejusdem Sacramenti, sub diversis speciebus. Neque unquam apud eorum Theologos aut Rituum interpretes quidquam nobis occurrit, unde conjectura capi queat, an quae apud Latinos disputata sunt circa consecrationem vini, per immissam particulam, de qua superius dictum est, in quaestionem apud ipsos vocata sint; nec verisimile videtur id apud eos agitatum fuisse: qui vix de Sacramento Eucharistiae disputant, sed in simplicissima traditae antiquitus fidei expositione, disciplinaeque explicatione conquiescunt. At calicem consecrari totum atque integrum, ex admistione liquoris, qui ex primo

calice transfunditur, non videntur dubitasse, quando cum Laïcis communionem distribuunt, dicere solent, illud quod praebetur esse sanguinem Christi. Neque tamen circa transmutationem ullatenus philosophantur: sed cum firmiter credant minimas particulas esse corpus Christi, et stillam quamque esse ejusdem sanguinem, trium cochlearium quantitatem sufficere judicant, ut tota vini, quod consecratum non fuit, materia ex illa infusione penetretur, ut omnes qui ex calice ministeriali communicant, accipiant sanguinem Christi. Ea ratione omnis, si quae est difficultas, penitus dissolvitur.

Cura reliquarum Eucharisticarum.

Post distributam vero communionem, aequalis cura adhibetur, ne qua particula supersit, tum ne quid in calice remaneat, qua de re extant in Canonibus saepe laudatis Constitutiones variae. Echmimensis cap. 4. §. 6. *Caveant diligenter Sacerdotes et Diaconi ne quidquam ex Eucharistia residuum sit, et ita judicium gravissimum incurrant, exemplo filiorum Aaron et Heli, quos disperdidit Spiritus sanctus, quia negligentius administrabant sacrificia Deo oblata. Quanto vero magis id metuendum est illis qui negligenter se habent erga corpus et sanguinem Christi Domini.* In Responsis Canonicis quaeritur *an particula reperta, postquam Sacerdos aquam biberit, ab eo possit absumi.* Negatur: sed statuitur, *ut alicui Sacerdoti vel Diacono qui communionem perceperit, nec aquam postea biberit, praebeatur; aut Laïco, si nullus alius jejunus reperiatur. Si nullus omnino, Sacerdos ponet particulam a se repertam in disco, quem velis suis operiet, accendetque circa illum cereos duos: et lampadem ad Orientem: ipseque Sacerdos custodiam illius corporis assumet, usque in sequentem diem, quo, cum celebrabitur Liturgia, ipse illud percipiet jejunus, nullo fungens ad altare ministerio. His peractis poenitentiam aget durissimam, ob negligentiam suam erga corpus et sanguinem Filii Dei, qui effusus est pro salute creaturarum. Quod si nequeat vacare ipse solus custodiae corporis sancti, ob praecedentem vigiliam noctis, quae Liturgiam antecessit, adjungere sibi permittitur Sacerdotem aliquem vel Diaconum.* Idem praecipitur in diversis Collectionibus, et in Codice Syro Colbertino singulare quiddam hoc in genere occurrit: nempe ut *Sacerdos postquam discum diligenter abstersit, et calicem abluit, dicat, si membrum aliquod, hoc est particula corporis Christi, remanserit, scientiae tuae, quae mundum creavit, maneat commendatum: esto ei custos Domine, et nobis propitius.* Nempe ut clare docet Echmimensis, *nulla est differentia inter majores aut minores Eucharistiae partes, etiam minutissimas, adeo ut oculorum acie animadverti non possint, quae eamdem venerationem merentur, eamdemque prorsus dignitatem habent ac totum ipsum, et quibus unitur Christus, non minus quam reliquis.* Sed de his totaque Orientalium doctrina circa Eucharistiae Sacramentum plenissime tractabitur in singularibus Dissertationibus. Tandem peracta communione discus, calix, et cochlear diligenter abluuntur a Sacerdotibus aut a Diaconis, a quibus aqua ablutionis, ut apud Latinos fieri solet, bibitur, et postea vasa ad sacrarium, seu scevophylacium referuntur.

Hoc loco observare operae pretium est, mistionem aquae ferventis, (Ζέον Graeci vocant,) de qua multa Symeon Thessalonicensis, et alii antiqui et recentiores, scripserunt, apud Coptitas ignorari non minus, quam apud reliquos Jacobitas, Syros, Aethiopes, ut etiam Nestorianos; unde patet non antiquiorem Ecclesiarum divisione esse hanc caeremoniam. Reliquas omnes, scilicet quae olim usurpabantur, retinuerunt: istam non omisisse consulto, veluti non necessariam aut superstitiosam, sed omnino nescivisse verisimile est. Qui illius inter Graecos meminerit, vetustissimus, ut videtur, est Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria, seu mystica Liturgiae expositione. Videndus de hoc ritu Goarius, ut Glossarium Cangianum in voce *Ζέον*. De illo altum est in Orientalibus Ritualibus silentium, ut in omnibus Rituum expositoribus aut Canonum Collectionibus.

P. 24. l. 7.

Oratio gratiarum actionis.

Postquam communio Laïcorum et mulierum absoluta fuerit, dicuntur orationes variae, tam privatim a Sacerdote quam super populum, et ab ipso populo, ad gratias Deo agendas de suscepto corpore et sanguine Christi, quarum orationum etsi magna sit secundum diversas Liturgias varietas, una tamen sententia est. Omnes enim sunt plenae confessionis de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia suscepti, tum precum et obsecrationum, ut eadem proficiant ad remissionem peccatorum, ad augendam gratiam, et ad consequendam aeternam beatitudinem. In Collectione Canonum Ebnassali cap. 13. *Cum absolverint Cantores hymnorum cantum, dicet Diaconus alta voce. Percepimus corpus gloriosum Christi, gratias agamus ipsi qui nos dignos fecit hac mysteriorum sanctorum perceptione, etc.* Nihil in istis orationibus frequentius occurrit quam expressissimae illae loquendi formae, quarum, si desit transmutationis realis fides, usus esse nullus potest. Dicunt scilicet; *miscuisse Christum corpus et sanguinem suum, corpori sanguinique eorum qui communionem acceperunt: linguam eorum suscepisse corpus et sanguinem ejus; atque eo fidelium labra peruncta, sicut olim Israëlitarum postes agni sanguine: sanctificata per Eucharistiam in spem resurrectionis ad aeternam vitam fidelium corpora; tenuisse se manibus, vidisse in disco et in calice, et ex illis accepisse corpus ipsum assumtum ex Maria Virgine, in quo natus est Dei filius, quod in praesepi positum, cruci affixum, lancea perfossum, in sepulcro collocatum, resurrexit, et ad coelum ascendit.* Haec omnia et similia continent orationes gratiarum actionis, quae cum Graecorum et nostris hujusmodi adeo consentiunt, ut mirum nemini videri debeat, quod nonnullae ex recentioribus libris desumtae sunt. Quidquid enim ad contestandam realis de corporis sanguinisque dominici praesentia fidem, magis efficax censeri potest, ita acceptum Orientalibus est, ut ad se lubentissime transferant. Ita Agapii Cretensis Monachi liber, cui titulus *Ἁμαρτωλῶν σωτηρία*, cujus ultima pars multas similes orationes complectitur, qui

olim Venetiis editus est, ita placuit, ut eum in Arabicam linguam transferrent, secundum quam Versionem passim apud omnes Ecclesias, etiam diversae sectae cum admiratione legitur. Ea ratione excusari possunt Maronitae, qui quasdam ex Latinis libris a se translatas, Maronitico, seu Chaldaico Missali adjunxerunt: etsi optandum erat, ut illis eligendis diligentius versati fuissent; neque enim antiquas aut Patrum autoritate commendatas selegerunt, sed eas quae casu potius quam certo consilio, Missalibus adjunctae sunt, et quorum dubia prorsus antiquitas est.

Sacerdos dicet benedictionem. *P. 24. l. 25.*

Extant quoque variae istarum postremarum orationum formulae, sed quarum sententia est ferme similis, nempe ut a Deo postuletur benedictio super omnes qui mox corporis Christi et sanguinis communionem perceperunt. In omnibus Liturgiis cujuscumque ritus leguntur tales benedictiones singulares, et cuique propriae, neque in ea parte communem, quae pluribus serviat, formulam habent. In Copticis id proprium est, quod inseritur sanctorum commemoratio satis prolixa, eorumque nomina recitantur, ut in hac nostra videre licet: nempe ut in aliis observatum est, quo per eorum preces et interventionem gratia postuletur, et obtineatur. Haec est enim sanctorum communio, ut qui in terra adhuc jactantur, juventur orationibus eorum, qui jam laborum suorum praemia acceperunt a justo judice, quique idcirco liberi a servitute et poenis peccati, possunt pro fratribus suis, Deum interpellare; et ut tum illorum, tum viventium precibus requies impetretur illis, de quorum salute spes est maxima, quia in fide Christi obdormierunt, et in pace Ecclesiae ad Dominum profecti sunt. Ea sola disciplina satis ostendit quam temere recentiores non pauci scriptores de Orientalibus conquesti sunt, quasi sanctos nondum Dei visione perfrui existiment, quamvis de illa quaestione Theologis nostris olim acriter agitata, altum sit apud eorum Autores praecipuos silentium. De Coptitis nihil in autoribus occurrit, quo eos talem aliquando sententiam defendisse possimus suspicari. De sanctorum enim quos venerantur, et in Orationibus appellant, integra plenaque felicitate non dubitare videntur, qui eorum miracula narrant, qui visiones, aeternae consummataeque beatitudinis indices frequentissime referunt, qui denique inter choros Angelorum eos collocant. Neque movere quemquam debet quod ex Aethiopis Gregorii téstimonio in contrariam sententiam retulit vir Clarissimus Jobus Ludolfus in Commentario ad Historiam suam Aethiopicam. *Sunt*, aiebat ille, *qui asserunt animas fidelium post mortem illico ingredi in regnum coelorum, sicut anima illius Latronis poenitentis in cruce, cui dixit Dominus noster:* Hodie mecum eris in paradiso. *Alii sunt qui dicunt, non intrant animae beatorum in regnum coelorum ante adventum Christi in resurrectione mortuorum.* Confirmat idem verbis Gonçali, Rodriguesii et aliorum quibus procul dubio accidit, quod multis solet, ut dum quaestionibus abstrusis Orien- *L. 3. c. 5. n. 4.*

tales fatigant, responsiones absurdiores eliciant, quae ad Ecclesiarum fidem nullatenus pertinent. Porro quod mire Ludolfus se torquet ut eam ipsis opinionem, tanquam *κυρίαν δόξαν* affingat, causa alia non fuit, quam ut haberet unde duplex disciplinae Orientalis caput, quia Lutheranis displicet, convelleretur: sanctorum intercessio, et oratio pro mortuis, quae Purgatorii doctrinam invehit necessario. Si enim quo loco sint sancti, num in coelo, beatitudine jam perfruentes, num alicubi eam cum resurrectione corporum exspectent, ignorant Orientales Christiani, frustraneae videbuntur illorum ad sanctos orationes, quod maxime Ludolfus velit. Eo enim provectus est vir eruditus, sed qui Theologicarum quaestionum tractatione abstinere debuerat, ut Invocationem sanctorum arbitretur casu potius et errore inductam, quam seria traditione omnium saeculorum: nempe ut cum Episcopi ad populum verba facientes maxime rhetoricarentur, et eos tanquam praesentes alloquerentur, haec orationis lumina et schemata plebem in errorem induxerint, atque ea occasione sanctos invocare sit coeptum. Ea vero Theologia quam absurda sit, sola novitas demonstrat: omnem enim sanctorum cultum, invocationemque Lutherus jam sustulerat, antequam hoc qualecumque commentum ipsi, aut ejus discipulis venisset in mentem. Neque Coptitae ab Aethiopibus docendi religionem erant, qui eam, ut notissimum est, non modo sanam in in articulis multis, sed cum faece et furfuribus Jacobiticis, ab illis acceperunt. Neque Gregorius homo barbarus, spinosis quaestiunculis irretitus, audiendus est, verum communis Ecclesiarum omnium traditio, quae dum sanctos invocant, precesque ad eos fundunt, testantur satis eam opinionem apud se viguisse, quod ipsorum apud Deum precibus et intercessione juvari posset humana infirmitas. Neque enim quibus nondum felices esse datum est, possunt pro aliorum salute interpellatores fieri. Cum vero de Paradiso loquuntur secundum communem atque ex sacris scripturis traductam intelligentiam, locum agnoscunt felicitatis aeternae, et quo nomine appellaverint parum refert. *Paradisus* apud Graecos hortus deliciarum est, quamvis ea vox a Chaldaeis, aut Babyloniis ad eos migraverit. *Hortum Eden* vocant Hebraei et inde Arabes Muhamedani suum גנה fecerunt, quod idem significat, comparatione ducta scilicet ab horto seu Paradiso voluptatis, quem ab initio Deus plantaverat, et in eo constituerat hominem, quem creaverat. Non igitur Christiani a Judaeis vocem acceperunt, nisi ut a capsariis Ecclesiae codices sacros conservantibus, ut eam Christus ipse usurpavit; dogma ipsum in Ecclesia natum et propagatum est, nec ab extraneis sectis ullatenus, etiam ad eas quae ab unitate recesserunt, fuit derivatum. Quicumque enim in Judaeorum recentiorum libris mediocriter versatus est, non ignorat quam incerta, vel potius quam nulla, inter eos sit de גן עדן *horto Eden*, ut ipsi Paradisum vocant, traditio; quam multa de hoc argumento nugati sint: quam parum praecipuis Magistris inter se conveniat. Neque sane mirum, cum de ipsa resurrectione sine qua felicitatis spes esse nulla unquam potest, vix inter se consentiant, ut ex sola Dissertatione Eduardi Pocockii, qui multis de hoc argumento erudite disputavit, agnoscere facile est. Crassam nempe,

Not. ad Portam Mosis.

planeque Judaïcam felicitatem imaginantur, ex qua Arabum Pseudopropheta inaniora adhuc magisque flagitiosa commenta accepit, ex quibus turpem illum suum paradisum instruxit, omnibus Alcorani paginis decantatum. In utrisque, tam Judaeis, quam Muhamedanis scriptoribus eruditi lectores agnoscunt conflatam ex scriptura sacra prave intellecta, Millenariorum et veterum haereticorum somniis, paradisi voluptatis descriptionem: quae nemini Christiano in mentem venerit; tantum abest, ut a Judaeis Christiani hoc in genere quidquam acceperint.

De sanctis quos Coptitae commemorant.

Quod sanctos attinet, quorum nomina hac in postrema Oratione Coptitae commemorant, etsi de illis commodior agendi locus esset in commentario quem, si opus videbitur, adjungemus ad Calendarium ipsorum, pauca tamen dicere operae pretium erit. De illis fuse agit Synaxarium, quod inter Ecclesiasticos libros non postremum locum obtinet. Ea sunt duplicis generis: nam antiqua et quae legitima dici possent, si non ingens corruptela totum hoc librorum genus pervasisset, ea erant in quibus Acta Martyrum, ex vetustis codicibus descripta continebantur, qualia olim apud Christianos Aegyptios, ut in omnibus aliis Ecclesiis conservata fuisse, praeter communem antiquorum temporum consuetudinem, probant non contemnenda fragmenta martyriorum Alexandrinorum, quae extant in historia Patriarchali Severi Episcopi Aschmoninensis, depromta, ut verisimile est, ex Eusebio, praesertim libro de Martyribus. Eadem olim Graeco Copticoque sermone conservata in Monasterio sancti Macarii, testantur autores multi, idque innuere Severus ipse videtur. Verum ex quo in Arabicam linguam translati sunt ejusmodi libri, perierunt exemplaria Coptica, adeo ut nullum jam dudum in Bibliothecis appareat. Arabicae versiones adeo interpolatae sunt, ut nihil minus quam vetera Graeca Acta repraesentent, praesertim cum, sicut in talibus usu venit, non modo interpretes, sed exscriptores addiderint quidquid ipsis occurrebat de eodem argumento. Itaque Actis illis aut vitis nihil contaminatius, neque Legendae nostrates veteres, possint absurdae videri, si cum illis comparentur. Ea vero proprie loquendo Synaxaria non sunt, sed compendia alterius generis, simillima iis quorum in Ecclesia Graeca usus est, et quae per circulum anni descripta sunt, ut historiae sequantur ordinem Kalendarii. Cum autem pro sectarum diversitate sit quoque in commemoratione sanctorum diversitas, Melchitarum seu Orthodoxorum libri a Jacobiticis differunt, etsi primorum saeculorum sancti aequaliter ab omnibus celebrentur. Sed ex quo scissae fuerunt Ecclesiae post Concilium Calchedonense, Dioscorus et plures ejus successores aut sectatores fastis sacris adscripti sunt, ut illi quorum nomina in Diptychis occurrunt. In ista vero ultima benedictione, quod maxime observandum, nullus ambigua fama occurrit, sed Angeli aut Martyres, aut tandem illi, quibus honor per omnes Ecclesias semper et ubique delatus est.

De Angelis.

De Angelis monendum, legi apud Orientales Theologos circa eorum numerum, naturam et ordines, omnia quae in libris de Coelesti Hierarchia continentur, quod opus Dionysio Areopagitae Pauli Apostoli discipulo tri-

buunt, quem idcirco *Paulusi,* hoc est *Paulinum* appellant, ut videre est apud Abulbircat, eo capite in quo notitiam exhibet praecipuorum autorum qui Arabice extabant. Ejus meminit Ebnassalus, et omnes alii. Neque tamen ita insistunt doctrinae eodem in libro propositae, ut non diversas opiniones habeant de spirituum illorum beatorum ordinibus, et numero. Vulgo novem eorum ordines constituunt, juxta communem apud Theologos nostros Gregorii Papae sententiam: eamque sequitur Severus Episcopus Aschmoninensis, et ad eam refert parabolam de muliere habente drachmas decem, quarum una perdita hominem significabat. Sed idem Autor in eodem ipso Tractatu, qui est *de Incarnatione Domini,* centum Angelorum Ordines a Deo creatos fuisse scribit, quorum princeps erat *Sabataniel,* qui cum adversus supremam creatoris majestatem rebellasset, in tartarum praecipitatus, *Sataniel,* seu Satan dici coepit. Postea ovium parabolam, quarum nonaginta novem Angelos significant, una perdita hominem, de illis quoque spiritibus explicat. Ita pariter, Isa filius Zaraae, et plures alii, adeo liberam existimaverunt hujus de coelesti Hierarchia doctrinae expositionem. Omnes quoque, praeter communem apud Graecos et Latinos doctrinam, inter coelestes ordines singularem quemdam numerant *τῶν Ἐγρηγόρων,* seu *Vigilum,* de quibus in Danielis Prophetia legitur: עיר vocatur ille, de quo illic sermo est, quam vocem Syri sua in lingua retinuerunt, unde frequentior *Vigilum* apud eos, quam apud reliquos Christianos memoria, qui eorum rarius omnino meminerunt. De illis ordinibus multa protulit vir doctissimus Joannes Morinus in Notis ad Officia Ordinationis Syrorum ex Joanne Darensi, quem Autorem, ipsi ab Echellensi Abrahamo suppeditatum, recentiorem esse non dubitamus. Tamen communior omnino doctrina est, quod Ordines beatorum spirituum novem sint tantummodo, ut in praefatione Missae commemorantur, paulo ante hymnum triumphalem. In omnibus enim Liturgicis officiis, quae hanc orationem agnoscunt, recensentur eadem serie, ac in Latina Missa: aliorum mentio aut rarior, aut nulla. De *Suriele,* qui melius *Uriel* appellatur, frequens quoque memoria est in Orientalium Christianorum libris: ut ex ultima hac Oratione, et aliis quae in Horologio, aut reliquis precum libris occurrunt, animadvertere licet. Unus dicitur ex quatuor Archangelorum numero, in Euchologio Coptico ubi extat ad eum peculiaris oratio, quae sic incipit. *Honoremus Surielem quartum inter Archangelos.* Extat ejus imago in editione Aethiopica Novi Testamenti, cum hac inscriptione *S. Uriel qui fuit cum Adamo et Eva quando egressi sunt de Paradiso.* Ejus quoque Graeci meminerunt in variis orationibus, imo et Latinae Litaniae veteres multae, atque inter eas Karolinae editae a Viro Clarissimo Joanne Mabillonio Analectorum tomo 2. etsi dudum antea nomen Urielis in veneratione fuisse argumento sit lamina ejus cum aliorum Archangelorum nominibus reperta anno M. DXLIV. in sepulcro Mariae Augustae uxoris Honorii Imperatoris. Vide Notam V. C. Stephani Baluzii ad Capitularia: ubi ex Concilio Romano recenset diversa Angelorum nomina, quae usurpare deinde prohibitum fuit: quamvis Urielis nomen diutius perseveraverit. Reliqua obsoleverunt, nec eorum memoria perstitit

Pag. 1125.

alibi, quam in superstitiosis damnatisque sortium et divinationum libellis, ubi frequentissima sunt. Ridiculos illos dico, Arbatelem et alios, qui editi sunt simul cum Agrippae occulta Philosophia: Claviculam Salomonis, cujus tot diversae editiones sunt quot exemplaria, praeter ineditos multos, qui barbara infinita Angelorum nomina repraesentant, atque inter eos Urielem vix unquam non recensent. Neque amulcrum aut ἀποτέλεσμα (Talismanos vocant) ferme occurrit, quod inscriptum non sit tali nomine. Communior tamen, ut supra diximus, apud omnes est vulgata de novem coelestium spirituum Ordinibus secundum Pauli doctrinam sententia, qui sub tribus classibus constituti sint. Amrus Mathaei filius Nestorianus. *Doctores, et Testamenti novi Interpretes in eam sententiam conveniunt, quam ex B. Paulo Apostolo transtulit doctus ille et pius sacrarum literarum expositor S. Theodorus, species Angelorum novem esse, sub tribus ordinibus qui Dei nomen sanctificant in excelso, juxta mensuram donorum quibus cumulati sunt, etc.* Ita juxta hanc Theologiam, Michael, Gabriel, Raphael, Ordinum suorum principes sunt; atque Uriel locum non habet.

Quatuor animalia incorporea, quorum memoria quoque fit in hac ipsa oratione, Angelos sublimioris ordinis esse Aegyptii Christiani existimant, eos nempe qui in Apocalypsi dicuntur sustinere thronum Dei, quos Ezechieli quoque per visionem oblatos fuisse credunt. *Animalia sancta* vocantur Angeli apud Judaeorum Theologos, juxta ordinum diversitatem, ut docet inter alios Moses Maimonides in Tractatu de fundamentis legis. Ad SS. quatuor animalia oratio extat in Euchologio Coptico, quae ita incipit. *O sancta quatuor animalia incorporea, sustinentia thronum Dei, facie bovis, facie leonis, facie hominis, et facie aquilae, plena oculis ante et retro, sex alae uni, sex alae alteri, duabus tegentia facies suas, duabus pedes suos velantia, duabus volantia et dicentia, Sanctus, Sanctus, etc.* Neque in orationibus constitit Coptitarum erga istos Angelos pietas aut superstitio: nam sub eorum invocatione Ecclesiae aedificatae fuerunt. Unius prope Misram seu Cahiram veterem, et alterius quae Alexandriae a scriba quodam Divani Cheic Ebn Emin el Melik, meminit Abuselah Armenus. In Vita Tecla-haimanoth, qui ex Aegypto profectus sub Benjamino Patriarcha, in Aethiopiam venit, atque ibi pater extitit vitae Monasticae, legitur aedificatam in ea regione Ecclesiam, ejus hortatu, sub titulo quatuor animalium. Pari ratione invocant seniores viginti quatuor in Apocalypsi commemoratos, ad quos extat oratio singularis in Euchologio, in qua vocantur *Sancti incorporei, Sacerdotes veritatis, Deo proximi, stantes coram solio ipsius, eumque incessanter laudantes die ac nocte, sedentes super sedes viginti quatuor, coronas habentes in capitibus, et thuribula aurea in manibus, plena thure exquisito,* nempe *orationibus sanctorum, qui sunt super terram, et eas offerentes agno vero, etc.* Tandem quod habetur de Angelo custode diei ipsius, consentit cum vulgatissima apud omnes doctrina, de custodia hominum per Angelos, quam exponunt, autoritatibusque Scripturae et SS. Patrum confirmant Autores superius laudati, sequentes hoc in argumento vetustissimam omnium Ecclesiarum

traditionem. Neque ea modo est Christianorum opinio, sed ipsi Muhamedani eam cum nonnullis aliis servaverunt, ut ex multis autorum, qui Alcoranum interpretati sunt locis, probari potest. Praecipue de illis agitur in Surata de spoliis, ubi Hucein Vahetz Commentator Persa famosus, unum cuilibet Angelum custodem assignatum ait, cum aliis quatuordecim, quorum septem misericordiae, septem infligendae poenae curam habent.

IN LITURGIAM COPTICAM

SANCTI GREGORII

NOTAE.

Quae de istius et aliarum Liturgiarum Orientalium titulis dicta sunt in Dissertatione Generali; et in ea quae Copticas proprie spectat, repetere necesse non est. Illud tantum observari debet communi Coptitarum traditione illam secundam Liturgiam adscribi Gregorio Theologo in Aegyptiacis omnibus Codicibus et etiam in Graeco Bibliothecae Regiae; atque etiam eo nomine recenseri a Theologis, et Rituum interpretibus, ut in Constitutionibus Synodicis Gabrielis filii Tarik LXX. Patriarchae Alexandrini, articulo 26. Abuseba in Scientia Ecclesiastica cap. 85. Abulbircat, cap. 29. Ebnassalo Collectionis Canonum. cap. 12. et aliis.

P. 27. et 28. *Oratio veli.*

Τοῦ καταπετάσματος in Graeca et in aliis Liturgiis: nempe quia non ad ipsum altare, sed solummodo in sanctuario, seu Bemate dicitur intra velum, quo secundum ritum Graecum, et Orientalem circumdantur. In Codice Graeco ejusdem Liturgiae, praemittuntur orationes aliquot quae in Copticis exemplaribus non occurrunt, quia re vera ad istam non pertinent, sed communis officii partes sunt aut dicuntur ad libitum. Prima absque titulo, praeparatoria est, Sacerdotis indignitatem suam profitentis, divinumque auxilium postulantis, ad inculpate celebrandum mysterium. Secunda dicenda praescribitur, postquam praeparatum fuerit altare, qualis ea est quam Basilii Coptica repraesentat, ejusdemque sententiae. Tertia quae ad Evangelium dicenda est, suo loco non est posita, sed adhibenda ad Liturgiam istam, quando legitur
Lit. Bas. p. 50. **Evangelica lectio. Ea quae dicitur τοῦ καταπετάσματος, eadem est quae**

occurrit in Graeca vulgata Basilii, cum exigua vocum diversitate. Quarta tandem ea est quae praemittitur in Codice Aegyptiaco: eam porro Codex Regius Graeco Arabicus propriam Aegyptiis fuisse significat, iis verbis *Εὐχὴ ἄλλη καταπετάσματος παρ' Αἰγυπτίοις.* Hinc manifestum est, non multum sollicitos esse debere nos de titulis, quos vel Liturgiae vel singulae orationes habent; modo certum sit illas ex communi Ecclesiae thesauro esse depromtas, quod quidem de istis orationibus manifestum est: sunt enim iisdem prope verbis in Jacobi, Basilii, vel Chrysostomi Liturgiis. Unde Jacobitarum propriae non sunt, sed Ecclesiae, neque unius aut alterius, sed totius Ecclesiae Orientalis, cum reperiantur non modo in Constantinopolitana, quae Basilii est Chrysostomi Liturgiis utitur, sed in Hierosolymitana, et Alexandrina, quae Jacobi Marcique Liturgiis olim utebántur.

Sed offeram tibi Sacrificium hoc rationabile et incruentum. P. 26. l. 2.

In hac oratione, ut in multis aliis, quod semel monuisse sufficiet, mentio est sacrificii Eucharistici, non minus quam passim in Graecis Jacobi, Basilii, Chrysostomique Liturgiis, et Alexandrinis Graece extantibus, quidquid scripserint varii contentiosae Theologiae conscribillatores, qui praeter Chytraeum et Rivetum nihil legerunt, ne ipsas quidem, quas impugnant Liturgias. Utuntur Graeci his potissimum vocibus, *λογικὴ λατρεία*, *θυσία*, *προςφορά*, Syri et Aethiopes vocibus ex Hebraica lingua deductis, *Korban*, et aliis. Argutari autem solent morosi illi Critici, ex etymologia linguarum Orientalium, quarum peritiam ubique jactant: adeoque *Korban*, aut similes negant significare *Sacrificium.* Haerent tamen in aliis vocibus, quae *τῇ θυσίᾳ* pressius respondent, qua Coptitae, ut multis aliis Graecis frequenter utuntur, ut sunt Syriaca דבחתא et Arabica דבחה: Aegyptiaca quoque nativa. Illas porro voces omnes indifferenter usurpant Orientales. Dum vero *incruentam* vocant *oblationem* *προςφορὰν* et *θυσίαν*, quid intellexerint in obscuro non relinquunt. *Λογικήν*, quae vox frequenter adhibetur, et quam Coptitae retinuerunt, *spiritualem* significat, per oppositionem ad *corporeum:* quamvis Syri et Arabes eam rigidius et ad literam interpretati sint. Sed in hac ut in multis, significatio determinatur ex stilo Ecclesiastico.

Oratio osculi pacis. Ib. p. 26. l. 9.

Eadem est quae in Graeco Alexandrino codice, et illam altera sequitur, quam Codex idem continet: non quod vulgo duae orationes ad osculum pacis dicerentur, sed quia una secundum dierum festorum diversitatem eligeretur, aut ad Sacerdotis arbitrium. Hic autem, ut in aliis, osculum pacis vocatur *ἀσπασμός*, quam vocem Aegyptii et Arabes suam fecerunt. Incipiunt porro Liturgiae singulares illae, non ab orationibus praeparatoriis, sed ab ea,

quae Osculum pacis antecedit, cum reliqua ex communi officio peti soleant. Atque ab eo loco proprie loquendo incipit *Anaphora, Oblatio* seu *sacra actio:* unde in Graeco codice, ante orationem sequentem, quae Praefationi nostrae respondet, titulus hic adjicitur. *Ἀρχὴ τῆς προςκομιδῆς*: quae verba Arabs interpres vertit, *Initium Sacrificii.* In quibusdam Copticis exemplaribus haec *oratio osculi pacis* Severo tribuitur, Antiocheno scilicet, quem Liturgiam scripsisse, communis Jacobitarum traditio est, et eam multi Syriaci Codices repraesentant, ex qua haec Oratio transferri potuit, ob arctissimam sedis Alexandrinae Jacobiticae cum Antiochena conjunctionem: singularemque Severi venerationem. Nam ejus duplex memoria fit, obitus scilicet, atque ejusdem adventus in Aegyptum, septima Toth, et secunda Paophi. Non tamen existimare quisquam debet ex illo titulo, Severum ullum Patriarcham Alexandrinum fuisse, quod Guido Fabricius Boderianus absque ulla autoritate omnibus prope persuasit, cum edidit Ritualem Baptismi librum, sub Severi Patriarchae Alexandrini nomine, cum nullus inter permultos, qui in Bibliothecis extant, Codicibus, hunc titulum praeferat. Nullus sane inter Jacobitas Severus Alexandrinam sedem tenuit: et lingua Syriaca, qua liber ille scriptus est, nunquam in sacris officiis usurpata apud Aegyptios fuit. In Liturgia Basilii Coptica quaedam oratio occurrit, quam codices manuscripti nonnulli Joanni Chrysostomo, alii Joanni Bostreno, sive Basorensi attribuunt. Primus ut communis Ecclesiarum doctor: alter ut in eadem qua Aegyptii Jacobitae secta, agnitus fuit: amboque diversa ratione talem apud eos autoritatem nacti sunt, ut orationes ex illorum Liturgiis in Copticas transferrentur.

P. 29. l. 29. *Scribo opera mea secundum verba.*

Obscurus locus, quem secundum sententiam Copticae versionis reddidimus, et quem Interpretes Arabes, tam istius codicis Coptici, quam Graeci, non videntur intellexisse. Graeca nullam obscuritatem habent. *Ταύτης μοῦ τῆς ἐλευθερίας προςφέρω σοι τὰ σύμβολα· τοῖς ῥήμασί σου ἐπιγράφω τὰ πράγματα. Istius liberationis meae,* (scilicet per salutarem Christi in carne dispensationem,) *offero tibi Symbola: verbis tuis res adscribo.* Haec igitur sententia est: offero tibi haec Symbola, seu elementa panis et vini, quae ex tuo, Christe, instituto, repraesentant passionem tuam, per quam a peccato aeternaque damnatione liberationem consecutus sum, faciens quod ipse jussisti: res vero, sive effectum promissionis a te factae, quoties memoriam tui ita ageremus, non meis meritis, sed verbis tuis, quae mox recitanda sunt adscribo, ita ut ab illorum virtute et promissorum tuorum certitudine totum expectem. Arabs interpres cujus versio contextui adjuncta est in Codice Regio, ita vertit. *Offero tibi Symbola liberationis meae in verbis tuis, designo praecepta tua:* quia ultimam vocem videtur ita legisse, ut ex *πράγματα* fecerit *προςάγματα.* Compendia enim scripturae Graecis librariis me-

diae aetatis familiarissima, saepe fraudi descriptoribus fuisse, sciunt qui manuscriptos codices tractaverunt. Ille vero qui Regium descripsit, suae ipsius imperitiae multa reliquit indicia, sed quam dubitaret de significatione vocum compendiose scriptarum testatus est, dum indicem earum, quae in duabus istis Liturgiis obviae sunt, ad finem adjecit.

Textus vero Copticus, qui primariam Graeci versionem exhibet, aliter omnino eadem verba repraesentat, eo scilicet quo expressimus modo: *Offero tibi Symbola liberationis meae,* ubi vox Graeca νισύμβολον: sequens Aegyptiaca ἐλευθερίαν, ἐλευθέρωσιν, absolutionemque significat, usurpaturque initio Liturgiarum ad titulum Orationis illius, quae dicitur Absolutionis. *Scribo opera mea secundum verba tua:* ita ad verbum versio Arabica quae ambiguitatem habet, quia Arabes praesens et futurum non distinguunt in verborum inflexione: imo imperativus modus nullatenus differt. Itaque verti potest, *Scribo,* ut vertendum est secundum Graecum exemplar primarium, *Scribam,* aut sicut Maronita vertit, *Scribe opera mea secundum verbum tuum.* Vox *Symbolum* variis Arabicis vocibus exprimitur, quae tamen ad eamdem significationem referuntur, nempe אנמודג *typus,* משורת *signum,* מבאחבה *exemplum, etc.* Ut observavimus ex comparatione diversorum codicum, quae varietas perplexitatem interpretum satis indicat. Sententia quam Graeca verba praeferunt, simplicior est: aliorum interpretum, qualiscumque sit, non videtur huic loco convenire. Neque mirari quisquam debet quod in Graecis interpretandis aliquando hallucinati sint versionum autores, Arabicarum praesertim, qui Graecas voces Copticae orationi infusas, saepe non satis intellexerunt: quod, ubi opus erit, monebimus. Ita in ea prece quae istam proxime antecedit, *Elevasti primitias meas usque ad coelum,* ut habet textus Copticus, Graece εἰς οὐρανόν μου τὴν ἀπαρχὴν ἀνεβίβασας, sententia est simplex, maximeque Theologica: Christum carnem suam, vel potius hominem ex Adami progenie assumtum, tanquam humani generis primitias, in coelum elevasse, tum per unionem divinae naturae, tum per ascensionem in coelum. Scilicet *primitiae Christus, primitiae dormientium:* et eodem sensu in Liturgia Nestorii Eucharistia vocatur *Oblatio viva et sacrificium non mactatum, primitiarum nostrarum.* Cum vero Coptitae retinuerint vocem ipsam Graecam ταπαρχη, ambigue quidem eam reddidit Arabs, qui Codicem Graecum interpretatus est ריאסתי: qui Copticum pessime; nempe *oblationem meam* קרבאני. Ut in Codice Scaligerano: alii *vota mea*, ut Regius et noster: nullo sensu. Nec enim Christus elevavit ad coelos primitias et oblationes, si de donis propositis intelligatur haec orationis particula, quae nondum consecrata sunt. Neque oblationem Sacerdos recte vocare potest *primitias suas et vota sua,* cum neque primitiae sint, proprie loquendo, neque vota illius, sed totius Ecclesiae et circumstantium quorum nomine illa offert: totiusque orationis series, ut animadvertere facile quisque potest, aliud quid omnino significat.

1. Cor. 15. 23.

P. 29. l. 34. *Nam ea nocte in qua tradi voluisti, etc.*

Tota haec pars officii Eucharistici convenit cum Graeco ejusdem Liturgiae codice, ut etiam cum aliis omnibus circa recitationem institutae a Christo Eucharistiae, et verborum illius, de qua nihil est singulariter observandum, praeter ea quae dicta sunt ad eumdem locum Liturgiae Basilii. *Κλώμενον καὶ διαδιδόμενον*, de Christi corpore, ut *ἐκχυνόμενον* de Christi sanguine, per praesens et futurum tempus intelligi potest, secundum versiones Arabicas. In Coptica versione *Frangitur*, et *dabitur*. Utrovis modo eadem significatio est: Syri praesenti tempore vulgo expresserunt. Mistionem aquae cum vino, quam Ecclesiae omnes servant, contra quam existimant Protestantes, hic locus confirmat, ut etiam reliquae omnes Liturgiae. Nestoriani edisse et bibisse Christum ex pane et calice consecratis dicunt: hic Coptitae de solo calice, quod tamen in Graeco Codice non legitur.

P. 31. l. 2. *Tu Domine voce tua sola commuta haec quae sunt proposita, etc.*

Insigne prorsus haec oratio continet fidei Coptitarum de vera et reali elementorum transmutatione testimonium: quod in Graeco Codice non minus legitur, quam in Copticis. Petunt scilicet, ut Deus transmutet dona proposita, voce sua sola, hoc est imperio suo divino, quod idem est ac si dicerent, petere se id quod solius omnipotentiae divinae opus est. Verba quae transmutationem significant, Graece, Aegyptiace et Arabice plenam illam, et integram rei in rem transformationem designant: *Phonkh*, חול et נקל: ut Graecum *μεταποίησον*.

Christum quasi praesentem alloquuntur, et ad eum orationem dirigunt, in quo adorationis cultus continetur, et simul professio fidei, de vera ejusdem in Eucharistica mensa praesentia. Illam satis significant verba Graecae Liturgiae. *Αὐτὸς παρὼν τὴν μυστικὴν ταύτην λειτουργίαν κατάρτισον*: quae quidem aliter accipi possent, nempe ut rogaretur Christus adesse, et praesens hoc mysticum ministerium perficere, unde Protestantes concluderent, praesentem non esse illum cujus praesentia postularetur. Sed difficultatem omnem solvunt versiones Copticae et Arabicae, dum illud *παρὼν* ita exprimunt, *tu coram nobis positus*, quod exprimunt interpretes Copticus, et Arabs: alia lectio *qui praesens es, et inter nos.*

Sequitur: *Mitte super nos gratiam Spiritus tui sancti, qui sanctificet et transferat haec dona proposita, in corpus, et sanguinem salutis nostrae.* Paulo aliter Graecus Codex. *Αὐτὸς τὸ πνεῦμά σου τὸ πανάγιον κατάπεμψον· ἵνα ἐπιφοίτησαν τῇ ἁγίᾳ, καὶ ἀγαθῇ καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ, ἁγιάσῃ καὶ μεταποιήσῃ τὰ προκείμενα καὶ ἅγια δῶρα ταῦτα εἰς αὐτό, τὸ σῶμα καὶ τὸ αἷμα τῆς ἡμετέρας ἀπολυτρώσεως.* Sententiae · nulla diversitas: plenior et uberior est Graeca formula, sed eodem redit. Versio Arabica

Graeco textui adjuncta illam accurate et verbatim repraesentat. Itaque, quod obiter observandum, rogatur Christus, ut mittat Spiritum suum sanctum; in quibus verbis agnoscunt Coptitae Spiritum sanctum esse Spiritum Filii, et ab eo mitti. Mittitur vero Spiritus sanctus ad opus aliquod divinum, et humanis viribus superius, quod de alio, quam de transmutatione donorum in corpus, et sanguinem Christi, intelligi non potest. Itaque nihil hac sententia magis perspicuum, aut magis simplex, atque ad veterem Ecclesiae Orientalis doctrinam magis accommodatum, cum omnes Liturgiae Graecae, Syriacae, Copticae cujuscumque ritus aut sectae, iisdem prope verbis contextam eamdem orationem repraesentent. De censura quam in eam, ut a Graecis conservatur, tulerunt recentiores nonnulli, fuse in notis ad Basilianam Liturgiam diximus, quae reponere necesse non est. Id solum adjiciemus: quod cum isti censores inofficiosi, orari non posse existiment pro donis jam consecratis, contra totius Ecclesiae veteris Orientalis et Occidentalis exemplum, quae similibus orationibus deteri verborum Christi efficaciam nunquam existimavit, ex ista intelligimus, Coptitas corpus Christi jam praesens agnoscere, cum illam, et Invocationem quae sequitur, pronunciant. At haec controversia Protestantes nihil juvat; neque autoritati, quam Ecclesia adversus eos comparat, ex conspirante in fide realis praesentiae Orientalium testimonio, detrimentum ullum affert: cum ad fidei quam habent certitudinem, nihil intersit quando, aut quibus verbis consecratio perficiatur, modo eam vere fieri in Liturgia, ita profiteantur, ut panem et vinum in altari, ea perfecta esse negent, sed corpus et sanguinem Christi. Quod porro in hac ipsa oratione dicitur, *Christum praesentem esse et coram Sacerdote positum*, idem in Homiliis de Circulo anni ad Coptitarum usum, in Tractatibus Severi Episcopi Aschmonin, et in multis aliis, toties inculcatur, ut ambiguitati locus esse nullus queat.

Ex illa tamen ipsa oratione, Claudius Salmasius vir sane doctissimus, sed qui Theologiam attingere non debuisset, habere se jactavit, unde Missionarios quosdam ex Oriente reversos, qui Orientales idem ac nos credere circa Eucharistiam affirmabant, plene refelleret. Ita scribebat ad Joannem Dallaeum, et cum Epistola post Salmasii obitum typis publicata fuerit, excusari poterat quod incautus in sinum amici temere effudisset, quae primum in mentem venerant, nisi bellum illud suum commentum libro de Transubstantiatione inseruisset. Illam igitur quam retulimus particulam, quam, ne quid testimonii autoritati deforet, Arabice descripsit, ita interpretatus est. *Tu confirma in nobis commemorationem ministerii tui sancti: tu mitte super nos gratiam Spiritus tui sancti, ut purificemur, et convertamus has oblationes viles in corpus et sanguinem Servatoris nostri.* In ipsa Epistola vernaculam ejusdem orationis versionem legimus, in qua discriminis non nihil est. *Afin qu'estant sanctifiez, nous puissions convertir ces Oblations viles et terriennes, au corps et au sang de nostre Sauveur, ou de nostre Salut.* Interpretationem commentario munivit, cujus haec sententia est: satis agnosci Invocationem non fieri, ut gratia sancti Spiritus illabatur super panem et vinum, ut

Salmasii falsa interpretatio hujus orationis.

Ep. 32. p. 72.

mutando substantias, praesentia corporis et sanguinis talis sit, ut remaneant sintque corpus et sanguis suscipienti, quicumque sit, fideli vel infideli. Verum, inquit, Sacerdos ille Coptita ea Invocatione quam omnium nomine pronunciat, id designat solummodo, panem et vinum, quae a nobis in Coena suscipiuntur, fieri corpus et sanguinem Domini, illis qui debite illa suscipient, quosque Spiritus sanctus prius sanctificaverit: illos quoque solos accipere verum corpus, non panem solummodo, qui prius per fidem et gratiam sancti Spiritus puri facti fuerint. Tandem edicit hanc esse μεταβολήν, sive *conversionem*, antiquis Patribus memoratam, nec quaerendam esse aliam. De illorum Theologia alium quemvis potius audiendum, etiam ipsi Calvinistae dudum judicaverunt, quam Salmasium, qui nemini unquam probavit voces μεταποιεῖν, μεταστοιχειοῦν, μεταῤῥυθμίζειν, quibus Patres non minus utuntur, quam simplici μεταβάλλειν, nullam aliam mutationem significare, quam eam quae mutatio non sit. Sed hoc non agimus: verum coram Ecclesia, et eruditis omnibus, qui aliquam linguarum Orientalium notitiam habent, Salmasii nomen deferimus, tanquam corruptelae intolerabilis rei, cum lectionem codicis quem citat, corrupit, et enormis inscitiae dum illam absurdissime est interpretatus. Is ipse Codex superest in Bibliotheca Regia, et in illo, sicut in aliis omnibus legitur non pluralis primae personae characteristica litera, sed tertiae foemininae, quia in lingua Arabica vox רוח *Rouah, Spiritus*, foeminini est generis. In prima etiam voce, quam vertit Salmasius *purificemur*, nulla nota passivi est, vertendumque fuisset *purificemus*, quo solo discrimine tota machina Salmasianae Theologiae funditus ruit. In altera *et convertamus* similis corruptela est, cum sensus sit, *et convertat*, vel *transferat*, perspecteque eam lectionem exhibeat Codex manuscriptus. Quod προκείμενα, quae intelliguntur voce sequenti, non minus communi apud Arabes Christianos voce quam apud Graecos altera, *viles et terrenas Oblationes* vertit, non levem significat Arabismi ignorantiam, et in eo qui alios imperiose docere audebat, non facile tolerandam. Sed hunc errorem in libro de Transubstantiatione emendavit: haesit in aliis gravioribus longe, magisque perniciosis.

Porro mirari satis nemo potest Salmasium, qui ubique ferme de lingua Aegyptiaca, tanquam sibi non ignota loquitur, ubi opus non erat, ignorantiam vel malam fidem hoc loco ita prodidisse, ut excusationi locum non reliquerit. Codex quo utebatur Aegyptiace scriptus erat et Arabice; cur igitur de primario textu ne verbum quidem fecit, nisi quod illum non intelligebat, quod facile, si opus esset, probaremus. Sane si intellexisset, non illum adeo perfrictae frontis fuisse quisquam credat, ut, qualem ex Arabica versione commentus est, interpretationem daret: quandoquidem orationi Copticae prorsus contradicit. Quod etiamsi non esset, at quae mox subjiciuntur, sententiam in aperta luce collocant, demonstrantque peti illapsum sancti Spiritus, ejusque operationem in dona proposita. Nihil autem certius esse quam quod de Salmasiana Versione diximus, sciunt quicumque literas Orientales a limine salutaverint: Aegyptiacae linguae, quae non adeo communis est, mediocriter peritum esse oportet, ut error agnoscatur, cum ob-

servare sufficiat ex imperfectissima Grammatica ντεφ quae nota 3. personae futuri vel subjunctivi, eo loco usurpari, non primae pluralis personae notam. Adde testimonium Graeci Codicis, et adjunctae versionis Arabicae, quae falsam illam et absurdam Salmasii interpretationem destruunt, cum habeant ἁγιάσῃ καὶ μεταποιήσῃ. *Corpus et sanguis liberationis, aut salutis nostrae,* dicuntur corpus et sanguis Christi, quia per sacrificium corporis, et effusionem sanguinis in passione, tum participationem ejus in Sacramentis, salus et liberatio nobis a peccatis praestita est, et porro praestatur. Eo in loco Codices plerique habent πενσωτ. voce abbreviata, ut alibi saepius, unde σωτὴρ vel σωτηρία legi potest. Sed ambiguitatem determinat Codex Graecus, ubi habetur τῆς ἡμετέρας ἀπολυτρώσεως, ut versio ejus Arabica, et aliae quae Copticis exemplaribus adjunguntur.

Et hunc quidem panem, facias corpus tuum sanctum Domine, etc. P. 31. l. 6.

Occurrit hic lectionis varietas. Codex noster quem interpretando secuti sumus, ita ut expressimus, habet ητεκαιφ *Facias:* Versio Arabica similiter: ita tamen, ut ad Spiritum sanctum referri possit; *Et faciat:* quia ut dictum est foeminini Arabici, in quo genere est vox רוח apud Arabes, tertia persona, eamdem quam secunda utriusque generis characteristicam praefert. Verum melior omnino lectio est secundum Graecum exemplar Καὶ ποιήσει, vel potius ποιήσῃ, *et faciat,* ut ad Spiritum sanctum referatur, cujus postulatur adventus. Ita quoque legitur in aliis Codicibus Copticis, qui antiquitate praestant. παιωιχ μεν ητειαιφ ησωμα εθουαβ ηταχ: atque ita versiones Arabicae. Sententia tamen utrobique eadem est, sive Christus faciat, sive Spiritus sanctus ab eo missus. Versio Maronitae: *Et hic fiat panis corpus sacrosanctum tuum Domine,* neque Coptico, neque Arabico, aut Graeco textui respondet. Jam vero Salmasii admiratoribus incumbit, ut speciosam aliquam rationem silentii, quod circa hanc partem orationis observavit, nobis reddant, cum tamen praecedenti necessario conjuncta sit, atque adeo una ex altera explicari debeat. Ex ejus interpretatione, quam priori attribuit, ita vertendum erit. *Et hunc quidem panem faciamus, corpus tuum sanctum Domine:* quod Codici Graeco, Coptico et Arabico repugnat non minus, quam omnibus cujuscumque linguae Liturgiis, sanctorumque Patrum Theologiae, maxime vero Orientalium Scriptorum. Illi enim vulgo dicunt, Spiritum sanctum illabi super dona proposita, sicut in B. Mariam Virginem illapsus est, et in altari formare corpus Christi, sicut illud in utero Virginis, ex ejusdem carne et sanguine formavit. Ita Severus Aschmoninensis, Homiliae de Circulo anni, Barsalibi, Abulfaragius, et alii quorum testimonia alibi relata sunt. Sacerdos, ministerialis causa est: Spiritus sanctus causa principalis: si quis ultra philosophatus est, ut Diamperenses censores, et emendatores aliquot ignobiles Liturgiarum, minima est hoc in genere illorum autoritas.

P. 31. l. 19.

Misericordiam illis qui in poenitentia sunt, etc.

Hist. Patr. Alex. p. 505.

Hinc demonstratur, Poenitentiam in Coptica Ecclesia locum olim habuisse, dudum ante obscoena illa tempora Joannis, et Marci filii Zaraa Patriarcharum, qui Confessionem peccatorum, et *Canonem*, sive laboriosam Poenitentiam, tollere conati sunt, de qua innovatione dictum est in Historia Alexandrina, et alibi. Esse in Poenitentia, status est, ut eorum qui in eadem oratione commemorantur, varii sunt. Non vero is locus intelligendus est de publica illa, qualis in usu erat primis Ecclesiae saeculis, poenitentia cujus dudum, praeterquam ad publicos peccatores emendandos, disciplina omissa est. Sed hic intelligendi sunt illi, qui facta apud Sacerdotem confessione *Canonem,* hoc est poenas canonicas suscipiebant, et aliquam illarum partem compleverant, antequam communionem Sacramentorum obtinerent, a qua arcebantur per aliquod temporis intervallum. Haec disciplina fusius alibi exponetur, ex variis autoribus, tum ex Canonibus poenitentialibus, qui extant in Codicibus manuscriptis. Poenitentium quoque mentio fit p. 32. qui intelligi forte debent, per eos qui *in Confessione sunt.*

P. 32. l. 1.

Orate pro Rege nostro Christum amante.

Servata haec formula est ex veteri disciplina, ante occupatam a Muhamedanis Aegyptum, in Graeco τῶν εὐσεβῶς βασιλευσάντων; quae verba versiones Arabicae quaedam expresserunt. Nempe cum regnarent Christiani Imperatores, haec formula usurpabatur, quae postea in libris servata est, adjunctis tamen verbis ultimis, quia pro principibus, qualescumque sint, orant Orientales, si Nestorianos excipimus; in quorum Liturgia memoria fit *Regum Fidelium,* non aliorum. Ex illo loco recte Salmasius Liturgiae antiquitatem commendat, tanquam scriptae sub Christianis Aegyptum obtinentibus, quia pro illis oratur, et illis qui sunt in Palatio. Sed Palatium non magis Christianos, quam Muhamedanos principes designat, neque ad familiam regiam referri debet, sed ad fratres Orthodoxos, hoc est Jacobitas Christianos, qui tunc erant in Aulico ministerio. Multos enim fuisse qui scripturam in Aula Sultani, aut in Divano exercerent, patet ex variis Historiae Alexandrinae locis; quod pariter saepissime contigit in Aula Bagdadensi, ubi multi Christiani magna apud quosdam Califas autoritate floruerunt, Nestoriani praecipue. Hinc saepe utraque Ecclesia Jacobitica, et Nestoriana, maximis turbis per illorum hominum ambitionem agitata est: et in Aegypto sub ultimis Sultanis, Turcis et Circassis, quos Mamalucos vocant, durissimae persecutiones excitatae sunt. Quam lectionem secutus fuerit Maronita Interpres cum vertit: *Memento Domine Regum qui sunt electi in perfectione pietatis, et eorum qui sunt eligendi*, non satis intelligitur, cum sententiam similem neque Copticus, neque Arabicus textus offerant.

Adorate agnum Verbum Dei. P. 32. l. 18.

Haec Diaconi hortatio in codice Graeco non occurrit: pia sane et singularis, quam ex Coptica lingua ad verbum interpretati sumus, consentiente Arabica versione. In uno ex Codicibus Regiis, illius adeo legitur formula illa frequens *Adorate Deum cum timore*: quod Graece non pronuncietur, ut omnes similes, eam non adeo antiquam esse significare videtur. Erat in Scaligeri Codice, sed pessime interpres reddidit: *Orate pro eo qui portat verbum Dei.*

Qui benedixisti illo tempore, benedic nunc. P. 34. l. 9.

Sententia hujus orationis pia valde, et purissimae Theologiae plena; nempe ut Christus per divinam omnipotentiam, secundum promissionem suis factam: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, et singulari modo, per transmutationem panis et vini in corpus et sanguinem suum praesens; mysterium a se institutum perficiat, et in eo consummando invisibiliter operetur. In eamdem sententiam multa occurrunt in diversis orationibus, tempore distributionis Eucharistiae recitandis, tam apud Jacobitas quam apud Nestorianos, ut sunt ista. *Hoc ipsum esse mysterium crucis et ultimae coenae: hunc calicem ipsum esse quem Christus miscuit*, multaque similia.

Oratio fractionis ad Filium. Ib. l. 19.

In Codice Graeco-Arabico aliae duae occurrunt Orationes sub eodem titulo τῆς κλάσεως, nempe dicendae priusquam hostia in minutiores partes frangatur, ad communionem distribuendam. Scilicet, ut alibi monuimus, in Liturgicis Codicibus scriptae sunt Orationes diversae, secundum festorum diversitatem, aut Sacerdotis arbitrium dicendae. Ista videtur antiquior, cum prior Graeci Codicis enucleatam Monophysitarum doctrinae professionem contineat: id vero non nisi post scissam per Dioscori sectatores Ecclesiam, factum esse potuit. Habet autem haec oratio obscuritatis nonnihil, non modo circa res, sed etiam ex ipsa vocum aliquot ambiguitate, quam Coptitae primi interpretes, et Arabes non satis versionibus suis elucidaverunt.

Statim ad Christum dicitur. *Verbum intelligibile et homo visibilis:* Graece ὦ λόγε ὃν προνοοῦσιν αὐτόν, καὶ ἄνθρωπε ὃν προθεωροῦσιν αὐτόν. Verba haec non satis Graeca, sed jam barbariem redolentia, videntur antiquitus esse interpolata, cum simplicius et accuratius sententiam exprimere Alexandrini illi potuissent, λόγε ὃν νοοῦσιν, ἄνθρωπε ὃν θεωροῦσιν, quam Arabs primus interpres recte expressit: *Verbum quod intelligitur: homo qui videtur.* Duas

scilicet in Christo naturas agnoscere se significabant paucis illis verbis, orationis primi autores, novitate Monophysitarum, ut conjicere possumus, nondum imbuti. Ita quoque illa reddidit Coptita interpres. *ωπιλογος ετου εϱνοιν μμοφ. πιϱωμι ετου εϱθεωϱιν μμοφ.* Christus scilicet, ut Verbum Dei, mente tantum concipitur: tanquam homo, oculis videri poterat. Ea autem fidei particula, ab Orientalibus Christianis, Severo, Barsalibio, Homiliarum autore, et aliis multis accommodari plerumque solet ad Eucharistiae mysterium, dum dicunt: Apostolos et alios, qui cum Christo, dum in terris esset, conversati sunt, hominem simplicem oculis corporis vidisse, Deum oculis mentis agnovisse: ita debere Christianos Eucharistiam suscipiendo, fidem conformare suam, ut quamvis panis et vini elementa solummodo sensibus percipiant, oculo interiore fidei, Christum in illis videant, agnoscant et adorent, quemadmodum Latro in cruce illum agnovit, illiusque exemplo dicant. *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum.* Versiones Arabicae quae in Codicibus Copticis leguntur, sententiam eamdem exprimunt.

Qui per incarnationem tuam incomprehensibilem praeparasti nobis panem coelestem, corpus hoc tuum sanctum, in mysterio omnibus modis sancto.
Lin. 12. Sensus istius orationis simplex: quia scilicet Incarnatio Filii Dei, mysterium incomprehensibile est, quo panis vivus de coelo descendit: panis autem sanctificatus in altaribus, est corpus ipsum quod Filius Dei accepit ex Maria Virgine, et quod dat nobis in Sacramento, ut ipsi Coptitae postea recognoscunt, in Confessione quae fit ante illius susceptionem. Unde frustra sunt ad sententiam istius orationis pervertendam omnes Albertiniani et Claudiani Commentarii. Non enim dicitur dari corpus Christi in Sacramento, quod intelligi posset de eodem suscepto per fidem, sed hoc corpus, nempe quod Sacerdos in disco positum intuetur, quodque mox elevans et demonstrans, testatur esse ipsum verum corpus Christi. *Τοῦτο τὶ σῶμά σου ὃν ἔθου ἐν μυστηρίῳ*, ita enim legendum videtur in Graeco exemplari, ubi scriptum est *ἐν μυστήριον πανάγιον ἐν τοῖς ἅπασιν*, quod sive ad corpus Christi referatur, sive ad mysterium, perinde est. Arabica versio ad corpus Christi refert. *Corpus tuum hoc, quod est Sacramentale μυστηριῶδες et omnino sanctum.* Vox enim סרי *Serri*, idem significat quod *τὸ μυστηριῶδες* : et qui corpus Christi in Sacramento, ita appellat, per oppositionem ad naturale, non negat veram et realem ejusdem corporis in Sacramento praesentiam. Id vel unus Gennadius satis demonstrat, qui in Homilia nuper
Opusc. Gr. Gennadii. edita, cum Transubstantiationem perspicue doceat, titulum hunc inscripsit. *Περὶ μυστηριώδους σώματος*, etc. Versiones Arabicae duplicem vocem adhibent, et istam, et aliam quae significat id quod Coptice scribitur *in mysterio*: *τὸ πανάγιον* referunt ad Corpus Christi. Maronita non recte totam hanc orationem expressit. *Verbum spirituale, qui homo factus es, et inter homines versatus, qui per incarnationem tuam incomprehensibilem praeparasti nobis panem, corpus hoc tuum sacrosanctum, mysterium omnino sacrosanctum:* neque enim Coptico, aut Arabico textui versio respondet.

Purifica nos Domine, sicut sanctificasti has Oblationes et fecisti eas invisibiles ex visibilibus. Ib. l. 28.

Sic prope ad verbum textus Copticus, ita ut distinctio sit inter purificationem, quam orat Sacerdos conferri a Deo sibi et circumstantibus, et sanctificationem elementorum. In prima significanda adhibetur vox *τουβο*, quam Arabes per eam exprimunt quae proprie *mundationem* et *purificationem* significat, aliquando etiam *sanctificationem:* alteram reddunt ipsa voce Graeca ἁγιάζειν, quae occurrit in Graeco codice, utroque in loco. Arabs Graeci Codicis interpres eadem voce, quae τῷ ἁγίασο proprie respondet, usus est: alii diversam adhibuerunt. Ita distinctionem, non quidem plane necessariam, constituerunt inter sanctificationem suscipientium, et donorum propositorum. Nam cavisse videntur quodammodo, ne comparatio non satis adaequate intelligeretur, cum sanctificationes diversi omnino generis sint: aliter enim sanctificantur homines, aliter dona proposita. Sed intellectus simplicissimus est, ut sanctificasti dona proposita, singulari scilicet ratione quam subjuncta verba explicant, ita ad suscipienda illa digne Christianos sanctifices.

Quomodo autem sanctificaverit Deus dona proposita mox exponitur, faciendo scilicet ea *invisibilia ex visibilibus:* ἀόρατα ἐκ τῶν ὁρατῶν, ut habet Codex Graecus. Maronita parum recte, *et fecisti illas non adumbratas, sed quidquid apparet est mysterium tuum spirituale,* nullo sensu, et contra Coptici, Arabicorumque Codicum fidem. Sententia haec est: *has Oblationes fecisti ex iis quae videbantur, esse aliud quid, quod non videtur:* nempe erant panis et vinum, fecisti eas esse corpus et sanguinem Christi. Ante sanctificationem seu consecrationem, erant, et videbantur panis et vinum; post sanctificationem sunt corpus et sanguis, quae non videntur. Nulla hic ambiguitas, veraque transmutatio in istis verbis agnoscitur, longe distans ab ea quam solam veteribus et ipsis Coptitis creditam fuisse, tam audacter affirmabat Salmasius. Is vero si bona fide egisset, cum nugaci et absurda interpretatione Invocationem Spiritus sancti, hujus Liturgiae contaminare satagebat, comparare hanc orationem cum ista, et cum utraque suam explicationem debuerat. In ista sanctificatio Christianorum, et ipsius Sacerdotis postulatur, ut in prima adventus Spiritus sancti, super eos et super dona proposita: nempe ait Salmasius, ut sanctificemur et convertamus has Oblationes in corpus et sanguinem Christi: quamvis, ut supra observavimus, nihil simile legatur in textu Coptico et Arabico. In ista oratione quae non longo post primam intervallo sequitur, plena paradoxi Salmasiani refutatio est. Orat enim Sacerdos Deum, ut se et circumstantes sanctificet, non ut convertant per communionem elementa in corpus et sanguinem, quandoquidem agnoscit consecrationem jam factam, cum Deus illa fecerit invisibilia ex visibilibus; totaque verborum series ostendat, eos qui illa pronunciant, corpus Christi praesens in altari esse, credere. Porro quae de Salmasio diximus ad Albertinum, ad Claudium, ad discipulos eorum non minus pertinent, qui cum

pauca Liturgiarum testimonia vellicent, ut obscuritate alicujus loci abutantur, perspicua et quae illorum novitates funditus evertunt, ne indicant quidem.

Sequitur in eadem oratione, *et mysteria tibi soli cognita.* In Graeco textu qui manifeste vitiosam scripturam habet *μυστήρια ὧν προνοοῦσιν αὐτά σοι κύριε*: nullo sensu; hunc expressit Arabs interpres, *per mysteria invisibilia, intellecta tibi Domine.* Coptica lectio. *Et mysteria quae tibi cognita sunt, Domine, μμυστηριον ετον ερνοιη μμωου ηταχ πενος.* Versio Arabica: *mysterio plena quod tibi cognitum est, Domine:* male Maronita: *mysterium spirituale.* Sententia ex praecedentibus haec est. Fecisti Oblationes invisibiles ex visibilibus, et mysterium, sive per mysterium quod solus, Domine, intelligis, cum humanae mentis vires superet. Nam *προνοεῖν* quod est in Graeco textu, Copticus, ut superius explicat per *ερνοιν* hoc est *νοεῖν*, Arabes per ea verba quae *intelligere*, *et animo concipere* significant.

P. 35. l. 27. *Sacerdos dicit Confessionem. Corpus sanctum, etc.*

De illa eximia nec ullius ad Protestantium mentem interpretationis capace Confessione, dictum est ad Liturgiam S. Basilii: pauca tantum observabimus, quae ad istam proprie spectant. Extat in ea ipsa Liturgia quam citavit Salmasius, ut argumenta subministrantem, quibus et Catholicis os occluderetur, et Calvinistica causa triumpharet. Cur igitur de ista Confessione ita locutus est in sua ad Dallaeum Epistola, ut integram orationem non retulerit, quod erat tamen necessarium, et notam falsissimam adjecerit? Verba ejus sunt. Post celebrationem Coenae, et participationem ejus factam, idem Sacerdos monet, id quod a communicantibus susceptum est, verum esse corpus et sanguinem Christi, id est fructum vitis verae, qui est Christus, ita significans, vinum calicis, non aliter vocari sanguinem Domini verum, quam ut ipse veram se vitem appellavit. Excusari sane Calvinista potest, Calvinistae loquens de usu ridiculo vocis Coenae, ad Liturgiam, totamque sacram Eucharistiae celebrandae actionem significandam. Sed cum publice scribunt, uti debent illis vocibus, quas universa Ecclesia usu non interrupto multorum saeculorum consecravit; cum nulla gens Christiana cujuscumque ritus et linguae, ita locuta unquam fuisse reperiatur. Cedant eruditi illi, qui tantam Orientalium linguarum peritiam ubique ostentant, autorem ullum, qui *Coenam* vocaverit celebrationem Eucharistiae, Graece, Latine, Syriace, Aegyptiace, Aethiopice, Persice, aut Armenice? (*Epist. 39.*)

Sed illud minoris momenti est: ea quae subjungit, mentita, falsa, plenaque erroris, ignorantiae et temeritatis, excusari nulla ratione possunt, nisi ex autoris imperitia, quae excusatio locum non habet. Quis enim cogebat hominem, qui in Ecclesia Catholica natus et baptisatus avitam fidem juveniliter deseruerat, de rebus Theologicis scribere?

Oratio quae Confessionem continet, non dicitur post celebrationem Liturgiae, neque post communionem, sed antequam ea distribuatur: ut ipsa

rituum series satis indicat: adeo ut Salmasium, aut Liturgiam non legisse oporteat, aut neminem futurum existimasse, qui oculis in eam conjectis, falsi eum testimonii reum agnosceret.

Neque minus falso affirmat, a Sacerdote dici post communionem, id quod a communicantibus susceptum est, *esse corpus et sanguinem Christi, id est fructum vitis verae, quae est Christus.* Neque enim quidquam simile legitur in orationibus gratiarum actionis: et cum Sacerdos dicit. *Hoc est corpus verum et sanguis pretiosus, Christi Dei nostri, etc.* haec dicuntur ante communionem. Communicaturi respondent, antequam sacra mysteria susceperint, ita credere se, et credituros ad ultimum usque vitae spiritum, hoc quod vident in Sacerdotis celebrantis manu, quod Episcopus et Sacerdos, cum ordinantur, manu suscipiunt, neque adhuc ori admoverunt, esse corpus et sanguinem Domini, et tamen ex hypothesi Salmasiana, dona proposita *προκείμενα*, nihil adhuc sunt, praeter panem et vinum, cum in solo usu fiant corpus et sanguis Christi.

Neque in tota hac Liturgia, aut ulla cujuscumque ritus et linguae reperietur, talis Sacerdotum ad communicantes monitio, quam commentus est Salmasius, elementa esse corpus Christi, ut Christus est vitis vera. In Oratione fractionis ad filium legitur. *Praeparasti nobis panem coelestem, corpus hoc tuum sanctum in mysterio..... Miscuisti nobis calicem ex fructu vitis verae, quae est latus divinum tuum et immaculatum.* Ita Gaudentius Brix. Tract. 2. de Pasch. *Quia quod accipis corpus est illius panis coelestis, et sanguis est illius sacrae vitis.* Non igitur dixerunt Christiani Aegyptii, *ex fructu vitis verae, quae est Christus:* sed *quae est latus tuum, ex quo exivit sanguis et aqua.* Theologice prorsus et ad sanctorum Patrum mentem, *P. 34.*
simulque ad eorum confutationem qui Cypriano totaque veterum Ecclesia sapientiores, aquam calici admiscere, piaculum existimant. Itaque in hac oratione fructus vitis verae, de sanguine Christi in calice exhibito intelligitur, non de toto Sacramento. Panis qui de coelo descendit, seu panis coelestis, est Corpus Christi, quod percipitur in Sacramento, et in illo est: fructus vitis verae, est sanguis Christi, in eodem Sacramento: adeo ut in disco sit panis coelestis, quia ut ipsi confitentur in eo est corpus Christi: atque pariter in calice, fructus vitis verae, quae est Christus, quia in eo continetur sanguis Christi. Comparationis quam Salmasius excogitavit, in illis orationibus vestigium nullum est, et etiam si ullum, vel levissimum posset deprehendi, et obscuritatem induceret, explicaretur illa satis per subsequentem Confessionem, in qua nihil figurate dictum, sed simplicissima fidei expositio, quam dissimulavit Salmasius, desperans, ut verisimile est, Calvinisticam illam quacumque subtilitate posse fieri. Quam porro Rituum Orientalium imperitus habendus ille sit, qui orationem fractionis dicit recitari post communionem, judicare quisque potest: nam post eam Orationem fractio fit, et unio duarum specierum seu *ἁγία ἕνωσις*: tum aliae orationes interveniunt: postea, *Pater noster:* tum Oratio absolutionis: alia Inclinationis: *Sancta sanctis,* cum *τῇ ἁγίᾳ ὑψώσει*, seu elevatione Sacramenti, tandem commu-

nio. Tamen ex oratione quae omnibus illis praemittitur, quid in participatione Eucharistiae datum Christianis fuerit, docere nos vult Salmasius; nempe non quae in ipsa oratione contineantur, sed quae in absurdissimo commentario: quem sola Liturgiae dispositio refellit. Nam, ut omnia ejus peccata uno intuitu appareant, Oratio quam citat, non dicitur post communionem, sed multo prius. Sacerdos non populum alloquitur, sed Deum: nihil dicit eorum quae Salmasius supponit: tandem oratio Confessione explicatur, de qua verbum ille non fecit, nec Albertinus, nec alii, quamvis extaret in versione Latina saepius edita, ut in Canone Generali Aethiopum. Qui credit quae illa Confessione continentur, a Salmasiana Theologia remotissimus est: at ita Coptitas credere qui neget, illud saltem negare non poterit verbis significantioribus, minusque ambiguis fidem realis transmutationis explicari non posse, adeo ut Ecclesia Romana in Professione fidei post Tridentinum Concilium publicata, non magis perspicue de Eucharistia loquatur, quam ista ante Communionem Confessio.

IN LITURGIAM COPTICAM

SANCTI CYRILLI

NOTAE.

Liturgia Cyrilli.

P. 38. Haec Liturgia una est ex tribus, quas Coptitae Jacobitae usurpant in sacris officiis, ut ex Christoduli Patriarchae Constitutionibus, Abulbircat, Autore Scientiae Ecclesiasticae et aliis discimus. Eam Codex Graeco-Arabicus non repraesentat, non quod Graece, ut duae aliae, non extiterit, sed, ut verisimile est, exemplaris defectu. Nam, ut eam comparantibus cum Graeca, Marci nomine edita manifestum est, secunda ejus pars, sive Anaphora proprie dicta, alteri est ita similis, si pauca excipimus, ut ex eodem fonte fluxisse utramque appareat. Sane Abulbircat cum hanc Liturgiam recenset, eam a nonnullis Marci nomine appellatam, monet.

Illa vero quae hoc titulo edita fuit anno 1583. Lutetiae, Graece et Latine a Joanne a S. Andrea insignis Ecclesiae Parisiensis Canonico, ex Codice Crypta-Ferratensi, id habet singulare, quod, quantum conjicere pos-

sumus, propria fuit Orthodoxorum Alexandrinorum, cum nullas Monophysitarum doctrinae notas praeferat: altera certas habeat illas et exploratas. Unde quin illa sit, de qua Marcus Patriarcha Graecorum Alexandrinus Theodorum Balsamonem consuluit, dubitari vix potest. Dicebatur autem Liturgia Marci, quia sedis Alexandrinae, quam ille fundaverat, propria erat, ut Jacobi dicta est, quae Hierosolymis usurpabatur. Forte etiam inter Orthodoxos unica fuit, ut suadet illius dispositio, cum non ut Coptica orationibus praeparatoriis careat, et tota illa parte quae osculum pacis, seu Ἀσπασμόν, antecedit. Verum orationes et ritus continet ab initio usque ad finem officii: unde illam, non secundi ordinis, sed primariam fuisse constat: cum in Coptica Cyrilli multa ex Basiliana peti debeant. Aliam porro quam istam Balsamon non videtur agnovisse. Absurdum illius de eadem judicium alibi confutavimus.

Sacerdos secreto.

Haec oratio et sequentes non leguntur in Graeca Marci, quia προπαρασκευαστικαὶ preces ad Anaphoram seu Liturgiam proprie dictam non pertinent. Prima ex earum numero est, quae dicuntur a Sacerdote, antequam ad altare ingrediatur, et multae tales occurrunt in manuscriptis Codicibus, quarum una tantum solet recitari. Omnes eamdem sententiam habent: nempe Sacerdos suae sibi imbecillitatis, et indignitatis conscius, gratiam a Deo postulat, ut Sacerdotali ministerio inculpate fungatur. *Ib. l. 3.*

Da mihi Domine Spiritum sanctum, ignem materiae expertem.

Frequentissimus apud Orientales hujus metaphorae usus est, ad significandam divinitatem, praecipue ubi de Spiritu sancto loquuntur, quo divinam ejus naturam confitentur, et ejus potentissimam in creaturas operationem, molliendo duritiam et consumendo nequitiam, occidendoque membra terrena et corporea, motusque inordinatos refraenando. Ita secundum eorum loquendi morem probatur divinitas Spiritus sancti, quam infinitis aliis locis agnoscere se testantur, cum illum Patri et filio consubstantialem esse dicunt, in fine omnium suarum orationum. Cum igitur B. Virginem Mariam appellant, *thuribulum aureum, in quo carbo vivus fuit,* significant illam peperisse Deum et hominem. Cum Nestoriani et alii dicunt, *ignem in pane accipere mortales homines,* praesentiam corporis Christi Dei et hominis in Eucharistia confitentur; ut Aethiopes apud quos in una ex suis Liturgiis, Diaconus monet eos, qui ad suscipiendam communionem accedunt: *Ne aspiciant hunc panem sicut panem terrestrem, sed ignem divinitatis esse.*

P. 38. l. 17.

Oratio pacis sancti Cyrilli.

Titulus ille videretur inutilis, cum tota Liturgia autorem Cyrillum praeferat: neque argutandum inde quasi haec sit suppositionis nota, ut quod in Diptychis nomina eorum sanctorum quibus attribuuntur, occurrant ut plurimum. Diximus non unam saepe ad certas partes officii orationem assignari, sed duas aut tres: plures nonnunquam, ut ad gratiarum actionem post communionem, et ad ultimas benedictiones, post quas populus dimittitur, sed varietas praecipue animadvertitur in orationibus praeparatoriis, inter quas numerantur, quae praecedunt *Ἀσπασμὸν* seu Osculum pacis. Isti nomen Cyrilli adjunctum est, quia ut patet ex Graeca Marci Liturgia, nomen istius eidem praefixum erat, non Cyrilli. Neque titulus generalis obstare videbatur, ne aliorum sanctorum orationes illis adjungerentur, ut observatur in duabus aliis Liturgiis Copticis. Verum omnes illae ex communi Ecclesiarum thesauro depromptae, eamdem autoritatem habebant ex usu Ecclesiarum, qui tam certus est, quam incerti Orationum tituli. Habent Syri Jacobitae Cyrillo adscriptam Liturgiam, quae extat in Romana editione, sed quae ab ista diversa est, et longe brevior.

P. 39. l. 9.

Offeramus tibi sacrificium hoc, etc.

In hac, ut in aliis omnibus Orientalibus Liturgiis agnoscitur, creditum inter illos Christianos antiquitus fuisse Eucharistiae celebrationem verum esse sacrificium, illudque *λογικόν*, seu *spirituale et rationale*, quod in sacrae Scripturae stilo idem est. Eaque vox sola occurrit in textu Coptico, quam versio Arabica exprimit per vocem, נאטקה quae apud Arabes Christianos eamdem habet vim, ex usu Ecclesiastico potius, quam ex vera etymologia, ut apud Syros מלילתא. In Codice Scaligeri et in duobus Regiis adjicitur explicationis causa vox רוחאניה quae proprie magis significat *spirituale:* at in nostro, satis vetusto et optimae notae, desideratur. Mirum sane, cur Maronita *Oblationem* interpretatus sit Arabicam vocem, quae *sacrificium* significat, ut ipsa vox Aegyptiaca. Cum vero adjiciunt Coptitae illud esse *incruentum,* evertunt omnes Calvinistarum, ipsorumque Magistri argutias, qui sanctos Patres vocibus illis quae sacrificio significando propriae sunt, abusos nimium esse dicit, dum rhetoricantur. Illos quippe Ecclesiae veteris magistros serio, nec oratorie locutos fuisse, non soli intelleximus Catholici, verum Christiani toto Oriente dispersi, qui doctrinam de veritate incruenti sacrificii, non modo in scriptis suis Theologicis propugnaverunt, sed publicis officiis inseruerunt, plebi illiteratae inculcandam, quae subtilitatem tot sophismatum assequi nunquam potuit: si quando cognovit, cum horrore aspernata est.

Anaphora sancti Cyrilli. P. 39.

Hic proprie loquendo, incipit *Anaphora, sive sacra Actio,* et statim agnoscitur, praefationem eamdem esse, ac eam quae legitur in Marci Graeca Liturgia, nisi quod in ista plura occurrant: nempe haec verba: *Cui Paradisi quoque delicias largitus es, etc.* Usque ad illa: *Quae omnia fecisti per tuam sapientiam, etc.* Reliqua iisdem prope verbis expressa sunt; nisi quod in Graeca plura extant, quia in Coptica multa petenda designantur ex Liturgia S. Basilii, quae reliquarum Canon est. At verisimile omnino est, eos qui Marci Graeca utebantur, cum alias non haberent, illa sola usus esse, qua ratione plures ante Osculum pacis Orationes et caeremonias habet, quae in Ritu Alexandrino Coptico sumebantur ex Basiliana.

Illud deinde animadvertendum est, tanquam huic et Graecae Marci Liturgiae proprium, quod orationes pro omnibus et de omnibus, recitantur hic, satis prolixe inter Praefationem et conclusionem ejusdem per hymnum Cherubicum *Sanctus.* In aliis, ut in Basiliana, fit omnium memoria generalis, ut in Canone Romano et aliis Occidentalibus; sed non interseruntur subjunctae, vel interpositae monitiones Diaconorum et acclamationes τοῦ *Kyrie eleison.* In Ritu Gothico nomina eorum pro quibus orandum erat recitabantur ante Pacem, quae praecedebat Praefationem, sive *Immolationem*, quod in Ritu quoque Gallicano et Francico observatur. Sed ordo iste nihil habet unde accusari merito possit: cum sacra actio illis precationibus interrupta non sit. Sequitur Hymnus Cherubicus qui dicitur, ut in omnibus aliis Ecclesiis.

Imple hoc sacrificium tuum, Domine, benedictione quae a te est, per illapsum super illam Spiritus tui sancti. P. 45. l. 25.

Brevissime, ut diximus, post istas orationes transitur ad consecrationem donorum propositorum, quae nota est antiquitatis a simplicitate minus remotae. In Codice Graeco Marci Liturgiae idem notatur, circa consignationem illorum σφραγίζει τὰ ἅγια, ita enim vocantur τὰ δῶρα, post primam illorum ad altare illationem, cum jam aliquam sanctitatem obtineant, ex futura eorum transmutatione in corpus et sanguinem Christi Domini. Unde depositum legimus Episcopum quemdam, quod Δῶρον, in altare jam illatum, fregisset et conculcasset. In ea autem oratione postulatur illapsus Spiritus sancti, iis propemodum verbis quibus postea in Invocatione Spiritus sancti, ita tamen ut eadem Invocatio suo loco recitetur, cum de momento consecrationis Orientales disputare non soliti sint, sed tunc demum, cum omnia rite perfecta sunt, de transmutatione consummata non dubitent. Similem eodem loco Invocationem habent Nestoriani, in prima sua Liturgia, sed posteriorem non usurpant, quae tamen in Theodori et Nestorii Liturgiis reperitur. Reliquae orationes et cum Graeca Marci, et cum aliis accurate conveniunt.

In benedictione calicis, Coptitarum codices habent, *et gustavit*, ut plerumque legitur in aliis Liturgiis Orientalibus, non in Graeca Marci, aut Jacobi, Basilii vel Chrysostomi. Illud porro Orientales credunt ex vetusta traditione, quae antiquis Patribus ignota, aut improbata non fuit, quam illorum autoritate confirmavit Dionysius Barsalibi, Commentario in Evangelia, et in Opusculo de Eucharistia, ut autores alii, de quibus dictum est ad Liturgiam Basilii Copticam.

P. 46. l. 26. *Mortem tuam Domine annunciamus.*

Nescimus quid prae oculis habuerit Maronita Interpres, cum hoc loco scripserit. *In Domino Confitemur*, quae formula Liturgiis omnibus inusitata est: praesertim cum ad marginem adscripserit: *τὸν θάνατόν σου κύριε*: ut legitur in omnibus codicibus: nam illa confessio mortis, resurrectionis et ascensionis, futurique adventus Christi, omnia salutaris ejus dispensationis mysteria complectitur. In omnibus Ritibus et linguis iisdem verbis exprimitur, ut in Latino Canone. *Unde et memores Domine nos servi tui, sed et plebs tua sancta tam beatae passionis, et resurrectionis, etc.* Ad majorem porro antiquitatis venerationem, haec oratio Graece dicitur in Liturgia Coptica, ut non paucae aliae breves formulae, sive a Sacerdote, sive a Diacono, sive a populo.

P. 47. l. 2. *Oramus et obsecramus bonitatem tuam, etc.*

Haec oratio ad deprecandam veniam peccatorum, non reperitur in Graeco codice. In his verbis ubi de peccatis agitur: *Occulta et manifesta, quae pridem agnovimus, aut quae obliti sumus,* est aliqua diversitas versionum Arabicarum: ea quam antiquior Codex noster repraesentat, significat ea quae scienter et praecedente cognitione, commissa sunt, tum ea quae per negligentiam. Alia in Regiis exemplaribus, *quae prius commissa et manifestata sunt, et quae obliti sumus.* Maronita: *quae meminimus et confessi sumus, et quae obliti sumus.* Inde fortasse quispiam argumentum peti posse existimabit, ad stabiliendam peccatorum confessionem quae saeculo undecimo et duodecimo sub duobus Patriarchis sublata est. Sed quandoquidem alia multa suppetunt non dubiae autoritatis, istud frustra ad probandam peccatorum confessionem trahi existimamus. Nam in Arabicis versionibus, vox quae illam proprie significat non legitur; sed alia ejusdem originis, quae Interpretem fefellit.

P. 47. l. 12. *Neque propter peccata mea prives populum tuum adventu Spiritus sancti, etc.*

Nihil in hac oratione suspectum, cum idem legatur in Jacobi Liturgia Graeca eodem loco quamvis verba quiddam aliud significent *μὴ ἀθετῇς, ne*

reprobes, ne frustreris populum tuum propter peccata mea. In ista refertur illa ἀθέτησις, sive *privatio*, ad illapsum Spiritus sancti super dona proposita, et super fideles. Itaque Sacerdos suorum sibi delictorum conscius, rogat Deum ne ad se peccatorem respiciat, sed ad preces Ecclesiae, cujus nomine orationem profert, et sacro ministerio fungitur; neque causa sit, ut gratia fidelibus ad fructuose communicandum necessaria, et alia per illapsum Spiritus sancti super dona proposita, ad ea consecranda non obtineatur. Haec ex verae humilitatis sensu, non quod de effectu sacramentorum dubitent, a quocumque ministro etiam malo celebrentur, nullus enim apud eos inventus est, qui in talem errorem lapsus fuerit. Illum apud Graecos superiori saeculo per Joannem Caryophyllum, et Corydallum ejus magistrum furtim insusurratum damnavit Gabriel Patriarcha Constantinopoli in plena Synodo, sententiaque Synodalis a Dositheo Patriarcha Hierosolymitano typis edita est in Moldavia, cum ipse scribendo adfuisset: tum etiam singulari opusculo hanc haeresin idem confutavit. Habuerunt Jacobitae Alexandrini Patriarchas aliquot sceleratissimos, quorum memoriae non parcunt: similes nonnullos Catholicos Nestoriani: neque tamen quidquam occurrit, unde levissimum indicium capi queat, dubitatum fuisse de Sacramentis quae celebraverant. Carere autem Sacramentis certissime existimaverunt eos qui Episcopalem ordinationem non haberent, ut erant illi Barsanufiani Acephali, quos Marcus Patriarcha XLIX. Alexandrinus Ecclesiae suae reconciliavit: ad quorum Episcopum et Sacerdotes dixit, *non descendit super vos Spiritus sanctus, ut super Episcopos descendit, cum pronunciatur oratio canonica.*

Perp. T. 4.

Opusc. Gr. ed. 1709. p. 195. Ed. Jasii. 1694.

Hist. Patr. Alex. p. 248.

Sacerdos dicit Invocationem.

P. 47. l. 22.

Forma Invocationis similis est aliis, quas duae priores Liturgiae repraesentant: ut illi, quam habet Marci Liturgia, et Graecae alterae duae absque ullo discrimine. Continet autem ejus prima pars, quae secreto dicenda est, accuratam de Spiritu sancto Theologiam, nempe de ejus divinitate et consubstantialitate cum Patre et Filio, quod subsistat in persona, vel *hypostasi,* quae vox in textu Coptico usurpatur, nempe quod una sit personarum Trinitatis, in propria persona sua; sed haec verba non leguntur in Graeco codice: '*immutabilis,* et *inalterabilis. Immensus qui omnia replet, nullo tamen loco circumscribitur. Qui operatur ex propria autoritate,* ἐνεργοῦν αὐτεξουσίως, quae verba Graeca, Coptitae servaverunt: *propria sua divinaque potestate* οὐ διακονικῶς, *non tanquam minister,* agit per gratiam suam, influitque in animas fidelium, quod, ut recte Didymus et alii observavere, character certus divinitatis est. Operatur autem *puritatem,* hoc est sanctitatem, seu ἁγιασμόν, ut Graece legitur, quod idem omnino est. Sed ut alibi monuimus, ut versio nostra primaevam lectionem accuratius repraesentet, verba pressius reddidimus. Simplex est in natura sua, sed *multiplex* πολυμερής, *in operationibus suis,* et ut Ecclesia canit *septiformis munere.*

Ita nempe legendum in Graeco, ubi male scriptum est τὸ πολυμερές, errore, ut videtur typographico. Consubstantialis Patri et Filio: a Patre procedens, neque enim aliter loquuntur Orientales, quamvis de controversiis inter Graecos et Latinos vix quidquam audierint, illud tantummodo scientes, Francos, seu Latinos, Symbolo adjicere particulam *Filioque,* quod in iis culpant Ebnassalus, Abulbircat, Autor Scientiae Ecclesiasticae, Paulus Sidonis Episcopus, et alii recentiores.

Qui libere propria potestate operatur, secundum voluntatem tuam purificam in iis quos diligit.

Quamvis controversiae circa Pelagianam haeresin et ejus reliquias Ecclesiam Orientalem vix unquam agitaverint, et aliquando illius Theologi obscurius de divina gratia locuti fuerint, eam tamen erroris omni suspicione, hac in parte carere, preces multae quae in sacris Officiis occurrunt, plene demonstrant. Ab illis enim, quam ab ullis scriptis aliis doctrina certius peti potest, nec minus apud Orientales quam apud reliquos Christianos, *legem credendi lex statuit supplicandi.* Ut Coelestinus Papa praeclare scripsit. Illi quippe postulant et precantur, *ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus: ut haeretici Catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici Spiritum redivivae caritatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedia conferantur. Ut denique Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, coelestis misericordiae aula reservetur.* Haec omnia continentur in precibus Liturgicis Orientalibus, non minus quam in Graecis et Latinis. In ista vero oratione significatur, Spiritum sanctum in illis, quos gratiosa voluntate Deus praevenit, sanctitatem seu gratiam operari, et donorum divinorum autorem esse. Ita scilicet antiquitus Romana Ecclesia in multis orationibus locuta est, ut in Gregoriano Missali. *Omnipotens sempiterne Deus lumen indeficiens qui Spiritum tuum sanctum . . . humanae declarasti salutis autorem, praesta quaesumus, ut idem Spiritus veritatis, Ecclesiae tuae dona multiplicet.* Item. *Mentes nostras, quaesumus Domine, Spiritus sanctus divinis praeparet Sacramentis, quia ipse est omnium remissio peccatorum.* Item. *Praesta, quaesumus Domine, ut a nostris mentibus, et carnales amoveat Spiritus sanctus affectus, et spiritualia nobis dona potenter infundat. Mentes nostras Domine Spiritus sanctus qui a te procedit illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.* In Missali Gothico. *Et ad omne opus bonum perducat.* Alibi. *Ut Spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniamur stabiles et in opere efficaces.* Porro hanc de Spiritu sancto orationem illustrat quod de eodem scripsit Didymus. *Ista vero substantia, de qua nunc sermo est, sapientiae et scientiae et sanctificationis effectrix est,* quae deinde fusius explicat.

Ep. pro Prosp. et Hil. c. 11.

Sab. Pentec.

p. 359.

Notandum obiter Interpretem Maronitam locum hunc totum corrupisse, cum ita vertit: *qui dat vires et facultatem agendi secundum voluntatem tuam,*

qui apparet iis quos diligit. Nihil enim simile in textu Coptico, aut in versionibus Arabicis. Primum non consuluit: in altero per malam unius vocis punctationem, ad *manifestationem* transtulit, quod ad *sanctificationem* pertinebat, sententiamque effecit plane nullam. Quid enim significat *apparere Spiritum sanctum, iis quos diligit.* At quod in verbis designatur, illud est quod expressimus, Spiritum sanctum divina, liberrimaque potestate sanctitatem, seu purificationem operari, secundum voluntatem Patris, iis quos diligit. Ita versio Arabica Codicis nostri satis vetusti. Duo Regii paulo aliter. *Qui operatur potestate sua per voluntatem tuam, in sanctis sive puris quos eligit:* Eodem vero recidunt duae illae interpretationes, quamvis sit nonnulla in verbis diversitas. Antiquam porro sanamque doctrinam paucis verbis complectitur Oratio fractionis, quae sequitur.

Super hunc panem, et super hunc calicem. *P. 47. l. 34.*

In Codice Graeco in plurali panes, et calices, nullo alicujus momenti discrimine; nam more vetusto aliquando plures calices afferebantur qui sufficerent multitudini communicantium. Si quid singulare circa hanc disciplinam observatum olim in Ecclesia Alexandrina fuit, scire non possumus. Erant in usu etiam in Romana, calices ministeriales, de quibus V. C. Joannes Ma- *P. 45. et 57.*
billonius in Commentario praevio ad Ordinem Romanum: an tales fuerint illi Alexandrini, nescitur: sed potest dubitari. Neque enim plures calices necessarii erant, ubi Laïcis calix non praebebatur; sed intincta communio, quae antiquissima est toto passim Oriente. Quod vero panis vocatur eo loco, Eucharistia verbis dominicis jam consecrata, non plane perspecteque significat, illum nondum esse corpus Christi, aut prorsus non esse, quia panis vocatur. Sed novum non est his in Officiis, ut quod verum esse corpus Christi agnoscitur, panis vocetur, quia panis videtur. Sacra mysteria et Sacramenta, panis et calix vocantur aliquando ante consecrationem, nec tamen ideo consecrata creduntur, cum saepe indifferenter vocentur id quod sunt, et id quod videntur. Neque inde quidquam deduci potest circa Orientalium opinionem de consecrationis momento, aut de verbis quibus illa perficitur, tanquam ad Marci Ephesii et aliorum recentiorum sententiam accederent, quae tantopere a Theologis exagitata est. Neque enim de Synodo Florentina, aut de illa controversia quidquam sciunt: verum orationem antiquissima traditione commendatam, et ab omnibus Ecclesiis, etiam communione divisis, conservatam sine ulla suspicione retinent, nec ulterius progressi sunt.

Quod sequitur *et faciat hunc panem corpus Christi,* communem reliquarum omnium lectionem confirmat, et Salmasii perversam interpretationem loci paralleli, in Gregorii Coptica Liturgia, funditus evertit. Neque enim legitur, *et faciamus:* quod tamen legi debebat, si in alia lectum fuisset, *ut convertamus has oblationes in corpus et sanguinem salutis nostrae,* cum et Coptice et Arabice, ut Graece, legatur *et faciat*, ut ostensum est in Com-

mentario ad Basilii Liturgiam. Ex hac etiam constante trium Copticarum et trium Graecarum ritus ejusdem Alexandrini lectione, Arcudii, Neophyti Rhodini et recentiorum multorum conjecturae circa Graecae Invocationis intelligentiam refelluntur. Quidquid porro crediderint Orientales, nihil confert ad Protestantium causam; cum sive verbis Christi consecratio perficiatur, sive subsequenti Invocatione, perinde sit: nam certo credere Orientales pronunciata Invocatione, mutatum esse panem in corpus Christi et vinum in ejus sanguinem, testimonia ad Basilii Liturgiam relata satis demonstrant.

P. 48. l. 27.

Oratio fractionis ad patrem, etc.

Ista et sequentes Orationes, diversae sunt ab illis quae leguntur in Graeco Codice: quia ut in rubricis notatur post Invocationem Spiritus sancti, reliqua peti jubentur ex Liturgia sancti Basilii. In ea reperiuntur quaedam isti Orationi fractionis similia; sed, ut alibi monuimus, orationes quaedam, ut sunt illae quae dicuntur ad fractionem hostiae, ad *Pater noster*, et ad Gratiarum actionem, multiplices sunt et variae, dicunturque una vel plures ad Sacerdotis arbitrium. Sufficit quod omnium sententia eadem sit. In ista mentio est metaphorae usitatissimae apud Orientales et Graecos ipsos secundum quam vocare solent corpus Christi in Sacramento, carbonem vivum in Isaiae visione designatum. Unde cochlear quo communio intincta distribuitur *Λαβὶς* seu forceps in Ritualibus Graecis appellatur.

Reliquae hujus Liturgiae partes nihil habent, quod alibi explicatum non fuerit.

AD BENEDICTIONES

VASORUM SACRORUM

NOTAE.

Quae Liturgiis Copticis subjunctae sunt benedictiones, extant in variis Codicibus manuscriptis, et illis praesertim qui descripti sunt ad eorum formam, quos recensuit et publica autoritate munivit Gabriel Patriarcha, de quo dictum est saepius. Ex illis autem intelligitur, quanta apud Orientales vasorum, quae ad sacrum altaris ministerium destinata sunt, cura sit et veneratio, ei non absimilis quam vetus Ecclesia semper habuit. Dudum est, cum pretiosae materiae vasa, celebrandis sacris mysteriis destinavit, ut ex

Actis Martyrum, Gestis Proconsularibus adversus Donatistas, Prudentio, aliisque autoribus viri doctissimi probaverunt; et non ita pridem Cardinalis Bona. Ea vero vasa sacra conflari, aut vendi, non licuit, excepta causa captivitatis aut famis, ut habetur in Codice Justinianeo; quod sancti multi fecerunt, permisitque Gregorius Magnus. At in usus profanos converti, sacrilegium et quidem gravissimum judicatum semper fuit, ut habetur in Epistola Synodi Alexandrinae inter opera Athanasii, qui accusatus ab Arianis calumniose fuerat, quod calicem confregisset. *Quisquis hominum volens, mysticum calicem frangere ausit, impietatis reum se facit.* Et Chrysostomus. *Nonne vides sacra ista vasa? nonne ad unum modo semper usus illorum est? Audetne aliquis ad alios usus illa adhibere?* Nihil in veterum Graecorum aut Latinorum scriptis frequentius, quam ejusmodi testimonia, quibus honor sacris locis, altaribus, et vasis habendus eximie commendatur; eorum profanatio tanquam sacrilegium, deploratur. Inde ortum habuit antiquissima consuetudo, benedictionibus, signo crucis, Chrismate, et orationibus, altaria et vasa sacra Deo consecrandi, quod, ut in Ecclesia Occidentali, ita in Orientalibus, perpetua traditione observatum est.

Rer. Liturg. l. 1. c. 25.

Cod. l. 1. tit. 2. §. 21.

Greg. Ep. l. 6. Ep. 13. et 35. Socr. l. 1. c. 21. Soz. l. 5.

Οὐχ ὁρᾷς τὰ ἅγια ταῦτα σκεύη, οὐχὶ πρὸς ἕν ἐστιν αὐτῶν διὰ παντὸς χρεία, μή τις τολμᾷ πρὸς ἄλλο τι χρήσασθαι αὐτοῖς. Hom. 14. in Ep. ad Ephes.

Dictum est in Praefatione ad istas Coptitarum benedictiones, illas Latine versas, editas fuisse a Leone Allatio in *Symmictis*, ex versione inconcinna prorsus et absurda, quae nihil minus, quam Copticum, ex quo expressa dicitur, exemplar repraesentat. Itaque novam dare necesse fuit. Quam vero benedictiones illae, sint antiquissimae disciplinae conformes, ostenditur ex similibus Orationibus quae leguntur in libris Ritualibus aliarum Ecclesiarum. *p. 256.*

Ad consecrationem omnium altaris instrumentorum. *P. 53.*

Falsa omnino est interpretatio ista. *Largire sanctitatem vasis hisce, ex parte Spiritus sancti tui, et aspersio sanguinis tui (affluat) super ea.* Verbum istud de suo adjecit interpres, ut sententiam efficeret, sed ab exemplari primaevo diversam. *Aspersio sanguinis Christi,* de qua hic agitur, per quam vasa totumque sacrum ministerium consecrantur, et per quam sancta sunt, ea est quae fit in celebratione SS. mysteriorum. Illa quoque verba: *ut sint vasa munda ad ministerium verum et mundum beneplaciti tui vivificantis, quod est corpus, et sanguis tremendus Christi tui;* sensu carent; nihilque minus significant verba Coptica vel Arabica, sed vertendum, ut fecimus, *ministerii sancti et veri, sacramentorum vitam conferentium, sive vivificantium quae sunt corpus et sanguis Christi tui.* Sane quicumque illa hunc in modum interpretatus est, utramque linguam, et Orientalem Theologiam aeque ignorabat.

Similis huic primae benedictio occurrit in libro Sacramentorum Gregoriano. *Exaudi nos, Domine, quaesumus, ut haec linteamina aliaque indumenta, nec non et vasa sancto altari tuo, atque Ecclesiae tuae, cunctoque sancti ministerii usui praeparata, benedicere et sanctificare digneris.* In Mis- *P. 154.*

sali Francorum. *Domine Deus omnipotens, sicut ab initio hominibus vitalia et necessaria creasti: et quemadmodum vestimenta Pontificalia Sacerdotibus, et Levitis ornamenta, quae et linteamina fieri famulo tuo Moysi per quadraginta dies docuisti: sive etiam ea quae Maria texuit, et fecit in usum tabernaculi foederis, sanctificare, benedicere, consecrareque digneris haec liteamina, in usum altaris tui, ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi.* Similes aut eaedem extant in plerisque Latinis Sacramentalibus.

Ib. l. 16.

Oratio consecrationis Disci et velorum ejus.

De Disco dictum est in notis ad Liturgiam Basilii Copticam: respondet autem *Patenae* Latinorum, nisi quod, ut apud Graecos, illa major multo est: cum in eo calix in quo consecratio fit, et aliquando, qui in veteribus Latinis ritualibus *Ministerialis* dicitur, collocari soleant. Vela autem duo sunt majus et minus: ille, *Anaphora* aliquando appellatur, praecipue in Syriacis Ritualibus, apud Graecos scriptores Ecclesiasticos *Δισκοκάλυμμα* de quo erudite Carolus Cangius in Glossario suo. Minus velum apud Coptitas singulare nomen non habet.

In ista benedictione varietatem aliquam Codicum observavimus: aliqui enim non habent verba illa, *recumbentibus in convivio annorum mille*, sed continuatur oratio, *discum plenum bonis, quae praeparavit diligentibus nomen suum, corpus scilicet et sanguinem Christi tui.* Tamen in Rituali Gabrielis legitur, ut versione nostra expressimus. Ita igitur se habet tam Coptice quam Arabice: *Extende manum tuam divinam super discum hunc benedictum, qui implendus est ignitis carbonibus, per reliquias corporis tui, offerendi super altare templi sanctae Ecclesiae urbis N.* Mentio convivii annorum mille nihil cum Millenariorum opinione commune habet, neque aliud quam coelestem felicitatem significat. *Carbones* dicuntur particulae Eucharisticae, *ἁγίαι μερίδες* in Disco reponendae, metaphora, ut alibi notavimus, Orientalibus maxime familiari; qua et Christum *carbonem vivum* appellant aliquando, quia in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Unde in Theotokiis Alexandrinis Maria Virgo dicitur *thuribulum aureum, quae carbonem vivum et verum continuit.* Eum quoque carbonem, quo in visione Isaiae labia tacta et purificata sunt, Eucharistiae typum fuisse saepius in Orientalium precibus legitur: et *ignem in pane,* per mysteriorum communionem, *accipere mortales,* saepe legitur in hymnis, qui canuntur ad illorum distributionem.

P. 154. 6. In patena autem, seu Disco Eucharistico, corpus Christi esse et confici, non minus Graeca et Latina, quam Orientales Ecclesiae similibus orationibus significaverunt. In Sacramentario Gregoriano. *Consecramus et sanctificamus hanc patenam, ad conficiendum in ea corpus Domini nostri Jesu Christi, patientis crucem pro salute nostra omniumque, etc.* Item. *Domine Deus omnipotens qui per Moysen famulum tuum tabernaculi tui altare, et*

vasa omnia divino cultui mancipasti, clementiam tuam supplices deprecamur, ut hoc vas aptum cultibus tuis, dignumque altaribus reddas, ut sanctificatum in nomine tuo, corporis tui pretiosum ferculum deputetur. Et in alia. *Oremus, fratres carissimi, ut Deus omnipotens, hoc ministerium corporis Filii sui Domini nostri Jesu Christi gerolum, benedictionis, sanctificationis tutamine, defensionis donatione implere dignetur, orantibus nobis.* Illac orationes reperiuntur pariter in Missali Francorum et aliis vetustissimis.

Notae Men. p. 199.

Miss. Franc. p. 415.

In Rituali illo libro, quem *Symmictis* suis inseruit aliena fide, vir doctissimus Leo Allatius, nulla occurrit Patenae sacrae benedictio, quod satis mirum videtur: sed illius loco alia plane diversa, quam integram referemus, cum liber non sit in omnium manibus, tum ut lectores illius cum altera quam exhibemus comparandae fastidio levemus.

Oratio benedictionis vestis, et quando illa lacerata est. *P. 256.*

Dicit Episcopus. O Domine Deus creator bone qui ordinasti vestem sanctuarii et sanctificationis, vestem bonis refertam, quam praeparavit diligentibus nomen suum, accumbentibus in coena mille annorum, quoniam, o Domine, tu amator hominum es, extende manum tuam dextram supra hanc vestem benedictam ex rubore corporis tui sancti: haec est quae ordinata fuit in templo, quae est Ecclesia sancta. Haec interpretatio sive Kircheri, sive cujuscumque alterius, tam absurda et inepta est, ut mirari satis nemo possit, tanta confidentia quemquam fuisse, ut eam publicaret. Tamen a viro doctissimo, sed qui nullam in illis Orientalibus studiis operam posuerat Joanne Morino, adjunctus est Ritualis ille operi eximio de sacris Ordinationibus, ut scilicet quo ritu quibusve precibus apud Coptitas illae celebrarentur, discerent Theologi. Frustra sane, cum infinita in versione illa peccata sint, quae agnoscere nisi cum originalibus linguis comparata, nemo possit, multisque de disciplina conjecturis lectorem imbuat, quae sunt inanes et falsae. Verum in ista veri nihil, omnia ficta.

Imperitia sane et stupor interpretis, circa linguam ex qua illam orationem transtulit, talis est, ut exemplum vix habeat. Vox quam interpretatus est *vestem,* צניה scilicet, tam nota est in Christianorum Arabice scribentium stilo, ut nulla magis: at in vulgaribus Lexicis non extat; idque commune habet cum aliis hujus generis prope omnibus. Quippe qui Lexicis contexendis operam dederunt, laudandam plane et utilem, Giggeius et Golius, Arabes Lexicographos secuti, Christianos scriptores legisse vix videntur: sane usitatas illis voces omiserunt, quas tamen reperire quisque malit expositas, quam infinitas alias de camelis, tentoriis, acinace, lacte aut aliis frivolis, in quibus colligendis diligentissimi fuerunt. Verum illa vox ante aliquot annos explicata fuerat in *Lingua Aegyptiaca restituta*, ubi in Nomenclatore, respondet voci Graecae *Δίσκος*, quam Coptitae suam fecerunt. Unde Kircherus, sub cujus nomine istud opus prodierat, non videtur Autor versionis Ritua-

lis Ecclesiae Aegyptiacae esse potuisse, etsi illius ad se epistolam Bartholdus Nihusius Symmictorum editor, illi praemiserit, in qua *opus id Dei bonitate exiguo temporis spatio interpretatum se esse testatur*, *jussu Congregationis de propaganda fide*. Festinanter sane nimium id praestitit, quicumque interpres fuit: et si Congregatio ex illa versione de Ritibus Coptitarum judicavit, nihil minus quam illorum disciplinam probavit aut improbavit.

Itaque de *benedictione vestis et quando lacerata est,* ne syllaba quidem, tam in Coptico textu, quam in Arabico: cum in primo vox Graeca Δίσκος occurrat, quae *vestem,* nunquam Graece aut Coptice significavit. Error natus ex mala lectione vocum Arabicarum: nam in Copticas ne quidem oculos conjecisse interpretem, satis manifestum est. Sed quis tandem, inter Episcopales benedictiones cujuscumque linguae, similis alicujus vestigium reperit? Lacerata vestis ad sartorem mittitur, non ad Episcopum, et diversae leges Ecclesiasticae praecipiunt, ut Sacerdotales, aut aliae vestes quae ad ministerium sacrum pertinent, si detritae nimium sint, reponantur, nec ad profanos usus adhibeantur.

Creator non legitur, in utroque textu: tum illud *ordinasti vestem sanctuarii* imaginarium est, cum in Coptico legatur vox πίναξ paulum corrupta, quae explicatur recte in Glossario Coptico-Arabico, quod Kircherus ediderat, ex Graeca origine.

Supra hanc vestem benedictam ex rubore corporis tui sancti. Gryphi sunt haec verba, et aenigmata, quia nec Coptica, nec Arabica verba interpres assecutus est, quae significant id quod versione nostra expressimus. Quid porro intelligi possit in illis, haud equidem video: nam *rubor corporis Christi,* locutio est quam in nullis, etiam maxime figuratis orationibus reperias, multo minus alibi. Deinde qua ratione vestis benedictionem contrahere posset ex corpore Christi, cum illud non attingat; adeo ut gravis poena statuatur adversus Sacerdotem aut Diaconum qui Sacramenta distribuendo, cochlear sacrum, illis etiam nolens, et incautus affricat, aut qui per negligentiam super illa ex disco vel calice aliquid effuderit? Quo etiam sensu vestis praesertim lacera *ordinata dici potest in templo*, *quod est Ecclesia*? Heikel היכל quae vox hic usurpatur, in stilo Ecclesiastico *sanctuarium,* ipsumque aliquando *altare* significat, ut hoc loco, nempe quia haec pro eodem usurpantur, *locus altaris* et *altare*, ut saepius observatur. At si attendisset interpres ad vocem θυσιαστήριον quae eo loco legitur, non tot portentis versionem suam inquinasset, si ita vocari potest constans et perpetua hallucinatio. Quam boni judices esse potuerint, qui ritus Orientales per talem interpretem cognovisse se arbitrati sunt, existimare quisque potest. Tandem certum esse debet, nullam vestis laceratae benedictionem apud Coptitas frequentari; multo minus contra leges omnes Ecclesiasticas, Chrisma adhiberi quo laciniae quae in sacrario reponendae sunt, nec ad sacrum ministerium adhibendae, consecrentur.

Oratio pro calice et mappulis ejus.

P. 53. l. 28.

Calicis benedictio in antiqua Ecclesia usurpata quoque fuit, et praecipuus honor eidem habitus, quod *in eo ferretur sanguis Christi,* ut loquuntur variis locis autores Historiae Patriarchalis Alexandrinae: in qua inter alia circa Eucharistiam miracula recensetur unum in calice factum, ex quo, cum ab aurifice Muhamedano frangeretur, sanguis fluxerit: tum sanguis quasi recens ebullierit in alio calice, dum sacra mysteria Bagdadi celebrarentur, ut multa hujus generis passim extant in Graecorum et omnium Christianorum Orientalium libris. Quod autem credant in calice sanguinem Christi contineri, imo ut fides docet, Christum ipsum, argumento est figura quae in Horologiis Graecis Officio sacrae communionis praemitti solet, in qua Christus repraesentatur in calice. In libro Sacramentorum Gregoriano orationes leguntur ad Calicem benedicendum. *Oremus, dilectissimi fratres, ut Dominus Deus noster, Calicem in usum sui ministerii consecrandum, coelestis gratiae inspiratione sanctificet.* Et in alia. *Dignare, Domine, calicem istum in usum ministerii tui, pia famuli tui* Ill. *devotione formatum, ea sanctificatione perfundere, qua Melchisedech famuli tui, sacratum Calicem perfudisti. Et quod arte vel metallo effici non potest altaribus tuis dignum, fiat tua benedictione pretiosum.* In alia, post nonnulla. *Precamur ut hunc Calicem in quo celebraturi sumus sacrosancta mysteria, emissione sancti Spiritus tui coelesti benedictione sanctifices.* Unctionis ex Chrismate nulla mentio: eam tamen adhibitam fuisse argumento est, consensus veterum Codicum Ratoldi et Remensis, et aliorum quos citat vir doctissimus Hugo Menardus. Illius quoque Ritus meminit Burcardus l. 3. c. 58. ex supposita Epistola Felicis IV. cujus autoritatem non extollimus; verum quin disciplinam Carolini saltem aevi contineat, dubitari non potest.

Hist. Patr. Alex. p. 270. et 378.

Sacr. Greg. p. 155.
Pamel. Lit. t. 2. p. 425.

Not. ad Sacr. p. 199.

Graeci habent in Euchologio officium seu *Ἀκολουθίαν εἰς ἐγκαίνια δίσκου καὶ ποτηρίου καινοῦ*: *in encoeniis seu consecratione patenae et calicis novi:* in quo non solum benedictio patenae et calicis praescribitur, sed etiam consecratio ex Chrismate. Oratio talis est. *Δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ υἱὲ καὶ λόγε τοῦ θεοῦ ζῶντος, κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, ὁ τὸ ποτήριον τῆς καινῆς σου διαθήκης ἁγιάσας, καὶ ἐπιδοὺς αὐτὸ εἰς εὐφροσύνην πᾶσι τοῖς μεταλαμβάνουσιν ἐξ αὐτοῦ· αὐτὸς καὶ νῦν δέσποτα Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν ἐξαπόστειλον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἐπὶ τὸ ποτήριον τὸ καινὸν τοῦτο, καὶ εὐλόγησον, καὶ ἁγίασον καὶ τελείωσον, καὶ τοῖς μετασχοῦσιν ἐξ αὐτοῦ παράσχου τὴν εἰρήνην*, etc. *Καὶ σφραγίζει αὐτὰ τῇ χειρὶ λέγων, ἰδοὺ ἡγίασται, καὶ τετελείωται τὸ ποτήριον σωτηρίας, καὶ ὁ δίσκος ζωῆς, τῆς καινῆς διαθήκης, ἐν ὀνόματι τοῦ πατρός*, etc. *Dominator Domine Deus noster, Fili et Verbum Dei viventis, Domine Jesu Christe qui novi tui Testamenti calicem sanctificasti, et in laetitiam cunctis ejus futuris consortibus contulisti: Ipse quoque nunc, Domine Deus noster, Spiritum sanctum tuum super calicem hunc novum mitte, et benedic, sanctifica, et consecra illum, etc.*

Euchol. p. 846.

Et postea, *signat illa manu, dicens. Ecce sanctificatus, et consecratus est calix salutis, et discus vitae novi Testamenti in nomine Patris, etc.* In isto officio unctionis mentio nulla est, sed supplenda procul dubio videtur: ut in Latinis codicibus ex alia consecrationis formula, quam refert idem Goarius. *Κατάπεμψον κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ἐπὶ τὸν δίσκον τοῦτον τῇ ἁγιαστικῇ σου δυνάμει τοῦ παναγίου πνεύματος, ἵνα ἐν αὐτῷ σφραγιάσωμεν τὸν ἀμνόν, καὶ προςφέρωμεν τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, τοῦ αἴροντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, τὸ διαδόμενον τοῖς πιστοῖς, ὅπως μεταβῶσιν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν*, etc. *Emitte, Domine Deus noster, super patenam istam sive discum, sanctissimi tui Spiritus virtutem sacra operantem, ut in ea agnum immolemus, et Christi tui peccatum mundi tollentis, corpus fidelibus ex morte ad vitam transituris traditum, offeramus.* Ita Goarius: accuratius vertas: *corpus traditum fidelibus, ut transeant de morte ad vitam.*

Ad calicem, *Ἐκπέτασον κύριε, ἐπὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, ἐκ τῶν ἀπεριγράπτων σου κόλπων, τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸ κύριον καὶ ζωοποιόν· ἵνα προςφέρωμεν ἐν τούτῳ, τὸ αἷμά σου τὸ τίμιον δι' οὗ ἐξέχεας ἔλεος, ἐπὶ τῷ σῷ ποιμνίῳ, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν τοῖς πιστεύουσι, καὶ ὁμολογοῦσι τὰ παθήματά σου*, etc. *Expande Domine super calicem istum incircumscriptis finibus tuis, Spiritum tuum sanctum, Spiritum veritatis, principalem et vivificum, ut in eo sanguinem pretiosum, per quem super ovile tuum misericordiam effudisti, offeramus in remissionem peccatorum, credentibus, et passionem tuam confitentibus, etc. Εἶτα χρίει τὸ ἅγιον μύρον λέγων. Εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρός*, etc. *Deinde sancto unguento linit, dicens, in nomine Patris, etc.* Talis est Graecorum disciplina Orientali maxime conformis, et prorsus eadem.

De versione edita nihil observandum occurrit, cum satis accurate originali respondeat. In Codice quem secuti sumus, et in Rituali Patriarchae Gabrielis, non legitur *in una persona.* In eodem Rituali titulus hujus benedictionis est *benedictio, seu consecratio calicis et mappulae ejus,* in singulari ubi Copticus Codex vocem Graecam retinet. *Οουευχη εϑβε πιποτηριον νεμ τεφμαππα.* Quod discrimen exigui momenti est. Mirari autem satis nemo possit, in praecedenti benedictione vocem eamdem interpreti, quicumque fuerit, oculos non aperuisse, ne ex *Disco* et *Mappa* Graecis vocibus notissimis, *laceratam vestem* consarcinaret.

P. 54. l. 9.

Oratio pro cochleari.

De cochleari jam nonnulla dicta sunt, in notis ad Basilii Liturgiam. Numeratur autem inter vasa sacra, quia communis est apud Orientales omnes consuetudo, quam Graecos imitati antiquitus observant, ut eo utantur ad communionem distribuendam: Ecclesiasticis quidem secundi Ordinis, prae-

bendo illis vinum consecratum: Laïcis, particulam sanguine madefactam: solis quippe Sacerdotibus, vulgo calix bibendus, praeberi solet. Quae sit sacri cochlearis apud Graecos forma accurate exposuit adjuncta illius delineatione Jacobus Goarius. *Euchol. p. 152.* *Λαβίδα* vocant, id est *forcipem*, significatione ducta ab illa visione Isaiae in qua Seraph carbonem vivum forcipe eduxit ab altari; tetigitque Prophetae labia, eaque mundavit. Christus autem secundum mysticam Germani Patriarchae interpretationem, omnibus Orientalibus familiarem, divinus et spiritualis carbo est, indignos et temere accedentes comburens. Ita Graeci passim. Vocem quoque Graecam Arabes susceperunt, *Labidanque* vocant: aliter *Mulaqket.* Coptitae *κοκλιάριον*, et alia voce in Rituali Gabrielis *τμυστηρ*, a Graeca *μύστρον*, quae non eamdem plane significationem habet. *P. 216.* In Glossario Coptico-Arabico *τκοκλιαριον* et *μιστουρι.*

In Rituali Gabrielis eadem benedictio legitur, cum exigua differentia. *Domine Deus qui servum tuum Isaiam Prophetam, dignum fecisti videndi Seraphim:* in Arabica versione *Cherubim, in cujus manu forceps erat, quo accepit carbonem de super altari et in os ejus illum injecit: Nunc etiam, Deus Pater omnipotens, extende manum tuam super hoc cochlear, ex quo* vel *in quo, suscipiendae sunt reliquiae sanctae* (*ἠιλουμιψανον εϑναβ.*) Arabice *membra, corporis Unigeniti filii tui, Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* In Arabica versione, *corporis sancti. Benedic illud, sanctifica illud: da illi virtutem et gloriam forcipis, qui est in dextra Seraphim, etc.* Ita sane rectius verti debet, quam interpretatione nostra expressimus: illam enim dudum ex alio exemplari factam, cum Rituali Gabrielis comparare obliti fueramus.

Versio hujus benedictionis quae extat in Symmictis Allatianis, pauca emendanda habet. Sed eam non ex Coptico exemplari versam esse manifestum est, non magis quam reliquas. Perverse tamen et contra Arabici exemplaris sententiam legitur. *Deus qui posuisti servum tuum Isaiam Prophetam, dignum, ut videret Seraphim, et forcipes in manu ejus tenentem, et deferentem iis calculum ignitum super altare, et admoventem ori suo. Posuisti dignum,* barbarismus est: *forcipes* plurali numero interpres reddidit, quia nomen illud, ut alia nonnulla, duali numero apud Arabes usurpatur, at in singulari legitur, tum in exemplari Coptico, tum in sacra scriptura, a qua sane recedi non oportebat, contra textus quem in manibus habebat, lectionem. Neque enim Seraph detulit carbonem ignitum super altare, et admovit ori suo, sed ex altari accepit, et admovit labiis Prophetae. Sequitur, *Extende manum tuam super hoc cochlear, quo sumitur corpus sanctum filii tui unigeniti.* In Coptico textu legitur *λείψανον* nempe *reliquiae* corporis Christi, quam vocem Arabes verterunt per *membra* corporis, quae vox expressius realem praesentiam significat. Itaque cur neutram reddiderit interpres causa nulla erat, nisi forte quod neutram intellexit, aut quod alienis oculis codicem suum inspexit.

P. 54. l. 22.

Oratio pro mappa nigra, quae est super altare.

In Rituali Gabrielis vox ista legitur in plurali νιμάππα,' quae quidem respondet aliquatenus Graecorum *Antimensiis*, quamvis in forma, in consecratione, et in usu aliqua sit diversitas. Antimensia enim altari nudo imponuntur vicemque illius supplent, et induuntur ipsis sanctorum reliquiae, non mappae quae hac oratione consecrantur. Imo quantum judicare possumus, pallae altaris, caeterisque linteaminibus sacris convenit haec benedictio.

In Rituali Gabrielis aliter haec benedictio legitur. *Domine, Domine Jesu Christe, qui habet thesauros misericordiae, largitor bonorum omnibus qui in eum confidunt: qui coelum expandit cum subtilitate,* vel *cum praeclaro ordine, disposuitque variis coloribus orbes et nubes coeli, ita ut non sit in aliis diversitas. Et nunc, Domine amator hominum, sit potestas tua divina in istis vasis, et vestibus* (seu *ornamentis*) *quibus involvendae sunt reliquiae* (ηιλουμιψανον λείψανα,) *corporis tui sancti, ita ut mittas super ea virtutem vestium, quibus involutum est corpus tuum sanctum in sepulcro, sintque coelestibus similia.* Utuntur autem Coptitae in hac oratione voce σκεῦος, et Aegyptiaca, quae vestes, non modo quae corpori circumponuntur, sed alias quoque, ut stragulam significat. Eadem quoque vox λείψανον usurpatur, ut in praecedenti, quam Arabes reddunt per eam quae *membra* significat.

Versio quae in *Symmictis* refertur, peccat statim in titulo qui talis est, *Benedictio corporalis, et cum illud foedatum fuerit.* Nihil sane minus, nam mappa quae altari imponitur, non est corporale: et verba sequentia unde interpres deduxerit, divinare non est facile, cum nulla vox huic significationi proxima, Coptica vel Arabica, ista in oratione occurrat, imo, eadem ipsa, quam in alia benedictione *laceratam vestem* interpretatus fuerat, hic ab illo per *foedatum* exprimitur, aeque improprie. Nam si interpres quicumque fuit mediocrem disciplinae Orientalis gustum habuisset, scivisset linteamina sacra, si sordes contraxerint, ablui, non consecrari.

Ita autem vertitur haec Oratio ab autore. *O Domine Jesu Christe, praeses thesaurorum misericordiae, dans bona omnibus qui sperant in te, qui extendis coelos in sublimitate tua, vario colore ornas firmamentum, et nubes coelorum qui titubant et non alterantur: nunc o Domine amator hominum, sit virtus tua divina veniens supra haec vasa, quae conjungimus ad lavacrum corporis tui sancti: mitte super ea virtutem velaminis in quo corpus tuum sanctum in sepultura involutum fuit: iis similes sint coelestibus,* etc. *Praeses thesaurorum,* male, nam vox Arabica מאחב *Dominum* significat: praeses alienos thesauros administrat, non suos. In sequentibus verbis est aliqua perplexitas orationis, cujus tamen, ut videtur, sententia est, *qui extendis coelos ornate, et nubium colore distinguis.* Sed haec nihil ad benedictionem: sequentia nihil minus referunt quam textum Copticum et Arabicum, et sensu carent: quid enim sit, *conjungere vasa ad lavacrum corporis Christi* nemo dixerit: neque qua ratione fieri potuerit, ut in duabus lineis eamdem vocem

Copticam et Arabicam diverso modo interpres exposuerit, nisi forte scripserit *involucrum*, et peccaverint typographi; etsi adhuc versio mendo non careret, cum de *conjungendis vasis* ne syllaba quidem occurrat.

Consecratio tabulae, ut altare fiat.

P. 55. l. 1.

Istam benedictionem non habuit Codex, ex quo versio ab Allatio publicata desumta est. De altaribus dictum est in Commentario ad Basilii Liturgiam, probatumque in Oriente non minus quam in Occidente eadem ex solidiori materia comparata fuisse, quidquid de illis verbosissime commentatus fuerit Jobus Ludolfus, qui quidem mensas illas fuisse antiquitus, contendit, et Aethiopum laudes prosequitur, quod *mensam Sacerdotalem et arcam* appellent, id quod reliquis superstitiose, *altare* appellatur. Nempe intelligebat, altaris nomen sacrificium quodammodo supponere, quod nolebat. Verum antequam Aethiopes Christiani forent, vocabantur primis Ecclesiae saeculis altaria, etiam mensae in quibus Liturgia celebrabatur: quam postea ipsi Aethiopes, *sacrificium* vocaverunt non minus quam universa toto orbe Ecclesia. Imo omnes Ludolfi divinationes evanescunt ex solo Aethiopum exemplo, qui, ut oculatus testis Franciscus Alvaresius retulit, solida habent in vivo saxo altaria, in Ecclesiis *Visionis* et *Debra Libanos*, sive Montis Libani, quas Lalibela Rex nova Architecturae ratione, in rupibus excavatas ad amplam formam redegit. At in veteri Ecclesia, ut in recentioribus saeculis, non modo altaria solida, sed lignea altaris nomen et dignitatem habuerunt: neque ista sola, sed altera etiam *mensae* vocabantur, adeoque de nomine inutiliter litigatur, cum res per se manifesta sit.

P. 181. Com. ad Hist. Aethiop.

Nota quoque fuerunt antiquitus altaria *portatilia,* quae etiam *viatica* dicebantur: *itinerariae tabulae: altaria portatoria et gestatoria:* de quibus multa erudite docuit V. C. D. Joannes Mabillonius, doctissimus Cangius in Glossario, et alii. Orientalibus Christianis singularis causa fuit utendi frequentius tabulis consecratis, quae altaris vicem supplerent, Barbarorum scilicet tyrannis, qui cum frequenter in Ecclesias irrumperent, et sacra disturbarent, altariaque contaminarent, coegerunt Episcopos talibus uti altaribus, quae auferri facile possent et infidelium manibus eripi. Itaque tabulae illae magis ad veterum disciplinam accedunt quam Graecorum Antimensia, quamvis eamdem, ut videtur, originem habeant. Neque tam multis caeremoniis perficitur consecratio tabulae ritu Aegyptiaco, quam Antimensiorum Graeco, de qua fuse Symeon Thessalonicensis: ut etiam eruditissimus Goarius in Notis ad illud officium. Graeci quoque non celebrant vulgo, etiam in solidis altaribus, absque Antimensiis, quod in Orientalibus aliis non observatum huc usque a nobis est.

Praef. ad 3. Saec. Bened.

Euchol. p. 653.

In ista porro oratione nihil difficultatis est: observandum solummodo esse aliquid obscuritatis in textu Coptico et Arabico, circa illa verba: *ut fiat altare sanctum, et mensa sancta pro altari excelso et e lapide con-*

structo. In Coptico est vox ερφει quae vertitur Arabice per alteram היכל *Heikel,* utraque proprie *templum* significat: verum ex usu Ecclesiastico partem intimam sanctuarii et ipsum aliquando altare: sicut vice versa, altare usurpatur a Latinis scriptoribus, ad significandum locum in quo altare constitutum est, et altaria saepe pro ipsis Ecclesiis. Itaque *altare* interpretati sumus, quia de eo sermo est, non de templo: et illam ipsam vocem ερφει interpretatam legimus per θυσιαστήριον, qua etiam voce Coptitae uti frequenter solent: significant igitur verba originalia et Arabica, ut tabula per benedictionem et consignationem ex Chrismate consecrata, vicem teneat altaris excelsi, et lateritio lapideoque opere constructi, ut legitur in Rituali Gabrielis Patriarchae. Videnda etiam quae de altaribus erudite notavit Hugo Menardus, in Notis ad Gregorii sacramentalem librum p. 194. et sequentibus.

Greg. Tur. l. 1. c. 14.

Oratio pro altari cum manibus haereticorum attrectatum, etc.

Altaria polluta, praesertim haereticorum sacrificiis aut Synaxibus, in Ecclesia celebratis, precibus reconciliare Orientalium, ut etiam Latinorum consuetudo est. Extat in Graecorum Euchologio oratio Tarasii Patriarchae: in apertione reconciliatione Ecclesiae ab Haereticis profanatae. In ea rogatur Deus, *ut si quae ex haeretico usu vel attactu, inflicta est sancto altari tuo labes, ut bonus et humanus eam dele. Καὶ εἴ τις ἐξ αἱρετικῆς ἐγχειρήσεως προσετρίβη λώβησις τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, περίελε αὐτὴν ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος.* Huic subjungitur a doctissimo Goario ejusdem sententiae, sed prolixior oratio, ex Euchologio Allatiano, quae dicitur etiam super sacram mensam, sive altare. In Concilio Lateranensi IV. inter alias Graecorum adversus Latinos contumelias, notatur, quod Ecclesias et altaria in quibus Latini sacra celebrassent, lavare et reconciliare essent soliti. Id quoque ultimo saeculo factum fuisse testatur Dositheus Patriarcha Hierosolymitanus a Meletio Syrigo, homine tamen λατινόφρονι, si Smitheo et Claudio credimus, cum Praefectus Venetus in Graecorum, cui Syrigus praeerat, Monasterii Ecclesia Missam celebrari jussisset. In ipsa oratione nihil est quod eludicatione indigeat.

Euchol. p. 618.

Cin. 4.

In vita Syrigi praefixa versioni Gr. Barb. Operis adv. Cyrillum Lucarium.

IN LITURGIAM GRAECAM
SANCTI BASILII
ALEXANDRINAM
NOTAE.

Λειτουργία τοῦ ἁγίου Βασιλείου.

Quae de hac Liturgia dicenda erant explicata sunt quantum opus fuit in praevia de Liturgiis Dissertatione, quae hic repetere superfluum foret. Illud statim observandum, deesse in Codice Regio omnes propemodum orationes praeparatorias, cum prima sit ea quae dicitur *Καταπετάσματος*, etsi non integra, sed majori parte mutila. Eam sequitur alia ejusdem argumenti, eodemque loco recitanda, quae dicitur esse ex Liturgia sancti Jacobi fratris Domini. In Graeca tamen vulgari non reperitur, sed paucis mutatis legitur in Coptico exemplari: ut etiam in Syriacis codicibus; unde constat summa ejus antiquitas; illos enim Graecis, quales ad nos pervenere, vetustiores esse admodum verisimile est, ut alibi exponetur. Itaque desunt Orationes istae. 1. Quam Sacerdos privatim dicit: 2. Postquam praeparatum fuit altare. 3. Gratiarum actionis, quae in duas partes dividitur, quia Diaconus post primam partem populum hortatur ad orandum, secundum Sacerdotis intentionem. 4. Oratio ad prothesin. 5. Oratio absolutionis. 6. Thuris: tum singulares ad Epistolarum Pauli et Catholicarum, tandemque Evangelii lectiones: quas sequitur Oratio *καταπετάσματος*, seu veli, a cujus fine incipit Codex Graeco-Arabicus. Mox altera illa sequitur ex Liturgia sancti Jacobi: tandem ea quae est pro pace, illi prope totidem verbis respondens quae est in Graeca sancti Marci. Ipsa porro incipit ab Oratione Gratiarum actionis, quae est tertia in Codice Coptico, quia duae priores, ut diximus, non tam publici quam privati officii sunt. Itaque in ea continentur preces et caeremoniae praeparatoriae, quae in Codice Graeco-Arabico desiderantur, eaque est nota certissima ritus Alexandrini veteris, quem Coptitae sua lingua retinuerunt. *P. 57.*

P. 58. l. 26. *Ευχὴ περὶ τῆς εἰρήνης. Oratio pro pace.*

Haec oratio, vel potius plures in unam conjunctae, quae per adhortationes Diaconi et *Kyrie eleison,* a populo dicendum interciduntur, vocantur *Εἰρηνικαί,* vel *Εἰρηνικά, pro Pace:* a Syris *Catholica,* quia oratur pro omnibus personis et necessitatibus.

P. 59. l. 8. *Τὸν Βασιλέα. Regem.*

Ita vertimus, quamvis fortasse melius verteretur *Imperatorem:* nam preces illae scriptae sunt, procul dubio, cum Aegyptus adhuc pareret Christianis Imperatoribus. Illud suadent particulae similium orationum diversae, quae Infidelibus principibus convenire non possunt, ubi *φιλόχριστοι Christum amantes,* appellantur. Et Sultani seu Califae qui Aegyptum obtinuerunt proprie loquendo *Imperatores,* aut *Reges,* dici non possunt. Itaque ista commemoratio talibus verbis concepta vetustissimae consuetudinis indicium est: aut fortasse Codex Regius scriptus fuit illis in locis, qui Graecis Imperatoribus parebant. Sed ex ista oratione et aliis quae occurrunt in Gregoriana aliisque Liturgiis, inferri potest, primam illius Liturgiae formam Muhamedanis vetustiorem esse temporibus, non vero, eam quam Coptice habemus illam ipsam esse quae sub Imperatoribus Christianis in usu erat. Nam mutationem isto in loco factam fuisse, ut in nonnullis aliis, vix est dubitandum; et alia longe firmiora antiquitatis Liturgiarum istarum argumenta suppetunt. Quae sit circa preces pro Regibus aut aliis Principibus Orientalium disciplina, dictum est ad eumdem Copticae Liturgiae locum: quem Maronita interpres parum feliciter reddidit. *Reges, Proceres, Proreges, populos et servos nostros ingredientes, et egredientes a nobis orna omni pace. Στρατιωτικὰ τάγματα* non *proceres* significat, sed *Ordines Militares,* quia ex quo Aegyptus in Arabum potestatem venit, a Viziris, qui militaris rei supremi Praefecti erant, regebatur. Illi cum summam Califa absente, potestatem haberent, eadem res civiles administrabant, ut Praefecti Aegypti sub Christianis Imperatoribus. *Proreges, ἄρχοντες* non sunt, sed ea vox quam Copticum exemplar retinet *νιαρχων,* significat singulari acceptione nobiliores Christianos Laïcos, ad plebis distinctionem. Ea significatione usurpatur illa vox passim in Historia Patriarcharum Alexandrinorum, et in forma literarum quas *Συστατικὰς* vocant, (voce Graeca conservata) quae ad confirmandam et publicandam novi Patriarchae electionem scribi solent, ut habetur in Pontificali Ordinationis ejusdem, in Bibliotheca Seguieriana. *Δῆμοι* sunt *populi multitudo: servorum* nulla in Graecis aut Copticis Codicibus mentio: sed voces Coptica et Arabica *vicinos* significant: *Introitus et exitus illorum,* euntium et redeuntium iter: pro quibus omnibus benedictio postulatur.

Κτῆσαι ἡμᾶς. Posside nos. P. 59. l. 13.

Hoc verbum ea significatione accipiendum est qua occurrit saepe in veteri-Testamento, adquirendi, proprium faciendi, singularique cura conservandi. Ita Exodi cap. 15. v. 16. *Donec transeat populus iste quem possedisti λαὸς ὃν ἐκτήσω.* Exod. 15. 16. In Cantico Moysis: *Nonne ipse est qui possedit te et creavit te:* ubi verbum ἐκτήσατο respondet hebraïco קנה, quod Arabibus eadem significatione usurpatur: et in Coptica Versione eadem vox legitur quae hic occurrit in Liturgia. Illam recte interpretatus est Arabs, qui versionem adjunxit: minus recte aliarum ex Coptico autores: pessime Maronita, qui ita vertit, *conquiescere fac nos in te Deus,* quia loco vocis ארבח ex mala punctatione legit אריח.

Εὐχὴ περὶ τοῦ Πάπα. Pro Papa. Ib. l. 21.

Hic perspicuum est, orari pro Patriarcha Alexandrino: ut etiam in Codice Graeco Liturgiae D. Marci: et frustra quisquam conjectaretur, pertinere hanc precem ad Romanum Pontificem. Ut ejus commemoratio in Diptychis vivorum fieret, ex veteri disciplina fuit, sed non ita, ut in quotidianis Missis nomen ejus recitaretur: cum id tantummodo observari soleret erga Patriarchas, in cujus Dioecesibus erant Ecclesiae. Cum vigeret inter Ecclesias concordia, novusque Romanus Pontifex de Ordinatione sua literas publice scriberet, recitabatur inter Diptycha vivorum ejus nomen, ut decessoris inter commemorationes defunctorum; sed cum id non continuo fieret, memoria illa Codicibus Liturgicis non inscribebatur. Talem fuisse disciplinam conjicimus ex ea quae postmodum apud Coptitas viguit, et cujus probationes habemus multiplices in Historia Patriarchali, circa commemorationem nominis Patriarcharum Antiochenorum ejusdem sectae Jacobiticae, cum quibus arctissimam Alexandrini communionem habebant. Vacante Antiochena sede, qui ad eam obtinendam eligebatur, statim Synodicas literas ad Alexandrinum Patriarcham per Episcopos duos mittebat. Illis literis in consessu Episcoporum Aegyptiorum lectis, nomen novi Patriarchae Diptychis vivorum inscribebatur, et in Liturgia recitabatur: neque id fiebat, prius quam literae pervenissent. Eo usque defuncti nomen tanquam viventis, ad altare recitabatur. Cum porro consuetudo illa certa sit, variisque exemplis confirmetur, nullus tamen, quod sciamus, Codex visus est, qui constantem in Diptychis Antiocheni Patriarchae memoriam contineat, etsi sane multos vidimus. Itaque etiamsi codex Graecus ad Orthodoxorum Ecclesiam pertinuisset, quod de isto dici non potest: verum de eo qui Liturgiam Marci continet certum videtur: nomen Romani Pontificis in Diptycho non extaret.

Deest folium hoc loco in Codice Regio, sed suppleri hiatus debet ex eadem Oratione quae extat in Marci Graeca, ut etiam in Copticis exempla-

ribus. Nempe rogatur Deus, ut benedicat congregationibus Christianorum, ut libere et sine impedimento celebrentur.

P. 60. l. 30. *Ὁ Λαὸς λέγει Πιστεύω εἰς ἕνα Θεόν. Populus dicit Credo in unum Deum.*

Symbolum Nicaenum apud Orientales omnes dici solet inter Missarum solemnia, et quidem ante Osculum pacis, ut habet Codex Regius. In Copticis, quia rubricae aut omnino desunt, aut aliis locis, unde petendae sunt, describuntur, plerumque deest ea quae spectat recitationem Symboli. In aliquibus tamen reperitur quos interpretando secuti sumus. In Graeca Marci assignatur post orationes osculi pacis: nisi peccatum sit a librariis, quod videtur verisimile.

P. 60. l. 32. *Εὐχὴ ἀσπασμοῦ τοῦ ἁγίου Βασιλείου. Oratio Pacis S. Basilii.*

Nomen Basilii adjicere huic orationi superfluum erat, si olim constitisset scriptam ab eo esse, ut se habet, hanc Liturgiam, in qua opinione antiquitus non fuisse videntur Alexandrini. Et fortassis hunc titulum sortita est ab illa oratione quae extat in Graeca Basilii, paulo tamen prolixior. Nam, ut alibi observatum est, Anaphora proprie dicta incipit ab oratione osculi pacis, aut a Praefatione, quae statim sequitur: unde proclive fuit, ut quae prima occurrebat oratio titulum toti Liturgiae successu temporis communicaret. Omnes enim quae praecedunt, ad praeparationem pertinent, reliquisque communes sunt. Obstat tamen huic conjecturae, quod ista pacis dandae oratio non habetur in Copticis exemplaribus.

P. 61. l. 11. *Καὶ δὸς ἡμῖν. Et da nobis ut cum omni timore et conscientia pura offeramus tibi spirituale hoc et incruentum sacrificium, etc.*

Locus insignis, et qui summam de Eucharistia sacrificio Theologiam paucis verbis complectitur. Agnoscebant scilicet qui talibus verbis Eucharistiam celebrantes utebantur, sacram actionem esse sacrificium, spirituale et incruentum: esse quoque λογικὴν λατρείαν spiritualem adorationis religionisque summae cultum, qualis soli Deo debetur. Eamdem sacram actionem esse, cujus ipse formam Apostolis praescripsit, dum illis praecepit, ut ita facerent in sui memoriam. Itaque ex illorum sententia, Liturgia sacrificium est, idem quod Apostoli Deo obtulerunt, atque adeo formam exprimens Coenae Apostolicae et Evangelicae: nec enim verba significationem aliam admittunt. Colitur ergo Deus, et quidem λατρείᾳ λογικῇ, non profana aut Judaica, quia spirituale est, et incruentum sacrificium, cum Apostolorum

exemplo celebratur memoria mortis Domini. At nihil magis diversum est ab illa actione religiosa seu *λατρεία λογικῇ*, quam tot Protestantium Coenae, neque inter se, neque cum veteris Ecclesiae more consentientes: cum omnes Liturgiae Orientales et Occidentales constent precibus maxime similibus, in unamque sententiam conspirantibus: ritibus qui ad unam eamdemque sacram actionem referuntur, quique exceptis illis, qui ad honorem Sacramenti decoremque domus Dei pertinent, iidem omnino sunt, eamdemque fidem et pietatem Christianis inculcant, quosque aboleri necesse fuit, ubi vetus doctrina realis praesentiae oppugnata et rejecta est, quia illam necessario insinuabant.

Orationes aliae ad osculum pacis reperiuntur in Codice Coptico: tres vero quae in Graeco sunt, non omnes dici solent, nisi ad libitum Sacerdotis, ut ad alias Liturgias notatum est; conveniunt porro omnes in eamdem sententiam, ut Christiani ab omni dolo, et *μνησικακίᾳ* hypocrisique liberi, caritatem sinceram in proximum, osculo sancto testentur.

Oratio alia osculi pacis.

P. 63.

Extat illa in Copticis quoque exemplaribus, sed ita versa est a Maronita Interprete, ut vim ejus et sententiam assequi difficile sit. Ita enim ille. ***Dedisti nobis directionem Filii tui unigeniti, et mysterium hujus oblationis absconditum***: quae longe abeunt a vera istius orationis significatione. Laudatur Deus a magnificentia beneficiorum suorum erga genus humanum, quod ea quae antiqui Prophetae et Reges videre cupierunt et non viderunt, parvulis non modo revelaverit, sed tractanda et celebranda tradiderit. ***Nempe dedisti,*** inquit, ***nobis et exhibuisti salutarem unigeniti Filii in carne dispensationem.*** Haec est *οἰκονομία*, quam vocem Coptitae retinuerunt. Illud solum discriminis animadvertitur inter illorum et Graecum codicem, quod sententiam ita conjungunt, ut intelligatur factam esse hanc revelationem, quando Christus in terris visus est et cum hominibus conversatus est: tunc enim dedisse nobis ***hujus sacrificii mystagogiam:*** sacrum scilicet Eucharistiae sacrificium instituisse. Id Coptica versio, divisim Graecus textus quasi simul dicta, conjunctimque accipienda significat: sententia ad idem redeunte. Agnoscunt igitur per hanc orationem Alexandrini institutionem divinam Sacramenti Eucharistiae, et praeterea fatentur illam esse sacrificium, neque de qualicumque sacrificio id testantur, sed de ista quam celebrant, *μυσταγωγίᾳ*; nam eam vocem retinuerunt Coptitae. Si quaeramus quae sit illa ***Mystagogia***, et ipsi respondeant, non aliud procul dubio dicturi sunt quam id quod multis verbis explicant illorum Theologi: nempe esse Liturgiam qualis apud eos celebratur. Credunt igitur illam esse proprium verae legis sacrificium, ut mox explicant, ***in quo ovis et machaera spirituales sunt,*** quia agnus ille, is ipse qui tollit peccata mundi, licet vere, mystice tamen immolatur, hoc est in Sacramento. Si Liturgia; Missa quoque sacrificium est a Christo institu-

tum et discipulis traditum; non inventum Romanae Ecclesiae, a qua illam Orientales non acceperunt, sed ab Apostolica Traditione divinaque institutione, per infinitum erga genus humanum beneficium, quod alterius, nempe Incarnationis unigeniti filii Dei, et ejus in carne conversationis complementum fuit. Omnia sane quae haec oratio continet, ad sacrificium crucis non posse referri, sed ad ejusdem in Liturgia repraesentationem nemo non intelligit: quippe verba ipsa intelligentiam determinant, cum non simpliciter de sacrificio loquantur; sed de hoc ipso, quod statim Sacerdos oblaturus est. Videant qui Plessaeum, Molinaeum, Rivetum et alios ejusmodi Criticos admirantur, an recte affirmaverint, nullam in Graecis Liturgiis sacrificii mentionem fieri, cum Ecclesia Alexandrina, a mille et amplius annis avulsa a reliquarum communione, contrarium doceat tam perspicue, quod quidem non a Dioscoro et aliis ejus sectatoribus didicerat, sed ab Ecclesia Catholica. Sanctos Patres qui similia passim docuerunt, rhetoricatos esse, non Theologice locutos, Calvinus pertendit, atque adeo neque illos excusari vult, neque audiri. At Christiana plebs, ut Episcopos sacerdotesque praetermittamus, illos audiebat, plenamque adhibebat verbis illorum fidem, cum similes orationes acclamatione *τοῦ Amen* confirmabat. Neque Aegyptii nativi cum Graecam Liturgiam sua lingua populo illiterato exhibuerunt, emollire curaverunt incommodas illas, et ad superstitionem ducentes, ut Calvinistae volunt, locutiones; sed ne ipsorum culpa vis ipsorum verborum per migrationem in alienam linguam detereretur, illa ipsa retinuerunt: et versionum Arabicarum autores pari religione eas usurpaverunt, quae Graecae *θυσίᾳ* accuratissime responderent. Cedant eruditi illi, qui tot Arabicis laciniis, inutiliter ut plurimum, Dissertationes suas onerant, vel unum Liturgiarum interpretem aut Theologum, qui aliter quam ad literam haec explicet; verbum non amplius addemus: sed id praestare nemo possit.

P. 64. l. 1. *Ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας. Sursum corda.*

Admonitionis istius, quae a Sacerdote fit per modum dialogi ad circumstantes Clerum et populum, forma simplex et unica est in omnibus Ecclesiis, si Nestorianos excipimus, qui paraphrastice illam enunciant, qua de re dicetur in notis ad illorum Liturgiam. Diaconus, quod frequenter facit, monet adstantes, ut modeste stent *Στῶμεν καλῶς*, quae formula in Graeco Ritu, Syriaco et aliis perpetuo recurrit. Coptitae idem pluribus verbis faciunt: sed Graece dicuntur omnia, quamvis ad imperitos Graecae linguae, ex antiquitatis veneratione. *Προσφέρειν κατὰ τρόπον. Στάθητε. Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε. Πρόσχωμεν. Ἔλεος εἰρήνης. Θυσία αἰνέσεως*: quae formulae extant passim in Graecis codicibus Liturgiarum Jacobi, Basilii et Chrysostomi. Tum Sacerdos dicit, *Dominus vobiscum*: respondetur. *Et cum spiritu tuo.* Reliqua se habent, ut in aliis omnibus officiis, nam Graece dicuntur in Coptica Liturgia. Arabes quomodo potuerunt, varie interpretati sunt:

sed plerumque recte et fideliter, ut interpres hujus Graecae: Maronita pessime. *Ubi mentes vestrae:* cum in nostris codicibus, Regiis, Colbertinis et aliis legatur, *Levate corda vestra*: et *Sunt apud Dominum*, quae Graecis satis respondent. Deinde idem Maronita orationem ita pervertit. *Dignus est et justus*, *qui permanet princeps*, contra Graecam et Copticam lectionem, quae ut apud omnes Ecclesias ita incipit. *Dignum et justum est*, *etc.*

Praefatio autem, ut vulgo vocamus, eadem significat in omnibus Liturgicis officiis et in hymno Angelico desinit: de qua cum ad Copticam Basilii Liturgiam dictum sit, nihil superest singulari observatione dignum.

Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Hoc est corpus meum, etc. *P. 66. l. 19.*

Haec est frequentissima verborum Christi pronunciandorum forma, qualiter legitur in Gregorii, Marcique Graecis Liturgiis, ut etiam Copticis: nam nescimus qua ratione Maronita interpres contra omnium librorum fidem verterit, *quod pro multis tradetur, et pro multis dabitur:* cum Arabicae versiones vocem habeant quae *τῇ κλώμενον* accurate respondet, ut etiam Coptica, sed cujus rationem non habuit in toto interpretationis suae decursu. In eadem Coptica Liturgia interjicitur, *Amen*, in plerisque Codicibus, ut in Graeca; sed in ista nihil Graece adjicitur post Christi verba: ad marginem Coptice legitur: *Hoc est in rei veritate.* Ita in aliquot Codicibus: et nonnulli addunt: *Credo hoc in veritate ita esse.* Hanc brevem fidei Confessionem unico *Amen* includi, veteris Ecclesiae exemplum confirmat: pertinet porro ad agnoscendam veritatem verborum Evangelicorum circa institutionem Eucharistiae, qua ratione simul continetur Eucharistiae fides, quod satis verisimile est, quamvis Confessio ante communionem illam sufficienter exprimat, qua de re dictum est ad Copticam Liturgiam. An antiquitus extiterit apud Alexandrinos haec formula, non omnino certum est: cum ex Rubricarum defectu levis admodum conjectura sit: multae nempe caeremoniae observatae sunt inter actionem sacram, quae scriptae non erant. Copticae Liturgiae formam quam habent ex Graecis expressam, non noviter accepere, cum id factum sit, paulo post Muhamedanorum initia. Itaque nihil de hac confessione verbis Evangelicis subjuncta, temere videtur statuendum, sive forma spectetur, sive significatio. Assensum narrationi ex Evangelio contextae simplicem verba ipsa prae se ferunt: at confessionem de veritate corporis Christi in Eucharistia non excludunt, cum Aethiopica Liturgia quae ex Coptica expressa est, et a Patriarchis Alexandrinis ordinata, utramque contineat.

Invocatio Spiritus sancti. *P. 67.*

Novum et insigne nobis haec Liturgia argumentum subministrat quo antiquitas hujus orationis, quae prae caeteris ad probandam veram et realem

elementorum transmutationem valet, simulque ejus vera lectio confirmentur. Satis tuta erat Copticorum codicum fides, cum nulla observari posset inter illos diversitas, et muniretur praeterea consensu Graecarum omnium Liturgiarum veterum, Jacobi, Marci, Basilii et Chrysostomi: sed istius Codicis maxima est autorítas. Ex eo scilicet intelligitur nihil in textu mutandum, et frustra esse interpretationem, quam Salmasius Gregorianae Copticae Liturgiae accommodare conatus est. Invocatur Spiritus sanctus, *ut veniat super nos peccatores et indignos servos tuos*, ait Sacerdos, *et super haec dona*: nempe super ministros Christi, ut Sacerdotio suo rite fungantur; super dona, ut illa sanctificet. In sequenti particula orationis verba Graeca a Librariis male habita sunt. *Καὶ ποιήσει τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον γίνεται εἰς τὸ ἅγιον σῶμα* etc. Cum legendum sit. *Καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον γίνεσθαι ἅγιον σῶμα*. Ita enim legisse Arabem interpretem, ex ejus versione constat. *Faciat esse*, vel *fieri corpus sanctum*. Coptica versio simplicius et melius. *Et faciat panem quidem istum corpus sanctum, etc.* Sententia utrovis modo exprimatur eadem est.

P. 71. l. 33. *Προοίμιον τῆς κλάσεως. Oratio Fractionis.*

Κλάσιν sive *Fractionem* vocant Orientales eam Liturgiae partem, in qua Sacerdos panem Eucharisticum frangit in plures particulas: quarum una major calici immittitur, et ex ea consignatur: tum ex eadem consignantur aliae particulae, quae in disco dispositae sunt, fitque id quod Graeci vocant *ἁγίαν ἕνωσιν*, alii *obsignationem:* estque unio duarum specierum, qua caeremonia testantur, ut dicit Dionysius Barsalibi, *corpus esse illius sanguinis, et sanguinem illius corporis,* quae mox communicantibus distribuentur. In hoc vero loco Prooemium nihil aliud significat quam orationem, quae fit ante ipsam fractionem; non enim est quasi aliarum Praefatio. Quippe ut ad pacis osculum, ad *εἰρηνικά*, sive preces pro pace Ecclesiarum, ad gratiarum actionem, ita ad fractionem diversae assignantur orationum formulae. Quatuor in hac Graeca sunt ejusmodi orationes: quarum prima legitur in Coptico Codice, sed erat in Scaligerano sine titulo, quem alii libri repraesentant, vocantque similiter, *Prooemium fractionis*, ita vertendum est, non *divisionis*, ut Maronita vertit. Si quidem actio illa significat fractionem corporis Christi, ut Commentatores Liturgiarum docent: Eadem est quoque vox Coptica, quae legitur in forma verborum Christi. *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*, *κλώμενον* vel *θρυπτόμενον*, ut in Clementinis Con-
P. 72. 73. et 74. stitutionibus et aliquibus Liturgiis legitur. Secunda quae sancto Basilio adscribitur, extat in ejusdem Graeca Liturgia, quod indicium est scriptam illam fuisse, antequam haec Alexandrina ordinata fuisset, aut adjunctam illi fuisse hanc orationem, quod verisimilius est, quia abest a Copticis Codicibus. Tertia in illis reperitur, cum levi admodum differentia. Quarta tandem extat quoque in Coptica Liturgia, sed tribuitur Joanni Bostreno, vel, ut habet

versio Arabica, Joanni Chrysostomo. Has autoribus suis asserere frustra foret, neque operae pretium est de illarum origine fusius inquirere: satis enim illis sua autoritas constat, cum diversis Ecclesiis, Orthodoxae praesertim Graecae, quae Basilii Liturgia utebatur, communes fuerint. Jam de doctrina, quam illae orationes continent, non nihil est observandum.

Veram et intimam communicationem corpori et sanguini Christi Domini, haec verba significant: *Ut in puro testimonio conscientiae nostrae suscipientes partem sanctificatorum tuorum uniamur sancto corpori Christi tui, ea digne suscipientes.* Itaque agnoscunt qui ita loquuntur, fideles accipientes *μερίδα τῶν ἁγιασμάτων, particulam elementorum consecratorum,* uniri corpori Christi, et quod sequitur, *habere illum habitantem in cordibus suis.* Neque hic argutandi locus est, quasi unio illa fiat per fidem, ex cujus effectu solo, ut vulgo docent Protestantes, panis et calix fiant, digne communicantibus, corpus et sanguis Christi. Nam non loquuntur de vere, sed digne suscipiendo corpore et sanguine Domini *ὑποδεξάμενοι ταῦτα ἀξίως.* Qui vero indigne suscipiunt, privantur spe et viatico vitae aeternae, fructu scilicet Eucharistiae, non corpore et sanguine Domini. Nam, ut alibi fusius demonstravimus, Graeci et Orientales omnes Christiani credunt impios accipere corpus Domini.

Verum, si quae foret in illis verbis difficultas, evanesceret illa procul dubio per ea quae in sequenti oratione leguntur. *Qui sanctificasti proposita dona ista, per illapsum sanctissimi tui Spiritus.* Ex illis enim agnoscitur consecrata jam fuisse, et facta esse corpus et sanguinem, non expectata illorum participatione per fidem communicantium: effectum vero non illorum fidei, sed operationi Spiritus sancti totum tribui, ut probant omnes Invocationis Spiritus sancti formulae, quae, nisi manifesta vis verbis fiat, non possunt aliud significare, ut alibi fusius probatum est.

Εὐχὴ τῆς κεφαλοκλισίας. Oratio inclinationis capitis. P. 75. l. 1.

Ad suscipiendam benedictionem Sacerdotis, et postea generalem absolutionem. Maxima ejus pars legitur in Coptica Cyrilli Liturgia, non in Basiliana: at in altera ista totum locum Interpres Maronita mire corrupit: ut infra particulatim ostendetur. *Purifica nostrum interiorem hominem, sicut purus est unigenitus filius tuus, quem suscepturi sumus.* Ea verba perfecte repraesentat interpretatio Coptica hujus loci, in Cyrillina: quibus unigenitum Filium Dei suscipi in Eucharistia confitentur Alexandrini.

Ex Liturgia Praesanctificatorum D. Marci. P. 76. l. 25.

Locus multum animadvertendus, docet extitisse apud Aegyptios Liturgiam Praesanctificatorum, et quidem nomine D. Marci, de qua re alibi nihil

quidquam legimus. Fuisse apud eos Praesanctificatorum Missam dubitari non potest, cum Ecclesia Graeca ultra omnem memoriam illam usurpaverit, quae disciplina adhuc viget: neque minus certum, scriptam fuisse, quamvis huc usque in Codicibus Alexandrinis non reperiatur, neque Graece, neque Coptice. Cum vero ea, quam Euchologium exhibet, Praesanctificatorum Liturgia nullius autoris nomen ferat, fortasse Aegyptii qui hanc Basilianam descripserunt, illam aut similem aliquam, D. Marci appellaverunt, quod usus illius Alexandriae vulgaris esset. Verum, ut ex multis locis observari potuit, titulorum, ut varietas, ita incertitudo maxima est: quae enim hic dicitur esse oratio ex Missa Praesanctificatorum D. Marci ea, aut saltem similis occurrit in Liturgia Graeca Basilii. *Ἤνυσται καὶ τετέλεσται, ὅσον εἰς ἡμετέραν δύναμιν Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν, τὸ τῆς σῆς οἰκονομίας μυστήριον. Ἔχομεν γὰρ τοῦ θανάτου σου τὴν μνήμην· εἴδομεν τῆς ἀναστάσεώς σου τὸν τύπον· ἐνεπλήσθημεν τῆς ἀτελευτήτου σου ζωῆς· ἀπηλαύσαμεν τῆς ἀκενώτου σου τρυφῆς, ἧς καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι πάντας ἡμᾶς καταξιωθῆναι εὐδόκησον. Perfectum est et consummatum, quantum in potestate nostra erat, Christe Deus noster, tuae dispensationis mysterium. Habemus enim mortis tuae memoriam. Vidimus resurrectionis tuae typum. Repleti sumus vita tua, quae finem non habet. Fruiti sumus deliciis tuis, quae evacuari non possunt, quibus et in futuro saeculo omnes nos dignos effici benigne concede.* Utramque orationem ex eadem origine profluxisse, satis apparet, quamvis Alexandrina pluribus verbis expressa sit. Inde ejus antiquitas demonstratur; simulque designatur, communem illis precibus titulum antiquitus fuisse, cum Marci Liturgiae tribuatur ista oratio, ut aliae nonnullae quae leguntur in Basiliana.

P. 77. l. 22. *Δέσποτα κύριε ὁ θεός. Dominator Domine Deus.*

Haec oratio titulum in Graeco codice nullum habet, at in Copticis qui illam repraesentant, vocatur, *Oratio absolutionis ad Patrem:* id enim et Coptica et Arabica verba significant, non *communionis* sive *consociationis,* ut existimavit vir Clarissimus et doctissimus Guillelmus Bonjour Augustinianus, qui illam orationem Romae cum aliquot aliis Basilianae Liturgiae edidit anno 1699. Est autem haec oratio, absolutionis cujusdam generalis formula, quae pronunciari solet paulo ante communionem, illi non absimilis, quae initio Liturgiae dicitur, et de qua superius dictum est, quantum opus erat.

P. 79. l. 9. *Sacerdos elevat Σπουδικόν.*

Ex hac rubrica quam Codex Regius utraque lingua repraesentat, certam habemus disciplinae Alexandrinorum probationem circa elevationem, et adorationem Eucharistiae, de qua pauci admodum, etiam inter Catholicos

accurate scripserunt, cum caeremoniam illam quaererent in loco non suo, nempe statim atque pronunciata sunt verba Christi. Totius quippe Orientis Christiani consuetudo fert, ut non prius elevetur Sacramentum, et populo ostendatur, quam dicatur, *Sancta sanctis.* Ex hoc errore factum est ut multi, Orientalibus Ecclesiis ignotam esse elevationem temere affirmaverint; et quasi compertum foret, adorari non posse Eucharistiam, nisi elevetur et ostendatur, quidam ulterius progressi, nullam illius adorationem in Oriente fieri statuerunt. Istud παράδοξον cum Claudius Carentoniensis a sordidissimis autoribus mutuatum, quasi exploratam, et de qua dubitari non esset, veritatem proposuisset, velut bello adversus Catholicos feliciter confecto, inter suos triumphavit. At istius Liturgiae solius testimonium omnes illius rationes evertit, cum ex eo constet, Eucharistiam elevari, ostendique populo; unde illam adorari sequitur, ex ipsius Claudii et aliorum ratis sententiis. Videnda quae de hoc argumento alibi scripta sunt, quibus plura, si vita suppetet, *Perpet. T. 4. l. 3. c. 3.* adjiciemus.

Vox Σπουδικὸν quae hic occurrit, frustra quaeretur in Glossariis Graeco-Barbaris, non magis quam in Arabicis Lexicis אסבאדיכן *Isbadicon*, cum eam peregrinam esse satis appareat. A Graeca Δεσποτικὸν formatam esse nempe, ut subintelligatur σῶμα, dubitari non potest: certe talem significationem illam habere, series orationum demonstrat. Quippe Σπουδικὸν est particula panis consecrati major, quae a caeteris secernitur, ex qua consignatur calix, et quae in meditullio disci collocatur. Itaque quod vox illa significat satis est perspicuum: et cum dicitur, *Sancta sanctis*, nihil aliud quam Eucharistia potest designari, cum praeter illam ἅγια et ἁγιάσματα in altari nulla sint, ad quae soli sancti admitti debeant. *Sancta* illa esse Eucharistiam, probat veteris Ecclesiae disciplina, cum statim communio distribui soleret, et eo spectaret celebris illa admonitio, ne alii quam qui ad percipienda mysteria parati essent, accederent. Jamque etsi nondum percepta, *Sancta* existimabantur: et secundum quasdam versiones Syriacas haec verba ita intelligebantur, ut significarent, esse *Sancta sanctorum.* Haec quidem acclamatio non extabat in Codice Scaligerano, nec in Regiis aut in nostro: verum eam repraesentat Codex Regius ex recensione Gabrielis Patriarchae, qui et illius in Rituali suo meminit, unde illam in versione nostra reposuimus, cum illam omnium cujuscumque linguae Liturgiarum commendet autoritas, istius praesertim Graeci, qui Copticum antiquitate superat.

Ὁ ἱερεὺς λέγει τὴν Ὁμολογίαν. *Sacerdos dicit Confessionem.* *P. 79. l. 23.*

Confessio ista in omnibus Alexandrinis Graecis et Copticis Liturgiis reperitur, estque insigne, si quod unquam, fidei de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, illarum Ecclesiarum testimonium. Vetustatem illius probat Liturgia Graeca D. Marci. Cum vero non integra referatur, sed primae tantum voces Σῶμα ἅγιον: de tota illius forma qualis in pri-

maeva Orthodoxorum Alexandrinorum Liturgia extabat, judicari non potest. Ut enim se habet in Codice Regio, eam Jacobitis propriam esse certum est; cum unius in Christo naturae professionem, quae ad sententiam Orthodoxam reduci non potest, contineat. Verum magna se offert difficultas circa illam Confessionem. Legimus enim in Historia Patriarchali Gabrielem filium Tarich, qui inter illos LXX. numeratur, in prima Liturgia, quam more majorum in Monasterio S. Macarii celebravit, pronunciasse illa verba, *fecit illam unam cum divinitate sua*, et reliqua quae sequuntur: Monachos illa cum stupore audivisse, tanquam sibi incognita, nec in suis Ecclesiis dici solita; tum de illorum sensum dubitasse, quasi confusionem, mistionem, et alterationem inducerent. Respondisse Gabrielem, Confessionem se pronunciasse, quomodo ab Episcopis qui manus illi imposuerant, praescripta, verbatimque suggesta fuerat: statutum tamen eximendae suspicionis causa, ut adderetur, *sine mistione, confusione, aut alteratione.* Gesta sunt haec statim post Gabrielis ordinationem, quae facta est anno Martyrum 847. Jesu Christi 1131. Additionem porro illam factam fuisse antequam Codex Graeco-Arabicus Regius scriberetur, manifestum est; et illam omnes deinde Codices pervasisse inde efficitur, quod nullus huc usque visus sit, qui illam non exhibeat. Fortasse Alexandriae recepta jam fuerat additio prima, quam Macariani Monachi nondum acceperant: quod tamen non nisi conjectando dici potest. At cum prima Confessionis pars, nempe *Corpus sanctum*, usque ad illa: *Accepit illam ex B. Virgine*, Graece dicenda praescribantur in Copticis Liturgiis, illa vero posterior pars non nisi Coptice, dubium inde nascitur, et quidem non inverisimile, quod antiquitus Confessio primis duabus periodis terminaretur, reliqua a Jacobitis addita postmodum fuerint. Ratio est quia quaecumque Graece extant in Copticis officiis, ex veteribus Graecis retenta sunt, ut adhortationes Diaconorum ad circumstantes: *Πρόσχωμεν. Στῶμεν καλῶς. Προςεύξασθε. Ἄξιον καὶ δίκαιον*, et aliae. Unde quod tota ultima periodus Graece non dicatur in Copticis Liturgiis, recentiorem illius institutionem non obscure significat. Quod in hac Basiliana Graece extat, non est certum antiquitatis indicium: sed illud significat huc usque ab omnibus ignoratum, fuisse Jacobiticas Ecclesias Ritus Alexandrini, quae linguam Graecam in sacris conservaverint: cum distinctio Jacobitarum et Orthodoxorum Patriarchatus Alexandrini certa videretur, quod isti soli Graece, ut etiamnum solent; nunquam a Muhamedanorum initio Coptice sacra fecissent: illi hac sola lingua, Graece nunquam. At esse potuerunt homines Jacobitae satis Graece periti, ut haec pauca verba transferrent, in quibus etiam barbaries quaedam animadvertitur. Quidquid tandem sit, si de autoritate hujus Confessionis dubitandi vel minima causa superesset, confirmatur illa egregie ex comparatione Graeci exemplaris, quod huc usque incognitum fuerat: tum Aethiopici, quod eamdem refert acceptam ab Alexandrina Ecclesia Jacobitica, quae a tempore Benjamini Patriarchae, qui sedem tenuit cum Muhamedani Aegyptum subegerunt, omnes Aethiopibus sacrorum leges praescripsit.

Hist. Patr. Alex. p. 502.

In secunda Confessionis parte legitur ἡ σὰρξ ζωοποιὸς *caro vivifica*, quam vocem Coptitae retinent: Arabes per נסד quae *corpus* significat, reddiderunt, quod idem est. De voce, *vivifica:* quaestio etiam olim fuit sub Joanne Patriarcha LXXII. qui ordinatus est anno J. C. 1147. cum Monachi nonnulli eam novitatis arguerent. At illi a Macario Semnudae Episcopo et aliis, autoritate Cyrilli qui ea usus fuerat confutati sunt. Nullum vero Codicem vidimus ubi ea non legatur. Quae de eadem Confessione dicenda supersunt, fuse exposuimus in Commentario ad Basilii Copticam Liturgiam. In Codice Graeco, praeter eam Rubricam quae Elevationem praescribit: aliae nullae sunt. Sed cum in Copticis ritus minutatim explicatur, eumdem fuisse apud eos qui Graece sacra celebrabant, non est dubitandum. Si qui forte Codices Liturgiarum Graecos Alexandrini Ritus nanciscentur, ex illis quas indicavimus notis, hanc materiam uberius illustrare poterunt. *Hist. Patr. Alex. p. 526.*

Observandum quoque obiter est in Liturgia D. Marci turbatum aliquid videri, cum *Sancta sanctis*, dicendum assignetur ante Fractionem, quod stare non potest: nam illa prius fieri debet, non minus quam consignatio et unio utriusque speciei, antequam mysteria eleventur et populo ostendantur. Tum Confessione dicta, statim communicat Sacerdos, mox aliis communionem distribuit.

Ὁ Λαὸς λέγει ψαλμὸν ν'. Populus dicit Psalmum 50. *P. 80. l. 27.*

Errore factum, ut *Sacerdos* excusum sit. Psalmus dicitur ad misericordiam a Deo implorandam, veniamque peccatorum. *Κοινωνικόν*, oratio est ex earum genere quae dicuntur ante communionem: modulus seu *τροπάριον* in vulgaris Graecis Liturgiis, ut notat Goarius, quid apud Graecos dicitur ante fractionem; hic rectius post eam, et priusquam communio distribuatur. Esse autem ejusmodi *κοινωνικὰ* diversa, secundum dierum varietatem, locus hic testatur. Sunt illa duplicis generis: nam quaedam in Liturgiis adscribuntur, et dicuntur publice, praeeunte Diacono. Altera privati officii sunt, qualia extant in Horologio Graecorum, ea in parte quae dicitur *Ἀκολουθία τῆς ἁγίας μεταλήψεως*, ubi nonnullae orationes reperiuntur, Basilio et Chrysostomo tributae, et quarum magna pars ex illorum Liturgiis deprompta est. Codicem quo *κοινωνικὰ* Alexandrinorum contineantur, nullum vidimus; extitisse tamen non est dubitandum: nam Ecclesiastici libri aliquot recensentur ab Abulbircat, qui vix reperiuntur: et ex tali numero nonnulli esse possunt, qui *κοινωνικὰ* continerent. Graeci hujus generis secundum Ritum Alexandrinum multo rariores sunt, quia Constantinopolitani Patriarchae omnes ferme suppresserunt, qui ab Ecclesiae suae consuetudine diversi essent. *Euchol. p. 146.*

P. 80. l. 30. *Συναχθῆτε καὶ εἰςέλθετε οἱ διάκονοι. Congregamini et intrate Diaconi.*

Cum rubricae hoc in codice vix ullae sint, et Coptici caeremonias diversas contineant, conjectandum est, sed secundum verisimilitudinem. Observamus secundum disciplinam Alexandrinae Ecclesiae, intra *Βῆμα* seu *sanctuarium*, constitisse Sacerdotes, Episcoposve, si sacris interessent, non vero Diaconus, nisi altaris ministerio fungerentur. Nam unus Diaconus altari adstabat, et ministrabat, ut passim notant rituum Interpretes: haud plures, ut in aliis prope omnibus Ecclesiis. Hoc igitur loco intelligendum videtur, Diaconum ministrantem vocare collegas suos ad Communionem, quam suscipiunt, postquam communicavit Sacerdos celebrans, et Sacerdoti socio seu ministranti dedit particulam consecratam, in manum, vel in cochleari, ut notat Gabriel: tum Diacono ministranti, et deinde aliis Diaconis mysteria impertit. Itaque vocantur his verbis, ut ad altare accedant, ubi communionem accipere solent, reliqui etiam ex Clero. Videnda sunt quae de illius ritu diximus in notis ad Copticam Liturgiam: quamvis enim in caeremoniis sit aliqua diversitas, (nulla quippe Ecclesia est, aut fuit, quae proprios aliquos non haberet, quod de Aegyptiacis testatur Abulbircat,) illa tamen levis admodum videtur fuisse: saltem explicari melius non potest, quam ex ea quae in Copticis officiis observatur.

Ib. l. 32. *Εὐχὴ εὐχαριστίας. Oratio Gratiarum actionis post communionem.*

Ista, et quae sequuntur orationes non eaedem omnino sunt, si verba spectentur, ac illae quibus officium terminatur in Coptica Liturgia. Nempe, ut superius observatum est, illarum orationum variae formae sunt: ex diversis Liturgiis petitae, neque omnes dici solent, nisi ad Sacerdotis arbitrium, sed omnium una sententia est. Prima quae incipit, *Impletum est gaudio os nostrum*, paucis immutatis legitur in Copticis Codicibus. Sequitur alia quae *γονυκλισίας* dicitur: in Copticis titulum habet, *Impositionis manuum*, sed oratio ipsa diversa est. Nec ista etiam exemplaria inter se perfecte consentiunt: nam ultima benedictio quae extabat in Scaligerano Codice, omnino differt ab ea, quam Regii et alii Codices repraesentant. Idem observari potest in officiis Latinis, non modo Romani Ritus, sed Gothici, Mosarabici, Ambrosiani, Gallicani, praeter singulares, multarum Ecclesiarum usu confirmatos. Nempe ante Communionem, et ea peracta, pronunciabantur benedictiones diversae super populum a Sacerdotibus: et erant nonnullae Episcopales dictae, quia a solis Episcopis dicebantur. De illis accurate et fuse scripsit Cardinalis Bona, quem consulere operae pretium est, cum multas ejusmodi benedictiones collegerit. Episcopalium collectiones extant in manuscriptis Codicibus, qui idcirco vocati sunt olim *Benedictionales libri*. Utque in hoc Ritu Alexandrino Diaconus dicit, *Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ Θεῷ κλί-*

Rer. Liturg. l. 2. c. 16.

νατε. Inclinate capita vestra Deo, ita in Latino, *Humiliate vos ad benedictionem.* In Gothico Missali praescribuntur orationes quae dicuntur, *Post communionem* et *Collectio:* talis illa est in Missa in die Nativitatis Domini. *Sit nobis, Domine quaesumus, medicina mentis et corporis, quod de sancti altaris tui benedictione percipimus, ut nullis adversitatibus opprimamur, qui tanti remedii participatione munimur.* Tum occurrit prolixior benedictio populi, ad finem Missae Innocentium. Similis in Missa Circumcisionis Domini: ubi duplex occurrit una ante, altera post communionem. *Respicere dignare hos populos tuos, qui per nostri oris officium benedictionum tuarum dona desiderant. Reple eos tuae scientia voluntatis, ut in omnibus, mandatorum imperio, piae venerationis famulentur officio. Averte jocundas et noxias corporum voluptates, etc.* In secunda, *Benedicat vos Dominus omnipotens, et per abundantiam misericordiae suae cor vestrum corroberet: mentem sanctificet, vitam amplificet, castimoniam decoret, atque sensus vestros in bonis operibus, semper aedificet: prospera tribuat, pacem concedat.* Variantur illae benedictiones secundum diversas solennitates, argumento sumto ex mysteriis quorum agitur memoria, aut ex sanctorum quorum festa celebrantur, rebus gestis. Ita in aliis officiis: unaque omnium sententia est, ut benedictiones super populum mysteriis salutaribus refectum, a Deo effundantur, praesertim vero spirituales: neque omittuntur preces ad obtinenda divina beneficia, ad hujus vitae tranquillitatem et securitatem. Haec vero sunt quae ultimis illis orationibus continentur, quae, ut etiam Copticae, ex variis Liturgiis collectae sunt, et sub diversis titulis leguntur.

P. 269. *P. 277.* *P. 280.* *P. 289. 297. et 304.*

Reliqua quae ad istam Liturgiam possent observari, cum in notis ad alias explicata sint, praeterimus.

IN LITURGIAM GRAECAM
SANCTI GREGORII
ALEXANDRINAM
NOTAE.

Liturgia Sancti Gregorii. *P. 85*

EAM cum Basiliana, repraesentat Codex Regius Graeco-Arabicus: de eaque idem dicendum est quod de praecedenti: magnam scilicet esse illius cum Coptica conformitatem, adeo ut una et eadem haberi debeat: cum diversitas sit in illis solis orationibus, quae ad sacram Actionem seu Anaphoram proprie dictam non spectant: ut sunt praeparatoriae, Gratiarum actionis, et aliae nonnullae.

Ib. l. 17. Ὁ ἐπισκεψάμενος ἡμᾶς ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς. *Qui visitasti nos in misericordia et miserationibus.*

P. 17. Haec oratio non legitur in Copticis exemplaribus, neque in Graeco-Arabico titulum ullum habet: occurrit autem in Liturgia sancti Jacobi, inde notam illam toto Oriente fuisse manifestum est.

P. 87. Εὐχὴ τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου. *Oratio Evangelii.*

P. 88. l. 5. Ista oratio non est loco suo posita, cum non dicatur Evangelium, ante eam quae mox sequitur: neque intermitti solet, ut commemorationes fiant. Itaque secunda istius pars ad primam non pertinet, et ab ea est distinguenda.

Ib. l. 22. Εὐχὴ τοῦ καταπετάσματος. *Oratio veli.*

P. 57. et 280. Diversa est ab ea quam Copticus codex habet: de qua videndae notae ad hunc locum. Ista vero, *Οὐδεὶς ἄξιος*, legitur in Liturgia Graeca Basilii, sed dum canitur hymnus Cherubicus, ut etiam in ea Chrysostomi.

Εὐχὴ τοῦ καταπετάσματος παρ' Αἰγυπτίοις. *Oratio veli apud Aegyptios.*

Ea sola reperitur in Codice Coptico, neque temere nota adjuncta est, qua illam Aegyptiis propriam esse significatur: cum aliae ex diversis Liturgiis desumtae sint: quae si cum Copticis et aliis comparentur, etsi nonnulla sit diversitas, sunt tamen similes sententiae et eadem saepe verba. Unde constat preces illas non singularis alicujus, sed universalis Orientalis Ecclesiae fuisse.

Duae quae sequuntur Orationes osculi pacis, eaedem sunt ac illae quas Codex Copticus repraesentat; ut etiam aliae prope omnes quae sequuntur, de quibus nihil occurrit dicendum, quod in notis ad reliquas dictum non fuerit. Illud singulare isti et paucis quibusdam aliis Officiis Liturgicis, quod tota recitatio institutionis Eucharistiae ita refertur, ut ad Christum, in secunda persona, oratio dirigatur.

P. 98. l. 8. Αὐτὸς οὖν δέσποτα τῇ σῇ φωνῇ τὰ προκείμενα μεταποίησον. *Ipse igitur Domine tua voce haec proposita transmuta.*

Hujus orationis sententiam explicavimus in notis ad eumdem locum Liturgiae Copticae, quae expressius significat realem Christi in altari praesen-

tiam: de qua controversia moveri nulla potest, cum illa verba *παρών*, praesens ita explicentur, *qui coram nobis positus es*. De momento consecrationis peractae non disputant Orientales, ideoque frustra in illorum orationibus significatio quaereretur, reali transmutationi contraria. Invocant Christum, ut mysterium hoc perficiat: non negant idcirco, consecrationem jam factam, cum ejus autorem et perfectorem, ut praesentem et coram se positum alloquantur. Sed tunc demum perfectum mysterium esse credunt, cum omnia quae ex instituto Christi, per Apostolos tradito observanda sunt, perfecere. Causam transmutationis principem, Christum et Spiritum sanctum agnoscunt: ministerialem, Sacerdotem qui verba Christi rite pronunciat, et ab eo petit, ut mittat Spiritum sanctum, qui omnia consummet atque perficiat. Sed haec fusius explicata sunt.

Eadem nota dispunximus absurdissimum Claudii Salmasii Commentarium in illam periodum Invocationis Spiritus sancti, quae est in Liturgia Coptica. Graeca lectio illum ita refellit, ut cum tali interpretatione stare nullatenus queat, atque adeo, si quid obscuritatis foret in Copticis aut Arabicis exemplaribus, discuteretur illa subito. Quae igitur ad alias Invocationis formulas annotavimus, abunde sufficiunt.

Τῶν εὐσεβῶς βασιλευσάντων. Eorum qui pie regnant. *P. 100. l. 17.*

Verti posset, *qui pie regnaverunt;* sed utramque significationem expressit Coptica Liturgia, ut etiam versiones Arabicae. Qui hac Liturgia, aut aliis Alexandrini ritus utebantur Christiani, ex vetusta consuetudine, et ex Pauli Apostoli praecepto, orabant pro Imperatoribus et Regibus, quorum nullus tunc Christiani nominis hostis non erat. Mox oratum est pro iisdem, postquam Christo nomen dederunt, non quod Christiani essent, sed quod Imperatores. Illi vero cum a Constantino usque religionem servassent, vere *pii et Christum amantes* dicebantur, unde haec formula in Codices Liturgicos ubique recepta est. Videtur autem ea sola ratione conservata fuisse, quod illam immutari debere nemo crederet, cum id fieri non posset absque regnantis principis contumelia. Itaque haesit in libris Missalibus, quamvis in aliquibus leviter immutata; nam in multis, simpliciter oratio fit pro Regibus. Nestoriani veterem formulam absque mutatione retinuerunt; ut legitur in Graeca ista, nempe dum officio satisfacere videbantur, Principes quosdam suae sectae Christianos animo designabant, ut Tartaros illos, quorum Imperator a Ginghizchano profligatus est; et Indos quosdam in Malabarica Regulos. Similiter Jacobitae Aegyptii de Regibus Aethiopiae et Nubiae cogitabant, qui erant, ut sunt etiamnum, Alexandrinae sedi subjecti. De Muhamedanis Califis, Sultanis, aut aliis, verba Liturgiarum non possunt intelligi: nec tamen inde sequitur vetustiores esse Liturgias Muhamedano Imperio, ut nunc se habent. Sunt sane institutae longe ante illa tempora, cum ex Graecis expressae sint, sed aliquam diversis locis mutationem passas esse negari non

potest: at neque designari quidquam quod ad insinuandam realis transmutationis doctrinam pertineat.

P. 105. l. 2.

Προοίμιον τῆς κλάσεως. Prooemium Fractionis.

Haec oratio non habetur in Copticis exemplaribus. Continet autem brevem et distinctam Theologiae Orientalis explicationem, istis verbis: *qui Sacerdotes quidem in ordine ministrorum constituisti, per invisibilem autem tuam potestatem, ea transmutasti,* vel ad verbum *transelementasti.* Concilium Romanum anno 1079. in causa Berengarii ait. *Panem et vinum per sacrae orationis verba et Sacerdotis consecrationem Spiritu sancto invisibiliter operante converti substantialiter in corpus Dominicum, natum de Virgine.* Remigius. *Panis quem frangimus, utique primum consecratur a Sacerdotibus et a Spiritu sancto.* Ascelinus Ep. 2. ad Berengarium. *Panem* ait, *et vinum in altari, Spiritus sancti virtute per Sacerdotis ministerium, verum corpus verumque sanguinem Christi effici:* quae testimonia ex multis aliis selecta, variis ex Ambrosiano, Gothico, Mosarabico aliisque autoritatibus confirmantur: tantum abest, ut quisquam olim existimaverit detrimentum inferri sacro Sacerdotum ministerio, si Christo et Spiritui sancto ut causae principi, consecratio tribuatur. In ultima parte, ut in multis aliis, erratum est a librario, qui scripsit *διὰ σεαυτοῦ παρέχοντος*, cum manifeste *παρέχων* legi debeat. Hoc loco deficit versio Arabica.

Tom. 10. ed. Paris. p. 378.
In 1. Cor. c. 10.
Tom. 9. Conc. p. 1058.

Ib. l. 27.

Oratio Fractionis.

Neque illa extat in Copticis Codicibus: sed quamvis isti alios antiquitate non superent, haec tamen oratio ob perspicuam Jacobiticae doctrinae expositionem, Calchedonensi Concilio vetustior esse non potest, cum unius naturae in Christo confessionem contineat, sed absque confusione, aut alteratione. Quod sequitur, agnoscere Jacobitas Christum esse *consubstantialem Patri secundum divinitatem: consubstantialem nobis secundum humanitatem,* etsi mirum illis videri possit, qui illorum opinionem non novere, nisi ex vulgatis autoribus, verissimum tamen est. Quae enim in hac oratione leguntur reperimus in Coptico Euchologio Bibliothecae Regiae, ubi inter *Theotokia,* seu Preces ad Deiparam, haec occurrunt. *Verbum factum est homo, absque divisione, unus ex duobus, divinitate pura absque corruptione, aequalis,* sive, *consubstantialis Patri: humanitate indivisa, consubstantialis nobis.* Reliqua totidem verbis exprimuntur in hymno ad Christum. Plura de illorum opinione circa Incarnationem reperiuntur in Historia Patriarchali, et de illa dicendum erit alibi fusius. Sed haec oratio accurate illam explicat, magnamque habere debet autoritatem: cum variis fidei Confessionibus, Theologorumque sententiis accurate respondeat.

Hist. Patr. Alex. p. 305. 361. 365. 471. et 582.

Orationes fractionis aliae quae sequuntur, ea praesertim quae occurrit ultimo loco p. 107. cum extent in Copticis exemplaribus, jam explicatae sunt in Notis ad Gregorianam illa lingua Liturgiam. Ex utriusque porro codicis comparatione, si quae erat in alterutro obscuritas, plene discutitur, et verae, non metaphoricae transmutationis fides quam continent, egregie confirmatur tribus diversis linguis, Graeca, Aegyptiaca, et Arabica. Ista vero ultima lingua, cum plures versiones habeamus, crescit majorem in modum testium veteris fidei numerus: inter quos nullus, aut interpretando, literalem et simplicem significationem, ad figuratas locutiones avertit, aut per observationem adjunctam, ut aliter quam verba sonant intelligerentur, admonuit.

Oratio alia Fractionis. P. 108. l. 1.

Benedictus es Christe Deus noster. Cum haec oratio legatur in Coptico exemplari, multa quae in ea observatu dignissima sunt, exposuimus in notis ad eumdem locum, quas vide.

Εὐχὴ ἄλλη ὁμοίως. Oratio alia similiter dicenda.

Σὺ γάρ εἶ ὁ κλῶν καὶ κλώμενος, καὶ ἄκλαστος. Tu es enim qui frangis et frangeris, quamvis non fractus. P. 110. l. 1.

Sententia haec, et aliae similes quae in Graecorum Orientaliumque libris passim occurrunt, illis qui veram elementorum in corpus et sanguinem Christi transmutationem rejiciunt, venire numquam possunt in mentem: nec ab illis, quacumque ratione illas torqueant, possunt explicari. Christum scilicet, Orientales in Eucharistia praesentem ita agnoscunt, ut viventem, Sacerdotemque secundum Ordinem Melchisedech, Pontificem futurorum bonorum, qui Sacramentum quod ipse instituit, praesentia sua, et ineffabili operatione Spiritus sancti perficiat. Eo spectant illa quae superius leguntur. *Qui tunc benedixisti, etiam nunc benedic: qui tunc sanctificasti, etiam nunc sanctifica: Qui tunc fregisti, etiam nunc frange: Qui tunc dedisti discipulis et Apostolis tuis, etiam nunc domine da nobis et omni populo tuo.* P. 105. Igitur Sacerdos antequam Eucharisticum panem frangat, quod facere debet, ut Christi exemplum imitetur, eum invocat, ut fractioni praesens sit, eamque sanctificet: eaque ratione, Christus frangit per Sacerdotis ministerium, sicut benedicit et sanctificat eodem illius ministerio. Cum vero panis ille consecratus, sit ipsum corpus vivum Christi Domini, dicunt Coptitae, Christum esse ipsum qui ut Deus, praesens omnipotenti virtute sua, sacramenta per Spiritum sanctum invisibiliter perficiens: per Sacerdotem visibiliter operans, frangit, id est, idem facit quod in Eucharistiae institutione fecerat. Esse quoque ipsum qui frangitur: quia corpus ejus vivum, sub specie panis frangitur, manet tamen ἄκλαστος, quia nulli jam

passioni est obnoxium, idem corpus. Ita Nestoriani in Liturgiis suis dicunt, *Oblationem vivam et rationalem primitiarum nostrarum, victimamque non immolatam, Deo offerri.* Item, *Agnum Dei qui quotidie sacrificatur sacramentaliter, et vivit in saecula:* et alia de quibus videndae notae ad Theodori Liturgiam. Pari intellectu Graeci dixerunt, Christum esse in Sacramento eum qui offert, et qui offertur, secuti Gregorium Theologum, qui ita locutus est in Apologetico. *Ὅτι μηδεὶς ἄξιος τοῦ μεγάλου καὶ θεοῦ, καὶ θύματος, καὶ ἀρχιερέως, ὅςτις μὴ πρότερον ἑαυτὸν παρέστησε τῷ θεῷ θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν. Dignum esse neminem magno Deo, hostia et Pontifice, qui non prius exhibuerit se Deo hostiam vivam, et sanctam.* Ea occasione turbae non mediocres excitatae sunt in Ecclesia Constantinopolitana anno Christi M. CLVI. Sub Manuele Comneno, de quibus Cinnamus l. 4. Nicetas l. 7. et autores alii fuse scripserunt. Nempe cum Basilius Diaconus interpretando Evangelium, publice hanc doctrinam ex pulpito praedicasset, Michael Protecdicus Ecclesiae Constantinopolitanae, Nicephorus Basilacius, et alii, eam, tanquam haeresin Nestorianam induceret, impugnaverunt, quibus adhaesere Soterichus Panteugenus Patriarcha Antiochenus designatus, Eustathius Metropolita Dyrrachii, et alii nonnulli. Synodo habita eodem anno, anathema pronunciatum in illos est, qui explicatam a Basilio doctrinam impugnarent. Totam istius controversiae historiam accurate ex Graecis autoribus explicavit Leo Allatius; tum multa Theologorum veterum et recentiorum testimonia collegit, non modo ex libris editis, sed etiam ex manuscriptis. Ea omnia Dositheus Patriarcha Hierosolymitanus, transtulit in Enchiridion suum, seu editionem Tractatus quem, titulo *Scuti fidei Orthodoxae*, scripserat, quique Synodi Hierosolymitanae seu Bethleemiticae, quia in ea probatus et confirmatus fuerat, nomine Lutetiae olim editus est. Tantum abest porro, ut quod anno M. DCLXXII. scripserat, Synodoque proposuerat, retractaverit, quin potius ea novis et quidem multis argumentis confirmavit. Quod ab Allatio descripsit magnam testimoniorum partem, id eum λατινόφρονα fuisse non probat, cum in odio Romanae Ecclesiae consenuisse eum sciant omnes, qui Constantinopoli aut Hierosolymis illum viderunt, et satis demonstret Nectarii, cujus discipulus fuit, liber adversus Primatum Romani Pontificis; cujus operis, autorem illum potius quam editorem fuisse, fama in Oriente fuit. Verum cum illud publicaverit et in Praefatione qua Nectarii vitam breviter complexus est, illum ab inimicitiis quas contra Latinos perpetuo exercuerat, impense laudaverit, non minus quam Meletium Syrigum, cujus refutationem Confessionis Cyrilli Lucaris simul edidit, frustra illius in Latinos propensio quaeritur, a qua longissime remotus fuit. Cum vero Allatianam testimoniorum ex Graecis Autoribus Collectionem in opus suum transfudit, eadem opera nullam inter Graecos Latinosque de Eucharistiae fide controversiam esse professus est; agnovitque nihil ab Allatio referri, quod Graecis ignotum foret aut improbatum. De eadem controversia videnda etiam quae scripsit idem Allatius in Praefatione ad excerpta varia Rhetorum et Sophistarum, in qua multos et quidem gravissimos Wolphii, dum Nicetam interpretatus est, errores emendat.

Lit. Theodori.

Exercit. 26. adv. Creighton. p. 522. et seq.

Enchir. p. 47. et s.

Romae 1641.

Εὐχὴ τῆς ἐλευθερίας. P. 110.

Intelligenda est oratio *Absolutionis* quae paulo ante Confessionem fidei de Eucharistia pronunciari solet, ut in aliis Liturgiis observare licet. Nulla ad hanc partem Graeci Codicis, extat versio Arabica. Sed de sententia dubium esse nullum potest, cum eo ipso loco notetur in Codice Coptico, dicendam esse orationem Absolutionis, sed quae sumenda sit ex Liturgia sancti Basilii: quae diversa est ab ea quam Graecus Codex et Copticus repraesentant. Sunt quippe variae istarum absolutionum formulae.

Sequitur Confessio fidei *Corpus sanctum* et reliqua, quae cum aliis omnino consentiunt; atque adeo nullis novis observationibus indigent, ut neque preces aliae quibus haec Liturgia concluditur.

IN LITURGIAM GRAECAM
SANCTI MARCI
SIVE
SANCTI CYRILLI
NOTAE.

Hujus officii pars prima non est Anaphora proprie dicta, sed eas orationes complectitur quae aliis Liturgiis servire possunt ad praeparationem, extenduntur que usque ad Orationem osculi pacis. Quod autem huic officio praemissae sunt, ea ratio reddi potest. Fuisse Ecclesias ritus Alexandrini, in quibus sola ista Liturgia usurparetur, non duae alterae Basilii et Gregorii Theologi: aut cum in Codice Cryptaferratensi haec unica reperiretur, ne Sacerdotes ea utentes ad sacrorum mysteriorum celebrationem, alio codice quo preces *προπαρασκευαστικαί*; et aliae continebantur opus haberent, ex illo adjunctas esse; quod factum observamus in aliquot Copticis exemplaribus, ubi una ex tribus sola descripta erat Liturgia. In illis prima ista pars sumebatur ex Basilii Liturgia, quam sub hoc titulo Graeci cognovisse non videntur, sed sub Marci nomine, quia propria erat sedis Alexandrinae, ab illo fundatae. Inde fit, ut plures orationes, quae in prima sunt, in ista legantur. Si in reliquis non accurate respondent omnia, sive preces, sive ritus, mirum esse non debet, cum circa preces, insignis et alicujus momenti P. 120.

diversitas nulla sit: ritus vero non modo in diversis Provinciis (nam multas Alexandrina Dioecesis complectebatur), sed in una urbe per Ecclesias, possint esse diversi: ut in Aegypto, singulares quosdam habebant Monachi sancti Macarii, quod Abulbircat et alii testantur. Verum si momenti alicujus discrimen inter illas Liturgias aliquibus observari posse existimetur, illis praesertim qui illas obiter tantum inspexerunt, ea illius causa videtur esse, quod ista Marci non tam ad Jacobitas, quam ad Orthodoxos Alexandrinos olim pertinuit, cum in ea vix quidquam Monophysitarum doctrinae simile reperiatur. Nec aliam, ut existimamus, designavit Marcus Patriarcha Alexandrinus, cum de illa sententiam Theodori Balsamonis exquireret. *Juris Orient. l. 5. Ed. G. L. p. 362.*

P. 120. l. 12.

Εὐχαριστοῦμεν, etc. Gratias agimus.

Haec est oratio Gratiarum actionis, ut vocatur in Copticis exemplaribus, quae hoc loco non eamdem modo sententiam, sed ipsa verba repraesentat. Vide notas ad eum locum.

P. 121. l. 17.

Orate pro Rege.

Vertendum potius fuit, *pro Imperatore:* nam haec oratio simul cum aliis Liturgicis, scripta est antequam Muhamedani Aegyptum subegissent. Copticas Liturgias Josephus Scaliger vetustiores Graecis esse censebat, quia stante adhuc Romano Imperio scriptae videbantur: at Graecum exemplar primarium et archetypum esse, quamvis multa argumenta non probarent, ex ista et duabus aliis Liturgiis Alexandrinis Graecis demonstratur. Illam autem, ut Graece extat, orationem, immutatam ab antiqua lectione esse suspicamur, quando ut se habet, non modo Christianis principibus, sed aliis potest convenire; cum in Liturgiis Constantinopolitanis et aliis, etiam Orientalibus, saepe adjunctum reperiatur *πιστῶν, Fidelium.* Est etiam unde suspicemur istam orationem et reliquas quae sequuntur esse transpositas: cum in aliis Liturgiis Alexandrini ritus sequantur Orationem *Absolutionis*, cui in Graeco codice praemittitur.

P. 122. l. 16.

Beatissimum Pontificem nostrum Papam N.

Hoc loco non agitur de Romano Pontifice, sed de Patriarcha Alexandrino, cui *Papae* nomen dudum tribuitur, non ob insulsam Eutychii rationem, quasi, quod esset Pater Episcoporum, qui Patres vocari solebant, ipse *Papa*, hoc est avus, appellaretur, sed ex vetustissima consuetudine, de qua alibi dictum est. Quod si Makrizius et alii nonnulli Eutychium secuti sunt, hominis dignitas eos circumvenit: neque Muhamedanus divinare poterat Patriar- *Eutych. T. 1. p. 74.*

cham Alexandrinum in Originibus Ecclesiae suae, peccasse tam graviter. Sed haec alibi, quantum opus erat, explicata sunt.

Oratio Introitus.

P. 123. l. 8.

CAVE ne Introitum hic intelligas Romano more. Is enim de quo agitur, est quem Graeci ***Minorem Introitum*** vocant, illatio scilicet Evangelii, de qua mox dicetur.

Ita, et.*

Ib. l. 22.

IBI aliquid deesse notavit primus editor et interpres Joannes a sancto Andrea. Sed fortasse desunt plura quam ipse existimavit. *Οὕτως καὶ ἐφ' ἡμᾶς τοὺς περιεστηκότας δούλους σου ἐν τῇ εἰσόδῳ τῆς ἱερουργίας τὰς* τοῖς ἐπισκόποις*, ad haec verba annotavit. ***Deest aliquid in contextu Graeco, quale est** πρόσδεξαι δεήσεις **suscipe orationes Episcoporum, etc. aut potius** ἐπιβλέψας δωρούμενος τὰ ἀναγκαῖα τοῖς, etc.* Nihil minus, ut videtur. Oratio est ***Absolutionis,*** generalis scilicet illius, quae ritu Alexandrino inter primas praeparatorias solet recitari, non modo super circumstantes, sed super Sacerdotem celebrantem, ab eo qui dignior est, si quis Liturgiae intersit. Sensus igitur abruptus est, nisi periodus aliqua supponatur deesse, quae ad absolutionem illam pertineat. Cumque in Liturgia Basilii sequatur ***Oratio thuris,*** cujus mentio est in verbis illis quae lacunam proxime sequuntur, duae orationes in unam videntur, aut librariorum negligentia, aut codicis mutilatione coaluisse.

Εἴσοδος Εὐαγγελίου. Introitus Evangelii.

P. 124. l. 10.

Is est quem *μικρὰν εἴσοδον* Graeci appellant, cujus ritum accurate descripsit Jacobus Goarius in notis ad Missam Joannis Chrysostomi, cum scilicet infertur Evangeliorum liber cum cereis accensis, thuribulis fumantibus, et Ecclesiasticorum processione. Eadem Orientalium hac in parte disciplina est, de qua dictum est ad Liturgiam Basilii. Eam Evangelii illationem sequitur oratio ante ejus lectionem: sed cum aliae dicantur ante lectiones Epistolarum Pauli, et Catholicarum, supplendae illae sunt ex alia Liturgia, nihil enim ex Scripturis legitur in Orientali ritu, absque praevia singulari oratione. Quae ad Evangelium legendum pertinet, ejusdem sententiae est, ac illa quam Codex Copticus, Syriaci et alii repraesentant.

Euchology. p. 16.

Trisagium.

P. 125. l. 4.

Hoc loco non assignatur in aliis Liturgiis. Quod vero legitur hic, ut apud Orthodoxos cani solebat, absque additione illorum verborum *qui cru-*

cifixus es pro nobis, quam Petrus Gnapheus induxit, Orthodoxae doctrinae signum est, simulque antiquitatis. Jacobitae quippe Aegyptii, non minus quam Syri illa verba subjungunt: unde constat hanc Liturgiam ad illos non pertinuisse, verum ad Orthodoxos: idque eo verisimilius est, quod in illa nihil occurrit quod Monophysitarum haeresin vel leviter redoleat.

P. 126. l. 6.

Συνάπτη.

Non est proprie loquendo Collecta, quo sensu illa vox in Latinis Missalibus usurpatur, sed oratio quae lectioni Evangelii statim subjungitur. Continet autem preces pro omnibus personis, et publicis necessitatibus, pro quibus oratur ante inceptam Anaphoram et post consecrationem. Inter alias animadvertenda est oratio *pro aquis fluminis,* Nili scilicet, de quibus solis haec verba intelligi possunt ἀνάγαγε εἰς τὸ μέτρον: *Eleva eas ad justam mensuram;* quod certum indicium est pertinuisse illam Liturgiam ad Ecclesias Aegyptiacas; non minus quam Copticas in quibus idem legitur. De hac oratione dicta sunt plura in nostris ad easdem notis. Oratio quoque fit pro Regibus, quos dum haec Liturgia scripta est, Christianos fuisse verisimile est: nam infidelibus verba non convenissent.

P. 127. l. 6.

Διάκονος λέγει τὰς τρεῖς.

Ad hanc rubricam haec notavit Joannes a sancto Andrea. *Forte Litanias tres intelligit, quarum tamen prima ante Evangelium; reliquae duae, recitato Evangelio dicuntur in D. Basilii Missa.* Nihil simile hic intelligendum est. Tres orationes significantur, quas exhibet prima Coptitarum Liturgia: quae sunt Oratio τοῦ καταπετάσματος: 2. Pro pace. 3. Pro Patriarcha et Ordine Ecclesiastico, et universa Ecclesia, quae, ut notissimae omittuntur, petendae scilicet ex alio codice. *Litaniae,* nostro more loquendo, nullae in ritu Orientali sunt; etiamsi *Kyrie eleison* pluries repetatur, a qua formula Litaniae nostrae incipiunt, et eadem concluduntur. Sed neque Graeci illas noverunt. Hanc opinionem habuit Josephus Scaliger, Litanias esse illas orationes, ubi *Kyrie eleison* saepius repetitur, et existimavit a Diptychis manasse: ingeniose, sed non vere. Diptycha adhuc conservantur in Ritu Alexandrino, ut etiam ipsa vox: neque commune quidquam habent cum ista oratione, quam *Litaniam* vocavit hujus Liturgiae interpres. Sacerdos orat pro omnibus, et de omnibus. Diaconus initio cujusque orationis, quarum aliquam et majorem partem Sacerdos secreto dicit, alta voce monet circumstantes, ut orent, secundum Sacerdotis intentionem. *Orate pro pace, pro Papa, pro Ecclesia,* etc. Populus acclamat, *Kyrie eleison,* ter ut plurimum, aliquando pluries. Nulla sanctorum, ut in Litaniis nostris, commemoratio. Orationes porro quae hic leguntur, Copticis persimiles sunt, ut etiam aliis

Ep. ad Marcum Velserum.

cujuscumque ritus. Una difficultas superest, quod tres Orationes non dicuntur a Diacono, sed a Sacerdote celebrante; verum ea non magni momenti est, cum Diaconi officium sit, monere non modo populum, sed ipsos etiam Sacerdotes quid dicendum sit, ut apud nos annunciatur celebranti a cantoribus Antiphona. Intelligi etiam potest τὰς τρεῖς, non ipsas orationes Sacerdoti recitandas significare; sed totidem Diaconi praevias ad populum monitiones.

Videte ne quis Catechumenorum. P. 128. l. 12.

Istud ex veteri disciplina, quod Liturgiae antiquitatem significat. In Copticis nihil simile, quia usus expulsionis Catechumenorum et poenitentium obsoleverat: ut hoc Liturgiae loco, de suis Syris testatur Jacobus Edessenus, et eum secutus Dionysius Barsalibi. Catechumenis vero locus non fuit, ex quo Muhamedanorum tyrannide Ecclesiae Orientales oppressae sunt: nam ne in Barbarorum servitutem rapiantur Christiani infantes, statim baptisari solent, cum tales Christi charactere insignitos, non tam facile Muhamedani rapiant.

Hic psallant Cherubim mystice. Ib. l. 14.

Sententia est quam obscuravit interpres, cani hoc loco orationem quae incipit. *Οἱ χερουβὶμ μυστικῶς*, quae quidem non refertur nisi vocibus initialibus: similisque est aliis quae occurrunt eo ipso loco ad hymnum Cherubicum.

Εἰσόδιον. Ib. l. 17.

Nihil minus est quam quod dicit Interpres *munus Honorarium*. *Εἰσόδιον* nisi subintelligenda est vox *hymnus* aut alia similis, idem est ac *Εἴσοδος* sive *magnus*, ut Graeci vocant, *Introitus*, cum panis Eucharisticus, simul cum calice, et ampullis vini et aquae ad sacrificium destinatis, infertur cum solenni pompa a *Prothesi*, sive ut nos vulgo dicimus, *Credentia;* aut etiam ex scevophylacio, sive sacristia, ad altare. Ritum integrum, ut a Graecis observatur, descripsit Jacobus Goarius, et ex illius descriptione intelligi potest is quem sequuntur Orientales, de quo etiam diximus in notis ad alias Liturgias. Tanta est enim illorum erga Eucharistiam religio, ut non modo eam venerentur, et adorent, sed panis et vini elementa, statim atque consecrationi destinata sunt, honore prosequantur, majori quam ille sit quem sacris imaginibus et sanctorum reliquiis exhibent; minori quam Eucharistiam. Neque enim audiendi sunt qui Graecos et alios Orientales calumniantur, quasi elementa nondum consecrata adorent, non ipsam Eucharistiam, quando consecratio peracta est: nihil enim magis frivolum, aut magis falsum. Ex futura consecratione vocantur *ἅγια*, *sancta,* elementa, quae mox consecranda

Euchol. p. 131.

sunt, quia inchoatam quamdam sanctitatem obtinent: ut apud Syros, ***mysteria,*** quia mysteriis celebrandis destinata sunt. Nihil de hoc ritu occurrit in prima Graeca Liturgia, quia rubricas habet paucissimas, ut plerique veteres codices nullas, cum caeremoniae aliunde peti solerent. Verumtamen celebratum esse ***Introitum*** illum seu ***Illationem*** munerum, eodem quo apud Graecos apparatu in Ecclesia Alexandrina, discitur ex Rituali Patriarchae Gabrielis, Autore Scientiae Ecclesiasticae, Abulbircat et aliis, quorum testimonia referuntur in Notis ad Basilii Copticam Liturgiam.

P. 129. l. 7.

Εὔχεται τὸν ἀσπασμόν.

Non recte interpres. *Salutationi apprecatur.* *Ἀσπασμὸς salutationem* significat, sed in usu Ecclesiastico ***salutationem in osculo pacis:*** et hoc loco ut in multis aliis, Orationem quae osculo praemittitur. Vocem ipsam Graecam Coptitae, ut ipsi Syri et Arabes, retinuerunt, ut patet ex variis Autoribus et Historia Patriarchali. Variae sunt orationes illae, adeo ut, cum una tantum ad quamcumque Liturgiam dici soleat, plures in omnibus prope Codicibus reperiantur, ut tres in Graeca Basiliana Alexandrini ritus: duae in Coptica, et ita frequenter in aliis. Illarum aliquam, ad libitum Sacerdos eligit, alias omittit.

P. 130. l. 3.

Et post osculum pacis Diaconus elata voce.

Haec male interpuncta sunt. Post Osculum pacis, Diaconus alta voce dicit. ***Offerte juxta morem***: hoc est, ***Mementote offerre sacrificium rite, et secundum Ecclesiae disciplinam:*** quae admonitio ex vetusta consuetudine, Graece dicitur apud Coptitas: in quorum libris quibusdam *Προςφέρειν κατὰ τρόπον ἡμῶν*. In Scaligerano male *Προςφερήματα*: nempe scribere voluerunt *Προςφέρειν μετὰ φόβου.* Mox ad populum, *Στάθητε*, ***state***, et in multis codicibus additur, *Εἰς ἀνατολὰς βλέπετε.* ***Ad Orientem aspicite.***

Ib. l. 8.

Credo.

Hic fortasse turbatum aliquid est. Nam Symbolum in Basiliana Alexandrina Graeca et Coptica, dicitur prius quam Osculum pacis. Neque locum suum tenet Oratio *Προθέσεως*, quae, prius et ante Introïtum, sive *Εἴςοδον* assignatur in aliis Liturgiis. In illis etiam mentio nulla est signi crucis super oblata facti, dum recitatur Symbolum; quem ritum, fortasse singularem fuisse in Ecclesia, ad cujus usum Codex Cryptaferratensis scriptus est, existimare possumus, sed Alexandrinae communem fuisse, non constat.

Super hunc panem, et hos calices. P. 130. l. 25.

In Copticis Codicibus Cyrilli Liturgiae et in aliis ejusdem ritus aut linguae, mentio nulla fit plurium panum et calicum, cum ex analogia disciplinae ad institutionem Sacramenti a Christo factam, fideles unum corpus sint, quia de uno pane, et de uno calice participant. Offerebantur quidem a fidelibus panes plures ad altare, sed ex uno Eucharistia consecrabatur: atque etiam apud Graecos, ex eo media pars eximitur, reliquae non consecrantur, sed *ἀντιδώρον*, seu, ut loquimur, *panis benedicti* loco distribuuntur. In orationibus Liturgicis, quae ad Sacrificium maxime pertinent, ut in Invocatione Spiritus sancti, unius panis et unius calicis mentio est. *Unus panis* hoc loco dicitur: *calices* in plurali numero, quia scilicet, ut saepe factum in Ecclesiis Occidentalibus, erant praeter calicem primarium alii, qui dicebantur ministeriales. De illis ita scripsit Cardinalis Bona. *Constat quoque ex antiquis Ritualibus plures in uno sacrificio adhibitos olim calices, quorum unus ipsi sacrificanti, et ministris et aliis Sacerdotibus, si qui erant prisco ritu concelebrantes, inserviebat: alii plures vel pauciores, pro numero fidelium communicantium apponebantur, qui grandiores et capaciores erant, et dicebantur ministeriales, quorum saepé fit mentio in vitis Pontificum. Respexit ad hanc calicum pluralitatem Liturgia Jacobi, in qua Diaconis praecipitur, ut attollant discos, id est patenas et calices ad impartiendum populo.* (Rit Liturg. l. 1. c. 25.) Liturgia Jacobi sanctificationis, seu consecrationis plurium calicum non meminit, sed confirmationis tantum, per immissam corporis Christi particulam. Tamen cum, ut alibi saepe monuimus, non omnia quae ad caeremonias spectant in Codicibus annotata sint, existimari verisimiliter potest, factum esse ritu Hierosolymitano, ad quem Jacobi Liturgia referenda est, id quod alibi in usu erat, cum plures calices in altari collocabantur; nempe ex majori refusam esse vini consecrati partem, in illud quod consecratum non fuisset. De illa singulari disciplina, quam Jacobi Liturgia refert, agemus in Notis ad eam ejusdem nominis quae apud Syros usurpatur. (Vol. II. p. 108.) Quamvis autem, ut superius observatum est, eadem confirmandi calices ratio Jacobitis familiaris sit, ut ex variis Autoribus probatum est, unius tamen calicis mentio est in orationibus, et in rubricis: quia, ut verisimile est, duo vel plures, quasi unus et idem habiti sunt: neque in Orientalibus Theologis aut Rituum Interpretibus occurrit quidquam, unde uno calice excepto, reliquos aliter quam per refusionem et sacrae particulae immissionem consecratos esse appareat. (Not. ad Lit. Basil. p. 292. et seq.)

Sursum corda. P. 131. l. 5.

Hic incipit Anaphora proprie dicta, seu *Actio sacra* et *προςκομίδη* *Oblatio*, sicut appellatur in Basiliana prima Graeca, ut in Copticis omnibus exemplaribus, ubi novo titulo scribitur. *Ἀναφορὰ τοῦ ἁγίου Βασιλείου*:

atque ea sacri officii pars, Canonis nostri, apud Orientales rationem habet. Eadem nota adjicitur in Codice Cryptaferratensi, sed paulo post, nempe cum dictum est a populo, *Dignum et justum est:* *Ὁ ἱερεὺς ἄρχεται τῆς ἀναφορᾶς*: ubi interpres, *Anaphoram*, *sive elevationem inchoat.* Anaphora nec apud Graecos, nec apud alios Orientales, ad quos migravit illa vox, ex usu Ecclesiastico, *elevationem* significat; neque sacra Actio, *Elevatio* appellata legitur: sed neque sententia verbis convenit, cum elevatio continuatam actionem non habeat.

Ib. l. 13.

Vere dignum et justum est.

Hoc loco animadvertere quisque potest, maximam sententiarum et verborum hujus Orationis conformitatem, cum Coptica Cyrilli: adeo ut vere scriptum fuerit ab Abulbircat, eamdem esse quae a nonnullis Marco attribueretur. Id perspicue confirmat singularis orationum dispositio, ab illa parte usque ad consecrationem. In aliis enim omnibus Liturgiis post illa verba, *Vere dignum et justum est*, Sacerdos pronunciat orationem, quae Praefationi Gregoriani ritus respondet, quae in Gallicano, Gothico et aliis, *Contestatio* vocatur, in qua Dei erga humanum genus beneficia, cum gratiarum actione recitantur, usque ad hymnum Cherubicum, *Sanctus*. Breviores sunt aliquando orationes illae, interdum prolixiores, sed in ista solummodo Liturgia, tam Graeca quam elucidamus, quam Coptica, interponitur series orationum pro omnibus et de omnibus: tum Diptycha recitantur. Hujus disciplinae exemplum, etsi in Oriente rarissimum, subministrat tamen Canon Latinus, qui eadem ferme capita, sed brevissime persequitur. Inter istam vero et Copticam Liturgiam leve discrimen est, quod in Graeca, Diaconi verba et hortationes ad orandum, omittuntur ut notissimae: in altera describuntur.

[illegible]

P. 135. l. 15.

Marci.

Quod nomen ejus legatur in hac Liturgia eidem attributa, hac admonitione munivit Joannes a sancto Andrea. *Nomen autoris Liturgiae hic adhiberi, minime novum videri debet: cum id quoque factum reperiatur in Liturgiis D. Clementis et Chrysostomi, ut exempli tantum causa, auctorum nomina inserantur: eademque ratione in libris legis, Mosis ipsius decessus continetur.* Quam nulla sit illius modi titulorum fides, dictum est fuse in Dissertatione de Liturgiis: quam inaniter vero ex titulorum parum firma autoritate Rivetus et alii, illas ut supposititias explodere conati sint, ostendimus: tum illud etiam quod autoris nomen post multos annos, in Liturgia a se ordinata inseri potuerit, nec idcirco corruptelae vel suppositionis possit suspicione aspergi. Sed neque Marco ob aliam causam Liturgia adscribitur, nisi quia propria fuit Ecclesiae Alexandrinae ab illo fundatae. Clementis Liturgia,

nulla unquam in Graecis Ecclesiis celebrata legitur: Chrysostomi nomen, illi quae titulum ejus habet, ex usu posteriori, ut insignis inter Constantinopolitanos Antistitis adjectum est. Haec dixisse interpretem oportuit, non alia se de libris Mosis disquisitione involvere.

Sanctus, etc.

P. 139. l. 9.

Ab hoc loco maxima similitudo est hujus et reliquarum Liturgiarum, atque adeo quae ad orationes in quibusdam locis explicandas spectant, in Commentariis ad Copticam et alias sufficienter expositum est. Observari solum debet, verba consecratoria Christi Domini eodem tenore referri, quo passim occurrunt in Graecis et Orientalibus omnibus Liturgiis, atque ea ratione satis demonstrari, quam calumniosa fuerit quorumdam hominum accusatio, quasi Orientales eadem corruperint, ut a Romana forma deflecterent, quam in libris Missalibus, quos reformavere Censores Romani et Lusitani, tanto studio reponendam curaverunt, quod plane necessarium non fuit, magno imbecillium et illiteratorum scandalo, quos istae interpolationes alienissimos a concordia faciunt.

Te rogamus et obsecramus etc.

Invocationem Spiritus sancti omnibus Orientalibus Liturgiis communem continet haec oratio. Illa autem, ut omnia quae praecedunt, uno tenore referuntur in exemplari Cryptaferratensi. In Coptica Cyrilli ut in duabus aliis, intermiscentur ea quae a populo in fidei testimonium, et a Diacono, ut ad orationem et attentionem religiosam excitet, dici solent: quae differentia nullius momenti est; nam Diaconorum et populi verba supplenda erant aliunde. Sententia Invocationis simplex est et Graecis codicibus conformis, atque ita sincera lectio omnium gentium Christianarum testimoniis confirmatur. Neque novis et Schismaticis Graeculis tribuendum est, quod tota per universum Orientem celebravit Ecclesia, multis saeculis ante quam nascerentur illi quos *detestandae haeresis* architectos vocare solent, quicumque lectores ad Bessarionis opusculum de Eucharistia, et alia ejusmodi remittunt, ut in Invocatione monstra videant, quae vetus Ecclesia nunquam agnovit, nec talibus terriculamentis abduci se passa est ab Orientalium Ecclesiarum communione. Sed de ea Oratione fuse tractatum est in Commentario ad Copticam Basilii Liturgiam.

Quantum ad reliqua usque ad Liturgiae finem, nihil singulare occurrit quod aliqua observatione indigeat, nisi circa communionis distributionem. Cum enim Copticae Liturgiae et Alexandrinae priores duae Confessionem illam eximiam de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, integram exhibeant, in ista leguntur tantum prima verba *Σῶμα ἅγιον*: et ad calicem *Αἷμα τίμιον*. *Corpus sanctum et sanguis pretiosus*: quod dupliciter

accipi potest. Primo, ut voces illae initium orationis solum designent, cujus reliqua pars ex alia Liturgia peti debeat. Secundo, ut paucioribus verbis Confessio antiquitus facta fuerit, quo magis ad vetustissimam illam formam accederet, quae usurpabatur in primitiva Ecclesia, in qua dicebatur tantummodo, *Corpus Christi, Amen.* et *Sanguis Christi, Amen.* Quocumque modo haec formula intelligatur, sententia est prorsus eadem. Nam veteres intellexisse id quod communicantibus praebebant, esse corpus et sanguinem Christi, et *τὸ Amen,* fidem suscipientium quantum opus erat expressisse, certiori nullo argumento probari potest, quam enucleatiori illa confessione quae sequentibus saeculis apud Aegyptios instituta est, aucta deinde singulari unius in Christo naturae confessione, quae ab aliis quam a Jacobitis proficisci non potuit, sed est tamen antiqua, cum legatur Graece in duabus Basilii et Gregorii Liturgiis non minus quam in Copticis. An istis hac in parte, haec tertia similis fuerit, sciri non potest.

Cum vero hujus Liturgiae antiquitas indubitata sit, frustraque vexatam illam a Criticis praesertim Protestantibus fuisse certis, nisi vehementer fallimur, argumentis demonstretur; eam quoque ad Alexandrinam Ecclesiam pertinuisse aeque certum sit, rituum ratio ex ejusdem Ecclesiae disciplina peti debet. Illam, quantum accurate potuimus, in Commentario primo exposuimus, qui ad ea elucidenda, quae aliquid obscuritatis habere viderentur, sufficiet. Notas paucissimas adjecit Joannes a S. Andrea, plerumque parum accuratas; nullas Margarinus Bigneus, qui illam Liturgiam Bibliothecae Patrum inseruit, quod prudenter ab eo factum est: cum illae quas aliquot aliis Liturgiis ad marginem apposuit, summam arguant rerum Ecclesiasticarum imperitiam. Conjecturae autem quas variis in locis adhibuit, ut Jacobi Liturgiam Graecam et alias interpolatas esse probaret, praesertim in Invocatione Spiritus sancti, et in forma Christi verborum, ex ista ultima penitus refutantur. Nam Graecis Ecclesiae Constantinopolitanae et aliis eidem subjectis ignota prorsus erat Marci Liturgia, imo et Alexandrinis, quando Marcus ipse Patriarcha, Balsamonem de ea consulendum censuit, a quo rejecta est. Convenit tamen in verborum Christi, et Invocationis forma cum Graecis aliis Liturgiis, et plerisque Orientalibus. Igitur dolo malo, corruptela haec quam suspicantur, a Graecis recentioribus invecta esse non potuit, cum illorum Codices eodem modo se habeant, quo Alexandrini Jacobitarum, in quos Constantinopolitani jus nullum habebant, et ipsorum Orthodoxorum qui illis Liturgiis non utebantur, et vix illas noverant. Sed istam Marci nomine appellatam ex comparatione cum reliquis Alexandrinis, cum Graecis antiquioribus et omnibus Orientalibus, satis quisque intelliget, non modo a vetustate, sed ab usu Christianorum Aegyptiorum, et conformitate orationum et rituum cum aliis, summam habere dignitatem, esseque insigne Ecclesiasticae antiquitatis monumentum.

APPENDIX

AD LITURGIAS ALEXANDRINAS;

Continens Dissertationem de Patriarcha Alexandrino Coptitarum; et ritum ordinationis ejusdem ex Pontificali Bibliothecae Seguierianae Latine conversum.

Liturgiis Alexandrinis Jacobitarum subjungere visum est ob argumenti conformitatem, Dissertationem de Patriarcha Alexandrino, secundum Ecclesiae Copticae disciplinam, ex probatissimis Autoribus explicatam. Quamvis enim ex Historia Patriarchali nuper edita, praecipua disciplinae ad electionem Patriarcharum spectantis capita, mos Comitiorum Ecclesiasticorum, dotes in Patriarcha requisitae, illius autoritas, Dioeceseos limites, et reliqua alia intelligi satis perspicue possint; tamen materiae istius novitas difficilem facit exemplorum comparationem, ita ut ex illis juris communis aliqua regula constitui certo vix queat. Illud a nemine huc usque satis explicatum est, cum Autores Aegyptios qui Juris Canonici peritia inter suos maxime commendantur, nemo eruditorum nostrae aetatis noverit, aut apposite testimoniis illorum usus fuerit. At Ebnassalus, Abulbircat et alii, tradunt diligenter, quid Ecclesia Alexandrina observaret, tam in eligendis quam in ordinandis Patriarchis, quod jus illis competeret, eaque accuratius quam Itinerariorum, aut regionum descriptores, qui sui solum temporis rationem habuerunt, vetustasque origines prorsus ignoraverunt. Scissio Ecclesiae in partes duas Orthodoxorum et Jacobitarum, plerisque incognita fuit: et ipse Indiculus Patriarcharum, olim publicatus in *Lingua Aegyptiaca restituta,* ex utrisque consarcinatus est, atque adeo nullius, nisi ad fraudem Lectoribus faciendam, usus fuit. Alii, quos in Historia Eutychii non observaverunt, quia solos Orthodoxos recenset, ex Patriarcharum numero exemerunt; neque haec ignorantia solis se literatorum scriptis continuit, sed in gravissimas hallucinationes induxit, quos falli minime oportebat. Quis enim Clementi VIII. non publice privatimque gratulatus est, quod Ecclesiam Alexandrinam suscepta Gabrielis Patriarchae legatione et literis, ad unitatem Catholicam reduxisset: quae legatio, qualiscumque foret, fructu caruit. Verum vulgo existimabatur, ut inscriptiones, numismata, aliaque monumenta publica palam faciunt, totam Ecclesiam Alexandrinam reconciliatam cum Romana fuisse: cum interea Meletius Piga Graecus ejusdem Patriarcha, literis publice scriptis gravem calumniam sibi fieri quereretur, et anathemata in Latinos per totum Orientem,

Poloniam et Lituaniam emitteret. Protestantes aeque illis insultabant, quod Georgius Douza nuper Alexandria redux, nullum Gabrielem Patriarcham Alexandrinum esse, sed solum Meletium dejeraret: quem errorem secutum fuisse virum celeberrimum, qui per multos annos de rebus Orientalium Ecclesiasticis scribere non cessavit, satis mirari non possumus. Ignorabant igitur duos ab annis mille trecentis Alexandriae fuisse Patriarchas, Orthodoxorum unum, Jacobitarum alterum.

De Graecis Patriarchis hic non agitur, qui ut Ecclesiae Graecae fidem, ita et disciplinam sequuntur, et Constantinopolitano subjecti sunt, a quo instituuntur pleno jure: adeo ut suffragiorum Episcoporum, Cleri et saecularium ratio nulla habeatur. Cum vero sede Constantinopolitana vacante, ex veteri consuetudine, illius administrationem habeant Alexandrini Patriarchae, abfuerunt saepe multi a sua Dioecesi, et ad Patriarcharum Constantinopolitanum evecti sunt, malis ut plurimum artibus. Itaque disciplina apud eos dudum eversa est, cujus multa vestigia apud Coptitas supersunt, quae sequenti Dissertatione exponere aggrediemur. Ex Historia porro Patriarchali nuper edita, agnoscere quisque poterit nihil ab Autoribus qui de Patriarcharum electione, ordinatione, autoritate, et officiis scripserunt, memoriae proditum fuisse, quod non exemplis confirmetur.

Adjecimus Officium Ordinationis Patriarchae Alexandrini Latine interpretatum, ex codice Seguieriano Coptico-Arabico, quia similis Officii forma nulla unquam edita est: neque enim in imperfecto illo Rituali Ordinationum, quem ex Symmictis Allatii, in opus suum transtulit Vir Clarissimus Joannes Morinus, de Patriarcha ordinando quidquam occurrebat. Habet autem singularia multa haec Ordinatio, in quibus ab Episcopali differt, non tamen in iis quae ad Sacramenti *οὐσίαν* pertinere possunt; sed in caeremoniis. Neque enim ut Nestorianorum consuetudo dudum fuit, eligi in Patriarcham solet, qui jam alteri Ecclesiae per praecedentem Ordinationem alligatus fuerit, cum nullus apud Coptitas, a Dioscori tempore Episcopus, ad illam dignitatem assumptus fuerit. Sed neque Graeci ipsi, a quibus hac in parte Canones antiqui violati sunt, et inter quos frequentissimae sunt Episcoporum translationes, novam Ordinationem celebrant, sed solum *Ἐνθρονισμόν*. In isto vero Coptitarum Officio Ordinationis multa occurrunt disciplinae vestigia, quae Graecas, Syras et Latinas illustrant, ut periti Lectores satis animadvertent, modo Commentarium Joannis Morini, et Haberti Pontificale Graecorum legerint. Illi enim prae caeteris sacrarum Ordinationum doctrinam, simulque omnium saeculorum disciplinam, tam accurate tractaverunt, ut si quae adversus Orientales Ordinationes suspicio viris in antiquitate Ecclesiastica parum versatis injecta fuerat, eam penitus discusserint. Notas necessarias sed breves adjecimus, quia de sacris Ordinationibus, si Deus vitam concesserit, Commentarium dabimus, in quo omnia quae ad disciplinam Orientalium, circa illas pertinent, fusius exponentur.

DE PATRIARCHA
ALEXANDRINO.

I. Cum toto hoc opere nostro frequentissima sit Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum memoria, atque in ea secta, quae neque in Occidente, neque Constantinopoli, aut in Graecia cathedram Episcopalem habet, primam illi dignitatem obtineant, operae pretium visum est uno quasi conspectu referre quaecumque ad illorum titulos, autoritatem, electionemque pertinent, sicut de Nestorianorum Catholicis aliquando fiet. Hanc enim prae reliquis sectis, quae vel omnino interciderunt, vel adhuc supersunt, praerogativam habet Jacobitica, quod Episcoporum non interruptam successionem huc usque conservat, ab illis ordinatorum qui in Ecclesia Catholica manuum impositionem acceperant, quales erant Dioscorus et Dioscori successores. Ita quamvis haeretici et abscissi ab Ecclesia, validam tamen ordinationem habebant, cum impositionem manuum accepissent ab Episcopis legitime prius ordinatis, antequam in haeresin cecidissent. Neque inter tot calamitates quae a Concilii Calchedonensis tempore, usque ad Muhamedanos, Ecclesiam Alexandrinam turbaverunt, aliquod insigne temporis intervallum effluxit, in quo ex sua secta Antistitem non habuerit.

Alexandrini Jacobitarum Patriarchae ab Episcopis in Ecclesia Catholica ordinatis, successionem ducunt.

II. Graecis, licet Orthodoxis, idem non evenit: cum a capta Aegypto anni septem et nonaginta lapsi fuerint, quibus nullum Alexandriae, aut in ipsa regione habuerunt Patriarcham: nempe ex quo Georgius Patriarcha, Alexandria Constantinopolin fugit, anno 3°. Califatus Omari Ebnelketabi; donec constitueretur Cosmas, anno 7°. Califatus Hischami, fuit Cathedra Alexandrina absque Patriarcha Orthodoxo, per annos nonaginta septem. Ita Eutychius, qui utpote in ea dignitate constitutus, res Ecclesiae suae scire poterat: atque ex eo Makrizius, et quidam alii.

Interrupta fuit Orthodoxorum successio.

Tom. 2. p. 387.

III. Antiocheni Jacobitarum Patriarchae, quamvis successionem habent propriorum ex sua haeresi Antistitum, ea tamen non adeo certa est, cum Severus Antiochenus, et Jacobus Baradaeus multas

Antiochenorum Patriarcharum Jacobitarum successio non adeo certa est.

contra communem Ecclesiae disciplinam ordinationes celebrassent, quarum validitas vocari in dubium poterat. Et sane parum commode sensisse de illis Nestorianos, testantur Maris et Amrus, qui Jacobum Baradaeum simplicem sacerdotem fuisse scribunt: ordinasse tamen Episcopos et sacerdotes bis millenos et amplius. Neque unquam tenuerunt Antiochenam Cathedram Syri Jacobitae, ut Alexandrinam Aegyptii, ita ut nullus in ea esset Orthodoxus Episcopus. Nam Antiochenum Patriarchatum huc usque absque interruptione successionis, Orthodoxi obtinuerunt; saepe vero et diu absque Jacobitarum Patriarcha, haec primaria sedes fuit.

Nestoriana multo minus Apostolicam successionem habet.

IV. Longius adhuc abest ab illius non interruptae successionis praerogativa Nestorianorum communio. Quamvis enim Nestorius Constantinopolitanae Ecclesiae praeesset, quae ex privilegio Patriarchalis facta fuerat, cum tamen dignitate spoliatus et in exilium pulsus est, neminem qui a suis ejus loco, saltem postquam diem suum obiit, substitueretur, aut quamvis illegitimam, saltem continuatam Patriarcharum successionem servaret, deprehendimus. Nam omnes Nestoriani ex Romano Imperio pulsi, ad Persarum limites, aut in eorum provinciis sedes fixerunt. Hinc post annos satis multos, cum Ecclesiam Seleuciae Parthorum invasissent, quae quidem ex nuper instituta sub Justiniano Catholici dignitate, novam autoritatem consecuta erat, eam suae religionis Cathedram primariam esse voluerunt; atque inde nullum majorem titulum quam *Catholici Seleuciae et Ctesiphontis*, Patriarchis suis veteribus attribuerunt. At ipsa nominis, non ante sextum saeculum usurpati ratio, satis magnum est, quamvis alia multa non suppeterent, novitatis argumentum, quo plene dejiciuntur illorum summi Patriarchae, tum ab illa, quam falso sibi vindicant antiquitatis gloria: tum etiam ab ipsa autoritatis dignitatisque praerogativa, qua omnes alias Episcopales sedes sibi Nestoriani subjecerunt, aut subjicere conati sunt.

Catholici dignitas quam Patriarchae suo tribuunt saeculo sexto non est vetustior.

V. Quippe nemo in originibus Ecclesiasticis mediocriter versatus ignorat, Catholici dignitatem et jurisdictionem Patriarchali minorem fuisse, quamvis Metropolitanorum ordinem antecelleret: tum extra Antiochenum Patriarchatum, nullos fuisse ejusmodi Catholicos. Unde satis manifestum est, Nestorianos, qui omnes retro suae sectae Patriarchas, Catholicos appellatos reperiunt, frustra laborasse, ut successionem eorum ad Apostolos usque promoverent, quamvis id conati fuerint Maris Salomonis filius, et qui eum in Epitomen redegit Amrus Mathaei filius, sed prorsus infeliciter. Neque enim ex

tam recentium autorum testimonio probari potest, ab ipsis Apostolis ordinatos eos, qui primi Cathedram Seleuciensem tenuerunt, aut Catholicorum titulo fuisse designatos, cujus nominis natales quingentis saltem annis recentiores sunt. Illud omnino tanquam auri micam ex sterquilinio colligimus, ex absurdis illis narrationibus constare, etiam apud illos haereticos qui a tot saeculis Ecclesia depulsi sunt, quod ex inveterata a primis Christianismi initiis opinione crediderint, Ecclesiam esse non posse, ubi Apostolicae successionis linea deficeret. Illa vero cum Nestorianis deesset, neque antiquioribus ex ipsorum communione venisset unquam in mentem, ea excogitare quae constans omnium Ecclesiarum traditio perspicue refelleret, non ante fraudi faciendae quisquam ex illis adjecit animum, quam ubi per Arabum tyrannidem, vastatis Ecclesiis, magnaque veteris historiae ignorantia, totum Orientem obtinente, facilius fuit ea figmenta populis insinuare, quae ad eos in errore retinendos maxime opportuna videbantur.

VI. Occasio vero alia potior non fuit, quam Nicaenorum Canonum versiones Orientales variae, quae post stabilitum tota ferme Asia et Africa Muhamedanorum Imperium prodierunt. Nam legitimis viginti, adjuncti sunt alii permulti, quos Arabicos vulgo appellant; in quibus de dignitate Primatuque Seleuciensis Ecclesiae, quaedam statuta reperiuntur. Ea statim Nestoriani arripuerunt, atque eo adminiculo antiquitatem Catholicorum suorum ad Nicaena tempora promoverunt: qui conatus inutilis plane futurus apud antiquae historiae peritos viros fuisset, sed apud ignaros Ecclesiasticarum originum, quales tunc erant Orientales Christiani, successu non caruit. Huic primo aedificio, ex fictis et inconditis narrationibus fastigium impositum est, ut Ecclesia Nestoriana Seleuciensis Apostolicae successioni conjungeretur.

Occasio fabulosae illius historiae, ex Nicaenis Canonibus Arabicis.

VII. At in Alexandrina Ecclesia Jacobitarum, nihil simile: nam ut certae sunt ex vera historia, illius Marco Petri discipulo origines usque ad Cyrillum, cujus se discipulos esse existimant: eidemque successisse legitima ordinatione Dioscorum pariter certum est; ab eo successionem Patriarcharum suorum deducunt, non imaginariam, ut Nestoriani a Seleuciensibus Episcopis, sed constantem, et non modo ab illorum historicis, sed a Graecis Latinisque confirmatam. Notum enim est pulso Dioscoro, Orthodoxos ejus loco Patriarchas constitutos, quos Jacobitae pro intrusis et praedonibus habent. Illo de-

Alexandrinorum successio vera.

functo, ejus sequaces Timotheum Aelurum substituerunt, qui occiso Proterio, Cathedram occupavit, ejectusque et restitutus, sub Basilisco tyranno, et Zenone, qui Dioscorianis favebant, eam per viginti duos annos retinuit, secundum Severi et aliorum Jacobitarum sententiam. Timotheo Petrus Moggus, Athanasius, Joannes, Joannes alter, Dioscorus junior, Timotheus, Theodosius, Petrus, Damianus, Anastasius, Andronicus successerunt, atque huic Benjamin cujus anno XII. J. C. DCXL. Alexandria ab Arabibus capta est, statimque Benjamin ejectus et in monasteriis latitans, restitutus est sedi suae, atque omnem, pulsis Orthodoxis Graecis, ipsoque Georgio Patriarcha, qui Constantinopolin fugit, Ecclesiasticam autoritatem obtinuit. Ut autem certa est ea quam fuse explicavimus in Historia Patriarchali Jacobitarum Patriarcharum a Dioscoro ad Benjaminum, ita quoque certissima est hodiernorum Alexandrinorum Antistitum ex eadem secta, ad Benjaminum usque successio. Nam etsi per illud, de quo mox dicebamus, intervallum unius ferme saeculi, quo Melchitae sive Orthodoxi, Patriarcham non habuerunt, videbatur omnino futurum ut eorum continuata ab Apostolicis temporibus linea abrumperetur, essetque periculum, ne Barbari, qui Christianorum jura ex sola possessione constituebant, non facile paterentur restitui Graecis quos suspectissimos habebant, Patriarchalem dignitatem, factum id tamen est circa annum Hegirae CXII. qui respondet anno aerae Christianae DCCXXX. Atque deinceps suos quoque Melchitae Patriarchas semper habuerunt; et illorum legitimus successor est Graecus, qui Graece sacra celebrat, et primum in Ecclesia Graeca locum, post Constantinopolitanum obtinet.

Tituli Patriarcharum Alexandrinorum.

VIII. De illo quoniam multi scripserunt, neque instituti operis ratio postulat, ut in Graecarum Ecclesiarum rebus quae satis explicatae sunt, operam impendamus, ea solummodo referemus, quae omnino dictu necessaria erunt. Amplissima sane dignitas illius est, ut ex Balsamone, Nilo Doxapatrio, Notitiis, variisque aliis autoritatibus constat, quae viris eruditis notissimae sunt. Ambitiosum quoque titulum usurpat *Κριτοῦ τῆς οἰκουμένης Judicis totius orbis,* cujus tamen tituli, qualis antiquitas sit, non plane perspicuum est, sed ab annis plus minus ducentis in usu fuit, ut ex variis literis patet, quarum extant nonnullae apud Crusium in Turco-Graecia, aliae apud Allatium: unam refert Georgius Douza in Itinere Constantinopolitano, alias habemus Meletii Pigae, ante centum et ali-

quot annos scriptas: sed de eo titulo nihil ad Jacobitas pervenit, nempe quia, ut verisimillimum est, novus est omnino et insolens. At *Papae* appellantur utrique, tam Graecus quam Jacobita, a Cyrilli quidem tempore, si Balsamoni credimus, in Tractatu de Privilegiis Patriarcharum: quod in Ephesina synodo vices Romani Pontificis sustinens, ab eo privilegia acceperit, atque ipsum *Papae* nomen; sicut et *Δῶρον* quod vocant, sive *Pallium* ab eo tempore eadem ratione gestare coeperit, secundum ejusdem Balsamonis opinionem. *Balsam. in Phot. Nomocan. Tit. 8. C. 1.*

IX. Aliam nominis Papae rationem referunt Autores Orientales, quorum cum antiquissimus Eutychius sit, ab eo acceperunt reliqui, non Christiani modo, Autor Chronici Orientalis, Elmacinus, et alii, sed et Makrizius Muhamedanus; et originem ad Heraclae Patriarchae tempora referunt. *Cum* inquit Eutychius, *plebeii homines et laïci audirent Episcopos appellantes Patriarcham*, Abba, *hoc est* Patrem, *inter se dixerunt: Quando quidem nos Episcopum appellamus* Abba, *eodemque modo Episcopus Patriarcham appellat* Abba, seu patrem, *oportet ut eum nos* Papam *appellemus*, hoc est avum, *cum sit Pater Patrum, ita ab Heraclae tempore, Patriarcha Alexandrinus vocatus est* Papa. Elmacinus eadem ferme verba refert. Severus autor antiquior et melior, nihil omnino de hac appellatione scribit. Makrizius, licet quod apud Eutychium legerat, non contemserit, et ex ejus sententia scripserit vocatum esse *Papam, quasi Patrem Patrum, Patriarcham Alexandrinum*, duo tamen adjungit: nempe quod ita vocabantur jam a tempore Aniani, qui Marco Evangelistae successit; et id sane verum, cum commune nomen hoc esset, non solum Episcopis primarum sedium, sed omnibus: tum *quod ille honoris titulus translatus fuisset ab Alexandrino Patriarcha ad Romanum, quia Roma erat sedes Petri Principis Apostolorum.* Scribebat autem haec Makrizius secundum usum temporis sui: quem sciebat talem esse ut solus Romanus pontifex ita appellaretur. Tamen Coptitarum Patriarchae Alexandrini, quos Makrizius potissimum noverat, titulum illum usurpare non desierant, qui a Graecis quoque retentus est. De iis plura a nobis dicta sunt in vita Heraclae, ubi locum Makrizii integrum retulimus.

Origo tituli Papae Alexandrino tributi.

Eutych. T. 1. p. 383.

Hist. p. 1. Ms. Ar.

Hist. Patr. Alex. p. 28.

X. Quaecumque vero posteriorum Graecorum ambitio fuerit, in qua modum tenuisse vix unquam videntur, veteres, ut ex multis Epistolis constat quae apud Athanasium extant, aut in Conciliorum *Jacobitarum Patriarcharum Alexandrinorum tituli.*

actis, *Archiepiscopi Alexandriae* appellabantur: reliquorum titulorum usus nullus erat. Dudum est vero, cum Jacobitae titulos Patriarcharum suorum ita exprimunt, ut legitur in Systaticarum Epistolarum forma Coptice et Arabice *Pater N. sanctissimus Archiepiscopus magnae urbis Alexandriae, et Fostati Babylonis, et Nomorum Aegypti, Thebaidis, Pentapolisque Africanae, regionisque Aethiopiae, et Axumitarum; Nubiaeque, et Macoureos, regionisque superioris.* Titulos quorum forma ex veteribus libris ad eos pervenerat, ipsi Coptitae non satis intelligunt, unde mirum non est si nonnullas voces perperam scripserint, quae vel ex aliis locis, vel ex conjectura emendari possunt. Primae quidem significant, *Patrem sanctissimum*, quam vocem, *Abba* ex Graeca, *Papas* fecisse existimandi sunt, cum ea vox apud Aegyptios peregrina sit, nec eam adhibere soleant ad significandos Abbates, seu Archimandritas, quos voce Graeca *Ἡγουμένους* appellant.

* Illorum explicatio.

XI. Alexandria veteri nomine Aegyptiaco *Racot* appellatur, quae vox occurrit non modo in Nomenclatoribus omnibus, sed etiam apud Strabonem et alios autores. *Φύσσατον Cahiram* urbem significat, novam scilicet ab Amro filio El As ita appellatam, quod tentorium suum eo loco erexerat, et reliquerat erectum auspicii causa, quia columba in ejus fastigio ova posuerat. Voce illa, tentorium significari scribunt Arabes; quamvis verisimilior conjectura sit, a *Fossato*, voce barbara, quae castra significat, et quam ut alias innumeras Graecia recentior a Latinis accepit, ita appellatam. Videndum eruditissimi Cangii Glossarium in hac voce, et Glossae Tacticorum editae et manuscriptae. De Fostato aut Fostata, tot scriptores laudari possunt, quot de rebus Arabum Aegyptiacis occurrunt, sunt autem innumeri, tum historici tum Geographi. Multa et accurata leguntur in notatis a viro doctissimo Jacobo Golio ad Alfraganum. Illo enim loco docet non temere ab antiquis Bellorum trans mare a Christianis gestorum scriptoribus, Cahiram vocatam esse *Babyloniam Aegypti*, cum in loco vicino castrum esset quod adhuc *cereorum* seu *luminum* diceretur, quia, ut recte conjectatur, *πυρεῖον* quoddam illic olim fuerat, ex veteris Chaldaeorum superstitionis reliquiis. Attamen Babylonis nomen illi urbi conservatum fuisse, nec Historicis nec Geographis Arabibus notum videtur: neque ad id probandum etiam ex Christianis autoritates ullae facile occurrebant, praeter illas solemnium Actorum formulas. In illis vero constanter occurrit nomen illud, *Ba-*

Elmac. p. 24.

bylonis, ad significandam veterem urbem quam Arabes *Mesr* appellant: nos, ut etiam Orientales non pauci, Cahiram veterem. Nempe antiquissima est illarum urbium, vel potius partium, quae vastam illam, Cahirae communi nomine significatam componunt. Ea partim destructa, sed tamen restituta est: et ex altera Nili parte, qua Arabiae vicinior, *Fostata* ab Amro aedificata, quae idcirco *Fostata Mesrae* dicta est, quia prope veterem urbem et in ejus territorio erat. Ea vero quae Cahira singulariter appellata fuit, a Gieuharo Fatimidarum exercitus duce exstructa est anno Hegirae CCCIX: Boulac, Giza et alia loca, ea quoque urbe, tanquam partes ejus concluduntur.

XII. Ut ad res Ecclesiasticas redeamus, notandum est Patriarchas Alexandrinos diu solo *Archiepiscoporum Alexandriae* titulo contentos fuisse, qui omnes reliquos continebat. Jam dudum enim in Concilio Nicaeno statutum fuerat, ut omnium Ecclesiarum Alexandrinae sedi subjectarum haberent potestatem. Verum ex quo Alexandria capta a Muhamedanis, caput regionis Aegypti et Metropolis saecularis esse desiit, adjecerunt Patriarchae Jacobitarum pristinis titulis suis hanc provinciarum sibi subditarum enumerationem, cujus apud Graecos veteres nullum, ut existimamus, occurrit exemplum. Dicebatur autem Archiepiscopus, non Alexandriae modo, sed totius Aegypti, quia usque ad undecimum aut duodecimum fortassis saeculum, quando Damiatensis Episcopatus Metropolitani dignitatem obtinuit, nullus apud Jacobitas, praeter Patriarcham in Aegypto erat Archiepiscopus, etsi magnus esset ea in provincia Episcoporum numerus.

Archiepiscopi totius Aegypti cur dicti.

XIII. Ea fortassis ratio fuit cur Jacobitae coeperint appellari Archiepiscopi, non urbis solum Alexandrinae, sed Misrae totiusque Aegypti. Cur vero Babyloniae seu Cahirae mentionem facerent, contra antiquam disciplinam, quae non patitur ut unus diversarum urbium appelletur Episcopus, alia, quantum conjicere possumus, causa fuit; nempe cum non Alexandriae, sed Cahirae, Muhamedanorum Satrapae sedem Praefectorum Aegypti constituissent, veriti sunt Patriarchae ne Episcopi illius urbis favore principum, apud quos ambitione et largitione aditus ad omnia molimina aperiebatur, non modo ab obedientia sua recederent, sed etiam traherent ad se magnam autoritatis et jurisdictionis Ecclesiasticae partem. Itaque raro Alexandriae manebant, sed Cahirae aut in vicinis Monasteriis, ut passim in nostra historia observari potest: et in urbe Ecclesiaque sua Metro-

Cur se Archiepiscopos Misrae appellaverint.

politana, praeter solennem ordinationem, quam ex vetusta consuetudine recipiebant, tum etiam Ἐνθρονισμὸν seu Proclamationem, vix quidquam fiebat. Imo conati sunt aliquando Patriarchae, Episcopatum Cahirae abolere, et sibi adjungere, ob eamdem rationem: idque tentavit inter alios Macarius qui inter eos numeratur LXIX. post Sanutii Episcopi mortem. Sed obstiterunt Misrae cives, negantes licere secundum Canonicam disciplinam, ut Episcopus duas sedes haberet. Cum igitur hunc Episcopatum invadere non possent, Archiepiscopos illius urbis se appellaverunt, ut supremae autoritatis in eamdem Ecclesiam signum in titulis suis haberent. Cum autem *Fostatam* nominant, in formula Coptice scripta, adjiciunt Babylonis, ut veterem novamque Cahiram comprehendere se significent.

Hist. Patriarch. Alex. in vita Macharii.

Provinciarum enumeratio.

XIV. Provincias autem numerant *Χημι* seu Aegyptum, quo nomine Inferiorem significant, *Μάρες* sive Superiorem, quae ab Arabibus *Sahid* appellatur. Primum illud nomen satis notum est. Sequitur Pentapolis Africana, quae ex Graecis Latinisque notissima est, etsi solo titulo Christianis provinciis accensenda fuerit. Quippe ab origine rerum Muhamedanarum in Aegypto, vix mentio occurrit Ecclesiarum in Pentapoli, aut Episcoporum illuc missorum. Occurrit unum modo exemplum in vita Yuçabi LII. ordinati anno J. C. DCCCXXXI. qui multos in eas regiones Episcopos misisse dicitur: sed postea nulla Christianismi memoria reperitur in Historia Patriarchali. Non ita Aethiopes; nam cum olim a Frumentio, quem *Fremonatos* vocant, sub Athanasii magni Pontificatu Christianam fidem accepissent, in ea perseveraverunt. Verum illo temporis intervallo, quo Alexandrina Ecclesia Orthodoxis Patriarchis caruit, per annos nonaginta septem, acceperunt a Jacobitis Metropolitas, ea haeresi quae apud eos vigebat infectos, atque ita eam imbiberunt, ut ad haec usque tempora eam retineant, suosque Metropolitas non aliunde quam Alexandria missos accipiant. Est enim de Aethiopibus singularis disciplina in Canonibus Nicaenis Arabicis, ut Metropolitam creare non possint, sed ab Alexandrino Patriarcha eum cogantur accipere.

Nubia.

XV. Nubia eodem modo ad Jacobiticam communionem pertracta est, ut perspicue docet Eutychius, eo qui mox indicatus est loco, postquam ab Alexandrinis Jacobitis Episcopos accepit. Nam antea Orthodoxos fuisse Nubas non minus quam Aethiopes, omnino verisimile videtur. Nihil tamen de eorum Christianismo novimus, nisi sub Muhamedanorum imperio, ea quantum judicare licet ratione, quod

antiquitus Aethiopum genti quae numerosissima erat, adjungebantur: unde tam apud Plinium et Melam, quam apud antiquiores Geographos de illis occurrunt multa, quae Aethiopiae hodiernae convenire nequeunt, et ad Nubiam videntur referenda. Fuisse olim quoque missos in eam regionem Episcopos a Patriarchis Alexandrinis legimus in Historia Ecclesiastica illorum. An ea autoritas adhuc supersit illis Antistitibus, sciri vix potest, cum a Salaheddini tempore, altissimum sit in historiis de Nubia silentium. Eam autem regionem *Nabodiam* vocant Coptitae, aut *Nobates*. Neque etiam praetereundum est, quod Aethiopibus antiquissimam *Axumitarum* appellationem servaverint, cujus exemplum alibi non facile reperitur apud Orientales. Neque id ignoratione proprii illorum nominis factum, ut existimavit Ludolfus. Nam Graecorum potior fides in antiquitatibus ejusmodi, quam ipsorum Aethiopum, quorum infantia suis in originibus quam perpetua sit, ex ipsis Ludolfi Commentariis satis apparet. At Axumitae appellantur ab Athanasio, Epiphanio, Nonnoso et aliis Ecclesiasticis scriptoribus, idque nomen Ptolemaeo, Arriano, Stephano, Procopioque notum, ad Coptitas cum multis vocibus pervenit. Neque ignota est, ut existimant nonnulli, Arabibus Geographis *Axuma* Aethiopiae Metropolis, juxta Nonnosum, cum ipsius meminerit Kaswinius, Persa Geographus, et plures alii, qui tamen hanc vocem aliter scribunt, quam scripsit Scaliger, ex genio potius quam Orientalium autoritate. Sed haec omnia fusius et commodius tractabuntur, ubi de rebus Aethiopicis. Qui sint *Macuraei* divinare non facile est, neque magno periculo potest ignorari. De illis porro Dioecesibus dicetur uberius, ubi agetur de Ecclesiastica Patriarcharum Alexandrinorum jurisdictione, cum ea quae delibavimus, ad titulos eorum explicandos unice pertineant. Cum scribit ipse Patriarcha literas, quae, ut plurimum, Copticos titulos habent, vel etiam sigilla Copticis literis exarata, se appellat *Archiepiscopum magnae urbis Alexandriae*, *Cahirae et totius Aegypti*, *Africae*, *Pentapoleos*, *Libyae*, *Aethiopiae et Nubiae:* ubi vero ad eum scribitur, praeter ubertatem titulorum, quorum Oriens feracissimus est, appellatur, *Pater Patrum*, *Antistes Antistitum*, *Patriarcha Alexandriae*, etc. etsi ejusmodi compellationum forma non una est.

Not. ad Comput. Aethiop.

Summa eorum dignitas prae reliquis Orientalium Patriarchis.

XVI. Verum de titulis haec satis superque sunt. Est sane dignitas illius Patriarchae apud Jacobitas amplissima, non modo quod antiquam secundum Canones retinet, sed quod eam mirum in modum

auxerunt Alexandrini, ab annis circiter mille, ex quo ab Ecclesia Catholica sejuncti, autoritatem quam Dioscorus et proximi ejus successores, sententia Concilii Calchedonensis amiserant, favore Muhamedanorum recuperaverunt. Cum enim antea Romani Pontificis dignitatem superiorem agnoscerent, de qua etiam veteres Constitutiones Conciliorum perscriptas in Collectionibus suis conservant, Constantinopolitano quoque ex novo jure, ob urbis Imperialis dignitatem primas deferrent, ut etiamnum faciunt Graeci Patriarchae: ipsi nunc a Muhamedanorum regni initio, primi sunt omnium Jacobiticae sectae Antistitum, et superiorem non agnoscunt. Ea enim a multis jam saeculis est sedium Patriarchalium dispositio, ut non minus Jacobitae, quam Nestoriani, et Syriani quidam Melchitae, qui schismatici sunt, Graecorum exemplo, omnes tandem etiam Muhamedani, sciant praerogativam dignitatis esse penes Romanum Pontificem: atque adeo primam sedem, extra omnium tam schismaticorum, quam haereticorum communionem esse fatentur.

Patriarchatuum limites.

XVII. Graeci atque omnes quos Melchitarum communi denominatione Orientales complectuntur, hos habent Patriarchatus, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum et Hierosolymitanum, quos obtinent Episcopi Graeci ritus, qui adhuc Graeca Lingua celebrant officia Sacramentorum omnium. In eorum communione sunt Syri multi, qui Syriace sacra celebrant. Nestoriani qui antiquissimi haereticorum sunt, quorum memoria superest, nullum omnino Patriarchatum habent ex quatuor veteribus, sed primaria sedes eorum, ipsiusque sectae Metropolis Bagdadi est, aut vicinis in locis, absque titulo urbis, sed solo dignitatis, qua se *Catholicos* vocant. Nempe quia successerunt Catholicis Modainae, sive Seleuciae et Ctesiphontis, ubi olim residebant, antequam illa Persarum regia a Muhamedanis eversa foret; nam postea Bagdadum se transtulerunt, quae urbs ab Almansore Abbassidarum Califarum II. condita est anno Hegirae CXLV. J. C. DCCLXII. Nullus unquam eorum Constantinopolitanum, Antiochenumve Patriarcham, vel titulo tenus appellavit. Hierosolymis quidem circa ea tempora quibus Franci regnum obtinebant, antistitem suae sectae habebant Jacobitae; verum absque Patriarchali titulo, ita ut solo Metropolitani honore gauderet. Suum quoque Metropolitam in urbe sancta Nestoriani instituerunt, quodque summae absurditatis est, contra Canonum Nicaenorum dispositionem, vigesimum secundum inter Metropolitas locum attribuerunt, qui primus omnium,

juxta sedis suae dignitatem esse debebat. Nam reliquae Nestorianorum Metropoles, ut ex Notitia illorum patet, extra illam sectam vix habebant Episcopos; tantum abest, ut honore praecedere deberent Hierosolymitanum, qui post quatuor Patriarchas primus dignitate ubique fuit, et a Nicaeno Concilio jubebatur honorari.

XVIII. Jacobitae duorum Patriarchatuum titulos servaverunt, Alexandrini scilicet, atque Antiocheni. Alexandrinam vero Dioecesin ita obtinuerunt, ut Orthodoxis et plures essent quodammodo, et autoritate superiores. Nam ex quo Arabes Aegyptum subegerunt, omnes ferme Graeci profugientes vacuam Alexandriae Ecclesiam haereticis reliquerunt. Nativi Aegyptii ad Jacobitarum haeresin propensissimi, eam ubique amplexi sunt, atque ita in Thebaide, omnes Christiani eam intra paucos annos acceperunt. In Nubia et Aethiopia cum sacerdotes et Episcopos a Jacobitis ordinatos haberent, Jacobitae quoque intra unius saeculi spatium facti sunt. Iidem cum ex veteri quodam jure Patriarcharum Alexandrinorum, Palaestinam suae sedi subjectam esse vellent, Hierosolymis Metropolitam ordinaverunt. Antiochenum quoque Patriarcham, quasi Severi successorem legitimum agnoscunt omnes Syri Monophysitae: illius amplissima autoritas est, vocaturque inter eos, *Papa Orientis.* Hic praeter Metropoles et Episcopatus complures, subjectos habet suae autoritati alios quosdam secundi generis Patriarchas, quos *Catholicos* appellant. Ea quippe nova dignitas saeculo 5°. vel 6°. instituta est ante scissam per Jacobitas Ecclesiam, ut unus diceretur Persidis, alter Armeniae. Ille Takritae ad Tigrin diu sedem habuit, vocatusque est *Mofriano:* hic dictus Armenorum Patriarcha: qui tamen Antiocheni jurisdictionem agnoscebat, sed ita ut honoris tantum gratia, superiorem eum dignitate fateretur. Nam ex quo Persicum regnum ad hodiernam familiam transiit, et Chah Abbas magnus, saeculi superioris initio, Armenorum Julfae prope Ispahanam, coloniam constituit, illisque amplissima privilegia attribuit, Armenorum Patriarchae omnem sibi jurisdictionem vindicaverunt, eo facilius, quod per Regem Turcis inimicum non licebat cum Antiocheno Patriarcha, qui in eorum clientela erat, habere commercium.

Jacobitae Patriarchatus Alexandrinum et Antiochenum obtinuerunt.

XIX. Jam ad ea quae Patriarchae electionem spectant veniendum est. Quae observari hoc in genere possunt, ad duo capita referuntur, ea scilicet quae ante schismata, et quae postea, praesertim Muhamedanorum tempore observari solebant, ad eligendos Pa-

Electio Patriarchae Alexandrini.

triarchas. Etsi vero antiquitatum Ecclesiasticarum memoria, in libris Orientalibus nulla, nisi fabulis contaminata sit, eaque longe certius ex Graecis Latinisque monumentis, quam ex Arabicis habeatur, nam Coptica supersunt omnino nulla, tamen quia in ipsa licet non plane limpida traditione extant aliquando vestigia veteris disciplinae, ea prorsus non contemnenda visa sunt.

Olim fiebat ab Episcopis, Clero et plebe.

XX. Ac primo quidem illud pro certo tenendum est, Alexandrinam Ecclesiam communi cum reliquis omnibus jure usam fuisse, circa Episcoporum suorum electionem. Nempe, quod ab initio ubique, illic idem quoque observatum est, ut Episcopus eligeretur ab Episcopis, Clero et plebe, atque ab Episcopis per manuum impositionem ordinaretur. Aliter si factum fuisset, recessissent Alexandrini a communi omnium Christianorum disciplina, cujus, ut et orthodoxae fidei, retinentissimi erant. Neque contraria erat consuetudo, cujus testis est Hieronymus, de duodecim Alexandrinis Presbyteris, qui ex suo numero unum eligebant, quem Episcopum nominabant. Verba Hieronymi ex Epistola 85. ad Evagrium ita se habent. *Nam et Alexandriae a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Verba illa miris commentariis vexata, toties in medium produxerunt Protestantes, quoties de Episcoporum et Presbyterorum aequalitate disputatum est: etsi Anglos, qui non infimum in Reformatorum communione locum tenent, a contraria sententia removere nunquam potuerint. Hanc quaestionem quae plane Theologica est, examinare non est hujus loci, jamque id a multis Theologis praestitum est. Adjunxit Hieronymi autoritati Seldenus Anglus, inter Presbyterianos nominatissimus, leviorem omnino, vel potius nullam Eutychii Alexandrini Patriarchae autoritatem. Is in vita Marci ita scribit. *Constituit Marcus Evangelista duodecim Presbyteros cum Hanania, qui nempe manerent cum Patriarcha, adeo ut cum vacaret Patriarchatus, eligerent unum e duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent et Patriarcham eum crearent .... Neque Alexandriae desiit institutum hoc de Presbyteris, ut scilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, usque ad tempora*

Alexandri Patriarchae Alexandrini, qui fuit ex numero illo CCCXVIII. *Is autem vetuit ne deinceps Patriarcham Presbyteri crearent.* Ex autoritate tam futili, Joannes Seldenus παράδοξα duo satis probari existimavit: 1. quod Alexandrinus Patriarcha a Presbyteris eligeretur et consecraretur: 2. quod haec ordinatio nihil aliud esset quam ipsa electio.

Seldeni de ea judicium refellitur.

XXI. Quae inde contra legitimam et vetustissimam per Episcoporum manus ordinationem in libello de Originibus Ecclesiae Alexandrinae edito Londini 1642. prolixissime, more suo disputavit, jam a multis refutata sunt, et hoc uno argumento satis refelluntur, quod a nemine simile quidquam literis proditum est. Absurdum autem prorsus videtur existimare hominem in Aegypto natum saeculo decimo, et in faece Graeciae barbarae, ea de antiquis Alexandrinorum institutis scivisse, quorum ne vestigium quidem in tot Athanasii causam spectantibus actis et epistolis, totque aliis Ecclesiasticis monumentis appareat. Imo neque ipse constare videtur sibi, cum disciplinae, quam refert, ne unum quidem exemplum proponat. Autorem opere singulari refellit Abrahamus Echellensis Maronita, cui titulum dedit, *Eutychii vindicati*, et in quo Seldeni ignorantiam tam solide demonstrat, ut mirari liceat cur Protestantes, Angli praesertim, vix illius meminerint. Quae ad dogma Theologicum Ordinationis non aliter celebratae quam per impositionem manuum Episcoporum, et falsitatem opinionis, quam in Aerio et paucis aliis sancti Patres haereseos damnaverunt, possent pertinere, ea, cum ad hanc Dissertationem non spectent, referemus in illa, qua sacras Ordinationes explicare conabimur. Quae historiam disciplinae ad eligendos et consecrandos Patriarchas spectant, paucis exponemus.

Electio Patriarcharum.

XXII. Electum Patriarcham ex Presbyterorum collegio tradidit Hieronymus, cujus autoritas major est quam Eutychii, atque ita factum aliquando credi potest, imo secundum communem disciplinam fuit, ut Episcopi ex ipsius Ecclesiae, in qua per ordinationem alligati erant, gremio adsumerentur, quod factum est in omnibus ferme Ecclesiis, etiam ex quo magnum Ecclesiastica disciplina detrimentum accepit, eaque adhuc regula observatur in Germanicis Capitulis, quae jus eligendorum Episcoporum conservant, ut Episcopus, praeterquam ex Ecclesiae gremio, eligi nemo possit. Verum neque Hieronymo, neque illis autoribus dictum est, aut venit in mentem, Presbyteros ordinasse Episcopum. Cum enim eo ipso loco quem urgent tanto-

pere ad convellendam Episcopalem dignitatem, subjiciat. *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat,* satis significavit, ordinationem non modo majorum Antistitum, sed omnium, quicunque in gradu Ecclesiastico constituti sunt, ad Episcopos pertinere. Quis enim existimet eum ordinari potuisse a Presbyteris, quibus neque inferioris ordinis Clericum ordinare fas esset? Quis etiam ullum ex Ecclesiastica historia promere exemplum potuit, quo constaret Episcopum a Presbyteris ordinatum, quem Canones antiquissimi a tribus Episcopis ordinari constituunt: quos Canones habent Coptitae in suis Collectionibus, observatosque illos fuisse ex illorum historia demonstratur. Haec sane notissima apud omnes historiae disciplinaeque Ecclesiasticae peritos, probare fusius necesse non est. Verum ut in traditione Alexandrinorum Jacobitarum consistamus, haec de Eutychii narratione observanda occurrunt.

An a duodecim Presbyteris.

XXIII. Ac primo quidem observandum est, nihil extare in Severi Episcopi Aschmoninensis Historia, quod Eutychii testimonio pondus adjicere queat: non in vita Marci, neque in vita Hieraclae, aut Alexandri. Elmacinum nihil moramur, qui nihil ferme habet circa antiqua illa tempora, quod non ex Eutychio descripserit: levior adhuc esse debet Makrizii Muhamedani autoritas, qui tamen rectius et accuratius sententiam Eutychii, quam Seldenus videtur assecutus. Verba ejus sunt. *Postquam Marcus, Hananiam qui et Anianus dictus est Patriarcham Alexandrinum constituit, adjunxit ipsi duodecim Presbyteros, quibus praecepit ut quando Patriarcham diem suum obire contingeret, ejus in locum, ex se ipsis unum constituerent, aliumque ex Christianorum numero sufficerent, ita ut semper duodenarius subsisteret Presbyterorum numerus: neque desierunt creari Patriarchae ex Presbyteris, donec congregati sunt trecenti decem et octo.* Sensus igitur quem in Eutychii verbis Makrizius intellexit, non alius est quam quod institutum fuerit ab Evangelista Marco duodecim sacerdotum Collegium, ex quorum numero eligi solerent Patriarchae. Etsi verum id esse concederemus, nihil inde contra Episcoporum autoritatem dignitatemque, nihil pro adstruendo ordinationis jure Presbyteris, concludi posset.

Descript. Aegypti Ms. Ar.

Refellitur haec opinio exemplis ex historia petitis.

XXIV. Verum praeter quam quod ignota est penitus antiquis autoribus ejusdem Collegii sacerdotalis institutio: Orientales historici qui de Alexandrina Ecclesia scripsere, narrationis hujus fidem evertunt. Nam statim ubi de Cerdonis electione scribitur, qui tertius a

Marco numeratur, *ad eam convenisse*, scribit Severus, *plebem Orthodoxam, sacerdotes et Episcopos, et ab illis electum Cerdonem:* atque ita in reliquorum Patriarcharum historia: neque de ullo usque ad Athanasium memoriae proditum est, quod ex duodecim Presbyterorum Collegio fuerit, aut illorum mentio fit saltem levissima. Plebem electioni intervenisse, etiam ubique legitur, et aliquando, quasi solius populi suffragiis electi dicuntur Episcopi: saepius ab Episcopis, Clero et populo, nunquam vero in primorum Patriarcharum historia legimus, aliquem a solis sacerdotibus electum, multo minus ab illis duodecim. Exempla illa ex Severi historia partim retulit Abrahamus Echellensis: et ea fusius a nobis relata sunt in Epitome nostra, ubi hoc Eutychii testimonium expenditur. *Hist. Patr. Alex. p. 10.*

Echellensis opinio de verbis Eutychii.

XXV. Aliam praeterea solvendae illius difficultatis viam proposuit idem Echellensis, ut doceret qua ratione intelligenda forent ea verba, quae significare videntur sacerdotes undecim uni ex suo numero manus imposuisse, atque ita ordinationem Episcopalem ab ipsis perfectam fuisse. Observat enim duplicem fuisse manuum impositionem, seu *Χειροτονίαν*: unam ad suffragia ferenda: alteram ad sacrum ordinationis ministerium: primam, quae manuum extentione ad consensum suum significandum constabat, non modo a sacerdotibus, sed etiam a Laïcis fieri potuisse: secundam non item: et de prima intelligendum esse Eutychium. Haec explicatio modicam, aut nullam certitudinem habet: et si fundamento non caret penitus secundum Graecae linguae originem, at in Arabica nihil simile. Quod enim usu venit in plerisque linguis quae voces peregrinas accipiunt, ut persaepe alio prorsus significatu accipiantur, quam in primaria sua origine, id circa vocem *Χειροτονίας* observamus in Arabica. Eam scilicet vocem Arabes Christiani servaverunt; et *Chartoniat* in eorum libris occurrit aliquando ad significandam Ordinationem, quae fit per impositionem manuum Episcoporum; quae propria et unica significatio est Graecae vocis apud Christianos. Nam altera quae ad suffragii per manus extentionem ferendi, aut simplicem Magistratuum electionem spectat, etsi antiquis scriptoribus familiaris aliquando fuerit, vix tamen a Christianis usurpata legitur: neque magis valet alterorum autoritas ad illam confirmandam, quam si quis Ecclesiae vocem, eo quod apud Demosthenem et reliquos Oratores frequentissime occurrit, ex illorum sententiis juberet interpretari. Occurrit igitur *Χειροτονία* sive ut ipsi efferunt *Chartoniat*, apud antiquiores Cano-

num Interpretes, eo sensu quem habet apud autores omnes Ecclesiasticos, pro Ordinatione. Verum communior omnino usus illius vocis est in diversa plane significatione, nempe *Simoniae*, sive pecuniarum, aut munerum exactione pro ordinationibus. Ea acceptione frequenter reperitur in Historia Saracenica, nec eam interpres intellexit. Frustra ergo laboratur in illius vocis etymologia explicanda, cum rem ipsam, de qua agitur, teneamus. Quippe certum est ex Severo Episcopo Aschmonin aliisque autoribus, nunquam electionem Patriarcharum Alexandrinorum ad solos Presbyteros, praesertim duodenos illos, quos a Marco institutos volunt, pertinuisse, sed, ut ubique, ad plebem, Clerum, et Episcopos. Neque id solum probant Historiae Alexandrinorum Jacobitarum, sed Canones antiqui et recentiores ab Aegyptiis collecti, praesertim Echmimensi et Ebnassalo: tum etiam Collectiones aliae minoris pretii, sed non levioris apud eos autoritatis. Eam porro disciplinam stabiliunt ex Canonum Apostolicorum et Clementinarum Constitutionum autoritate, quae apud eos inconcussa est. Si quid contra Alexandriae observatum fuisset, notatum foret, et ex Marci Evangelistae institutione commendatum.

Quid verisimilius videatur dicendum de Eutychii testimonio.

XXVI. Quod ergo verisimilius est ad interpretationem Eutychii, proponemus. Fatemur eum fabulam de duodecim Presbyterorum Collegio ita intellexisse, ut ipsis eligendi Patriarcham, jus tributum crediderit. Dum vero ait manus ipsi sacerdotes imposuisse, nihil aliud significatum voluit, quam electum a se sacerdotem, ordinandum curasse, sicut in vita Agrippini Patriarchae X. legimus *convenisse populum et manus imposuisse illi, atque illum ordinavisse Patriarcham et in sede D. Marci collocavisse.* Nempe populus proponebat: suffragia a Presbyteris, et Episcopis confirmabantur: tum procedebatur ad Ordinationem, ab illis faciendam, qui ordinandi jus haberent, nempe Episcopis; non Presbyteris, multo minus Laïcis. Certum quippe est ex sequentium saeculorum disciplina, quae antiquioris praecipua lineamenta retinuit, impositionem manuum ad dandum Spiritum sanctum, potestatemque ligandi et solvendi, et alia ad fungendum rite et legitime sacerdotium necessaria, nunquam ab aliis factam esse, quam ab Episcopis: neminem inter tot Patriarchas aliter fuisse constitutum, quam Episcopali ordinatione, aut in sede D. Marci, quae ultima erat caeremoniarum pars, collocatum ab aliis fuisse, quam ab Episcopis.

XXVII. Neque praetereundum est, quod ulterius ad evertendam narrationis Eutychii fidem pertinet, constare ex ipsa Alexandrinae Ecclesiae historia, eo temporis intervallo quo Patriarchas ex duodecim Presbyterorum numero assumtos esse contendit, duos reperiri, Agrippinum et Demetrium, qui ex eorum ordine non erant. Nam primus ex *plebe Christiana* fuisse dicitur, hoc est Laïcus: de altero non modo scribunt eum Laïcum fuisse, sed uxorem habuisse: unde etiam orta non levis contentio est, multis eum repellentibus, quia nullus, inquiebant, a D. Marco, usque ad illa tempora ad Episcopatum Alexandrinum promotus fuerat, nisi nuptiarum expers, et qui virginitatem ab ineunte aetate servasset. Unde Demetrius integritatem suam ab opere conjugali miraculo asseruit, jussa uxore ut prunas ardentes in sinu vestis circumgestaret, quam historiam descripsimus in vita Demetrii. Athanasius Diaconus erat, non ex Presbyterorum collegio.

Refellitur ex historia.

Hist. Patr. Alex. p. 20.

XXVIII. In eadem Eutychianae historiae particula, quam Seldenus Latinam fecit, etiam novum παράδοξον legitur, quod nulli tum essent *in provinciis Aegyptiacis Episcopi* usque ad Demetrium. Jam ab Echellensi observatum fuit et a nobis in vita illius Patriarchae, aliter scriptum ab Eutychio, qui singulare nomen adhibet, ex quo interpres plurale fecit. *Provincia Aegypti* non totam regionem, sed Inferiorem, quae aliter Delta appellatur, significat: atque ea est quam Aegyptii proprie Χημι appellant, ut ex forma Epistolarum encyclicarum apparet, scribi solitarum post ordinatum Patriarcham. In illis enim Χημι distinguitur a Sahide, sive superiori Aegypto. Fieri potuit ut aliquando unus Alexandrinus Episcopus totam inferiorem Aegyptum rexerit, etsi id omnino repugnet ipsorum Arabum, qui Eutychio non minus fidem merentur, testimoniis: dum scribunt ad electionem Patriarcharum, qui ante Demetrium fuerunt, Episcopos convenisse. Neque tam insignis facti meminit Severus Aschmoninensis, cujus autoritas aequalis, aut fortasse superior est. Tum et illud absurdissimum sequeretur contra omnium Ecclesiarum mores, ut Episcopi nulli in Aegypto fuissent, ante Demetrium Patriarcham Alexandrinum a Presbyteris ordinatum: quod si verisimile Presbyteriano visum est, at omnibus qui aliquem disciplinae Ecclesiasticae gustum habent, nunquam suaderi poterit, etiam si Eutychii centum id affirment. Quis enim dubitet in multis Ecclesiasticis causis exemplum Ecclesiae tam celebris valiturum fuisse contra Episcopos, cujus

An tunc nulli essent in Aegypto Episcopi.

tamen nemo meminit: non ipse Hieronymus, qui parum favens Episcoporum autoritati, Ordinationis tamen praerogativam, eo ipso quo abutuntur Haeretici testimonio confirmat, qua simplices Presbyteros superent? His adjungi potest argumentum ex ipso Eutychio petitum qui post captam Aegyptum, docet Melchitas suos, cum Alexandrinum Patriarcham per annos nonaginta septem non haberent, ad Episcopos Tyri misisse ordinandos Episcopos. Si haec traditio nota fuisset, erat tunc in summa rerum necessitate locus, ut Presbyteri veteri illo suo jure uterentur: neque cum tantis periculis extra provinciam ordinationes peterentur. Verum, ut autor Historiae Ecclesiasticae recte observavit, tam exigua est hominis barbari, et saeculo X. scribentis autoritas, de illis rebus quae secundo vel tertio saeculo gestae sunt, ut eum fusius refellere opera sit abuti sua. Si tamen tanta videtur esse Protestantibus, sequantur eam in omnibus aliis fidei aut disciplinae capitibus, et se extra Ecclesiam Catholicam esse statim agnoscent.

Eutych. *T. 2. p. 385.*

Modus eligendi Patriarcham.

XXIX. Verum ut jam ad modum electionis in Patriarchis creandis observatum veniamus, quae ante Muhamedanorum tempora facta sunt, omittimus, quia nullam Alexandrina Ecclesia singularem consuetudinem habuit, nisi fortasse jus illud Presbyterorum, ut unum ex numero suo eligerent, quod alibi etiam observabatur, ita tamen ut electio populi suffragiis confirmaretur, et ab Episcopis consecratione perficeretur. Athanasius erat in ordine Diaconatus, cum ad supremam Ecclesiae suae dignitatem assumtus est: omnes electione plebis, sacerdotum et Episcoporum ad Patriarchatum pervenerunt, non modo Athanasii successores primi, antequam Ecclesia scinderetur a Jacobitis: sed etiam qui Dioscoro, ubi in exilio mortuus est, a suis sectatoribus suffecti sunt. Constans ab eo tempore disciplina fuit, ut post obitum Patriarcharum Episcopi Alexandriam convenirent, et postquam Muhamedani rerum potiti sunt, aliquando Cahirae comitia Patriarchalia habita sunt: aliquamdiu alternatum est, ita ut Alexandriae, et dein Cahirae conveniretur. Et si quando vices erant Alexandrinorum et tamen in altera urbe celebrarentur, Alexandrini in electione praecipuas partes habebant.

Qui ad electionem convenirent.

XXX. Qui porro ad ea convenirent, docet nos exemplum literarum systaticarum quae extant in Pontificali et in Collectione Abulbircat, nempe Episcopi, Clerus, et primores Alexandriae, tum Clerus et praecipui urbis Misrae, sive Cahirae, atque ita constanter obser-

vatum reperimus, in plerisque, quarum memoria superest, electionibus. Nam Muhamedanis haec initio Imperii sui lex praecipua fuit, ut Christianos cujuscumque sectae, suis moribus vivere permitterent, neque ab ea recesserunt, nisi postquam ipsi Christiani, vel sectarum diversarum inter se pugnantium, vel in eadem communione quorumdam nefarii conatus, ad dignitates capessendas, barbaros in eorum perniciem armarunt, ut multis ex historia Alexandrina exemplis apparet.

Ad Alexandrinos et Cahiranos quomodo pertinuit.

XXXI. Diximus vicibus alternis Alexandriae et Cahirae cives jus electionis habuisse: id vero quando institutum fuerit non tradunt historici: primum enim exemplum est in vita Christoduli Patriarchae LXVI. qui ordinatus est circa annum J. C. MLVIII. illum enim ab Alexandrinis electum scribit historicus, quod ad illos electio hac vice pertineret. Cyrillum ejus successorem Misrae cives pari jure elegerunt: rursus Michaelem qui ei successit, Alexandrini: Macarium postea Cahirani: verum ejus successorem Gabrielem filium Tarich, adhuc iidem elegerunt, ut observant historici, nulla ratione designata, cur successive duas ad se electiones traherent. Rationem, ex conjectura tamen tantum, hanc in Epitome nostra proposuimus, quod Alexandrini biennium et amplius labi passi fuissent, antequam de candidato proponendo inter eos convenisset, quo praetextu, et, ut verisimile est, cum aliquo fundamento ex recepta inter eos consuetudine, Cahirae cives, eam electionem consentientibus Episcopis fecissent. Poterant etiam facile Jacobitarum primores, qui in Officiis domus Sultanorum, Divanisque, seu Ministeriis aulicis munera amplissima occupabant, autoritate principum, plus juris usurpare quam sibi competeret.

Exemplum electionis per Monachos factae.

XXXII. Exemplum unicum occurrit electionis per Monachos factae, Marci filii Zaraae Patriarchae LXXIII. ad quos, ait historicus ejus vitae, tunc pertinebat. Verum id unico illo exemplo constare non potest: cum neque Abulbircat, neque Ebnassalus, aut alii qui leges electionum fuse exposuerunt, eas aliquando ad Monachos pertinuisse scripserint. Aut igitur illis concessa est eligendi Patriarcham potestas, absque ullo partium praejudicio, aut quia ad S. Macarii Monasterium comitia Episcoporum habebantur, in sententiarum, studiorumque diversitate datum illis est, ut quem ipsi designarent, is omnium votis salutaretur. Fieri etiam potuit ut, quando quidem jam ab eo tempore consuetudo invaluerat, Patriarchas ex ordine religioso

assumendi, quae adhuc servatur, Monachis permitteretur eum designare, quem digniorem existimarent. Quippe non solum congregationi Monachorum celeberrimae, et quae apud Jacobitas magna sanctitatis et doctrinae opinione florebat, id aliquando tributum fuisse videmus, sed etiam Monachis quorum fama major esset, aut qui ad hanc dignitatem communi consensu expetiti, eam acceptare detrectabant, concessum fuit, ut quem vellent, designarent. Ita ex senis qui sanctitate commendabatur, et quem multi nominaverant, designatione, electus est Mennas Patriarcha LXII. et Gabriel filius Tarich LXX. monitu Josephi cujusdam Syri Monachi: nec non alii in eumdem modum. Aliter, quantum ex Historia Alexandrina colligere licuit, Monachi soli ad eligendum Patriarcham nunquam jus habuerunt. Post mortem Joannis filii Abugaleb LXXIV. quae incidit in annum Martyrum DCCCCXXXII. J. C. MCCXVI. cum mutuis calumniis dissidiisque tam Ecclesiasticorum quam Laïcorum, ambituque Davidis cujusdam sacerdotis, qui tandem Patriarchatum obtinuit, vacasset sedes per annos prope viginti, eversa est disciplina vetus, neque jam ab aliquot saeculis, alia eligendi Patriarchae ratio est quam alibi passim in toto Imperio Turcico, nempe, ut is ordinetur qui Diploma Principis obtinet, quod pecunia redimitur. Verum ut ad antiquiora tempora, quorum proprie historiam scribimus revertamur, ea prorsus consuetudo fuit ut electio libera servaretur, et in ea plebs suffragium ferret.

Laïci quodnam in electione jus haberent.

XXXIII. Et quidem antiquitus, non alterius ut videtur, ratio plebis haberi solebat, quam Alexandrinae: idque communi jure privilegium fundabatur. Cum enim Ecclesiae Alexandrinae proprius Episcopus esset, is qui ex adjuncta sedi suae praerogativa, amplissimis Aegypti aliarumque provinciarum Dioecesibus praesidebat, Patriarchali titulo, debebat ab ipsis eligi, quorum proprius et privatus pastor futurus erat. Itaque ante Muhamedanorum tyrannidem, Alexandriae convenire solebant tum Episcopi, tum alii ad quos electio, vel consecratio novi Antistitis spectabat. Ex quo Misra, sive Cahira caput Regni, principumque sedes fuit, cum Laïcorum primarii, quos voce Graeca *Ἄρχοντες* vocant, Coptice *Νιαρχων*, in ea urbe sedem haberent, (plerique enim erant in principum ministerio,) eorumque consensus necessarius foret, ne diversis partium studiis schismata, ex duplici electione nascerentur, institutum fuisse videtur, ut conventus tum Episcoporum, tum Laïcorum Misrae haberetur, qui olim Alexandriae fiebat. Accedebat enim alia non minoris momenti ratio, quod

cum absque Sultanorum aut praefectorum mandato consecrari novus Patriarcha non posset, statim atque in alicujus nomen consenserant, obtinebatur electionis confirmatio. Quod si Alexandriae Concilium illud haberetur, periculum erat, ne qui repulsam passi fuissent, aut qui aulicis officiis adstricti, absentium rationem non habitam fuisse moleste ferrent, calumniis apud Principes, quaecumque Alexandriae constituta fuissent, irrita fieri procurarent. Ita paulatim factum, ut Comitia Patriarchalia Misrae seu Cahirae haberentur: ad honorem vero urbis primariae, et quae olim non minus regni quam religionis in Aegypto caput fuerat, aut Ordinatio, aut tandem ἐνθρονισμὸς Alexandriae celebraretur, quae disciplina exponetur accuratius, cum agetur de Patriarchae Ordinatione.

Alternationis Cahiranorum et Alexandrinorum origo: et electionis ratio.

XXXIV. Alternatio illa Alexandrinorum et Cahiranorum, cujus nullum saeculo undecimo antiquius exemplum occurrit, nata est, ut videtur, eadem occasione; cum Laïcorum Jacobitarum primarii ad urbem regiam fortunas omnes suas transtulissent. Illi enim cum sua interesse existimarent, ne se inconsultis Patriarcha renuntiaretur, tum etiam ne impedimentum ex confirmationis, quae a Principe postulanda erat, defectu aut retardatione, nasceretur, cum nobiliores illi plerique Alexandrinae civitatis jus haberent, obtinuerunt tandem, ut Comitia Patriarchalia Alexandriae et Cahirae alternatim haberentur. Ea autem ratio Comitiorum erat, ut qui jus electionis haberent, proponerent universo Episcoporum et aliorum concilio, eum qui maxime dignus videretur. Postea vero ob eas, quas exposuimus, rationes, consuetudo invaluit, ut semper Cahiram conveniretur: idque vulgo dudum fieri dicunt testes fide digni, nihil enim historici de hac disciplina, praeter ea quae diximus, perspicue scripserunt. Si Alexandrinorum vices essent, primas illi sententias dicebant: si Cahiranorum, illi pariter; proponebant nomen candidati, quem praeferebant; illum vero acceptare aut rejicere poterant Episcopi, aut alii qui suffragii ferendi jus habebant. Quod si inter se diversa hominum studia conciliari non possent, tunc aut Alexandrini adversus Cahiranos, et vicissim: aut Episcopi adversus Laïcos, pro suo quisque candidato, contendebant. Neque ullum in tota Alexandrina Jacobitarum Historia occurrit exemplum electionis a Laïcis factae, quae absque Cleri et Episcoporum consensu rata fuerit; adeo ut proprie loquendo, jus populi et Cleri aequale quodammodo in suffragiis ferendis fuerit. Nam populus, quem volebat designabat: si ab universo concilio, aut majori ejus parte

rejiciebatur candidatus, aliusque ab Episcopis, aut ab alterutrius civitatis nobilioribus proponeretur, repelli quoque ab illis, qui alium nominaverant, poterat. Clerus et Episcopi neminem proponebant, nisi postquam ille, qui primum expetitus a populo fuerat, repulsam tulisset.

Conveniebant aliquando ad S. Macarium.

XXXV. Aliquando factum legimus, ut neque Alexandriam, neque Cahiram convenirent, sed ad Monasterium D. Macarii ad vallem Habib, ut factum est ad electionem Cyrilli LXVII. et Macarii LXIX. Nempe quia jam a multis saeculis solent eligi Patriarchae ex ordine Monastico: idcirco quoties non satis apud se tam Episcopi quam Laïci nobiles constituerant, quis supremo illo honore dignus videretur, ad ipsa Monasteria proficisci optimum factu videbatur, ut eos, qui ipsis commendabantur multorum testimoniis, possent per se ipsi cognoscere, et de eorum fide, moribus, et animi dotibus, per Hegumenos et Monachos quibus perspecti esse debebant, certam relationem habere.

Mos ad Monasteria mittendi.

XXXVI. Moris illius ad Monasteria mittendi, aut etiam eo proficiscendi, testimonium continent Epistolae Systaticae, de consecratione novi Patriarchae, in quibus ita legitur. *Mitti igitur decrevimus ad deserta sancta sancta Scetis, quae sunt ad montem Nitriae, diligentiamque omnem adhibuimus ad cognoscendum, quis summo illo pontificatu dignus foret* . . . Et paulo post. *Tum Deo dirigente, oculos nostros convertimus in Deo devotum sacerdotem et piissimum Monachum, habitantem in celebri Laura Patris nostri sancti Macarii in Sceti.* Tales fuerunt Cosmas XLIV. Chail ejus successor, post Theodorum, Mennas XLVII. Marcus, Jacobus, Josephus, Chail alter LIII. ejusdem Monasterii Archimandrita, Cosmas ejus successor, Senuda LV. Oeconomus ejusdem Ecclesiae, Philotheus LXIII. et alii. Ita quod initio factum fuerat absque ulla certa lege, transiit quodam modo in rem judicatam, adeoque, quantum ex virorum fide dignorum relationibus sciri potest, dudum est ex quo nullus Patriarcha eligitur, nisi ex Monastico ordine, praesertimque ex Monasteriis, quae adhuc vocantur desertum S. Macarii.

Disciplina Comitiorum Patriarchalium.

XXXVII. Verum antequam ulterius progrediamur, observare necesse est, quae Comitiorum illorum Patriarchalium disciplina fuerit. Postquam Patriarcha Alexandrinus diem suum obierat, ut mos erat omnium Ecclesiarum, qui ipsius Syncelli fuerant, et praecipue secretarii, literas ad Episcopos, Monasteria, et praecipuos Laïcos mitte-

bant, quibus de illius morte significarent: jusque illos ad novi Patriarchae electionem convocandi, penes Alexandrinos erat, quia, ut superius observavimus, ad illius Ecclesiae Clerum, ex communi omnium Christianorum consuetudine spectabat, ut sibi Episcopum eligerent. Nunquam tamen a nobis observatum est in recentiorum Patriarcharum historia, aut in aliis monumentis, ad quem convocationis illius cura spectaret, aut quis esset Sedis vacantis administrator, quemadmodum apud Nestorianos proximi Episcopi Cascarensis cura haec erat, et praerogativa. Dudum invaluit tyrannica plane consuetudo apud Arabes et Turcas Aegypti dominos, ut statim atque Patriarcha mortuus est, Cella, sive domus Patriarchalis ab Aerarii Praefecto obsignetur: atque saepe hac occasione sub talibus custodibus, quidquid supellectilis aut pecuniae reperiebatur, ipsa etiam alimenta, ejus domesticis subtrahebantur. Neminem igitur observamus, cui convocandorum Episcoporum et Cleri cura competeret; sed illud tantummodo, quod ea occasione statim Misram convenerint Episcopi, nisi fortasse, aut Sultanus, aut Praefecti provinciales prohiberent.

Praesidebat senior Episcopus.

XXXVIII. Cum porro inter Episcopos Aegypti nulla alia, quam aetatis, praerogativa esset, (nulli enim erant Archiepiscopi, neque Metropolita ullus inter Jacobitas appellatus est, nisi Damiatensis, idque duodecimo saeculo, ut in historia nostra monuimus,) idcirco inter eos primum locum habebat is Episcopus, qui senior ordinatione erat, quemque majorem, aut praesidem nominabant. Nulli vero sedi alligatam fuisse hanc honoris praerogativam scimus, quia diversarum Ecclesiarum Episcopi recensentur, qui eam habuerunt. Alia fuit sub Orthodoxis, sive Melchitis, disciplina, et Alexandrinus Patriarcha diversas Metropoles habuit, de quibus dicetur suo loco: sed apud Jacobitas praeter Damiatensem, nullus in Aegypto Metropolita fuit.

Preces pro electione: licentia a Sultano.

XXXIX. Advenientibus igitur Episcopis, antequam deliberaretur de eligendo Patriarcha, preces publicae ad aliquam Ecclesiam indicebantur, jejunia, solennes Liturgiae, atque, ut plurimum, antequam ulterius procederetur, postulabatur licentia a Muhamedanis principibus, ne libertas publica turbaretur, neve alicui praeceptum concederetur, quo aditus ipsi contra disciplinam fieret ad Patriarchalem dignitatem. Nunquam enim majores calamitates Orientalis Ecclesia sustinuit, quam ab ambitiosis hominibus, qui talia praecepta licitabantur, et armata manu ad honores grassari solebant. Exempla passim oc-

currunt, tam in Coptitarum, quam in Nestorianorum historia. Nunc vero toto Oriente vix aliter fiunt Patriarchae: neque libertas, quam aliquando Christiani obtinent, aliter haberi potest, nisi plura praestando, aut pollicendo, quam nebulones apud aerarii praefectos polliciti sunt, aut repraesentaverunt. Ne igitur defectu autoritatis principum schismata per diversas factiones fierent, prudenter institutum fuit, relatumque inter Constitutiones Ecclesiasticas, ut nemo, nisi probata esset per saeculares Principes ejus electio, in Patriarcham consecraretur, aut eligeretur. Ea ratione approbantibus Episcopis irrita facta est electio Georgii Diaconi Ecclesiae Saca, qui absque permissu Abdel-Azizi praefecti, a quibusdam electus fuerat: et Isaacus XLI. ejus loco constitutus. Et post obitum Theodori XLV. Jacobitae diu neminem elegerunt in ejus locum, quia Kassemus Aegypti praefectus licentiam negaverat. Alia ejusmodi exempla suppetunt.

Modus procedendi ad electionem.

XL. Qua vero ratione concilium haberi ad electionem Patriarcharum soleret, docet vita Chailis XLVI. In ea enim refertur Episcopos, statim atque Misram venerunt, Hafethum Aegypti praefectum adivisse, licentiamque eligendi Patriarcham postulasse: illum respondisse, ut inter se consentirent circa eum quem Theodoro defuncto sufficere cogitabant, postea redirent, seque, quod optimum actuf videretur, imperaturum. Consederunt in Ecclesia Episcopi juxta ordinem suum, hoc est antiquitatem Ordinationis suae: sacerdotes prope Episcopum quisque suum: in medio sacerdotes Ecclesiae Alexandrinae, cum Protopapa suo, qui Alexandrinorum nomine verba faciebat. Is erat Presbyterorum primus, quae dignitas non apud Jacobitas modo, sed etiam apud Melchitas Graeci ritus vigebat, unde etiam Arabice scribentes vocem *Πρῶτος* servaverunt: Talis erat is, quem vir Clarissimus Guillelmus Beveregius, autorem existimavit versionis Arabicae Canonum, quam edidit ante annos aliquot: quamvis, ut alio loco observavimus, nihil aliud verba quae ad frontem Codicis Ms. reperta sunt, significent, nisi quod Josephus ille possessor libri fuerit, qui, ut Orientales solent, hanc inaugurationis suae notam, dum otiaretur, praefixerat. *Πρῶτος* igitur erat, ut vulgo diceremus, antiquior sive Decanus sacerdotum Ecclesiae, et in singulis Ecclesiis suus erat *Πρῶτος*.

Sacerdotes Alexandrini.

XLI. In illis igitur comitiis Ecclesiasticis, primas tenebant sacerdotes Alexandrini, quia antiquitus dum sibi Episcopum eligebant, reliquis Ecclesiis Archiepiscopum et supremum Antistitem dabant.

Attamen ex quo Aegyptus in Muhamedanorum potestatem venit, imminuta est illorum autoritas, cum etiamsi jus primae propositionis retinere conarentur, nihil tamen efficere possent absque Cahiranorum, et aliorum qui populum Christianum Jacobiticum repraesentabant, suffragio et approbatione. Certum id ex variis acerbisque inter eos et Episcopos concertationibus, quae aliquando electionum Comitia aut plane ruperunt, aut ad menses et annos produxerunt; sacerdotes autem Alexandrini intelligendi sunt, qui erant ex Ecclesia S. Marci, quae Patriarchalis quodammodo dignitatem et autoritatem obtinebat. Illi ex ea praerogativa non solum jus sententiae primum dicendae retinebant, sed totum Clerum Alexandrinum repraesentabant. Attamen non tantum valuit eorum autoritas, quin aliorum ex eadem urbe sacerdotum oppositiònem paterentur. Docet nos ita nonnumquam contigisse, Historia Patriarcharum Alexandrinorum in vita Simonis XLII. Nam Alexandrini sacerdotes duas in factiones divisi erant, aliis Joannem Abbatem Nitriae, aliis Victorem Abbatem alterius Monasterii proponentibus; illi vero erant ex Collegio Ecclesiae *Angelii.* Neuter tamen eorum electus est, atque saepius irritam fuisse Alexandrinorum aut Cahiranorum nominationem, si Episcopi dissentirent, multa exempla declarant. Fuit tamen semper ea tum Cleri utriusque urbis, tum primorum Laïcorum opinio, quod ipsi jus praecipuum ad eligendum Patriarcham haberent, Episcopis sola competeret manuum impositio, per quam Ordinatio perficeretur. Ita in Theophanii vita legimus eum, cum superbe nimis se efferret adversus Alexandrinos, et ea quae ipsis ante Ordinationem pollicitus fuerat, praestare renueret, eos dixisse, ornatum illum et vestem qua caeteris praestabat, suum ipsorum munus esse, et ad se qui dederant, pertinere. Verum haec non minus contumeliosa quam falsa erant: certum illud tantummodo quod, nisi consensus communis omnium accederet, nihil peractum censebatur.

Misrae seu Cahirae civium jus suffragii ferendi.

XLII. Ubi Misrae comitia indicta erant, essetque civibus et Clero illius urbis jus proponendi quem digniorem existimarent, dicebant illi sententiam suam primo loco, sicut olim quando Alexandriae eligebatur Patriarcha, haec erat Alexandrinorum praerogativa. Quo loco observandum est ex vita Macarii LXIX. Cahirae Clerum et cives, quando ad eos electio spectabat, novam quoque autoritatem adrogasse sibi, literas encyclicas ad omnes Episcopos convocandos per totam Aegyptum mittendo, quod erat adversus juris Ecclesiastici

communes regulas. Quippe Alexandrinis id licebat, qui amisso Episcopo suo, nomine Ecclesiae pastore viduatae, more majorum scribere ad alias Ecclesias poterant, ut pote Clerus sedis vacantis. At Cahirani qui Episcopum haberent, sine quo secundum Canones agere nihil poterant, Clerum ab ejus corpore divulsum non constituebant, neque alia hujus innovationis causa censenda est, quam quod nobiliores indigenae, Cahirae potius quam Alexandriae degentes, et sacerdotes ipsi, non minus se ad Alexandrinam Ecclesiam, quam qui in ea ipsa urbe essent, existimabant pertinere.

Exemplum electionis a Monachis S. Macarii factae, et quodnam proprie jus ipsorum fuerit.

XLIII. Praeter Clerum et populum utriusque urbis, qui alternatim eligendi jus sibi vindicabant, occurrit exemplum, quod mox observabamus, Marci filii Zaraae, de cujus electione scribit historicus, quod ad Monachos spectaverit, unicum sane, et quod disciplinae regulis et exemplis contrarium est. Alterum, sed diversi generis, subministrat historia Macarii LXIX. in qua legimus, Misrae cives et Monachos S. Macarii in ea electione jus habuisse: ex quo testimonio duo nobis colligi posse videntur. Alterum quod Monachorum nomine, non alii intelligendi sunt quam illi qui erant in Monasteriis sancti Macarii: alterum quod Misrae cives qui electionem ad se pertinere arbitrabantur, eos in concilium suffragiique ferendi consortium admiserint. Cum enim, ut multis exemplis constat, plerumque candidati ex Monasteriis assumerentur, saepeque magis placeret eligi eos, qui mundo incogniti in oratione, sacrarumque literarum studio majorem vitae partem consumserant: necesse erat adduci, aut Archimandritas, aut majoris dignitatis Monachos, qui de eorum virtute, doctrina, et prudentia testimonium apud congregationem populi et Episcoporum ferre possent. Neque haec simplex inanisque conjectura est, sed fundata ipso electionis instrumento. In eo enim Episcoporum, Sacerdotum, et Clericorum, tum populi primorum seu Ἀρχόντων mentio fit, tanquam ad electionem consentientium, eamque suffragiis suis comprobantium. De Monachis dicitur, quod *ab illis quaesitum fuerit, eorumque testimonio constiterit de spirituali ejus profectu sanctaque conversatione.* Itaque non alio titulo locum in illis electionibus habebant, nisi ut testes pietatis, fidei et religionis essent, ejus qui ad Patriarchalem dignitatem promovebatur: neque ordinem singularem constituebant qui ad eligendum jus haberet, sed censebantur inter Laïcos, qui nullo gradu Ecclesiastico insigniti erant: vel inter sacerdotes, si qui sacerdotio fungebantur. Si aliter aliquando

factum, ut duobus exemplis quae adduximus, probari quamvis parum certo potest, Monachos in partem electionis vocatos fuisse, rarum id et praeter consuetudinem, maxime quando Alexandriae comitia habebantur. Quando Cahirae, suspicari possumus advocatum honoris gratia fuisse Archimandritam Scetis, seu S. Macarii, quia subscriptio ejus notatur in instrumento electionis, post Alexandrinos Sacerdotes et Diaconos, ante Laïcorum primarios. At nullus assignatur locus Monachis ad subscribendum, etsi in alia literarum formula mentio fiat consensus ab illis praebiti ad electionem Patriarchae. Quod si Monachi ratione ordinis sui, habitusque, ut vocant, Angelici, locum inter suffragatores tenuissent, assignatus fuisset ipsis locus procul dubio, ut tres saltem subscriberent, sicut tres sacerdotes et totidem Diaconi Alexandrini reliquorum nomine, quod in neutro exemplari literarum observatur.

In electione Alexandrinorum praecipua ratio habita.

XLIV. Illud quoque observationem meretur, quod, etiamsi Laïcorum seu totius populi magna esset ad electionem autoritas, eaque Cahirae fieret, etiam quando ad ejus urbis cives spectabat, honos tamen talis habebatur Alexandrinis, ut eorum praecipue res agi videretur. Nam eo spectant ea quae leguntur in laudatis Epistolis. *Cum igitur perspecta nobis foret Alexandrinorum caritas erga patres suos, sciremusque eos nolle diutius orphanos permanere, eapropter festinavimus ad perficiendum opus Dei*, et quae sequuntur. Atque haec etiam praerogativa insignis fuit, quod electionis instrumento subscriberent Alexandrini, et non aliarum Ecclesiarum Clerici.

Conventus ad electionem, propositio eligendi: qui a defuncto designatus, saepe praeferebatur.

XLV. Celebratis precibus, et Liturgiis, senior Episcoporum, vel aliquis inter eos conspicuus, solebat ad coetum verba facere, et ea in mentem revocare, quae observari oportebat ad novi Antistitis electionem. Statimque aut ab Alexandrinis, aut a Cahiranis proponi solebat aliquis, qui, si vota omnium conspirarent, proclamabatur. Saepe id factum, statim atque populus et omnes praesentes, Ἄξιος inclamassent. Habebatur etiam ratio eorum, quos non suspectis testimoniis constaret a defuncto Patriarcha successores expetitos: ita de Isaaco XLI. scribitur, valuisse apud eos qui ad electionem convenerant, quod renunciatum esset Joannem ejus decessorem, dignum eum judicasse qui illi succederet. Ita scribunt de Marco XLIX. et de Jacobo ejus successore. Majorem porro autoritatem hujus commendationis fuisse judicari potest, quod non adeo frequens esset, unde non multa ejus exempla reperiuntur: neque magis valebat, quam

aliorum testimonia, nisi candidato talis etiam fama virtutis et probitatis ésset quae illam confirmaret.

Consensus omnium requisitus: Episcoporum maxime necessarius.

XLVI. Ubi convenerant, et Alexandrini, sive Cahirenses aliquem proposuerant, nihil actum erat, nisi communi consensu electio approbaretur: atque id erat Episcoporum munus proprium, quorum in talibus comitiis magna erat autoritas. Itaque frequentissime in historia observatur, repulsis qui primo nominati fuerant, alios vel ab Episcopis, vel a Sacerdotibus, vel tandem a quibuscumque propositos fuisse, omissis qui prius designati fuerant. In repulsa, magna erat Episcoporum autoritas, quia negabant manus se impositurus illis, qui indigni judicarentur: at in approbatione non major erat eorum potestas, quam Sacerdotum et populi, cum disciplina perpetuo conservata, prohiberet ordinari quemquam, nisi consensus Ἀρχόντων, plebisque accederet. Ubi aliqua erat sententiarum diversitas, mittebant ad monasteria, praesertim sancti Macarii, ut a senioribus Monachis discerent, qui essent inter suos ad Patriarchale munus sustinendum prae caeteris idonei.

Praecepta principum de electionibus.

XLVII. Si quis commendatione principum dignitatem affectaret, afferretque praeceptum de Ordinatione sua, quia hic ambitus contra Canones erat, solebant Episcopi, primoresque Jacobitarum ad aulam proficisci, privilegiaque sua exponere, quibus sibi secundum communem disciplinam Ecclesiarum, integra Antistites suos eligendi libertas concedebátur, raroque cogebantur ad eum acceptandum qui minus placeret. Ita post Chailis XLVI. mortem, cum Petrus quidam Diaconus tale ab Almansore praeceptum obtinuisset, nulla illius ratio habita est: sicut in vacatione sedis per annos prope viginti post obitum Joannis Patriarchae LXXIV. cum David sacerdos, qui Cyrillus in Patriarchatu vocatus est, talia saepe mandata Sultanorum ad Episcopos aliosque ad electionem convocatos detulisset, semper ea rescissa sunt, donec contentionibus per concordiam de eo eligendo finis impositus fuisset. Post Philothei LXIII. obitum, Abraham qui magna apud Hakemum Califam ex Fatimidis tertium gratia pollebat, etsi pari autoritate munitus, tamen repulsam passus est, electusque Zacharias. Neque praetereundum est, quod mirum sane videtur in tot turbulentis electionibus Patriarcharum, quorum historia superest, usque ad ultima Yubidarum Salaheddini successorum tempora, hoc est per annos amplius sexcentos, neminem a Jacobitis autoritate

principum, collocatum fuisse in sede Alexandrina, sed omnes more majorum electos.

XLVIII. Ubi vero, quod saepe solebat, esset magna sententiarum diversitas, dabant operam Episcopi qui comitiis praesidebant, ut amice, quantum fieri poterat, componerentur: consumebanturque aliquando dies, menses et anni, antequam communibus suffragiis dignitas in aliquem conferretur. Nam si rejiceretur, quem ii ad quos electio spectabat proponebant, contingebat saepe ut quem Episcopi aut alii proponerent, ipse quoque repulsam ferret. Ut enim non negabant Episcopi, jus esse Alexandrinis aut Cahiranis proponere quem ipsi vellent, ita pertendebant se dignitatis et indignitatis eorum, qui ab Alexandrinis aut Cahiranis designabantur, esse judices, quod neminem ipsis ordinare liceret, qui non eas corporis animique dotes haberet, quae Canonibus praescribuntur. Si pertinacius obsisterent Alexandrini aut Cahirani, ut saepe faciebant, tunc aliquis inter Episcopos autoritate conspicuus eos compescebat, atque simili occasione factum legimus ut, cum in comitiis Ecclesiasticis post Theodori XLV. mortem habitis, Alexandrini cum plerisque Episcopis Aegypti inferioris, urgerent ut qui a Protopresbytero eorum nomine designatus fuerat, renunciaretur; obsistentibusque Episcopis aliis respondissent, electionem ad se solos pertinere, ordinationem ad Episcopos; Moses Episcopus Vissim qui aeger in consessum delatus, in lectulo decumbebat, surgens Alexandrinos acrius increpitos ex Ecclesia, baculo depulerit, sicut, inquiunt historici, Christus ex templo vendentes et ementes ejecerat.

Quid fieret ubi erat sententiarum diversitas.

XLIX. Accidebat autem frequentissime, ut non modo inter plebem seu Laïcos contentio, sed inter ipsos Episcopos esset, dum ex pluribus designatis, cuidam adhaererent, exclusis reliquis. Nam in suffragiis ferendis ea consuetudo observabatur, ut Sacerdotes et omnes Ecclesiastici, praeter Episcopos, simul cum Laïcis vota sua conjungerent, non seorsim ad suffragia vocarentur. In illis contentionibus, quando componi non potuerant, consuetudo fuit ut electio per sortem fieret, sed ita ut non sine precibus solennibusque Liturgiis perficeretur. Ejus forma talis erat. Si plures candidati ab illis ad quos pertinebat, nominati reperirentur, per suffragia seligebantur ex eorum numero qui plura tulissent, caeteri excludebantur: atque, ut ex vita Sanutii Patriarchae LXV. discimus, seligebantur ex omnibus Monasteriis, Ascetae centum qui dignitate caeteros anteirent.

Electio per sortem ejusque ratio.

Ex primo isto numero eligebantur quinquaginta: et ex istis viginti quinque, mox decem: et in illo scrutinio quod ultimum erat, tres qui plura puncta tulerant, reservabantur; et nisi aliqua subita acclamatione quasi per inspirationem, unus ex tribus proclamaretur, electioque omnium votis statim comprobaretur, sorti res committebatur. Vocabatur autem sors illa *Heikelia* ab *Heikel*, quae *sanctuarium* atque *altare* ipsum significat, quia in altari fiebat, ut divino nutu fieri videretur, Deusque judicare sineretur, quis trium candidatorum dignior foret, sicut primitus Apostoli fecerant, dum in locum Judae proditoris, electus est ad Apostolatum Mathias. Trium igitur illorum, in quibus pendebant hominum judicia, adeo ut quis magis idoneus foret, determinare non possent, numina totidem chartulis inscribebantur: adjiciebatur quarta *inscripta nomine Jesu Christi Pastoris boni:* et postea omnes in urnam conjiciebantur, quae sub altari collocabatur. Tum in eo ipso altari celebrabatur Liturgia, aliquando semel, aliquando per triduum, continuabanturque die et nocte preces in eadem Ecclesia, ad implorandam divinam opem. Peractis precibus et sacrificiis, adducebatur infans, ea aetate quae omnis peccati suspicione caret, ne fraus aliqua subesset, jubebaturque manum in urnam immittere, unamque ex schedulis quatuor educere. Si trium alicujus designatorum nomine inscripta schedula educeretur, statim is Patriarcha salutabatur, per repetitas acclamationes Episcoporum, Sacerdotum, reliquorum Clericorum et Laïcorum, neque contradicere quisquam audebat. Quod si schedula prodiret nomen habens Jesu Christi, ita apud se statuebant, neminem trium candidatorum Deo acceptum esse, atque ita rursus ad electionem trium aliorum ex septem residuis post ultima suffragia, procedebatur: eorum nomina schedis inscribebantur preces et secunda sortitio fiebat, donec nomen alicujus educeretur. Haec fuit sortis Ecclesiasticae ad eligendum Patriarcham ratio, secundum quam electi fuerunt apud Jacobitas Alexandrinos, Patriarchae Joannes XLVIII. et Michael LXXI.

Alibi quoque eadem sors usurpata.

L. Adhibitam quoque illam fuisse ad electionem Episcopi Misrae, legimus in vita Macarii Patr. LXIX. Neque singularis haec fuit Alexandrinae Ecclesiae consuetudo; nam eadem apud Nestorianos usurpabatur ad electionem Catholici sui Bagdadensis, qui supremus Patriarcha illius sectae est. Nova sane haec ratio electionis tranquille peragendae, componendarumque controversiarum Muhamedanis ipsis nota et probata fuit. Nam in vita Cyrilli legitur, quod

cum inter Jacobitas gravissimae dissensiones essent circa electionem Patriarchae, Adel Sultanus consuluerit, ut quem morem Bagdadi apud Christianos observaverat, eum sequerentur. Negaverunt fieri id apud se posse, sed apud Francos licitum existimari, quod tamen falsum esse, electio Joannis XLVIII. multis annis vetustior satis ostendit. Joannes filius Narsis Catholicorum Bagdadensium LII. anno J. C. DCCCLXXXIV. ita electus scribitur: et alius Joannes cognomine Abu-Isa LXI. anno J. C. MVII. Observatur tantum haec diversitas quod apud Nestorianos, schedae a sene et qui prope usum oculorum amiserat, Episcopo, in ultima electione eductae sunt, tum quod inscripta fuerunt quinque candidatorum nomina, primaque sortitio, eo quod fraudis suspicio injecta fuerat, irrita habita sit: id quod apud Aegyptios nunquam accidisse legimus. Illius quoque disciplinae testes sunt Ebnassalus et Abulbircat, atque ex eorum testimonio refellitur autoritas quae ex historia electionis Cyrilli istius filii Laklaki duci posset, quia tunc ejus fautores negaverunt coram principe tale quidquam apud Coptitas usurpari. An huc usque ea consuetudo servata apud Coptitas fuerit, nobis obscurum est: sed quantum ex aliis cognoscere potuimus, adeo proculcata est jam a Turcis disciplina omnis Ecclesiastica, ut nullum prope vestigium illius supersit. Nam Bassae, sive Praefecti, qui Constantinopoli mittuntur cum summa autoritate, cum unum id designent, ut exhausta provincia ditiores abeant, Christianis si ullam relinquunt electionum libertatem, ea non nisi pecuniis obtinetur, atque ut plurimum, is eligitur qui praeceptum a Muhamedanis habet, quo vetatur Episcopis ne alium ordinent.

Proclamatio electi Patriarchae.

LI. Ubi tandem vel sorte vel acclamatione omnium ordinum alicujus candidatorum electio comprobata fuerat, clamando nempe Ἄξιος, aut lingua vernacula *Dignus est:* tunc nomen ejus pronunciabatur ab Episcopo seniore, qui voce perspicua ad sacerdotes, populumque verba faciebat, ut sciret, an in ejus electionem consentirent. Nam opus erat vel communi omnium consensu, vel majoris saltem partis, eam probari, ut legitima foret. Unde non solum in primo illo electionis actu, verum in Ordinatione, Episcopus qui eam celebrabat non semel officia intermittebat, ad interrogandum populum, an electioni consentiret. In quo autem consisteret dignitas ejus, qui secundum Ecclesiasticas leges ad Patriarchatum idoneus censebatur, jam nobis explicandum est. Eas conditiones paucis complexus est Ebnassalus, Operis sui Theologici c. 55°. et multi alii, ut etiam

Praefatio Pontificalis Seguieriani, quas compendio trademus, et quantum necesse videbitur, ex historia disciplinaque illarum Ecclesiarum explicabimus.

Quae conditiones requisitae fuerint in Patriarcha.

LII. Prima conditio quam in Patriarcha designando necessariam volunt Canones antiqui apud Orientales recepti, est, ut sit liber, ingenuusque ex ingenuis liberisque procreatus. Atque etiam ea lex valebat in Ecclesia Alexandrina, ut nemo servilis conditionis ordinari posset Episcopus aut sacerdos. Itaque in vita Cyrilli LXVII. legimus senem monachum ad Patriarchatum votis publicis postulatum, cum eam dignitatem rejecisset, inter alias excusationis suae causas hanc protulisse, quod, cum libertinus esset, ordinari secundum Canones non posset. Unde cum de multis adversus disciplinam peccatis accusaretur Cyrillus F. Laklaki Patriarcha LXXV. objectum illi inter alia fuit, quod servilis conditionis homines passim ordinaret. Itaque constitutum est in synodo, ne quid simile deinceps liceret, neque Clericalis, multo minus Episcopalis dignitas ex ejusmodi Ordinationibus in contemtum venirent. Attamen ob communem Christianorum Aegypti, et aliorum in Oriente calamitatem, qui saepe per bella quae annis ferme CC. inter Muhamedanos arserunt, in servitutem abducebantur, et aliis dominis venumdabantur, tum propter Nubas et Aethiopes qui barbarorum incursionibus ex patria abacti, sub hasta veniebant, idcirco discrimen institutum est inter servitutem ex captivitate, et eam quae ex nativitate: adeo ut prior ab Ordinibus sacris non excluderet, sed tantum posterior: tum etiam Nubis et Aethiopibus id indultum, ut si praeclaris dotibus et moribus commendarentur, servitus ipsis fraudi esse non posset.

Natus ex matre virgine.

LIII. Secunda, ut natus esset ex matre virgine, hoc est ex ea quae alteris nuptiis conjuncta non fuisset, antequam ab ejus patre duceretur. Institutum id novo jure, quia in veteri Testamento summus sacerdos uxorem virginem ducere tenebatur, idque pertinere judicabant ad honestatem ejus natalium, quem Patriarcham ordinabant, ut ex matre secundis nuptiis non implicata, natus foret. Quamvis enim secundas et tertias non damnent prorsus Orientales, eas tamen ex veteri disciplina, non carere culpa existimabant, ideoque eas non iisdem precibus benedicebant, quae in primis adhibebantur: neque corollas sponsis imponebant, ex quibus, ut apud Graecos, Matrimonii benedictio, *Coronatio* appellatur. Ob turpitudinem igitur illarum nuptiarum distinguebant inter filios qui ex matribus coronatis,

aut non coronatis nascebantur, quod diversitatem natalium non unius generis includebat. Nam coronatae matres dicebantur quae primo matrimonio conjungendae benedicebantur: in non coronatarum classem veniebant praeter multinubas, concubinae, meretrices; et quicumque ex talibus natus esset, ab Ordinibus excludebatur, multo magis a supremo sacerdotio. Attamen omnino ex bigamis parentibus natus non excludebatur, sed tantum, qui ex matre alteris nuptiis copulata. Nam in vita Macarii LXIX. Patriarchae legitur quod, cum omnes in ejus electionem consensissent, et missi fuissent qui eum adducerent ex Monasterio S. Macarii, ipseque hanc dignitatem fugeret, dixerit se eligi secundum Canones non posse, quandoquidem natus erat ex secundo conjugio, cujus tamen defectus nulla ratio habita est.

LIV. Tertia recensetur sanitas corporis, membrorumque omnium integritas, adeo ut neque morbis perpetuis, sicut lepra, et alii ejusmodi, obnoxius foret, neque infirma adeo valetudine, ut omnia officia sua peragere non posset. Imo si in morbum foedum, contagiosum, aut incurabilem decideret, deponi eum posse scribit Ebnassalus. Sanitas corporis et integritas.

LV. Quarta, aetas annorum ut minimum quinquaginta, junioribus exclusis, tum quod juventus ad vitia pronior sit, tum ob necessariae experientiae defectum. Cum de eligendo Macario, de quo mox diximus, consilium haberetur, multi Joannem Monachum virtute doctrinaque commendatum proponebant, at quia junior quinquagenario erat, repulsam tulit, praelatusque est Macarius. Electus tamen fuit Gabriel F. Tarich anno aetatis 47. Repulsi quoque leguntur nonnulli ob aetatem decrepitam. Aetas.

LVI. Quinta conditio, ut virgo sit, non modo nullo carnis peccato, aut illegitimo congressu maculatus, sed omnino conjugii expers: qua ratione factum est, ut tandem omnes Patriarchae ex ordine Monastico assumerentur, quod jam ubique ferme obtinet, quae etiam conditio postmodum reliquis accessit, et de ea dicetur inferius. Nam uxoratos omnes sacerdotes aut Ecclesiasticos excludunt. Vetustissima sane apud Coptitas traditio est, quam referunt Severus Episcopus Aschmonin et alii, de Demetrio scribentes, qui ordine est XII. cum a Juliano decessore suo designatus esset, tanquam pontificatu dignissimus, atque maxima pars in ejus electionem consensisset, multos reclamasse, quod uxorem haberet: neminemque a D. Marci tempore Patriarcham fuisse, qui non virginitatem servasset, quam Demetrius miraculo comprobavit. Ita factum postquam Minas seu Mennas LXI. Virginitas.

electus est: nam etsi Monachus esset, tamen quia acceperunt, postquam ex more proclamatus fuit, eum olim uxorem duxisse, quae adhuc in vivis superesset, idque multorum testimonio constitisset, Episcopi ad quos Ordinatio spectabat, manus illi imponere noluerunt, nisi postquam didicissent, eum quidem a parentibus coactum uxorem duxisse, sed eam non attigisse, cum ipsi statim post nuptias persuasisset, ut virginitatem servarent. Ea causa post mortem Simonis LI. rejectus est Isaac F. Andunae.

Nunquam sanguinem effuderit.

LVII. Sexta memoratur ab Ebnassalo et a quibusdam aliis, ut nunquam manu sua sanguinem effudisset: id enim nefas habetur apud eos sacerdotibus ut ullum animal manu sua mactent aut sanguinem fundant, ut ex Canone XLVII. Collectionis Syrorum Jacobitarum et diversis aliis manifestum est.

16. Cod. Biblioth. Reg.

Linguae peritus.

LVIII. Septima, ut linguam populi cui praeficiendus erat, familiarem haberet, adeo ut agere cum suis absque interprete posset, sacrasque scripturas ex suggestu facile in linguam vernaculam interpretari. Ea regula peregrinos non excludit, modo linguae vernaculae usum habeant, quamvis in quibusdam Canonibus praecipiatur, ne extranei Episcopi dentur Ecclesiis, quod tamen non semper observatum videtur, sed tantum optimum factu judicatum est, si posset observari. In Patriarcha Alexandrino deligendo nulla, ut videtur, patriae ratio habita est. Syri duo ad hanc dignitatem assumti sunt Simon XLII. et Marcus F. Zaraae LXXIII. serius et propius ad haec nostra tempora, Jounes sive Joannes quidam, qui numeratur LXXXV. Damascenus, et eo antiquior LXXIX. Theodosius quidam Francus. Observatum tamen a nobis est in historia vicennalis vacationis, quae ante Cyrilli F. Laklaki Ordinationem, Alexandrinam Ecclesiam tam misere vexavit, objectum fuisse ab ejus adversariis inter alia, quod Fiuma oriundus esset, quae ad Sahid sive Thebaidem spectabat, ex qua non debebat eligi Patriarcha, quod tamen electionem ejus non impedivit: et in Catalogo posteriorum, qui manu recentiori adjunctus est Codici Abulbircat quo usi sumus, XC. recensetur Mathaeus ex Sahide, sive Thebaide. In vita Yuçabi LII. legitur in frequenti Concilio statutum fuisse, ne ullus ex Alexandrinis civibus ad Patriarchatum eligeretur quia ob fastum, luxum, moresque incompositos male audiebant: sed aut illa lex non fuit ad posteros valitura, aut abrogata est. Nam Theophanius LX. et Zacharias LXIV. Alexandrini fuerunt.

LIX. Octava, doctrinae facultas, etsi aliquos plane illiteratos fuisse legamus. In quibus autem haec doctrina consistat paucis explicandum. Ex quo Arabes Aegypto potiti, linguam suam intulerunt, adeo ut intra unius saeculi spatium vernacula esse coeperit, retinuerunt veteris suae Copticae usum plerique Jacobitae Christiani, adeo ut inter eos communis esset. Servata est diutius in Thebaide, remotioribusque provinciis, ubi major Christianorum numerus, Muhamedanorum minor erat. At in Aegypto Inferiori, Alexandriae et Misrae citius obsolevit, et tantummodo in Officiis Ecclesiasticis librisque conservata est, sicut accuratius explicatum est in Dissertatione de lingua Coptica. Ita paucis annis elapsis factum est, ut non communis jam esset lingua, sed doctrinae et religionis. Prima igitur eruditi viri dos fuit, ut libros Copticos legere et interpretari posset: nec alii significabantur, quam sacrae literae, Officiaque Ecclesiastica, et Synaxaria, in quibus Legendae Sanctorum continerentur. Patriarcham in ea lingua peregrinum non esse, ipsa muneris sui ratio exigebat: vulgoque illius peritiores erant Monachi sancti Macarii, quam Clerici saeculares, quia ex veteri consuetudine quam docet nos Abulbircat, nulla Lectio aut Oratio in eo Monasterio, alia lingua perficiebatur; cum alibi ob ejus ignorantiam Lectiones veteris et Novi Testamenti, et Orationes aliquot, postquam Coptice lectae fuerant, Arabice explicarentur, quod ad S. Macarium non licebat. Michael tamen cognomine filius Dakalti, qui ordinatus est anno J. C. MCXLVI. non modo Coptice legere non poterat, sed erat literarum Arabicarum plane expers. Unde dilata est ejus Ordinatio, donec memoriter Liturgiam D. Basilii didicisset. Verum id rarius primis temporibus: nam cum Patriarchae non modo sermones ad populum facere tenerentur, verum sacras literas ex Copticis exemplaribus vernacule explicare, raro illiterati assumebantur, non modo ad Patriarchatum. sed nec ad Episcopatum. Cyrillus LXVII. magno labore Evangelia Coptice legebat, eorumque interpretationes Arabicas, quia scientia illi erat adeo mediocris, ut in contemtum Episcoporum veniret. At Canonum, Historiae Ecclesiasticae aut Theologiae insigniter peritum, vix reperire aliquem licet, inter tot Patriarchas: atque ita quidquid operum a Coptitis conscriptorum habetur, aut ab Episcopis, aut a privatis Theologis compositum fuit. Nec minus erat necessarius Copticae linguae usus, non modo ad Officia celebranda: (nam ab aliquot saeculis quae legunt, non intelligunt) sed etiam ad Acta et instrumenta, quae ad Doctrina.

Patriarcham proprie pertinent, et quae aliter quam Coptice scribi non solent. Tales erant olim Epistolae Paschales, quas Heortasticas vocant, etsi simul, veluti in aliis omnibus, adjungeretur Arabica translatio. Verum qui ab Actis et epistolis Patriarchae erant, eas scribebant, et Patriarcha subscribebat.

Monasticae vitae professio.

LX. Nona conditio, quam ut necessariam refert Ebnassalus, erat Monasticae vel Anachoreticae vitae, a prima juventute professio. Ab initio nihil tale exigebatur. Andronicus XXXVII. qui Benjaminum, sub quo Muhamedani Aegyptum invaserunt, praecessit, erat Diaconus Ecclesiae dictae *Angelion*, in urbe Alexandrina. Agathon Benjamino suffectus, Joannes, Isaac, Joannes XLVIII. Ephraem LXII. Zacharias LXIV. Gabriel F. Tarich LXX. Marcus F. Zaraae LXXIII. Joannes ejus successor, Monachi non fuerunt, antequam ordinarentur. Reliqui ferme omnes ex Ordine Monastico assumti, praesertim vero ex famoso Monasterio S. Macarii, Vallis Habib, quae est antiqua *Scete*. Cum vero jam a multis saeculis consuetudo invaluerit, ut soli Religiosi ad Patriarchatum assumantur, inde factum est ut in formula instrumenti de facta novi Patriarchae electione et consecratione, legatur. *Mitti igitur decrevimus ad deserta sancta Scetis, quae sunt ad Montem Nitriae . . . et convertimus oculos nostros in Deo devotum et piissimum Monachum, habitantem in celebri Laura seu Monasterio S. Patris nostri Macarii in Sceti, ubi educatus est a pueritia sua, sub disciplina sanctorum Patrum* etc. Neque ulla differentia erat inter eos qui in Coenobio vixerant, aut eos qui in Cellis remotis a reliquorum Monachorum consortio, qui proprie Anachoretae erant, et quos *Habis* Arabice vocant; quasi reclusos. Eam vocem non intellectam, aliquando in historia Saracenica perperam exposuit Erpenius, existimans significare *captivum* qui carceri mancipatus fuerat. Rationes autem cur Monachi potissimum eligerentur, multae et quidem gravissimae fuerunt. Nam cum virginem eligi oporteret, necesse erat ut is caperetur, quem professio castitatis a prima pueritia, talem esse suadebat: tum in vita solitaria major omnino quam in saeculo esse videbatur sanctitatis opinio, et a curis saeculi liberior animus; tum quod ignoti mundo, magis apti ad ministerium Patriarchale viderentur; praesertim vero carebant amicis illis et patronis ex aula Sultanorum et Praefectorum, quorum familiaritas saepe magno Ecclesiarum malo vertebat. Accedebat etiam opinio, quod in Monasteriis doctiores quam in Clerico-

rum saecularium numero sacerdotes reperirentur. Sed quam saepe sua Coptitas opinio fefellerit, et quam multos ex ipsis strictioris vitae Monasteriis nebulones promoverint, historia nostra satis ostendit.

LXI. Decima, quae multas alias complectitur, dignitatem et integritatem morum proprie spectat, nempe testimonium bonum, etiam ab illis qui foris sunt: non sit iracundus, non ebriosus, non percussor, non turpis lucri cupidus: ut potens sit opere: verbo et doctrina, atque adeo possit fidei adversarios coarguere: quae omnia desumta sunt ex Epistolis ad Timotheum et ad Titum: utque omnes virtutes habeat, quas Apostolus in Episcopo exigit: quarum etiam dotium nonnullae jam locum non habent: ut quod Episcopus non sit Neophytus, quam tamen in libris suis praescriptam servant, honore potius Apostoli et sacrorum Canonum, quam ex posteriorum temporum disciplina, in qua usurpari haec cautio non potest. Neque enim quidquam rarius accidit, quam ut ex Judaeis aut Muhamedanis quidam ad fidem Christianam convertantur, et Episcoporum ex ejusmodi proselytis factorum, aut rarissima aut nulla exempla sunt. Imo cavent Christiani Orientales, ne Episcopi instituantur illi, quorum fratres aut affines Muhamedismum amplexi sunt: et aliquot exemplis haec disciplina confirmata reperitur in Historia Catholicorum Bagdadensium. Verum aliam, et quidem insignem prae caeteris, antiquae et purissimae sanctitatis testem conditionem apponemus, cujus neque Abulbircat neque Ebnassalus, aut alii meminerunt, sed cujus certa et nunquam interrupta fuit in Alexandrinis Patriarchis constituendis observatio. Mores.

LXII. Undecima est, quod Episcopus non sit: nam in alia sede ordinatum nunquam transferendum existimaverunt ad amplissimam, et qua nulla inter eos major est, Patriarchae dignitatem. Etsi vero lex singularis nulla Jacobitis propria adversus translationes Episcoporum perscripta sit, sed commune tantum jus sequantur, illius hac in parte observantissimi fuerunt. Nam a D. Marco usque ad Cyrillum filium Laklaki, qui ordinatus est anno Martyrum DCCCCL. J. C. MCCXXXIV. nullus occurrit, qui alium antea Episcopatum gesserit: cum inter Nestorianos plerique, ex aliis Ecclesiis ad Modaïnensem, seu postea Bagdadensem, cui alligata erat summi apud eos Antistitis dignitas, translati fuerint, absque ulla Canonum reverentia. In vita Agathonis Patriarchae Alexandrini XXXIX. (is autem secundus fuit ex quo Muhamedani Aegyptum ceperunt) legitur: quod, cum Joannem Semnu- Non Episcopus.

daeum, qui ipsi successit, divinitus cognovisset ad eam dignitatem perventurum, eum ad diversos Episcopatus postulatum, ordinare Episcopum noluerit, ne viam illi ad Patriarchatum praecluderet. Plura leguntur in vita Chailis XLVI. qui, cum electionem, vel potius intrusionem Isaaci Episcopi Harranensis in sedem Antiochenam comprobare juberetur ab Abdalla Abbassida, qui Metropolitas duos, quod Isaaco, cui favebat, acriter pro tuenda disciplina resisterent, occiderat, nunquam adduci potuit, ut eam ratam haberet: asserens se anathema secundum Canones pronunciasse adversus eos qui favore principum Ecclesiasticas dignitates ambirent, tum qui ex Episcopis Patriarchae fieri conarentur. Laudanda sane in tam sancta disciplina conservanda Coptitarum religio, cum in omnibus aliis sectis nulla prorsus ratio illius habita fuerit. Nam praeter communem apud Nestorianos translationem Episcoporum ad Patriarchalem dignitatem, nihil in illorum historia frequentius, quam translationes Episcoporum ad Metropoles. Ita factum apud Syros Jacobitas Graecis vicinos, qui in ista mutatione sedium modum a multis saeculis nullum tenent, cum Ecclesia Romana, usque ad Formosum ea reprehensione caruerit.

Non favore principum.

LXIII. Duodecima conditio, ne quis favore principum aut saecularium, Patriarchatum ambiret, qui ambitus non minori severitate, quantum ad reliquas dignitates Ecclesiasticas, damnatus est. Vix tamen quidquam est in quo liberius et impudentius a Jacobitis et aliis Orientalibus omnibus peccatum fuerit, et peccetur quotidie. Ambitioni virorum impiorum latissimam viam aperuit Muhamedanorum avaritia, quae innatum quoddam apud omnes vitium fuit: adeo ut nonnisi sub optimis principibus, quales apud eos paucissimi extiterunt, aliquam Christiani in eligendis Patriarchis suis libertatem servaverint. In Aegypto, ex privilegio quod a primis Califis obtinuerant, licebat illis secundum leges et instituta sua vivere. At apud barbaros, qui arbitrabantur obsequium se praestare Deo, si Christianos durissima servitute affligerent, et qui non aliam legem quam quod Principi placuerat, sequebantur, magnas saepe turbas privatorum ambitio excitavit, ut in Historia nostra multis exemplis confirmatur. Et tamen plerisque ambitus suus fraudis fuit: cum inter septuaginta quatuor Patriarchas, quorum a D. Marco ad Cyrillum res gestas habemus, ne unus quidem occurrat mandato Sultanorum ita ordinatus, ut non majorem, aut aliquam saltem non contemnendam suffragiorum partem tulerit. Nam, ut superius observatum est, cum non haberi co-

mitia Patriarchalia solerent, absque principum venia, statutumque ipso jure Ecclesiastico fuisset, ne eorum injussu Sacerdotes, Laïcorum primores, aut Episcopi congregarentur ad eligendum defuncto Patriarchae successorem, ubi haec licentia concessa erat, rarius praecepta ab ambitiosis candidatis obtinebantur, imo et concessa facile rescindebantur, ubi principi significatum fuerat, violari leges Ecclesiasticas, quae olim a primis Muhamedanorum ducibus, Califisque confirmatae fuissent. Unde plerisque infeliciter cessit sua ambitio; nam aut misere perierunt vexati atque in carcerem conjecti, quod promissas pecunias repraesentare non possent, aut exosi reliquis suae sectae Christianis, fidem abnegasse reperiuntur. Neque tamen tot funesta exempla reliquos emendaverunt: nuncque, ut a multis accepimus, ut Constantinopoli apud Viziros, ita Cahirae apud Praefectos, publicae quodammodo fiunt Patriarchatus licitationes.

LXIV. Decima tertia conditio est, ut sit Orthodoxus: nullaque de fidei ejus rectitudine suspicio fuerit. Etsi vero constet quanta fuerit istius conditionis necessitas, quae ex communi jure satis intelligi videtur, subest tamen apud Christianos Coptitas occultior quaedam ratio, et ad mores eorum proprie spectans. Ea est, quod cum ex Monachis aut etiam Anachoretis ab omni hominum consortio remotis, electi ut plurimum fuerint Alexandrini Patriarchae, illorum fides perspecta multitudini esse non poterat, nisi diligens per Episcopos, aut eos, qui, dum Comitia haberentur, ad Monasteria solebant mitti, inquisitio fieret, ex qua per idoneos testes constaret, an omni erroris suspicione carerent. Illa vero praecipue necessaria in Aegypto cura adhibenda erat erga Monachos et Anachoretas, quia ut ex vitis Patrum et variis Collectionibus sententiarum et historiarum, quae ad Eremiticam historiam pertinent, notum est, multos ex illorum numero variis haeresibus infectos fuisse constat; variisque id exemplis ex Palladio, et Collectione Coteleriana, manifestum est. Erant autem antiquis temporibus multo plures Orthodoxi inter Monachos, quam haeretici Dioscoriani; neque enim ante Muhamedanorum tyrannidem, Monasteria deserti Scetis et Nitriae, aliaque in desertis S. Macarii obtinuerant. Cavebant igitur Jacobitae primis illis saeculis, ne Orthodoxus aliquis in Patriarchalem sedem induceretur. Sed praeterea in ipsa Monophysitarum secta erant Gaianitae complures: Acephali proprie dicti, qui olim ab ipsis Dioscorianis secesserant: Semidalitae: Quartadecimani: Phantasiastae, seu meri

Fidei integritas.

Apollinaristae: imo et Meletiani, quorum reliquiae adhuc, ante septingentos annos variis in locis supererant, ut de singulis dictum est in variis Historiae nostrae Alexandrinae locis. Haeresin quoque tegere poterat summa plerorumque ignorantia: quis enim locus fuisset Monachis, aut in solitudine, aut in ipsis coenobiis de fide loquendi, ubi neque conciones, nequa collationes de fide habebantur, studia Theologica nulla florebant? Ad vitandam igitur electionem alicujus qui talibus opinionibus infectus esset, summa diligentia in fidem eorum inquirebatur: et si aliqua suspicio ex virorum fidelium relatione incideret, satis erat, ut non amplius de illis cogitaretur. Exemplum subministrat vita Michaelis LXVIII. Cum enim Cyrillo ejus decessore mortuo, neque Alexandrini, ad quos electio pertinebat, neque Episcopi consentire inter se possent de ejus successore, missi sunt ad Monasterium S. Macarii, qui inquirerent an essent inter Monachos aliqui, quos concilio Episcoporum et Laïcis primoribus proponere, optimum factu videretur. Designatus, et prae caeteris commendatus fuit Samuel quidam Anachoreta: sed cum intellexissent, absurdas quasdam eum opiniones habere, circa Incarnati verbi mysterium, statim eum rejecerunt. Michael vero qui electus est, cum propositus fuisset a pluribus Episcopis, non prius acceptus ab illis fuit, quam ad urbem vicinam Cellae in qua reclusus vivebat, missi fuissent, qui ex publica fama, civiumque testimoniis cognoscerent, an fides et opera illius, opinioni quae de eo apud omnes magna erat, responderet.

Interrogabant de Fide electum prius quam ordinaretur.

LXV. Imo postquam ad suffragia itum erat, comprobataque omnium ordinum sententiis ejus electio, Episcopi non prius statuebant imponendas illi esse ad consecrationem manus, quam de fide ab illis interrogatus fuisset. Neque ea solum ratione experimentum faciebant fidei, ejus qui Patriarcha designandus erat: sed in ipsa Ordinatione Confessionem pronunciabat. Celebris est prae caeteris illa, quae ritu Alexandrino ante Communionem pronunciari solet, de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia: cui post Muhamedana tempora, adjunxerunt Coptitae particulam quae Monophysitarum doctrinae medullam contineret. Illa porro Confessio exigebatur, etiam postquam proclamatio et Ordinatio facta erat, ut ex variis autoribus discitur, illamque pronunciabat Ordinatus, cum Eucharistiam manu teneret. Alexandrini Confessionem fidei petierunt a Gabriele LVII. qui post annum J. C. DCCCC. ordinatus est: idque juxta con-

suetudinem antiquitus a decessoribus suis observatam: utque illam publico instrumento et subscriptione firmaret. Dixit ille non opus esse ut nova fidei formula scriberetur: adhaerere se symbolo Trecentorum decem et octo Patrum Nicaenorum, cui nihil adjici, nihil detrahi deberet. Formulas sane aliquot a Patriarchis et Episcopis diversarum sectarum scriptas, occasione ordinationis suae reperimus in diversis codicibus Mss. Michael Patriarcha LXXIII. cum electioni ejus omnes assensum praebuissent, has conditiones accepit, inter alias quae ab ipso exigebantur, ut scriptam et subsignatam Confessionem daret fidei suae, ei similem quam in collatione cum Episcopis habere se, testatus fuerat. David Sacerdos, qui postea Cyrillus fuit appellatus, quique ambitione et malis artibus effecit, ut per annos prope viginti, nullum Alexandriae Patriarcham Jacobitae habuerint, cum a multis rejiceretur, inter alias repulsae causas hanc etiam expertus est, quod ab Episcopo Fiumensi, ex cujus Dioecesi erat, excommunicatus fuisset, tanquam de fide suspectus. Tandem cum saepe conventus Episcoporum et Nobiliorum Laïcorum adversus eum fierent, adeo ut nihil propius fuerit quam ut Patriarchatu dejiceretur, coactus est novam dare fidei Confessionem, eo quod in multorum suspicionem incurrisset, quasi ad Francorum, hoc est Latinorum, religionem propensior, secreta cum illis per internuncios consilia agitavisset. Atque haec exempla sufficiunt ad ostendendum quanta olim cura Cophtitae operam dederint, ut nemo ad Patriarchalem dignitatem assumeretur, de cujus fide, vel levis esset suspicio.

Electionis approbatio.

LXVI. Haec ferme sunt quae de conditionibus ad constituendum Patriarcham ex eorum disciplina requisitis, Canonum, aut Theologorum libri repraesentant, et historia confirmat. Quae observatae fuerint, usuque perpetuo stabilitae, quae vero extra libros locum non habuerint, penitusque obsoleverint, ex notis quas singulis articulis adjecimus, manifestum est. Omnia porro quae notavimus, observata fuisse ante annos quadringentos, et quidem satis accurate, non est quod dubitemus. Ut vero reliqua ad disciplinam spectantia expediamus, quando omnes Sacerdotes, Laïcorumque primarii in alicujus nomen consenserant, si is praesens aderat, statim acclamationibus τοῦ Ἄξιος, electio approbabatur, et nisi Episcopi obsisterent, confirmabatur. Ubi illi dissentiebant, nihil actum erat: alium quidem saepe Antistites nominabant: sed si ab aliis repelleretur, nihil poterant Episcopi, nisi moram interponere, Canonum autoritatem praetexendo,

secundum quos, is qui designabatur ordinari non poterat. Nam in septingentorum et amplius annorum decursu, cujus historiam qualemcumque habemus, nunquam observari potuit, aliquem ab Episcopis ordinatum, nisi Cleri et populi consensus accederet. Neque ordinari poterat quisquam, invitis Episcopis, nam ex ipsorum Coptitarum jure novo, duodecim saltem Episcopi requiruntur ad ordinandum Patriarcham. Etsi autem ingens olim erat Episcoporum in tota Aegypto multitudo sub Christianis Imperatoribus, sub Muhamedanis redacti ad longe pauciores fuerunt, adeo ut si quadraginta aut circiter, ad Comitia Patriarchalia intervenirent, ea frequentissima esse judicarentur. Nunquam igitur factum legimus, ut cum esset sententiarum diversitas, de Ordinatione cogitaretur, donec concordia inter eos qui electioni repugnabant coaluisset: sive electus adesset, sive abesset. Si aderat, statim in medio constituebatur, et omnium votis et acclamationibus excipiebatur. Si aberat, eligi solebant aliqui ex Episcoporum numero, qui cum Laïcorum Nobiliorum Missis, ad Monasterium S. Macarii proficiscebantur, aut etiam ad aliud, vel ad Cellam in Eremo, ad eum adducendum in quem vota reliquorum omnium conspiraverant. Ibi ulterior de ejus conditione, moribus, doctrina, et fide inquisitio fiebat: poterat enim adhuc rescindi electio, quamvis consummata videretur, si quidpiam vitii in electo reperiretur, cujus ignoratione factum fuisset, ut eligeretur, qui repelli debebat. Audiebantur Archimandritarum, seniorumque Monachorum testimonia, tum si ea famae responderent, assumebant eum Episcopi et Alexandriam, aut Cahiram deducebant.

Electo vincula injecta.

LXVII. Porro cum olim accidisset ut nonnulli se honore supremi Sacerdotii indignos judicarent, fugamque sanctorum antiquorum exemplo molirentur, atque adeo vi constringendi essent, quod de Demetrio XII. narrat Severus in ejus vita, inde consuetudo fluxit, ut electo statim catenae injicerentur; atque ita illis etiam qui ambitu et largitione dignitatem adipiscebantur, vis quodammodo fiebat, ut reluctantes onus subiisse viderentur. Ea fabula quamvis erga plerosque qui nullatenus resistebant, satis ridicule peracta, in legem transiit, quam referunt Ebnassalus, Abulbircat et Pontificalis liber, neque catenae solvuntur, nisi inter ipsa Ordinationis officia. Catenarum ejusmodi usus fuit erga Macarium XLIX. Yuçabum sive Josephum LII. Sanutium LV. Mennam LXI. Ephraemium ejus successorem: non vero erga Philotheum virum improbum, et aliquot

alios, qui non modo vim sibi fieri non exspectaverunt, sed ante Ordinationem indumenta Patriarchalia assumserunt, ut Christodulus, et Michael, ille LXVI. iste LXVIII. Postea tandem servata est caeremonia, eos vinciendi qui aliud omnino quam fugam cogitabant, ridicula prorsus et impudenti fictione.

Misram ductus novus Patriarcha.

LXVIII. Quando designatus Patriarcha erat in eorum potestate qui a Concilio Episcoporum, et reliquorum ordinum missi erant ut eum adducerent, vetusti moris erat ut nullam novae dignitatis notam assumeret priusquam Cahiram venisset, ubi confirmabatur praesentis electio, idque antequam deduceretur ad principes Muhamedanos, sine cujus licentia Ordinatio fieri non poterat. Verum, ut mox diximus, fuerunt nonnulli qui ex Monasteriis suis proficisci renuerunt, nisi ornamenta Patriarchalia, etiam ante Ordinationem ipsis imponerentur. Ita Christodulus LXVI. cum electus fuisset, consensu Episcoporum, Cleri et populi, missique essent ad vallem Habib, ubi erat Hieromonachus in Laura Primi, decem viri qui eum Alexandriam deducerent: ille Cella pedem efferre noluit, priusquam exteriori veste Patriarchali indueretur, ne, inquiebat, si contentiones de ejus electione reviviscerent, et ea irrita fieret, ludibrio foret omnibus. Major adhuc fuit Michaelis LXVIII. protervia et impudentia: non modo enim antequam Monasterio exiret, ornari in morem Patriarchae voluit, sed ab Episcopis qui ad eum deducendum missi fuerant, manus imponi sibi, consuetasque ad Ordinationem preces super se recitari. Neque facile occurrit simile exemplum, ordinati extra publicum conventum Patriarchae Alexandrini. Macarius LXIX. licet renuens, statim veste Patriarchali ornatus est.

Ordinationis ritus, et antecedentes caeremoniae.

LXIX. Communis disciplina erat ut Alexandriam vel Cahiram electus statim deduceretur, offerreturque congregatis in Ecclesia Episcopis, Clericis, Laïcorumque primoribus. Tum Episcopus senior pauca in laudem ejus praefatus, ad populum verba faciebat, eorumque consensum exquirebat. Postquam omnes *Ἄξιος* multoties inclamassent, Episcopique suffragia aliorum suis quoque comprobassent, idem senior Episcopus, electionem ratam esse declarabat: tam suo quam reliquorum nomine. Tum conficiebatur instrumentum electionis quod Arabice תזכיה *Tazkiet* vocant, quasi dicas testimonium de ejus dignitate: in Coptico exemplari *Ψήφισμα* voce Graeca; cujus loco in Glossariis occurrit *ψῆφος*, eodem significatu.

Psephisma.

LXX. Talis porro fuit illius Psephismatis forma, quam Coptice et Arabice Abulbircat, Pontificalis liber Seguierianus etiam Graece repraesentat, sed misere corruptam, quod ab hominibus linguae Graecae imperitis descripta fuerit. Loquuntur omnium nomine Episcopi Jacobitae, congregati cum Sacerdotibus, Diaconis, omnique populo Christum amante urbis Alexandriae, totiusque Aegypti. Ex quibus verbis intelligitur, Alexandrinis conservatam honoris praerogativam in omnibus ferme actis aut instrumentis, etiam postquam alternare cum Cahiranis coeperunt, neque nisi per vices, jus primae sententiae in Comitiis dicendae retinuerunt. Quippe ad eos proprie spectabat electio, neque ad nobiles seu Ἄρχοντας Laïcorum, qui Cahirae sedes habebant transiit, ob aliam rationem, quam quod essent plerique ex Alexandrinis familiis. Observandum quoque est in eodem electionis Decreto, quocumque loco illa facta fuerit sive Alexandriae, ut olim usque ad Muhamedanos semper, postea aliquando, dein alternis vicibus, semel Cahirae postea Alexandriae: tandem Cahirae semper, ut suffragiis Christianorum, statim autoritas Magistratuum et Principis accederet, tamen Episcopos et reliquos, non suo, aut privatae alterutrius Ecclesiae nomine, sed omnium Christianorum Aegypti communionis Jacobiticae nomine loqui et electionem factam publicare et comprobare.

Laudes defuncti Patriarchae.

LXXI. Sequuntur laudes defuncti Patriarchae, quae aliquando fusius enarrantur, nam illarum avari nusquam Orientales fuerunt: nomen ejus inseritur, et memoriae fidelium commendatur. Exprimitur deinde luctus publicus, ex communis patris obitu: moxque dicitur, qua ratione congregati omnes more majorum, eum elegerint qui maxime hoc honore dignus, onerique sustinendo idoneus videbatur, atque electi nomen cum laudibus etiam multis inseritur, declaraturque votis omnium expetitus, electusque Patriarcha. Episcopi instrumentum seu Decretum scribi jubent, testanturque se illud probare cum omnibus simul congregatis, Sacerdotibus, Diaconis, Clericis, Monachis et omni populo urbis magnae Alexandriae, post accuratam de ejus moribus, fide, et praeclaris dotibus inquisitionem factam in Monasteriis Scetis et Nitriae, auditisque Monachorum de ejus pia conversatione testimoniis.

Subscriptiones.

LXXII. Subscriptiones Episcoporum primo loco adjunguntur, subscribuntque singuli juxta ordinationis suae antiquitatem; neque enim aliqua erat sedium praerogativa, sed illis comitiis, ut et conciliis

Ecclesiasticis omnibus, praesidebat is quem seniorem Episcopum vocabant אכבר *Akbar*, sive מקדם *Mokaddem*, appellatus. Marcus Episcopus Balinae, Joannes Episcopus Sacae, Sanutius Episcopus Misrae, ita appellati leguntur: unde liquet nulli Episcopali sedi, imo nec Damiatensi, quae Metropolis titulum obtinuit saeculo circiter XII. hanc praerogativam adjunctam fuisse. Formula subscriptionis Episcoporum erat lingua Coptica in hunc modum, *Ego N. Episcopus urbis N. Christum amantis, consentio huic Psephismati.* Post Episcopos subscribebant tres Sacerdotes Alexandrini, et tres Diaconi, qui Ecclesiae Alexandrinae Clerum repraesentabant. Mentio subscriptionis Sacerdotum et Diaconorum nomine Cleri Misrae seu Cahirae nulla occurrit. Sed post Sacerdotes et Diaconos Alexandrinos subscribebat Archimandrita Scetis seu Monasterii S. Macarii, et postea aliquot Ἄρχοντες, seu primariae nobilitatis inter Laïcos viri, tam Cahirae, quam Alexandriae. Eum in modum electio consummata censebatur, atque hoc Decretum in Acta referebatur, et servabatur a *Katibo* sive secretario: quo in officio plures erant apud Patriarchas, quorum dignitas et officia eadem prope erant, ac Syncellorum apud Constantinopolitanos. Debebant autem exemplum illius decreti paratum habere, ut ex Ambone seu pulpito legeretur in frequenti Ecclesia, paulo antequam Ordinatio novi Patriarchae celebraretur.

Ordinum inferiorum collatio.

LXXIII. Si electus esset Archipresbyter, seu *Komos*, ut vocant, statim ordinari debebat Patriarcha, hoc est Episcopus Alexandrinus: neque enim quantum ad Ordinationis solennem ritum, et officia pertinet, observari potest in rebus necessariis discrimen ullum inter communem formam ordinationis Patriarchalis, et Episcopalis, quod in Alexandrina Ecclesia Jacobitica singulare est. De illis quae ad pompam aut caeremonias pertinent, aut honoris amplitudinem, atque adeo sunt extra οὐσίαν sacramenti, non loquimur, sed de ipsius sacramenti partibus. Nam apud Nestorianos, quamvis plerique eorum, qui Catholicorum nomine summam apud illos autoritatem obtinuerunt, jam ordinati essent, quippe qui erant aliarum sedium Episcopi aut Metropolitae, tamen et manuum impositionem suscipiebant, et per illas preces benedicebantur, quae in consecrandis Episcopis praecipuam vim habent, quod ex editis a viro Clarissimo Joanne Morino Ritualibus, manifestum est, et pluribus ex Historia exemplis confirmatur. Atque haec consuetudo a gravissimo iteratae ordinationis peccato excusari nullatenus potest. Simile aliquid factum apud Ja-

eobitas Antiochenos, cum manuum impositionem non minus necessariam judicarent, ad potestatis amplioris, quae Patriarchali dignitati conjuncta est, collationem, quam ad Episcopum instituendum. Unde etiam apud utrosque, non sine precibus et manuum impositione, Episcopus ad Metropolin transferebatur, haud minori vitio. Verum, quia, ut diximus, inter tot ignorantiae et haereseos mala, quibus Jacobitica Ecclesia Alexandrina conflictatur ab annis mille et amplius, hanc sanctissimam disciplinam Coptitae retinuerunt incorruptam, ut nullus per translationem ab alia Episcopali sede ad Alexandrinam promoveretur, idcirco Patriarchae Ordinationem servaverunt legitime celebratam, qualis esse sacerdotis debet, qui ad Episcopatum promovetur.

Komos quid significet.

LXXIV. Ex ea igitur lege si electus consecratus est in *Komos* seu Archipresbyterum, vel, quod idem est, *Hegumenum,* statim ordinatur more solito in Episcopum. In Pontificali notatur praeterea, electum, si antea Monasticam vitam professus non fuerit, suscipere Habitum, sive Schema, quod illi imponitur, dictis simul omnibus orationibus, quae ad faciendum Monachum pronunciari solent. Nec in exteriori caeremonia consistitur: nam simul obstringitur omnibus officiis, praesertimque abstinentiae, et jejuniis inter Monachos observatis. Unde inter crimina Macario objecta, illud fuit, quod carnes in Cella Patriarchali ad mensam adhibuisset. Ea porro dignitas Ecclesiae Copticae propria est. *Komos* Arabice, etsi vox peregrina esse videatur, vulgo in Glossariis Coptico-Arabicis, tam editis quam Mss. respondet Graecae *Ἡγούμενος*: hoc est *Abbas* seu *Archimandrita.* Sunt tamen Hegumeni duplicis generis: nam ita appellantur aliquando, etiam servata in Arabico sermone, Graeca voce, Monasteriorum Abbates seu Archimandritae, ut ex Liturgia et aliis Ecclesiasticis libris patet: et in Diptycho Basilianae, ubi memoria fit Abbatis Joannis Hegumeni, in Arabica versione legitur *Komos.* Alteri sunt Presbyteri qui dignitatem habent Sacerdotali majorem, Episcopali minorem, adeo ut quodammodo Chorepiscopis similes fuerint, et fortasse *Komos* a voce Graeca deductum est *Κώμη*, ad significandum vicorum et pagorum rectores Presbyteros; aut etiam parochos, ut apud nos appellantur: nam ex eorum ordinatione patet, consecratos fuisse ad altare alicujus urbis aut loci, ut in eo curam pastoralem exercerent. Ita tum veri Hegumeni, seu Abbates Monasteriorum, tum titulo alicujus Ecclesiae addicti Sacerdotes, et honorem Sacerdotio simplici majorem habebant, et Ordinationem sin-

gularem, cujus disciplinae ratio vix aliunde quam ab antiquis Chorepiscopis duci potest.

Ordines omnes nisi haberet, electo conferebantur.

LXXV. Quia vero Patriarcham, ut etiam Episcopum, habere oportebat Ordines sacros omnes, si simplex Monachus esset, Diaconus ordinabatur, neque enim videntur Minorum Ordinum, aut etiam Subdiaconatus rationem habuisse: sed interstitia diei unius observabantur inter singulos ordines, ita ut primo Diaconus, secundo Sacerdos, tertio ordinaretur *Komos* seu Hegumenus; expectabaturque dies Dominica ad ordinandum eum Patriarcham; neque enim alio die Episcopi consecrari debebant. Ita observatum erga Michaelem LXXI. legitur in ejus vita.

Califae aut principis salutatio.

LXXVI. Verum antequam manus electo imponerentur, atque etiam antequam primos, quibus insignitus nondum erat Ordines susciperet, deducebatur ab Episcopis et Laïcorum primoribus ad Califae, Sultani, Praefective praetorium, ut electio comprobaretur, simulque praeceptum Ordinationis obtineretur, ne contrario aliquo mandato interveniente, turbaretur. Frequenter id observatum initio rerum Muhamedanarum, et postea in legem transiit. Legitur in vita Isaaci XLI. Georgium Diaconum electum a majori parte, deductum esse ad Abdel-Azizum Praefectum, jam assumto ornatu Patriarchali, et irritam factam ejus electionem jussu Principis, ejusque loco Isaacum constitutum. Adibant igitur Sultanum aut Praefectum Episcopi, Christianorumque primores Laïci, offerebantque electum, et si probabatur, statim Diploma, quod *Sigel* sive sigillum vocabant, obtinebatur, quo in dignitate confirmabatur, Christianisque plena facultas concedebatur eum ordinandi: tum omnibus praecipiebatur principis nomine, ut omnes tanquam Patriarchae suo ei obtemperarent. Saepe in gratiae demonstrationem, Orientalium more, vestem a Sultano accipiebat, dabanturque ex cohorte praetoriana qui eum ad aedes Patriarchales deducerent, idque non raro magna pompa factum est. Tunc enim cum Christiani tranquille agerent, eosque Sultani vexari a Muhamedanis non paterentur, prodibant ad aulam magno psallentium ordine, eoque modo qui in publicis supplicationibus observari solebat. Nempe sacerdotes vestibus sacris ornati, procedebant cum cereis, crucibus, Evangeliorum libris, et thuribulis, psalmos canentes: Diaconi, et alii ex Ordine Clericali ordinatim: tum Episcopi eodem modo, et Patriarcham novum cingebant, qui asino vehebatur, tum ad imitandum exemplum D. Jesu Christi, tum quod apud Muhamedanos

vetitum esset Christianis, ne equis veherentur. Laïcorum primarii et reliqua multitudo sequebantur. Postea cum ad Ecclesiam ex qua processerant, redeundum erat, adjiciebantur honoris et praesidii causa, manipuli aliquot militum, prohibituri ne vulgus promiscuum semper in Aegypto turbulentum et procax, maxime Dervisii, et Meschitarum aeditui, ad injuriam Christianorum semper parati, aliquam ipsis molestiam inferrent.

Ordinatio die dominica.

LXXVII. Postquam ad Ecclesiam redierant, designabatur Ordinationi dies, ea tamen ratione quam tetigimus, nempe ut ea non nisi dominica die, secundum antiquam omnium Ecclesiarum disciplinam celebraretur. Licebat autem, ut si novus electus alium Ordinem non accepisset, quam Diaconorum, aliis diebus ordinaretur, servato tamen interstitio, ut non uno eodemque duplicem Ordinationem acciperet. Ea autem celebrabatur ab Episcopo seniore, eodem modo, atque illis ipsis precibus adhibitis, quae in communi Ordinum collatione solebant observari: verum singulare illud erat, quod omnes Episcopi aderant, atque in eorum pleno consessu, ad Ordines quos non receperat promovebatur.

Consuetudo vetus ordinandi eum Alexandriae.

LXXVIII. Porro vetustissima consuetudo fuit, ut Ordinatio Patriarchae Alexandriae fieret, idque merito. De antiquioribus Patriarchis ante Muhamedanorum tempora dubitari non potest, etsi qui proxime Benjaminum praecesserunt Jacobitae, cum Orthodoxi omnes Ecclesias Alexandriae obtinerent, neque alii suos conventus in urbe agere per leges Imperatorias sinerentur, in Monasteriis videantur secreto ordinati: nempe quia tunc necessitas excusare a lege videbatur. Postea tamen ex quo integram Jacobitae libertatem nacti sunt, plerumque ordinati sunt Alexandriae, in Ecclesia *Angelion* dicta. Ita ordinati Simon XLII. Alexander ejus successor: Theodorus XLV. Chail XLVI. Marcus XLIX. Jacobus post eum: deinde Yuçabus: Chail LIII. Sanutius LV. Gabriel ejus successor: Minas sive Mennas LXI. Ephraem LXII. Sanutius LXV. Christodulus ejus successor, et hujus Cyrillus. Et fortasse de aliis idem existimandum est, cum id historici tanquam notissimum tacuerint.

LXXIX. Primum exemplum ordinationis extra Alexandriam factae, secundum historicos nostros, occurrit in Michaele LXVIII. qui Cella sua prope Sinjaram inclusus egredi noluit, priusquam Episcopi manus ipsi imposuissent, et legitimis Orationibus pronunciatis eum ordinassent, novo sane exemplo, ex quo originem habuit alia di-

sciplina, ut qui extra Alexandriam ordinatus fuisset, in majorem ejusdem urbis Ecclesiam veniret, ibique ejus proclamatio, et inthronisatio fieret, quod postea accurate observatum fuit.

Postea Misrae seu Cahirae.

LXXX. Macarius qui Michaeli successit, Alexandriae ordinatus legitur, ut Gabriel F. Tarich LXX. Michael LXXI. Verum Joannes LXXII. Misrae seu Cahirae ordinatus est: festinantibus Episcopis et Laïcorum primoribus, statim atque praeceptum de ejus Ordinatione a Califa obtinuerant, quia scilicet Junes quidam Monachus, ambitu et largitione apud aulicos effecerat, ut mora interposita, electio ejus in quaestionem coram Muhamedanis judicibus vocaretur, et si fieri posset, irrita declararetur. Simili exemplo Joannes filius Abugaleb Patriarcha LXXIV. Misrae ordinatus dicitur: nam de Marco F. Zaraae ejus decessore, ubi ordinatus fuerit, silent historici. Tandem Cyrillus F. Laklaki, in quo desinit Historia Patriarchalis, ordinatus fuit Alexandriae; sed, ut ex narratione autoris aequalis manifestum est, quia post annorum prope viginti contentiones, et lites, tandem praeceptum a Sultano Adelo obtinuerat de sua Ordinatione, in quam plerique Jacobitarum consenserant, Decretoque de ejus electione subscripserant. Illud ut Principis autoritate confirmaretur, Alexandriam profectus erat, ubi ille ob aeris clementiam, valetudinis curandae gratia tunc commorabatur. Postea vero institutum videtur fuisse majoris securitatis causa, ut Ordinationes Patriarcharum Misrae seu Cahirae fierent in Ecclesia Muhallaca, quam consuetudinem ut suo tempore receptam, perscripsit Ebnassalus. Verum quia, ut videtur, varia jam erat, nec semper eadem disciplina, paulo post scribit, deducendum esse Alexandriam, atque ibi constitui, ordinarique Patriarcham. *Postquam,* inquit, *ordinatus est Komos, sive Hegumenus, cum amplissimo comitatu, Misra eum deducunt Alexandriam, ad quam si pervenerit ante Dominicam diem, in suburbiis manet, donec matutinum ejusdem diei tempus advenerit: tuncque cives exeunt ei obviam, et in ejus obsequio procedunt usque ad Ecclesiam Sotir, hoc est salvatoris,* quamvis Abulbircat qui erat recentior, assignet ordinationi Ecclesiam D. Marci, respiciens, ut verisimile est, ad temporis sui disciplinam.

Sacri ritus Ordinationis ex Ebnassalo.

LXXXI. Porro licet Ordinationis ritus accurate explicentur in Pontificali, cujus versionem subjungimus, videtur tamen operae pretium, ea referre quae de iisdem ritibus leguntur apud autores. Ebnassalus quidem qui sub Cyrillo filio Laklaki Patriarcha LXXV. vi-

vebat et anno J. C. MCCXXXIX. Epitomen Canonum, quae Episcopis urgentibus facta est, et publicata ad reformationem Ecclesiarum, sub nomine ejusdem Patriarchae, ritus illos qui sui temporis disciplinam spectabant, paucis explicavit, et ejus verba referemus. Quo die, inquit, constitutum fuit ut Ordinatio celebraretur, dicuntur Orationes matutinae diei dominicae: postea Liturgia celebratur, secundum consuetum ordinem a seniore Episcopo. Cum finita fuerit lectio Actuum Apostolorum, omnes Episcopi eum comitabuntur et deducent ad Thronum, seu sedem Patriarchalem: electus convertet faciem suam ad Orientem, Episcopi vero ad Occidentem: postea lavabunt manus suas, illasque imponent super eum: stabuntque interea Laïci, et omnis multitudo cum timore et silentio. Episcopi vero dum manus imponent super eum dicent. *Imponimus manus nostras, super hunc servum electum a Deo, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ad constituendum illum in gradu praeclaro et firmo Ecclesiae unicae, immaculatae, Ecclesiae Dei vivi, invisibilis: ad judicium recte administrandum, manifestationemque sanctitatis, doctrinamque et gratiam sanctam. Amen. Is est qui Ecclesiae universali praepositus est, autoritate Trinitatis sanctae per mysterium crucis.* Tum inclamabit antiquior Episcoporum haec verba. *Probatisne, quod sit iste Patriarcha vester, judexque inter vos, vobis, et super vos:* quae ab eo ter repetentur: tertio vero adjiciet: *an approbatis hunc esse primatem super vos, et perspectum habetis eum esse dignum isto gradu?* Cumque dixerint, *Dignus est,* vertet faciem suam ad Orientem, dicetque orationem, et adolebit incensum. Primusque Episcoporum, sive antiquior Ordinatione et secundus post eum imponent manum super electum, ordinabuntque eum per orationem Ordinationis quae nota est: et quae cum aliis singulari libro Pontificali continentur. Cum Episcopi uno gradu descendunt, novus Patriarcha simul ascendit, donec ad summum pervenerit, atque ita reliquis omnibus superior sit. Cum vero ad lectionem Evangelii perventum fuerit, deferet librum coram illo senior Episcoporum, legetque Patriarcha sectionem ubi sunt haec verba, *Ego sum Pastor bonus:* quae ter ab ipso legentur: et ad singulas vices, senior episcoporum librum imponet capiti ejus; et alta voce dicet: *Dignus est*, Dicetque universa multitudo simul Ἄξιος. Lectione illa peracta, perficietur Liturgia: Postquam vero Ordinatio perfecta fuerit, osculabuntur eum Episcopi juxta ordinem suum: tum Sacerdotes, et ministri altaris, primarii Laï-

corum, et universa plebs osculabuntur manum ejus, eique adprecabuntur, ut Deus illum ipsis perficiat pastorem bonum, et per eum ipsos quoque perficiat. Ad finem Liturgiae primus ipse communicabit sacris mysteriis et aliis omnibus juxta ordinem suum communionem distribuet, dimittetque eos cum pace et benedictione.

Eadem ex Abulbircat.

Fusius paulo eamdem *ἀκολουθίαν* sive Rituum ad Ordinationem Patriarchae formam, refert Abulbircat. Primo observat, ut si electus fuerit ex ordine saecularium, atque adeo Monasticum habitum antea non susceperit, celebretur erga eum, Officium integrum habitus imponendi, cum orationibus consuetis, imponanturque ipsi singulae schematis seu habitus Angelici partes, ita enim vocant Religiosorum vestes sacras, de quibus extat Ordo singularis in diversis Codicibus Mss. Expectatur deinde proxima dies Dominica, extra quam Ordinationes facere non licet: atque, ut autores alii notant, eo temporis intervallo, si vel simplex Monachus est, ut multi tunc erant nullo Ordine Ecclesiastico insigniti, quales plerique *ἐγκλιστοὶ* seu *Reclusi* quos *Habis* vocant, extra coenobia in Cellis viventes, tunc incipiendo a Diaconatu, novus electus ordinabatur, ita ut ante diem Dominicam proxime sequentem, ad Hegumeni sive Archimandritae dignitatem promoveretur. Cum destinata dies illuxit ligatus deportatur, ad Ecclesiam S. Marci, ubi conveniunt omnes Episcopi et saeculares. Post Canonem Psalmodiae completum, hoc est Officium diei Matutinum, incipit Liturgia. Absoluta scripturarum lectione, solvuntur vincula quibus electus constringitur: diversae autem Lectiones veteris novique Testamenti leguntur, partitis functionibus inter Episcopos et Sacerdotes. Finita lectione Actuum Apostolorum, Archidiaconus advocat Episcopos, qui ad altare accedunt, et in sanctuario locum capiunt, juxta suae Ordinationis antiquitatem. Advocatur deinde electus, qui a duobus Sacerdotibus ex utraque parte eum tenentibus adducitur, solo stichario indutus et mantile circa collum habens, capite inclinato. Sacerdotes procedunt juxta ordinem suum: tum antiquior Episcopus, praecedente Archidiacono, qui gestat codicem Evangeliorum: alius Sacerdos fert incensum: sequuntur ordinatim Diaconi, cum omnibus, psallentes coram Evangelio sancto: omnesque procumbunt et venerantur altare. Episcopus consecrator, dicta oratione Evangelii, altarique salutato, sedet super thronum, hoc est sedem Patriarchalem, omnesque Episcopi hinc et inde consident juxta ordinem suum: Sacerdotes et Diaconi consistunt in loco inferiori, ut etiam electus fa-

cie ad Orientem conversa, capite inclinato, tenentibus eum Sacerdotibus duobus. Tum antiquior Episcopus, instrumentum electionis sive Psephisma descriptum a secretario, antequam in Ecclesiam veniatur, tradit uni ex Diaconis, qui conscenso Anbone, illud legit alta voce.

Post illius instrumenti lectionem, Archidiaconus dicet hymnos praescriptos in Pontificali, et quoties nominabit electum, prostrationem, quam metanoeam, ut Graeci, vocant, ad eum conversus faciet. Post hymnos, dicetur ter *Kyrie eleison.* Deinde Episcopi ex throno descendent, consistentque prope altare ad ordinandum Patriarcham. Adolebitur incensum ab antiquiore Episcopo, et post orationem thuris duasque alias sequentes, nempe illas quae in Liturgia occurrunt, populus dicet multoties *Kyrie eleison.* Completis aliis orationibus, quae ex Pontificali petendae sunt, antiquior Episcopus dextram imponet super electi caput, dicetque Archidiaconus Orationem ab istis verbis incipientem. *Divina gratia quae infirma sanat.* Ea est autem ejusdem omnino sententiae, et iisdem prope concepta verbis, ac illa apud Graecos *Ἡ θεία χάρις*, de qua Morinus, Goarius et alii fuse et docte disputaverunt, et nos dicemus alibi. Quod vero scribit Abulbircat, dici eam ab Archidiacono, non ita accipiendum, quasi officium ipsius sit, orationem in qua non minima virtus Ordinationis consistit, pronuntiare: nam testibus aliis omnibus autoribus, eam Episcopi pronuntiant, cum manus imponunt ordinando. Verum sententia talis est, quod Archidiaconus qui ex munere ordinario inchoat orationes omnes, quae a pluribus dicendae sunt, prima etiam istius verba incipiat, ut eam Episcopi rite pronuntient. Tum Episcopus converti jubet electum ad Orientem et Occidentem: signansque pollice caput ejus in modum crucis dicit. *Ordinavimus super Ecclesiam Dei sanctam, N. Archiepiscopum: super Ecclesiam Dei sanctam quae est in magna urbe Alexandria:* et post moram interpositam *N. Archiepiscopum, Patriarcham super Ecclesiam Dei Catholicam, Apostolicam praedictam, in urbe Alexandria, maxima Orthodoxarum: in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.*

Induitur deinde novus Antistes stichario, et aliis vestibus, nempe Pallio, et *Couclo* sive Casula, sed a nostra diversi generis, invocaturque super eum nomen Patris et Filii et Spiritus sancti. Tum ascendunt ad thronum, atque antiquior Episcoporum, antequam ascendat, illum veneratur, in eo electum collocat, et circa illum consi-

dent reliqui Episcopi juxta ordinem suum: ipse primum collocatur in infimo gradu. Postea *Taklid* sive instrumentum Ordinationis suae, quod *Systaticam* vocant, dat in manus Magistro sive Doctori Diaconorum, ut illud ex Anbone recitet. Formam istarum literarum Pontificalis liber repraesentat, vetustissima autem et Muhamedanis temporibus superior disciplina est, ut literae illae legantur Graece, Coptice et Arabice, et illas tribus linguis, Codex Seguierianus refert: Graece quidem ob honorem antiquitatis: cum Alexandriae Graecam linguam popularem fuisse ante Muhamedanos, notissimum sit: Coptice, quia ubi linguae alterius communis usus desiit, aut nunquam fuit, ut in superiori provincia, et extra urbes, omnium intererat nosse quid in electione novi Patriarchae gestum fuisset, tum quia Officia sacra eadem lingua celebrabantur: Arabice tandem ex quo Muhamedanis Aegyptus subjecta est, quod plerique indigenae, cum libertate, nativae non minus, quam Graecae linguae usum amisissent. Unde in vita Macarii LXIX. qui ordinatus est anno J. C. MCIII. Systaticae literae lectae fuisse dicuntur inter Missarum solemnia Graece, Coptice, et Arabice, eamque consuetudinem vigere etiamnum, suadent Codices non multum antiqui, in quibus triplici lingua Systaticarum forma descripta est. Porro non est quod quisquam existimet, eam omnem caeremoniarum formam quam ex Ebnassalo et Abulbircat describimus, recentiorem esse aut nuper adinventam: omnes enim in historia fundatae sunt, neque ulla illarum particula est, quae non variis exemplis possit confirmari.

Lecta Systatica, Archidiaconus dicit Orationes decem; I. pro pace; II. pro conservatione electionis: hoc est fausto ejus successu; III. pro patribus, seu Episcopis praesentibus et Clero; IV. ad confirmationem obtinendam per Spiritum sanctum; V. pro Ecclesiis super quas ordinatur; VI. ut Deo acceptus sit; VII. pro ejus longaevitate; VIII. pro felici vita ejus; IX. ut dignus efficiatur ea obtinere ad quae desuper vocatus est; X. pro eo et pro aliis. Postea proclamatur adhuc novus Patriarcha ab Episcopo seniore, his verbis: *Declaramus N. electum a Deo et servum ejus, Archiepiscum et Patriarcham, in una indefectibili Ecclesia.* Tunc omnis populus ter dicit, *Ἄξιος, Dignus est:* et ad singulas acclamationes, attollunt Evangelia super caput ejus. Postea elevato iterum super caput ejus Evangeliorum codice, senior Episcoporum imponit manum suam capiti illius, dicitque Archidiaconus *Gratia divina quae infirma sanat etc.* Populus dicit *Exaudi Domine.* Tum

66*

antiquior Diaconus Episcopos ad orationem hortatur: qui praescriptas in Pontificali orationes recitant, singuli juxta ordinem suum, tenentes interea manus impositas capiti Ordinati. Ad uniuscujusque finem dicit Archidiaconus. Ἔτι τοῦ κυρίου δεηθῶμεν: populus respondet *Kyrie eleison.* Dicuntque Episcopi. *Imponimus manus nostras super electum Dei, etc.* usque ad finem orationis: et cum illorum unusquisque illam compleverit, populus dicet ter, *Dignus est.* Tandem induitur a seniore Episcopo ornamentis Patriarchalibus, et dicitur Doxologia ad S. Trinitatem. Omnes Episcopi et populus simul rursus clamant, *Dignus est.* Postquam omnia ornamenta acceperit: Episcopi antiquiores duo, de throno descendentes, Patriarcham super eum collocant, tenentes manus ejus: inclamante populo Ἄξιος. Collocatur autem ter in sede, ad honorem Trinitatis sanctae: et Episcopus antiquior magna voce dicit, *Collocatur N. Archiepiscopus super sedem sanctam Apostolicam, Evangelicam S. Patris nostri, benedicti, Deum videntis Marci, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Populus respondet ter, Ἄξιος: et postea proclamationem novi Patriarchae facit Graeca lingua: Ἄββα. Ἀρχιεπίσκοπος μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας καὶ τῶν νόμων αὐτῆς. *Pater N. Archiepiscopus magnae urbis Alexandriae et Nomorum ejus, seu regionum ei subjectarum:* ut explicatur Arabice. Tandem collocatur in sede Patriarchali, neque se amplius movet, habens in sinu Evangelium S. Marci. Accedunt Episcopi et osculantur eum; dicuntque adhuc ter, Ἄξιος. Tum Laïci, post Sacerdotes et alios ex Clero, osculantur manum ejus. Recitatur coram eo Prologus, qui est Oratio quaedam, de qua dictum est alibi: tum psalmus: deinde datur ipsi Evangelium Joannis ex quo legit caput 23. ubi haec verba sunt. *Amen, Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium,* usque ad ista: *et fiet unum ovile et unus pastor.* Cum ad ea verba pervenerit. *Ego sum Pastor bonus,* omnes inclamant ter, Ἄξιος. His peractis celebrat Liturgiam juxta consuetudinem, omnibusque distribuit] sacra mysteria, datque illis pacem, hoc est ultimam benedictionem: neque enim hoc loco intelligi debet pacis osculum. Nam ut Graeci, ita Orientales omnes, salutant invicem in osculo sancto, ante Praefationem, non paulo ante communionem, ut Romano ritu fieri solet. Sacerdotes interea canunt hymnos, donec spoliatus fuerit vestimentis sacris, quibus ad celebrandam Liturgiam usus fuerat, eique antiquior Episcopus imposuerit stolam nigram. Postea iterum collo-

catur in Throno Patriarchali, continuantibus hymnos interea, Sacerdotibus et Diaconis. Dat benedictionem, et egressus ex Ecclesia ducitur ad Cellam Patriarchalem, seu Patriarchium D. Marci nomine dedicatum, vehiturque jumento suo. Episcopi sequuntur, et omnis populus: Sacerdotes praeeunt, canentes hymnos: simulque procedunt praesidiarii a principe vel magistratu missi, ante quos tres cruces praeferuntur. Cum in mediam urbem ventum est, consistunt: atque unus ex Diaconis incipit alta voce orationem *Εἴπωμεν πάντες καὶ ἐκτενῶς δεώμεθα, κύριε ἐλέησον. Dicamus omnes et oremus intentius, Kyrie eleison:* Populus clamat *Kyrie eleison.* Patriarcha dicit orationem cujus initium, *Domine Deus omnipotens:* et postea dicit, *Pax vobis omnibus:* et illum versum: *cito anticipet nos misericordia et clementia tua, Domine.* Populus dicit, *Kyrie eleison* multoties: et post aliam benedictionem, procedunt Patriarcha et Episcopi ad Patriarchium, cumque illic consederit, rursus eum prostrati venerantur. Festivitas autem continuatur per dies tres: primo, in Ecclesia Angelii: secundo, in Ecclesia S. Archangeli Michaelis: tertio, in Ecclesia S. Marci: ubi post completam Liturgiam, accipit in sinu suo caput S. Marci Evangelistae. Huc usque Abulbircat. Ex Ebnassalo reliqua persequamur.

LXXXII. Postea, inquit, festos dies tres celebrant in Cella Patriarchali, cum magno gaudio spiritualique festivitate: et die tertio, omnis populus cum eo proficiscitur ad domum filiorum *Elsocari* ubi est caput Marci Evangelistae: factaque oratione arcam educunt, et super lapidem collocant, thus interea adolentes: aperiturque arca, et osculatur Patriarcha caput D. Marci, postea arcam claudunt et populus eam osculatur. Diximus de ea traditione in variis locis Historiae nostrae Patriarchalis, dudumque esse apud Jacobitas Aegyptios communem opinionem quod caput D. Marci fuerit in domo privata familiae Christianae, dictae filiorum Elsokari, olim quidem post multa pericula conservatum apud senem quemdam Abuzachariam, quo mortuo, translatisque sacris illis reliquiis, magnas Christoduli LXVI. Patriarchae tempore, nonnulli qui ad senis illius familiam pertinebant, calamitates perpessi fuerunt. Ultimum vero quod in historia nostra occurrit de eadem reliquiarum D. Marci in domo filiorum Socari conservatione testimonium, habetur in vita Cyrilli filii Laklaki qui ordinatus est anno J. C. MCCXXXV. Verum autor vitae testatur dubitatum esse jam illo ipso tempore, de hujus traditionis, licet an-

Reliqui ritus ex Ebnassalo.

tiquae, veritate, adeo ut multis persuasum fuerit, caput fuisse Petri Hieromartyris, non Marci Evangelistae, quod simul cum ejus corpore, Venetias a Rumaeis seu Graecis asportatum fuerit. Abulbircat, hujus translationis tanquam suo tempore, certae meminit: caput tamen relictum apud familiam *Elsokari*, testatus est.

Caeremoniae post Ordinationem.

LXXXIII. Quod vero ad ipsam Ordinationem non attinet, sed ad novi Patriarchae susceptionem, quando non nisi ex historia peti potest, ex eadem explicare jam aggrediemur. Diximus Ordinationem non modo primis saeculis, sed etiam dudum postquam Aegyptus in Arabum potestatem venit, Alexandriae factam, ex antiqua disciplina: postea et serius fieri coepit Cahirae: nempe ut ex principum autoritate minus turbaretur. Ita tamen immutata est vetus illa consuetudo, ut quando liceret, Alexandriae potius quam Cahirae Ordinatio celebraretur.

Proclamatio Alexandriae facienda si ibi ordinatus non fuisset.

LXXXIV. Quando in hac urbe facta fuerat, oportebat novum Patriarcham statim Alexandriam proficisci, ut in Ecclesia Patriarchali ejus proclamatio fieret; et donec ea facta fuisset, Alexandrini Patriarcharum novorum jurisdictionem non agnoscebant, neque eorum nomen in Diptycha referebant. Novus igitur Patriarcha Alexandriam adveniens, excipiebatur a Clero et primoribus civitatis, aliisque, qui licet ea in urbe domicilium non haberent, eo tamen pergebant, ad honorem ei deferendum. Exemplum occurrit in vita Joannis LXXII. quem primum Misrae ordinatum legimus anno J. C. MCXLVII. Is quippe Alexandriam post Ordinationem ductus est, atque ibi proclamatio ejus facta. Modus autem is fuit: ut extra urbem in aliquo Coenobio, vel Ecclesia pernoctaret: postridie veniret ad Ecclesiam D. Marci, aut aliam, cum continuae a Muhamedanis vexationes, incendia, ruinae, in eadem officia Ecclesiastica celebrari semper, non permitterent. In Ecclesia igitur ad solennem proclamationem delecta, novus Patriarcha sacra faciebat, et antequam Liturgiae initium fieret, Acta duo de quibus dictum est superius, scilicet Electionis Decretum, et Systatica, sive literae testimoniales Ordinationis celebratae, ex Anbone legebantur Graece, Coptice et Arabice: et ad illarum lectionem, Episcoporumque qui illum ordinaverant publicum testimonium, acclamabant omnes Ἄξιος, sicut in electione et Ordinatione factum fuerat. Tum ipse Liturgiam celebrabat magno apparatu, omnibusque tam Ecclesiasticis, quam saecularibus Eucharistiam distribuebat.

LXXXV. Ex diversis vero historiae locis intelligimus, novum Patriarcham, antequam ejus electio acclamationibus confirmaretur, saepe coactum fuisse publicam facere fidei suae professionem. Talem postulaverunt Alexandrini a Gabriele LVII. qui novam facere recusavit, veteres formulas sufficere testatus. Michael LXVIII. anno J. C. MXCIII. cum Alexandriam proclamandus advenisset, jussus est, scriptam dare fidei suae confessionem. Expressa quoque est, sub depositionis interminatione, etiam post Ordinationem et Proclamationem a Cyrillo filio Laklaki. Mirum id tamen, factum fuisse erga Patriarchas jam ordinatos, cum jam res integra non foret: sed aliud hujus diligentiae in perspicienda eorum Orthodoxia argumentum suppeditant exempla duo, de quibus mox dicemus, cum de profectione ad S. Macarium agendum erit. Fidei professio.

LXXXVI. Solebant quoque Alexandrini ante Ordinationem aut Proclamationem, conditiones quasdam, seu pacta conventa suis Patriarchis proponere, exigereque ut ad eorum observationem subscriptione publici instrumenti se obstringerent. Quaedam privatas Ecclesiae Alexandrinae res spectare videbantur, alia ad communem utilitatem pertinebant. Primi generis erat, annua mille, mox quingentorum aureorum pensio, quam Patriarchae, Alexandrino Clero praestare tenebantur, ad aedificiorum instaurationem, luminaria, quotidianasque Ecclesiae impensas. Origo pensionis illius a Chailis LVI. temporibus repetenda est, qui ordinatus fuit circa annum J. C. DCCCLXXXI. Is enim ingenti pecunia multatus, ab Achmede filio Tolouni Aegypti Praefecto, cum solvendo non esset, ab Alexandrinis obtinuit, ut domos quasdam, diversasque illorum Ecclesiae possessiones venderet, ea conditione, ut quotannis mille aureos ipsis persolveret, de qua pactione instrumentum confectum est. Sub Zacharia LXIV. media pars deducta est: et postea redacta ad aureos ducentos, sub Macario LXIX. Ea vero causa magnas et sceleratas peperit pecuniarum exactiones, ac simoniacis Ordinationibus, praetexendo necessitatem, januam aperuit. An huic oneri hucusque subjaceant Coptitarum Alexandrini Patriarchae, nobis incompertum est. Reliqua pactorum capita aut ad jura Ecclesiae Alexandrinae spectabant, aut erant de disciplina. Sed quae communem omnibus Ecclesiis disciplinam, reformationemque ejus, tam in capite quam in membris spectare judicabantur, ea ut plurimum ante Ordinationem scripto comprehensa, novo Patriarchae subscribenda proponebantur, Pacta conventa.

aut de illis praestandis fidem faciebat. Neque tamen idcirco desinebant Alexandrini eamdem subscriptionem exigere, quae vel manebat in Ecclesiae tabulario, vel apud seniorem Episcopum deponebatur. Exempla occurrunt Patriarcharum, ut Michaelis LXVIII. qui tales syngraphas vi et anathematibus sibi restitui jusserunt. Is porro cum talem pactionem quadruplici exemplo fecisset atque unam haberent Sacerdotes Alexandrini: aliam Joannes Episcopus Saca, ut Episcoporum antiquior: aliam Episcopus Misrae: omnes excommunicavit, nisi exempla quae habebant, restituerent, quod tamen facere Episcopus Misrae Sanhutus constantissime renuit: sed ab eo Ecclesia sua pulsus est. Si quando tamen ejusmodi controversiae inter Alexandrinos Patriarchas et subditos ejus autoritati Jacobitas accidebant, statim ad Sultanos aut Praefectos provocabatur, quae postrema causa fuit eversionis disciplinae, cum ferme semper secundum eos Muhamedani judicarent, qui plus pecuniae repraesentabant. Ea occasione observandum est plerasque Constitutiones recentiorum Patriarcharum, Christoduli, Gabrielis, Cyrilli et aliorum de quibus in Historia nostra dictum est, aut quarum testimoniis in toto hoc opere nostro saepius utimur, factas fuisse ex ejusmodi pactis conditionibus, inter novos Patriarchas, et subditos ipsis Ecclesiasticos, et Laïcos: quarum non postremae fuerunt, ut ad reformationem disciplinae tales Constitutiones scriberentur, et observarentur.

Proclamatio Misrae ubi Ordinatio Alexandriae facta fuerat.

LXXXVII. Si Alexandriae ordinatus fuerat novus Patriarcha, eadem omnia quae mox explicata sunt, Misrae seu Cahirae observabantur. Nempe ad eam urbem cum pompa deducebatur, et die solenni sacra faciebat: Proclamatio ejusdem per Episcopos eodem ritu fiebat, legebaturque ex Anbone decretum electionis, et Systatica Ordinationis, Graece, Coptice et Arabice: acclamabatur Ἄξιος: et omnes qui Ordinationi non interfuerant, tum Clerus Ecclesiarum Cahirae, obsequium ei solenniter deferebant, et communionem ex ejus manu accipiebant. Verum jus quod habebant Alexandrini ad praescribendas quodammodo leges novo Patriarchae, antequam obedientiam praestarent, nomenque ejus in Diptycha relatum ad altare et in quotidianis extra Liturgiam precibus commemorarent, non videntur habuisse Cahirae primores Christiani, licet propter opes, et dignitates (nam plerique in Divanis, aut Aulico Ministerio officia exercebant) idem jus habere viderentur. Quamvis enim omnium Jacobitarum Aegypti supremus Pontifex foret Patriarcha, et ad eum

spectaret cura Ecclesiarum illius sectae omnium, tamen in ipsa sua institutione proprius erat Alexandrinorum Episcopus, atque ad eos idcirco, tanquam ad Dioecesanos immediatos spectabat, ut antequam susciperetur, cum eo transigerent de conditionibus secundum quas autoritatem exercere suam deberet. Observamus tantummodo fecisse id Cahirae cives, quando propria suae Dioeceseos Episcoporumque jura adversus Patriarcharum ambitionem conservanda fuerunt. Nam cum isti negociorum Ecclesiasticorum causa saepe Cahirae commorarentur, et ad Ecclesiam *Muhallacam* dictam, quae erat in *Kacer-el-chemah*, loco, ut existimant, Pyraei veteris, ubi etiam antiqua Babylon Aegypti sita erat, hospitium haberent: eam Ecclesiam cum domibus vicinis, hortis et praediis ad eam spectantibus, aliqui Patriarchae sui juris facere conati sunt, atque inter alios, Christodulus LXVI. qui illam Ecclesiam et alias insuper duas S. Mercurii, et S. Mariae in vico Graecorum occupaverat post mortem Episcopi Philothei. Itaque defuncto Cyrillo, qui proxime Christodulo successit, Misrae cives non prius Michaelem ut Patriarcham suum acceptare, ejusque autoritati se subjicere voluerunt, quam pollicitus fuisset se illas Ecclesias, et alias quasdam a suis decessoribus occupatas in diversis Dioecesibus, Episcopis propriis restituturum. Dixerunt quippe, Patriarcham non omnium Ecclesiarum, sed unius, cui per Ordinationem suam alligatus esset, Alexandrinae, esse Episcopum, neque magis illi licere occupare aliorum Episcoporum Ecclesias, quam viro conjugato alterius uxorem rapere. Michael vero, etsi subscripto instrumento pollicitus fuisset satisfacturum se Episcopo Misrae Sanhuto, cum tamen illum inauditum condemnasset, et deposuisset, conatus est per ejus absentiam, nam ipse fuga salutem quaesivit, occupare Ecclesiam S. Sergii prope Muhallacam; jamque miserat ad Oeconomum illius Ecclesiae, quae necessaria erant ad celebrandam in ea solennem Liturgiam, in festo Pentecostes. Promiserat insuper primariis Laïcorum, facturum se ut illa Ecclesia Patriarchalis esset, velleque se esse Episcopum eorum: sed omnia ejus consilia subita mors intervertit. Conatus est etiam Episcopatum Cahirae seu Misrae invadere, eumque per vicarios suos, aut per se ipsum administrare Macarius LXIX. qui Michaeli successerat, eaque ratione protrahebat nominationem Episcopi post Sanhuti mortem, dicens Cahiranis ordinaturum se quem ipsi vellent. Ipsi interea per sortem Ecclesiasticam, sibi Episcopum elegerunt, rejicientes extraordinariam illam Patri-

archae autoritatem, qua ipsorum Ecclesiam subjicere sibi immediate satagebat. De reliquis porro ad publicam omnium Ecclesiarum disciplinam spectantibus, etsi non minus Cahirae quam Alexandriae tractaretur, non tamen id civium aut Cleri nomine, qui ex dignitate urbis apud Muhamedanos principis, novam nullam autoritatem comparaverant, sed totius Jacobititae Ecclesiae nomine fiebat.

Proclamatio in Monasterio S. Macarii.

LXXXVIII. Postquam Alexandriae ordinatus fuerat novus Patriarcha, proficiscebatur ad Monasterium S. Macarii, de qua consuetudine ita scribit Ebnassalus. Postea ex suburbio Alexandriae profectus, venit ad Monasterium S. Macarii, nempe illud quod est in Sceti: vulgo in valle Habib. Cum prope est, egrediuntur in occursum ejus Monachi, qui congregati ad obsequium illi praestandum, statim atque in conspectum ejus venere, ter prosternunt se, metanoeas faciendo. Tum ipse descendit ex asino quo vehitur, et universos veneratur, metanoeam illis faciens. Ipsi iterum, facta versus eum metanoea, imponunt illum asino suo: et Archimandrita S. Macarii imponit oram pallii sui super collum asini ejus, eumque deducit. Sacerdotes Hieromonachi S. Macarii seorsim hymnos legunt et canunt ad ingressum ejus, donec pervenerit ad altare Benjamini, in Ecclesia majori ubi corpora sanctorum requiescunt. Altare illud seu *Heikel*, quod more nostro, Capellam possumus appellare, nomen habet a Patriarcha Benjamino qui XXXVIII. numeratur, et primus fuit inter eos qui sub Muhamedanis Ecclesiae Jacobitarum Alexandrinae praefuerunt. Is autem dedicavit Ecclesiam majorem S. Macarii in radice montis aedificatam, quia antiquior, praeterquam quod ruinis deformata erat, cum esset in montis supercilio, Monachi senio aut morbis debiles, vel quorum Cellae sitae erant in remotiori parte deserti, non nisi difficulter ad eam accedere poterant. Hujus Ecclesiae summa est inter Coptitas commendatio, et Canones habent in Collectionibus suis, qui ad ejus dignitatem tuendam pertinent. Consecrationis illius memoria quotannis celebratur octava Tybi, in Coptico Calendario, atque eodem die agitur commemoratio ejusdem Patriarchae. Quia vero ab illius tempore, integram quam sub Christianis Imperatoribus non habebant, Coptitae libertatem adepti sunt, eaque Ecclesia prima omnium est, quam sub Muhamedanis principibus aedificaverunt, eamque Benjamin magna pompa consecravit: hinc, ut verisimile est, originem habuit illa lex proficiscendi ad S. Macarium,

ibique solennem Liturgiam celebrandi, quae deinde ab omnibus Patriarchis observata est.

LXXXIX. Ita vero ipsa consuetudo in legem transiit, ut postmodum Monachi S. Macarii non prius agnoverint novos Patriarchas, quam in eorum Ecclesia proclamati, ibi Liturgiam celebrassent. Si Misrae seu Cahirae ordinati erant, statim Alexandriam proficisci debebant, tanquam ad omnium Aegypti Ecclesiarum Metropolin. Si vero Alexandriae facta fuisset Ordinatio, prius ad S. Macarium ire illos oportebat, quam Cahirae in Ecclesiis celebrioribus, Muhallaca, S. Michaelis, aut S. Sergii sacra fecissent. Exemplum habemus in historia Macarii LXIX. qui ordinatus est anno J. C. MCIII. Is enim cum Alexandriae ordinatus et proclamatus fuisset more majorum, inde Misram venit, ut in Ecclesia Muhallaca proclamaretur. Sed intervenerunt Monachi S. Macarii, oppositaque veteri consuetudine protestati sunt, se neque nomen ejus in Diptycha relaturos, neque ipsum in Ecclesiam suam postea suscepturos, aut ullam cum eo communionem habituros, si Misrae prius sacra fecisset. Itaque die sequenti, quae erat Dominica, ne illos offenderet Liturgiam non celebravit, et statim ad S. Macarium profectus est.

Ea consuetudo legis vim obtinuit.

XC. Prosequitur Ebnassalus. Patriarcha cum ad Ecclesiam accesserit, procumbit coram altari, illo Benjamini scilicet: et Archimandrita S. Macarii pronunciat super eum *Orationem absolutionis*, quae est initio Liturgiae: mox ingreditur ad altare, super quod sacra celebrat, communionemque sanctorum mysteriorum distribuit. Tum veneratur sancta corpora, et ab illorum reliquiis benedictionem captat, tandemque recipit se in Cellam Patriarcharum: et postea si velit, ad reliqua deserti Monasteria proficiscitur. Haec paucis Ebnassalus, quae explicanda sunt. Oratio *absolutionis* ea est quae in versione Liturgiae Copticae Basilianae, a Maronitis facta, occurrit sub falso titulo *Glorificationis ad filium*. Est autem oratio pertinens ad petendam remissionem peccatorum, praesertim pro Sacerdote aut Episcopo celebrante, omnibusque circumstantibus, ejusque verba et sententiae, a formulis orationum, quibus in Oriente poenitentes absolvuntur, parum differunt. In communi ordine Liturgiae, ea oratio pronunciatur super Sacerdotem celebrantem, ab alio Sacerdote: quod si Hegumenus, aut aliquis Episcopus sacro intersint: tanquam dignitate superiores, eam pronunciant. In hac igitur prima Liturgia, quam novi Patriarchae celebrant ad sanctum Macarium, honori Monasterii

Caeremoniae in eodem Monasterio ad Patriarchae susceptionem.

et Ordinis Monastici dignitati tribuitur, ut Archimandrita Absolutionis orationem pronunciet. Etiam alia quoque ratio hujus disciplinae fuit, quod cum multi Patriarchae assumti fuerint ex eodem coenobio, in quo sub illius Archimandritae obedientia vivebant, hoc postremum humilitatis documentum dare voluerint, ut ab ipsis benedicerentur, quos paulo ante superiores habuerant.

Lectio publica Actorum Electionis et Ordinationis.

XCI. Antequam porro Liturgia celebraretur, eodem modo quo Alexandriae et Cahirae fieri solebat, legebatur ex Ambone instrumentum electionis et alterum Ordinationis: utraque lingua, Coptica scilicet, atque Arabica. Cum porro illae literae in Ecclesia Arabice legebantur, decedebatur ab inveterato, et usque ad saeculum XIV. et fortassis huc usque conservato, usu illius Ecclesiae, in qua nihil omnino nisi Coptice legebatur, cum in aliis Ecclesiis, Evangeliorum, Epistolarum, et aliarum scripturarum lectiones Arabice fierent, postquam Copticae lectiones praecesserant. De ea consuetudine testis Abulbircat, et quidam alii. Porro jus illud, quod post Muhamedana tempora, stabilitum in Ecclesia Jacobitica Alexandrina reperimus, constanterque observatum, a veteri nulla disciplina ortum habuisse verisimile videtur. Quamvis enim magna esset in tota Ecclesia, maxime vero in Aegypto, ubi multa millia Monachorum erant, Ordinis Monastici dignitas, jus tamen ad electionem Episcoporum nullum habebant: nam inter Laïcos numerabantur. Cum vero celeberrimum Monasterium S. Macarii Benjamin Patriarcha occupasset, haeresique suae addixisset, et ex eo tanquam rediviva prodierit illa, caputque sub Arabibus efferre coeperit, verisimile omnino est, ea occasione factum, ut Monachis qui vitae asperitate jam commendati, habebant praeterea laudem non mediocrem conservatae Jacobiticae fidei, jus tribueretur suffragium ferendi in Patriarcharum electione, subscribendi electionis Decretis, tandemque approbandi electionem et Ordinationem; dum tenebatur novus Antistes ad sanctum Macarium proficisci, ibique proclamari, et sacra facere. Nec alia omnino causa hujus consuetudinis nobis occurrit.

Non erat haec simplex caeremonia.

XCII. Porro non est cur quisquam existimet nudam caeremoniam fuisse, eam quam exposuimus in S. Macarii Ecclesia Proclamationem: habebat enim probationem quamdam et confirmationem Electionis, et examen, ut ita dicamus, fidei Patriarchae, quod insignibus exemplis duobus manifestum est, Gabrielis filii Tarich Patriarchae LXX. et successoris ejus Michaelis. Illi ob addita quaedam verba in

Hist. Patr. Alex. p. 502. 526.

confessione fidei ante communionem dici solita, a Monachis Macarianis prius non recepti sunt, quam illarum rationem dedissent, ut expositum est in Historia Patriarchali. Reliqua in eo Monasterio, sicut alibi, observabantur nullo discrimine.

XCIII. Postea, prosequitur Ebnassalus, redit Cahiram Patriarcha: cumque pervenerit ad Monasterium *Nehiet* in Gisa prope urbem, ibi sacra faciet, et Monachis benedicet: tum sequentibus diebus celebrabit Liturgiam in Monasterio *Elkemah:* postea veniet ad Ecclesiam S. Michaelis, ad caput Aquaeductus extra Misram, ubi sacra faciet, atque inde se transferet ad Ecclesiam Muhallacam intra urbem, hora matutina diei Dominicae, non alio die. Ibi Liturgiàm celebrabit praesentibus Episcopis, Sacerdotibus, et populi multitudine: illis benedictionem dabit, orabitque Deum ut se per illos et illos per se perficiat. Idem faciet in Ecclesia S. Mercurii: tum in Ecclesia *Haret-el-roum*, seu *Vici Graecorum* in nova Cahira. Legetur autem Decretum electionis, simulque instrumentum Ordinationis, non solum Alexandriae, sed in Monasteriis et in omnibus Ecclesiis in quibus sacra faciet. Haec omnia statuta observabuntur, quorum pleraque sacris Canonibus continentur, alia consuetudine introducta sunt a sanctis Patribus Patriarchis, qui antea fuerunt. Huc usque Ebnassalus. Reliqua minoris momenti sunt, neque semper observata reperiuntur: quae tamen, quantum ex Historia Patriarchali colligere potuimus, referemus hoc loco, et reliquis subjiciemus. **Reditus Cahiram.**

XCIV. Inter alia, aliquando initio Patriarchatus, nomen aliqui mutasse reperiuntur, sed tamen raro exemplo. Primum occurrit Cyrilli LXVII. qui ante Ordinationem Georgius vocabatur. Joannes LXXIV. vocabatur Abulmeged; Cyrillus ejus successor vocatus fuit ante Ordinationem David: alia exempla non occurrunt, sed Episcoporum aliquot qui pariter in Ordinatione nomen mutaverunt. Unde factum id casu potius, aut affectatione, quam ulla lege aut consuetudine Ecclesiastica. **Nonnulla alia observata. Nominis mutatio.**

XCV. Quod proxime post Ordinationem a plerisque Patriarchis factum legimus, observare jam oportet: nam Ecclesiasticas res ordinare, gravibus negociis providere, et alia ejusmodi munia, non magis ad Patriarcham pertinent quam ad Episcopos in suis quique Dioecesibus. Verum quod statim ut plurimum, factum est a novis Patriarchis, consecratio Episcoporum fuit, praesertim quando sedes diu vacaverat, ne Ecclesiae diutius Pastore viduatae, detrimenti quidquam **Ordinationes Episcoporum.**

in fide, aut moribus paterentur. Instabant saepe tum Episcopi, tum Laïcorum primores, ut id statim post ejus inaugurationem perficeretur, ea maxime ratione, quod quandoquidem in conventu tum Cleri tum Laïcorum ad electionem congregato, renovabantur Canones antiqui adversus Simoniacas ordinationes, non videbatur facile fore ut leges illae, quibus observandis vulgo novi Patriarchae per solennem subscriptionem se obstrinxerant, ab ipsis proculcarentur; quas tamen saepe insuper habebant. Nullum enim gravius in disciplina malum Ecclesiae Orientales a multis saeculis expertae sunt, quam Simoniacam labem, qua pauci admodum inter eos a mille annis caruerunt: quamvis pleni sint anathematismis adversus illam eorum libri Ecclesiastici. Primus vero qui eam magis impudenter exercuit, legitur fuisse Chail LVI. qui a singulis Episcopis quos ordinavit, magnas extorsit pecunias, atque ita ferme omnes. Excusabant se ob imperatas saepe a Sultanis mulctas ingentes, quas cum solvendo non essent, in carcerem a Muhamedanis conjiciebantur: sed de illis dictum est variis Historiae Patriarchalis locis.

Epistolae Synodicae ad Antiochenos Jacobitas.

XCVI. Statim etiam post Ordinationem, solebant Alexandrini Patriarchae literas Synodicas scribere ad Antiochenum Jacobitarum Patriarcham. Jam a Severi tempore magna fuit utriusque Patriarchae conjunctio: Severum enim in Aegyptum venisse, etiam consecrata illiùs adventus memoria II. mensis Paophi in Kalendario Coptico, et Alexandrinae Ecclesiae traditio testantur. Imo delituisse eum per plures annos in Dioecesi Saca, et in Aegypto diem suum obiisse, atque ibi sepultum esse, communis opinio est, quam confirmant vota ad ejus tumulum facta, curationesque, ut credunt, per miraculum multae. Is autem, ut habet historia vitae Joannis Patriarchae XXX. quique *Mawiota* appellatur in Breviario Liberati, melius a Copticis *Nikiota*, scripsit primus literas Synodicas de communi fide ad Joannem: qui congregatis Episcopis suis, eas legi in omnibus Ecclesiis curavit: et ad eum alias literas dedit, quibus eamdem se unius naturae fidem tenere profitebatur, anathemaque Nestorio et Concilio Calchedonensi denunciabat. Talis illarum literarum origo fuit: quae *Synodicae* dictae sunt, servata apud Arabes Graeca voce, quia primum in Episcoporum Synodo, atque ex communi illarum sententia, scriptae fuerunt. Postmodum vero, etsi a solo Patriarcha scriberentur, quia tamen non suo solum, sed totius Jacobiticae Aegypti Ecclesiae nomine loquebatur, Synodicarum ipsis nomen conservatum

est. Sub Anastasio XXXVI. Anastasius Antiochenus Jacobitarum Patriarcha, non modo literas Synodicas misit, sed ipse paulo post in Aegyptum venit. Interruptam fuisse per bella, quae totum Orientem depopulata sunt, literarum missionem verisimile est: nam sub Benjamino et ejus proximis successoribus sub Arabum Imperio, nulla earum occurrit memoria. Verum sub Simone XLII. antiqua, ut aiunt, consuetudo revocata est, scripsitque is Synodicam ad Julianum Antiochenum. Elias ejus successor, scripsit ad Alexandrum XLIII. ad quem etiam literas misit Athanasius Eliae successor. Usque ad Chailem XLVI. nulla missarum literarum memoria occurrit. Ad eum Isaacus Episcopus Harran scripsit, sed cum contra Canones Antiochenam sedem favore Abdallae Sultani occupasset, occisis Metropolitis duobus, qui maxime conatibus ejus obsistebant, ejus Epistola Synodica a Chaile recepta non fuit, quamvis eam misisset per Episcopos duos, Damascenum et Emesenum: imo invasori anathema denunciatum. Postea Joannes XLVIII. scripsit ad Georgium Antiochenum, qui Athanasio successerat, electo post Isaaci mortem. Georgius in vincula conjectus rescribere non potuit: sed Cyriacus ejus successor, cui Joannes, et qui proxime Cathedram tenuit Marcus, rescripserunt sub Jacobo L. Dionysius Patriarcha Antiochenus in Aegyptum veniens, antiquam communionem utriusque sedis, praesens cum eo et Aegyptiis Episcopis renovavit: Joannes Dionysio suffectus ad Yuçabum LII. scripsit, Epistolamque Synodicam misit per Episcopos duos, ad quas Yuçabus honorifice respondit. Ad eumdem Joannem Cosmas LIV. scripsit similiter, Episcopis duobus ea causa Antiochiam legatis: ita Sanutius ejus successor. Joanne in exilium pulso curam Ecclesiae Antiochenae, quantum per mandata et literas poterat, gessit Zacharias LXIV. Christodulus LXVI. scripsit quoque ad Antiochenos: quorum Patriarcha Dionysius ad eum literas dedit, sed quae non nisi post ejus obitum successori ejus Cyrillo redditae sunt. Ita deinceps in ea consuetudine perseveratum est a Patriarchis tam Alexandrinis quam Antiochenis, neque illa videtur interrupta fuisse, nisi occasione bellorum quae toto Oriente per annos multos exarserunt, praesertim ex quo Franci Hierosolymitano regno stabilito, Jacobitas Antiochia exegerunt. Mos porro ad ultima usque tempora inter illos Patriarchas observatus fuit, ut, si quando novus Patriarcha ad alterum Synodicam non misisset, is inter Missarum solennia, nomen ejus ex Diptychis commemorari non patieba-

tur. Ne vero haec omissio integram abscissionem communionis inducere videretur, sed ea inter utramque Ecclesiam conservata, tamen ad novum Patriarcham, donec de ejus fide per literas Synodicas constaret, non pertineret, usus erat commemorandi ex Diptychis nomen defuncti Patriarchae, inter vivos, quamvis esse non desiisset. Ita Christodulus fecit, cum mortuo Joanne nomen ejus ad altaria quasi viventis commemorari juberet, omisso Basilio ejus successore, quia Synodicam non scripserat.

In Cellam seu Patriarchium se recipiebat novus Patriarcha.

XCVII. Quod reliquum est, cum alia omnia, quae Patriarcham observare oportebat, non magis ad Alexandrinum quam ad alios pertineant, ea paucis attingemus. His quas superius exposuimus publicis caeremoniis perfuncti Patriarchae in *Cellam* se recipiebant: ita vocatur in historiis Domus Patriarchalis sive Patriarchium, ea ratione quod cum plerique, ut diximus, ex Ordine Monastico assumerentur, servabant etiam in suprema Ecclesiae suae dignitate appellationem, quae pristinae vitae humilitati conveniret. Praecipua vero illarum Cellarum seu Domorum Patriarchalium, Alexandriae erat, prope Matrem Ecclesiam, quae tamen saepe mutata est, cum sub Muhamedanis varia Christianorum omnium atque ipsorum quoque Jacobitarum conditio fuerit. Nam cum initio fugatis Orthodoxis Graecis, vacanteque Patriarchatu, Ecclesias omnes occupassent, sibi tanquam legitimis possessoribus traditas ab Amro filio El-Assi, eas postmodum sub Abbassidis Orthodoxi recuperaverunt. Ad praecipuam ergo Ecclesiam, quaecumque fuerit, adjuncta erat Cella Patriarcharum Alexandriae. Misrae pariter seu Cahirae, ubi saepius morari consueverant, aliam habebant: aliam tandem in Monasterio S. Macarii. Nam praeter solennem illum ingressum, de quo dictum est superius, ex antiqua consuetudine, quae tamen Muhamedanorum temporibus antiquior non videtur, solebant Patriarchae Quadragesimam transigere in eadem eremo, ibique etiam Paschalem solemnitatem celebrare. Memoria illius consuetudinis extat in vita Marci XLIX. Chailis LIII. et aliorum. Imo, quod praecipuum erat, solebant Patriarchae eodem in Monasterio consecrare quotannis *Myron* seu Chrisma, aut feria 6. Hebdomadis 6. aut, ut postea factum est, Feria 5. Majoris hebdomadae, quem morem invaluisse a tempore Ephraemi LXII. testatur Abulbircat, et de illa consecratione Chrismatis, multa habentur in Historia Patriarcharum.

XCVIII. In Cella porro Patriarchali observabatur vitae monasticae regula, adeo ut a carnibus semper abstineretur: nam haec est perpetua Orientis Monachorum abstinentia. Eam vero servabant, ut faciunt etiamnum Episcopi Graeci, Syri, Armeni, et alii prope omnes, quia assumuntur ex Ordine Monastico. Neque enim existimant Episcopatum, cui major omnino quam privatae in coenobio vitae perfectio necessaria est, absolvere ab ejus regulis, illos qui eas semel professi fuerunt. Hanc abstinentiae a carnibus legem omnibus Patriarchis proponit Ebnassalus, et Philotheo inter alia multa crimina objectum est, quod quotidie in Cella convivia celebrarentur, carnesque convivis apponerentur.

Vitae Monasticae regula in Patriarchio servabatur.

XCIX. Mos quoque erat ut apud Patriarcham, sive in Cella, sive in vicina Ecclesia; nam semper Ecclesiae proxima erat, Officium quotidianum, diurnae scilicet nocturnaeque preces recitarentur, quemadmodum in Monasteriis. Habebat enim contubernales Clericos, aut Hieromonachos, qui cursum Ecclesiasticum simul peragerent.

Cursus Officii Ecclesiastici in eo observabatur.

C. Adhibebat autem Patriarcha ad privatam illam societatem quos maxime idoneos judicabat, ad sublevandum se in cura rerum Ecclesiasticarum, erantque quasi consiliarii perpetui, quorum opera uteretur, tum in causis inter Christianos judicandis, tum in scribendis Epistolis, tum in colligendis eleemosynis, aut fructibus percipiendis, qui ad Patriarcham spectabant, tandem in omnibus quae ad communem totius Aegypti Ecclesiarum utilitatem pertinebant. Idcirco seligebantur ad hoc ministerium, qui inter alios doctrina eminerent, praecipue ad obeundum munus *Katibi*, sive ejus qui esset Patriarchae ab Actis et Epistolis. Eorum autem non unum genus erat: nam Synodicae, quales ad Antiochenos mittebantur, Heortasticae sive Paschales, quas olim quotannis ex antiquissima consuetudine scribere debebant, cum expositionem fidei continerent ejusque ex antiquorum Patrum sententiis confirmationem, doctos esse oportebat qui illis scribendis adhiberentur. Paschales, ut et multae aliae, quae ad Ecclesias Aegyptiacas mittebantur, Coptice scribebantur: atque ita in ejusmodi Secretariis, requirebatur non vulgaris intelligentia illius linguae, quae, ex quo Arabica passim obtinuit, non tam ex usu communi, quam studio librorum disci solebat. Peritos etiam illos esse oportebat formularum quae in Actis et Epistolis usurpabantur, atque ita non vulgarem, sed reconditiorem quamdam veteris idiomatis habere facultatem debebant. Accedebat etiam quotidiana necessitas,

Ab Actis et Epistolis Clerici.

quia in festis solennibus, quando Patriarcha Liturgiam celebrabat, tenebatur exponere sacrae scripturae lectiones ex libris Copticis, et non modo eas interpretari lingua vulgari, sed sermonem ad populum habere de Evangelio aut Epistolis: quam explicationem ex Coptico memoriter olim et quasi ex tempore faciebant, priusquam eo ignorantiae deventum fuisset, ut illae interpretationes, tam quae simplicem versionem spectabant, quam homiliam, in libros referrentur. Secretarii autem erant quodammodo Patriarcharum interpretes et studiorum adjutores: multos enim maxime illiteratos in Alexandrina Jacobitarum Ecclesia sedisse, ex ipsorum historia manifestum est.

Arabicae linguae periti.

CI. Nec minus erat necessaria in Secretariis Arabicae linguae peritia, nam cum quotidie negotia Christianorum ad Muhamedanos Principes vel Magistratus deferrentur, qui ex Orientali supercilio vix aliter quam per libellos adeuntur: qui illis scribendis operam dabant, eos inanem illam eloquentiam Arabicam excoluisse oportebat, quae semper apud illos barbaros plurimum potuit. Nempe is apud eos olim, atque etiamnum, facundiae supremum gradum attigisse creditur, qui pauca multis, iisque obscuris, antiquis, et ab usu communi remotissimis verbis explicat, vel potius involvit, iisque ita collocatis, ut per homaeoptota, antithetaque, tinniendo aures afficiant; si quis simpliciter et perspicue sententiam explicet suam, is eloquentiae vacuus, infantissimusque judicatur.

Canonum periti.

CII. Canonum peritia non minus in illis Secretariis requirebatur. Nam cum ad tribunal Patriarchae omnes ferme Christianorum causae spectarent, scire illos oportebat, quid in singulis causis disciplina Christiana praescriberet. Neque enim de solis Ecclesiasticis rebus, sed etiam de illis quae ad saecularia judicia spectabant, cognoscere soliti erant Patriarchae. Tales erant causae omnes matrimoniales, pacta dotalia, haereditates, testamenta, et si quae sunt alia ad jus civile spectantia. Nam ex Christianis concesso antiquitus privilegio, caúsae illae omnes ab Episcopis et Patriarchis judicabantur. Quia vero maxima illarum pars secundum Leges Imperiales, non secundum Canones Ecclesiasticos debebat judicari, idcirco ex Legibus, Edictis, Novellis aliisque Principum Constitutionibus, ea excerpta sunt quae ad jus inter Christianos dicendum maxime opportuna censerentur. Atque ex illis excerptis nati sunt *Canones*, quos vocant, *Imperiales*, quorum multae diversaeque Collectiones extant in libris Orientalibus. Reliquae dotes, ut scientia scripturarum, Theo-

logiae et Philosophiae peritia, quando in aliquo ex Syncellis seu contubernalibus Patriarchae eminebant, gradum illi faciebant ad Patriarchalem dignitatem, quia notus erat omnibus, non Laïcis modo, sed etiam Ecclesiasticis et Episcopis, qui, eo quod nemo illorum transferri ad primam sedem poterat, ambitione carebant. Satius igitur ipsis saepe visum est, ut ex Syncellis seu Secretariis eligeretur novus Antistes, quam ex Monachis, aut Reclusis, qui absque ulla experientia rerum Ecclesiasticarum electi, saepe eas pessime et imprudentissime administrasse reperiuntur.

Aliquando Episcopi in Syncellos assumti.

CIII. Assumebant aliquando Patriarchae ad haec munera Episcopos, quamvis id contra Canonicam disciplinam foret, qui sub eorum autoritate res Ecclesiasticas curabant, sed plerique in illa administratione non recte versabantur, praesertim sub senibus aut imbecillis Patriarchis. Uno verbo, summa erat in hoc consilio domestico instituendo, aut destituendo illorum autoritas: imo ea occasione magna fuit semper Ecclesiasticae disciplinae eversio. Nam Monachi qui aliqua doctrinae laude commendabantur, aut alii actuosi et solitudinis impatientes, ad Cellam Patriarchalem veniebant, negotiisque se implicabant, non modo Ecclesiasticis, sed etiam saecularibus. Alii Episcopatus ambiebant, aut ambitum aliorum adjuvabant: saepe Muhamedanorum principum gratiam nacti, per malas artes apertamque licitationem ad Patriarchatum grassabantur: quorum criminum plena est Historia Alexandrina, eo fine, ut plurimi post excommunicationem, aut alias poenas canonicas, quas sibi accersiverant, ad Muhamedanam impietatem aperte defecerint, et Christianorum acerbissimi postmodum hostes evaserint.

Patriarchae Alexandrini Dioeceses.

CIV. Jam de autoritate Patriarchae Alexandrini Jacobitae dicendum est, quae erat amplissima. Notum est porro ex Concilio Nicaeno olim eidem Patriarchae attributam fuisse Aegyptum, Pentapolin et Libyam, ut sicut Canone VI. constituitur eorum omnium qui in istis provinciis essent Christianorum Alexandrinus Episcopus haberet primatum. Atque hi fuerunt antiquissimi limites Patriarchatus Alexandriae, de quibus multa apud autores omnes passim occurrunt, doctis notissima. Mos obtinet, inquit Epiphanius haeresi 68. ut Alexandriae Episcopus, totius Aegypti ac Thebaidis, Maraeotaeque ac Libyae, Ammoniacaeque, Maraeotidis et Pentapoleos, Ecclesiasticam habeat administrationem. Fines Dioeceseos explicatius dedit Nilus Doxapatrius, cujus excerpta refert Leo Allatius l. 10. de perpetuo utrius-

que Ecclesiae consensu, et ipsi convenit cum diversis Notitiis, editis et manuscriptis. Verum illae Notitiae Dioeceses continent quae Graeco Patriarchae subjectae erant, non quae Jacobitico, cujus jurisdictionis dispar omnino fuit ratio. Alexandrinus, inquit, totam Libyam possidebat, et Aethiopiam et Marmaricam, usque ad Tripolin Africanam; nec non universam Aegyptum et Palaestinam ipsam, in qua sunt Hierosolyma. Habet itaque et ipse Provincias varias et Metropoles tredecim. At in Jacobitarum Patriarchatu, nulla hujusmodi Metropoleon mentio est, praeterquam Damietae et Aethiopiae, de quibus dicetur inferius. Fuisse tamen in Aegypto Metropoles, praeter Notitiarum autoritatem, probat Sacra Theodosii junioris ad Dioscorum, in qua scribit ad illum ut assumtis decem Metropolitis qui sub ejus essent Dioecesi, tum decem aliis Episcopis, Ephesum proficiscatur. In subscriptionibus Ephesini Conciliabuli, aliquae Aegyptiorum Episcoporum occurrunt, sed nullius cum Metropolitae titulo, cujus etiam nulla, quod sciamus, memoria est apud Athanasium. Metropoles illae, quales saeculis posterioribus fuerint, uno conspectu intelligi potest ex Geographiae Ecclesiasticae compendio, quod postremae Conciliorum editioni praefixum est.

p. 168.

De Africa in quam jus habuit.

CV. Africa proprie dicta, cum ad sedis Romanae jurusdictionem pertineret, eum tamen titulum Alexandrini Jacobitae aliis suis adjunxerunt, ut se totius Africae Patriarchas appellarent. Sed quamvis titulus ille in omnibus Actis et monumentis, quorum certa autoritas est, semper reperiatur, usum talis autoritatis in Africa illos habuisse, vix credibile videtur. Neque enim stante Romano Imperio ulla fuit jurisdictio Alexandrinorum Patriarcharum in Africa, quae Carthaginensi Episcopo parebat, servato appellationis ad Romanum Pontificem ordine. Postquam vero Africa a Barbaris, Wandalis, aliisque Septentrionalibus pestibus vastata est, tanta fuit Ecclesiarum calamitas, ut nunquam plane instauratae fuerint. Si quid Christianorum supererat, perierunt illi sub Muhamedanis qui Christianam fidem illis in regionibus funditus deleverunt, adeo ut inter paucas admodum familias conservata fuerit, quas, si historicis Hispanicis credimus, reperit in expeditione sua Africana Carolus V. deplorandas, florentissimarum quondam Ecclesiarum reliquias. Verum illi nec Episcopos habebant, nec Ecclesias, aut si quando habuerunt, ut sub Gregorio VII. habuisse constat ex Epistolis 22. et 23. libri 1. ad Carthaginenses et ad Cyriacum eorum Episcopum, tum ex 19. 20. et 21.

libri tertii, tam exiguus erat eorum numerus, ut duo tantum Episcopi reperti tunc fuerint, adeoque unum ipse Romae ordinaverit, ut legitimus numerus non deesset ad Ordinationes Episcopales celebrandas. Ex illis Christianis orti erant qui superiori saeculo in Africa reperti sunt. Omnes vero, tam illi de quibus Gregorius loquebatur, quam posteriores de quibus obscura admodum memoria est, Latinum ritum, Romanaeque Ecclesiae communionem retinebant, neque ullam in eos Patriarcha Alexandrinus jurisdictionem exercebat. Nulla quoque prorsus in Monumentis Ecclesiasticis memoria est Ecclesiarum diversi ritus in Africa proprie dicta: nec Jacobiticam haeresin eas in regiones penetrasse ullo vel levi indicio constat. Nam initio cum in Romanae linguae Ecclesias ea haeresis vix penetraverit, sed Orientem et Aegyptum infecerit: tandem post aliquot saecula, Graecis Ecclesiis omnino depulsa, in Syris et Aegyptiacis regnavit. Ita cum nunquam in Africa Christianos fuisse legamus, qui aliter quam Latine sacra facerent, ex eo solo argumento sufficienter intelligimus, nihil omnino juris in eos Patriarchae Alexandrino, sive Orthodoxo, sive Jacobitae, fuisse. Et sane quamvis titulus Africae inter Provincias huic postremo subjectas reperiatur, monendi tamen lectores sunt, eo nomine non tam Africam proprie dictam intelligi, quae ad Romanam jurisdictionem tam civilem quam Ecclesiasticam spectabat, sed eam partem quam Arabes proprie *Afrikiet,* sive Africam vocant. Eo enim nomine intelligunt eam, quae est inter desertum Barcae, quod constat Cyrenaicae, Marmaricae, Libyaeque exterioris Boreali tractu, ubi et Barcaei seu Barcitae veterum, et urbem Bona, quae Hippo est B. Augustino inclyta. Ita vir doctissimus Jacobus Golius *p. 105.*
commentario ad Alfraganum et quidem recte, ex Orientalium Geographorum communi sententia. Reliquam vastissimae hujus regionis continentem, a Barca usque ad Mare Atlanticum, vocant *Mogreb,* sive Occidentalem regionem: quam in tres partes dividit Abulfeda: extremam quae Mare Atlantico alluitur: mediam ab Orano et Telmesana, quam Tremecen nostri appellant, ad Bugiae fines: tertiam inde usque ad Barcae regnum, quae etiam Orientalis ab ipsis Africa dicitur: atque hanc ultimam Coptitae intellexerunt, cum eam quasi Patriarchae suo subjectam in ejus titulis numeraverunt: nam etsi *Φϱlxη* legatur in Copticis Epistolis quae vox Africam proprie dictam videtur designare, certum est, eam non alio sensu accipi debere, quam ea quem in Arabica lingua habet, et quem mox explicavimus.

In Pentapolin missos aliquando a Jacobitarum Patriarchis fuisse Episcopos superius a nobis observatum est, sed tamen rara admodum exempla sunt. Id ab Yuçabo Patriarcha LII. factum esse, docet ejus historia: sed an ad vacuas per Episcoporum obitum sedes, alios miserit: an novos Episcopatus instituerit: an, ut fieri solitum erat, absque ulla certa sede Episcopos in eas regiones destinaverit qui Christianis praeessent, affirmare non possumus, neque saltem conjectando assequi nobis licuit. Nulla enim ferme illarum regionum apud Arabes notitia est, neque Christianorum memoria, aut Graeci aut Aegyptiaci ritus; tanta tamque saeva fuit vastitas a Muhamedanis illata.

Nubia illi subjecta.

CVI. At in Nubiam missos fuisse Episcopos a Jacobitis Alexandrinis dubitari non potest. Ante haeresin eorum factum id ab Orthodoxis Episcopis fuisse, quamvis certis argumentis confirmare non facile sit, causa tamen silentii circa Nubarum Ecclesiam ea est, quod apud Graecos Latinosque scriptores sub Aethiopum generali appellatione comprehensi fuerint; atque adeo quae de Aethiopum Ecclesia occurrunt, ad Nubas quoque videntur pertinere, ut diversis Historiae Patriarchalis locis expositum est. Verum eo temporis intervallo, quod a capta Aegypto usque ad restitutam Graecis Orthodoxis Patriarchalem dignitatem effluxit, quodque unius propemodum saeculi fuit, ut docet Eutychius, cum nullus tunc apud eos foret Patriarcha, Nubii qui Episcopos more majorum Alexandria petebant, eos cum a Jacobitis Patriarchis ordinatos, atque haeresi infectos suscepissent, eam quoque incauti acceperunt, et in hunc modum tota Nubia facta est Jacobitica. Deinceps vero nullum omnino vestigium occurrit restitutae inter eos fidei Orthodoxae. Isaac Patriarcha XLI. qui circa annum J. C. DCLXXXVII. sedere coepit, per literas hortatus est Nubiae et Aethiopiae reges ad pacem inter se componendam, quia scilicet integram in eos habebat jurisdictionem. Cyriaci Episcopi Nubiae meminit vita Chailis Patriarchae XLVI. Georgius rex designatus, a Zacharia patre, in Aegyptum missus est sub Yuçabo LII. cum aliquot ex Nubia Episcopis; post annum J. C. DCCCXXXI. Anno MLXXIX. Salmon rex abdicato regno, cum vitam monasticam in deserto amplexus fuisset in Aegyptum adductus est: ubi diem suum obiit, cujus etiam meminit Abuselah Armenus in Chronico suo. Praeterea docet nos idem autor Raphaelem Regem Nubiae, Dunkalae quam urbem Metropolin regni esse, vulgo Arabes

Eutych. T. 2. p. 385.

existimant, aedificasse Ecclesiam, juxta architecturam Yrakensem, quae a nobis *Morisca* appellatur: fuisse quoque alias ibidem Ecclesias, ut etiam in urbe *Abrem*. Sub Salaheddino Aegypti Sultano, fratrem ejus Chemseddoulam, Ecclesias diruisse, et ex Nubia cum Episcopo septuaginta millia captivorum abduxisse, testantur historici. Ab illius expeditionis tempore, cujus Makrizius et alii meminerunt, vix quidquam de Nubis Christianis, apud autores Christianos aut Muhamedanos legitur, nisi quod illa regio subdita sit Cathedrae Jacobitarum Alexandrinae: et id praeter Severum et alios Historiae Patriarchalis scriptores, Ebnassalus, Abulbircat, Abuselah, omnesque tandem confirmant: ut exempla literarum systaticarum saepe a nobis laudata, in quibus inter Dioeceses Alexandrino Patriarchae subjectas, Nubia seu, ut scribitur, Nabodia, recensetur. Mitto historiam quam refert Elmacinus de expeditione Regis Nubiae Kyriaci contra Aegyptum, cum equitibus centum millibus, sub Chaile XLVI. anno, ut vult Elmacinus, J. C. DCCXLV. vel DCCXXXVII. ut alibi in ejusdem Patriarchae vita dictum est. Eam autem ex antiquioribus historicis narrationem accepit: nam omnes eam referunt. Atque ex istis satis intelligitur, summam fuisse in Nubas Christianos Alexandrini Patriarchae autoritatem, cujus tamen distincte non meminit Collectio vetus Canonum Arabicorum, qui Nicaeni ab Orientalibus appellantur, ea fortassis ratione quod sub Aethiopum nomine, Nubae intelligendi sint; aut quod nulla singulari mentione opus esset, circa Ecclesiam quae non Metropolitam cum singulari praerogativa haberet, ut Aethiopica, sed simplices Episcopos, sive unum, sive plures, qui ab alio quam ab Alexandrino Patriarcha ordinari non possent. Observandum tandem eum in ejusmodi Ordinationibus ita versari solitum fuisse, ut sicut de Aethiopiae Metropolitis dicetur inferius, vix unquam indigenae eam dignitatem obtinerent; sed eligebantur ex Aegyptiis Sacerdotibus, qui ad eam idonei maxime judicarentur, atque in Nubiam mittebantur.

P. 83.

Ut etiam Aethiopia.

CVII. Par erat ratio jurisdictionis quam habebat, servatque etiamnum Alexandrinus Patriarcha in Aethiopicam Ecclesiam. Ejus quippe supremus Antistes, quem male Patriarcham appellant, est Metropolita: cujus electio, et Ordinatio ad solum Alexandrinum spectat. Jam porro ab initiis rerum Muhamedanarum observatur, morem illum mittendi Metropolitas in Aethiopiam, a Patriarchis Jacobitis esse usurpatum, de quo multa occurrunt in Historia Alexandrina. Auto-

ritatem haec consuetudo magnam habet ex Canonibus Nicaenis Arabicis, in quibus perscripta est. Neque indigena ullus assumitur, sed Aegyptii mittuntur, ut ex multis exemplis observare licet. Jus istud huc usque Alexandrini Patriarchae in Aethiopiam exercent, nunquam interrupta consuetudine, nisi superiori saeculo, cum Roma a quibusdam Regibus concordiae procurandae studiosis, accepti sunt Latini Patriarchae, sed infelici plane successu: ut fusius in Historia Baltasaris Tellezii, et qui omnia ab eo accepit, Jobi Ludolfi aliisque recentioribus autoribus legi potest. Mitto Joannem Bermudem, qui, etsi indigena, non magis tamen a plerisque Aethiopibus receptus est, quam missi ex Societate Jesu tres, Nonius Barretus, Andreas Oviedus, et successor ipsis designatus Appollinaris de Almeida. Quae porro successio eorum Patriarcharum fuerit et quid de singulorum missione et Ordinatione Historia Alexandrina complectatur, praeter multa quae in ejus serie a nobis dicta sunt, dicetur accuratius, in Dissertatione de Ecclesia Aethiopica.

Aethiopes ne eligere quidem possunt suum Metropolitam.

CVIII. Paucis observare sufficit omnem prorsus Ecclesiasticam autoritatem ab annis amplius mille, ita in Alexandrino Patriarcha Jacobitarum erga Aethiopes fuisse, ut non modo ordinandorum, sed nec eligendorum Metropolitarum suorum facultatem haberent. Verum quotiescumque illi diem suum obierant, mittebantur ad Patriarcham Alexandrinum literae Regis Primatum regni, quibus de vacatione sedis certiorem eum faciebant, rogabantque simul ut novum sibi Antistitem ordinaret. Voluerunt aliquando Aethiopes cogere Metropolitam suum, Gabriele F. Tarich Alexandrinam Ecclesiam obtinente, ut plures septenis Episcopos ordinaret, quod ille constantissime recusavit: quia fuisset id praeter morem et antiquam legem, ne si duodecim Episcopos haberent, quot Orientales requiri censent ad ordinandum Patriarcham, subjectioni Alexandrinae sedis se eximerent, et proprium sibi Antistitem crearent atque ordinarent. Atque ex ea historia intelligitur Metropolitis Aethiopiae jus relictum fuisse ordinandi Episcopos, modo septenarium illum numerum non excederent, non vero illos Alexandria accepisse jam ordinatos, sicut erga Nubas factum fuisse verisimile est. Mira sane consuetudo haec fuit, multisque incommodis obnoxia, sed quae tamen huc usque perseveravit, atque Aethiopas in Jacobitica haeresi retinuit. Eos autem Metropolitas qui ab Aegypto mittebantur, praeter itineris longitudinem (nam biennii fere spatium effluebat, antequam novus Metropolita in

Aethiopiam pervenisset magno suo periculo,) linguam ediscere oportebat, cum nullus Aegyptiacae aut Arabicae apud Aethiopes usus foret, vel in civili commercio, vel in rebus Ecclesiasticis. Nam in sacris usurpatur dudum inter eos lingua, quam Aethiopicam proprie appellamus, a vulgari satis diversa, et in quotidiano usu, ea quam Ambaricam vocant: et quamvis ritus utriusque Ecclesiae sint valde similes, est tamen, uf adhuc observatur, aliqua inter eos differentia. Aliud jus praeter institutionem Metropolitae non videntur habuisse Patriarchae Alexandrini in Aethiopiam: non fructus, eleemosynarum nomine inde percipiebant, non aliam contributionem, quales ex Aegypti Episcopatibus et Monasteriis exigere, etiam absque simoniae suspicione solebant. Sed quoties mittebat Rex Aethiopiae in Aegyptum, ad postulandam Metropolitae Ordinationem in defuncti locum, munera simul mittere solebat ad Patriarcham, ut aliquot Historiae Alexandrinae exemplis manifestum est. In signum etiam jurisdictionis, scribebant Patriarchae quotannis literas in Aethiopiam, non quidem synodicas, ut ad Antiochenam Ecclesiam, cujus Patriarchis, ut fratribus et consacerdotibus, rationem reddebant fidei suae, et communionem inter utramque sedem renovare satagebant: verum *Heortasticas* seu Paschales mittebant solummodo, tanquam superiores ad inferiorem Ecclesiam.

CIX. De Hierosolymitana Dioecesi certum est, quod inter Graecos, ut observat Nilus Doxapatrius, Alexandrino Patriarchae subjecta fuerit, etsi jam ab aliquot saeculis proprium habeat Patriarcham, qui, ut reliqui omnes Graecae Ecclesiae, Constantinopolitanum superiorem agnoscit, et ab eo instituitur, pleno jure, neque ullam habet Alexandrino subjectionem. Constat id ex Notitiis Episcopalibus variis, quas fusius ad examen revocare non est hujus loci. Id unicum observabimus: quod per annos mille et ferme ducentos in Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum historia nihil occurrit, quo haec eorum autoritas in suae sectae homines possit stabiliri. Quippe ante Cyrillum F. Laklaki ordinatum an. J. C. MCCXXXV. non legimus, institutum fuisse Hierosolymitanum Metropolitam ab Alexandrino ullo Patriarcha: atque inter alia accusationis capita, quae adversus istum proposita sunt, illud fuit, quod Metropolitam Hierosolymis constituendo, jura Antiocheni Patriarchae, ad quem Palaestina spectabat, violasset. Inde cum mutatio maxima rerum facta fuerit, nullaque ferme in Oriente secta aliquam Eccle-

De Hierosolymitana Dioecesi.

siam in urbe sancta non habeat, servata est consuetudo, ut proprium omnes habeant Episcopum. Ita Nestoriani, prius quam Jacobitae suum illic Metropolitam instituere ante septingentos annos coeperunt, suum habebant: Aegyptii suum: Syri Jacobitae, et Armeni suum: praeter Graecum, et Latinum, qui Patriarchae dicti sunt. In Patriarcharum Alexandrinorum titulis, nullus qui jurisdictionem illam in Hierosolymitanam Dioecesin significet, a nobis huc usque repertus est.

De Notitia Dioeceseos Alexandrinae a Beveregio publicata.

CX. Etsi vero non de Orthodoxis, sed de Jacobitis agamus, et dispositio sedis Alexandrinae, ejusque in varias Metropoles divisio, ad priores pertineat, quia tamen fraudi lectoribus esse potest Notitia, quae a Guillelmo Beveregio publicata est, in notis ad Canonum Collectiones varias, et existimari posset aliquam illius provinciarum divisionis formam sub Jacobitis superesse, eam paucis explicare operae pretium erit: quia quantum spectat ad recentiorem Aegypti Geographiam, Graecis Notitiis videtur accuratior. Ea dicitur excerpta fuisse ex Codice scripto manu Eutychii Alexandrini Patriarchae, qui ex historia sua satis notus est.

CXI. I. *Sedes,* inquit, *est Archiepiscopi Maraeotidis.*

CXII. II. *Metropolitae Barca et Pentapoleos Africanae*, ita enim vertendum, non ut Beveregius, *quinque urbium Occidentalium.* Qui sic interpretari volet, non verba sed origines nominum interpretabitur. Nam *Mogreb,* etsi ex etymologia Occidentem significet, usu tamen certo apud Arabes, *Africam* significat: neque חמס מדן *quinque urbes*, sed provinciam, sub quinque urbibus comprehensam designat, sive quod idem est *Pentapolin.*

CXIII. III. *Archiepiscopus Misrae seu Cahirae et ditionum ejus, usque ad terram supremae Thebaidis.* At sub Jacobitis *Misra*, seu *Cahira,* hoc est urbs vetus et nova, solo Episcopatus titulo insignis erat. Quod vero *usque ad superiorem Thebaidem* haec Dioecesis pertigerit, id fortasse verum apud Melchitas, qui Jacobitarum comparatione paucos habebant Episcopatus in Thebaide: atque ita facile fuit ut haec Metropolis ad superiorem usque regionem pertingeret. Id eo verisimilius videtur, quod reliquae Metropoles ad inferiorem paucis exceptis Aegyptum pertinent, aut peregrinae prorsus sunt. Inde etiam constat differre quam plurimum istam sedium divisionem, ab ea quam autores Graeci, licet non semper eodem modo, repraesentant.

CXIV. IV. ***Est Metropolis Sindiae et Indiae et ditionum quae illis continentur.*** Ita editor, quem non temere fortassis judicabimus, aut in vitiosam scripturam incidisse, aut prave legisse, aut tandem autorem quem secutus est hallucinatum fuisse. Nam quid Alexandrino Patriarchae cum India commune esse potuit? Notum quippe est ex Graecis Notitiis, et Nilo Doxapatrio, Indiam, ut alias regiones Orientis proprie dicti ferme omnes, ad Antiochenam sedem pertinuisse. Neque cum commentatore laborandum est, ut ostendatur Indiam et Sindiam in Asia esse, multo minus existimandum ex hac Notitia consequi Patriarchae Alexandrini potestatem intra Africae limites coercitam non fuisse. Imo potius inde certissime efficitur, Notitiam esse falsissimam, quae cum aliis omnibus, et omnium historiarum testimonio pugnare deprehendatur. Neque enim de Indiae antiquis Christianis satis perspectum est, quando ad fidem Christianam venerint: sed jam ab octavo saeculo, scimus omnes Indiae proprie dictae Christianos sub Catholicorum Modainensium, seu Bagdadensium Ecclesiastica potestate fuisse, et a missis eas in provincias sacerdotibus et Episcopis, Nestorianismum didicisse, in quo perseverabant adhuc, cum Lusitani sub finem XV. saeculi eo navibus pervenerunt. Bagdado in Indiam mittebantur Metropolitae, usque ad ultimum saeculum: omnesque illic ferme Nestorianos fuisse, testatur satis Historia Alexii de Meneses, qui ad eorum conversionem tantum operae posuit. Idem de antiquiori tempore probant autores qui de Catholicorum rebus scripsere, Maris, et Amrus: ut alibi fusius explicabimus. Unde recte legimus in Ordine Metropoleon illius sectae, ***Metropolin Indiae et Sinarum;*** quem titulum usurpabant ultimi a Bagdadensi Catholico superiori saeculo ad Angamalensem Ecclesiam missi, Mar Jacob et Mar Joseph, quos Menesius et Inquisitio Lusitanica sede sua exturbaverunt. In India aut Sindia, quae ejus pars est, vix ulli unquam Jacobitae reperti, praeterquam in Socotra Insula, de quibus dictum est alio loco.

CXV. v. ***Sedes est Metropolitani Habassiae et omnium ditionum ejus:*** Aethiopiae scilicet proprie dictae. Illius mentio nulla in Graecorum Notitiis: quia scilicet ex quo scissa est Ecclesia, praesertim quando Arabes Aegyptum subegerunt, Jacobitae, qui soli per annos prope centum Cathedram Patriarchalem tenuerunt, missis Episcopis suae sectae, totam illam regionem ad suam haeresin transtulerunt. Itaque etiam eo loco Notitia illa falsa esse deprehenditur. **Aethiopia.**

Quod autem Interpres *Habassiam*, ut illi vocare placuit, partem ait esse Aethiopiae superioris, quid designaverit, difficile est agnoscere: vox enim Arabica totam quanta est, Aethiopiam significat, neque ulla in libris Arabum Geographicis distinctio est Aethiopiae superioris et inferioris; utramque in solidum Metropolita obtinebat.

Almaris. CXVI. vi. *Metropolitanus Almaris, et omnium ditionum ejus:* Ita in versione, at in Arabico, Episcopus tantum dicitur. *Sed hic*, inquit Beveregius, *in tenebris versamur: neque enim alibi haec vox regionem aliquam urbemve significans, nobis occurrit.* Nos eam non semel reperimus in Copticis libris, praesertim in formulis literarum encyclicarum et systaticarum, ubi *Mares* scribitur, et per Sahid sive Thebaidem exprimitur. Atque inde opinor facta illa vox *Maraeotidis duplicis*, pro qua *Marestidis* scripsit in versione loci ex Epiphanio Her. 68. Leo Allatius. Itaque in Notitia Beveregii *Maris*, seu *Mares*, Episcopalis sedes erat, quae Sahidis, sive Thebaidis, superiorem saltem complectebatur partem. Melchitae nullas ferme tamen in ea regione habebant Ecclesias, cum omnes prope in Jacobitarum haeresi essent. Multi quoque alii Episcopatus commemorantur in Thebaide apud scriptores Jacobitas. Unde verisimile est istum Episcopatum titulo tenus fuisse apud Melchitas, non minus quam praecedentem et sequentem Metropoles.

Nubia. CXVII. vii. *Metropolitanus Nubiae;* de qua jam superius dictum est: nec occurrit quoque haec Metropolis in Graecis Notitiis, quia ab initio rerum Muhamedanarum Jacobitae omnem in religione autoritatem illic obtinuerunt.

Pharma. CXVIII. viii. *Metropolita Pharmae*, quae apud Jacobitas erat urbs Episcopalis, notissima apud Geographos et Historicos Arabes, a Kolzuma seu Clysmate, unius diei, noctisque itinere distans: nulla ejus apud Graecarum Notitiarum autores mentio, nisi per *Pharan* designetur.

Tinnis. CXIX. ix. *Metropolitanus Tinnis et Libyae et ditionum ejus.* Urbs quoque haec notissima: Episcopum habuit antiquitus in secta Jacobitica. Octavam Metropolin numerat Nilus Tonesin, in septimo Nili ostio sitam. At Libya quomodo huic sedi conjuncta esse potuerit, nisi titulo tenus, judicare difficile est.

Damieta. CXX. x. *Metropolitanus Damietae:* urbs notissima ex variis Francorum expeditionibus. Illam autem Nilus recenset extra numerum octo Metropoleon, quae alios Episcopatus sibi subjectos habent.

Εἰσὶ δὲ λοιπαὶ πέντε μετροπόλεις αὐτῆς οὐκ ἔχουσαι ἐπισκοπὰς ὑφ' ἑαυτάς· εἰσὶ δὲ αὐταὶ ἡ Δαμιάτα, ἡ Σάτα, ἡ τῆς Ἐρυθρᾶς Θαλάσσης· ἡ Φαρὰν καὶ ἡ Ἄρη. Sunt et aliae quinque Metropoles nullos sibi subjectos Episcopatus habentes: sunt autem istae Damiata, Sata, legendum *Saca: Maris rubri, Pharan et Are.* Secundam omisit in versione sua Leo Allatius, etsi apud Aegyptios notissimam, et Episcopatu insignem: atque ita cum autor quinque ejusmodi Metropoles esse dicat; quatuor tantum in versione exhibentur. *Damiata*, Graeci scribunt, ut etiam Coptitae, etsi primam literam per T exprimant, quia eam haud aliter quam *Δ* pronuntiant. Arabes *Dimiat.* Ea urbs singulari distinctione apud Jacobitas, sed sero circa tempora Marci F. Zaraae, post annum Martyrum DCCCLXXX. J. C. MCLXIV. Metropolitanam dignitatem obtinuit, atque eo titulo appellatum reperimus Michaelem, qui multis adversus Marcum filium Elkonbari disputavit, pro abolenda peccatorum Confessione: de qua historia diximus in Dissertatione de Poenitentia, et in vitis Patriarcharum. At in Graecis Notitiis melioribus sedes tantum Episcopalis erat, sub Metropoli Oxyrincho.

CXXI. XI. *Episcopatus Chatae et urbium ejus:* sed *Pagorum* habet Arabicus textus. Forte legendum *Chatab* ut in Nomenclatore, sed male, nam Coptice legitur *Choti* quae vox forte etiam vitiose scripta est. Neque dubium est eam esse quae apud Nilum Doxapatrium *ἡ Σάτα* dicitur: nam *Sch.* Graeci non habent. Adjungit interpres Anglus ex Camusio, sive Lexico Arabico *Chata* esse pagum Aegypti. *Hic autem*, inquit, *totam aliquam regionem aut provinciam significat, in qua plures etiam urbes fuerunt, ac propterea ejus, etiamsi Episcopus simpliciter appelletur, revera tamen Metropolitanus fuit.* Haec, inquam, omnia absque ulla idonea autoritate dicta sunt. Neque enim satis intellexisse videtur autor, in quo haec Metropolitanorum absque suffraganeis dignitas consisteret. Sed de his postea. Chata.

CXXII. XII. *Episcopatus Arischi et Woradae.* עריש sive ערישה, est ea urbs quam autores nostri *Larissam* vocant, et *Laris*, ut Guillelmus Tyrius, qui eam ait antiquam fuisse urbem ad mare sitam in solitudine, quam vocant *Tiet bani Israel,* sive *Desertum filiorum Israel:* quod quadraginta parasangas in longitudinem, totidemque in latitudinem patere inter Kolzum, et Mare Syriacum, atque Erythraeum scribunt Geographi, Yacutus Hamatheus, Ebnwerdi, et

alii. De alia voce nihil habemus dicendum, eamque non carere mendo, suspicio est.

CXXIII. XIII. *Sedes* est *Episcopi Kolzum et Rayae.* De hac voce multa et quidem obvia, atque ex editis autoribus, interpres congessit, quibus plura et meliora adjicere facile est ex Geographis qui eam describunt, atque inter alios Abulfeda, Yacuto, Ebn Werdi et aliis. Eam autem esse *Clysma* veterum, dudum Jacobus Golius et alii eruditi docuerunt. *Rayam* locum esse vicinum, ubi Monasterium Justinianus condidit, Eutychius scribit. Per Kolzum intelligi Episcopatum Maris Erythraei, de quo Nilus Doxapatrius, certissimum videtur. Ea enim urbs hoc in litore praecipua, a qua etiam totus ille Arabicus sinus nomen accepit: nam illud Arabes vocant *Mare Kolzum:* nisi a Mari ipso urbs praecipua ita denominata existimetur.

Abulf. §. 63.

T. 2. p. 163.

Rif.

CXXIV. XIV. *Tandem sedes dicitur ea quam obtinet Metropolitanus Rif Misrae, quae inferior terra dicitur. Estque Biblis; prior Keiravan, una cum ditionibus ejus: et ei quinque sunt sedes, quibus ex ejus parte quinque Episcopi praefuerunt.* Ita Beveregius et quidem obscurissime, neque ex prolixissimo commentario multum, ut videtur, lucis affulget. *Rif*, sive *Elrif*, pars est Occidentalis inferioris Aegypti, deserto Barcae contermina, quod Notitiae autor cum Kairowana videtur confundere. Sed hic *Balbaïs* locum habere non potest, cum longe posita sit, et ex alia omnino parte Palaestinae desertum versus: multo minus, *Biblis*, quam vocem interpres substituit. Itaque aliter omnino legendum videtur in hunc sensum *Rif Aegypti, quae etiam regio inferior dicitur: eaque contermina est Kairoüanae limitibus. Habet autem Thronos sive sedes Episcopales quinque, quibus quinque Episcopos praeficit.* Atque ex dictis patet, opinor, exiguam omnino, vel nullam potius esse fidem Notitiae illius, quae nullum proprie autorem habuit, sed in codicis folio reperta est: quando neque cum Graecis antiquis, neque cum recentioribus potest ullatenus conciliari, ut omnes inter se comparanti, manifestum est. Nam statim intelligitur inter illas omnes Metropoles, vix ullam fuisse in Thebaide, ubi erant multi Episcopatus insignes. Neque tamen est quod miremur viris etiam doctissimis aquam haerere in abstrusis ejusmodi disquisitionibus. Nam cum quotidie viros antiquarum originum peritissimos videamus, dum peregrinantur, et occurrunt projecta diversis in locis famosissimarum urbium

cadavera, quamvis ex locorum situ veterumque descriptionibus, eas cognoscere quandoque liceat, saepius tamen ignorare: multo minus mirandum est, post tantas clades quibus Aegyptus a Romanorum aetate ad haec usque tempora vastata est, amplissimarum urbium vestigia agnosci vix posse, praesertim in superiori provincia, ubi praeter latrones Arabes, qui itinera obsident, nemo penetrat. Certum est multas esse quae ita penitus interciderunt, ut frustra in hodiernis ruinis quaerantur, multo minus in libris Arabum obscurissimis, in quibus ne levissima quidem veteris Geographiae doctrina est: unde plerasque etiam celeberrimas in historia civili aut Ecclesiastica, frustra saepe quaerimus, neque ubi aut quales jam sint saltem ex conjectura statuere possumus. Ut tamen hoc in genere nonnihil praestemus, quaedam ex Makrizio qui Aegyptum prae caeteris accurate descripsit, referemus, ex quibus constare poterit, quae sub Arabibus foret regionis illius certa divisio, quae urbes praecipuae, simulque Episcopales, quantum fieri poterit, notabimus.

CXXV. Vetustae quidem divisionis Aegypti in Nomos, memoria prorsus obliterata est, nisi quod illius vocis vestigium adhuc restat in epistolis encyclicis inter titulos Patriarcharum, dum se appellant *Archiepiscopos Alexandriae et totius Aegypti, ejusque Nomorum.* Imo nec divisionis in Provincias et urbes, quae in Notitia Imperii conservatur, nota superest. Ait quidem ex communi suorum opinione Makrizius *antiquitus Aegyptum tanto incolarum numero floruisse, ut centum quinquaginta tres regiones contineret: in quarum singulis, praeter civitatem principalem, essent trecenti sexaginta quinque pagi, aut loci habitati. Post Nabuchodonosori tempora, octoginta quinque tantum provincias seu regiones numeratas, imminutamque adhuc fuisse habitatorum multitudinem, usque ad Muhamedanos. Sub quibus in quadraginta provincias vicatim habitatas divisa fuit.*

Divisio vetus Aegypti Arabibus incognita.

In Descript. Aegypt. T. 1.

CXXVI. Deinde alia divisio instituta est in Regionem Maritimam et Australem, ita ut prior mari Mediterraneo ad Septentrionem finiretur: Australis a Misrae seu Cahirae finibus inciperet, usque ad Aethiopiae limites, Austrum versus, quae viginti sex provincias complecteretur.

Nova secundum Arabes.

Eorum haec sunt nomina Charkiet, sive Orientalis. Moznahiet: Dakahliet: Abuaniet: et territorium Damiatense: in parte Maritima

Kowisna: Garbiet sive Occidentalis regio Semnoud: Denjahowa, Menouf, Sirahowa, Fua: Murahmasin, Geziret bani Nasser, Behiret, Alexandria et ejus suburbana, oraque Domsis. In tractu Australi Gizet, Atfige, Basour, Fium, Benhsa, Aschmonin, Menfalout, Ossiout, Echmim et Kous.

Alia divisio ex Makrisio.

CXXVII. Aliam quoque divisionem in Regiones seu provincias triginta, refert Makrizius, quam referemus, adjunctis quae ad rerum Ecclesiasticarum Notitiam attinent, quantum ea observare potuimus.

Fium urbs Episcopalis territorii celebris caput, ubi olim trecenti sexaginta pagi, aut vici numerabantur, quod etiam memorat Ebn Werdi Geographus: tempore Makrizii centum quinquaginta sex tantum supererant. Sita est super fluvium Josephi dictum, qui in Nilum influit, et a Cahira distans tribus diaetis, seu millibus passuum quadraginta octo ad Noto-Zephirum. Ex ea urbe quae multis aedificiis nobilis fuit, balneis, Meschitis, Scholis Arabicis, ut scribit Abulfeda, originem ducebat Rabbi Juda Gaon celebris apud Judaeos autor versionis Pentateuchi Arabicae, quae anno MDLI. Constantinopoli edita est. Ab autore qui vulgo *Fiumi*, hoc est Fiumensis a patria dictus est, ipsa versio ita appellata.

Menf et *Vissim* quinquaginta quinque pagos aut vicos continent. *Menf* est antiqua Memphis, quod et nominis ratio satis demonstrat: *Μεφι* scribunt Coptitae, dicuntque esse Misram antiquam, ut Abulfeda, Makrizius et omnes alii: a nova Misra distat unius diei itinere. *Vissim* celebris Episcopatus apud Jacobitas, multos illustres doctrina Episcopos habuit. *Vouchem* Coptitae appellant.

Charkiet, quae Orientalis est tractus illius maritimae regionis, etiam *Atfigiet* dicitur ab urbe *Atfige*, quae etiam Episcopalis fuit *Etbeh* a Coptitis appellatur pagos et vicos habet haec regio septemdecim.

Abnas, octo tantum pagos habet, *Hanas* vocant Aegyptii: et sub regione Atfigiet comprehenditur: etsi duo ejusdem nominis videntur loci fuisse: quorum unus cum aliquot ex eadem regione pagis, ad *Atfige* civitatem referretur, alter caput regionis foret. Namque statim autor eidem tractui Ahnas nonaginta quinque pagos, aut minores habitationes attribuit.

Behnsa, centum et viginti pagos continet: Urbs satis celebris in Thebaide, cujus territorium contiguum est Stagno, aut Piscinae, ut vocant, Fiumensi. Sita est ad ripam Occidentalem Nili: secundum

Abulfedam. Christum cum Maria ea in regione, cum in Aegyptum venerunt, habitasse, vulgarem Christianorum traditionem esse, scribit Makrizius: quamvis idem de *Aschmonin* scribant alii, inter quos Abuselah Armenus. De ea multa leguntur quae non sunt instituti nostri. Fuit urbs Episcopalis, imo et Metropolis; quandoquidem celebris est inter Coptitas et Aethiopes memoria S. Cyriaci Metropolitae Behnsae, cujus nomine extat Liturgia Aethiopica in Codice Romae edito.

Kis, cujus territorio continentur pagi triginta septem, quae etiam urbs Episcopalis fuit, vicina erat Behnesae secundum Makrizium, et aliquando sub iisdem limitibus comprehensa, atque adeo in Sahide: inter primas urbes quas in ea provincia Arabes occupaverunt.

Taka totidem pagos complectebatur, habuitque etiam Episcopos: huic territorio adjungitur vicinum *Giz Chenouda* dictum, in quo pagi octo: a Senudae Monasterio in eo loco, cujus nomine notior apud Christianos fuit, quam a Kiso Harethae filio, ex primis illis zelotis Muhamedanis, qui eam in regionem arma intulit. Alia est urbs hujus nominis prope Farma.

Aschmonin caput regionis, quae centum triginta tres pagos continet: est autem urbs inter Sahidicas antiquitate et multis Arabum de ea narrationibus celebris. Episcopalem a multis saeculis honorem inter Jacobitas habuit, et inter Episcopos a doctrina commendatus est praecipue is, cujus testimoniis frequentissime usi sumus, Severus filius Mocfah, qui aliorum autorum Historias in unum corpus collegit, quo Patriarcharum Historiae prima pars continetur: et qui multa alia opera Theologica scripsit adeo ut habeatur prae reliquis insignis Theologus. Meminerunt urbis Aschmonin tanquam antiquissimae in media Thebaide, Abulfeda et alii Geographi: sitamque No. 55.
fuisse testantur ad Occidentalem Nili ripam.

Ansna sequitur, urbs etiam Episcopalis, quae duplicis regionis caput fuit; superioris, in qua pagi duodecim: inferioris, in qua undecim censebantur. Eam esse *Antinooupolim*, Coptitarum veterum opinio est, qui vocem *Ansna* reddunt per *Αντινου*. Est autem secundum Abulfedam, in Sahide media, ad Orientalem Nili ripam, e regione Aschmonin. In ea quoque superesse dicunt antiquissima omnis generis monumenta: sed ex Arabum imperitia fit, ut nesciatur, an veteris illa sint Aegyptiacae superstitionis, an vero ad Christiana tempora pertineant. Aeque enim idola vocant sacras imagines, et

Hieroglyphicas vetustas, quae, ut ex postrema Capucinorum relatione constat, in illis omnibus regionibus occurrunt passim in Obeliscis, sphingibus et aliis monumentis. Sunt quoque qui ad eam regionem referant traditionem incertam, sed ab ipsis Muhamedanis conservatam, quod Christus cum Maria matre, dum in Aegypto fuit, illic commoratus est, quamvis id alii *Benhsae:* alii *Aschmoninae* tribuant: ex qua urbe profectos, ut redirent in Judaeam scribit Abuselah Armenus. Eam esse Antinooupolin etiam ex eo probat Golius, quod latitudo 27. graduum, quam ipsi tribuit Ptolemaeus, *Ansnae* seu *Ansinae* Arabes tribuunt: longitudinis meminisse supervacaneum est, cum Abulfeda, cujus prae ceteris diligentia commendatur, varias tantum diversorum opiniones referat, adeo ut saepe uno, duobus, tribus et amplius gradibus inter se differant.

Kahkowa regio triginta septem pagos habet, estque etiam in Thebaide, de qua nihil singulare occurrit.

Echmim sive *Ichmim*, sexaginta tres pagos complectitur: urbs magna in Sahide superiori, duabus ab Ossiouta diaetis distans, ex Abulfeda. Ibi veterum delubrorum insignes reliquiae, sculpturisque antiquis et columnis celebres ruinae. Eam esse antiquam *Chemmim* de qua Herodotus et alii, probat Jacobus Golius, quae eadem fuit cum *Panos*, seu *Panopoli*, ut ex loco Diodori Siculi, quem refert, probatur. Ita constat Glossariorum fides ubi *Echmim* respondet voci *Πάνος*. In eo quod edidit Kircherus, ejus vocis loco legitur *Chmim*: et ea ipsa est *Κἱμμις*: nam ut exponit Athanasius Episcopus Kus in Grammatica Coptica sua solent Aegyptii χ Graecum frequenter exprimere per literam quae Arabum Schin similis est, et ejusdem potestatis. Nestorium circa hanc urbem in exilio vitam finivisse. ostendique ejus sepulcrum scribit Abuselah. Multas quoque illic Ecclesias fuisse, probatur ejusdem autoris testimonio qui usque ad annum Hegirae DLII. J. C. MCLVII. septuaginta numeratas fuisse scribit. Ea urbs Episcopum habuit: et patria fuit celeberrimi, et doctissimi Canonum Collectoris et interpretis Abulfergii Echmimensis.

Not. in Alfrag. p. 102. et 103.

Chaba et *Elwakhat*, sexaginta tres pagos majores, praeter minores continent. Est autem regio illa *Elwakhat* arenosa et late patens, ex altera Nili parte Occidentali, scilicet prope montem *Teilamoun*, qui ad eam ripam extenditur. Ea autem regione significari Makrizius testatur, omne terrarum spatium a tractu Alexandriae et Cahirae, inter Sahid, Nubiam et Aethiopiam: et ejus initium provin-

ciae assignat ad terminos regionis *Asuan*, Geographia Nubiensis. An Episcopi illic fuerint, affirmare non possumus.

Hou viginti pagos continet: fuit hujus urbs Episcopalis ejusque meminerunt Glossaria Coptico-Arabica.

Fana septem tantum pagos complectebatur: Dendera, viginti. Ea est quae in Nomenclatore Coptico *Κεντωϱι* appellatur: habuit quoque sedem Episcopalem.

Keft viginti duos pagos amplectebatur. Eam esse *Copton* antiquam ostensum est in Dissertatione de Coptitis, et lingua Coptica, in qua retulimus quae de ea urbe ejusque antiquitatibus potiora sunt. Ibi adhuc supererant Ecclesiae et Monasteria tam virorum quam mulierum in fine decimi tertii saeculi, cum scriberet Abuselah Armenus, qui aliqua enumerat. Ea urbs Episcopalis erat, atque inter illius Antistites praecipue commemoratur Vincentius, cujus habemus Professionem fidei secundum Jacobitarum sententiam, et in ea insigne testimonium de Eucharistia. Memoria ejus occurrit in Kalendariis Copticis atque Aethiopicis: sepulcrum prope Kus, in parietinis Ecclesiae S. Mariae, ut testatur idem Abuselah.

Aksar quinque tantum pagos numerat: in Thebaide quoque memoratur alicubi ejus Episcopus.

Asna quinque pariter habet pagos: ad partem Nili Occidentalem, inter Assowan seu Syenem, et Kusam media: Latonopolis, ut ex Glossariis constat, quae eam *Λατον* appellant. Episcopatu insignis fuit.

Arment, septem pagos *Εϱμοντ* scribunt Coptitae. Secundum Abulfedam in Nili litore occidentali, in Sahide superiori, duabus diaetis ab Asowana seu Syene, et totidem a Kusa distans: *Hermonthis* veterum. Et quod intervallum Ptolemaeus inter eam et Latopolin constituit, unius nempe diei iter, idem inter Asnam et Arment, Ebn-Jounes et alii Orientales statuunt: fuit Episcopalis ea urbs. §. 48.

Asoüan in superiori quoque Thebaide, ejusque limes septem quoque pagos continebat: *Σουαν* vocatur in Glossariis Coptico-Arabicis. Ea *Syene* veterum est, non longe a Cataractis Nili, quod de ista Strabo et alii Geographi Graeci aut Latini, de illa Abulfeda, Nubiensis, Kazuinius, Persa anonymus, et alii tradunt. Fuit olim etiam ibi Episcopalis cathedra. Atque his limitibus et urbibus continetur tota superior Aegyptus, seu Sahid in qua pagos mille quadraginta tres fuisse praeter minores, testatur Makrizius. In plerisque

70 *

autem urbibus, quas notavimus, et quae illarum provinciarum vel regionum capita censebantur, erant Episcopi. Attamen plures omnino Episcopatus fuerunt in inferiori, quam in superiori Aegypto.

Abulf. n°. 68. In litore Orientali, cujus primariam urbem Abulfeda ait esse *Balbais,* pagi numerantur a Makrizio sexaginta quinque: in ea autem urbe fuit Jacobita Episcopus.

Athribae subsunt pagi majores praeter minores aliquot, centum et octo. Nota urbs ex variis autoribus Ἄθριβις Graecis dicta.

Tenoüa octoginta septem pagos habet.

Nema centum et quinquaginta.

Besta triginta novem.

Tarabia viginti octo, inter quos celebriores Sedir, Hahma et Phakou.

Farbeit decem et octo pagos, exceptis portubus, hoc est mapalibus ad oram Maritimam.

Basa et *Ablil* simul complectuntur pagos majores quadraginta sex: inter quos recensentur *Senhur*, *Farma*, et *Aricha*, seu *Larissa,* de quibus superius dictum est, quae urbes Episcopos habebant, etiam in Ecclesia Jacobitica: erantque in territorio illo quod speciali nomine Eljefar appellatur et quinque urbes continebat *Farma*, *Bekara*, *Warada*, *Arisch*, sive Larissam, et *Rafige*, regio arenosa sterilis, et viatoribus molestissima. In toto illo tractu orae Orientalis numerabantur pagi quingenti viginti novem.

In continenti regiones *Domsis* et *Menuf* centum et quatuor pagorum: duplex est autem *Menuf*, *Νανουφ* Coptitis dicta, superior et inferior. Cave autem ne *Memphin* cum Kirchero interpreteris in Nomenclatore: qui in supplemento se ipsum retexit, et utramque in Thebaide constituit, quod aeque falsum.

Sakha centum quindecim pagos continet, absque locis minoribus: in Nomenclatore duae voces huic Arabicae respondent Ξεος et *Σχωου.*

Basda et *El-Afrahoun* viginti tres.

Bascheroud viginti quatuor: *Charoud* Coptitis, praeter minores habitationes.

Ausia et *Baschoum*, seu Pacomii, a quodam fortassis Monasterio quadraginta pagos continet.

Tanis et *Damiata* quarum utraque Episcopalis est tredecim.

In ora Occidentali, *Sa* septuaginta tres pagos continet: *Sabasch*

viginti duos: *Badkoun* quadraginta tres, et ejus vallis decem et novem: *Charak* novem: *Bercbout* octo: *Harbata* sexaginta duos: *Kartasa* viginti duos: *Mesil* et *Mekidasch* quadraginta novem: *Achnou* et *Rechid*, sive *Rosetta* septemdecim: Alexandria Maraeotis et vicinae terrae, cum *Lubia* et *Marakia*, centum viginti quatuor: atque in toto illo tractu numerabantur pagi majores quadringenti quadraginta novem. Omnes porro illas urbes et quae ad earum situm et originem pertinent explicare, alterius operis foret: subjiciemus modo breviorem ex El-Kossahio notitiam, quam etiam refert Makrizius, in qua uno quasi conspectu praecipua urbium et regionum nomina referuntur.

CXXVIII. Is Aegyptum dividit aliorum autorum exemplo, in superiorem, seu Sahid, et inferiorem. In Sahide esse ait regiones viginti octo, quas ita recenset. Fium: Menf seu Memphis: Wissim: Charkiet, sive Orientalis: Dalas, et Abusir, sive Busiridis: Ahnasch, Kis, Behnsa: Takha, Giz-Chenuda: Boüit: Aschmonin: cum Ahsna superiori et inferiori: Kous seu Kussa: Ossiout: Kahcowa: Echmim et Eldir: Hou: Dendera, Keft, Aksar: Asna, Arment, Asoüan: sunt tantum viginti septem unde aliquam oportet divisam in duas intelligi, nisi subsit error aliquis in codice. Alia divisio.

Inferioris Aegypti regiones numerat vigintiquinque: etsi alii, inquit, plures numerent, nempe triginta tres. Littoris seu Orae Orientalis: Athrib: Einchemes, sive Heliopolis: Atna et Nema: Besta et Tarabia: Farbeit: Missan: Farma: Arisch: Beten-el-cherif: Bana: Abusir: Semnoud et Bousa: Ausiet et Bachoum: Dakahla: Tanis: Damiata, Gesira, Domsis: Wahada, Tua: Menuf, Saca: Benda El-Amrajoun: Meira: Deïsa: Seroud: Sa: Chabasch: Badkoun, et vallis ejus: Elhis, Charack, Harbata, Kastata: Mesila, et Elmekidasch: Achna: Behira: Rechida: Alexandria, Mareotis: Lubia: Marakia: Ex regione Australi, Regio Montis Sinai: Pharan, Raba, Kolzum, Aila, Modaïn, et quaedam aliae ad Arabiam potius quam ad Aegyptum pertinentes.

Huc usque urbium et regionum sub illis comprehensarum Notitiam qualemcumque dedimus ex Orientalibus Geographis. Eam vero perfectam dare non possemus, etiamsi, ut in quibusdam, suppeterent quaecumque ad eam illustrandam necessaria sunt, nisi prolixiori commentario, quem non pateretur instituti operis ratio. Igitur observa-

tiones quae ad Pontificalis jurisdictionis exercitium spectant, aut ad Ecclesiae Jacobiticae amplitudinem paucis expediemus.

Pleraeque urbes habebant Episcopos.

CXXIX. Ac primo quidem observabimus omnes illas urbes quas recensuimus, quod caput regionis essent, habuisse plerumque Episcopos: et quantum ex lectione autorum Orientalium colligere nobis licuit, nulli alii erant in provincia minorum locorum Episcopi, praeterquam in una aut altera. Nulli Metropolitae erant apud Jacobitas, nisi duo postremis temporibus instituti, nempe Damiatensis in inferiori Aegypto, et Behnsae in superiori. Illi vero suffraganeos habebant nullos, neque aliam videntur honoris praerogativam tulisse super alios Episcopos, nisi quod, ut videtur, primum in conventibus Ecclesiasticis locum haberent, quamvis id plane incertum videatur. Nam in electionibus Patriarcharum, quorum habemus historiam, ex quo novus Metropolitae Damiatensis titulus coepit usurpari, nihil omnino nobis occurrit unde conjectura capi queat, illum reliquis Episcopis praesedisse vel in convocandis Comitiis ad electionem, vel in Ordinatione novi Patriarchae, vel in suffragiis colligendis. In iis tamen versabatur autoritas Metropolitarum qui alibi, ut dignitate, ita et autoritate in ejusmodi functionibus anteibant, quod praesertim observatum videmus in Ecclesia Jacobitica Antiochena, et in Nestoriana Modainensi et Bagdadensi.

Episcopatus novi a Jacobitis Aegyptiis nulli instituti.

CXXX. Episcopatus ita quibusdam urbibus adjunctus erat, ut vix aliis, quam quae antiquitus Episcopos habuissent, illa dignitas conferretur; non, ut apud Nestorianos fieri frequentissime solebat, novi saepe instituerentur. Atque hac in parte disciplinae, causam quamdam verisimilem habebant isti, quod nulla Orientalium sectarum plures in remotissimis regionibus Ecclesias fundaverit, ubi Episcopos etiam constituere oportebat. At Jacobitae Aegyptii in nulla, quod sciamus, Alexandrinae Dioeceseos parte Christi fidem primum Barbaris annuntiaverunt, sed eos tantum, sicut erga Nubas et Aethiopes factum est, ab Ecclesia Catholica avulsos ad suam haeresin transtulerunt. Nullum igitur novum Episcopatum a Jacobitis in Aegypto institutum legimus: et si quis omnes illas urbes, in quibus Episcopos fuisse diximus, secundum Geographiae et Historiae monumenta ad suas origines vetustas referat, illas ipsas esse quae ante schismata talem Cathedrae honorem habuerint, aut vicinas antiquis fuisse ad quas Ecclesiae translatae sint, plerumque agnoscet.

In inferiori Aegypto plerumque duo Episcopi.

CXXXI. In inferiori Aegypto Episcopi, ut in plurimis aliis provinciis, duo erant ad urbes singulas, Orthodoxus et Jacobita. Ita

Alexandriae duo Patriarchae fuere; duo quoque Cahirae seu Misrae Episcopi, sicut toto passim Oriente, ubi etiam aliquando tres fuere, ut in multis Mesopotamiae urbibus, quia praeter eos, erant etiam Nestoriani. In superiori provincia, sive Thebaide, Jacobitae soli Ecclesias obtinebant, neque ulla prorsus illis in urbibus, quas enumeravimus, Melchitarum seu Orthodoxorum vestigia: quia, ut non uno loco dictum est, in longissima sedis Alexandrinae orbitate, quamdiu Catholicos Episcopos non habuit, omnes primi et secundi Ordinis Ecclesiastici ad eas Ecclesias missi, cum ab Haereticis ordinationem accepissent, haeresi quoque sua eas infecerunt.

Episcoporum ordinatio et designatio ad Patriarcham spectabat.

CXXXII. Porro omnium, quos diximus, Episcoporum Ordinatio ad solum Patriarcham spectabat, neque alii comprovinciales Episcopi, aut in vacantibus sedibus eos constituere, aut illis manus imponere poterant. Insigne istius autoritatis argumentum praebet Historia Patriarchalis in longa illa vacatione, quae Ordinationem Cyrilli F. Laklaki antecessit, factam anno J. C. MCCXXXV. Nam in ejus vita scribitur, eum statim ordinasse Episcopos plus quam quadraginta, quia scilicet per annorum viginti et amplius intervallum, nullus ab iis qui supererant ordinatus fuerat.

Cum plena autoritate.

CXXXIII. Plena autem prorsus et nullis Canonibus circumscripta autoritas Patriarcharum fuit, in illis designandis, non primorum ex plebe, non Cleri suffragia expetebantur. Unicum ferme occurrit exemplum electionis Episcopi Misrae a civibus factae, per sortem Ecclesiasticam, ad quam tamen non prius adjecerunt animum, quam facultatem habuissent a Patriarcha Macario LXIX. Hinc summa et perniciosa licentia ortum habuit ordinandi quemcumque liberet: tum etiam nefaria consuetudo pecunias exigendi, quae licet variis canonibus et synodicis constitutionibus saepe compressa, nunquam tamen omnino aboleri potuit.

Autoritas in Monasteria.

CXXXIV. Potestatem quoque in Monasteria Patriarchae habebant amplissimam, et quamvis ex jure communi nullae apud Orientales exemptiones Monachorum fuerint, sed omnes Episcopum Dioecesanum superiorem agnoscerent, tamen Patriarchae, dum omnem autoritatem ad se trahere conarentur, saepe Monachorum negocia ad suam Cellam evocaverunt, et privilegia quaedam ipsis concesserunt, eorumque curam Vicariis delegatis commiserunt. Sed haec rara exempla fuerunt: communis regula, ut Monachi et Monasteria in Episcoporum potestate forent. Attamen singulare privilegium fuit Mo-

nasterii S. Macarii, ut solus Patriarcha in illud jus haberet. Facile illud privilegium Patriarchae ratum habuere, eo quod plerique ex eo asceterio ad supremam dignitatem assumebantur: tum quod in eodem saepe commorabantur, praecipue per Quadragesimam, ut orationi et jejunio impensius vacarent: tum quod ad majus altare a Benjamino Patriarcha didicatum, Chrisma quotannis Feria V. in Coena Domini consecrare solerent, ut Abulbircat et alii observant, constatque non paucis exemplis ex Historia Patriarchali: Ordinationes quoque illic celebrabant. Ex aliquot vero saeculorum consuetudine leges factae sunt, ad dignitatem istius Monasterii confirmandam, adeo ut jura propria habuerit, adversus quae nihil ipsi Patriarchae liceret. Ejusmodi fuere praerogativa suffragii ad electionem Patriarcharum, quam habebant Archimandritae, adeo ut Epistolis systaticis et Psephismatibus subscriberent: quod post Ordinationem Alexandriae factam, aut saltem *'Ενϑρονισμόν*, primam in Ecclesia S. Macarii Liturgiam celebraret, et in ea proclamaretur: tum ut certis solemnitatibus, illic officia divina perageret. Minimum autem erga Monachos illos poterat, quia postmodum *Sigilla*, hoc est Sultanorum literas obtinuerunt, quibus jura et consuetudines suae servarentur. Erat tantum antiquitus, atque etiamnum, ut existimamus, superest, jus Patriarchae, ut ex fructibus Monasterii istius et aliorum, ut etiam Christianorum oblationibus, partem quamdam perciperet ad communes pro publica omnium sibi subjectarum Ecclesiarum utilitate impensas tolerandas. Vectigal illud *Diariet* appellatum legimus: et aliquando *Dinariet:* an vitio scriptorum haec diversitas tribuenda sit, affirmare non possumus. Si primam sequi lectionem placet, idem erit ac *Monasteriale vectigal,* nempe quod ex singulis Monasteriis capiebatur: quo etiam nomine exigebatur ab Episcopis et Ecclesiis: si secundam sequimur *Denarialem* interpretari licebit, qua Denarius aureus unus capitatim olim a Monachis et plerisque Christianis pendebatur: et sub Principibus non incommodis, committebatur colligendae pecuniae cura Episcopis, qui eam ad Patriarcham deferebant, ipse vero fisco repraesentabat. Ea occasione exigebant censum illum suum, avare saepius et duriter. Hinc aliquando calumniae aut accusationes contra Patriarchas variae, carceres, mulctae, omnisque tandem disciplinae eversio.

Vita Gabrielis 57.

Exactio pecuniarum simoniaca.

CXXXV. Ex Episcopatuum fructibus conati sunt nonnulli aliquam partem retinere, quae quotannis ab Episcopis persolveretur.

Verum obstiterunt alii; atque hae exactiones magnum saepe malum avaris illis Patriarchis accersiverunt. Nam pecuniarum pro Ordinationibus acceptio aut exactio, etsi perpetua quaedam fuit Ecclesiarum Orientalium a multis saeculis calamitas, quam Arabum tyrannis majorem in modum auxit et confirmavit, semper tamen Canonibus, Constitutionibusque Synodalibus condemnata est. Mirum tamen quod tot saecula hujus culpae foecundissima, vix ullum exemplum subministrant vindicatae per Simoniacorum depositionem Ecclesiasticae disciplinae. Cyrillus Laklaki filius, de quo mox dictum est, quadraginta, brevi temporis spatio ordinavit Episcopos, omnes accepta pecunia: graves inde adversus eum querelae exarserunt, multis qui in Ecclesia Jacobitica plurimum poterant ejus depositionem a Sultano postulantibus: neque ipse tamen, neque Simoniaci Episcopi dignitate spoliati sunt.

CXXXVI. Translationes Episcoporum quod attinet, etsi supremam etiam contra Canones autoritatem sibi attribuunt Orientalium Ecclesiarum Patriarchae, adeo ut quaecumque ipsi statuunt, jure facta videri velint, rarissima tamen aut ferme nulla earum exempla in historia reperimus. Nempe cum ex laudanda disciplinae tenacitate, nunquam Episcopum alterius sedis ad primariam Alexandrinam transtulerint, non committendum duxerunt, ut quod publicae utilitatis specie non licebat, ob privata alicujus commoda permitteretur. Translationes Episcoporum nullae.

CXXXVII. Autoritas in Episcopos, qualis Patriarchae jure competat, multis antiquis Canonibus praescriptum est, quos habent Coptitae in suis Collectionibus integros, et quos sub diversis titulis referunt Collectores et Interpretes Ebnassalus, Echmimensis et alii. Tamen summo disciplinae ab antiquis Patribus stabilitae contemtu, nonnulli Patriarchae suspensionum, interdictorum, imo excommunicationis sententias, saepe temere adversus Episcopos tulerunt, ut adversus Sanhutum Episcopum Misrae, Michael Patriarcha LXVIII. quae tamen, ut ea occasione, plebe intercedente et ad saecularia judicia provocante, irritae saepius fiebant. Postea major fuit cautio adhibita, ne temere Episcopi, aut etiam Laïci excommunicarentur, quia nonnulli ex desperatione fidem abnegabant. Unde in diversis Constitutionibus Synodalibus posteriorum Patriarcharum vetitum est, ne quisquam absque causa gravissima excommunicaretur: praesertim vero ob temerariam et impudentem Cyrilli F. Laklaki ambitionem, qui omnia suo arbitratu, quasi legibus Ecclesiasticis solutus turbabat, Episcoposque Autoritas in Episcopos.

sibi resistentes anathematis metu coercebat, statutum est, ne Episcopus praeterquam ex gravi causa abstineretur, fraenataque est per Canonum antiquorum renovationem nefarii hominis protervia. Is cum etiam translationes Episcoporum moliretur; tum etiam invito Clero et praecipuis Laïcis quarumdam urbium reluctantibus, Episcopos constitueret, definitum est, id Patriarchae non licere, proposita depositionis poena, in eos qui absque summa necessitate ab una sede ad aliam transferrentur: aut qui invita plebe loci, Episcopatum obtinerent. Haec fusius a nobis exposita sunt in vita Cyrilli et alibi. Caeterum autoritas deponendorum Episcoporum penes Patriarcham erat: neque enim Synodorum ad ejusmodi judicia requirebatur convocatio, quae sub Infidelium regno difficilis erat, multisque periculis obnoxia. Yuçab sive Joseph LII. Episcopos Isaacum Taneos, et Theodorum Misrae, de multis criminibus accusatos deposuit, et alios eorum loco ordinavit, post annum J. C. DCCCXXXVII. Sed rariora deinde exempla fuerunt, quia homines audaces et ad omne scelus parati, quae in leges Ecclesiae peccaverant, autoritate Principum aut excusare, aut saltem impunita esse conabantur, aut Patriarchis falsas accusationes intentabant, qui idcirco moderatiores erant, imo et saepe segnes ad ea scelera vindicanda.

Dispensationes.

CXXXVIII. Ex eadem autoritate Patriarchali, secundum quam nihil sibi non licere existimabant, summam saepe indulgentiam praeferebant, circa dispensationes quasdam, praesertim erga eos qui sacris Ordinibus erant initiandi. Nam cum secundum Canones, nati ex parentibus non liberis, aut ex secundis nuptiis, aut qui servitutem serviissent, aut spurii, vel qui aliqua natalium infamia laborarent, ad sacerdotium non admitterentur, fuerunt tamen inter Patriarchas nonnulli, qui tales homines ordinarent, quasi ex plenitudine potestatis. Illi quidem deponi ab omni Ecclesiastico gradu debuissent, attamen supremae illius, quam in suis Patriarchis suspiciunt, autoritatis ratione habita, provisum quidem fuisse legimus, ne tales deinde Ordinationes fierent, at qui ita ordinati fuerant, in sacerdotio permanserunt. In reliquis si quid contra Canones fieret, quamvis male factum, valebat apud eos tamen. Aliarum dispensationum nulla prorsus exempla reperiuntur, nisi rarissima, ut cum nobili cuidam Jacobitae, duo Episcopatus dati sunt Isaaco F. Andounae Vissim et Misrae, praeter Canones et communem consuetudinem. In poenitentia imponenda et relaxanda, quamdiu vetus disciplina apud Coptitas

perseveravit, nihil Patriarchae juris fuit, praeter Episcopi proprii sententiam.

CXXXIX. In alios Patriarchas nullum quoque jus assumebat, quamvis reliquos anteiret, de iis loquimur qui erant in eadem secta Jacobitica; nempe Antiocheno, et eo qui dicebatur Armenorum. Erat inter eos communio, de qua jam dictum est superius, ad quam significandam et redintegrandam, novi Patriarchae communicatorias literas mittebant, Antiocheni Alexandriam, Alexandrini Antiochiam; verum honoris tantum gratia et fidei contestandae: nam neque Antiochenorum legatos interfuisse legimus in Synodis Aegyptiacis, neque Aegyptios in Antiochenis: neque etiamsi inter utramque Ecclesiam esset integra conformitas fidei et disciplinae, si quid adversus alterutram peccaretur, alterutri emendare satagebant. Hinc cum essent apud Antiochenos nonnulla quae Alexandrinis Jacobitis displicebant, et superstitiosa vel omnino prava videbantur, neutra tamen Ecclesia jus ea emendandi assumebat, sed aliam errare sinebat, nec tamen communionem abrumpebat. Insigne habetur exemplum in vita Christoduli LXVI. ordinati circa annum J. C. MXLVII. Is enim cum Misrae Sacra celebraret in Ecclesia S. Mercurii, et Syrus quidam primarius Sultani Archiater, Oblatam pro more ad altare detulisset, rejecit eam Christodulus, eo quod juxta Syrorum consuetudinem, oleo et sale mista erat. Scripsit praeterea ad Joannem Patriarcham Antiochenum adversus hunc ritum, qui tamen ejus querimonias insuper habuit: et quantum conjicere possumus, Apologiam suae Ecclesiae edidit, repertam a nobis in Colbertino, et aliis Codicibus. Ita nihil sibi juris alteruter in alium vindicavit, etiam cum de ritu ageretur, quem nisi damnasset Christodulus, Syrum a communione non repulisset. Aliud majoris momenti occurrit, non sub uno, sed sub aliquot Patriarchis, circa Confessionis peccatorum usum et necessitatem. Joannes F. Abugaleb, et Marcus F. Zaraae, eam negligi a suis Coptitis siverant, imo Michael Damiatensis Metropolita, insulsum de Confessione abolenda commentarium ediderat. Eo ipso tempore Michael Antiochenus Jacobitarum Patriarcha, opus eximium scripsit de praeparatione ad Eucharistiam, in quo passim, nec uno loco, disputat adversus eos qui peccatorum Confessionem omittendam existimabant, et aliquando Coptitas designat: neque tamen ipse Alexandrinos a communione removit, neque Alexandrini de eo conquesti sunt, aut in Antiochena Ecclesia damnaverunt doctrinam quam

Qualiter Alexandrini se gesserint erga alios suae sectae Patriarchas.

in Marco filio Elkonbari anathemate feriebant, sed simulatam communionem servabant, cum in rebus maximi momenti dissentirent. Unde etiamsi non esset manifestus earum Ecclesiarum error, vel ex ea diversitate satis convincerentur eas esse extra Catholicam unitatem et veram Ecclesiam, cujus, ut ait Irenaeus, *praedicatio vera est et firma, apud quam una et eadem salutis via universo mundo ostenditur, cum ipsi haeretici, qui se plus aliquid praeter veritatem invenire putant, multiforme facientes iter, de iisdem non semper easdem sententias habuerint.* Illae vero non adeo altas radices egissent, si non separati a reliquis, praesertim vero a Petri sede, omniumque reliquarum Ecclesiarum communione, simul cum unitatis vinculo et Apostolicae successionis linea, autoritatem quoque legitimam Patriarchalium sedium amisissent, quae ad coercendas novitates, et ad veterem disciplinam retinendam, ut olim ita et tunc valuisset, cum sejuncti Patriarchae a Catholicae Ecclesiae corpore nihil omnino praestare hoc in genere potuerint.

l. 5. c. 19.

Depositionis Patriarcharum Alexandrinorum nulla exempla.

CXL. Ea etiam causa fuit, cur scelerati Patriarchae, qui publicam Sacerdotii et Episcopatuum nundinationem turpiter exercebant, nulla Ecclesiastica autoritate coerceri possent, atque ita in prava sua consuetudine perseverarent. Sunt apud Nestorianos exempla depositionis aliquorum Patriarcharum, at inter Coptitas nulla sunt. Ultimus eorum quorum habemus historiam, Cyrillus Laklaki filius de simili scelere postulatus fuit apud Sultanos Adelum et Camelum ejus filium Yubidas, Salaheddini successores, urgentibus Jacobitarum primariis, ut more majorum redigi in ordinem posset. Verum cum jussi fuerunt edicere, num permitterent leges Christianorum, ut supremus eorum Antistes ab Episcopis dignitate inferioribus deponeretur, negaverunt: atque ita vir nefarius dignitatem ad finem usque vitae retinuit. Majorem sibi aliquando autoritatem sumserunt Jacobitae Antiocheni, dum Isaacum Harranensem Episcopum, quem Califa Patriarcham esse jusserat, suscipere renuerunt, quia id secundum Canones non licebat, qua de re dictum est in Historia Alexandrina. Depositiones quidem Patriarcharum in Ecclesiis Orientalibus jam frequentissimae sunt, ex quo insignis et Arabica superior Turcarum dominorum avaritia occasionem quotidianis prope Antistitum, praecipue Graecorum mutationibus dedit. Cum enim nemo dignitates illas nisi per largitionem adipiscatur, qui plus pecuniae fisco inferre pollicetur, is non modo competitoribus praeferri apud eos solet, sed

etiam nisi eadem aut major a jam constitutis Patriarchis numeretur, dejici eos consuetudo est. Itaque nihil frequentius, quam tales depositiones, quae ut plurimum magno Ecclesiarum detrimento in eos cadunt, qui moribus et doctrina reliquos antecellunt. Coptitae, quia Graecis pauperiores, minus huic calamitati subjacent, eam tamen aliquando non effugiunt. Neque enim apud Turcas praefectos, valent magis antiquorum Califarum aut Sultanorum Diplomata, quae Christianis leges suas Ecclesiasticas confirmabant, adeo ut qui secundum eas electi ad supremam dignitatem forent, rata esset eorum electio et stabilita autoritas: quam ipsae illae leges Ecclesiasticae, quarum beneficium Christiani non minus Arabum tyrannide, quam propriis suis peccatis amiserunt.

CLXI. De reditibus Ecclesiasticis qui ad Patriarcham spectant, dicere inutile est: omne enim antiquum Ecclesiae Alexandrinae patrimonium, ut et reliqua Ecclesiarum bona Muhamedani devoraverunt. Quasdam domos, hortos et fundos qui ad Ecclesiam sancti Marci spectabant, Chail II^us^. qui inter Patriarchas LVI^us^. fuit, ut aureorum viginti millia repraesentaret fisco, distraxit: unde annuam aureorum mille pensionem Alexandrinis se et successores suos soluturos promisit, quae postea ad mediam partem redacta est. Ita a multis saeculis nihil habent Patriarchae praeter oblationes et censum illum quem a Christianis sibi subjectis percipiunt: et si quae necessitas ingruat, ad simoniam decessorum suorum exemplo confugiunt. Joannes Michael Wanslebius, qui ante annos aliquot de Coptitarum rebus Commentarios diversos edidit, in eo qui est de statu hodierno rerum Aegypti ex aliquorum relatione, scribit Patriarcham percipere ex annuis fructibus viginti circiter Talerorum millia, quod tamen incredibile sibi videri non dissimulat, nec immerito: neque enim cum florentissimae fuerunt Jacobitarum res, ea videntur opulentia fuisse, ut eorum Patriarcha tantam etiam malis artibus pecuniam colligeret.

Adjungit autor idem, Patriarcham Cahirae jam dudum habitare, cum Alexandriae Coptitae paucissimi supersint, eorumque habitationes ferme destructae sint. Domum ejus Cahirae esse in vico dicto Haret Zoüilet, cujus frequens apud autores memoria est, prope Ecclesiam B. Mariae nomine dicatam: aut Misrae quae vetus Cahira est degere, in vico qui hinc appellatur *Haret-el-Batrak*, hoc est vicus Patriarchalis: ubi est Ecclesia sancti Mercurii: aliquando in Monasterio D. Georgii in Misrae suburbio, aut Gizae ultra Nilum.

Assumi eum testatur ex Ordini Monastico et eum qui anno 1664. in vivis erat, fuisse Ascetam professum ex Monasterio sancti Macarii. Cum autem ait ipse multorum aliorum exemplo eligi Patriarcham ex Ordine sancti Antonii, id vulgo a nostris hominibus ita intelligitur, ac si essent apud Orientales quemadmodum apud nos, familiae Monasticae regulis institutisque dissimiles, quod verum non est. Omnes enim sub una et eadem regula vivunt, dicunturque filii sancti Antonii, quia fuit ille, ut omnes sciunt, vitae Coenobiticae pater. Reliqua quae idem Wanslebius refert, de eo quem in Aegypto vidit Patriarcha Mathaeo, ejus victu, vestitu et summa simplicitate, plane conveniunt cum iis quae huc usque ex Coptitarum disciplina retulimus.

DE SEQUENTI OFFICIO MONITUM.

Ordinationis Patriarchae Alexandrini Officium repraesentavit nobis Codex Coptico-Arabicus Seguierianae Bibliothecae integerrimus, cujus versionem subjicere visum est, quia omnia quae de Patriarcharum Alexandrinorum Ordinatione passim in Historia illorum, et in praecedenti Dissertatione observata sunt, egregie confirmat. Cum vero Codex non videatur annis centum, aut paulo amplius, vetustior, formam disciplinae quae apud Coptitas adhuc viget, illo contineri certissimum est. Inde sequitur illam ut a nobis descripta est ex variis autoribus, hodiernae esse similem et eamdem esse quae antiquis Coptitis usurpata est; atque ex illa rectius de illorum Ordinationibus judicari, quam ex tot peregrinorum et Autorum qui de haeresibus scripserunt relationibus. Cum vero typorum defectu textum, ut vocant, originalem exhibere non possimus, ea quae Graece in hujus Officii serie dicuntur inseruimus.

RITUS ORDINATIONIS
ALEXANDRINI
JACOBITARUM PATRIARCHAE.

Eligetur a Synodo Episcoporum et ab universo populo, secundum voluntatem Spiritus sancti: eritque absque macula: sapiens, castus, mitis, modestus, humilis, non cogitans ea quae sunt mundi, non amans pecuniam, inculpatus, et absque livore. Erit etiam amator pauperum, peritusque scripturarum, et mysteriorum Dei: bonus, non immiscens se negociis hujus vitae: solitariae vitae addictus, praeparatus omnibus operibus bonis, tanquam designatus ad Ordinem Dei excelsi. Erit etiam aetatis mediae. Clerus et populus testimonium dabunt bonae ejus conversationis, conficientque ejus causa Psephisma, *sive instrumentum secundum Canones. Erit Ecclesiasticus, virgo, absque reprehensione, et habebit partem in sacrificiis. Si non est ordinatus Sacerdos; ordinabitur: postea fiet Hegumenus, et benedicetur eodem die. Si non fuerit Monachus, fiet: recitabunturque super eum omnes orationes Schematis, seu habitus Monastici. Induent eum vestitu omni Angelico: thorace, cuculla, et zona schematis pellicea, super renes ejus, et pallio: tum ita relinquetur usque ad diem Dominicam.*

Ante haec omnia vocabuntur Patres duo, ex tractu Maritimo et Australi, nempe primus Episcoporum tractus Maritimi et primus eorum qui in Australi, neque ullus praeter eos manum ipsi imponet. Si unus eorum infirmitate detentus adesse non possit, consentire se cum Synodo manus suae subscriptione testabitur: et qui eum proxime sequitur, vices ejus supplebit in omnibus.

Similiter convenient omnes Episcopi, et qui adesse non potuerit, subscriptione consensum suum testabitur. Ordinatio ejus fiet die Dominica.

Cum vocatur, constringetur vinculis, et deducetur summo mane ad Ecclesiam Angelii: quae est Alexandriae: ibi omnes congregabuntur, dicentque Canonem Psalmodiae, Doxologiam, Evangelium

et Orationes pacis. Deinde incipient Liturgiam et tunc solvent vincula ex pedibus ejus. Post lectionem scripturarum tempori convenientium, Episcopi et Clerus omnis paramentis suis induentur. Finita vero Actuum Apostolicorum lectione, Archidiaconus alta voce clamabit: O Episcopi.

Tum exeunt ex Diaconico, circumeuntes medium Ecclesiae, et ita procedunt usque ad altare: proceditque primo senior Episcopus, et post eum reliqui omnes Episcopi, unusquisque in ordine suo: ultimusque omnium Electus, indutus sticario solo: et mantile habens circa collum: duoque Sacerdotes tenent eum hinc et inde, caputque inclinatum habet, et eum sequuntur Sacerdotes omnes juxta ordinem suum. Archidiaconus protegit latus senioris Episcoporum, et praeit eos is qui defert Evangelium coram eis: Sacerdosque incensat coram omnibus. Diaconi coram eis ferunt cruces et cereos accensos, et Cherubinorum imagines, seu flabella et canunt ordinatim coram Evangelio sancto dicentes.

Unigenitus Filius et Verbum Dei immortale qui propter nostram salutem sustinuit carnem sumere, ex sancta Deipara et semper Virgine Maria, sine ulla mutatione, homo fieri et crucifigi, Christe Deus qui morte mortem conculcasti; qui unus es Trinitatis sanctae, conglorificatus cum Patre, et Spiritu sancto: salva nos.

Ὁ μονογενὴς υἱός, καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ ἀθάνατος ὑπάρχων, καὶ καταδεξάμενος διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθῆναι ἐκ τῆς ἁγίας Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας ἀτρέπτως ἐνανθρωπῆσαι, καὶ σταυρωθῆναι, Χριστὸς ὁ Θεός, θανάτῳ θάνατον πατήσας· εἷς ὢν τῆς ἁγίας τριάδος, συνδοξαζόμενος τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, σῶσον ἡμᾶς.

Inclinabunt se coram altari sancto.

Senior Episcoporum sedebit super Synthronum et reliqui Episcopi sedebunt circum eum, hinc et inde, juxta ordinem suum. Presbyteri et Diaconi omnes stabunt inferius: populus omnis stabit in silentio. Electus stabit infra gradum Synthroni facie ad Orientem conversa, et genua flectet, simulque duo Presbyteri eum tenentes. Postea senior Episcoporum dabit Psephisma suum uni Diaconorum qui legere probe sciat, quique ascendens ad ambonem, illud leget. Idem autem est quod prius in charta scriptum fuerit a Notario Synodi, quodque secundum morem perscriptum fuerit antequam venirent ad Ecclesiam. Et post Psephisma lectum pronunciatur hoc elogium.

Οἱ ἀπὸ τῆς φιλοχρίστου καὶ μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρίας καὶ τοῦ νόμου αὐτῆς, λίαν φιλοπάτορες ὄντες, καὶ μὴ δυνάμενοι τῷ τῆς ὀρφανίας πένθει ἐμμεῖναι, ἀλλὰ προθύμως ἐπὶ τὸ αὐτὸ συμβούλιον ποιησάμενοι, τοῦ ἐξητῆσαι ἑαυτοῖς πατέρα ἔσπευσαν. Ὅθεν συναχθέντων τῶν ὁσιωτάτων ἐπισκόπων, καὶ θεοσεβεστάτων πρεσβυτέρων, καὶ θεοφιλεστάτων διακόνων, ἅμα καὶ τῶν εὐλαβεστάτων μοναζόντων, ὀνομάστων ἡγουμένων τε, καὶ παντὸς τοῦ φιλοχρίστου λαοῦ τῆς τῶν Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως, καὶ πάσης τῆς κάτω Αἰγύπτου χώρας. Καὶ ὁμοθύμαδον γενόμενοι καὶ σπουδὴν παρ' αὐτοῖς πᾶσαν παρεισενέγχαντες, καὶ πανταχόθεν ἔρευναν ποιησάμενοι, τοῦ εὑρεῖν τὸν ἀξίως ὀφείλοντα ποιμαίνειν ἡμᾶς, καὶ κρατῆσαι ἐν νομῇ ἀγαθῇ καὶ ἐν τόπῳ πίονι. Ὅθεν καὶ ἐκτενῶς ἐπικαλεσαμένων ἡμῶν τὸν παντεπόπτην Θεόν, τοῦ παραστῆσαι ἡμᾶς τὸν ἀξιώματος τούτου ὀφείλοντα, ὑπέδειξεν ἡμῖν, ἰδεῖν εἰς τὸν Δ. τὸν θεοσεβέστατον πρεσβύτερον, καὶ εὐλαβέστατον μονάζοντα, τοῦ εὐαγοῦς μοναστηρίου Δ. τοῦτον οὖν τοῦ καταστῆσαι αὐτὸν ἀρχιποίμενα, καὶ ἀρχιεπίσκοπον, καὶ προκαθημένον ἐπὶ τῆς διαδοχῆς τοῦ εὐαγγελικοῦ θώκου, τοῦ δεσπεσίου Μάρκου τοῦ θεοφρήμονος καὶ Ἀποστόλου, εἰς σύστασιν καὶ διόρθωσιν τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, ὅςτις ἐμαρτυρήθη,

Cives magnae urbis Alexandriae Christum amantis, et ejusdem Nomi, cum Patrum suorum amantissimi sint, et in orbitatis luctu diutius remanere non possent, libenter et ex animi sui sententia consilium inter se habuerunt, et expetere sibi patrem festinarunt. Unde congregatis sanctissimis Episcopis, et religiosissimis Presbyteris, simulque Dei amantissimis Diaconis, piissimisque Monachis, celeberrimisque Hegumenis, omnique Christum amante populo magnae urbis Alexandrinorum, et omnis regionis Aegypti inferioris, unanimi consensu, magno studio adhibito, quacumque potuerunt, quaesiverunt eum reperire qui digne deberet pascere nos, et tenere in bonis pascuis et in loco uberi. Unde cum intente invocassemus omnia perspicientem Deum, ut exhiberet nobis eum qui huic dignitati esset idoneus, designavit nobis ut oculos conjiceremus in N. religiosissimum Presbyterum et piissimum Monachum, inclyti Monasterii N. utque eum constitueremus summum Pastorem et Archiepiscopum, qui sederet per successionem in throno Evangelico admirandi Marci, divina locuti, et Apostoli, ad confirmationem, et reformationem sanctarum Dei Ecclesiarum, de quo testimonium habitum est, in locum Abba N. qui in pietate defunctus bonam

sui memoriam reliquit, et ad Deum migravit. Super hunc igitur ut videtis per canonicam precem, divinam potestatem invocantes, advenire sancti Spiritus operationem exspectamus. Orate igitur simul omnes qui adestis, ut super eum adveniat donum coelestis vocationis, et gratia sanctissimi Spiritus. Dicamus omnes. Kyrie eleison.

ἀντὶ Ἄββα Δ. τοῦ ἐν ὁσιότητι τὴν μνήμην λήξαντος, καὶ πρὸς Θεὸν ἐπιδημήσαντος. Τοῦτον οὖν, ὡς ὁρᾶτε, διὰ τῆς κεκανονισμένης εὐχῆς, τὴν θείαν δύναμιν ἐπικαλεσάμενοι, τοῦ ἐπιφοιτῆσαι ἐπ᾿ αὐτὸν τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐνέργειαν ἀπεκδεχόμεθα. Συνεύξασθε οὖν πάντες οἱ συμπάροντες, ὅπως τε καὶ ἐπ᾿ αὐτὸν ἡ δωρεὰ τῆς ἐπάνω κλήσεως, καὶ ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσῃ. Εἴπωμεν πάντες. Κύριε ἐλέησον.

Tunc descendent Episcopi ex Synthrono, et stabunt coram altari, et adducitur qui ordinatur Patriarcha: et genua flectet super gradus altaris. Reliqui stabunt in timore et silentio, corde humili, orabuntque in timore et quiete.

Senior Episcopus dicet Orationem gratiarum actionis: adolebit incensum, et dicet Orationem incensi.

Tum dicet Orationem sequentem facie ad Orientem conversa.

Domine Deus virtutum qui adduxisti nos ad sortem ministerii hujus, qui erigis intellectus hominum, et scrutaris corda et renes, exaudi nos per magnam misericordiam tuam: purifica nos ab omni macula carnis et spiritus. Dissipa nubem peccatorum et iniquitatum nostrarum tenebrosam. Imple nos potestate tua divina, et gratia Unigeniti Filii tui, et operatione Spiritus sancti: ut simus idonei ad hoc ministerium novi hujus Testamenti, et possimus digne ferre nomen tuum sanctum, et stare ad ministerium altaris tui divini: neque communicemus peccatis alienis, sed dele peccata nostra; et concede nobis Domine, ut similia non committamus: et da nobis cognitionem, ut possimus loqui sicut oportet, atque ad te accedere. Suscipe ad te Pontificatum servi tui hic stantis, qui expectat donum tuum coeleste, quia tu es bonus et multum misericors erga omnes qui tibi supplicant, et fortis est potestas tua, cum unigenito Filio tuo et Spiritu sancto, nunc, etc.

Diaconus dicet has postulationes.

Εἴπωμεν πάντες. Δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Λαός. Κύριε ἐλέησον.

Κύριε παντόκρατορ ἐπουράνιε ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν δεόμεθά σου. Κύριε ἐπάκουσον.

Κύριε ἐλέησον.

Ὑπὲρ εἰρήνης τῆς ἁγίας, μόνης, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, καὶ σωτηρίας περιεστῶτος λαοῦ, δεόμεθά σου. Κύριε ἐπάκουσον.

Κύριε ἐλέησον.

Ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, συγχωρήσεως παντοίων πλημμελημάτων ἡμῶν, καὶ τοῦ ῥυσθῆναι, καὶ σωθῆναι ἡμᾶς, ἀπὸ πάσης θλίψεως, ὀργῆς, κινδύνου, ἀνάγκης, παντὸς πειρασμοῦ, καὶ ἐπαναστάσεως ἐχθρῶν τε καὶ ἐθνῶν, δεόμεθά σου. Κύριε ἐπάκουσον.

Κύριε ἐλέησον.

Σῶσον ὁ Θεὸς τὸν λαόν σου, καὶ εὐλόγησον τὴν ἐκ πατρὸς κληρονομίαν σου καὶ ἰδέ, καὶ ἐπίσκεψαι τὸν κόσμον σου ἐν ἐλέει, καὶ οἰκτιρμοῖς σού. Ὕψωσον κέρας Χριστιανῶν τῇ δυνάμει τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ τοῦ σταυροῦ σου, καὶ κατάπεμψον ἡμῖν καὶ ἐφ' ἡμᾶς, τὰ ἐλέη σου τὰ πλούσια καὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου μὴ παρίδῃς· καὶ ἀπόστρεψον τὸ πρόσωπόν σου ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν· καὶ ἐξάλειψον τὸ χειρόγραφον τῶν ἀνομιῶν ἡμῶν· καὶ πρόσδεξαι τὴν δέησιν, καὶ μετάνοιαν τοῦ λαοῦ σου, ὅτι σὺ φιλάνθρωπος, ἀγαθὸς Θεὲ κύριε.

Dicamus omnes: precamur te Domine, exaudi. Kyrie eleison.

Populus. Kyrie eleison.

Domine omnipotens coelestis, Deus Patrum nostrorum, rogamus te, Domine exaudi.

Kyrie eleison.

Pro pace sanctae, solius, Catholicae et Apostolicae Ecclesiae, et salute circumstantis populi rogamus te, Domine exaudi.

Kyrie eleison.

Pro remissione peccatorum, et venia omnium delictorum nostrorum, et ut liberemur et salvemur ab omni oppressione, ira, periculo, necessitate, omni tentatione et insurrectione hostium et populorum, rogamus te Domine, exaudi.

Kyrie eleison.

Salvum fac Deus populum tuum et benedic paternae haereditati tuae: vide, et visita mundum tuum in misericordia et miserationibus tuis. Eleva cornu Christianorum per potentiam pretiosae et vivificae crucis tuae: et mitte nobis, et super nos miserationes tuas divites: atque opera manuum tuarum ne despicias: et averte faciem tuam a peccatis nostris, et dele chirographum iniquitatum nostrarum: suscipe etiam deprecationem et poenitentiam populi tui, quia tu es amator hominum bonus Domine Deus.

Kyrie eleison.

Per gratiam triduanae et timendae resurrectionis ex mortuis. Per intercessionem Deiparae et semper Virginis Mariae: sanctique gloriosi Apostoli et Evangelistae Marci. Deprecamur te omnipotens Domine exaudi nos peccatores rogantes te. Kyrie eleison.

Populus. Kyrie eleison.

Archidiaconus.

Ut remittatur nobis omne delictum voluntarium et involuntarium: et ut suscipiatur deprecatio nostra: utque mittantur misericordiae Dei, et miserationes ejus super nos omnes, deprecamur te Domine, exaudi. Kyrie eleison.

Et ut mittatur Spiritus sanctus super electum servum Dei N. per orationem super eum factam. Dominum Deum gloriae supplicemus.

Populus. Kyrie eleison.

Archidiaconus. Deum precemur.

Κύριε ἐλέησον.

Τῇ χάριτι τῆς τριημέρου καὶ φοβερᾶς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως.

Τῇ πρεσβείᾳ τῆς Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας· καὶ τοῦ ἁγίου, ἐνδόξου ἀποστόλου, καὶ εὐαγγελιστοῦ Μάρκου.

Ἱκετεύομέν σε παντοδύναμε κύριε, ἐπάκουσον ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν δεομένων σου. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Λαός. Κύριε ἐλέησον.

Ἀρχιδιάκονος.

Ὑπὲρ τοῦ συγχωρηθῆναι ἡμῖν πᾶν πλημμέλημα ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον, καὶ τοῦ προςδεχθῆναι τὴν δέησιν ἡμῶν, καὶ καταπεμφθῆναι τὰ ἐλέη τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς αὐτοῦ ἐπὶ πάντας ἡμᾶς, δεόμεθά σου· κύριε ἐπάκουσον Κύριε ἐλέησον.

Καὶ ὑπὲρ τοῦ καταπεμφθῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ τὸν ἐκλελεγμένον δοῦλον τοῦ Θεοῦ Δ. τῇ ἐπὶ αὐτὸν ἐντεύξει γενομένῃ, κύριον τὸν Θεὸν τῆς δόξης ἱκετεύωμεν.

Senior Episcopus dicet hanc Orationem conversa facie ad Orientem.

Domine omnipotens dominator omnium, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui custodis pastorem et gregem: tu es suprema causa, et fortitudo quae nobis auxilio est: tu es auxiliator et medicus, et liberator, murus defensionis, spes nostra et refugium nostrum, gratia, protectio, exspectatio, vita et resurrectio. Apud te est ordo et salus nobis omnibus usque in aeternum, tu qui praeclare ordinas omnia. Conforta nos, conserva nos, custodi nos,

protege nos, quia tu es princeps principum, dominus dominorum: dominus dominantium, et rex regum, qui antiquitus dedisti potestatem ei quem in sede constituisti, et largitus illi es ut ligaret et solveret quidquid vellet. Tu qui dedisti ei sapientiam, tanquam instrumentum, et per autoritatem Ecclesiae Christi tui, quam custodis, tanquam plantationem bonam: quia tu es Deus omnipotens, et omnia continens tuumque est regnum, potestas et gloria: Pater, Fili, et Spiritus sancte, nunc, etc.

Conversus ad Orientem dicit. Pax omnibus.

Archidiaconus. Adhuc Dominum precemur.

Episcopus senior imponet manum suam dexteram super caput Ordinandi, silens interim dum Archidiaconus dicit.

Ἡ Θεία χάρις, ἡ τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, καὶ τὰ διεστῶτα συνάπτουσα, ἡ τὴν πρόνοιάν τε ποιουμένη τῶν ἁγίων αὐτῆς ἐκκλησιῶν, προβάλλει τε δὲ ἡμῖν ἰδεῖν εἰς τὸν Δ. θεοσεβέστατον πρεσβύτερον, καὶ μονάζοντα τοῦ εὐαγοῦς μοναστηρίου Δ. εἰς ἀρχιεπίσκοπον φιλοχρίστου πόλεως Ἀλεξανδρίας, καὶ πάσης κατ' Αἰγύπτου χώρας, καὶ τῶν νόμων αὐτῆς, ἀντὶ Ἄββα Δ. τοῦ ἐν ὁσιότητι μνήμην λήξαντος, καὶ πρὸς Θεὸν ἐνδημήσαντος. Συνεύξασθε οὖν, καὶ ὑμεῖς ἐκτενῶς πρὸς κύριον πάντες οἱ συμπάροντες, ὅπως τε καὶ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσῃ.

Gratia divina quae infirma sanat, et deficientia supplet, et disjuncta conjungit, quae providentiam habet sanctarum suarum Ecclesiarum, providit ut oculos conjiceremus in N. religiosissimum Presbyterum et Monachum praeclari Monasterii N. ut esset Archiepiscopus amantis Christum urbis Alexandriae, totiusque regionis Aegypti, et Nomorum ejus loco Abba N. qui in sanctitate memoriam sui reliquit, et ad Deum migravit. Orate igitur intente nobiscum vos qui adestis omnes, ad Dominum, ut super illum adveniat gratia sanctissimi Spiritus: dicamus omnes.

Populus. Kyrie eleison.

Senior Episcopus dicit hanc Orationem manum tenens super caput electi.

Ita Domine fac eum dignum vocatione tua Sacerdotali, ut mereatur digne se gerere juxta amorem erga homines tuum, et serviat

nomini tuo et altari tuo. Pascat etiam populum tuum in puritate et sanctitate, et consequatur partem in sorte sanctorum, per miserationes unigeniti Filii tui Jesu Christi Domini nostri per quem, etc.

Pax omnibus.

Archidiaconus. Dicamus omnes, Oramus te Domine miserere. Stemus decenter. Stemus cum timore. Stemus reverenter. Stemus cum timore et tremore et silentio, omnesque oremus.

Εἴπωμεν πάντες, δεόμεθά σου, κύριε ἐλέησον. Στῶμεν καλῶς· στῶμεν μετὰ φόβου· στῶμεν εὐλαβῶς· στῶμεν μετὰ φόβου, καὶ τρόμου, καὶ ἡσυχίας, πάντες εὐξώμεθα.

Pax omnibus.

Εἰρήνη πᾶσιν.

Congregamini igitur Episcopi; extendite manus vestras.

Συνάξασθε οὖν οἱ ἐπίσκοποι· ἐκτείνατε τὰς χεῖρας.

Episcopi extendunt manus suas in altum: et aliquis eorum tangit humeros Electi, hinc et inde. Tum senior Episcopus imponit manum suam dexteram super caput Electi, et dicit hanc Orationem ordinationis.

Domine dominator Deus omnipotens, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, Pater Domini, Dei, Salvatoris et regis nostrum omnium Jesu Christi: qui creavit omnia per potentiam et sapientiam suam: quique consilio suo stabilivit fundamenta orbis, qui novit omnia antequam fierent. Qui ornavit coronam eorum quae ab ipso facta sunt: qui immisit timorem sui creaturis omnibus, ut adorarent gloriam potentiae suae: qui dedit nobis intellectum ut cognosceremus Spiritum bonitatis ejus: qui constituit Ecclesias unigeniti sui, ut lucerent splendore inenarrabili: qui elegit Abraham dilectum suum ad haereditatem fidei suae, et Enoch sanctum suum transtulit in thesauros lucis, quia illi gratus fuit: qui dedit Moysi humilitatem et Aaroni perfectionem Sacerdotii: qui antiquitus unxit reges, et principes ad judicandum in aequitate populum suum: qui non reliquit altare suum sanctum quod in coelis est, absque ministris a constitutione mundi. Deinde post constitutionem mundi, instituisti ministerium tuum in Ecclesiis, ut perficeretur per Sacerdotes et Levitas qui typus essent coelestium ministrorum, quorum ministerium conveniret cum eorum ministerio, qui in terra sunt, laudarentque et benedicerent nomen tuum sanctum Deus vere et unice, cum unigenito Filio tuo et Spiritu sancto: per quem precamur et rogamus bonitatem tuam, pro hoc servo tuo N. quem glorificasti, designasti, et elegisti tibi, ut esset Pontifex super

universam Ecclesiam tuam, essetque princeps et dux super populum tuum. Illumina eum Domine, splendore vultus tui, ut illuminetur cor ejus radiis gloriae tuae, et intelligat secundum veritatem, mysterium absconditum tuum. Effunde super eum spiritum principalem cognitionis tui, quem accepit ab Ecclesia tua sancta, ut renovetur secundum beneplacitum tuum in omni generatione: Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, Spiritum perfectum paraclitum, quem dedisti sanctis tuis Apostolis et Prophetis. Da illi Domine virgam virtutis tuae productam ex radice Jesse, scilicet septem Spiritus tui, Deus, descendant super eum, et producant fructum veritatis: Spiritus sapientiae et prudentiae: Spiritus consilii et fortitudinis: Spiritus scientiae et pietatis. Imple illum timore tuo Deus, ut judicet populum tuum in aequitate, et retineat fidem rectam absque defectu. Indue illum podere, sive stola gloriae tuae sanctae. Impone capiti ejus mitram, et unge illum oleo laetitiae bonitatis tuae prae omnibus participibus suis. Sit tibi Deus, Pontifex fidelis super domum tuam quae est Ecclesia, ut serviat tibi inculpate omnibus diebus vitae suae, in Pontificali dignitate, nocte ac die incessanter per sacrificia sancta, et orationes in corde puro, et anima splendida: per jejunia et actiones pias, per caritatem et humilitatem, per fidem absque hypocrisi, per prophetias et elevationes spiritus: et offerat tibi sacrificium purum et sanctum diebus omnibus, cum suffitu incensi, pro ignorantiis populi tui, flens perversitates et insipientias populorum qui sunt grex tuus. Educ eos ex laqueo peccati, ad colendam pietatem. Pacem super pacem concede omni populo tuo, omnibusque ovibus tuis per gloriam tuam. Da illi Domine potestatem Spiritus tui sancti, ut solvat vincula omnia quibus inimicus alligavit eum peccato: et membra Ecclesiae tuae divisa, da illi ut in unum reducat. Conserva Sacerdotium ejus inculpatum, usque in finem ut ministret tibi per sacrificium spirituale cunctis diebus secundum Ordinem summi Pontificis, qui in coelis est Domini nostri Jesu Christi, qui, etc.

Conversus ad Orientem dicit hanc Orationem.

Exorire Domine super nos, et super ministerium nostrum, et munda nos ab omni macula: mitte quoque desuper gratiam pontificalem super servum tuum hunc N. ut dignus efficiatur per beneplacitum tuum pascendi plebem tuam inculpate, et erigendi Ecclesiam

tuam: quia tu per voluntatem tuam misericors es, et decet ut tibi reddatur ab omnibus honor et adoratio, Pater, Fili et Spiritus sancte.

Conversus ad Occidentem dicit, Pax omnibus: *et signat pollice caput Ordinandi dicens.*

Promotus est in sancta Dei Ecclesia N. Archiepiscopus, in sancta Dei Ecclesia magnae urbis Alexandriae N. Archiepiscopus et Patriarcha, in sancta Catholica et Apostolica Dei Ecclesia praedictae magnae urbis Orthodoxorum Alexandriae, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Προεχειρήσθη ἐν τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ Δ. ἀρχιεπίσκοπος ἐν τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρίας Δ. ἀχιεπίσκοπος καὶ πατριάρχης ἐν τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ τῆς προονομασθείσης μεγαλοπόλεως τῶν ὀρθοδόξων Ἀλεξανδρίας, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρός, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Ἀμήν.

Induit eum stichario, et orarium imponit collo ejus, et phelonium dicens. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Postea ascendunt ad Synthronum, et senior Episcopus adoratione facta versus Orientem sedet super Synthronum, sedentque circa illum reliqui Episcopi, hinc et inde, secundum ordinem suum. Electus sedebit super scabellum infra, facie ad Orientem conversa.

Tum dabunt Systaticas literas legendas uni Diaconorum, qui legere probe sciat, quique ex Ambone eas recitabit: et post lectionem, Archidiaconus dicet has Orationes.

Iterum intente Dominum supplicemus pro pace, concordia, et stabilitate omnium sanctarum Ecclesiarum Dei Dominum deprecemur.

Ἔτι ἐκτενῶς ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν ὑπὲρ τῆς εἰρήνης, ὁμονοίας, καὶ καταστάσεως πασῶν τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro congregatione nostra, ut sit absque offendiculo, laudabilis, electa, Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς συνελεύσεως ἡμῶν, τοῦ ἀπρόσκοπτον, καὶ εὐχάριστον, καὶ ἐκλέκτην γίνεσθαι, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro praesentibus sanctis Episcopis, omni Clero, et Christum amante populo, oremus: Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῶν παρεστώτων ἁγίων ἐπισκόπων, παντὸς τοῦ κλήρου καὶ τοῦ φιλοχρίστου λαοῦ, παρακαλέσωμεν, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Ὑπὲρ τῆς ἐν πνεύματι ἁγίῳ βεβαίας καὶ εὐσεβοῦς αὐτοῦ καταστάσεως· τὸν ἅγιον ἱκετεύωμεν· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro firma ejus et pia in Spiritu sancto constitutione, sanctum supplicemus. Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς ἐγχειρισθείσης αὐτῷ ἐκκλησίας· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro Ecclesia ipsi commissa. Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς αὐτοῦ κατὰ θεὸν εὐαρεστήσεως· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro eo, ut Deo placeat. Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς εὐζωΐας αὐτοῦ καὶ πραότητος, καὶ ἐπιεικείας εἰς γνῶσιν εὐθύτητος· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro bona vita ejus, mansuetudine et modestia ad cognitionem rectitudinis. Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τοῦ καταξιωθῆναι ἡμᾶς τοῦ βραβείου τῆς ἄνω κλήσεως· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Ut digni efficiamur bravio supernae vocationis. Dominum deprecemur.

Πάντες ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ ἀλλήλων ἐκτενέστερον τὸν κύριον ἱκετεύσωμεν.

Omnes pro nobis ipsis, et mutuo intentius Dominum deprecemur.

Populus. Kyrie eleison, *ter.*

Senior Episcopus dexteram suam imponet super caput ejus dicens.

Vocamus N. electum servum Dei Archiepiscopum et Patriarcham, in Ecclesia defectus experte, sancta Dei invisibilis, et vivi, urbis Christum amantis, Orthodoxae Alexandriae, et regionis Aegypti, et finium ejus: ad gloriam et honorem sanctissimae et consubstantialis Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ad pacem et aedificationem Ecclesiae sanctae, quam formavit per Incarnationem suam, et per universam dispensationem suam, per crucifixionem suam, mortem et resurrectionem suam, Deus ex Deo, unigenitus Filius Patris, Dominus noster Jesus Christus: ad demonstrationem judiciorum veritatis, sanctarumque praedictionum; donorumque sacrorum: doctrinarumque illustrium fidelium, et resurrectionem ex mortuis, et pignus immutabile usque in aeternum. Amen.

Ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος ἄββα Δ. ἀρχιεπίσκοπος.

Populus clamat. Dignus, dignus, dignus est Pater N. Archiepiscopus.

Tum elevant super caput ejus quatuor Evangelia, et dum clamatur, Dignus est, *imponunt ea capiti ejus. Mox ea removent;*

seniorque Episcopus imponet manum dexteram suam super caput ejus: et clamabit Archidiaconus dicens.

Divina gratia quae infirma sanat, et deficientia replet, semperque providentiam gerit sanctarum suarum Ecclesiarum, promovet istum ex presbyterorum ordine in Archiepiscopum magnae urbis Alexandriae et regionis Aegypti, Nomorumque ejus. Oremus igitur omnes simul praesentes, ut veniat super eum gratia Spiritus sancti.

Ἡ θεία χάρις ἡ τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, καὶ πρόνοιαν ἀεὶ ποιουμένη τῶν ἁγίων αὐτῆς ἐκκλησιῶν, προχειρίζεται τὸν δὲ ἀπὸ πρεσβυτέρων εἰς ἀρχιεπίσκοπον τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρίας, καὶ κατ' Αἰγύπτου χώρας καὶ τῶν νόμων αὐτῆς. Εὐξόμεθα οὖν πάντες οἱ συμπάροντες ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος.

Populus. Kyrie eleison. *Ter.*

Tum. Concede.

Archidiaconus. Orate simul qui adestis sancti Episcopi.

Συνεύξασθε πάροντες οἱ ὅσιοι ἐπίσκοποι.

Tunc Episcopi omnes congregati, unus post alterum juxta ordinem suum, imponent manum dexteram suam super caput Electi orabuntque super eum, in hunc modum, dicendo.

Imponimus manus nostras super electum servum Dei N. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ad exaltationem, stabilimentum et confirmationem piae, unius, indivisibilisque Ecclesiae, Dei invisibilis et viventis, quam formavit per Incarnationem, universamque dispensationem suam, crucem, mortem, et resurrectionem suam a mortuis, Deus ex Deo, unigenitus Patris, Jesus Christus Dominus noster: ad demonstrationem judiciorum veritatis, sanctarumque praedictionum, donorumque sacrorum: doctrinarumque veracium de Trinitate sancta, immaculata et consubstantiali, per crucem sanctam. Ea enim est armatura fidelium: firmitas Ecclesiarum: securitas Sacerdotum: victoria regum: tranquillitas populi: resurrectio ex mortuis, et pignus incorruptibile usque in aeternum. Amen.

Et cum unusquisque eorum finierit, populus alta voce dicet.

Ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος ἄββα Δ. ἀρχιεπίσκοπος.

Dignus, dignus, dignus est Abba N. Archiepiscopus.

Post haec omnia senior Episcopus imponet ei Homophorium, quod est insigne dignitatis, super caput ejus, dependebitque ita ut descendat super pectus ejus: et dicit.

Ad laudem et gloriam Trinitatis sanctae, Patris, Filii, et Spiritus sancti: ad pacem et aedificationem sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae Dei: benedictus Deus in saeculum. Amen.

His peractis induetur omni ornatu Archiepiscopali: nempe Cidari, Homophorio et Orario, populusque alta voce dicet.

Ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος ἄββα Δ. ἐτμεταρχιεπίσκοπος.

Dignus, dignus, dignus est Abba N. Archiepiscopatu.

Tunc Archidiaconus dicet alta voce:

Ἡ θεία χάρις ἡ τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, καὶ τὰ διεστῶτα συνάπτουσα· ἡ πᾶσαν ἀγαθὴν πρόνοιαν ποιοῦσα τῶν ἁγίων αὐτῆς ἐκκλησιῶν, ἐνθρονίζει Ἄββα Δ. τὸν ἁγιώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῆς μεγάλης, φιλοχρίστου τῶν Ἀλεξανδρέων πόλεως, καὶ πάσης κατ' Αἰγύπτου χώρας καὶ τῶν νόμων αὐτῆς, ἀντὶ ἄββα Δ. τοῦ ἐν ὁσιότητι πατρὸς τὴν μνήμην λήξαντος καὶ πρὸς Θεὸν ἐνδημήσαντος. Συνεύξασθε οὖν καὶ ἡμεῖς ἐκτενῶς, πρὸς κύριον πάντες, ὅπως τε καὶ ἐπ' αὐτὸν ἡ δωρεὰ τοῦ οὐρανίου κλήσεως, καὶ ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσῃ. Εἴπωμεν πάντες κύριε ἐλέησον.

Divina gratia quae infirma sanat, et deficientia supplet, et disjuncta conjungit, omnemque bonam providentiam gerit sanctarum suarum Ecclesiarum, inthronisat Abba N. sanctissimum Archiepiscopum, magnae et amantis Christum urbis Alexandrinorum, et universae regionis Aegypti et ejus Nomorum, in locum Abba N. qui in sanctitate diem suum obiit, et ad Deum migravit. Orate igitur nobiscum intente ad Dominum omnes, ut veniat quoque super illum donum coelestis vocationis, et descendat gratia sanctissimi Spiritus. Dicamus omnes.

Populus. Kyrie eleison.

Senior Episcopus dicet hanc Orationem conversus ad Orientem.

Gratias agimus tibi Domine omnipotens pro omnibus et in omnibus, benedicimusque et glorificamus nomen tuum sanctum; quia fecisti nobiscum magnalia, et effudisti donum tuum abundanter super istum servum tuum. Rogamus et obsecramus te Domine, exaudi nos per magnam misericordiam tuam, ut complaceas in ordinatione ista Archiepiscopalis dignitatis, quae facta est erga servum tuum N. sanctissimum Archiepiscopum, per illapsum Spiritus tui sancti super eum. Conserva etiam vocationem electionis ejus in sanctitate et

puritate; et elige nos cum eo ad bonum, ut operemur, et accipiamus talentum cum lucro, utque recipiamus, cum omnibus qui ab initio fecerunt voluntatem tuam, mercedem oeconomi prudentis et fidelis, in adventu Domini, Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui, etc.

Tunc senior Episcopus descendet de Synthrono, et secundus ab eo, constituentque Electum in gradu Synthroni: tenebuntque manus ejus, et antiquior dicet hanc exclamationem.

Inthronisamus caput gregis N. divinitus electum Abba N. Archiepiscopum per Psephisma sublime, et communicationem operum mirabilium Spiritus sancti, super hanc cathedram hujus sanctae Ecclesiae Catholicae. Orate omnes quicumque hic congregati estis, ut Dominus gloriae conservet illum annis multis, temporibus tranquillis, absque turbatione, tumultu et scandalo. Praeserva eum Domine illaesum, et imperturbatum, perficientem voluntatem tuam, secundum honoris amplitudinem, quae decet nomen tuum sanctum, ad salutem, et gloriam amantis Christum populi.

Archidiaconus. Dicamus omnes intente orantes. Kyrie eleison.

Senior Episcopus alta voce dicet.

In nomine sanctissimae Trinitatis consubstantialis et vivificantis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti: loco beati Archiepiscopi N. inthronisamus super istam urbem Christi amantem Alexandriam, Abba N. vocatum divinitus per suffragium sanctum, primum Presbyterorum, et Archiepiscopum: ad laudem et gloriam Trinitatis indivisae: ad aedificationem, tranquillitatem et firmitatem fidei: ad pacem et confirmationem hujus cathedrae purae et splendidae: et ad serenitatem imperturbatam venerabilis Ecclesiae Dei.

Populus clamat. Dignus. Dignus. Dignus.

Tunc collocant eum super thronum, et ter surgere faciunt: Episcopusque senior dicit.

Collocamus Abba N. Archiepiscopum super thronum sanctum, Apostolicum et Evangelicum Patris nostri sancti, divina loquentis Marci, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Populus. Dignus. Dignus. Dignus.

Postea collocant eum in throno, ita ut non se moveat: ponuntque Evangelium secundum Marcum in sinu ejus, et omnes Episcopi osculantur eum, salutantque Clerus et omnis populus.

Deinde Diaconi dicunt alta voce sermonem inthronisationis, ex Ambone: et postea Audi, *tono producto.* Multos annos*: et laudes*

de Hierarchia, et alias quae dignitati Pontificali conveniunt: deinde Prologum, et Psalmum. Denique dabitur ei caput 23. Evangelii secundum Joannem, cujus hoc est initium.

Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium.

Et quotiescumque dicet, Ego sum Pastor bonus. *Omnis populus clamabit,* Dignus. Dignus. Dignus est.

Mox dicent finem Psalmi 109.

Juravit Dominus et non poenitebit eum: tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis.... Propterea exaltabit caput.

Evangelium secundum Joannem cap. 23.

Amen Amen dico vobis qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro. Qui vero intrat per ostium, pastor est ovium: huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et vocat oves suas nominatim. Cumque egrediuntur omnes, ipse ante eas vadit, et oves eum sequuntur, agnoscuntque vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo quia non noverunt vocem alieni. Hanc parabolam dixit eis Jesus, ipsi autem non intellexerunt quid loqueretur eis. Iterum igitur dixit eis Jesus. Amen, Amen dico vobis, ego sum ostium ovium: omnes qui venerunt ante me fures sunt et latrones; idcirco non audierunt eos oves. Ego sum ostium ovium: omnis qui introierit per illud, salvabitur, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet. Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat: ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. Ego sum Pastor bonus.

Tunc senior Episcopus dicit expanso interea Evangelio super caput Patriarchae.

Dignus. Dignus. Dignus est N. Patriarchatu et Archiepiscopatu super magnam urbem Alexandriam et universam regionem Aegypti, et omnes fines ejus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Populus clamans dicit. Dignus est Abba N. Archiepiscopatu.

Patriarcha resumit et perficit lectionem capitis Evangelii.

Bonus pastor dabit animam suam pro ovibus suis: mercenarius autem et qui non est pastor, cujusque non sunt oves propriae, ubi videt lupum venientem, fugit et relinquit oves: lupusque rapit et

dispergit eas: quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus: cognoscoque meas et cognoscunt me meae.

Hic senior Episcopus expandit Evangelium super caput Patriarchae, sicut prius fecerat.

Sicut novit me Pater et ego cognosco Patrem et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus Pastor.

Postea Patriarcha dicet Orationem veli ex Liturgia S. Basilii quae incipit. Deus qui propter amorem tuum erga homines, *et prosequitur Liturgiam secundum consuetudinem, distribuetque sancta mysteria, et populo benedicet. Tum post Orationem pacis ultimam, canent coram eo ab altari usque ad Secretarium, sive Sacristiam. Exuent deinde illum vestimentis Liturgicis seniorque Episcoporum induet eum stola nigra, collocabitque eum super Thronum, canentque coram eo Clerus et omnis populus laudes convenientes.*

Cum exibit de Ecclesia Catholica, ut eat ad Patriarchium S. Marci, vehetur jumento suo: similiterque omnes Episcopi: omnisque populus eum sequetur, ferenturque coram eo vexilla quibus cimelia ornantur diebus festis: simulque tres cruces, et imago S. Marci Evangelistae.

Reliqui omnes ex Clero eum comitabuntur, prosequentes cum honore magno, circuitumque facient per medium urbis: cumque pervenerint ad tetrapylon, consistent; Episcopusque senior dicet hanc Orationem.

Dicamus omnes intente; deprecamur te: Domine exaudi. Kyrie eleison.

Εἴπωμεν πάντες ἐκτενῶς· δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Domine omnipotens, coelestis, Deus patrum nostrorum, deprecamur te Domine exaudi. Kyrie eleison.

Κύριε παντόκρατορ ἐπουράνιε, ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Pro pace, concordia, et stabilitate totius mundi, et unione omnium sanctarum Dei Ecclesiarum: deprecamur te Domine exaudi: Kyrie eleison.

Ὑπὲρ τῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας καὶ καταστάσεως τοῦ σύμπαντος κόσμου, καὶ ἑνώσεως πασῶν τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, δεόμεθά σου κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Ὑπὲρ τοῦ διαφυλαχθῆναι ἡμᾶς, ὑπὸ τὴν ἁγίαν καὶ κράταιαν χεῖρα τοῦ Θεοῦ, καὶ σκεπασθῆναι ἀπὸ παντὸς πονηροῦ, καὶ κατευοδωθῆναι· περὶ δὲ πάντων τῶν προκεκοιμημένων ἡμῶν, κατὰ τὸ ἔλεός σου, καὶ κατὰ τὸ θέλημα Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ δεόμεθά σου, καὶ κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν ἡμῶν καὶ συγχωρήσεως παντοίων πλημμελημάτων ἡμῶν· καὶ τοῦ ῥυσθῆναι, καὶ σωθῆναι ἡμᾶς ἀπὸ πάσης θλίψεως, ὀργῆς, κινδύνου, ἀνάγκης, παντὸς πειρασμοῦ, καὶ ἐπαναστάσεως ἐχθρῶν, τε καὶ ἐθνῶν, δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Ὑπὲρ τῆς ἁγίας Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν πόλεως ταύτης, καὶ πάσης πόλεως, καὶ χώρας, καὶ τῶν ὀρθοδόξων ἐν πίστει καὶ εὐσεβείᾳ οἰκούντων ἐν αὐταῖς, εἰρήνης καὶ ἀσφαλείας αὐτῶν, δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Καὶ ὑπὲρ τοῦ συγχωρηθῆναι ἡμῖν πᾶν πλημμέλημα, ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον, καὶ τοῦ προσδεχθῆναι τὴν δέησιν ἡμῶν, καὶ καταπεμφθῆναι τὰ ἐλέη τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς αὐτοῦ ἐπὶ πάντας ἡμᾶς, κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν ἱκετεύσωμεν.

Ut conservemur omnes sub sancta et potente manu Dei et protegamur ab omni malo, deducamurque in viam rectam: et pro omnibus qui ex nobis obierunt, secundum misericordiam tuam, et secundum voluntatem Christi Dei: deprecamur te, Domine exaudi nos: Kyrie eleison.

Pro remissione peccatorum nostrorum, et pro venia omnium criminum nostrorum, utque salvemur ab omni oppressione, ira, periculo, necessitate, omni tentatione et insurrectione hostium et gentium: deprecamur te, Domine exaudi: Kyrie eleison.

Pro sancta hac urbe Christi Dei nostri, et pro omni urbe et regione, et pro Orthodoxis fide et pietate conspicuis, qui in illis habitant: ut etiam pro pace et securitate illorum: deprecamur te, Domine exaudi. Kyrie eleison.

Et ut condonetur nobis quodcumque delictum voluntarium aut involuntarium: utque suscipiantur deprecationes nostrae, et mittantur misericordiae et miserationes Dei super nos omnes, Dominum Deum nostrum suppliciter deprecemur.

Populus. Kyrie eleison.

Patriarcha extendet manus suas dicetque hanc Orationem.

Domine Deus omnipotens, Pater Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, rogamus et obsecramus tuam erga homines caritatem Domine; protege hanc urbem et omnes qui in ea sunt in fide Orthodoxa: libera eos a fame, morte, exilio, terrae motu, submersione et incursu hostium, atque a gladio extraneorum. Visita eos Domine per bonitatem tuam: Discidia et insultus haereticorum atheorum dissolve: exhibe illos filios lucis: facque illos dignos regno coelorum; per gratiam, misericórdiam et caritatem erga homines unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi: gloria sit tibi cum eo, et Spiritu sancto nunc, etc.

Pax omnibus.

Tum dicet alta voce.

Praeveniant, et cito anticipent nos misericordiae tuae Domine, quia pauperes facti sumus nimis: adjuva nos Deus salvator noster.

Populus. Kyrie eleison.

Patriarcha dicit. Gloria et honor nomini tuo sancto, Pater, Fili et Spiritus sancte; nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Postea psallent coram eo, usque dum ascenderint ad Patriarchium: et collocabunt eum in sedili suo, recitabunt coram eo laudis gratia carmina et encomia; illumque prostrati venerabuntur. Celebrabitur quoque per tres dies festum, ad repraesentationem mysterii, ejus qui a mortuis resurrexit tertia die. Prima die inthronisabunt eum in Ecclesia Angelion dicta: die secunda in Ecclesia sancti Michaelis Archangeli Axumitarum: die tertia in Ecclesia sancti Marci in coemeterio. Ubi compleverit Liturgiam sanctam die tertia, sedebit et accipiet caput sanctum D. Marci Evangelistae in sinu suo, utpote qui successor ejus factus est.

Et Deo gloria in aeternum. Amen.

Exemplum Psephismatis ad electionem Patriarchae.

In Nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti: Trinitatis sanctae et indivisae in una deitate. Is est Deus noster, Christianorum Orthodoxorum: qui est spes nostra ad ultimum usque vitae spiritum,

et cui sursum mittimus laudem et gloriam nos et omnis plenitudo Catholicae et Apostolicae Ecclesiae Dei, et omnes Orthodoxi congregati, sanctissimi Episcopi, simul cum Presbyteris: Diaconi universusque populus, Christum amantis urbis Alexandriae et totius regionis Aegypti.

Cum supervenerit nobis calamitas orbitatis, et dolor maximus ex eo quod cursum vitae hujus complevit beatus Pater noster et sanctissimus Archiepiscopus Abba N. et obiit plenus virtutibus, qui sanctas omnes promissiones percepit, bona sui relicta memoria, et ad Deum quem amabat migravit, audivitque ab ipso vocem hanc gaudii plenam. Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Ita nos orphani facti sumus, et Ecclesiae sanctae Dei viduatae paternitate ejus, quas doctrina sua pascebat; et idcirco magno studio et ferventi, omnes Deum precati sumus, ut manifestaret nobis, quinam illo summo Pontificatu dignus foret, ad pascendum nos in via Domini nosque dirigendos ad portum Ecclesiae. Cumque perspectum haberemus amorem erga patres suos, urbis amantis Christum Alexandriae, piumque affectum civium illius, quodque orphani remanere diutius nollent, eapropter nobis visum est perficere opus Dei. Invocavimus igitur Trinitatem immaculatam, ut nobis designaret, quis foret idoneus ad hanc mediationem, ut illum promoveremus ad gradum Ordinis istius Pontificalis: et ex superna electione, et operatione Spiritus sancti consensuque omnium nostrum, plenaque certitudine, designavit nobis Deus ut respiceremus ad N. religiosissimum Presbyterum et Monachum, celebris Monasterii N. et elegimus eum Archiepiscopum super thronum Apostolicum admirabilis Marci divinitus locuti et Evangelistae, qui est magnae urbis Alexandriae, universaeque regionis Aegypti et finium ejus. Est enim vir divino cultui addictus, ornatus prudentia, peregrinorum amans, doctus, temperans, veritatis Evangelii studiosus: et constituimus eum pastorum principem, et Archiepiscopum, ad confirmationem et directionem et reformationem sanctarum Dei Ecclesiarum salutemque animarum: utque pascat nos cum omni mansuetudine et benignitate, ut referamus tibi laudes gratiarum actionis, et exaltemus eum qui benefecit nobis salvatorem nostrum Jesum Christum in saecula. Amen.

Nos vero Episcopi congregati hanc electionem, Psephismate contentam, consensu et testimonio nostro probavimus, cum omnibus

nobiscum congregatis Deo dilectissimis Clericis, et laboriosis monachis, populoque Deum amante, magnae urbis Alexandriae: ad laudem et gloriam Patris, Filii et Spiritus sancti nunc, etc.

Subscribent Episcopi testimonium suum, juxta ordinem suum hoc modo.

N. Episcopus, amantis Christum urbis N. consentio huic Psephismati, ut se habet.

Post Episcopos, tres Presbyteri Alexandriae, et tres Diaconi subscribent in hunc modum.

N. Presbyter aut Diaconus màgnae urbis Alexandriae testor ea quae scripta sunt in hoc Psephismate.

Si quis scribere nesciat, ejus loco alius subscribet in hunc modum.

Ego N. rogavi ut scriberetur nomine meo testimonium meum de hoc Psephismate.

Post illos subscribent Hegumenus Scetis, et aliquot viri primarii Alexandriae et Cahirae, testimonia sua.

In codice manuscripto subjicitur exemplum ejusdem Psephismatis Graece eodem omnino sensu, nisi quod quaedam voces a Coptitis non satis intellectae fuisse videntur: sententia tamen utraque lingua adeo similis est, ut nova ex Graeco versione opus non sit.

Exemplum Systaticae sive literarum ad omnes Episcopos Ecclesiasque scriptarum ad significandam electionem Patriarchae Alexandrini.

Nos Episcopi congregati per gratiam Dei scribimus amantibus Deum Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus: Patribus Monachis, primariis viris et virginitatem perpetuam professis Monialibus, omnibusque fidelibus Orthodoxis populi Christiani, qui est in magna urbe Alexandria Christum amante, et in Fostato seu Cahira Aegypti, omnibusque finibus ejus, ad Austrum et mare, Axumitas, Nubas, Almodiam, Macouriam, Aethiopiae regiones omnes et earum terminos, dilectis fratribus spiritualibus quos in Domino diligimus, salutem.

Canite tuba in Sion in diebus insignibus solennitatum vestrarum, dilecti nobis, propter altitudinem divitiarum et sapientiae et

scientiae Dei secundum opera, ejus inscrutabilia Domini, omnium nostrum Christi veri Dei: qui novit omnia antequam fiant: qui scrutatur corda et renes hominum: qui nunquam cessat a consilio cum Patre et Spiritu sancto, judicans secundum veritatem et aequitatem: apud quem reconditi sunt magni sapientiae thesauri. Ille igitur nuper tanquam Dominus verus suscepit ad se divitem omnibus bonis Patrem nostrum Patriarcham Abba N. qui obtinuit sortem sanctorum. Visum est igitur nobis prout necessitas exigebat, congregari secundum Canones Apostolicos unanimi consensu, nos scilicet Episcopi regionis Aegypti, simulque Clerus et populus magnae urbis Alexandriae, cum aliquibus ex primariis Aegypti. Habitoque inter nos consilio Deum obsecravimus ut nobis quod optimum factu esset manifestaret, suscepimusque iter ad deserta remota Scetis, et ad Nitriae montem, magnoque studio quaesivimus, quinam dignus foret magna illa Pontificali dignitate: qui pasceret nos in via Domini, et dirigeret nos ad portum Ecclesiae.

Cumque perspectus nobis esset amantis Christum urbis Alexandriae amor erga patres suos, sincerusque cordis affectus erga suos praesules, sciremus etiam nolle eos diutius orphanos remanere, idcirco visum est nobis perficere opus Dei, bonitatem ejus deprecantes, orantesque ardentissime, vigilantes per noctes in oratione, ut manifestaret nobis quis foret idoneus officio mediatoris, ut eum promoveremus ad gradum illum Ordinis Pontificalis. Ea propter matura deliberatione habita, convenit inter nos ut respiceremus ad servum Dei, Presbyterum et piissimum Monachum, habitantem in praeclara Laura sancti Patris nostri Abbatis N. ascetam, qui in eadem educatus est, a prima sua aetate sub pedibus Patrum nostrorum sanctorum: percepitque gratiam ipsorum, sicut Elisaeus cum Elia Thesbite, per habitum Angelicum: ut scriptum est in Apostolico sermone: scimus quoniam diligentibus Deum, adjuvat ipse illos ad omne opus bonum, iis qui vocati sunt secundum propositum voluntatis suae: et quos praescivit, hos et praedestinavit: et quos praedestinavit, hos vocavit: quos vocavit, hos et justificavit: et quos justificavit, illos glorificavit. Et iterum ait Apostolus: nemo solus accipit honorem ex se ipso, sed qui vocatus est a Deo tanquam Aaron: ita omnes qui post eum venerunt secundum tempora et generationes, huc usque et usque ad consummationem hujus saeculi.

Cum autem certam notitiam habeamus illius profectus juxta testimonium omnium senum qui sunt in deserto, et qui eum ad nos adduxerunt veluti dignum, testimoniumque de eo perhibuerunt tanquam idoneo, qui ad hunc dignitatis gradum assumeretur. Igitur adjutore Deo autore bonorum omnium qui elegit eum secundum vocationem coelestem, promovimus eum ad hunc gradum illustrem pontificatus, ut sit nobis pater et pastor, ut pascat nos in pascuis uberibus doctrinae verae. Idcirco elevavimus eum ad successionem Evangelistae divinitus loquentis sancti Marci, et repletus est charismatibus omnibus spiritualibus, et coelestibus, ex quo accepit gratiam Paracliti per voces Apostolicas, cum eum induimus stola pontificali, nutu Dei, et Apostolorum ejus: sanctorum electorumque discipulorum: factusque est Pontifex, pastor et doctor, cum accepit talem potestatem a Deo Rege coeli et terrae, ad ligandum et solvendum, ordinandos Episcopos, constituendosque Clericos ad ejus sanctuarium, ad consecranda altaria, et ad Encoenia Ecclesiarum Oratoriorumque celebranda: exercendamque potestatem quam Dominus noster Jesus Christus dedit Apostolis et discipulis suis: ut congreget electos mysteriis Ecclesiae initiatos; ut consecret Myron mysticum, secundum mysterium venerandum excelsi et coelestis conjugii, quo ornata est ea quae vocatur sponsa Christi: ut celebret regenerationem in Spiritu sancto secundum praeceptum Christi Dei nostri, cujus vicarius factus est, mediatorque inter eum et nos: secundum ordinem Moysis viri Dei, qui legem constituit: et Aaronis Levitae, qui praepositus est ministerio tabernaculi testimonii. Constitutus quippe est in nomine Domini Jesu Christi; repletusque Spiritu sancto, factus est homo novus per dignitatem magnam quae illi a Deo benigne concessa est, ipso qui exaltat humiles, sicut de stercore erigit pauperem, ut sedere eum faciat cum principibus populi sui. Repleti itaque sumus gaudio perpetuo et laetitia aeterna, quod elegimus eum mediante Jesu Christo Verbo Patris: qui incarnatus est ex Virgine, et homo factus est, passionem sustinuit, et mortuus est in carne, et resurrexit a mortuis tertia die. Et ascendit in coelum seditque ad dexteram Patris: et misit Spiritum Paraclitum super Apostolos suos sanctos, perfecitque eos, ut sancti essent in ordine coelestium. Illi vero ordinaverunt Ecclesiam in quocumque loco in unitate fidei, et congregaverunt eos qui dispersi erant, elegeruntque eos qui digni erant, providentia laudabili.

Credimus quoque, in Domino nostro Jesu Christo confidentes, quod illum nobis fecerit patrem dignum, bonum et perfectum. Rogamusque Deum qui illum nobis elegit, ut concedat ei gratiam sermonis, aperiendo os ejus ad profectum animarum nostrarum: utque nos propter hanc ejus electionem faciat immunes ab omni peccato, et propter vocationem, quam accepit, fiat pax et salus populorum omnium Orthodoxorum; nobisque omnibus largiatur abundantiam misericordiae suae: per intercessiones Dominae omnium nostrum Deiparae sanctae, semperque Virginis D. Mariae: et per orationes Patris nostri sancti beatissimi Marci Apostoli et Evangelistae: patrisque nostri deiferi, et gloriosissimi Severi Patriarchae, et totius chori sanctorum acceptorum coram Domino nostro Jesu Christo.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unigenitum Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, in unitate indivisa. Illum vere, ut patrem in propria persona notum, Filium esse agnoscimus: duo enim non sunt Filii, sed Filius unus, unigenitus, non per gratiam, aut conjunctionem.

Credimus etiam in Spiritum sanctum: carnis resurrectionem, et sanctam Ecclesiam Catholicam. Deus autem det nobis verbum doctrinae ad aperiendum ora nostra, ut vivamus secundum vitam rectam, et in omnibus pietatem coram illo servantes, per Dominum nostrum Jesum Christum: per quem sit gloria laus et honor Patri simulque Spiritui sancto, nunc, etc.

Epistola Systaticae adjungi solita.

Haec est Epistola Systatica Abba N. sanctissimi Archiepiscopi magnae urbis Alexandriae, Fostatique Babylonis, regionumque Aegypti, Mares seu Thebaidis et Pentapoleos Africae; regionumque Aethiopiae et Nubiae, Axumitarum et Macureae, provinciaeque superioris. Nos Episcopi congregati eam subscriptione firmavimus, celebravimusque benedictam ejus ordinationem, ejusque inthronisationem super cathedram divina loquentis Marci, in Catholica et Apostolica Ecclesia Dei, juxta consuetudinem canonicam: eamque manus nostrae subscriptionibus confirmavimus, secundum ea quae in ipsa continentur: ad gloriam Dei. Amen.

AD OFFICIUM ORDINATIONIS
PATRIARCHAE ALEXANDRINI
OBSERVATIONES.

Officium Ordinationis Patriarchae Alexandrini Jacobitarum, nusquam antea editum, interpretati sumus ex Codice accurate et eleganter scripto Bibliothecae Seguierianae Coptico et Arabico. Illud suis linguis illis dedissemus, nisi characteres defecissent, quorum ut aliorum omnium Orientalium periit omnis apud nos memoria; cum tamen eos quorum in Editione Bibliorum Polyglottorum Parisiensium usus fuit, summa prae caeteris fuerit elegantia, nam ad typos insignis Typographiae Mediceae formati fuerant. Quod supererat, accuratam ut existimamus, versionem illius Officii habebunt Orientalis disciplinae Ecclesiasticae studiosi, qui sane multis ad eam penitius cognoscendam praesidiis destituti huc usque fuerunt. Nam Vir Clarissimus, et qui laudabilem in originibus Ecclesiasticis illustrandis operam navavit Joannes Morinus, de Coptitarum Ordinationibus nihil habuit, praeter aliquot Officia quae ex Leonis Allatii Symmictis translata, Commentario suo adjecit, et Codex unde interpretatio facta est, integer non erat. Ipsa vero ejusmodi est, ut quemcumque autorem habuerit, eum utriusque linguae Copticae et Arabicae, tum disciplinae imperitissimum fuisse statim deprehendat, quicumque mediocrem linguarum aut rerum Orientalium notitiam habuerit. Cum vero justum de Ordinationibus secundum disciplinam Orientalem Commentarium paratum habeamus, in quo multa, quae ad Patriarchae ordinationem pertinent, cum aliis observationibus referemus, pauca tantum et necessaria notae sequentes continebunt. Interea comparari non sine fructu poterunt cum isto Officio, quae Morinus publici juris fecit Graeca et Syriaca, inter quae et Alexandrina, similitudo maxima intercedit; neque id mirum cum omnia ex eodem fonte prodierint. Orientalia enim Officia omnia Graecae sunt originis: nec in Eucharistiae modo consecratione sed in omnibus Sacramentis. Cum autem pleraeque caeremoniae, et orationes quae ad consecrandum Patriarcham Alexandrinum usurpari solent, ab illis quae Ordinationi Episcoporum propriae sunt non multum differant, ea tantum attingemus quae singularia sunt, idque quantum poterimus brevissime. Nam Historia Patriarcharum Alexandrinorum nuper edita, praecedensque Dissertatio, Commentarii cujusdam ad hanc Ordinationem loco esse possunt, cum nulla re magis disciplina, quam exemplis confirmetur.

Conditiones quae requiruntur in eo qui ad Patriarchalem dignitatem eligitur, paucis comprehendit Rubrica initialis: et illae omnes in Dissertatione

exemplis, et autoritatibus confirmatae sunt. Ex illis manifestum est, majorem prorsus Coptitis quam Graecis disciplinae in eligendo Patriarcha curam fuisse, cum isti plerumque non alios quam Constantinopoli missos Patriarchas habuerint, nulla suffragiorum Cleri aut plebis habita ratione. Accedit et peccatum illud contra Canones, Graecis dudum familiare, translatio scilicet Episcoporum, adeo ut pauci admodum reperiantur, qui prius alteri Ecclesiae alligati non fuerint. At nihil simile huc usque apud Coptitas observatum est, laudabili sane exemplo, a quo longius Jacobitae Antiocheni dudum recesserunt, omnium longissime Nestoriani, ut alibi fusius exposuimus.

Patriarchas Alexandrinos, scriptores plerique semper ex ordine Monastico eligi, tam secure affirmant, ut omnibus id prope persuaserint. Fuerunt tamen ad eam dignitatem promoti nonnulli ex Clero, qui Monasticam vitam professi non fuerant. Verum est tamen, nullum nisi qui Monasticam vitam professus fuerit, ordinari Patriarcham: sed quomodo haec duo quae contraria videntur possint conciliari, ex hoc Officio, et autoribus variis discimus. Nempe si Monastici ordinis non est, is qui eligitur, habitus integer quem *Askim* vocant, a Graeca voce Σχῆμα illi statim imponitur, quae caeremonia integram vitae Monasticae professionem ita continet, ut statim omnibus illius regulis teneatur, jejunii praesertim et abstinentiae. Nullus igitur ordinatur Patriarcha, qui Monachus non sit cum ordinatur, quia vitam religiosam si prius professus non fuerit, ante ordinationem profitetur. Adjicitur Archimandritae seu Archipresbyteri dignitas, quae in Ecclesia Coptica eadem est, quia propriam Ordinationem habet: necessariam vero esse judicant Alexandrini Jacobitae, ut qui Ecclesiasticis omnibus praeest, omnes Ordines susceperit.

Quae de Patriarchae electione in Dissertatione dicta sunt, ex Pontificali confirmantur, ex quo etiam agnoscitur quae sint in suffragiis ferendis Episcoporum partes, quae Cleri inferioris, Monachorum et Laïcorum, in qua sane supersunt veteris Ecclesiasticae disciplinae veneranda vestigia. Eam vero non ut jam ubique passim ab aliquot saeculis, in solis libris extare, certissimum faciunt exempla ex Historia Patriarchali varia, quibus electionem Patriarcharum secundum illas regulas celebratam fuisse constat. Mirum sane et observatione dignissimum, per annos prope septingentos, nullum favore Principum, etiam sub Muhamedanae gentis legum omnium contemptricis tyrannide, ad summam illam dignitatem evectum fuisse. Nam Cyrillus Laklaki filius in quo historia desinit, etsi praeceptis Yubidarum Sultanorum munitus, magnisque amicorum opibus subnixus prensaret, repulsam tamen per annos circiter viginti passus est, neque eligi potuit, nisi postquam longae vacationis taedio, in ejus tandem electionem Coptitae consenserunt. Animadverti etiam potest quae fuerit Comitiorum Patriarchalium forma, in quibus populus simul cum Clero, proponebat eos quos Pontificatu dignos judicaret: Episcopis tamen plenum servabatur de electi dignitate aut indignitate judicium, quod jus ut exempla multa docent, constantissime retinuerunt. In actis igitur et in-

strumentis electionis loquuntur primo loco Episcopi, et testimonium dant consensus Sacerdotum, totiusque Cleri, Monachorum et Laïcorum.

Nec etiam praetereunda singularis observatio circa Hierarchiae Alexandrinae Jacobiticae dispositionem. Nullius enim Metropolitae mentio est, sed neque Archiepiscopi, cum solus Patriarcha titulum hunc honoris habeat. Itaque duo Episcopi seniores, tractus maritimi, seu inferioris Aegypti, et Australis, sive Aegypti superioris, primum in Ordinatione locum tenent: quod non factum fuisset, si quis Archiepiscopus, aut Metropolita intervenisset, nam illis ex jure communi is honor competebat. Verum omissa quaestione quae a viris doctissimis tractata est, an ut ab aliquot saeculis in Ecclesia Graeca, ita olim Aegyptus Metropolitas habuerit, an solos Episcopos; saltem ex omnibus Ecclesiasticis Coptitarum monumentis constat, nullos apud eos Metropolitas aut Archiepiscopos fuisse, praeter Alexandrinum. Observatur tamen saeculo duodecimo Damietae Metropolitam appellari Michaelem quemdam Marco filio Zaraae aequalem: et Cyriacus cujus aetas ignoratur, in titulo cujusdam Liturgiae Aethiopicae, quae illi tribuitur, vocatur Archiepiscopus Behnsae, quae urbs erat Thebaïdis. At nullo historiae loco observatur quidquam, unde Damietensem, et Behnsanum, dignitate reliquos Episcopos antecessisse, vel in eos jus aliquod exercuisse, demonstretur. Id si unquam, sane in Comitiis Ecclesiasticis ad electionem et Ordinationem Patriarcharum, locum habuisset: et cum plurium accuratam narrationem habeamus, semper seniores Episcopos duos electioni praefuisse, et Electo manus imposuisse agnoscimus. Imo inter tot Episcopos qui in Historia Patriarchali nominantur, nullos alios tali titulo honestatos reperimus. Fuit igitur simplex, quantum conjicere possumus, honoris praerogativa, cujus rationem ex conjectura nullam dare melius est, quam divinando lectores in errorem inducere. Neque Graecorum Notitiae ullius ad quaestionem elucidandam momenti sunt, cum recentiores sint, nihilque cum Copticarum Ecclesiarum divisione commune habeant; qua de re quantum opus erat dictum fuit.

Illud quoque singulare et Jacobitis Alexandrinis proprium, ut Africanae Ecclesiae veteris exemplo, Episcopi ex ordinationis suae antiquitate primatum quemdam obtinerent. Unus tamen inter omnes senior Episcoporum dicebatur, quamvis duo, unus Maritimae provinciae, alter Australis, sive superioris Aegypti antiquiores Episcopi, primas in electione et Ordinatione Patriarcharum partes haberent. At senior omnium Comitiis Patriarchalibus praesidebat, ut de Mose Episcopo Wissim, et aliis nonnullis narrat historia. Verum jus nullum aliud exercebant, quale Primates Africani, non modo quod Synodos convocare non possent, neque enim id Muhamedani patiebantur, nisi ad eligendum Patriarcham, sed neque Ordinationum Episcopalium suis in Dioecesibus ab illis celebratarum occurrunt exempla. In Psephismatis etiam, quae statim atque omnium suffragiis electus aliquis fuerat, conficiebantur, seniores illi Episcopi non suo nomine, sed reliquorum Episcoporum, Cleri, Monachorum et Laïcorum loquebantur, et tanquam primi inter pares, absque ulla prae reliquis, honoris amplitudine.

Servavit etiam nobis Seguierianus Codex insigne monumentum Psephismatis ad electionem, tum Systaticarum Epistolarum, tribus linguis Graeca, Coptica et Arabica. Duabus enim ultimis illius lectionem ex Ambone fieri, Ebnassalus, Abulbircat et alii scripserunt, quamvis ex quibusdam exemplis in historia perscriptis, Graece quoque instrumentum illud lectum fuisse constet. Ita factum ex eodem Codice intelligimus, eo certius, quod integram formam Psephismatis Graece refert, mire quidem ex imperitia linguae corruptam, non tamen ita, ut sincera lectio agnosci non possit. Coptica etiam forma longe accuratior illa est, quam Abulbircat et alii autores repraesentant, qui Graecam formulam videntur ignorasse: non intellexisse saltem certissimum est.

Sequitur in Pontificali, duos seniores illos Episcopos solos, Electo manus imponere, quod non ita accipiendum est quasi tota Ordinationis series ab illis perficeretur. Nam antiqui Canones, quos Orientales omnes et Coptitae ipsi, in Collectionibus suis habent, et quos religiose observant, tres saltem Episcopos ad alium ordinandum requirunt: et ut ex Historia Patriarchali discimus, traditione quadam, sed non ejusdem autoritatis fulti, duodecim Episcopos necessarios esse volunt ad ordinandum Patriarcham; quod tamen nullum in veteri disciplina fundamentum habet. Ex praejudicata nihilominus hac opinione factum est, ut contra morem majorum, Aethiopibus a multis saeculis plures habere Episcopos non licuerit, per Alexandrinos Jacobitarum Patriarchas: ne si duodecim simul in Aethiopia reperirentur, possent suum sibi Metropolitam ordinare, nec Alexandriam recurrere illis necesse foret. Illa igitur manuum impositio quae duobus Episcopis senioribus reservatur, ea est quae cum primis caeremoniis et orationibus conjuncta est, per quam Ordinatio non perficitur; nam ut ex eodem Pontificali manifestum est, omnes tandem Episcopi Electo manus imponunt, et tunc ordinatus perfecte censetur.

De vinculis Electo injiciendis nihil dicendum occurrit, nisi mimum esse ex sincera quorumdam dignitatem fugientium reluctatione natum, non ex antiqua disciplina, quae tales ludos ignoravit. Sane paucos admodum legimus, quos pedicis constringere opus fuerit: unde quod semel aut iterum serio factum fuerat, in caeremoniam et ornatum degeneravit.

Observabimus quoque in eo loco, ubi Electus deduci jubetur ad Ecclesiam *Angelii*, ut in versione nostra expressimus, Coptitas affinitate nominis deceptos *Evangelii* scripsisse: *Angil* enim Arabice loquentes, *Evangelium* vocant. Verum hoc titulo Ecclesia Alexandriae nulla fuit: antiqua porro, et ad quam deduci novus Patriarcha solebat, *Angelii* dicebatur, ut expositum est in Historia Patriarchali.

Neque obiter praetereunda est vetus disciplina Graecae linguae in praecipuis orationibus, Psephismate, literisque systaticis conservatae, apud Christianos, qui eam a multis saeculis prorsus ignorant. Illos enim ignorantia veteris idiomatis non movit, ut vetustam Sacramenta celebrandi more et lingua majorum consuetudinem abjicerent, sed illam quoque in publicis quae ad Ecclesiam spectarent, actis et instrumentis constantissime retinuerunt. Nihil

magis ad communem Christianorum Coptitarum rem pertinebat, quam ejus designatio, qui omnium Pater et supremus sacrorum interpres, causarumque Ecclesiasticarum judex esse deberet. Illam quoque notam omnibus esse voluerunt, sed veteri disciplina servata, per interpretationem lingua vulgari, satis utilitati plebis consultum esse judicaverunt.

Quae superessent observanda, cum non Alexandrinis singularia sint, sed Pontificalibus quibuscumque Ordinationibus communia, praetermittimus, quia suo loco accuratius explicabuntur. De unctione Patriarchae Alexandrini nihil in hoc Pontificali praescribitur, et sane illam ignorant Orientales, non minus in Episcoporum quam in Presbyterorum Ordinationibus, ut docuit pridem Joannes Morinus: neque Pontificales libri veteres aut recentiores, Symeon Thessalonicensis aut alii illius meminerunt, eamque usurpatam olim fuisse negat Arcudius. Nam quod dubitare visus est, inductus testimonio Jobii Monachi autoris obscuri, an aliquando usus illius fuerit, nimium illi tribuit, homini imperito nihil minus quam Theologo, et quem insigniores Theologi aut ignoraverunt aut contemserunt, cum vix nomen ejus in illorum scriptis occurrat. Multo inferior, vel nulla potius habenda est autoritas perditissimi nebulonis Cyrilli Lucaris, qui in Epistola bene longa ad Joannem Utenbogardum, Patriarchas Alexandrinum et Hierosolymitanum Chrismate sive Myro ungi solere testatus est. Illam Epistolam cujus exempla diu inter manus Protestantium jactata sunt, ante multos annos editam, inter alias Illustrium Virorum, tanquam novam, et ex authentico descriptam nuper publicavit Autor, si quis unquam fuit imperitissimus Graecarum rerum Ecclesiasticarum, qui splendido *Monumentorum authenticorum* titulo farraginem suam inscripsit. In eadem multa sunt aeque falsa, quae summam Cyrilli ignorantiam satis demonstrant, cujus probationes certissimas dedimus alibi. Cum vero ad Utenbogardum scriberet, Calvinismum ita leviter degustaverat, ut in multis Ecclesiae Graecae fidem tueretur, in illis maxime rebus, quae Protestantibus graves adeo judicatae sunt, ut secedendi ab Ecclesia Catholica causam, ut existimabant, sufficientem dederint. Illis in locis lacunae plures occurrunt, non ab autore aut casu, sed certo consilio interjectae, quae malam fidem editorum satis indicant. Cum vero Cyrilli ignorantiam alibi certis argumentis demonstraverimus, maxime in rebus vulgatissimis, ne tali autoritate quisquam in errorem inducatur, non est metuendum.

Lib. 6. c. 1. de sacr. Ordin. Exercit. 6. c. 1.

IN LITURGIAM AETHIOPICAM PRAEFATIO.

Alexandrinis Liturgiis Copticis et Graecis, quarum versiones edidimus, subjungere visum est Aethiopicam: tum ob argumenti similitudinem, tum quod a multis saeculis, nempe statim post subactam a Muhamedanis Aegyptum, Aethiopes ab Ecclesia Alexandrina Jacobitica fidem, disciplinam, et suas ipsas Liturgias acceperunt. Dudum prima, quae in praecipuis sacri Officii partibus ex Coptica translata est, Aethiopice edita fuit Romae anno MDXLVIII. *simul cum Novo Testamento curante Petro Aethiope, Comos seu Archimandrita, qui aliter* Tesfa-Sion *appellabatur. Anno sequenti Latina versio primae Liturgiae edita est hoc titulo.* Missa qua Aethiopes communiter utuntur, quae etiam Canon universalis appellatur, nunc primum ex lingua Chaldaea, sive Aethiopica, in Latinam conversa. *Illa statim Bibliothecae Patrum inserta est, et in omnibus quae deinde repetitae sunt editionibus inter alias collocata, sed qualis a prima manu prodierat. Breves tantum locis aliquot notas adjecit Margarinus Bigneus, nullius ad illam explicandam utilitatis. Existimavimus olim versionem illam, cum sub oculis Aethiopum facta fuisset, et aliquot eruditi viri inter quos Marianus Victorius eidem operam impendissent, fidelem esse, atque adeo de ea solummodo recudenda, et aliquibus necessariis notis illustranda cogitabamus. Verum statim atque illam cum Aethiopico exemplari comparare coepimus, tam multa quae emendatione indigebant occurrerunt, ut novae interpretationis molestia fuerit cum maximo taedio devoranda. Nam saepe interpretes quicumque illi fuerint, orationis Aethiopicae sententiam assecuti non sunt, non pauca mutaverunt, alia transposuerunt, praeter insignes aliquot locos, ut in Invocatione Spiritus sancti, quos ab illis certo consilio interpolatos fuisse negari non potest. Haec omnia quantum in nobis fuit emendare conati sumus. Neque mediocris nova haec interpretatio laboris fuit, cum praeter*

editum Romae exemplar nullum haberemus, cujus ope innumera quibus scatet, menda tollere possemus, neque aliud ferme praesidium quam in comparatione istius Liturgiae cum Coptica Basilii, cui in omnibus prope partibus respondet. Cum enim Aethiopica Ecclesia simillimos Alexandrinis ritus sequatur, ex istis multa ad illos spectantia intelleximus, quae alibi frustra quaererentur, etiam in vastis Ludolfi commentariis. Is enim in Aethiopum rebus Ecclesiasticis ita versatus est, ut eas obscuraverit potius, quam illustraverit, non modo ex Alexandrinae fidei et disciplinae ignorantia, sed magis ex suae sectae praejudiciis. Itaque saepius in notis quae huic versioni subjicientur, eum refellere necesse erit, non contentionis studio, sed amore veritatis, quam laesisse immaniter saepe deprehendetur, et quaecumque rationes ejus conturbabant, mala fide dissimulasse.

Verum erunt procul dubio quibus intoleranda temeritas videbitur quemquam hominem, multo magis me, qui mediocrem in lingua Aethiopica operam impenderim, non modo in rebus Aethiopicis, sed in ipsa linguae interpretatione Ludolfum impugnare, qui hac in parte palmam dudum obtinuit. De ejus opere historico et Commentario nihil dicimus, nisi quantum ad res Liturgicas spectabat, et fidem circa Eucharistiae sacramentum, quae quidem ut alia religionis capita, nemo ex solis Aethiopicis libris unquam discere poterit, qui paucissimi sunt: et praecipuum qui est Fides Patrum, *Ludolfus non viderat. In lingua Aethiopica non valde peritum esse necesse est, praesertim illum qui aliquos in reliquis Orientalibus progressus fecerit, ad assequendam earum orationum sententiam, quarum primaevum exemplar Coptice, Arabice, et Graece habetur, et quas omnium Liturgiarum Graecarum consensus sufficienter explicat. In istis quae sane praecipua sunt, vix existimamus repertum iri in nostra versione quidquam, quod Aethiopico textui contrarium sit. Nempe usi sumus vocibus propriis stili Ecclesiastici, non noviter adinventis quales omnes ferme sunt quas Ludolfus Lexico suo inseruit. Ut rem exemplo perspicuo confirmemus. Vox* Corban, *quae saepius usurpatur in Liturgia, idem significat Aethiopice, quod apud Syros et Arabes Christianos, sacrificium nempe Eucharisticum. Quis igitur Ludolfum audiendum existimet, cum illam singularem significationem ita explicat.* S. Coenam distribuit Minister: *et mox duo illa verba Aethiopica explicans.* Qui administrant sacram Coenam, seu qui offerunt communicantibus sacra mysteria. *Rursus cum ea*

vox Corban *significet Arabice Eucharistiam in loco quem citat ex versione Canonum Ancyranorum: Ludolfus.* Vulgo quoque significat panem et vinum benedictum in sacra Coena. *At interpretationes illae falsae sunt. Nam in prima certissime agitur de Oblatione sacrificii, non de sacramenti distributione. Quis vero nisi apud Lutheranos coenam distribuere dixit? Aut quis tandem is minister? In secunda error similis, neque enim de Eucharistia agitur sed de fidelium oblationibus. In tertia sciens et volens peccavit, non minus contra significationem Aethiopicam, quam contra Aethiopum fidem, qui sacramentum quando communicantibus distribuitur, non aliter vocant quam* corpus et sanguinem Christi. *Nullam itaque tot absurdarum interpretationum rationem merito habuimus, non magis quam aliarum quas in notis explicabimus.*

Primam illam cujus versionem damus, vocant Aethiopes Liturgiam Apostolorum, *ut notaverunt qui editionem curaverunt in ejusdem fine: de quo titulo ut de reliquis, sufficiunt quae de hoc argumento diximus in Dissertatione praevia, nam illa non minus Aethiopicis quam aliis Orientalibus Liturgiis conveniunt. Habentur aliae praeterea novem I. Joannis Evangelistae. II. Patrum Orthodoxorum Nicaenorum* CCCXVIII. *III. S. Epiphanii Orthodoxi. IV. Jacobi Serugensis. V. Joannis Chrysostomi. VI. Domini nostri Jesu Christi quae edita est cum prima, ad finem Novi Testamenti. VII. S. Mariae quam scripsit Heriacos, vel Kyriacus Archiepiscopus Behnsae ibidem, edita. VIII. S. Gregorii Theologi. IX. Dioscori quam Aethiopice et Latine Wanslebius edidit Londini* MDCLXI. *Illas habuerat ex Codice Eduardi Pocockii et descripserat, apographumque illarum habetur in Bibliotheca RR. PP. Praedicatorum in hac urbe ad sanctum Honoratum, ex legato D. Ludovici Pieques Doctoris et Socii Sorbonici. Illud exemplum mihi benigne communicavit R. P. Michael Lequien doctrina et editione operum S. Joannis Damasceni notissimus. Cum illarum versionem huic collectioni adjungere cogitassemus, id ex unico nec primaevo exemplari fieri vix posse agnovimus, et inutili labori supersedimus: tota enim Liturgiae Aethiopicae dispositio ex prima quantum opus est intelligitur.*

LITURGIA COMMUNIS
SIVE
CANON UNIVERSALIS AETHIOPUM.

Responsorium antequam Liturgia incipiat.

Alleluia. Ego autem in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam exaudisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum.

Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exultatione exultabunt.

Asperges me hyssopo et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor.

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me: et ab alienis parce servo tuo.

Panem coeli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo.

Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine.

Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus, hostiam vociferationis.

Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians, quam praeclarus est. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Domine, salva, Domine prosperare.

Benedictus qui venit in nomine Domini: benediximus vobis de domo Domini. Amen.

Salve sancta Ecclesia, cincta pariete variegato gemmis et topazio. Tu es arca auri puri, in qua est manna absconditum, panis qui descendit de coelo et dat vitam universo mundo.

Ante omnia Sacerdos dicit Orationes sequentes, pro Ecclesia et pro altari.

Domine Deus noster, tu es solus sanctus, et qui dedisti omnibus sanctitatem, virtute tua invisibili. Rogamus et deprecamur te Deus, ut mittas Spiritum tuum sanctum super hanc Ecclesiam, et super hoc altare, et super omnia ejus instrumenta. Sanctifica ea, ut perficiatur super ea mysterium tuum gloriosum. Et nunc benedic, sanctifica et munda nos ab omnibus sordibus et maculis carnalibus: etiam non remaneat deinceps quidquam immundae apostasiae: sed fac nobis hanc Ecclesiam et hoc altare vas electum et pretiosum, velut argentum purgatum et mundum: praesta etiam ut perficiatur super ea, Eucharistiae oblatio, Pater, Fili, et Spiritus sancte, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio antequam ornetur altare, et collocentur in eo vasa sancta.

Domine Deus qui novisti corda omnium, sanctus qui in sanctis requiescis, qui solus potes dare remissionem peccatorum. Tu scis Domine, me esse indignum ministerio isto sancto tuo: neque mihi talis confidentia est ut accedam, et aperiam faciem meam coram gratia tua sancta. Tu igitur per multitudinem misericordiae tuae, parce mihi peccatori, et nequam: da mihi ut inveniam misericordiam in hac hora: et mitte mihi virtutem tuam desuper, ut dignus efficiar perficiendi ministerium tuum sanctum secundum voluntatem tuam, et sit ad beneplacitum cordis tui incensum istud in odorem suavitatis. Tu etiam Domine Jesu Christe, esto nobiscum, et benedic nos, quia tu es remissor peccatorum nostrorum: luxque animarum nostrarum, vita nostra, virtus nostra, et reparator noster, et tibi mittemus sursum laudem in saecula saeculorum. Amen.

Oratio super Patenam.

Domine Deus noster Jesu Christe, qui super lignum sanctae crucis manus tuas extendisti, extende nunc manum tuam super hanc patenam, benedic, sanctifica et purifica illam, ut in ea perficiatur corpus tuum sanctum, in hac sancta Ecclesia Apostolica, quoniam

tibi est gloria cum Patre tuo et Spiritu tuo sancto, nunc et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio super Calicem.

Deus noster Jesu Christe, verus vere Deus, qui cum homo factus es, divinitas tua nunquam separata est ab humanitate: qui effudisti sanguinem tuum voluntarie super Golgatha: extende manum tuam super hunc calicem, eumque benedic, sanctifica et purifica, ut perficiatur in eo sanguis tuus sanctus, in hac sancta Ecclesia Apostolica: quia tua est gloria cum Patre tuo, et Spiritu sancto, etc.

Puritas, benedictio et suavitas, bibentibus ex sanguine tuo pretioso, vero. Amen.

Oratio super cochlear crucis.

Deus, Deus noster, qui servum tuum Isaiam Prophetam dignum fecisti videndi Seraphim in cujus manu forceps erat, quo accepit carbonem ex altari, quem immisit ori ejus. Nunc Domine Deus noster, Pater omnipotens in mundo, extende manum tuam super hoc cochlear crucis, ad administrandum corpus et sanguinem, unigeniti Filii tui Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi. Et nunc benedic, sanctifica et munda illud, daque illi virtutem et gloriam, qualem dedisti forcipi Seraphim; quia tua est gloria, etc.

Oratio super arcam sive *discum majorem.*

Domine Deus noster qui dixisti Moysi servo tuo et Prophetae, fac mihi vasa pretiosa, et collocabis ea in tabernaculo super montem Sinaï: nunc Domine Deus noster omnipotens, extende manum tuam super hanc arcam; et imple illam virtute, fortitudine et gratia Spiritus sancti, ad gloriam tuam ut perficiatur in ea corpus unigeniti Filii tui Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in hac sancta Ecclesia Apostolica, quia tibi est gloria, etc.

Tum faciens signum crucis Sacerdos dicit.

Virtus, benedictio, illuminatio et sanctificatio Trinitatis sanctae sit huic Ecclesiae, benedictae civitatis N. Amen.

2. *Oratio illationis.*

Domine Deus noster qui suscepisti sacrificium Abel in planitie, Noë in arca, Abrahae in cacumine montis, Eliae in monte Carmelo, Davidis in arca Ornan Jebusaei, et minuta viduae in sanctuario: ita suscipias oblationem et sacrificium servorum tuorum, quod intulerunt nomini tuo sancto, sitque in remissionem peccatorum eorum, et peccatorum populi tui, et retribue illis retributionem bonam, in hoc et venturo saeculo, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio quando miscetur aqua cum vino.

Christe qui vere es Deus noster, qui ivisti ad nuptias cum invitaverunt te in Cana Galilaeae, benedixistique illis et fecisti aquam vinum; ita fac huic vino proposito coram me, benedic et sanctifica illud, ut sit in laetitiam, exultationem, et vitam animabus et corporibus nostris, semperque sint nobiscum Pater, Filius et Spiritus sanctus: neque enim nobis est alius Deus praeter te. Reple quoque vinum istud exultatione et laetitia, ad suavitatem, vitam, salutem, prudentiam, et consilium Spiritus sancti; nunc et semper, et in saeculum. Amen.

Benedictus Dominus Deus Pater omnipotens. Benedictus Filius unigenitus Jesus Christus, qui natus est de Maria Virgine. Benedictus Spiritus Paraclitus Deus noster, quibus Patri, et Filio, et Spiritui sancto vera potestas est in saecula saeculorum. Amen.

Postea repetet super calicem Orationem. Domine Deus noster qui suscepisti, etc. *Ut supra in offerendo hostiam.*

Dicit Sacerdos cantando et extendendo palmas sursum, ita tamen quod caput non excedant.

Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus est Spiritus sanctus. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus dicit. Surgite ad Orationem.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.
Iterum Diaconus. Surgite ad orationem.
Sacerdos. Pax vobis omnibus.
Populus. Domine miserere nostri. Cum spiritu tuo.

Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.

Gratias agamus benefactori nostro Domino misericordi, Patri Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, quia protexit nos, juvit, et custodivit, et misertus est nostri: ad se accedere fecit, suscepit nos, roboravit, et multiplicavit nos usque ad hanc horam: rogemus ergo illum iterum, ut custodiat nos in hac die sancta, omnibusque diebus vitae nostrae in pace omnipotens Dominus Deus noster. Orate.

Sacerdos. Domine Domine omnipotens, Pater Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, gratias agimus tibi de omnibus, pro omnibus et in omnibus, quia protexisti nos, juvisti nos, custodisti nos, et misertus es nostri, suscepisti, roborasti et multiplicasti nos usque ad hanc horam.

Diaconus. Petite et rogate ut misereatur nostri Dominus et parcat nobis: suscipiatque orationem et deprecationem quae fit pro nobis a sanctis suis, ut benignus erga nos semper, efficiat nos dignos, ut suscipiamus, participesque simus communionis mysterii benedicti, et dimittat nobis peccata nostra.

Dicetque omnis populus ter. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut ducamus hunc diem sanctum et omnes dies vitae nostrae in pace cum timore tuo: omnem invidiam, omnem dolum, omnemque operationem satanae, omnem machinationem hominum improborum, insultationemque inimici secretam et manifestam, procul fac et depelle a me, et ab omni populo tuo, et ab hoc loco sancto tuo; quaecumque bona, quaecumque praestantia, mandato tuo praesta nobis: quia tu es qui dedisti nobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, omnemque virtutem inimici. Et ne nos inducas Domine in tentationem: sed libera et eripe nos ab omni malo; per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines Filii tui unigeniti, Domini Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi: per quem, cum quo, et cum Spiritu tuo sancto, te decet gloria et imperium, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio pro illis qui attulerunt oblationes.

Iterum deprecemur omnipotentem Deum, Patrem Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, pro illis qui obtulerunt munera, in una, Catholica, Ecclesia sancta, oblationes, primitias, decimas ad gratiarum actionem et memoriam, sive multum, sive paululum, sive publice, sive secreto: ut etiam pro illis qui voluerunt offerre, et non potuerunt: acceptum sit votum et desiderium omnium, in coelo spirituali, gratiamque benedictionis omni operi concedat, cui potestas est Dominus Deus noster.

Diaconus. Orate pro illis qui obtulerunt munera.

Sacerdos. Domine Deus omnipotens, rogamus et deprecamur te pro illis qui obtulerunt munera, ad sanctam, unicam et Catholicam Ecclesiam, sive multum sive paululum, sive publice sive secreto: et pro illis qui voluerunt nec potuerunt: acceptum sit votum et desiderium omnium: da illis mercedem, et benedictio duplex illis a te concedatur per unigenitum Filium tuum: per quem et cum quo, et cum sancto Spiritu tibi est gloria et potestas, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

4. *Oratio oblationis mysticae.*

Princeps Jesu Christe, cujus substantia facta non est verbum purum genitoris.... Patri et Spiritui sancto; tu aequalis es panis vivus qui descendit de coelo, qui prius fuisti in figura agni immaculati pro vita mundi: nunc rogamus et obsecramus benignitatem tuam, amator hominum: ostende faciem tuam super hunc panem, et super hunc calicem, quos proposuimus super hoc altare spirituale tuum: benedic, sanctifica et purifica illos; 5 et transmuta hunc panem, ut fiat corpus tuum purum: et quod mistum est in hoc calice sanguis tuus pretiosus, fiantque nobis omnibus, oblatio ad medelam, et ad salutem animae nostrae et corporis: quia tu es Rex omnium nostrum Christe Deus noster, et mittemus tibi sursum, sanctificationem, gloriam et adorationem, simulque Patri tuo bono coelesti, et Spiritui tuo sancto vivificanti, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus. Adorate Deum cum timore.

Populus. Coram te Domine adoramus, et glorificamus te.

6. Sacerdos dicit Orationem Absolutionis ad Filium.

Domine Jesu Christe Fili unigenite, Verbum Dei Patris, qui rupisti a nobis omnia vincula peccatorum nostrorum, per passionem tuam salutarem et vivificantem: qui insufflavisti in discipulos tuos sanctos, et Apostolos puros, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis, et quorum non remiseritis retenta erunt: Tu Domine nunc per Apostolos tuos puros, gratiam sacerdotibus dedisti, ut idem facerent in Ecclesia sancta tua, remitterentque peccata super terram, omni tempore, ligarentque et solverent omnia iniquitatis vincula. Igitur etiam nunc, rogamus et obsecramus bonitatem tuam amator hominum, omnibus servis tuis, patribus et fratribus meis, mihi quoque servo tuo Tesfa Sion, et omnibus qui inclinaverunt colla sua coram altari tuo sancto: planam fac viam misericordiae tuae: scinde et rumpe omne vinculum peccatorum nostrorum, quae commisimus coram te Domine, scienter vel ignoranter: per malitiam cordis, aut imbecillitatem: per sermonem aut pusillanimitatem, aut per fallaciam: quia tu Deus nosti fragilitatem humanam. O bone amator humani generis, et omnium Domine, concede nobis remissionem peccatorum nostrorum: benedic nobis, sanctifica nos; munda nos, bonum odorem da nobis, libera nos et fac nos absolutos.

7. Absolve Domine Patriarcham nostrum Abba N. Sanctumque et beatum Metropolitam nostrum Abba N. Absolve Domine Regem nostrum. 8. Memento Domine animarum Patrum nostrorum servorum tuorum: Abba Mathaei et collegarum ejus: Abba Salama, Abba Jacobi: Abba Bartholomaei, Abba Michaelis, Abba Isaaci, Abba Joannis, Abba Marci.

Memento Domine, Regum Aethiopiae, Abraha et Azbeah, Caleb, Gabra-Maskal, Constantini, Fressennai, Dagna-Michael, Navvi-Christos, Degba-Sion, Hamda-Sion, David, Theodori, Isaaci, Andreae, Hamad-Jesu, Zara-Jacob: Baede-Mariam, Alexandri, Hamda-Sion, Naod, Leban-Dinghil.

Absolve Domine Patres nostros, Abba Antonium, et Abba Macarium. Memento Domine animae Patris nostri servi tui Tekla-Haimanot, cum omnibus ejus filiis. Memento etiam Domine Patris

nostri Eustathii et omnium filiorum ejus, totiusque populi. Memento eorum Domine et perfice in illis timorem nominis tui, nosque dirige ad faciendam voluntatem tuam: quia tibi debetur honor et gloria, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Servi tui qui ministrant hodie, Sacerdos, Diaconus, Clerus et populus, et ego pauper servus tuus, peccator et nequam, sint absoluti per os Trinitatis sanctae, Patris, Filii et Spiritus sancti; et per nomen Mariae, coeli secundi et textrinae venerandae: et per os hujus Ecclesiae Catholicae et Apostolicae: per os quindecim Prophetarum, et duodecim filiorum illorum: per os duodecim Apostolorum, et septuaginta discipulorum, quingentorumque sociorum illorum: etiam per os patris nostri divina loquentis, Marci Evangelistae, Apostoli et Martyris: per os Patriarchae sancti Severi, sancti Athanasii, sancti Joannis Chrysostomi, sancti Cyrilli, sancti Gregorii, sancti Basilii, et per os CCCXVIII. Orthodoxorum, qui Nicaeae congregati sunt; ut CL. Constantinopoli: et CCL. qui Ephesi: per os Patriarchae nostri Abba Gabriel; Metropolitaeque nostri Abba N. tandem per os meum, servi tui peccatoris et nequam, sint absoluti: per os Trinitatis sanctae, Patris, et Filii et Spiritus sancti, quia plenum majestate est et gloria nomen tuum, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Sacerdos dicit Orationem incensi.

Hic imponit Sacerdos incensum, simulque commemorat ortus dierum et noctium sive novilunia et festos dies: facit etiam memoriam vivorum et mortuorum, tum dicit.

Benedictus Pater omnipotens, in saeculum. Benedictus Filius unigenitus Jesus Christus, qui homo factus est ex Maria sancta Virgine: et benedictus Spiritus sanctus Paraclitus Deus noster; in odorem suavem Trinitati sanctae Deo nostro. *Cumque Sacerdos adolebit incensum super altare dicet.* Alleluia Patri: alleluia Filio: alleluia Spiritui sancto, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Deus noster in aeternum, primus et novissimus, absque initio et absque fine, magnus in consiliis suis, potens in operibus suis, et sapiens in operatione sua, qui es ubique. Rogamus et deprecamur te Domine, ut sis nobiscum in hac hora: ostende faciem tuam super nos: esto nobiscum et in medio nostri: purifica corda nostra et sanctifica animas nostras, dele nequitiam nostram, et dimitte peccata

nostra quae commisimus voluntarie, aut involuntarie: et praesta nobis ut offeramus tibi oblationem rationalem, sacrificiumque gratiarum actionis, et spirituale, ut introeamus in penetrale sancti sanctorum.

Memento Domine unius sanctae Ecclesiae Apostolicae, quae est a finibus usque ad fines mundi.

Memento Domine Patriarchae nostri Abba N. et sancti beatique Metropolitae nostri Abba N. omniumque Patriarcharum, Metropolitarum, Episcoporum, Sacerdotum et Diaconorum.

Memento Domine etiam Regis nostri N.

Memento Domine patrum et fratrum nostrorum, qui dormierunt et quieverunt in fide Orthodoxa.

Memento Domine congregationis nostrae et benedic iis qui in illa sunt, usque in finem.

Sacerdos. Adoremus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum in Trinitate: *et dicitur ter.*

Populus idem repetit ter.

Sacerdos. Salve sancta Ecclesia, habitaculum pacis. Salve Virgo Maria mater Dei: tu es thuribulum aureum quae carbonem ignitum portasti. Benedictus qui eum accipit e sanctuario, eum qui dimittit peccata et delet crimina, qui est Dominus Deus, Verbum ex te incarnatum, qui se obtulit Patri suo in incensum praecipuum, sacrificiumque pretiosum. Adoramus te Christe, cum Patre tuo, bono et misericordi: et cum Spiritu tuo sancto et vivificante, quia tu advenisti et salvasti nos.

Sacerdos repetit semel atque iterum. Salve sancta Ecclesia dum adolet incensum.

Coadjutor Sacerdotis dicit antequam legatur Epistola Pauli.

Domine sapiens et autor sapientiae, qui revelasti nobis ea quae profundis tenebris abscondita erant, dedistique verbum exultationis praedicatoribus, virtute tua magna: Tu per benignitatem tuam multam, vocasti Paulum qui prius erat persecutor, fecistique illum vas electum, et in eo complacuisti, ut esset Apostolus, praedicator et annuntiator Evangelii regni tui. Christe Deus noster oramus et deprecamur te, amator humani generis, concede nobis intelligentiam, cognitionem, et

scientiam inamissibilem, ut intelligamus, et perspiciamus scripturas sanctas quae leguntur coram te: et quemadmodum similis factus est tibi per imitationem, o autor vitae, ita fac nos dignos ut eum imitemur, et ambulemus in viis ejus: laudemusque nomen tuum sanctum, et gloriemur in pretiosa cruce tua quocumque tempore: quia te decet imperium, virtus, magnificentia, potestas magna, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

9. Diaconus antequam legatur Epistola dicit.

Ex Paulo servo et Apostolo Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, qui vocatus, electus, et segregatus est ad praedicationem Evangelii sancti: lectio Epistolae N. oratio ejus et benedictio sit nobiscum. Amen.

Et post lectionem Pauli Diaconus dicet.

Gratia Patris, caritas Filii et donum Spiritus sancti, qui descendit super Apostolos benedictos, et puros, in coenaculo Sion sanctae, duplicetur super nos, populum Christianum in saecula saeculorum. Amen.

Sancte Paule Apostole bone minister, sanator infirmorum, accepisti coronam; ora et precare pro nobis, Christum ut salvet animas nostras, per multitudinem clementiae, nominis sui sancti.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Tunc repetit orationem quae supra descripta est. Deus noster in aeternum, etc.

Sacerdos assistens antequam legatur Apostolus, sive *Epistola ex Catholicis dicet.*

Haec est lectio ex Epistola N. discipuli et Apostoli Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, oratio ejus et benedictio sit nobiscum. Amen.

Post lectionem Catholicae Epistolae, Diaconus dicet.

Fratres mei nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt, quoniam omnia quae sunt in mundo, concupiscentia oculorum sunt, concupiscentia carnis, et molestia ex opibus: quae non ex Patre sed ex mundo sunt: mundus autem transit et concupiscentia ejus: qui vero facit voluntatem Dei, permanebit in aeternum.

Populus. Sancta Trinitas, una in substantia tua, custodi consessum nostrum, propter sanctos et electos discipulos tuos: consolare nos per misericordiam tuam, quia sanctum est nomen tuum.

Diaconus. Surgite ad orationem.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Domine Deus noster, qui Apostolis tuis sanctis manifestasti mysterium gloriae Christi tui, magnaque et innumerabilia dona eis dedisti, quae gratiam tuam decent, misistique eos ad praedicandum in omnibus finibus mundi, divitias gratiae tuae occultae, et misericordiae tuae. Et nos Domine rogamus et deprecamur te; ut nos dignos efficias haereditate et societate illorum, ut ambulemus in viis eorum, et sequamur vestigia eorum. Concede etiam nobis ut semper illos imitemur, et in amore eorum roboremur, participesque simus laborum eorum, in vero Dei cultu. Custodi etiam Domine Ecclesiam tuam sanctam, quam per illos fundasti, et benedic oves pascuae tuae. Multiplica vineam istam, quam plantavit dextera tua sancta, per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem tibi et cum eo, simulque cum Spiritu sancto, est gloria et potestas, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Sacerdos adolet incensum et dicit. Domine Deus noster qui suscepisti sacrificium Abrahami patris nostri, vice Isaaci filii ejus, et ad eum illius loco agnum demisisti, ita Domine suscipias a me odorem hunc thuris, et mitte desuper ejus vice, divitias gratiae et misericordiae tuae: et praesta nobis, ut simus puri ab omni odore peccati: facque nos dignos ministrandi in sanctuario sancto tuo, cum puritate et justitia, o amator hominum, omnibus diebus vitae nostrae in laetitia.

Et iterum dicet. Memento, etc. *et* Laetare, etc.

Acta ministrorum istius praedicationis, Patrum nostrorum Apostolorum, purorum et gratia plenorum, electorum et justorum, cumulatorum gratia Spiritus sancti: orationes et benedictiones eorum custodiant nos omnes Christianos in saecula saeculorum. Amen.

Et post lectionem Actuum Apostolorum Sacerdos dicit.

Verbum Domini magnum propagatum est in Ecclesia sancta, multiplicatique sunt qui crediderunt in Dominum et salvatorem nostrum Jesum Christum; ipsi gloria in saecula saeculorum. Amen.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus Pater omnipotens. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Filius unicus, Verbum Patris vivum. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Spiritus sanctus, sciens omnia.

Diaconus. Surgite ad orationem.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Domine Deus noster Jesu Christe, qui dixisti discipulis tuis sanctis, et Apostolis tuis puris, quoniam multi Prophetae et justi desideraverunt videre quae videtis, et non viderunt, et audire quae audistis et non audierunt: similiterque, beati oculi vestri qui viderunt, et aures vestrae quae audierunt: nos etiam dignos fac ut audiamus et faciamus verba Evangelii tui sancti, per orationes sanctorum tuorum.

Diaconus. Orate pro Evangelio sancto.

Sacerdos antequam legatur Evangelium dicit. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo: in Domino laudabitur anima mea. Alleluia, Alleluia, Alleluia. Surgite, audite Evangelium sanctum, praedicationis Domini et salvatoris nostri Jesu Christi.

Sacerdos. Memento etiam Domine eorum qui petierunt orationes et deprecationes ad te nostras. Rogamus quoque te Domine, pro illis qui pridem dormitionem acceperunt, ut requiem illis praestes: infirmos etiam sana, quia tu es vita et spes omnium nostrum, resurrectio et protectio: tibique gratiarum actionem referemus usque ad coeli sublimia in saecula saeculorum. Amen.

Sacerdos conversus ad populum dicet. Dominus desuper benedictionem mittat super nos omnes, populum Christianum: et faciat introitum nostrum in hac Ecclesia sancta, una cum Angelis sanctis, qui illi subjecti sunt semper, et glorificant eum omni tempore, in saecula saeculorum. Amen.

Sacerdos ter incensat Evangelium, et tunc annuntiat illud populo dicens. Evangelium sanctum quod praedicavit aut annuntiavit N. verbum Filii Dei.

Populus. Gloria tibi sit semper Christe Domine et Deus noster. Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob: sumite psalmum et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara.

Post lectionem Evangelii, Populus dicit. Cherubim et Seraphim sursum mittunt ei gloriam.

Tunc dicent. Sanctus, Sanctus, Sanctus omnipotens: pleni sunt coeli et terra sanctitate gloriae ejus.

Diaconus. Surgite ad orationem.

Sacerdos. Pax vobis omnibus. Iterum rogemus omnipotentem Dominum, patrem Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi. Oramus et obsecramus bonitatem tuam, amator hominum: memento Domine pacis Ecclesiae sanctae, unicae Catholicae et Apostolicae.

Diaconus. Orate pro hac Ecclesia sancta, unica, Catholica et Apostolica, Orthodoxa, in Domino.

Populus. Domine Deus noster da nobis pacem: Christe Rex noster miserere nobis.

Sacerdos. Quae est a finibus usque ad fines mundi; totius populi et totius gregis, benedicque illis: pacem de coelis mitte super omnes animas nostras; pacem vitae nostrae concede nobis benigne in ea. Benignus esto Domine Regi nostro Claudio, proceribus, judicibus, et exercitibus ejus, et circa nos congregatis, tam intra quam extra. Orna eos omni pace, Rex pacis: pacem da nobis, quia omnia nobis dedisti. Conserva nos Domine, quia praeter te alium non novimus: nomen tuum sanctum pronunciamus et invocamus, ut vivat anima nostra in Spiritu sancto, neque praevaleat mors peccati super nos servos tuos, et omnem populum tuum.

Oratio pro Pontificibus.

Iterum deprecamur omnipotentem Deum, Patrem Domini Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi, rogamus et obsecramus bonitatem tuam amator hominum: memento Domine Patris nostri venerandi Patriarchae nostri Abba Gabrielis: sanctique et beati Metropolitae nostri N.

Diaconus. Orate pro Pontificibus, Patriarcha nostro Abba N. Domino Archiepiscopo magnae urbis Alexandriae, et Metropolita nostro Abba N. omnibusque Episcopis, Sacerdotibus et Diaconis Orthodoxis.

Sacerdos. Servans conserva eos nobis, annis multis, diebusque tranquillis, in justitia et pace: ut perficiant sacrificium quod illis commisisti, cum ordine sacerdotali, secundum voluntatem tuam sanctam et beatam: ut judicent in justitia et aequitate, et pascant populum tuum in justitia: omnes etiam Episcopos, Sacerdotes et Diaconos Orthodoxos, omnesque pariter unius sanctae Ecclesiae Apostolicae: orationesque quas faciunt pro nobis, et pro omni populo tuo, suscipe ad altare tuum supernum, in odorem suavitatis: omnes

hostes et adversarios eorum, subjice et contere sub pedibus eorum velociter: illos vero nobis conserva in justitia et pace in Ecclesia tua sancta.

Oratio pro congregatione.

Iterum deprecemur omnipotentem Deum, Patrem Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi. Rogamus et obsecramus bonitatem tuam, amator hominum: memento Domine congregationis nostrae, et benedic illis qui in ea sunt.

Diaconus. Orate pro hac Ecclesia sancta et congregatione nostra quae in ea est.

Populus. Benedic congregationi nostrae, et conserva eam in pace: *moxque dicunt Symbolum fidei.*

Diaconus. In sapientia Dei, dicite Symbolum fidei et canite.

10. Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium et invisibilium. Credimus etiam in unum Dominum Jesum Christum, Filium Patris unicum: qui erat cum eo antequam crearetur mundus: lumen de lumine, Deum de Deo vero: genitum non factum, aequalem Patri secundum divinitatem suam: per quem omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil quidquam, in coelo et in terra. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, et ex Maria Virgine sancta, et homo factus est. Crucifixus est tempore Pontii Pilati, passus, mortuus, et sepultus est. Et resurrexit a mortuis tertia die, sicut scriptum erat in sacris scripturis: ascendit cum gloria in coelos, sedetque ad dexteram patris sui; iterumque venturus est cum gloria judicaturus vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus etiam in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit: quem adoramus et glorificamus, cum Patre et Filio: qui locutus est per Prophetas. Credimus etiam in unam sanctam Ecclesiam, Catholicam et Apostolicam. Credimus unum Baptisma in remissionem peccatorum: et expectamus resurrectionem mortuorum, et vitam venturam in saeculum. Amen.

Sacerdos. Fac ut congregationes nostrae sint nobis absque impedimento et intermissione: fiantque per voluntatem tuam sanctam et beatam, domus orationis, domus puritatis, domus benedictionis. Benigne concede illas nobis servis tuis, et illis qui post nos venturi sunt, usque in saeculum. Exurge Domine Deus noster, et dissi-

pentur inimici tui, et fugiant a facie tua omnes qui oderunt nomen tuum sanctum et benedictum. Plebesque tuae benedictae sint benedictionibus millenis et decies millies millenis, ut faciant omnem voluntatem tuam, per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines unigeniti Filii tui, Domini, Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi, per quem tibi, et cum eo, et cum Spiritu sancto sit gloria et imperium, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio pro pace perfecta.

Sacerdos. Deus magne et aeterne qui formasti hominem corruptionis expertem, mortem vero quae antiquitus intravit in mundum per invidiam satanae, et virtutem ejus destruxisti per adventum unigeniti Filii tui Domini, Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi et implevisti terram pace tua: unde exercitus coelestes glorificant te dicentes, gloria Deo in coelis, et in terra pax, bonaque ejus voluntas hominibus.

Diaconus. Orate pro pace perfecta, et amica salutatione Apostolica. Amplectimini invicem: 11. Qui non communicatis, exite: qui communicatis, amplectimini invicem, in plenitudine cordis vestri: qui communicaturus est custodiat se a malo.

12. *Sacerdos.* Domine per benignitatem tuam imple corda nostra pace tua, et munda nos ab omni macula, et immunditia, ab omni vindictae studio, ab invidia et injuriarum recordatione lethifera. Domine fac nos omnes dignos, ut amplectamur invicem in osculo sancto, ut percipiamus absque condemnatione donum tuum coeleste et immortale, sicut decet gratiam tuam, qui cum Spiritu sancto, etc.

Populus. Christe Deus noster fac nos dignos salutandi te osculo sancto et coelesti, ut laudemus te cum Cherubim et Seraphim, et clamemus dicendo: Sanctus, Sanctus, Sanctus omnipotens: pleni sunt coeli et terra gloria sancta tua.

Sacerdos. Dominus sit vobiscum, sanctus in sanctis, sanctus in sanctis, sanctus in sanctis. Gratias agimus tibi Domine, per dilectum Filium tuum unigenitum; Dominum, Deum et salvatorem nostrum Jesum Christum, quem ultimis diebus misisti nobis: Filium tuum, salvatorem, redemptorem, Angelum consilii tui, qui est verbum a te prodiens, et in quo omnia fecisti per voluntatem tuam.

Diaconus. Pro beato et sancto Patriarcha nostro Gabriele vel N. et Patre nostro venerando Metropolita nostro Abba N. qui orationibus suis laudant te et gratias agunt tibi.

Per Stephanum protomartyrem, Zachariam sacerdotem, et Joannem Baptistam: per omnes sanctos et Martyres qui quietem acceperunt in fide Christi: Mathaeum, Marcum, Lucam, Joannem, quatuor Evangelistas, et per Mariam Dei genitricem exaudi nos. Per Petrum, Andream, Jacobum et Joannem, Philippum et Bartholomaeum, Thomam et Mathaeum, Thadaeum et Nathanael, Jacobum filium Alphei, et Mathiam, duodecim Apostolos: et Jacobum Apostolum fratrem Domini, Episcopum sanctuarii Jerusalem: Paulum et Timotheum, Silam, Barnabam, Titum, Philemonem et Clementem: septuaginta duos discipulos, et socios eorum quingentos, trecentosque decem et octo Orthodoxos: orationes eorum multiplices nobiscum sint.

Memento etiam Catholicae et Apostolicae Ecclesiae in pace, pretioso sanguine Christi tui aedificatae. Memento quoque Patriarcharum, Metropolitarum, Episcoporum, Sacerdotum, et Diaconorum, qui rectam doctrinae verae viam tenuerunt.

Populus. Miserere Domine animarum servorum tuorum, et ancillarum tuarum, qui comederunt corpus tuum, et biberunt sanguinem tuum, et quietem acceperunt in fide tua.

Sacerdos. Iterum deprecemur omnipotentem Dominum, Patrem Domini, Dei et salvatoris nostri Jesu Christi. Memento Domine, unius sanctae Ecclesiae Catholicae et Apostolicae, conservatae a finibus usque ad fines mundi.

Memento Domine Patris nostri Patriarchae nostri Abba N. et Beati Metropolitae nostri Abba N. conserva illum nobis annis multis, diebusque pacificis.

Memento Domine Sacerdotum, Diaconorum et Subdiaconorum Orthodoxorum.

Memento Domine Regis nostri, Lebna-Dinghil, conserva eum nobis in pace.

Trinitas sancta, Pater, Fili, et Spiritus sancte, benedic populum tuum dilectorum Christianorum, benedictionibus coelestibus, et mitte gratiam Spiritus sancti, et fac portas Ecclesiae tuae sanctae nobis patere cum misericordia et securitate. Perfice nobis fidem Trinitatis usque ad ultimum vitae spiritum. Pontifex Jesu Christe respice infirmos populi tui: deduc patres et fratres nostros qui pro-

fecti procul sunt, et reduc eos ad habitacula eorum in pace et sanitate: benedic ventis coeli et pluviis, fructibusque terrae hujus anni, secundum gratiam tuam: praesta gaudium et laetitiam super faciem terrae, et confirma nobis pacem tuam.

Converte cor Regum potentium in bonum erga nos: concede Pontificibus Ecclesiae sanctae, et omnibus secundum cujusque nomen, gratiam coram Regibus potentibus: principesque qui illis imperant, faciles et placatos illis redde Domine.

Quietem quoque praesta patribus et fratribus nostris qui dormitionem acceperunt, et decubuerunt in fide Orthodoxa: benedic illis qui occupantur circa thus, panem oblationis, vinum, oleum, vela, libros qui in Ecclesia leguntur, et vasa sanctuarii, ut Christus Deus noster deducat eos in Jerusalem coelestem, et omnes qui nobiscum congregati sunt, et expectant misericordiam Christi Dei nostri. Miserere eorum et omnium qui dederunt nobis eleemosynas coram tribunali tuo timendo, illisque benignus esto. Omnes animas angustiatas et afflictas, carceratos quoque et captivos, exules et in servitutem abductos, et in amaris laboribus detentos, Deus noster per multitudinem misericordiae tuae, salva illos.

Pontifex Jesu Christe omnes qui praeceperunt nobis, ut eorum meminissemus, Christe Deus noster memento illorum in regno coelesti. Domine salvum fac populum tuum, et benedic haereditati tuae: rege eos et extolle illos usque in aeternum: custodique illos in fide Orthodoxa et in gloria, omnibus diebus vitae suae: fac etiam eos plenos caritate ex toto corde eorum, omnibusque superiore: Per preces et deprecationes quas faciet pro nobis Domina omnium sancta et pura Maria, Mater Dei: et per preces magnorum luminarium, Michael, Gabriel, Raphael et Suriel: quatuorque animalium incorporeorum: et viginti quatuor Sacerdotum coeli: sancti Joannis Baptistae: Patrum nostrorum Patriarcharum, Apostolorum, septuaginta duorum discipulorum, et trium puerorum: sancti Stephani principis Diaconorum, sancti Georgii, sancti Theodori, sancti Mercurii, sancti Mennae, sancti Philothei, sancti Basilidis, sancti Patris Nob, et omnium martyrum: Domini quoque et magni, sanctique Patris nostri Abba Antonii: Patrumque nostrorum sanctorum trium Macariorum, Patrisque nostri Abba Bichoi, et Abba Joannis, Abba Cyri, et Patris nostri Abba Barsomae: Patris nostri Abba Salama, Joannis Kemi: justique Patris nostri Abba Pauli, patrumque sanctorum Grae-

corum, Maximi, Demetrii, Moysis patris sancti, et quadraginta Martyrum: et Patris nostri Tecla-Haimanoth, et Patris nostri venerandi Patriarchae nostri N. Regisque nostri Claudii, et omnium cruce signatorum justorum et electorum, et Angeli diei hujus sanctae. Orationes eorum, benedictionesque et intercessiones eorum, et pax eorum, et caritas Dei sint nobiscum in saecula saeculorum. Amen.

Sacerdos. Nobis et omnibus qui quietem acceperunt miserere, tu qui misisti Filium tuum in sinum Virginis.

Diaconus. Qui sedetis surgite.

Sacerdos. Gestatus est in utero, et caro factus est Filius tuus, manifestatusque est a Spiritu sancto.

Diaconus. Ad Orientem aspicite.

Sacerdos. Coram te stant mille millies Angeli et Archangeli sancti.

Diaconus. Attendamus.

Sacerdos. Veneranda animalia sex alas habentia, Seraphim et Cherubim, qui duabus faciem suam tegunt, duabus pedes suos: duabusque volant a finibus usque ad fines mundi: et sicut semper te laudant et sanctificant, ita suscipe has sanctificationes, quas tibi dicimus: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Diaconus. Respondete.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra sanctitate gloriae ejus.

Sacerdos. Vere pleni sunt coeli et terra sanctitate gloriae tuae, per Dominum, et salvatorem nostrum Jesum Christum, cum Spiritu sancto, in saecula saeculorum. Amen. Sanctus Filius tuus, qui venit et natus est ex Virgine, ut voluntatem tuam perficeret, populumque sanctum tibi constitueret.

Hic Sacerdos manus suas imponet thuribulo, moxque eas extendet super oblatam.

Populus. Secundum misericordiam tuam Deus, et non secundum nequitias nostras. *Et dicitur ter.*

Sacerdos. Extendit manus suas ad passionem; passus est, ut passiones solveret, eorum qui sperant in te: qui tradidit se ipsum voluntate propria, ad patiendum, ut mortem destrueret et vincula satanae dissolveret, infernum calcaret: testamentum suum constitueret, et resurrectionem suam manifestaret. Ea ipsa nocte in qua traditus est, 13 accepit panem in manus suas sanctas, beatas et immacula-

tas, aspexit in coelum, ad te Patrum suum, gratias egit, benedixit, sanctificavit, et dedit discipulis suis dicens: accipite, manducate ex eo vos omnes: Hic panis est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Amen.

Populus. Amen. Amen. Amen. Credimus et certi sumus, laudamus te Domine Deus noster, hoc est vere, et ita credimus, corpus tuum.

Sacerdos. Similiter calicem gratiarum actionis benedixit et sanctificavit et dixit illis: accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, pro redemtione multorum. Amen.

Populus ad Calicem dicet. Amen. Vere est sanguis tuus, credimus.

Sacerdos. Et quotiescumque id feceritis memoriam mei facietis.

Populus. Mortem tuam annuntiamus Domine, et resurrectionem tuam sanctam credimus, ascensionem tuam et adventum tuum secundum: rogamus te Domine Deus noster: hoc vere ita esse credimus.

Sacerdos. Nunc etiam Domine memoriam agentes mortis et resurrectionis tuae, offerimus tibi hunc panem et hunc calicem: gratias agentes tibi, quod per ea dignos fecisti nos standi coram te, tibique sacerdotale ministerium exhibendi. 14. Rogamus te Domine et deprecamur te, ut mittas sanctum Spiritum, et virtutem super hunc panem, et super hunc calicem, faciatque utrumque corpus et sanguinem Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, in saecula saeculorum. Amen.

Sacerdos. Miscuisti, etc. Da ut omnibus illa sumentibus fiant ad sanctificationem et plenitudinem Spiritus sancti, et ad roborationem fidei, ut te sanctificent, per Dominum et salvatorem nostrum Jesum Christum, cum Spiritu sancto, in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus. Toto corde deprecamur Dominum Deum nostrum, ut benigne nobis concedat unionem bonam Spiritus sancti.

Sacerdos. Da nobis ut uniamur in Spiritu tuo sancto, et sana nos per hanc oblationem, ut in te vivamus per omnia saecula saeculorum. Amen. Benedictum sit nomen Domini: et benedictus qui venit in nomine Domini: et benedicatur nomen gloriae ejus: fiat, fiat, fiat. *Populus: idem repetit.*

Sacerdos. Mitte gratiam Spiritus sancti super nos.
Diaconus. Surgite ad orationem.

15. Sacerdos dicit Orationem fractionis.

Gratias humiliter ago tibi Domine Deus meus, totius mundi potens: qui sedes super thronum Cherubim, qui in excelsis habitas, et in inferioribus glorificaris: qui in lumine substantiae tuae requiescens in aeternum, mysterium absconditum crucis manifestasti nobis. Quis Deus misericors et sanctus sicut tu, cujus est potentia, quae a nobis elongata non est, quando quidem potestatem dedisti Apostolis, et illis qui serviunt tibi sincero corde, et iis qui offerunt tibi sacrificia in odorem suavitatis, per Dominum et Deum nostrum Jesum Christum: tibique, illi et Spiritui sancto, debetur gratiarum actio, gloria, et laudatio in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus. Qui statis humiliate capita vestra.

Sacerdos. Domine qui sedes super Cherubim, et aspicis populum et haereditatem tuam, benedic servis et ancillis tuis, eorumque filiis, et retribue unicuique qui veniet partem accepturus ex admirabili mensa tua, cum conscientia pura, remissionem peccatorum, quae cum Spiritu sancto conjuncta est, ad salutem animae et corporis, ad coelestis regni consequendam haereditatem: per gratiam et voluntatem unigeniti Filii tui, per quem tibi et simul cum eo, et cum Spiritu sancto, est gloria et potestas, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

16. *Subdiaconus simul cum populo dicent.* Exercitus Angelorum salvatoris mundi stant coram eo, et cingunt corpus et sanguinem Domini et salvatoris nostri Jesu Christi: accedamus ante faciem ejus, et cum fide Christum veneremur.

Diaconus. Adorate Deum cum timore.

17. Sacerdos dicit Orationem poenitentiae.

Domine omnipotens, qui sanas animas et corpora nostra, qui voce unigeniti Filii tui Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, dixisti Petro patri nostro: tu es Petra, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt ad eam concutiendam: tibique dabo claves regni coelorum: et quodcumque

ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum in coelis: servi igitur tui et ancillae tuae absolvantur ore Trinitatis sanctae, Patris, Filii et Spiritus sancti: et ab ore mei peccatoris et nequam servi tui. Domine Deus noster, tu es qui tollis peccata mundi: suscipe poenitentiam servorum tuorum, et ancillarum tuarum: exoriri fac super eos lumen vitae, et dimitte illis peccata eorum quia benignus et misericors es, Domine Deus noster, longanimis et multae misericordiae, justusque vere; si peccaverimus tibi Domine, verbis, operibus, aut cogitationibus nostris, remitte, solve et obliviscere, quia tu benignus et amator hominum es, Domine Deus noster, praesta nos omnes absolutos esse, omnemque simul populum absolve.

Absolve Domine Patriarcham nostrum Abba N. sanctumque et beatum Metropolitam nostrum N. omnesque Patriarchas, Episcopos, Sacerdotes et Diaconos, unumquemque suo nomine. Conserva eos nobis per annos multos et dies tranquillos, cum justitia et pace. Absolve Domine Regem nostrum ab omni vinculo peccati.

Memento Domine omnium qui dormitionem acceperunt, et quieverunt in fide Christi, et congrega animas eorum in sinu Abraham, Isaac et Jacob. Libera etiam nos ab omni peccato, et maledicto: ab omni abnegatione, et perjurio: ab omni communione perfidiae haereticorum et gentilium. Da nobis cor et intelligentiam, ut fugiamus ab omnibus operationibus satanae: da etiam nobis, ut voluntatem tuam faciamus omni tempore, et scribe nomina nostra in regno coelorum, simul cum omnibus justis et martyribus: per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem, cum quo, et cum Spiritu sancto, tibi est gloria et potestas, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus. Aspiciamus. *Sacerdos.* 18. Sancta sanctis.

Populus. 19. Unus Pater sanctus: unus Filius sanctus: unus Spiritus sanctus.

Sacerdos. Dominus vobiscum.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Domine Jesu Christe miserere nostri: *et ter a populo replicatur.*

Sacerdos. 20. Corpus sanctum, pretiosum, vivum, et verum Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, quod datur ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus illud cum fide. Amen.

Sanguis sanctus, pretiosus, vivificans, et verus Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, qui datur ad remissionem peccatorum et vitam aeternam suscipientibus illum cum fide. Amen. Hoc est corpus et sanguis Emmanuelis, in rei veritate. Amen. Credo, credo, credo, ex hoc nunc et usque in saeculum. Amen. Hoc est corpus et sanguis Domini et salvatoris nostri Jesu Christi quae accepit ex Domina omnium nostrum sancta et pura Maria Virgine, fecitque illud unum cum divinitate sua, absque commistione, aut confusione, divisione, aut alteratione divinitatis: perhibuitque bonum testimonium in diebus Pontii Pilati: et tradidit se pro nobis voluntate sua, super lignum crucis sanctae. Amen. Credo, credo, credo, quod divisa non fuerit divinitas ejus ab humanitate ejus: ne hora quidem una, aut nictu oculi. Tradidit se pro nobis ad salutem, remissionem peccatorum, et vitam aeternam, suscipientibus illa cum fide. Amen. Credo, credo, credo, ex hoc nunc et usque in saeculum. Amen.

21. *Et postquam communicaverit Sacerdos corpori Christi, populo communionem distribuet dicens.* Hic est panis vitae, qui de coelo descendit, vere pretiosum corpus Emmanuel Dei nostri. Amen.

Et qui recipit, dicet. Amen.

Diaconus praebebit calicem dicens. Hic est calix vitae, qui descendit de coelo, qui est pretiosus sanguis Christi.

Et qui recipit, dicet. Amen. Amen.

Diaconus. Orate pro nobis et pro omni populo Christiano, et illorum memoriam facite, qui nobis dixerunt, ut eorum recordaremur: laudate et psallite cum pace et amore Jesu Christi.

Sacerdos. Quos vocasti, Domine, et sanctificasti, da illis partem in vocatione tua: conforta eos in amore tuo, et custodi eos in sanctitate tua, per Christum unigenitum Filium tuum; per quem tibi et cum eo, et cum Spiritu sancto, est gloria et potestas nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Domine qui aeternum lumen vitae, et fortitudinem servis tuis tribuisti, et custodivisti illos pluribus diebus ac noctibus praeteritis in pace, benedic etiam illis hac die, et postea, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem tibi et cum eo, et Spiritu sancto, est gloria et potestas, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus. Gratias agamus Domino cujus sancta suscepimus: ut ea quae suscepimus, sint nobis ad vitam animae et ad medelam, rogamus et obsecramus laudantes Dominum Deum nostrum.

Sacerdos. Exaltabo te rex meus et Deus meus, et benedicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi.

Populus. Pater noster qui es in coelis, ne nos inducas in tentationem, cum participes facti fuerimus corporis sancti et sanguinis pretiosi: gratiasque agimus, quod nos dignos fecerit, communicandi mysterio gloriae et sanctitatis, quod omnem intelligentiam superat: benedicam tibi et laudabo nomen tuum, in saeculum, et in saeculum saeculi.

Populus. Pater noster.

Sacerdos. Laudem Domini loquetur os meum, et omnis caro benedicet nomen sanctum ejus, in saeculum, et in saeculum saeculi.

Populus. Pater noster.

Sacerdos. Rector animarum, sanctorum director, sanctorum gloria: da nobis Domine oculos intelligentiae, qui perpetuo te aspiciant; et aures quae solummodo te audiant, postquam satiata fuit anima nostra, gratia tua. Cor mundum crea nobis Domine, ut perpetuo intelligamus bonitatem et amorem erga homines Dei nostri: benignus esto animae nostrae, mentemque puram et rectam nobis largire, qui corpus tuum et sanguinem percepimus, nos humiles servi tui: quia tuum est regnum Domine, laus et benedictio, Pater, Fili, et Spiritus sancte, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio benedictionis.

Sacerdos. Domine Deus noster, lumen inextinguibile, respice servos tuos et ancillas tuas, sereque in cordibus eorum timorem nominis tui, et numera illos, ut fructificent in benedictione, quibus datum est corpus tuum et sanguis tuus: utque habitet super eos qui inclinant capita sua coram te, populum tuum, viros, mulieres et infantes, et nos etiam illis adjunge, protege, dirige et salva, per virtutem Archangelorum tuorum. Ab omni opere malo remove nos: ad omne opus bonum adjunge nos: per Christum unigenitum Filium tuum per quem, etc.

Hic finem habet Liturgia Patrum nostrorum Apostolorum, Orationes eorum et benedictiones eorum nobiscum sint. Amen.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Trinitas inexplicabilis: da mihi ut accipiam ad vitam, et absque condemnatione corpus tuum. Da mihi ut faciam fructum qui tibi placeat, et appaream in gloria tua, et vi-

vam tibi, faciens voluntatem tuam: cum fide invoco te pater, et invoco regnum tuum. Sanctificetur Domine regnum tuum, et tibi sit gloria in saecula saeculorum.

Diaconus. Inclinate capita vestra coram Domino Deo vivente, sub manu servi ejus sacerdotis, ut benedicat vobis.

Populus. Amen.

Sacerdos. Benedicat nos servos suos Dominus: in pace sit remissio peccatorum, nobis qui percepimus corpus ejus sanctum, et sanguinem ejus pretiosum. Concede nobis per spiritum, ut omnes vires inimici conculcémus. Benedictio manus tuae sanctae, plena est misericordia et in ea spem omnes habemus: ab omni opere malo remove nos: et ad omne opus bonum adjunge nos. Benedictus qui dedit nobis corpus suum sanctum, et sanguinem suum pretiosum. Gratiam accepimus, et vitam invenimus, per virtutem crucis Jesu Christi. Tibi Domine gratias agimus, quod acceperimus gratiam Spiritus sancti. Gloria Domino Deo, qui dedit nobis corpus suum sanctum, et sanguinem pretiosum, laus Mariae quae est gloria omnium nostrum, quae protulit nobis Eucharistiam.

IN CANONEM GENERALEM
SIVE LITURGIAM AETHIOPICAM
OBSERVATIONES.

Omnium Liturgiarum Orientalium haec prima, in Europa edita est Aethiopice, Romae anno MDXLVIII. et Latine anno sequenti. Cum enim vastata per Galarum et Granhei Muhamedani Principis incursiones Aethiopia, in maximis angustiis foret, sacerdotes aliquot, quorum praecipuus erat Petrus, aliter dictus *Tesfa-Sion*, Comos sive Archimandrita, Romam venerunt, ut libros Novi Testamenti sua lingua excuderent, ne perirent funditus in publica illa calamitate. Adjecerunt Ordinem communem Liturgiae suae, qui Latine conversus est a doctis aliquot Italis, ope eorumdem Aethiopum. Isti vero cum Latine parum scirent, alteri Aethiopice non magis, sententiam non semper assecuti sunt. Erat tunc summa Rituum Orientalium, totiusque Ecclesiasticae disciplinae veteris ignorantia, per quam factum, ut etiam in versione non prorsus reprehendenda, occurrerent salebrae innumerabiles, superatu difficiles, nisi ex aliarum Ecclesiarum, Alexandrinae praecipue disciplina, lux afferretur, quod nemo tunc praestare potuisset. Neque enim notae erant Aegyptiacae Liturgiae, quae istius fontes et originem continebant, sine quibus tamen de Aethiopica recte judicari non poterat. Nihil igitur quod ad illam explicandam pertineret versioni adjunctum est: ipsa aliquibus in locis interpolata est, ne censuram incurreret. Aethiopibus vero licuit illam suam Liturgiam, ut in Codicibus suis extabat, typis excudere, cum levissima mutatione, qualis est additio particulae *Filioque* in Symbolo, et paucis aliis. Edita deinde fuit eadem Latina versio in Bibliotheca Patrum, sed absque ulla mutatione: accesserunt tantummodo notae aliquot hominum linguae Aethiopicae et disciplinae Orientalis aeque imperitorum, unde nullus prope ad Ecclesiam Catholicam fructus, qui tamen non exiguus ex ea Liturgia capi poterat, pervenerit. Criticen in ea suam Rivetus exercuit, prorsus ineptam: Albertinus formam verborum Christi quae in ea legitur, tanquam argumentum quo Catholici jugularentur, arripuit. Tandem in celebri disputatione de perpetuo Ecclesiae circa Eucharistiae fidem consensu, excerpta ex Canone generali et aliis Liturgiis Aethiopicis inserta sunt, de quibus triumphator ille Claudius verbum non fecit. Expectabatur a viro Aethiopice doctissimo, ejusque linguae per annos sexaginta et amplius cultore indefesso Jobo Ludolfo, singularis aliqua Liturgiarum illarum notitia: verum nihil ille minus praestitit. Duo enim quae tamen maxime necessaria erant illi defuerunt: bona fides, et rerum Ecclesiasticarum peritia.

Bonam fidem si habuisset, orationes aliquot, quales sunt Invocandi Spiritus sancti, aut gratiarum actionis formulas maxime Confessionem fidei de Eucharistia non reticuisset, ut ambiguas Aethiopis sui responsiones obtruderet. Disciplinae Orientalis peritus si fuisset, absurda multa, et quae ex comparatione Rituum Alexandrinorum refelluntur, non proposuisset, ex quibus tamen non modo Aethiopicae Ecclesiae, sed primorum saeculorum fidem et ritus agnosci jubet. Voces etiam antiquo usu omnium Ecclesiarum consecratas falsis interpretationibus non corrupisset, ita ut qui ex ejus Lexicis Liturgias Aethiopicas interpretari aggrediatur, a vero illarum sensu abeat longissime. Miratus sit Ludolfus elegantiam linguae illius, carmina Cafatica, Amharica, et alia Pindaricis praetulerit, non magni refert: simiolis, cercopithecis et monstris saepius delicati homines delectantur: Verum in obscura lingua quam explicabat, novas et inauditas significationes vocum inducere, ut Aethiopes, vel inviti, Lutherani fierent, pessimo exemplo, et infelici successu ab eo tentatum esse, certis argumentis demonstrabimus.

Observandum est statim Canonis universalis titulum quem Latina Liturgiae versio praefert, non extare in Aethiopicis exemplaribus. *Kadas* vocant Aethiopes, voce ipsis cum Syris et Arabibus communi, Officium Liturgiae: quod pariter et frequentius *Anaphora* quoque vocant: et id nomen a Coptitis acceperunt, ut reliqua ferme omnia, nam tres suas Liturgias Basilii, Gregorii Theologi, et Cyrilli non aliter appellant, ut Syri suas. Itaque voces illae significant Missam sive Liturgiam, et si aliter, rarius tamen appellantur, ut *Orationes* vel *Oratio Eucharistica*, ad eumdem significatum referri debent. At mirum, quantopere has voces refugerit Ludolfus in cujus Lexico et Historia, *sacra Coena, Participatio sacrae Coenae, Arcanum participationis,* aut aliter, nec magis apposite, vocem *Kadas* et *Anaphorae* interpretatur.

Neque fidelius rem ipsam explicavit quam nomina, cum Liturgias, Homilias esse dixit, non uno loco: quae interpretatio si vera foret, pro una Chrysostomi aut Basilii Liturgia, totidem haberemus, quot sermones ad populum habuerunt, cum plerumque pronuntiarentur inter Missarum solennia. Nihil porro minus Homiliae simile quam Liturgia, in qua non solus Sacerdos loquitur: sed Diaconus, et populus circumstans. Homilias dramaticas, nemo ante Ludolfum noverat, et eas quae vere Homiliae possunt appellari, habent Syri, Coptitae, omnesque Orientales Christiani, easque *Tafassir* vocant, et similes procul dubio in Aethiopia extiterunt.

Illam porro Liturgiae communis formam *Canonem universalem*, non male appellaverunt, primi illius Interpretes cum omnes sacri Officii partes contineat, etiam praeparatorias, et ex illa peti debeant, quae omnibus aliis aeque conveniunt, de qua distinctione dictum est ad Basilii Copticam Liturgiam. Ex ea composita est prima illa Aethiopum Liturgia, ut comparanti utramque statim apparet, et in notis probabitur. Talis sane esse debuit, cum ab Alexandrina Ecclesia, praesertim post Benjamini Patriarchae tempora, Aethiopes quaecumque ad divinum cultum pertinebant, acceperint. Unde si quid diffi-

cile videtur, ex archetypo explicandum est, et ad primariam formam revocandum.

Inde sequitur, orationes aliquot praeparatorias, quae in Canone universali primum occurrunt, non esse proprie Liturgicas. Tales sunt illae quae dicuntur super vasa sacra, patenam, calicem, cochlear, arculam. Cum enim Coptitis familiares sint, et iisdem prope verbis legantur in plerisque codicibus, et in Rituali Gabrielis Patriarchae, omni novitatis aut suppositionis suspicione carent: non eodem tamen loco assignantur. Quippe sunt benedictiones propriae, quae non quotidie inter sacrorum solemnia, sed semel usurpantur ad vasorum, et ornamentorum altaris ministerio destinatorum consecrationem. Illarum formulas ex eodem Gabrielis Patriarchae libro Rituali transtulimus. Videtur itaque Petrum Aethiopem et ejus socios, cum in Codice suo Liturgico illas reperirent, easdem cum aliis orationibus praeparatoriis conjunxisse; ut in similibus Codicibus plures occurrunt, quae cum Officio Eucharistico non cohaerent. Existimare enim, Aethiopes ad singulas Liturgias, altare, ornamenta, vestes, vasa sacra benedictionibus multoties repetitis consecrasse, absurdissimum est, ea praecipue ratione, quod non a simplicibus Presbyteris haec consecratio fieret, sed ab Episcopis. Paucissimi autem a multis saeculis in Aethiopia Episcopi sunt, et Gregorii Abulfaragii aetate, scilicet decimo tertio saeculo, unus tantum erat, et is *Metropolita*, seu ut vulgo dicitur *Patriarcha*, cujus ordinatio in Aegypto fieri debebat. Unde saepe absque sacerdotibus fuit Ecclesia Aethiopica, quod plures Episcopos nollent ordinare Alexandrini Patriarchae, ne ab illorum obsequio recederent. Videnda quae dicta sunt in Historia Patriarchali.

In Nomocan. Syr. Ms. Syr.

Orationes igitur istae super patenam, calicem, et cochlear non pertinent ad quotidianum Liturgiae Officium: et quae annotata sunt ad eorumdem vasorum sacrorum benedictiones Ritu Alexandrino, istis conveniunt, quapropter illa repetere necesse non est. Benedictio autem *arculae*, singularis est Aethiopicae Ecclesiae, et illam Alexandrina non habet: neque satis intelligi potest quid vox Aethiopica significet. Benedicitur quidem apud Alexandrinos *Tabula*, sive *ἀντιμίνσιον*, ut Graeci vocant, sine qua celebrare Liturgiam non licet. Fortasse igitur *Arcam* vocaverunt, aut *arculam* ut Latini interpretes, vas majus aliquod, quo discus et calix continerentur: qualis est etiam arca quae vocatur *Tabout*, sive Arca, de qua ex traditione Aethiopum erit alibi dicendi locus.

2. *Oratio illationis.*

Id proprie significat vox Aethiopica, quae significatio caeremoniae quae eodem tempore observatur accurate convenit. Nempe tunc dona, sive panis et vinum quae ad sacrificium destinantur, ex *Prothesi* sive ut Rituales nostri hodierni loquuntur *Credentia*, ad altare inferuntur, eo quo explicavimus modo, in Commentario ad Liturgiam Basilii. Illic observatum fuit, Ritum eum quem

P. 168. et seq.

Graeci vocant μεγάλην εἴσοδον, communem esse omnibus Christianis Orientalibus, ipsis etiam Aethiopibus. Testis oculatus istius caeremoniae Franciscus Alvarezius, illam in Itinerarii sui historia descripsit, testaturque panem, sive oblatam deferri ex secretario in paropside quadam, quae patenae nostrae respondet, et aliorum Orientalium disco, cum pompa, cereis praecedentibus pulsatis simul campanulis. Sed fallitur dum Azymam illam esse scribit, nam praeter Armenos, fermentato pane ad Eucharistiam celebrandam, omnes utuntur. In versione Latina dicitur *Sacerdotem offerre hostiam super altare:* quod intelligendum est eo quem diximus modo, non Ritu Latino, quem verba prae se ferunt. Ita quoque intelligi debet oratio quae sequitur, *quando ponitur vinum et aqua in calice a Diacono,* cum vulgo in Ecclesiis Orientalibus factum id fuerit in Prothesi, aut in Secretario, non ad altare. Uno verbo maxima Rubricarum pars, ut leguntur in Latina versione, addita est ab Interpretibus, non ex fide exemplaris Aethiopici, in quo plerumque desiderantur, sed ex conjectura, cum Ritus Orientales ignorarent, atque ea ratione nullam habent autoritatem.

3. *Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.*

Male in versione Latina, *Sacerdos in gratiarum actione dicit Orationem sequentem.* Est enim haec oratio, eadem quae hoc titulo *Gratiarum actionis,* habetur in Liturgia Basilii, quam male Victorius Scialach interpretatus est *Orationem ad cingulum.* *Tom. I. p. 2. et 167.*

4. *Oratio oblationis mysticae.*

Ea quoque ex Coptica expressa est, de qua fuse dictum est in Commentario: et quaecumque illo loco observata sunt, aeque ad Aethiopicam Liturgiam pertinent. Observandum est in versione Latina occurrere ista verba. *Cujus substantia creata non est, sed es purum Verbum: tu es Filius Patris et Spiritus sancti,* absurde prorsus et imperite. Qui hanc Liturgiam in Bibliothecam Patrum cum aliis transtulit Margarinus Bigneus, more suo Lectorem monuit, ut caute haec legeret, tum ex Theologia nodi solutionem adscripsit. Verum eo loco hiatum, aut mendum a librariis esse certissimum videtur, cum similis locutionis in scriptis Theologorum Orientalium de Trinitate permultis, aut in aliis libris, ne vestigium quidem occurrat. Deest igitur aliquid; nempe verba necessaria ad sententiam quam Oratio in exemplari Coptico repraesentat exprimendam, ubi nihil simile: sed dicitur *Filius consubstantialis Patri, et Spiritui sancto, et utrique coaeternus.* *P. 168.*

Ibidem, *super hoc altare spirituale tuum.* In vulgata versione, *super hoc altare portatile* Vox Aethiopica, quae reliquis linguis Orientalibus communis est, nihil minus significat. Vocatur *altare spirituale,* in hac et in multis aliis Liturgiis, quia mysterium in eo celebratum, quamvis vere et reipsa,

invisibiliter tamen, sive spiritualiter perficitur. Idcirco celebrationem Eucharistiae vocant *sacrificium spirituale et incruentum.* Verisimile igitur est, primos illius Liturgiae Latinos interpretes, cum quid esset, *altare spirituale* non satis perciperent, Aethiopes de forma altarium suorum interrogasse. Illi cum communem omnibus Ecclesiis Orientalibus disciplinam explicassent, circa tabulas ab Episcopis consecratas, sine quibus, etiam in altaribus solidis, Orientales rem sacram non faciunt: tum etiam morem transferendi similes tabulas, cum Rex castra moveret; proclive fuit ut illi interpretes existimarent illas altaribus, quae portatilia vocantur esse similes. Neque alia ut videtur hujus diversitatis causa quaerenda est.

5. *Transmuta hunc panem, etc.*

Oratio haec ut diximus, translata est ex Coptica Liturgia Basilii, et idcirco haud aliter, quam apud Coptitas intelligitur, accipienda. Veram autem mutationem significat vox Aethiopica, *rei* scilicet, *unius in aliam,* ut agnoscit ipse Ludolfus in Lexicis suis: multique scripturae loci in quibus usurpatur, palam faciunt. Si vel levissima de ejus significatione esset dubitatio, vox Coptica cui respondet, et versiones Arabicae illam plene discuterent.

6. *Sacerdos dicit Orationem Absolutionis ad Filium.*

Titulus ille extat in exemplari Aethiopico, idemque est, atque is quem eadem oratio praefert in Copticis exemplaribus, et de illa dictum est in Commentario. In Latina versione *Coadjutor sacerdos dicit, etc.* Ita vocant, et satis proprie qui ad verbum *semi-Presbyter* vocatur, Aethiopice, cujus tamen Ordinem velut a Presbyteri Ordine distinctum Ludolfus imaginatur. Vocatur ita Sacerdos *assistens*, ut in Caeremonialibus nostris libris vulgo appellatur; quamvis differat utriusque Officium. Nam in Ecclesiis Orientalibus, praesertimque in Alexandrina Jacobitica, soli Diaconi Sacerdoti celebranti ministrant. Hoc loco quid per *semi-Presbyterum* intelligatur, ex Ecclesiae Copticae disciplina certo scimus. In libris quippe Ritualibus, praecipue Gabrielis Patriarchae, notatur, Orationem Absolutionis de qua nunc agitur, pronuntiari super Sacerdotem celebrantem, etiam Episcopum, ab Hegumeno seu *Komos,* quae vox non modo Archimandritam, sed Archipresbyterum significat: aut ab alio Sacerdote. Verisimile igitur omnino est eamdem in Aethiopica Ecclesia, ac in Alexandrina ejus matre fuisse disciplinam, circa illius Absolutionis pronuntiationem. Nam si ut alicubi voluit Ludolfus, per *semi-Presbyterum* intelligendus est Diaconus, ut per *semi-Diaconnm,* Subdiaconus, sequitur Orationem Absolutionis pronuntiari a Diacono, quod absurdissimum et disciplinae contrarium est. Quamvis enim haec oratio Absolutionis sacramentalis rationem habere non possit, non quod deprecatoria est, omnes enim Absolu-

p. 181.

L. 3. c. 7. Hist.

tionum Orientales formulae tales sunt, ut plurimum: jurisdictionem tamen sacerdotalem supponit necessario. Inter Sacerdotem porro et Diaconum medius Ecclesiasticus Ordo nullus est: cum *Komos* apud Aegyptios ut Aethiopes, Sacerdotem dignitate et autoritate antecedat.

7. *Absolve Domine Patriarcham nostrum, etc.*

Intelligendus est Patriarcha Coptitarum Alexandrinus, qui plenam etiam longe ultra Canonum praescripta, autoritatem habet in Ecclesia Aethiopica, ita ut ab eo solo Metropolita eligatur, et ordinetur pleno jure, inconsultis Episcopis, cum olim septem essent. Sed nulli dudum sunt ab annis circiter quadringentis, ut de suo tempore testatur Gregorius Abulfaragius. Videnda sunt quae retulimus in Historia Alexandrina. Metropolita, seu Papas, ut vocant illum Aethiopes, est illorum supremus Antistes. Hunc vulgo Patriarcham vocant homines nostri, quem titulum in Oriente nunquam habuit; sed aliquando Catholici, in quibusdam Collectionibus Canonum illorum Nicaenorum qui dicuntur Arabici, quamvis improprie. Nam Catholicus dicebatur, is qui Episcopos et Metropolitas ordinare poterat; quod non potest dudum Aethiopum praesul; sed diu Episcopos tantum ordinavit, neque plures quam septem; postea nullos: Metropolitas nunquam, cum in Aethiopia nullus praeter eum extiterit. Itaque cum in aliis ejus loci orationibus et in Diptychis post Patriarcham, et Metropolitam, memoria fiat Episcopornm loci: hic de illis mentio nulla est; nempe quod nullus esset praeter Metropolitam Episcopus.

Hist. Patr. Alex. p. 170. 273. 283. 336. 510. 525. 560.

Can. 42.

8. *Memento Domine animarum servorum tuorum, etc.*

Cum hoc loco oratio fiat pro illis quos Ecclesia Aethiopica veneratur tanquam sanctos, et ad quos preces multae diriguntur in Synaxariis, excusari non possunt Aethiopes, quod non aliter sanctorum, quam eorum quorum salus incerta est, commemorationem faciant. Nefas quidem esse orare pro martyre testatur Augustinus non uno loco: verum quamvis sancti quorum in hac oratione nomina leguntur, martyres non fuerint, agnita tamen est et tot miraculis confirmata illorum sanctitas, ut in universa Ecclesia commendare se illorum apud Deum interventionibus fideles soliti fuerint, non pro illis orare et absolutionem petere. Si de nonnullis qui hic nominantur, dubium aliquod foret, at nullum de SS. Antonio et Macario, ut neque de Salama quem eumdem esse verisimile est, qui Frumentius a Graecis appellatur, ex quo nomine Aethiopes fecerunt *Fremonatos.* Idem peccatum observatur in Officio Generali Syriaco quod a nobis editum est, ubi non solum pro aliquibus sanctis oratur, et quies postulatur, verum et pro B. Virgine, quo nihil absurdius. In Liturgia Coptica Basilii, neque in Graeca ejusdem tituli Alexandrina simile quidquam occurrit, ut nec in aliis omnibus Liturgiis. Unde

suspicari proclive foret, turbata fuisse per imperitos Librarios exemplaria, ex quibus editio Romana facta fuit: idque eo facilius conjicere possumus, quod multa habet suis locis non posita, mendaque infinita. Nam commemorationes mortuorum duas accurate distinctas animadvertimus in Orientali non minus, quam in Occidentali Ecclesia, et in Graeca ex qua Officia sacra omnia Syrorum, Coptitarum, Aethiopum, aliorumque, praeter Latinos, originem habuerunt. Sanctorum nomina commemorantur, ut Deus per illorum interventionem et orationes, nobis gratiam illorum virtutes et exempla imitandi concedat, et nobiscum misericorditer agat. Altera commemoratio defunctorum eo consilio celebratur, ut Deus ipsis peccata dimittat, requiem illis praestet, et in beatitudinem inducat. Haec duo tam diversa, et separata in omnibus Liturgiis, in ista confunduntur, errore potius librariorum et imperitia, quam ex ea opinione in quam Graeci sequioris aevi lapsi sunt, cum adversus Latinos Theologos acrius et incautius de Purgatorio disputarent. De illa quaestione dictum est alibi et quae circa illam observavimus repetere non est hujus loci. Nam Aethiopes talem Theologicarum rerum facultatem habuisse, ut in ista se exercerent, nemo facile existimabit; nisi qui Ludolfi cum Aethiope suo dialogos aliquid serium continere judicabit. Introducitur enim adversus Purgatorium disputans, et negans simile quidquam a suis agnosci, vere fortassis, cum ut ex multis locis apparet, ne Catholicus quidem ullus fidem suam tali interprete agnovisset. Sed quid illud tandem erat, cum Aethiopes orare et Liturgiam offerre pro mortuis certissimum sit: quod in Reformatione piaculum judicatur. In ea parte disciplinae servanda reliquas Ecclesias imitati sunt, et in traditione veteri permanserunt. Cum ad beatos et sanctos pertinere etiam voluerunt haec pietatis officia, gravissime erraverunt, nec ulla ratione possunt excusari, si quidem ita sensisse eos certum erit.

Perp. T. 5. l. 8. c. 5. et seq.

Verum ut ita de illis existimetur, firmioribus argumentis opus est, quam sunt ea quae ex ista Oratione ducuntur, in qua describenda facilius est peccasse librarios, quam Aethiopes a communi Alexandrinae Ecclesiae disciplina defecisse, praesertim, cum si ita foret, contradixissent ipsi sibi. Nam eos pro quorum absolutione orare videntur, invocant, ut eorum precibus apud Deum adjuventur: haec autem sunt ἀσύστατα.

Reges qui illa in oratione commemorantur partim noti, partim ignoti sunt, cum Aethiopicae historiae tanta sit obscuritas, ut ne seriem quidem Regum certam exhibeat, et quam parum in ea praestiterit Ludolfus, adhibita tamen summa per annos multos diligentia, sciunt eruditi. Abraha et Atzbea antiquissimi videntur, iidemque forsitan fuerunt, quorum apud Athanasium mentio est, quique Axumitarum tyranni appellantur. Nomina tamen plane diversa sunt, quod mirum esse non debet, cum barbara omnia nunquam prope, Graeci suis literis fideliter expresserint, et saepissime id praestare non poterant. Consentiunt autem Aethiopum pauci libri, circa Reges illos suos, quod Athanasio aequales fuerint et Frumentio, quapropter iidem esse videntur ad quos scripsit Constantius. Axumitas quippe vocatos fuisse olim

Aethiopes certissimum est, et ea vox ad illos designandos adhuc superest in Actis electionis Patriarcharum Alexandrinorum. Qui de Regibus quorum nomina sequuntur plura volet, consulat Baltasaris Tellezii Historiam ex qua quidquid verum est circa illorum successionem, habuit Ludolfus. Neque praetereundum est, Reges illos, si primos duos excipiamus, Jacobitas fuisse, non Orthodoxos, ut etiam Tekla-Haimanot qui pater vitae Coenobiticae apud Aethiopes fuit: et plerosque Metropolitas, quorum nomina in oratione eadem consignata sunt: tanta fuit oscitantia aut ignorantia eorum qui editioni versionis Latinae hujus Liturgiae praefuerunt. Excusari poterant circa personarum ignotissimarum nomina, sed excusatione omni caret omissio Synodi Calchedonensis, post nominatas Nicaenam, Constantinopolitanam I. et Ephesinam. Haec quippe Monophysitarum haereseos certissima nota erat, quam censores parum perspicaces non animadverterunt: neque Severi nomen agnoverunt, furiosi ejusdem defensoris, quem idcirco Jacobitae inter coelites collocant, et hac ipsa in oratione Athanasio praeponunt.

9. *Epistolae Pauli lectio.*

Orientales Christiani Graecorum exemplo, plures sacrae Scripturae lectiones in Liturgia celebrant; et in quibusdam diebus aut solemnibus festis legunt primo, caput aliquod ex Veteri Testamento, et ex Prophetis, Psalmi semper interponuntur, nec in numerum veniunt. Sed in singulis Liturgiis fiunt Lectiones ex Epistolis Pauli, et ex Canonicis. In ista Liturgia, primae vocantur *Paulus,* simpliciter; cum ut a Graecis, ita a plerisque Orientalibus vulgo vocari soleant *Apostolus*. Unde liber apud Graecos communis *Apostolo-Evangelia* dicitur, quod proprias secundum tempora et dies festos, Epistolarum et Evangeliorum Lectiones contineat. Alteras, Orientales vocant *Catholicon*, quia continent sectiones ex Catholicis Epistolis legi solitas. Hic vocantur *Havari* id est *Apostolus.* Sunt autem hic multa transposita in Latina versione, cum Codex Aethiopicus magis respondeat communi Alexandrinae Ecclesiae ordini. Illum accurate exposuit Codex Bibliothecae Regiae, qui Rubricas adjunctas habet, ex Rituali Gabrielis Patriarchae descriptas, quas versione nostra expressimus. Illae vero, ut etiam aliae quae ad Ritum Syriacum pertinent, huic loco Aethiopicae Liturgiae explicando utiles esse possunt, cum eadem sit circa solennem scripturarum lectionem in omnibus Orientalibus Ecclesiis disciplina. Eamdem apud Aethiopes usurpari, satis multa probant, quae passim Franciscus Alvarezius Relationi suae inseruit, aut alibi sparsa reperiuntur. Sed orationum maxima similitudo, similis quoque disciplinae certum argumentum videtur. De illa si Aethiopem illum suum Ludolfus interrogasset potius quam de Lutherana Theologia, non minus publicae utilitati quam famae suae consuluisset. Intellexisset enim procul dubio, circa Aethiopum fidem multa se divinasse, quae sola disciplinae expositione refelluntur.

In lectione Evangelii quae mox subjicitur, singulare nihil est, sed disciplina communis omnibus Orientalibus Ecclesiis: si quaedam orationes breves, et acclamationes Diaconi aut populi occurrunt in versione Latina, Romae edita, quas Codex Aethiopicus non habet, non alia ratio est, quam quod ea quae usu sciuntur, vix Codicibus inseri solent, quod in Liturgiis omnibus cujuscumque linguae, passim observatur.

Quod in versione Latina statim post recitationem Evangelii legitur. *Exite foras qui non vultis accipere Sacramentum, sive Eucharistiam: ite Catechumeni,* non legitur in editione Aethiopica. Potuit quidem formula vetustis non absimilis, quae ad expellendos Poenitentes, Catechumenos, et Audientes spectabat, reperiri in aliis Codicibus, quos habuerit Tesfa-Sion: qui eam interpretibus suggesserit: alios omnino nullos habuimus unde lectionis veritas constare posset. Verumtamen haud temere affirmamus, illam ut Latine expressa est, stare non posse, cum dudum publice poenitentes, aut Catechumeni in Ecclesiis Orientalibus nulli sint, illis praesertim in regionibus, quae Muhamedano Imperio continentur. In Aethiopia quidem vigere potuit haec disciplina cum Reges Christiani forent: sed cum in Alexandrina Ecclesia penitus obsoleverit a multis saeculis, et ex quo Arabes Aegyptum subegerunt, sacra haec omnia Aethiopes a Patriarchis Alexandrinis acceperint, ipsamque Monophysitarum haeresin: morem qui apud istos non supererat, Aethiopes retinuisse non est verisimile. Poenitentiae quoque publicae quam haec denuntiatio Diaconi supponit necessario, ne leve quidem superest in Ecclesia Aethiopica vestigium: imo si autoribus fide dignis Arabibus et Lusitanis credimus, ut Alexandriae aliquando, ita in Aethiopica sublata erat peccatorum apud Sacerdotes Confessio: ut *Canon*, sive agenda ex Canonum praescripto poenitentia, qua de re dictum est alibi. Potuit tamen ex veteri instituto superesse, poenitentes et Catechumenos ejiciendi formula ut remansit in Syriacis aliquot Liturgiis, quamvis ex testimonio Jacobi Edesseni qui VII°. vivebat saeculo res in desuetudinem abiisset, quod etiam de sua aetate, nempe XII°. saeculo testatur Barsalibi.

Verum quamvis ita esset, peccaverunt procul dubio interpretes, cum nulla unquam lege Ecclesiastica pulsi Ecclesia fuerint, qui communionem Sacramentorum non accipiebant, nisi per Canones ea excluderentur. Intelligendum igitur est in textu Aethiopico fuisse *qui ad communicandum Sacramentis accedere non debetis, abite:* qua ratione poenitentes intelliguntur, quibus ordine proximi erant Catechumeni: neque alia certior videtur hujus loci interpretatio.

Quae sequuntur, Orationes pro pace, pro Ecclesia, expressae sunt ex illis quae pariter occurrunt in Liturgiis Alexandrinis.

10. Symbolum Fidei.

In Latina Editione, non tam versio Aethiopice scripti symboli descripta est, quam ea forma secundum quam in Latina Ecclesia legitur: nostra re-

spondet orationi Aethiopicae. Abit tamen aliquot locis ab ea quam Ludolfus inseruit Commentario suo ad Historiam Aethiopicam. Summa eruditis πολυγλώττοις temeritas nostra videbitur, hominis in ea lingua tam praeclare meriti versionem emendandam suscipere. Verum nisi vehementer fallimur, longe major temeritas fuit, ex regulis Grammaticis, quarum ipse plerumque autor fuit, et quas Aethiopibus ipsis ignorari negare non potuisset, ea in Symbolum fidei introducere, quae Christianis auribus inaudita huc usque fuerunt. Quis enim unquam audivit inter attributa Dei, illud Ludolfinum, *qui videt omnia et videri non potest*, praesertim cum illud *omnia* in Aethiopico textu non legatur. Erat sane necessaria illa vox, ut sententia Deo conveniret: nam Angelus videt et non videtur: imo anima videt et non videtur. Quanto facilius fuit agnoscere, vel omissam literulam, quae passivam significationem designaret, vel primam vocem eadem significatione esse accipiendam. Omissio porro unius literae facile in suspicionem venire potuit circa Romanam editionem, quae mendis typographicis scatet: nam eam solam Ludolfus consuluisse videtur, cum Codicem manuscriptum nullum citet nominatim. Tum in unum Deum, *Optimum maximum* cui bono inseritur. L. 3. No. 37.

Et homo factus est a Spiritu sancto. Nemo veterum aut recentiorum ita locutus est. Nam Spiritum sanctum corpus Verbo Dei, ex carne et sanguine B. Virginis formasse, in quo filius naturam humanam assumsit, communis Jacobitarum, omniumque Christianorum Orientalium Theologia est: Deum Verbum, carnem aut hominem factum a Spiritu sancto, nemo dixit, neque ipsi Aethiopes, cum particula magis *de* quam *a* significet.

Sed illud intolerandum quod sequitur: cum ex Graeco Symbolo, omnibusque versionibus Orientalibus, verba illa, *Et homo factus est*, cum praecedentibus conjungantur, ut necessario fieri debet, cur ea separaverit interpres, causam habere nullam potuit. Sequitur *In virum evasit*, quo nihil absurdius; ita enim loqui possumus, de adolescente qui pubertatem egressus, in viros transcribitur, neque id convenit Incarnationis mysterio. Vocem Aethiopicam ipse Ludolfus in Lexico suo per, *homo factus est*, recte interpretatus est, ut ante illum fecerant qui Symbolum idem Aethiopice et Latine ediderunt Nisselius et Petreus. Aethiopes expresserunt σάρκωσιν et ἐνανθρώπησιν. Si igitur eamdem Latinam vocem repetere non placebat, nec primam, ut alii, per *Incarnatus est* interpretari, quia id lingua Aethiopica non patiebatur, at novam, nec mysterio convenientem fugere debebat fidus interpres.

In articulo qui de Spiritu Sancto est *Qui ex Patre Filioque processit*, non melius. Nam etsi Aethiopes ut Hebraei et Arabes tempus praesens, ut Grammatici loquuntur, non habeant: at illud saepe exprimunt per praeteritum, seu primam verbi radicem: et sane sententia eo ducit, ut ita intelligatur. Nemo autem de Spiritu sancto loquens, processionem ad praeteritum tempus determinat, aut ulla Ecclesia unquam cecinit: *Qui ex Patre Filioque processit:* processio enim aeterna est.

Quod spectat particulam *Filioque,* eam Orientalibus incognitam esse fatemur ultro, Aegyptiis praesertim, a quibus Officia omnia sua Aethiopes acceperunt. Cum vero ea occasione Ludolfus de illius particulae additione, et Graecorum cum Latinis circa Spiritus sancti processionem controversia, judicium suum ita interponit, ut illis potius quam istis favere videatur, quid animo designaverit non satis intelligimus. Protestantes enim Confessionis Augustanae, et omnes qui Reformati appellantur, Symbolum quale illud in Ecclesia Latina didicerant, retinuerunt; Spiritumque sanctum agnoscunt procedentem a Patre et Filio. Verum abstinuisse debuerat vir eruditus, sed parum Theologus, a tractanda illa controversia, ut etiam a Critica quam Symboli Nicaeni occasione adjunxit de Symbolo Apostolico, quod ut alterum habetur omnibus linguis Orientalibus. Sed haec persequi non est hujus loci.

11. Qui non communicatis exite.

De ista formula jam dictum est, quae si locum habet in Liturgia Aethiopica, istic potius collocanda est, quam antea. Nam more veteri, cum omnes Eucharistiae communicarent, quando sacris mysteriis intererant, exire jubebantur, qui non communicabant, hoc est non illi qui Sacramenta eo ipso die non erant percepturi, sed qui ad ea suscipienda jus non habebant, ut Audientes et Catechumeni; vel illud amiserant ut Poenitentes. Ista vero disciplina, ut jam observavimus, singulariter ad Aethiopes non pertinebat, sed erat toti Ecclesiae communis. Cum vero Liturgia Aethiopica, qualem illam habemus in Codicibus formam accepit, disciplina illa prorsus obsoleverat. Sed in ista et sequenti oratione, non recte se habere exemplar Aethiopicum certissimum videtur. Versio enim Romana ita se habet. *Ut recipiamus sine judicio, et sine morte, donum tuum coeleste, hoc est gratiam tuam, cum Spiritu sancto.* In textu Aethiopico transposita sunt quaedam verba quae sententiam interturbant. Sed illa certo agnoscitur ex variis Orationum ad Osculum pacis formulis, quae omnes in eam petitionem consentiunt, ut Christiani dato et accepto pacis Osculo, ab omni odio et injuriarum mortifera recordatione liberi, *πάσῃ μνησικακίᾳ θανατηφόρῳ,* suscipiant digne, absque condemnationis et reatus metu, mysteria sacra, sive donum coeleste et immortale corporis et sanguinis Christi Domini. Ita enim perspicue habetur in Liturgia Coptica Basilii, et in aliis omnibus. Neque *donum coeleste,* hoc loco gratiam Spiritus sancti significat, verum Eucharistiam. Cum vero in Basilii Coptica Liturgia plures Osculi pacis orationes reperiantur: Aethiopicae interpretes aut illas in compendium redegerunt, aut Librarii primas tantum voces descripserunt, cum petendae aliunde forent, et memoria tenerentur: difficile est enim, ut qua ratione editae sunt in primariis Codicibus, ita scriptae fuerint.

12. *Oratio pro pace, etc.*

In omnibus prope Codicibus Liturgicis plures aliquando orationes occurrunt pro pace danda, seu *Osculo pacis* Ἀσπασμῷ, ut Graeci vocant, quam vocem non Coptitae solum retinuerunt, sed Arabes aliquando eadem utuntur. Orationes autem illae non omnes dicuntur, sed una ad Sacerdotis arbitrium. Vulgo autem statim atque Osculum pacis datum est, Praefatio incipit, et ut vulgo Rituales loquuntur *Anaphora, Oblatio,* sive *sacra Actio.* Cum autem Orationes pro pace, pro Ecclesia, et ejus Ordinibus, tum pro aliis personis et rebus, proprium alibi, et quidem aliarum Liturgiarum exemplo determinatum locum habeant, eumque duplicem: nempe ante oblationem munerum, et post Invocationem Spiritus sancti, ante communionem; singularis est hac in parte Aethiopicae Missae dispositio, cujus idonea ratio nulla occurrit. Ita fit ut non temere suspicari possimus, turbatum hic fuisse per Librariorum aut editorum incuriam, cujus multa argumenta sunt.

Est quoque observanda non levis differentia inter exemplar Aethiopicum, Latinamque Versionem in sanctis commemorandis. Nam in illo leguntur nomina infausta aliquot Jacobitarum, ut inter alios Barsomae damnati in Calchedonensi Concilio, et aliquot Monachorum, qui in eadem haeresi vixerunt. Sed nihil mirum si id commiserint Aethiopes, cum illud idem Barsomae nomen, ut etiam Philoxeni et aliquot aliorum Monophysitarum nomina, in Missali Maronitarum, qui Canon Orthodoxiae esse debebat, relicta sint.

13. *Accepit panem, etc. dicens, Hic panis est Corpus meum, etc.*

Ita totam hanc partem Canonis in qua consecratio perficitur, interpretari oportet, ex Codicibus Aethiopicis, edito et manuscriptis. In versione Latina quam ipsi Aethiopes ediderunt, forma verborum Christi refertur hunc in modum. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum. Amen.* Tum subjecerunt verba Aethiopica, diversa ab illis, quae Liturgiae exemplar editum repraesentat, nec Latinis respondentia: nam vertendum erat: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, ut habetur in omnibus prope Liturgiis Graecis et Syriacis. In aliquot exemplaribus editionis Latinae addiderunt Aethiopes monitum istud: *Non te moveant candide Lector exemplaria Aethiopica quod in iis scriptum sit* hic panis est corpus meum, *quia vetustissimi et emendatissimi Codices Coptitarum, sive Aegyptiorum a quibus ut diximus magnam religionis partem majores nostri acceperunt, habent* Hoc est Corpus meum. In manuscriptis aliarum Liturgiarum lectio eadem est, ac in vulgato Codice edito, et ita illos quos in Aethiopica viderunt Missionarii verba Christi repraesentasse testatur Baltazar Tellezius: qui adjecit ea occasione dubitasse quosdam Theologos, *Hist. d'Ethiop.* an illis verbis consecratio perficeretur. Arripuit censuram istam Albertinus

cum eam in scholasticorum aliquot libris legisset, nec illam neglexit Ludolfus, quasi verbis illis significaretur etiam consecratione perfecta, panem esse, id quod in altari offertur, atque adeo non esse vere et realiter Corpus Christi. Verum ad comparandam levissimo huic argumento autoritatem, ita ut quod Albertinus jactat, possent eo solo fundati Protestantes de consensu omnium Ecclesiarum secum jure gloriari, duo prius probare oportebat. Primo illis verbis: *Hic panis est corpus meum,* significari id quod existimant: scilicet panem verbis Dominicis consecratum, in prima sua natura remanere: tum Aethiopes eadem ita intelligere: quae si probentur, quod impossibile est, superest ut demonstretur, universam Ecclesiam Orientalem in Aethiopica contineri, et ab ea accepisse formam credendi, legemque supplicandi. Verum id fortasse fuisset, modo Aethiopicam Ecclesiam, qualem illam nobis describit Ludolfus, purae illi Apostolicae quam simillimam esse constaret. Id quidem se vidisse putavit, et inculcavit saepius, verumque erit, cum unius naturae haeresin, superstitiones Judaicas multas, polygamiam, multaque alia hujusmodi, puritati fidei disciplinaeque Apostolicae inimica non esse, probaverit aliquis ejus discipulus. Demus ita factum, erit adhuc ostendendum, qua ratione Aethiopes Alexandrinam Ecclesiam, a qua dudum pendent, Syriacas quoque tam Jacobiticas, quam Nestorianas fide et moribus suis imbuerint, quo nihil absurdius.

Praeterea in illis verbis, *Hic panis est Corpus meum:* cum pronunciatur prima duo, panem id esse quod erat, ultro agnoscimus: cum tota oratio prolata est, simpliciter intelligimus, id quod panis erat, esse corpus Christi. Non recte fecisse videntur quicumque additionis verborum *Hic panis,* contra reliquarum Ecclesiarum disciplinam, Alexandrinae praesertim cui subjecti erant, autores fuerunt: per illam tamen corrumpi penitus vim Christi verborum, effectuque suo illa spoliari, non adeo certum est, ut vocari in dubium nequeat.

Probandum igitur Albertino et Ludolfo fuit: Aethiopes cum in sua Liturgia dicunt, *Hic panis est Corpus meum,* credere, istud quod tenent et vident, panem adhuc esse, non corpus Christi. At illi suam ipsi statim sententiam explicant, cum post pronunciata sacra verba inclamat populus. *Amen, Amen, Amen. Credimus et certi sumus, et laudamus te Domine Deus noster: hoc vere est corpus tuum.* Neque dicunt, *credimus hunc panem esse corpus tuum.* Doceant nos qui Ecclesiam Catholicam impugnant, non quid Ecclesiae Orientales, et ipsa de qua agimus Aethiopica de Sacramento Eucharistiae credant, sed cur Albertinus vir infinitae lectionis, Ludolfusque a quo, ut Lexici autore accurato et diligente quidquid Aethiopice editum est, syllabatim lectum fuit, istius orationis mentionem nullam fecerint, quae ambiguitate omni caret? Calumniamne doctoribus suis impingi dicent, cum malam ipsis fidem exprobrabimus? Si de hac oratione dubitabant, facile erat eam cum Coptica comparare, atque ex illa comparatione autoritas ejus stabiliebatur. Scimus, nec ab ipsis didicimus, aliquam de illius brevis confessionis significatu moveri posse quaestionem, et illam in Commentario ad Basilii Liturgiam

Aegyptiacam tractavimus, deque illa in notis sequentibus quaedam adjicientur, ad Aethiopes proprie spectantia. Si quid tamen obscuritatis foret, quantum spectat ad Eucharistiae fidem, ea tam perspicue discutitur, ex altera quae pronunciatur paulo ante Communionem, ut dubii ne levis quidem umbra superesset. At illam Albertinus, Salmasius, Ludolfus, et omnes tandem aeque dissimulaverunt, et ex illa sola constat Aethiopum vera de Eucharistia fides: tam ex ipsis verbis, quae nullam interpretationem admittunt, praeter simplicem, et quam verba statim offerunt: quam ex eadem Confessione apud Alexandrinos usurpata, et illis caeremoniis determinata, quae non nisi cum doctrina realis praesentiae constare possunt.

Istam vero orationem, ut in notis ad Copticam Liturgiam observavimus, ex eadem translatam esse manifestum est: quamvis in textu Coptico, et Graeco Alexandrino, videatur illa Confessio ad veritatem narrationis Evangelicae, quam Sacerdos pronunciavit esse potius referenda, quam ad singularem de Eucharistia Confessionem. Verum cum Evangelica narratio utrumque mysterium complectatur, institutionis Eucharistiae, veraeque in illa corporis et sanguinis Christi praesentiae; fidem suam de utroque mysterio una et eadem oratione complexos esse Aethiopes, nihil vetat. Illis enim verbis concepta est, quae ad agnitionem corporis et sanguinis Christi in Sacramento, referenda sunt necessario, nec aliter intelligenda. Erunt quibus haec interpretatio dubia videbitur, quia paulo post sequitur Invocatio Spiritus sancti, qua postulatur ut panis et calix eo superveniente, fiant corpus et sanguis Christi. Multi autem superiori aetate Theologi per similem orationem, vim Christi verborum imminui facile nimium existimaverunt, cum de illa explicanda laborarent. Accessit Critici nostratis autoritas, qui secundum Graecos et Orientales sola Invocatione Spiritus sancti consecrationem perfici affirmavit, eamque communem esse illorum opinionem: id vero quam a veritate alienum sit alibi demonstratum est. Suam Invocationi efficaciam, ut precibus omnibus sacramentalibus constare credunt Orientales: neque contra fidem aut disciplinam peccare se existimant, cum orant super dona jam consecrata, ut Hispani veteres Gothicarum Ecclesiarum, Mosarabes, et alii fecerunt. Eodem igitur et omnium Orientalium exemplo Coptitae, et Aethiopes consecrationem verbis Christi fieri credere potuerunt, et Invocationem Spiritus sancti pronunciare.

14. Invocatio Spiritus sancti.

Oratio ista in versione Latina non fideliter expressa est. Ita porro se habet. *Nunc autem recordamur mortis tuae et resurrectionis tuae, offerimusque tibi hunc panem et hunc calicem, tibique gratias agimus, quod per hoc sacrificium dignos nos fecisti standi in conspectu tuo, et sacerdotale officium coram te exequendi. Oramus te Domine et a te instanter petimus, ut mittas Spiritum sanctum, super hunc panem et hunc calicem, videlicet corpus et sanguinem Domini et*

servatoris nostri in saecula saeculorum. Amen. Nempe quod in Syriacis Liturgiis editis in Missali Maronitico fecerunt, qui editioni praefuere, idem in versione interpretes praestiterunt, ut in Copticis transferendis Victorius Scialach: non recte, ut videtur. Quid enim illud erat nisi lectores incautos in errorem inducere, eos praesertim, qui linguas Orientales ignorarent. Nam ita factum est, ut qui tales interpretes secutus de Aethiopum, aut Coptitarum disciplina Eucharistica judicaverit, in maximum errorem lapsus fuerit. Liceat illis qui autoritatem habent emendare quod pravum est: at interpretem privato consilio id facere non licet. Verba igitur Aethiopica, sic transferenda sunt. *Oramus te Domine et deprecamur te ut mittas sanctum Spiritum, et virtutem super hunc panem, et super hunc calicem, et faciat illum corpus et sanguinem Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, in saecula saeculorum. Amen.* Ita haec Invocandi Spiritus sancti forma, cum Graecis, Copticis et Syriacis accurate convenit. Iisdem quoque verbis legitur in Liturgia secunda earum quae Romae editae sunt, et fere similiter in aliquot aliis manuscriptis, nisi quod in aliquibus ut in ea quae dicitur Joannis Evangelistae, additur vox: nempe *communio,* sive *communicatio* corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. In alia quae dicitur CCCXVIII. Patrum Nicaenorum. *Et mittatur Spiritus tuus sanctus, ex habitaculo substantiae ejus, descendat et veniat, et resplendeat super hunc panem, et fiat corpus Christi Dei nostri: muteturque sapor hujus calicis et fiat sanguis Christi Dei nostri.* Retulit hoc testimonium in Itinerario suo Italico Wanslebius, ex Codice Pocockiano Liturgiarum, quem Londini descripserat anno MDCLX. et cujus apographum habuerat D. Ludovicus Picques Doctor Sorbonicus, a quo cum aliis manuscriptis Orientalibus relictum est Bibliothecae RR. PP. Dominicanorum ad sanctum Honoratum, in qua servatur, et unde illud habuimus. Pauca ad illud testimonium observabimus. In prima formula ad haec verba *Spiritum sanctum tuum et virtutem,* cum scriptura Aethiopica id habeat singulare, quod apices ita literis adjunguntur, ut vocales diversas efficiant levi interdum discrimine, facile videtur translatam ab uno ad aliud latere notam fuisse: quae si dextro apponatur sensus erit, *Spiritum sanctum et virtutem ejus;* ut in plerisque aliis Liturgiis legimus: et ita sensus erit magis perspicuus, quamvis etiam simpliciter virtutem divinam intelligere possimus. Sequitur *et faciat illum corpus, et sanguinem,* etc. Verti potest *et faciat,* nam characteristica litera tertiae personae futuri temporis in genere foeminino, cujus est apud Aethiopes vox *Menfes,* quae spiritum significat, eadem est ac secundae personae. Utraque lectio indifferenter occurrit in variis Liturgiis, et sententia eadem est. Deus enim, et ut alii loquuntur, ipse Christus est, qui per Spiritum sanctum, panem efficit suam carnem, et vinum suum transfundit in sanguinem, et veteres Missae expositores tradiderunt.

Verbum autem Aethiopicum quod hoc loco occurrit, *unum ex alio facere,* ipso Ludolfo teste significat, ut scripsit in prima Lexici Aethiopici sui editione, quam tamen significationem omisit in secunda. Verum aliam dedit, cum locum ex Homilia Jacobi Serugensis protulisset de mirabili conceptu Jesu Christi

in utero Mariae: *qui format infantes, formabitur in te*, et significationem agnovit, quae mysterio Eucharistiae maxime conveniens est, secundum Orientalium Theologiam. Nulla enim in eorum scriptis frequentior comparatio occurrit, quam Eucharistiae cum Incarnatione, quam ita paucis verbis exprimunt. *Sicut superveniens Spiritus sanctus in B. Virginem virtute Altissimi eam obumbrante, formavit ex ea, et in ea, corpus in quo Filius Dei incarnatus est, ita eumdem Spiritum sanctum supervenire et illabi in dona proposita, et ex illis formare corpus Filii Dei.* Ea igitur oratio significat peti a Deo, ut per Spiritum suum sanctum formet in altari corpus et sanguinem Christi, sicut in Virgine formatum est; non vero *in sacra Coena*, hoc est secundum Ludolfum in perceptione sacramenti, quae non nisi longo intervallo sequitur. Utque eidem comparationi insistamus, non ex conjectura tamen, sed secundum ipsa Orientalium Theologorum verba, ut Incarnationis mysterium momento perfectum est, ita unico momento panis et calix fiunt corpus et sanguis Christi. Haec Ludolfus ex solis Liturgiis discere poterat, in quibus, si quid non satis explicatum videbatur homini Protestanti: aliis enim summa semper apparebit illarum orationum perspicuitas, exquirere debebat quae Alexandrinae Ecclesiae fides et doctrina foret, aut quomodo intelligerentur a Patriarchis et Theologis Invocatio Spiritus sancti, et Confessio fidei ante Eucharistiae distributionem: saltem easdem orationes Aethiopi suo Gregorio proponere, non absurdas, et aenigmaticas doctrinae Catholicae expositiones. Verum qui de duabus illis formulis verbum non fecerit, quae in omnibus Liturgiis repetuntur, illum multa alia quae in paucis quos vidit libris Aethiopicis occurrebant, dissimulasse, non inanis suspicio est.

In secundo testimonio observatur, formam illam ex aliis Liturgiis desumtam esse, ubi frequenter occurrit, et praesertim in Coptica tertia quae Cyrillo tribuitur. *Resplendeat:* verbum Aethiopicum adventum Spiritus sancti divinum et majestate plenum, significat, respondetque Graecis aut Arabicis vocibus quae ἐπιφοίτησιν, non satis exprimunt. Cum vero Aethiopes ad Jacobiticam sectam translatos fuisse certum sit sub Benjamino Patriarcha postquam Arabes Aegyptum subegerunt, tuncque Graecae linguae usus vigeret, Alexandriae praesertim, cum ea vox non facile exprimi posset nec plene intelligeretur, interpretata fuit tanquam a φῶς deducta: nam multa ejus generis παρερμηνειῶν exempla reperiuntur in linguis Orientalibus. Dicitur deinde, *ut fiat Corpus Christi*, ad verbum, *ut sit*, ex idiotismo communi linguarum Orientalium praecipuarum. Sequitur: *muteturque sapor*, vel *gustus hujus calicis*. Vox Aethiopibus hoc loco usurpata Hebraicae originis est, Syrisque et Arabibus aeque usurpata, eo significatu *gustus et saporis;* sed cum ad alia multa extendatur, in iisdem linguis, aliquid quoque aliud in Aethiopica illam significare suspicari possumus. Nam in consecratione, gustus aut sapor panis et calicis non mutatur, sed idem permanet: neque locutio similis occurrit in tot quas habemus Liturgiis. Nihil igitur hoc loco aliud intelligendum videtur, quam elementorum transmutatio, qualem Coptitae Aethiopum magistri, et reliqui Orientales Christiani agnoscunt; panis nempe in corpus, vini et aquae in sanguinem. Quae

mutatio si non satis in ipsa Liturgia explicatur, qualis in Ecclesia Alexandrina crederetur, dubitare non sinit Gabriel Patriarcha, qui illam substantiae in substantiam esse docet, ut etiam autor Scientiae Ecclesiasticae, Abulbircat et alii. Haec omnia ignorasse Ludolfus potuit, ut sane ea ignoravit, quamvis summe scitu necessaria scribenti de religione Aethiopum, quos de singularibus contra communem Ecclesiarum de Eucharistia fidem opinionibus nemo insimulavit: nemo praeter Ludolfum laudavit, quod Transubstantiationem non crederent. Verum ignotae illi esse non poterant multiplices Invocationis Spiritus sancti formae, quarum vocabula in Lexicis suis digerebat, sed ita ut phrases ipsas non referret, ne ex illarum sola inspectione, falsa prorsus et fictitia Theologia Aethiopica sua refelleretur. Reliquae enim Liturgiae, tam editae quam manuscriptae eamdem Invocationis formam referunt, aut ex prima petendam designant.

Illius orationis partem, ut verba Christi consecratoria, et particulam Confessionis quae pronunciatur ante communionem edidit Aethiopice Kircherus in Prodromo Coptico; sed ita ut praeter errata nonnulla typographica, quae lectorum remorentur, graviora in versione deprehendantur. Ea expendere et emendare inutile est, cum ex totius Liturgiae coustitutione, et ejus cum Coptica comparatione, vera lectio agnosci facile possit. Copticam quoque illarum particularum formam adjecit, sed ita ut Codicibus melioris notae non respondeat, ultimaque sui parte detruncata sit: unde usus nullius esse potest, quod Lectores Orientalibus literis non imbutos scire oportebat. Nam fortassis non deerunt, qui Mulleri et aliorum exemplo, Kircherum laudibus cumulabunt, ut ejus autoritate sinceram istarum orationum lectionem impugnent.

15. *Oratio fractionis.*

Fragmenti verterunt Interpretes non bene; cum vox Aethiopica significet *fractionem* *κλάσιν*, ut Rituales Graeci loquuntur, quam Arabes Christiana קסמה vocant: dum scilicet panis in corpus Christi consecratus, in plures particulas dividitur, atque ex una calix obsignatur, tum ex eadem in calice intincta, particulae quae in sacro disco sunt, signantur pariter eo Ritu, qui explicatur, tam in Rubricis ad Liturgiam Copticam sancti Basilii, quam in Rituali Gabrielis, atque aliis quorum testimonia relata sunt in Commentario. Ludolfus *fragmentum* et *fragmen* interpretatur, non recte: sed verbum esse dicit, *cujus usus est in S. Coena:* et in secunda editione Lexici, *Nomen orationis cujus usus in S. Coena ad designandam fractionem panis,* pejus omnino, et imperitius. Non verbum est, sed nomen a verbo derivatum, cujus usus, si per *S. Coenam,* Lutheranam suam intelligit, nullus est, cum in ea nihil omnino fiat, quod fractioni, qualis observatur in Ecclesiis Orientalibus respondeat. Si Liturgiam intelligit, ut semper ad eam significandam ea voce abutitur, non minus ridicule, quam si Missam solennem Romae a Pontifice celebratam *Coenam* appellaret, quam hospes esset in Ritibus Ecclesiasticis

demonstravit. Neque enim oratio illa dicitur ad designandam fractionem panis consecrati, cum illa vere fiat, dum is in particulas frangitur. Si fractio panis a Christo Domino facta designatur, quod Ludolfum voluisse satis apparet, non minus aberrat ab Ecclesiasticis institutis, et ab Orientalium doctrina. Neque enim fractio panis consecrati, quem jam non panem esse credunt, sed corpus Christi, fractione designatur, sed laceratio, per flagella, crucem, lateris transfixionem, et alia quae Christus in carne pro humani generis salute sustinuit, ut alibi ipsis Orientalium verbis expositum est. Hanc enim fractionem designant, quae in forma verborum sacramentalium in plerisque Liturgiis et in Aethiopicis continetur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, κλώμενον* et *θρυπτόμενον*, ut Graecae habent, quod in notis ad alias Liturgias fusius expositum est.

16. *Subdiaconus dicit cum populo.* Exercitus Angelorum, etc.

In illa oratione mirum, cur omissa sint postrema verba, et inepta versio prioris particulae data est. Quid enim significat, *et legunt corpus et sanguinem Domini et salvatoris nostri Jesu Christi.* Scripserunt, ut videtur, interpretes: *et cingunt:* id enim significat vox Aethiopica, ita ut sensus sit, Angelos in modum coronae cingere sacramenta in altari posita, quod saepe occurrit in variis Syrorum ad eumdem Liturgiae locum orationibus, *Accedamus coram facie ejus cum fide, quod ipse est Christus Rex noster:* vel *quia ipse est Christus Rex noster.* Ita codex Aethiopicus nisi quod errato typographico in ultima voce litera una deficit. Insignis locus de vera praesentia corporis Christi in Eucharistia, de cujus interpretatione dubitari non potest, cum Christum in altari immolatum jacere, et in disco collocatum intueri Christianos moneant Severus Episcopus Aschmonin, Homiliae de circulo anni, omnesque Theologi. Ne hanc orationem, ut alias omnes quae realem praesentiam significant, citaret aut indicaret Ludolfus diligentissime cavit. Quod Rubrica moneat haec dici a Subdiacono, cum in Ritu Alexandrino, dicantur a Diaconis, aut erratum est a Librario, aut per *Nefkia-Diacon* quae vox vulgo Subdiaconum significat, intelligendus est Diaconus, qui secundas partes agit: etsi vulgo unus tantum ad altare alibi ministrare soleat.

17. *Sacerdos dicit Orationem poenitentiae.*

Ita se habet titulus istius orationis in exemplari Aethiopico, minus proprie ut videtur, cum Poenitentiae, sive ut accuratius loquamur orationis super poenitentes, proprius hic locus non sit: tum etiam quia dudum Poenitentium ordo et statio in Ecclesiis Orientalibus locum non habet, neque disciplinae erga illos olim observatae vestigium superest in Liturgiis Alexandrinis, sed in solis Syriacis, ut dictum est ad Canonem Generalem. Illam porro

disciplinam jam obsolevisse testantur autores Syri vetustissimi. In Basilii Coptica Liturgia ex qua ista oratio petita est, titulus est: *Oratio absolutionis ad Patrem.* Nempe forma est absolutionis cujusdam generalis, iisdem prope verbis et sententiis constans, ac illa quae super ipsum Sacerdotem celebrantem pronuntiatur initio Liturgiae et ad Filium Dei dirigitur. Ipsa est quam Victorius Scialach pessime ex Arabico perperam lecto appellavit *Orationem glorificationis Filii:* nam vox Aegyptiaca *Metremhe* et Arabica תחליל *Tahlil*, *Absolutionem* significant. Videnda quae ad eamdem Orationem annotata sunt. In versione, Aethiopes nomen Claudii Regis sui filii Lebna Dintghil, inseruerunt: is enim tunc in Aethiopia regnabat: et ab eo scripta est Confessio fidei, quam priori Lexici sui editioni Ludolfus subjunxit, retulitque postea in Commentario ad Historiam suam, cum notis, quas alio loco expendemus.

18. *Sancta sanctis.*

Ita recte qui versioni Latinae operam dederunt: neque de verborum illorum interpretatione cum inter sacra Officia leguntur, quemquam dubitasse videmus, cum Graece extent in omnibus Liturgiis et in sanctorum Patrum scriptis, in Copticis quoque, Syriacis, omnibus tandem Orientalibus Eucharistiae consecrandae Officiis. Primus Ludolfus in quarumdam ex Clementinis Constitutionum versione eadem verba interpretatus est, *Sanctuarium sanctis*, quo nihil absurdius. Nugas enim Grammaticales, si quas obtendere poterat, usus Ecclesiasticus et omnium Liturgiarum consensus refellebat. Certum enim est eo loco idem intelligendum esse, quod apud omnes Orientales Christianos, quotidie audiebatur, et quod nullus nesciebat: scilicet, monitum omnibus qui sacris Officiis intererant, per Sacerdotes vel Diaconos significatum, ne quis nisi sanctus, sive nullius peccati lethalis sibi conscius, ad *sancta,* hoc est ad sacra mysteria percipienda accedere vellet. Neque quisquam Christianus ignorabat, quid per τὰ ἅγια esset intelligendum. At, *sanctuarium sanctis,* formula est ab initio Ecclesiae constitutae ad haec usque tempora, omnibus Liturgiis incognita et inaudita, et quae simul falsissimam sententiam insinuat. Nam *Sancta sanctis* significavit in veteri Ecclesia, et in Orientali idem significat, ut qui ad mysteria suscipienda rite parati sunt, soli ad eorum participationem accedant; neque haec denuntiatio ad Ecclesiasticos solos qui in Βήματι seu sanctuario stabant, sed ad Laïcos quoque pertinebat, imo ad mulieres. At neutri ut mysteria sacra perciperent, ad sanctuarium accedebant: verum eo ritu distribuebantur, quem fuse ex Gabrielis Patriarchae Rituali et aliis retulimus, in Commentario ad Basilii Copticam Liturgiam. Ita fit ut absurditatem insignem contineat ejusmodi interpretatio, secundum quam vocantur ad sanctuarium, qui in illud ingredi non possunt. Quid igitur? Coenam suam Lutheranam adeo infixam animo Ludolfus habuit, ut nulla vox Aethiopica, etsi Hebraicae aut Graecae originis, et usu Ecclesiastico determinata, aliud ipsi significaret, quam *Coenam. Liturgiam, Missam, Anaphoram,*

in Lexico suo locum habere vix voluit. *Korban*, *Kadas*, *Anaphora*, *Coena* sunt, *totus Coenae actus: Orationes sacrae in Coena Domini dici solitae: Preces Eucharisticae*, *Homiliae:* neque soloecisare timet ut Coenam suam ubique instruat. Habentur Epistolae quibus vir linguarum Orientalium peritissimus Ludovicus Picques Doctor Sorbonicus, putidam illam affectationem, vehementer exprobrat Ludolfo. Is igitur cum particulam hanc *sancta sanctis*, Coenam suam evertere satis intelligeret: nam si sancta facta sunt, ante communionem, non exspectatur usus Coenae Domini, neque ut alibi loquitur *Arcanum participationis Coenae Domini*, ridiculam et inauditam interpretationem suam, *sanctuarium sanctis*, substituit. Mira sane confidentia fuit: illum enim existimasse oportebat, qui falsas suas versiones confutaret neminem fore: quasi ex illius dictatis penderet omnium quae ab Aethiopibus usurpatae fuerant vocum intelligentia, quam frustra circumvenire nititur, cum ex aliis linguis et Liturgiis perspicua sit.

19. *Unus Pater sanctus*, et sequentia.

Ex comparatione istius Liturgiae cum Alexandrinis satis manifestum est, ex illis Aethiopicam expressam fuisse: sed multa desunt ad rituum intelligentiam in Aethiopico exemplari, ut in versione, quae aliunde petenda sunt, praecipue ex Liturgia Alexandrina Coptica, et Gabriele Patriarcha. Nam Orationes ex illa descriptas et eodem loco recitandas, simili quoque ritu usurpandas esse non potest dubitari. At oratio *Unus Pater sanctus*, etc. quae confessionem fidei de Trinitate continet, primo a sacerdote pronuntiatur, deinde a populo, quod in exemplari Aethiopico non notatur, neque in Latina versione.

Quod sequitur *Sacerdos elevans sacramentum dicit alta voce*, Domine Jesu Christe miserere nostri, non praescribitur in Ritu Coptico: et fortasse illa ultima verba a populo dicenda sunt: nempe *Kyrie eleison* ter: quae est frequentissima populi post sacerdotales orationes acclamatio.

At elevatio Sacramenti hoc est particulae illius majoris, quae in Liturgiis Alexandrinis Graecis Σπουδικὸν dicitur hoc est Σῶμα δεσποτικόν, *corpus Dominicum:* unde Arabice scribentes, Coptitae fecerunt *Isbodicon* sive *Asbadicon*, de qua dictum est ad Basilii Liturgiam; eodem modo fieri debuit atque in Ritu Coptico. Itaque vere dicebat Zagazabo in relatione quam edidit Damianus a Goes *de moribus Aethiopum*, Sacramentum non elevari apud suos, ut in Lusitania videbat fieri: atque ex eo testimonio perperam a multis autoribus scriptum est, elevationem Eucharistiae apud Aethiopes nullam esse. Inde acutiores alii probari existimaverunt, eamdem ab illis non adorari. Elevatur tamen procul dubio: sed non eodem Liturgiae loco, quo in Latina Ecclesia: neque hostia simpliciter sacerdotis manibus: verum particula in disco posita, cum eodem attollitur: calix non movetur. Tum aliud quoque in Ritu discrimen est quod, ut in toto Oriente ut apud Graecos ele-

vatio seu ἁγία ὕψωσις, fit paulo ante communionem, cum dictum est *sancta sanctis;* de qua caeremonia fuse dictum est in Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam. Quamvis igitur haec caeremonia non notetur in textu Aethiopico, recte in versione expressa est, monente Tesfa Sion, qui Ritus Ecclesiae suae non ignorabat. Neque mirum Rubricam similem non occurrere in Codice Aethiopico, cum in plerisque Liturgiis, ut alibi observatum est, quae caeremonias spectant adscribi non soleant.

20. *Corpus sanctum, etc.*

Uno tenore subjicitur Confessio fidei de Eucharistia, expressa ex eadem formula quam Alexandrinae Liturgiae Graeca et Coptica repraesentant, et de qua dictum est in Commentario ad easdem. Nulla in sacris Officiis oratio est, quae majori apparatu recitetur: tenet enim Sacerdos in disco Eucharistico particulam quam elevavit et populo demonstravit: tuncque pronuntiat illa verba, *Corpus sanctum et sanguis pretiosus,* etc. qua actione, et adjuncta oratione omnes Protestantium rationes evertuntur. Si enim agnoscunt Aethiopes, hoc quod Sacerdos manu tenet, esse corpus Christi Domini, testantur simul factum id jam esse virtute consecrationis, non mox factum iri, quando Sacramentum suscipietur a communicantibus. Neque reponere Protestantes possunt, quidquam quod praejudicatis illorum opinionibus conveniat. *Medium quo accipitur corpus Christi, vescentibus in Coena Domini, fidem esse dicunt.* At cum Sacerdos Coptita vel Aethiops pronuntiat Confessionis verba: *Corpus sanctum et sanguis pretiosus*, Sacerdotis aut circumstantium fides, nihil efficere potest, ut sit Corpus et sanguis Christi, quia nondum *vescuntur*, hoc est, *comedunt.* Sequitur itaque falsam esse Confessionem, si idem credunt, quod Protestantes, cum istud quod inter manus Sacerdotis tenetur et demonstratur, panis sit, non corpus Christi. Neque soli Sacerdotes, aut qui communionem mox suscepturi sunt, ita loquuntur, sed omnes qui in Ecclesia sunt. Obscuritas porro non in verbis est, magis enim perspicua esse nulla possunt, sed in ipso mysterio, et illam agnoscunt Orientales; illud nihilominus credendum esse docent, aeque ac multa alia, quae sensibus et humana ratione superiora sunt. Tandem ne in alienam sententiam detorqueri possit illa Confessio, obstant caeremoniae, quae adjunctae sunt, et quas explicavit accurate Gabriel Patriarcha. Illas vero communes esse Aethiopicae Ecclesiae, quae ab Alexandrina Ecclesia omnia quae ad cultum divinum pertinent accepit, non est dubitandum.

Cum vero tam simplex et perspicua illa Confessio sit, ut si quis in Romana Ecclesia natus et educatus, fidem de Eucharistia suam explicaret, verbis minus ambiguis id praestare vix posset, et ipsi Canones Tridentini, plura non contineant, nemo a Ludolfo non expectasset doceri nos Pontificios quomodo Aethiopes, quos Transubstantiationem ignorare tam confidenter affirmat, similem Confessionem intelligant. Illam vero ne nominavit quidem; sed cum

de fide Eucharistiae, quid Aethiopica Ecclesia crederet, paucis proposuit, aliquot testimonia retulit ex benedictionibus Patenae, Calicis et Cochlearis, tum relatum supra a nobis illud, quod ex Liturgia Patrum Nicaenorum Wanslebius produxerat. Ea sola tamen simpliciter intellecta, ut sane non aliter ab Aegyptiis et Aethiopibus intelliguntur, omnem Ludolfi et Protestantium Theologiam conturbant. Verum de illis judicium interponere veritus, statim ad Aethiopem suum provocavit, cui cum exposuisset Transubstantiationem, negavit ille tale quidquam apud suos credi. At illum interrogare debebat an cum illam Confessionem pronuntiabant, existimarent, in disco Eucharistico panem simplicem esse, vinum solum in calice. Negasset id Aethiops procul dubio, ut negavit mihi admodum juveni, ante multos annos, Petrus quidam Aethiops, qui Lutetia transiit, legendo hanc orationem in Missali manuscripto quem secum gestabat. Sed non ex similibus testimoniis fides Ecclesiae Aethiopicae definienda est, cum verbis luce clarioribus per se ipsa loquatur. Ea si notis suis infuscare Ludolfus desperavit, nihil mirum, cum dissimulari facilius, quam ad Lutheranum dogma torqueri queant. Licuerit id Claudio, qui similibus testimoniis cum exsolvere se non posset, ea silentio eludebat. Historiam scribebat Ludolfus, et ita quae in monumentis Ecclesiae Aethiopicae legebantur bona fide referre illum oportebat. Hujus si scintillam habuisset, tot Invocationis Spiritus sancti formulas referre debebat: in primis vero Confessionem de qua loquimur, quam in singulis Liturgiis religiose pronuntiari, non poterat ignorare.

In Versione nostra sententiam textus Aethiopici fideliter reddidimus, eo facilius quod Copticam, quae eidem respondet, cum ea comparavimus. In uno loco, qui alicujus momenti est, legitur, Christum corpus assumsisse ex Beata Virgine *sine mistione, aut copula naturali.* Verum hoc non dicunt Aethiopes, neque Coptitae: sed duarum in Christo naturarum mistionem, confusionem et alterationem excludunt, quibus verbis Eutychis haeresin abominari se testantur.

Circa finem. *Sumentibus eum in veritate:* melius *cum fide:* nec enim remissio peccatorum et vita aeterna obtineri, per Eucharistiae participationem potest, ab eo qui fide caret. Neque tamen existimare quisquam debet, Orientales alligare fidei communicantium veram corporis Christi susceptionem. Fuerunt quibus haec quaestio tractata est, ut inter alios Dionysius Barsalibi, et Severus Episcopus Aschmonin: num infideles corpus Christi acciperent. Nulla erat obscuritas, si id quod Protestantibus videtur, credidissent, solam fidem medium esse quo Christi corpus percipitur. Verum cum aliud omnino haberent in animo, ad miracula recurrerunt, et multis placuit Deum mirabiliter auferre et subtrahere corpus Christi: ut in communione Judae Christum fecisse nonnulli existimaverunt: intingendo scilicet buccellam, consecrationem ex ea abstulisse. Sed qui ad fidem suscipientium effectum consecrationis retulerit, nullus reperitur.

21. *Communio et Sacramenti distributio.*

Diversam esse Aethiopum in Sacramenti distributione et perceptione disciplinam, ab ea quae in Ecclesia Alexandrina usurpata est, ne suspicari quidem licet. Itaque quamvis illa non explicetur in Liturgia, satis intelligitur factum esse idem, quod ubique observabatur. Nempe Sacerdos sumit majorem illam particulam *Σπουδικόν*, sive *Δεσποτικὸν* dictam, et ex calice bibit. Deinde particulas praebet Sacerdoti ministranti, et aliis Sacerdotibus circumstantibus, quibus etiam praeberi calicem, consuetudo omnium Ecclesiarum est, et fuit apud Orientales. Diaconis, vulgo paulum sanguinis datur in cochleari: Laïcis et aliis, intinctae in calice particulae et madefactae, eodem modo praebentur. Istius disciplinae ut omnium quae ad Alexandrinam Ecclesiam spectabant ignarus Ludolfus, nullam occasionem inculcandi communionem sub utraque specie praetermittit, quasi nesciretur illam toto Oriente obtinere, etiam apud illos qui cum Romana Ecclesia conjuncti sunt: aut communio per intinctam particulam ea esset, quam urgent tantopere Protestantes. Haec porro a nobis alibi tractata sunt et explicabuntur aliquando uberius, cum non magis ad Aethiopes, quam ad reliquos Orientales pertineant.

ERRATA.

Pag. XIII. l. 33: *quo*, lege *quod*. Pag. XXIII, 33: *idoniis*, lege *idoneis*. Ibid. *agressi*, lege *aggressi*. Pag. XXIV, l. 9: *tesimonio*, lege *testimonio*. Pag. XXVIII, l. 13: *Crysostomo*, lege *Chrysostomo*. ibid. l. 32 *quidam*, lege *quidem*. Pag. XXXI. l. 31: *haeriticus*, lege *haereticus*. Pag. XXXV, l. 17: *illus*, lege *illius*. Pag. XLI. l. 5: *linguae*, lege *lingua*. Ibid. l. 7: *Aegyptis*, lege *Aegyptiis*. Pag. XLII. l. 38: *nomulla*, lege *nonnulla*. Pag. XLVI. l. 20: *vetutissima*, lege *vetustissima*. Pag. LIII, l. 28: *multos*, lege *multis*. Pag. LV, l. 14: *custodias*, lege *custodiat*. Ibid. l. 35: *demonstrandum*, lege *demonstrandam*. Pag. LVIII. l. 12: *reliquant*, lege *relinquant*. Ibid. l. 35: *fiere*, lege *fieri*. Pag. LXIV, l. 17: *Graece*, lege *Graecae*. Pag. LXX, l. 1: *mutitudini*, lege *multitudini*. Pag. LXXII, l. 19: *ritos*, lege *ritus*.

Pag. 73, l. 39: *ἅτερ*, lege *ἄτερ*. Pag. 77, l. 15: *πληϑησώμεϑα*, lege *πλησϑησώμεϑα*. Pag. 106. l. 6: *ὑμῶν*, lege *ἡμῶν*. Pag. 109, l. 35: *Spiritus*, lege *Spiritu*. Pag. 110, l. 7: *σου*, lege *σοι*. Pag. 144, l. 21: *in investigabilem*, lege *ininvestigabilem*. Pag. 148, l. 4 *ἀνώμους*, lege *ἀμώμους*. Pag. 235, l. 12: *Provincis*, lege *Provinciis*. Pag. 325, l. 24: *vulgaris*, lege *vulgatis*. Pag. 326, l. 7: *Diaconus*, lege *Diaconos*. Pag. 510. f. 39: *et veteres*, lege *ut veteres*. Pag. 512, l. 17: *lectorum*, lege *lectorem*.

☞ *Praeterea errore typographico numeri paginarum 187—190 bis occurrunt, quapropter secundi asterisco (*187, *188, *189, *190) signati sunt.*

INDEX

RERUM, QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

LITURGIARUM

ORIENTALIUM

COLLECTIO.

TOMUS II.

LITURGIARUM

ORIENTALIUM

COLLECTIO

OPERA ET STUDIO EUSEBII RENAUDOTII PARISINI.

EDITIO SECUNDA CORRECTIOR.

TOMUS SECUNDUS.

FRANCOFURTI AD MOENUM

SUMPTIBUS JOSEPHI BAER BIBLIOPOLAE.

LONDINI

APUD JOANNEM LESLIE BIBLIOPOLAM.

1847.

Typis Benjamin Krebs.

INDEX

DISSERTATIONUM ET LITURGIARUM QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

INDEX.

PRAEFATIO.

Cum Syriacarum Liturgiarum si unicam Basilii ab Andrea Masio Latine redditam excipimus, Versio nulla huc usque prodierit, magnusque sit illarum numerus, eas omnes interpretari et in unum corpus conjicere, operae pretium visum est. Ignotae enim fuerunt nostris Theologis, quod Syriace tantum extarent. Ex illis quatuordecim Syriace Romae editae fuerant anno MDXCII. sub titulo *Missalis Chaldaici ad usum Ecclesiae Maronitarum*, quamvis ad illos nullatenus pertineant, sed Jacobitis propriae sint. Illae porro interpolatae cum fuerint, nullius ad fidem Catholicam confirmandam usus esse poterant. Omnes igitur quascumque nancisci potuimus, et longe plures quam ipsi Maronitae enumeraverint, ex Codicibus optimae notae, Latine explicatas, haec Collectio repraesentabit.

Quanta sit illarum autoritas ad cognoscendam penitus Orientalium de Eucharistia fidem, quamque vanis argumentis impugnatae fuerint, in Dissertationibus praemissis alteri volumini satis dictum est. De interpretatione, ut accurata esset, quantum in nobis fuit praestitimus. Commentarium in Ordinem Generalem, et in Liturgiam Jacobi, quo disciplina explicatur, ex probatissimis apud Orientales autoribus collegimus. Is Commentarius, cum omnibus Liturgiis aeque conveniat, reliquis explicandis sufficit; nisi quando occurrunt nonnulla, quae singulari aliqua observatione indigent: ea vero subjectis unicuique notis explicavimus.

Nulla istarum Liturgiarum in antiquis et bonae notae codicibus manuscriptis reperta non fuit, adeo ut de illarum auto-

ritate et sinceritate nulla possit esse suspicio. Praecipuos habuimus ex Bibliotheca Colbertina, alios ex Seguieriana quam Illustrissimus literarum literatorumque cultor Petrus Seguierius Franciae Cancellarius magno studio collegerat. Illorum usum benignissime mihi concessit Illustrissimus Metensis Episcopus, Henricus Carolus Dux Coislinius, cui hoc nomine mecum plurimum debent Antiquitatis Ecclesiasticae studiosi. Magna quoque laus debetur memoriae viri summi Joannis Baptistae Colberti, qui maxima Orientalium librorum ad rem Christianam spectantium copia, insignem Bibliothecam suam ornavit, quam ab avo fundatam, a patre et patruo conservatam, magno literarum bono tuetur, et eruditis viris communicat V. C. Carolus Leonorius Colbertus Comes de Seignelay.

Ex illarum Liturgiarum consensu non modo quae ad confirmandam Graecae Latinaeque Ecclesiae concordiam de Eucharistiae fide pertinent, cognoscentur, tanquam ex publicis Jacobitarum tabulis, sed etiam multa circa proprias illorum opiniones et disciplinam, quae parum fideliter a recentioribus et ab antiquis scriptoribus explicata sunt, illis etiam quorum magna autoritas huc usque fuit. Ita qui haec officia legerit, agnoscet accusatos immerito Jacobitas ab Anastasio Antiocheno fuisse, quod aquam vino non admiscerent; cum id ad Armenos solos pertineat. Multa similiter perperam Orientalibus impacta, ex sola istarum Liturgiarum inspectione diluuntur, quarum testimonia si quis rejiciet, prius demonstret necesse est, illas Orientalibus ignotas fuisse, aut a Latinis hominibus formam quam habent accepisse, quod nemo unquam praestiturus est, neque accusationem hanc suscepturus absque magno famae suae, si quam in literis habet, periculo.

DISSERTATIO

DE

SYRIACIS

MELCHITARUM ET JACOBITARUM

LITURGIIS.

I. De Syriacis Melchitarum sive Orthodoxorum, ut etiam Jacobitarum Liturgiis conjunctim dicemus, quod non modo eadem lingua scriptae sunt, quae est Syriaca vetus, sed etiam quod sunt plane similes. Ea vero similitudo non in sola illa generali sacrorum celebrandorum forma, quae omnibus Ecclesiis communis est, consistit, verum in eo quod prima et praecipua, ad quam reliquae accommodatae sunt, et quae Jacobo tribuitur, ab utrisque usurpari solet. Nempe quia Jacobitae cum ab Ecclesia secesserunt, sacramenta ritusque sacros, Ecclesiae Catholicae proprios servaverunt, gnari traditionis Apostolicae a qua satis commendabantur: illorum vero formam antiquitus traditam, pervertere et abolere, sacrilegio proximum visum illis fuisset. Nam tantum abfuit ut de Apostolica illarum Liturgiarum origine dubitarent (quod tam secure fecerunt Reformatores) ut non modo eas ex Apostolorum institutione manasse, verum ab illis scriptas fuisse communi opinione teneant, quod praeter multos alios, docuit insignis apud Jacobitas Theologus, Dionysius Barsalibi.

Melchitae et Jacobitae communem formam Liturgiarum habent.

II. Sane maximus omnium Syrorum de Jacobi Liturgiae antiquitate et autoritate consensus est, in quo illorum traditio Graecarum Ecclesiarum traditioni est plane similis: nam licet illa rarius utantur a multis saeculis, primam tamen et antiquissimam omnium fuisse,

Cum Graecis consentiunt de antiquitate et autoritate Liturgiae S. Jacobi.

non modo Theologi, sed Synodus sexta statuerunt. Nulla hic inter Orthodoxos et Haereticos opinionum dissensio est. Et re vera nulla inter eos, aut etiam inter Graecos et Syros, esse potuit; quandoquidem ex codicum utriusque linguae comparatione Syriacam Liturgiam Jacobi ex Graeca fuisse expressam, statim intelligitur. Graecae usum communem in Ecclesia Hierosolymitana fuisse, certissimo Cyrilli ejusdem Episcopi testimonio demonstratur, cujus autoritatem labefactare dum conatus est Andreas Rivetus Criticorum infelicissimus; imperitiam ipse suam, non Catecheseon Mystagogicarum suppositionem demonstravit, ut fusius alibi probavimus. Unde non modo Hierosolymis, sed in Palaestinis Ecclesiis usurpatam fuisse Jacobi Liturgiam evidenter conficitur. Cum vero Syriaca lingua iis in provinciis vernacula foret, praesertim in pagis et extra urbes, originem inde habuit Liturgia Syriaca, quam Orthodoxi et Jacobitae tanquam antiquitus traditam, huc usque servaverunt, et Syri omnes, si Nestorianos excipimus, qui illa nunquam usi videntur fuisse. Hujus in communi Ecclesiarum consuetudine diversitatis causae verisimiles fortassis multae in mentem veniunt; certa assignari nulla potest. Nam quod odio Orthodoxorum id fecerint, ne communia sacra haberent, inanis conjectura est, quam Jacobitarum exemplum satis refellit. Illi quippe cum in Aegypto Orthodoxos numero superarent, talique odio prosequerentur, ut se ultro servituti Muhamedanorum tradere, quam sub Imperatoribus, qui Calchedonensis synodi fidem propugnabant, vivere maluerint: in sacris Officiis nihil mutaverunt, sed communi Liturgia uti perseveraverunt. Ita in Syria fecerunt, cum illic ingens quoque Jacobitarum multitudo foret. Alia igitur singularis hujus rei ratio quaerenda est.

Cat. Mystag. Crit. sacri l. I. c. 3.

Quae causa esse potuerit cur Nestoriani ea non uterentur.

III. Quamvis a Diodoro Tarsensi, Theodoroque Mopsuesteno, originem habuisse haeresin quam postea Nestorius amplexus est, Graeci Latinique vulgo doceant, in quo consentientes habent Orientales omnes; tamen illa in Constantinopolitana potius Dioecesi, quam in aliis provinciis incrementum accepit. In Syria propagata vix fuit, nisi postquam Mesopotamia, in qua deinceps maxime viguit, a Persarum Regibus occupata est. Eo scilicet confluxerunt Nestoriani ex toto Romano Imperio, cum legibus proscripti, Ecclesiisque spoliati, apud Barbaros integram libertatem nanciscerentur. Nec ea contenti, Cosroïs Nuschiruani potestate abutentes, Orthodoxos expulerunt Edessena schola et Ecclesia, quam Heraclius pace cum Persis facta,

primis possessoribus restitui curavit. Nam ut Cedrenus scripsit, non modo Nestorianis favebat Nuschiruanus, sed reliquos Christianos, etiam in Perside, ad eorum sectam amplectendam cogebat: atque ea ratione factum, ut qui in ea regione Christiani erant, omnes prope eadem haeresi inficerentur. Id videtur effectum esse non ab indigenis Syris, nam Orthodoxam fidem sequebantur, et sub Romanis imperatoribus Nisibi et Edessae scholas habebant insignes, ubi florebant sacrarum literarum studia, de quibus Junilius, Cassiodorus et alii: verum a fugitivis ex Graecia, qui septimo saeculo praesertim, Ecclesias et scholas occupaverunt, totam denique Mesopotamiam Nestorianam fecerunt. Servaverant illi Liturgias suas, et Officia secundum Graecae Ecclesiae, ex qua recesserant, disciplinam, ita tamen ut secundum mores illius saeculi, eadem officia Syriace celebrare coeperint, ubi Graeca lingua non erat vernacula; illaque retinuerint eo facilius, quod cum Orthodoxis indigenis nullam communionem haberent. Mesopotameni proprios ritus habere potuerunt, quos Nestoriani amplexi sunt.

Cedren. T. I. p. 420. Theod. Lect. l. I. pag. 558. Ed. Val.

T. 1. p. 415.

Junil. Div. Instit.

IV. Fieri quoque potuit, ut proprios Mesopotamenarum Ecclesiarum ritus sequerentur, inter quos et eos qui vigebant apud Orthodoxos, nulla momenti alicujus erat differentia, in illis sacrae actionis partibus, quae praecipuae et necessariae sunt. Verum an ita fuerit, constitui non nisi ex conjecturis potest: neque tamen inanes omnino illae judicandae sunt. Ut enim alibi dictum est, fuit apud Syros Mesopotamenos traditio, institutae ab Adaeo seu Thadaeo ad Abgarum Regem misso Ecclesiae, cujus in historia Ecclesiastica Graecis monumentis consignata probationes extant: et procul dubio Apostolus ille vel Discipulus, non qualem Nestoriani deinde, sed eam quam reliqui Discipuli doctrinam annunciavit: ut neque Jacobus Nisibenus, Ephrem et multi alii ulla erroris suspicione aspersi sunt. Itaque communem cum reliquis Ecclesiis fidem et disciplinam habebant, sed ritus potuerunt habere diversos: ut etiam leges quasdam Ecclesiasticas Nestoriana haeresi vetustiores. Id porro plane certum facit *Syntagma Canonum secundum doctrinam Adaei et Agis*, quod reperimus in vetustissimo Codice Syriaco Mediceo Collectionis Canonum Ecclesiae Jacobiticae, quae sane illud a Nestorianis non accepisset, tanta est illius sectae apud Jacobitas detestatio.

Mesopotameni proprios ritus habere potuerunt, quos Nestoriani amplexi sunt.

Euseb. l. I. c. 13.

V. Porro haec quamvis probabilitatem habeant non mediocrem, certo tamen comperta non esse fatemur ingenue, quia veteres libri

Jacobitae praeter Jacobi Liturgiam multas alias habent.

sacramentales Syrorum Edessenorum et Nisibenorum, ante scissam per Nestorianos et Jacobitas Ecclesiam nulli dudum extant, nisi sint illi quibus a multis saeculis Nestoriani utuntur, quod verisimilitudine non caret. Nam Jacobitae, ut etiam Melchitae sive Orthodoxi, Jacobi Liturgiam eamdem usurpant. Isti, cum Ecclesiae Graecae fidem sequerentur, et Antiocheno Patriarchae subjecti essent, ut sunt etiamnum, plerumque graece sacra celebrabant: atque adeo nihil quod ad veterem Ecclesiae Syriacae disciplinam illustrandam conferre posset, ab illis fuit expectandum. Jacobitae numero et autoritate longe superiores, praeter Liturgiam Jacobi Syram, multas habent, quarum vix ulla antiquitatis certas notas praefert. Neque enim ratio habenda est testimonii Maronitarum, qui plures illarum tanquam suis gentilibus proprias a vetustate commendant: quasi illas cum Orthodoxa religione a saeculo sexto servaverint. Illa enim de Maronitis opinio pietatis quidem erga majores suos laudem meretur: at repugnat non Graecorum modo et Latinorum, sed Orientalium omnium testimoniis, quorum fidem, praecipue Willelmi Tyrii frustra elevare recentiores Maronitae conati sunt. Nullae leguntur in codicibus MSS. Maronitarum propriae Liturgiae, et illae quarum longum indicem Abrahamus Echellensis dedit, Jacobitarum sunt, aut falsis titulis insigniuntur, quod ex ipsis autorum quibus attribuuntur nominibus perspicuum est, quae in editionem Romanam aliquarum irrepsisse satis mirari nemo possit, ubi etiam inauspicatum illud Barsomae, anathemate Calchedonensis Concilii confixi, in Diptychis, velut sancti legitur. Nempe quia Jacobitarum codices erant, quos Maronitae suis hominibus attribuunt.

Echellensis quid de illis scripserit. *Notis ad Hebedjesu p. 235.*

VI. Inter eos maxime celebris Abraham Echellensis, quinquaginta et amplius Liturgias apud Syros extitisse scribit, quarum triginta et una tantummodo superessent, quas hoc ordine recenset. Xysti Papae, Joannis Chrysostomi, Joannis Evangelistae: Petri: duodecim Apostolorum: Dionysii Areopagitae: Cyrilli Alexandrini: Matthaei Pastoris: Joannis Patriarchae cognomento Barsusan: Eustathii: Marutae Takritensis Metropolitae: S. Jacobi fratris Domini: S. Marci Evangelistae: Petri altera cum epitheto Papae Romani. Praeter istas quas extare dicit, et illae editae sunt in Missali Chaldaïco Romae excuso, sequentes numerat: Joannis Maronis Patriarchae Antiocheni, quam se habuisse testatur: Basilii: Duodecim Apostolorum altera: Julii Papae: Jacobi Nisibensis: Gregorii Theologi: Mosis Barcephae,

Jacobi Edesseni: Philoxeni: Eleazari episcopi Babylonis: Thomae Giarmachitae: Narsis Diodori, Barsomae. Addit extare apud Nestorianos Nestorii et Theodoreti Liturgias, sed quas non viderit. Dictum est alibi, Abrahamum Echellensem, et Maronitas reliquos, etsi de Ecclesia et de litteris bene meritos, saepe tamen ut Orientalium consuetudo fert, affirmasse multa, quae si alia testimonia desint, non facile credi debeant. Tria vero potissimum in hac enumeratione observanda sunt. Primum est reticere Echellensem, quod priores illae, quas extare dicit Liturgiae, quaeque suum in Missali Chaldaïco locum occupant, aliter omnino se habent in codicibus MSS. quam in editis. Secundum, quod si unicam excipimus, quae est Jacobi fratris Domini, reliquae omnes Jacobitarum propriae sunt, non Orthodoxorum. Tertium quod multas omisit quae reperiuntur in optimae notae codicibus, et alias recensuit, quae Orientalibus ignotae sunt. Illud porro enucleatius patebit enumeratis illis Liturgiis, quae vel in Romana editione sunt, vel in codicibus MSS.

Earum enumeratio.

VII. Liturgia Jacobi fratris Domini quae reliquarum omnium Canon est, ea ratione quam alibi explicavimus: scilicet ut prima ejus pars, quae usque ad Osculum pacis perducitur, omnibus inserviat, cujus loco Xysti Romani Liturgiam Romani editores substinuerunt, juxta exemplarium recentiorum fidem.

Ejusdem Jacobi Liturgia brevior, in epitomen redacta a Gregorio Jacobita Catholico Orientis: ante annos non multos.

Petri Principis Apostolorum, edita et in MSS. codicibus.

Petri Papae Romani: in editione Romana, sed non invenitur in MSS. Codicibus: titulusque suspectissimus est.

Tertia Petri Principis Apostolorum nomine extat in Codicibus Colbertinis et Seguieriano uno.

Clementis Romani in MSS.

Dionysii Atheniensis nomine una extat in MSS., sed ab ea diversa est quam Romana editio repraesentat.

Ea vero quam Atheniensi tribuunt, secundum codices MSS. opus est Dionysii Barsalibi Metropolitae Amidae Jacobitae.

Ignatii Antiocheni Episcopi et Martyris in editione Romana, prorsus differt ab altera ejusdem tituli MS[a].

Marci Evangelistae in Romana editione: in Manuscriptis plane diversa.

Joannis Evangelistae ibidem edita: quae extat in Codicibus MSS.

Duodecim Apostolorum: ibidem et in Manuscriptis.

Julii Papae Romani edita et in Codd. Manuscriptis.

Eustathii Antiocheni in editione Romana, et in MSS.

S. Joannis Chrysostomi secundum Romanam editionem, sed in Codicibus Manuscriptis, Joannis dicitur simpliciter.

Alia sancti Joannis in Codd. Manuscriptis.

Marutae Metropolitae Orientis, in editione Rom. et in MSS.

Cyrilli Alexandrini edita, et in Codd. Manuscriptis.

Thomae Heracleensis Episcopi Jacobitae in Manuscriptis.

Mosis Barcephae ejusdem qui de Paradiso scripsit MS[a].

Doctorum Sanctorum a Joanne Magno Patriarcha ex diversis aliis concinnata. In Codd. MSS.

Philoxeni Episcopi Hierapolitani MS[a].

Severi Antiocheni in variis Codicibus MSS. quorum nonnulli Timotheo Aeluro Alexandrinae sedis invasori eam attribuunt.

Dioscori Alexandrini in MSS.

Jacobi Baradati MS[a].

Jacobi Serugensis et Botnanensis Episcopi MS[a].

Jacobi Edesseni MS[a].

Joannis Patriarchae Acoemeti dicti MS[a].

Joannis cognomine filii Maadni MS[a].

Gregorii Catholici Orientis, Abulfaragii MS[a].

Dioscori Episcopi Gordyaeorum MS[a].

Joannis Episcopi Basorensis MS[a].

Ignatii Patriarchae Antiocheni, qui aliter appellatus est Joseph filius Wahib MS[a].

Michaëlis Patriarchae Antiocheni Jacobitae, qui sedebat sub finem duodecimi saeculi MS[a].

Mathaei Pastoris, in editione Romana et in MSS.

Joannis Barsusan edita, sed nondum reperta in codicibus MSS. In multis exemplaribus Romanae editionis, transverso calamo deletum est ejus nomen, erat enim ille certissimus haereticus.

Xysti Papae Romani, edita: sed ita ut a codicibus S S. non leviter differat.

Duodecim Apostolorum nomine alia quoque occurrit in Codicibus MSS. quorum aliqui eam Lucae Evangelistae tribuunt.

Basilii Magni, quam Andreas Masius Latine vertit, reperta in Cod. Colbertino, Gregorio quoque attributa.

De Joannis Maronis Liturgia.

Joannis Maronis Liturgiae qui meminerit, praeter Maronitas existimamus esse neminem: eo autem nomine quemquam fuisse olim Patriarcham Antiochenum, non modo certum non est, sed argumentis firmissimis falsissimum esse demonstratur. Quod si alicui ex tribus quorum Liturgias recensuimus, accommodari posse putant, ea quae de Joanne suo Marone nugantur, suas ipsi rationes conturbant, cum Jacobitas fuisse illos in confesso sit, suum vero non modo Orthodoxum, sed solum quodammodo fidei propugnatorem sua aetate fuisse volunt.

VIII. Ex his quae huc usque dicta sunt constare potest, quam negligenter Echellensis, et alii origines Ecclesiasticas Syrorum explicaverint, cum neque multas Liturgias, quarum tamen certa autoritas est, cognoverint, et eas, quas ut Maronitarum et Orthodoxorum proprias Missali Romae edito inseri curaverunt, Haereticorum esse, aut ignoraverint aut dissimulaverint. Ita liber qui sub gravi interminatione solus a Syris Orthodoxis ad altaria usurpari debet, Jacobitarum Liturgiis plenus est, Haereticorumque velut Sanctorum commemoratione infuscatus.

Omnes enumeratae Jacobitis propriae sunt.

IX. Patet autem ex enumeratione Liturgiarum, nullam esse etiam in illo Missali, quae Jacobitarum non sit: adeo ut ex Maronitarum usu nulla ipsis commendatio possit accedere, quasi, quod essent in manibus Orthodoxorum hominum, carerent omni suspicione erroris, aut perperam administratae disciplinae. Sed Maronitas tales fuisse, praeter ipsos non idoneos in propria causa judices, nemo memoriae prodidit: omnes imo eos Monothelitis accensent, Melchitae, Jacobitae, Nestoriani, Graeci quoque et Latini, ipsi tandem doctiores Muhamedani, ut Makrisius. Neque si aliquibus Officiis sacramentalibus haeretici usi aliquando fuerunt, perit illorum autoritas, modo illa ab Ecclesia ex qua egressi sunt, probata et usurpata quondam fuisse constet: quod in illis de quibus agimus Liturgiis est certissimum. Et sane non modo in Jacobiticis, sed nec in Nestorianis antiquis, vix quidquam occurrit quod ad errores alterutri sectae proprios insinuandos pertineat, ut jam observavimus.

Patrum quae editae sunt exigua est autoritas.

X. Hinc satis manifestum est, nullam esse quantum ad origines Ecclesiarum Orientalium explicandas pertinet, earum quae Romae editae sunt Liturgiarum autoritatem, nisi conveniant cum Codicibus

MSS. quod de nulla dici potest, neque de toto illarum corpore. Nam praemittitur omnibus ea quae Xysti Romani Pontificis dicitur, cui velut praecipuae reliquas accommodare oporteat. Verum quamvis ita se habeat in aliquot Manuscriptis Codicibus, ejus usus rarissimus est, et illam refingere necesse fuit, ut sana videretur. At omnes Liturgiam Jacobi ut praecipuam repraesentant, quod non modo Jacobitis observatum est, sed Melchitis, seu Orthodoxis, inter quos Maronitae primas partes in Syria semper habuisse se jactant, et a quorum exemplo non erat recedendum. Nam qui neque Orthodoxam Ecclesiam sequuntur, in forma sacrorum Officiorum, nec Jacobiticam, erunt in nulla. Provocare porro ad veteres Codices suos Maroniticos, quos nemo vidit, ut ordo ille praeposterus stabiliatur, nugari est, cum nulla Syriaca Missalis editi Liturgia sit quam Jacobitae non habeant, non modo a majoribus acceptam, sed quasdam ab illis autoribus compositas, qui in ejusdem sectae professione vixerunt. Id etiam agnosci facile potest ex commentariis aliquot in Liturgias Syriacis, qui in Bibliothecis servantur, illi enim, inter quos prae caeteris commendatur is qui Dionysium Barsalibi autorem habet, non ad Xysti aut quamvis aliam, sed ad Jacobi Liturgiam, ut ad textum primarium sunt accommodati: imo et quem Echellensis saepe laudavit sub nomine Joannis Maronis, eamdem explicat, quamvis de eo opere sit magnopere dubitandum.

Duae insignes mutationes in Liturgiis editis. Verborum Christi.

XI. Omnes etiam Liturgias Romani editores duobus praesertim locis reformaverunt: in forma verborum Christi Domini: et in Invocatione Spiritus sancti. Illam quidem formam quae Graecis similis in plerisque est, omnino sustulerunt, ut quae in Latino Canone est, totidem verbis expressa substitueretur, spisso tamen errore: cum particulam *enim* quam Syri a Graecis habent, non receperint, sed ejus loco דין quae non *enim*, sed *autem* significat, contra MSS. omnium fidem substituerint. In forma ad calicem consecrandum, *mysterium fidei* pari ratione addiderunt.

Invocatio Spiritus sancti.

XII. Invocationem Spiritus sancti pariter immutaverunt, ita ut sententiam illius orationis, non ad efficiendam, aut potius consummandam elementorum in corpus et sanguinem Christi transmutationem, sed ad fructum ex eorum digna susceptione percipiendum, retulerint: cum alia lectio, qualis est in Graecis Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Alexandrinisque Liturgiis, vetustissimorum codicum testimonio confirmetur, cui accedit Orientalium omnium consensus. Veriti sunt

scilicet qui editioni praefuerunt, ne quod Censores alii, praesertim qui post Florentinum Concilium scripserunt, tanto studio inculcaverunt, lateret in ea oratione venenum haereseos quam Graecis attribuunt, de qua Syri aut Orientales alii nunquam quidquam audiverunt, ut sane antea nullam dissensionis inter Latinos et Graecos occasionem dedit. De illa vero Invocatione fuse dictum est ad Copticam Liturgiam.

XIII. Effugit tamen illorum oculos antiqua et sincera lectio, quae superest in Liturgia Jacobi; et ejusdem certum indicium pariter conservatum est in libro Ministerii Diaconici, Romae pariter excuso. Nam orationes quae a Diacono recitantur, ut circumstantes excitet ad orandum impensius, pro adventu Spiritus sancti super dona proposita, Invocationi integrae, non interpolatae respondent, genuinaeque lectionis vestigia retinent. Huic porro contradictioni excusatio mederi nulla potest, quando si haereticam opinionem confirmat vetus lectio, reformata in omnibus, praeter unam aut alteram Liturgiis, eadem ex libro Ministerii Diaconici tolli debebat. Sed incredibilis fuit hoc in genere quorumdam hominum temeritas et negligentia, dum inconsultis Pontificibus, sustulerunt multa, quae ab illorum decessoribus improbata nunquam fuerant. Ita enim Orientales irritant, neque Orthodoxos, sed hypocritas faciunt: tum Liturgiarum, quarum in controversiis adversus Protestantes summa autoritas est, fidem destruunt, adeo ut nullius usus, nisi ad MSS^os^. codices recurramus, esse possint.

Remansit tamen vetus lectio in aliquibus.

XIV. In reliquis Officii Eucharistici partibus nihil fere mutatum est, cum etiam morosissimis censoribus, quod displicere aut suspectum esse posset, vix quidquam occurrat. Addiderunt tamen nonnulla ex Romano ritu deprompta, quae omitti satius erat, quamvis ex se indifferentia sint; quid enim refert an sacerdos dum manus lavat, eam dicat orationem quae in suis libris continetur, an quae in nostris, aut hostiae fractionem et intinctionem faciat, more majorum, an Romanorum? Haec quanquam minutiora, simplices novitate sola conturbant: pervicaces obdurant, et faciunt ab unitate alienissimos, dum existimant nihil in disciplina illorum probare Romanam Ecclesiam: Protestantium calumniis de corruptis et interpolatis Liturgiis colorem aliquem conciliant. Verum quidquid de illis Officiis a nobis dicitur, non ex reformatis illis codicibus, sed ex MSS^tis^. referetur.

In aliis partibus editae Liturgiae MSS. respondent.

De Liturgiarum Syriacarum magno numero.

XV. Exposito illarum Syriacarum Liturgiarum numero, statim unicuique in mentem veniet, qua ratione factum sit, ut tot apud Syros Jacobitas extent, cum Nestoriani tres admodum habeant: Coptitae qui etiam Jacobitae sunt, non plures: etsi Aethiopicae duodecim numerentur. Hujus Liturgiarum tanti numeri ratio reddi nulla potest, nisi ex conjecturis. Non enim ex gentis genio, scribendique patria lingua facilitate, natae sunt tot diversae Liturgiae, cum Nestoriani Syri essent, et linguae suae studiosissimi: neque Orthodoxi aliam quam Jacobi Liturgiam videantur agnovisse. Solis id Jacobitis contigit, ut tot diversas haberent. Illarum porro antiquitatem certis argumentis demonstrare facile non est, cum Critica etiam in rebus Ecclesiasticis apud Orientales ignota sit. Quid de singulis probabiliter judicandum videatur, paucis explicabimus.

Jacobi Liturgia prima et praecipua est.

XVI. Jacobi quidem Liturgiam omnes ut vetustissimam agnoscunt, et eam in coenaculo Sion ab Apostolo ipso scriptam fuisse communis traditio est, quam refert, ut apud suos receptam, Dionysius Barsalibi. Ea scilicet offerendi sacrificii Eucharistici forma fuit, quam Ecclesia Hierosolymitana antiquitus tenuit: similis in multis Graecae, quae extat sub eodem titulo, ut vel ille solus Diptychorum locus significat, ubi oratur pro sancta Sion Ecclesiarum omnium matre.

XVII. Aliae inter illas quas enumeravimus, augustis veterum sanctorum nominibus insignitae, Melchitis quantum adipisci potuimus ignotae sunt, et Jacobitis propriae. Apostolorum duodecim, Petri, Marci, Lucae, Joannis Evangelistae, aliorumque Apostolicorum virorum, etsi ab illis scriptae dici non possint, tamen supposititiae non sunt, cum in antiquis exemplaribus multis reperiantur. Sed quos illae autores habuerint, aut quando scriptae fuerint, frustra quaereretur, cum nec ex aliis Graecis expressae sint, nec agnoscantur in aliis Jacobiticis Ecclesiis; aut si nonnullae iisdem nominibus designantur, ut apud Aethiopes, Joannis Chrysostomi, Dioscori, et quaedam aliae, illas ritus esse diversi, Alexandrini scilicet, statim agnoscitur.

Idem de aliis judicandum.

XVIII. Sequuntur aliae magnis quoque titulis inscriptae, ut Clementis Romani, Xysti, Julii, Ignatii Antiocheni, Dionysii Atheniensis, de quibus idem judicari debet: non esse illas scilicet ab eorum, quorum nominibus appellantur, manu: esse tamen antiquas, ita ut earum origo inter Jacobitas quaerenda sit, cum Graecis et aliis Ecclesiis ignotae sint: neque esse supposititias, quia extant in

sinceris vetustisque codicibus, et earum usum viguisse dubitari vix queat. Observandum porro est, Jacobitarum propriam et certam notam ambitiosis illis titulis contineri, quamvis in ipsa orationum serie, vix quidquam singulare ad illorum opinionem confirmandam se offerat. Nempe ut alibi, si vita suppetet, accuratius probabitur, jactabant veteres Monophysitae majorem in modum testimonia veterum Patrum quae novae suae Theologiae favere videbantur, neque utebantur modo sententiis ex Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, et Nysseno, aliisque Patribus, magna cura excerptis, sed Gregorii Thaumaturgi et nonnullorum vetustiorum autoritate pugnabant. Nec illis contenti, Epistolas Julii Papae, et vetera quaedam scripta alia, quorum falsitas dudum perspecta est, producebant: inter quae illud praecipue notandum est, scripta Dionysii Areopagitae, ut olim credebatur, prius ignota, primum allegata a Severianis fuisse in Collatione Constantinopoli habita sub Justiniano anno DXXXIII. Ea igitur ratio videtur fuisse, cur Julii Papae nomine Liturgiam composuerint, ut cujus testimoniis passim utebantur, illius nomini gravior ex Liturgiae titulo autoritas accederet. Liturgias enim scribere, non cujuscumque hominis fuit, sed illorum qui vel dignitatis amplitudine, vel doctrinae fama caeteris praestitissent. Unde excusari non potest illorum incogitantia vel ignorantia, qui dum Syriacas Liturgias, quae Maronitis et Syris aliis utendae praescriberentur, edi curarent, ut sanas et omni erroris suspicione vacuas, eas commendaverunt, quae certam sectae Jacobiticae tesseram praeferebant.

De Liturgia Ignatio attributa.

XIX. Ignatio Martyri unam attributam fuisse, alia ratio fuit, nempe quod Antiochenam sedem tenuisset, sub cujus olim jurisdictione fuit vastissima Dioecesis Orientis, ex qua ob amplitudinem formatae sunt minores Dioeceses, sed tamen satis vastae Catholicorum Persidis et Armeniae, ad quorum exemplum Nestoriani, Seleuciae et Ctesiphontis Episcopos, quibus successerunt Catholici Persidis, Catholicos appellaverunt, illisque Patriarchalem autoritatem apud suos tribuerunt.

De Severi etc. Liturgiis.

XX. Dioscori, Severi, Philoxeni, Jacobi Baradati, et si qui sunt alii Jacobitarum Divi, Liturgias ab ipsis scriptas fuisse certo aliquo argumento constare non potest. Severus quidem multa scripsit, ingensque catalogus ejus operum quae interciderunt, ex Catenis Graecis confici potest: tamen de Liturgia ab eo scripta nihil nobis occurrit. Officium Baptismi quo Syri utuntur, ex constanti traditione

et codicum testimonio, illi tribuitur: et illud est quod edidit Syriace et Latine Guido Fabricius Boderianus, sub nomine Severi Alexandrini, qui nunquam fuit. Dedit quoque simul fragmentum Ordinis Missae, sive Liturgiae, sed ab eo quem codices nostri repraesentant valde diversum, et de quo erit infra dicendi locus.

Quid verisimilius de illis judicandum.

XXI. Si quid in re obscurissima conjectari possumus, paucis illud explicabimus. Celebris semper apud Jacobitas Antiochenos fuit, ut etiam in tota Ecclesia Ignatii Martyris memoria: celeberrima longe in ea ipsa quam vivus rexerat. In solennibus illis festis praeter communes orationes, in quibus de laudibus sanctorum inserebantur multa, Liturgiis nonnulla adjici solebant, alio tamen more quam qui in Occidente viguit. Vetustissima quippe consuetudo fuit in Gothica, Mosarabica, veteri Gallicana, et aliis Ecclesiis, ut cum anniversaria dies sanctorum celebrabatur, Missae propriae assignarentur, in quibus non modo, ut in usu hodierno, tres orationes essent quibus insererentur illorum nomina, sed Praefationes totae prope erant de illorum laudibus, et praecipua illorum gesta iis breviter exponebantur. Idem in Oriente factum fuisse, ex quo Ecclesia per Nestorianos et Jacobitas scissa est, non observatur: sed ad majorem celebritatem Liturgiae singulares destinabantur, quod a Nestorianis factum videmus. Illi enim eo die quo Patrum Graecorum memoriam agunt, utuntur Liturgia quam vocant Nestorii: singulari scilicet, et quae apud illos talem titulum obtinuit, quod ultimus Patrum illorum suorum Graecorum foret Nestorius. Ita fortasse nomen accepit ea quam Aethiopes habent nomine Patrum Nicaenorum, quia in illorum die festo celebrabatur: nam illos Liturgiam scripsisse, nemo unquam existimavit. Singulares igitur illas Dioscori, Severi, Philoxeni, et similium diebus festis celebratas, ipsis tanquam autoribus attribuere postmodum, proclive fuit apud homines illiteratos, et Criticae omnis expertes. Neque de hoc argumento verisimilius quidquam occurrit.

De illis quae recentioribus autoribus tribuuntur.

XXII. Reliquae Liturgiae autores habent procul dubio, illos quorum nominibus designantur. Nam Jacobum Edessenum, alterum cognomine Serugensem, Moysen Barcepha: et alios recentiores suarum autores fuisse, non est cur dubitemus. Jacobiticae quippe Ecclesiae ea disciplina fuit, ut Episcopi summam in sacris Officiis disponendis, precibusque ordinandis haberent autoritatem; quae etiam inter Syros major omnino, quam inter Aegyptios fuit. Quippe Alexandrinus Pa-

triarcha longe plus inter subjectos sibi Episcopos poterat, quam Antiochenus, cujus Dioecesis divisa erat in varias Metropoles, et Catholici duo Persidis et Armeniae, etsi superiorem illum agnoscebant, pleno tamen jure Ecclesias suas regebant: cum praeter ordinationem, nihil antiquae jurisdictionis in eos retineret. Igitur ex Episcopali autoritate, qua Orientales Antistites usi sunt, in ordinandis Ecclesiasticis Officiis, ut Baptismi administrandi formulas, Ritualesque libros cum adjunctis precibus, Coronationis seu benedictionis nuptialis, Absolutionis Poenitentium, et alia non pauca, ita quoque Liturgias scripserunt, et ejusmodi sunt recentiores illae, quarum tituli superius expressi sunt. Ita Dionysius Barsalibi propriam suo nomine Liturgiam composuit. Eodem exemplo Joannes cognomento Magnus Patriarcha Antiochenus, eam quae *Doctorum sanctorum* dicitur, concinnavit, ex multis aliis orationes seligens, quas in unum corpus disposuit.

Nulla aliis tribuitur, quam Patriarchis aut Episcopis.

XXIIII. Illud enim maxima observatione dignum est, quod inter tot Liturgias nulla ab aliis scripta perhibetur, quam a Patriarchis, aut Episcopis, quamvis Syriaca Ecclesia, antequam per Jacobitas et Nestorianos divideretur, insignes doctrina et pietate viros extulerit, inter alios praecipue commendatum Ephraemum Edessenum. Is cum multis operibus, quae Graece translata sunt, inclaruerit, quia tamen simplex Diaconus erat, non modo Liturgiam non edidit, sed neque ullus inferioris aetatis, aliquam sub tanti Doctoris nomine scribere ausus fuit.

Patriarchae recentiores autores Liturgiarum sunt quae nomina eorum praefecrunt.

De Patriarchis aliquot quibus recentiores Liturgiae adduntur, paucissima nobis occurrunt, cum incredibilis sit rerum Antiochenarum medii temporis obscuritas, neque ullius qui illarum historiam qualemcumque scripserit, memoria supersit. Tamen eos qui in titulis nominantur Liturgias scripsisse temere dubitaretur, neque enim ficta sunt nomina, sed eorum quos in Ecclesia Jacobitica dignitate et doctrina floruisse aliunde constat. Nam inter Syros illos plus doctrinae Ecclesiasticae fuit, quam apud alios, quod omnes prope libri SS. Patrum Syriace habebant interpretatos, atque ex illis versionibus Arabicae prope omnes prodierunt. Itaque si Syros cum aliis Jacobitis Aegyptiis comparemus, isti eruditione et scribendi facultate longe superiores agnoscuntur. Unde dudum postquam Syriaca lingua vulgaris esse desiit, multa erudite et eleganter scripserunt, quod Coptice a nemine tentatum est, cum pauci eam linguam intelligerent: et praeter Acta

et instrumenta Patriarchalia, nihil in ea scriberetur. Syris igitur facile fuit Officia nova scribere, quamvis lingua vulgaris esse dudum desivisset: aliis non item. Inde factum ut illorum multo plura, quam reliquorum Christianorum Orientalium Officia habeantur. Extitisse etiam antiquitus in illa Jacobitica Ecclesia multiplices Liturgias argumento est, ea quam Joannes quem Magnum appellant Patriarcha collegit, servatis aliarum verbis et sententiis. Quamvis autem illius aetas non satis perspecta sit, at scribebat quantum conjicere possumus, ante annos ut minus sexcentos. Atque haec sunt quae de istis Liturgiis probabilius dici posse videntur, donec meliora et certiora ex Orientalibus libris qui ad manus nostras non pervenerunt, detegantur.

Liturgiae commendantur a sinceritate et vetustate.

XXIV. Unum adjicere, operae pretium erit: nempe quidquid de illis Officiis statuatur illa duplici ratione commendari, sinceritatis scilicet, atque vetustatis. Nam omnia, quorum versionem damus, ex optimis nec interpolatis codicibus expressa sunt, iisque non unis: atque adeo plurium consensus in genuina lectione confirmanda plenam autoritatem habet, quam exemplarium antiquitas ab omni suspicione vindicat. Ipsa vero in usu fuisse, libri quoque ipsi testantur, adeo triti apparent sacerdotum manibus: et multi extant in quorum vacuis foliis aliquorum nomina, tum eorum quos baptisaverunt, dies ordinationis, obitus Episcoporum aut Patriarcharum, aut Sacerdotum suae Ecclesiae, adscribuntur. Eumdem usum probant recentiora nonnullarum exemplaria, quae vetustis simillima sunt: sparsim enim Liturgiae illae reperiuntur, neque ex multis codicibus quos habuimus, nobis apparuit, unum aliquem fuisse quo omnes continerentur, adeo ut nullus, ut apud Coptitas, codex extet qui Liturgiarum corpus integrum complectatur. Hinc quantum conjectari licet confirmatur, id quod superius tetigimus, in vastissima illa Antiochena Dioecesi, Catholicos, et ipsos etiam Episcopos, multas scripsisse, vel probasse, quae in Ecclesia Antiochena usum non haberent.

Omnium forma eadem est.

XXV. Omnium porro exemplarium quae in Oriente ab indigenis descripta sunt forma eadem est quae antiquissimorum: a qua longius abeunt, quaecumque ex illorum manibus prodierunt qui in Europam venientes, dum fidei suae sinceritatem demonstrare satagunt, mutaverunt quaecumque a Missionariis, improbata esse audierant, et similia saepe vidimus, quae ut inutilia plane, ex hac collectione rejicienda judicavimus, cum nulla sit illorum autoritas: neque enim quaerimus, quae debeat ex talium censorum sententia esse Orienta-

lium disciplina, sed qualis revera sit et antiquitus fuerit. Neque ullius momenti sunt hoc in genere Maronitarum testimonia, qui ad codices suos provocant, tanquam sinceriores, et ab omni erroris suspicione immunes, cum illas ipsas Liturgias, quas ex multis elegerunt ut Romae ederentur, Jacobitarum esse demonstretur tam certis argumentis, ut reponi nihil possit, et illae notas indubitatas interpolationis prae se ferant.

De Liturgia Joannis Maronis.

XXVI. Si Maronitas audiamus, facile operosa illa quaestio de Liturgiarum antiquitate absolvi potest. Aiunt enim habere se illam Joannis Maronis, quem vixisse imaginantur intra quintum et sextum saeculum, et Antiochenum Patriarcham fuisse; scripsisse quoque commentarium in Jacobi Liturgiam, ex quo particulas aliquot Echellensis libris suis inseruit, et alias ad Virum Clarissimum Joannem Morinum olim transmisit. Nam ex ea Liturgia, et Commentario, quae forma Officii Eucharistici fuisset ante sextum saeculum, facile intelligeretur. Sed Joanni illi Maroni inter Antiochenos Patriarchas locus assignari nullus potest, ut singulari Dissertatione probabimus ex perpetuo Graecorum et Latinorum, imo et Orientalium cujuscumque sectae silentio. Quos vero citat Echellensis, et ejus in Cathedra linguarum Orientalium Romae successor et affinis Faustus Naironus, illi omnibus praeterquam Maronitis ignoti sunt, nec obscura praeferunt novitatis indicia. Unde fortassis Joannis illius Maronis Liturgiam Missali Romae edito non inseruerunt, quae tamen caeteris si unicam Jacobi excipimus, praeferenda erat, modo illam quam tantopere jactant, antiquitatem habuisset.

Graecis notae olim fuerunt multiplices Jacobitarum Liturgiae.

Λέγουσι δὲ καὶ ἐκθέσεις ἔχειν λειτουργιῶν διαφόρους, παρὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις.

Auct. Bib. PP. pag. 266.

XXVII. Verum praeter codices antiquos multos quorum autoritate Liturgias supra enumeratas Jacobitis vindicamus, multas et noviter a suis hominibus compositas illos habuisse testatur autor Anonymus a Combefisio editus, de Haeresi Jacobitarum, qui haec habet. *Aiunt etiam habere se expositiones Liturgiarum diversas, praeter Ecclesiasticas traditiones.* Ita Graecus homo, et quidem vere: cum quae auditu tantum acceperat, ipsis Jacobitarum codicibus confirmentur. Judicium vero de illis Liturgiis, quasi Ecclesiasticae traditioni contrariis, aeque absurdum est, ac illud quod Theodorus Balsamon de Jacobi et Marci Graecis tulit, abrogandas illas quia Constantinopolitana Ecclesia illis non uteretur. Vocant scilicet Graeci Ecclesiasticam disciplinam, suam propriam, praeter quam aliam non noverunt. Quod igitur Anonymus ille dixit, significat solummodo Ja-

cobitarum illas Liturgias, Graecis vulgaribus verbatim non respondisse, quod libenter agnoscimus: idque de Jacobi et Marci Liturgiis Graecis Balsamoni visum est sufficere, ad eas explodendas. At si quis inde confici existimat Jacobitarum Liturgias recedere a communi Ecclesia circa Eucharistiae fidem, et ejus consecrandae disciplinam, consuetudine, magnopere fallitur: et haec calumniosa conjectura aliis quam Anonymi testimoniis stabilienda foret. Nam Syriacas eum vidisse, non est verisimile, cum ex vulgari auditione illum loqui satis intelligatur. Inde vero existimare quispiam poterit Graecas apud Jacobitas olim extitisse Liturgias, et id procul dubio fuit. Nam ante Muhamedana tempora maximas in Graeca Ecclesia turbas Monophysitae excitaverunt, et Antiochenam Ecclesiam non semel occupaverunt, atque inter illorum Heroas praecipuus Severus. Is permulta scripsit, et Graece quidem, erantque in Ecclesiis et in Coenobiis sectatores illius maximo numero, tum illo superstite, tum sequentibus proxime saeculis. At illi Graece sacra faciebant, sed Liturgias novas composuisse, nemo inter illos qui vehementiori stilo adversus eos pugnaverunt, memoriae prodidit. Utebantur scilicet illis quae communi usu receptae erant, neque de illis ulla erat controversia, quod ex Syrorum exemplo demonstratur. Illi enim ut jam dictum fuit cum inter suos receptam Jacobi Liturgiam haberent, ea semper ad haec usque tempora usi sunt, eamque ut aliarum primarium exemplar servaverunt. Ita quoque Aegyptii Orthodoxi, cum secundum Liturgiam Alexandrinam, quae idcirco Marci appellata est, sacra facerent, eam retinuerunt per annos plusquam trecentos, donec eam Patriarchae Constantinopolitani aboleverunt. Nec illos movebat Jacobitarum qui ea utebantur exemplum, neque enim de Eucharistiae fide aut ejus consecrandae disciplina controversia inter Orthodoxos et Haereticos erat. Jacobitae quoque nonnulli Graece sacra fecerunt, ubi Copticae linguae usus non erat, omnes eadem forma. Serius igitur omnino Jacobitae Syri videntur tot recentiores Liturgias edidisse, neque ante quam Graeca lingua penitus in multis provinciis intercidisset: neque id fecerunt innovandi studio, cum communem apud Orthodoxos formam omnes exprimerent.

Forma communis Liturgiarum.

XXVIII. Ut illam paucis repraesentemus, observandum primo est Liturgiam Syriacam, ut reliquas omnes Orientales et Occidentales duabus partibus constare; quarum prima praeparatoria est, altera quae Canoni nostro respondet, proprie *Anaphora* appellatur,

ut apud Latinos veteres, *Oblatio*, *Illatio*, *Actio*, aut aliter vocata quondam fuit. Praeparato altari, Sacerdos diversas preces recitat, sacra vestimenta induit, et ita ad sanctuarium progreditur. Panis Eucharisticus cum calice, a Prothesi, ubi statim collocantur, ad altare deferuntur, eadem prope ratione, qua fit apud Graecos *magnus*, ut vocant *Introitus*: de quo ritu dicitur in Commentario ad Liturgiam Jacobi Syriacam, et dictum est ad Copticam Basilii. Miscetur aqua vinum, ex vetustissima traditione: dona ubi ad altare illata sunt, duplici velo, majori et minori teguntur, et incensantur. Dicuntur interea variae orationes, Trisagium, Gloria in excelsis: Psalmi aliquot: Hymni diversi secundum dies, carmine Ephremitico vel Jacobitico: Prooemia. Deinde leguntur sectiones ex Epistolis Pauli, et Catholicis, aliquando ex Actis Apostolorum et ex Veteri Testamento, juxta indices qui habentur in singulari codice, neque enim ut apud Latinos, Lectiones libris Missalibus inseruntur, sed petuntur ex Lectionariis, quae apud Syros, et reliquos Orientales habentur, ut apud Graecos *Ἀποστολοευαγγέλια*. Preces, benedictionesque Sacerdotis, hortationes Diaconi ad populum, singulis lectionibus adjunguntur et eodem tenore, antea vel paulo post dicuntur orationes *Εἰρηνικαί*, sive pro pace, et aliis beneficiis quae a Deo postulantur, praeeunte Diacono: Sacerdote secretam orationem interea pronunciante, et populo acclamante *Kyrie eleison*. Scripturarum lectio fit primum Syriace: et postea Arabice, quae lingua est maximae partis Orientis vernacula. His peractis canitur Syriace a populo Nicaenum Symbolum: Sacerdos manus lavat: commendat se circumstantium precibus et incipitur Anaphora, sive sacra Actio. Illius initium est oratio ante osculum pacis, et antequam dicatur superest in codicibus MSS[tis]. vetus formula ejiciendi audientes et poenitentes, testis antiquae disciplinae. Tum benedictio antiquissima: *Caritas Dei Patris*, *etc.* signum crucis super populum.

Post osculum pacis, *Sursum corda* et reliqua, cujus formulae ubique receptae in omnibus cujuscumque linguae Liturgiis extat memoria. Praefatio quae est de gratiarum actione, laudibusque ad Deum referendis propter omnia in genus humanum beneficia, creationis, legis promulgatae, missionis Prophetarum, tandem liberationis humani generis per Incarnationem, salutaremque dispensationem Christi Domini. Sequitur in Praefationis fine Hymnus Cherubicus, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, qui canitur a populo.

Sacerdos longam orationem pronunciat in Dei laudem, et pro Liturgiarum diversitate aliquando brevior, aliquando prolixior est illa oratio. Desinit autem in institutionis Sacramenti commemoratione, et pronunciatione verborum Christi, super panem, et super calicem: ad quae populus acclamat: *Mortem tuam Domine annunciamus, etc.* sequuntur orationes sacerdotis in eamdem sententiam: et paulo post *Invocatio Spiritus sancti*, quam praecedit Diaconi exhortatio ad populum, ut oret attentius, exspectando ejus illapsum in dona proposita. Ipsa Invocationis forma eadem omnino est, quae in Graecis codicibus. Sequuntur Diptycha: tum commemoratio mortuorum: Sanctorum memoria: Oratio Dominica, quam Sacerdos incipit; populus alta voce continuat. Elevatio Eucharistiae, et *Sancta sanctis.* Tum hostiae fractio, et particulae in calicem intinctio; tum ex eadem, reliquarum quae in sacro disco sunt, particularum consignatio: Sacerdotis communio: ejusdem distributio Sacerdotibus, Diaconis et reliquis ex Clero. Deinde communio populo distribuitur, per intinctam particulam, quae cochleari praebetur: Gratiarum actio et Sacerdotis ultima benedictio. Atque haec est totius Eucharistici Officii dispositio, secundum Jacobi Syriacam Liturgiam Orthodoxis, et Jacobitis communem, cujus caeremoniae in Commentario fusius et enucleatius explicabuntur.

Magna illarum cum Graecis similitudo.

XXIX. Ex illis vero quae summatim exposita sunt intelligitur, in communi Liturgiarum Syriacarum, quae ad Jacobitas pertinent forma, repraesentari eam quae Graecis Ecclesiis communis est, et non modo diversum nihil habere quod ad fidem spectet, sed neque insignem ullam esse in disciplina diversitatem. Inde elucet magnopere: ea quae antiquam de Eucharistia, totius Ecclesiae doctrinam confirmat orationum rituumque similitudo, inter Graecas, Orientales Occidentalesque Liturgias, quae ex linguarum diversitate, regionumque longinquitate, imo ex ipsis haeresibus, detrimentum nullum accepit.

Graecae Syriacarum primaevum exemplar sunt.

XXX. Agnoscitur quoque ex comparatione Syrarum Liturgiarum cum Graecis, istas fontem esse et primaevum exemplar, ad quod alterae expressae sunt: cum non modo sententiae, sed ipsa verba, praeter totam rituum ordinationem, Graecam originem perspicue demonstrent. Inde vero duo certissima colliguntur, quae ad rem maxime faciunt. Primum ad Orientales pertinet: qui omni Critices quae tamen ad Origines Ecclesiasticas cognoscendas summe necessaria est, praesidio destituti, Syriacam suam Jacobi ab eo Syriace scriptam volunt, nec sunt audiendi, cum ex Graeca manifeste

expressa sit. Secundum est insigne adversus Protestantes nostri saeculi argumentum, qui fidem de reali elementorum transmutatione, et omnia quae illam significant, Orientales a Latinis accepisse temere affirmant. Illae enim Liturgiae, si praecipuas partes excipimus, in quibus mira semper fuit Ecclesiarum omnium consensio, nihil habent circa reliquas, quod ab Occidentalibus acceptum dici, cum aliqua verisimilitudine queat. Omnium porro quas in Codicibus manu scriptis reperimus forma, eadem est. Quamvis praecipuas repraesentemus, esse quasdam nondum repertas, verisimile est: ut aliquas, quarum meminerunt Echellensis, et alii Maronitae, licet ex sola fama, aut indicibus, eas novisse videantur.

De Liturgia Basilii a Masio Latine versa.

XXXI. De ea quam Basilii nomine edidit Latine interpretatam vir doctissimus Andreas Masius, pauca dicenda sunt. Genuinam illam esse, et sinceram, non est cur dubitetur, cum in orationum rituumque dispositione cum reliquis conveniat. Multa etiam et plusquam omnes reliquae habet ex Graeca Basilii, adeo ut nomen inde traxerit non immerito. Eam tamen Melchitis potius quam Jacobitis fuisse propriam non temere potest judicari. Illi enim cum Graecae Ecclesiae subjicerentur, in qua Basilii et Chrysostomi Liturgiae solae a multis saeculis usurpantur ad altaria, primam vulgari sua lingua interpretari facile potuerunt, ut quae Officia Antiochiae Graece celebrabantur, eadem in vicanis Ecclesiis Syriace possent celebrari. Ita enim apud Aegyptios, quae Alexandriae Graece celebrabatur Liturgia, quia omnes illic Graece noverant, in pagis et in Thebaide, ubi Graeca lingua ignorabatur, legi vulgari Aegyptiaca lingua solebat. At citius Graeci sermonis usum amiserunt Antiocheni Jacobitae, quia Antiochia saepius in Graecorum Imperatorum potestate fuit: et Jacobitarum Patriarcha vix unquam, etiam sub Arabibus, Antiochiae manendi libertatem habuit. Joannem qui anno J. C. DCCCCLXVII. scripsit ad Minam, seu Mennam Alexandrinum Patriarcham Jacobitarum, longam epistolam de Collatione Constantinopoli cum Orthodoxis habita, cum ipse Imperatoris jussu eam in urbem ductus esset, inter alia, imperitum se linguae Graecae esse dixit. Itaque facile fuit, ut Liturgiae illius Basilii Syriacae aliquando usus obtinuerit apud Orthodoxos, mox in desuetudinem abierit, quia Antiocheni Patriarchae Graeci, Constantinopoli, ut plurimum missi, sacra Graece faciebant, quod etiam nunc observatur. Sed suam quoque Jacobitas habuisse, tandem agnovimus ex satis vetusto et bonae notae Codice Colber-

Hist. Patr. Alex. p. 358.

tino, in quo solo reperta est, ita tamen ut non soli Basilio, sed Gregorio simul Nazianzeno tribuatur, et aliqua inter istum et eum quem Masius interpretatus est, non tamen magni momenti, diversitas animadvertatur.

De Officio quod edidit Boderianus.

XXXII. De fragmento quod Officio Baptismali Severi Antiocheni subjecit Guido Fabricius Boderianus, superest ut nonnulla observentur. Pars est prior Officii communis, qùo preces προπαρασκευαστικαὶ continentur, cum adjunctis ritibus, qui cum aliis quos reperimus in variis codicibus, non omnino conveniunt, sed levis est admodum discrepantia, cujus ratio reddetur in Commentario ad Jacobi Syriacam Liturgiam. Esse autem illud Officium Jacobitis proprium certissime demonstratur ex oratione quadam, seu Responsorio Severi, quem cum sancti honorabili titulo, alii Christiani non appellassent. Neque tamen Severo opus adscribitur, etiam in ipso codice quem Boderianus secutus est, unde lectoribus fraudi fuit, non in inscriptione modo, sed multo magis in versione, quae ut altera Officii Baptismalis, parum accurata est, praesertim in vocibus ritualibus, quas raro interpres intellexit, vir alioqui in Syriaca lingua doctissimus. In eo Officio continentur illa, quae Anaphoram proprie dictam antecedunt: nempe usque ad osculum pacis et Praefationem: reliqua ex aliis Liturgiis petenda erant.

P. 119. Ed. Syr. Lat.

Masii de Liturgia Basilii judicium refellitur.

XXXIII. Illius fortasse occasione, adducentur nonnulli in eam sententiam quam paulo confidentius proposuit, circa editam a se Latine Basilii Syriacam Liturgiam, Andreas Masius: videri scilicet antiquiorem Graeca ejusdem nominis, quod et brevior, nec tanto caeremoniarum apparatu exornata foret. Hanc Masii opinionem amplexus est famosus nostri temporis hypercriticus, qui de Liturgiis, quidquid scriberet, semper aliquid injiciebat. Sed magnopere uterque aberravit: nam Syriaca illa Masii, ut omnes reliquae, cum ab Oratione osculi pacis incipiant, non integram, sed dimidiatam Liturgiam continent; quae si communi Officio adjungitur, quod semper fieri debuit, tunc Syriaca Liturgia Basilii Graecam prolixitate exaequabit, et fortasse superabit.

Syriaca lingua ex quo vulgaris esse desiit in sacris Officiis retenta.

XXXIV. Tandem de lingua qua Syri Officia sua celebrant pauca dicenda sunt. Syriace antiquitus sacra celebrata fuere dum lingua vernacula apud Syros erat: et eadem Psalmi canebantur, scripturaeque sacrae lectiones fiebant. Ubi vulgaris esse desiit, quod factum est, cum Arabes totum ferme Orientem armis occupaverunt, non idcirco mutata disciplina est, sed primaeva lingua conservata: ut apud Aegyptios Coptica: Graeca passim apud Orthodoxos. Scripturarum versio Arabica post Syriacam legebatur, in gratiam plebis illiteratae: sed sacra actio, quae sacerdotum orationibus constabat, veteri lingua celebrabatur, et eumdem morem huc usque Orientales

Ecclesiae retinent. Unde mirari subit tot eruditos Protestantes, inani illo argumento, quod Syri, Aegyptii, Armeni, Aethiopes, Moschi, Graeci, sua quisque lingua sacra celebrent, oppugnare hodiernam Ecclesiae Catholicae disciplinam, cum omnes illas linguas plebi a multis saeculis ignotas esse exploratum sit. Si quis ex nostris hominibus responderet, Latinam quoque Ecclesiam Latine celebrare, illum exsibilarent; et tamen eadem est omnino Latinae et Orientalium Ecclesiarum ratio. Latina enim lingua toto prope Occidente vernacula erat, cum Canon quem sequitur scriptus est: ut Syra apud Syros: utque isti cum lingua vulgaris esse desiit, illam tamen retinuerunt, neque unquam Arabice, multo minus Persice, aut Turcice Liturgia celebrata est, ita et apud Latinos factum.

Par est Judaeorum et Muhamedanorum consuetudo.

XXXV. Adeo vero haec disciplina ab omni novitatis suspicione remota est, ut non modo totius Orientis Christiani consensu et exemplo confirmetur, sed infidelium ipsorum consuetudine, usuque quotidiano. Judaei si quidem Hebraicae linguae tantum sciunt, quantum sacros libros legendo didicerunt: ubique tamen non aliter quam Hebraice preces solennes suas in synagogis recitant, imo in privatis Officiis. Versiones quippe Hispanicae quas typis ediderunt, ad mulierum et idiotarum imperitiam sublevandam, usum in publicis conventibus nullum habent, nec in illis quae domi fiunt, caeremoniis. Ita Muhamedani praeter eos apud quos Arabica lingua vulgaris est, Arabice nesciunt; ut Turcae, Persae, Tartari, et alii. Omnes tamen Alcoranum Arabice legunt, et preces suas publicas et privatas recitant, sed de ea disciplina diximus alibi.

Perp. T. 4. l. 4. c. 8.

De Liturgia Joannis Barsusan.

P. 154. et. s.

Ep. ad Nihusium Not. ad Hebed Jesu Evopl. p. 35.

XXXVI. Omnes Liturgias quas Missale Chaldaicum repraesentat, haec Collectio complectitur, praeter unam quae Joanni Patriarchae cognomento *Barscouchan*, aut, ut alii scribunt, *Barsusan*, tribuitur. Illam omittere visum fuit, quod in multis optimaeque notae Codicibus non reperitur: ex editione vero Romana, in qua interpolata est, ejus versionem dare, inutile prorsus erat. Illius tamen quasi inter Jacobitas notae meminerunt Gabriel Sionita, Abraham Echellensis, et Faustus Naironus. Verum non tanti sunt hoc in genere illorum testimonia, ut cum alia deficiunt, standum illis quisquam existimet. Jacobitam illum fuisse Naironus probat ex Catechesi quadam Jacobitarum, quem librum nulla praeter quam Maronitarum Bibliotheca repraesentat, et cujus fides valde suspecta est. In ea legitur Joannem illum fuisse Antiochenum suae sectae Patriarcham, cujus tempore, concordia quae huc usque inter Syros et Coptitas magna fuerat, turbata est, eo quod pani Eucharistico sal et oleum Joannes misceri instituerit, eamque consuetudinem scripto apologetico stabilire conatus fuerit. Verba autoris ex versione Naironi haec sunt. *Et facta est amoris accessio inter Coptitas et Syros, nempe*

Jacobitas, usque ad tempus patris nostri Joannis Barsusan Patriarchae Antiochiae. Deinde orta est inter Coptitas et Syros dissensio, quia Syri ponunt in sua oblatione salem et oleum. Et scripsit pater noster Joannes Barsusan libellum, in quo demonstravit verificationem positionis salis et olei in Eucharistia. Melius magisque perspicue. *Scripsit Epistolam publice, in qua explicavit argumenta quibus salem et oleum pani Eucharistico recte admisceri probavit.* Tractatum ejusmodi Syriace scriptum reperimus in Codice Colbertino, sub hoc titulo. *Explicatio mysticae significationis, salis, fermenti et olei quod pani Eucharistico admiscemus, autore Joanne Patriarcha.* Is ne sit quem *Barsusan* appellant, nescimus: sed Coptitas admistionem illam non probasse certum est, ex histo-
P. 425. ria Patriarcharum Alexandrinorum in vita Christoduli, deque ea dicetur in notis ad Syriacas Liturgias.

In illis diximus Dionysium Barsalibi mistionis illius non meminisse, ut sane verbum de ea non fecit in Tractatu de praecipuis Eucharistiae ritibus. At in Commentario ad Jacobi Liturgiam, cum duplici Codice usi fuissemus, in uno nihil simile a nobis repertum fuerat: in altero tamen reperimus post editum Commentarium nostrum, de ea salis et olei admistione paria illum cum reliquis Syris sensisse. Itaque errorem hac in parte nostrum, ne lectoribus fraudi esse possit, agnoscimus; simulque novitatem illam a Jacobitis introductam fuisse, antequam Barsalibius scriberet, quod dubium nobis videbatur, libenter fatemur.

De Procli Liturgia. XXXVII. Gabriel Sionita inter alias quas recenset Liturgias unam numerat Proclo Joannis Chrysostomi discipulo attributam, quae a nobis in nullo Codice reperta est, etsi permultos tractaverimus, veteres et bonae notae, et aliquot recentiores. Verendum porro ne Gabrielem memoria sua, aut falsus titulus deceperit. Fieri etiam potuit ut Codex quo usus est Sionita ex illorum genere foret, quos advenae Syri circumferunt, et quorum titulos mutare solent, ne de Orthodoxa fide, quam se amplecti testantur, suspicionem injiciant. Ita Sacerdos Bagdadensis Elias titulum tertiae suae Liturgiae mutaverat, et ex Nestorii nomine Joannis nomen formaverat, quod fecerat similiter alter ex Mesopotamia, Isa nomine. Dioscori quoque nomen ita transformatum in aliquot Codicibus animadvertimus.

Atque haec sunt quae de Liturgiis praesertim Jacobitarum praefari oportebat, reliqua in notis ad singulas explicabuntur.

ORDO
COMMUNIS LITURGIAE
SECUNDUM RITUM
SYRORUM JACOBITARUM.

PRIMO Sacerdos quotidiana veste deposita, postquam abluerit manus, dicit:

Aufer a me Domine vestimenta sordida quibus induit me satanas, et indue me vestibus electis, dignis ministerio tuo, gloria tua, et honore tuo praeclaro: Pater, Fili et Spiritus sancte, nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen.

Et postquam aliquamdiu oraverit, inclinans se coram altari dicit:

Praesta Domine Deus, ut aspersis cordibus nostris et mundatis ab omni conscientia mala, impurisque cogitationibus, mereamur ingredi in sanctum sanctorum tuum excelsum et sublime: praeclare et pure stemus coram altari tuo sancto, et offeramus tibi sacerdotio fungentes, sacrificia pura et excellentia: in vera fide, Pater, Fili, etc.

Et dicit. Deus obsecro te ut dignum me efficias accedendi ad altare tuum sanctum absque vitio, et absque macula. Ego enim sum servus peccator qui peccavi et commisi peccata et crimina coram te, neque dignus sum accedendi ad altare tuum purum, aut ad mysteria tua sancta. Verum rogo te et deprecor bonitatem et clementiam tuam, miserator, misericors, et hominum amator: aspice me oculis misericordiae et benignitatis, efficeque ut acceptus coram te, consistam hac hora, et omni tempore. Emitte super me gratiam Spiritus

tui sancti: munda me a peccatis meis: hanc oblationem sanctifica, et per eam praesta remissionem peccatorum et criminum abstersionem, illis pro quibus offertur, mihi et patri meo, et quibuscumque communio mecum intercedit, tam vivis quam defunctis fidelibus. Praesta illis memoriam bonam in regno tuo coelesti, cum justis et sanctis tuis, qui per bona opera sua tibi placuerunt, et per intercessionem Dominae matris luminis, sancti Joannis Baptistae et omnium sanctorum, Amen.

Tum dicit. Miserere mei Deus.

Et conversus ad populum veniam petit et dicit.

Orate pro me propter Dominum.

Ingressus autem ad altare dicit.

Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Et prostratus coram altari dicit.

In domum tuam ingressus sum, procidique coram throno tuo, Rex coelestis: remitte mihi omnia quae in te peccavi.

Et inclinat se: et osculando altare, benedictionem captat a dextra, a sinistra et in medio dicens:

Alliga Domine festivitates catenis, usque ad cornua altaris.

Imponens incensum dicit.

Ad gloriam et honorem sanctae et laudandae Trinitatis, haec thura manibus meis peccatricibus imponuntur. Oremus omnes, misericordiamque et gratiam a Domino postulemus.

Diaconus caput discooperit, et accendit cereum in latere dextro altaris, dicens:

Alleluia. In lumine tuo videmus lumen.

Accendit alterum in latere sinistro, dicens:

Alme et sancte, qui habitas in habitaculis lucis, remove a nobis passiones malas, et cogitationes odibiles, et praesta ut cum puritate cordis operemur opera justitiae. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto. Alleluia, etc.

Sacerdos tollit velum quo mysteria operiuntur, ponitque mantile abstersorium, et cochlear in latere dextro, et velum majus in latere sinistro, coram disco. Tum sumit Diaconus panem Eucharisticum, et offert Sacerdoti: qui panem cruce signat, et dicit hanc Orationem:

Deus magne et mirabilis usque in aeternum, qui suscepisti sacrificia, vota, primitias et decimas servorum tuorum fidelium:

suspice Domine oblationes servorum tuorum, quas separaverunt et intulerunt, propter amorem tuum, et nomen tuum sanctum: conserva et benedic eos omnibus benedictionibus spiritualibus; laetifica eos bonis indeficientibus, et spe promissorum eorum, quae sanctis tuis facta sunt. Effunde benedictiones tuas in omnia quae ad eos pertinent: concede sanitatem et continentiam corporibus eorum, puritatem et sanctitatem animabus eorum, et da requiem animabus defunctorum ex ipsis, in habitaculis tuis beatis, in aeternum: atque pro rebus istis temporalibus, da illis vitam et regnum. Amen.

Panem quantum opus est multiplicat, incensat, reponitque in altari, dicens:

Tanquam agnus ad occisionem ductus est, et velut ovis coram tondente se obmutuit, nec aperuit os suum affligenti se.

Et postquam panem Eucharisticum intulerit ad altare, accipiens eum utraque manu dicit:

Deus qui sacrificium Abel in campo suscepisti, Noe in arca, Abrahae in montis cacumine, Davidis in area Doran Jebusaei, Eliae in monte Carmelo, et minuta viduae in Gazophylacio: tu Domine suscipe has oblationes quae tibi offeruntur manibus meis, infirmi et peccatoris: et per illas praesta memoriam bonam vivis et mortuis, pro quibus offeruntur, benedicque habitationem eorum qui illas offerunt. Amen.

Deponit oblatam in disco et dicit:

Paratum sedi tuae fecisti sanctuarium tuum Domine: confirma illud Domine manibus tuis. Dominus regnabit in saecula saeculorum.

Incensat velum minus, tegit illo discum, et dicit:

Dominus regnavit, decorem induit: Pater, Filius et Spiritus sanctus, Amen.

Accipit calicem et dicit: Calicem salutis accipiam, nomen Domini invocabo, et vota mea Domino reddam.

Fundit vinum in calicem et dicit:

Etiam hoc vinum quod est typus sanguinis, qui fluxit nobis ex latere filii tui dilecti Jesu Christi Domini nostri, fundo in calicem hunc, calicem salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.

Admiscet vino paululum aquae et dicit:

Hanc etiam aquam, quae typus est aquae illius, quae fluxit nobis e latere filii tui dilecti Domini nostri Jesu Christi, misceo in ca-

lice hoc, calice salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.

Incensat velum minus, tegit illo calicem, tum dicit:

Induit Dominus fortitudinem et roboratus est: et firmavit orbem terrae, ut non commoveatur: Pater, Filius et Spiritus sanctus, Amen.

Incensat velum majus; et tegit eo discum et calicem, tum dicit:

Operti sunt coeli fulgore gloriosi illius, et laude ejus repleta est omnis terra.

Conversus ad populum veniam petit, dicens. Orate pro me.

Vertitur: incensum adolet circa altare et circumstantes. Dum adolet incensum.

Venite laudemus Dominum, canamus Deo salvatori nostro, praeoccupemus faciem ejus in confessione, et in canticis glorificemus eum. Quoniam Deus est magnus Dominus, et rex magnus super omnes Deos: in manibus ejus sunt fundamenta terrae, et altitudo montium ipsius est; mare, ipse fecit illud et aridam firmaverunt manus ejus. Venite procidamus et adoremus eum, et benedicamus eum, qui fecit nos, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Postea omnes dicunt Sacerdote praeeunte.

Incensa pura, quae tibi obtulerunt filii Ecclesiae fidelis, per manus Sacerdotum, ad placandam divinitatem tuam, suscipe per gratiam benignitatis tuae. Miserere poenitentium, et sicut suscepta fuit oblatio Abrahae in montis vertice, et suavis tibi fuit odor thuris Aaron Sacerdotis, ita gratus tibi sit odor incensorum nostrorum, et illo placatus esto, Deus multae misericordiae.

Sacerdos dicit, Populo subsequente. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Sanctus es Deus, Sanctus es fortis, Sanctus es o immortalis, miserere nobis. Pater noster qui es in coelis, etc.

Sacerdos. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto: super nos autem infirmos et peccatores, misericordia et gratia effundantur in utroque saeculo nunc, etc.

Diaconus. Pro tranquillitate et pace totius mundi in Christum credentium, a finibus usque ad fines orbis, pro infirmis et afflictis, et animabus in angustia dejectis: pro patribus, fratribus et Doctoribus nostris: pro peccatis, insipientiis et defectibus omnium nostrum, et pro fidelibus defunctis qui a nobis abierunt, cum odoribus impositis, oramus Domine.

Sacerdos. Dignare Domine ut semper ingrediamur domum tuam, et pulsemus confidenter ostium tuum, adoremusque sincere in templo tuo. Exaudi quoque nos benigne et concede nobis petitiones nostras, praeclare et misericorditer ex thesauro tuo, et referemus tibi gloriam cum gaudio, Pater, Fili et Spiritus sancte, nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen.

Et dicunt omnes simul: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, et spes bona hominibus, etc. Gloria Patri et Filio.

Domine labia mea aperi et os meum annunciet laudem tuam. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis, ut non declinet cor meum ad verbum malum, nec operer opera iniquitatis. Memento Domine misericordiarum tuarum quae a saeculo sunt, gratiarumque tuarum: et quae insipienter egi, ne reputes mihi, sed secundum multitudinem misericordiarum tuarum, memento mei. Domine dilexi ministerium domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae: domum tuam decet sanctitudo, in longitudinem dierum. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et vere Dominus ipse est in saeculum. Gloria Patri, et super terram pax, et spes bona hominibus.

Prooemium ad Deiparam vel aliud secundum varias solemnitates.

Laudem et confessionem, gloriam, laudationem, exaltationem, et magnificentiam, referre debemus illi fructui amabili, qui e sinu virginis prodiit, et memoriam genitricis suae praeclaram et illustrem reddidit: illi Domino adorando, qui festivitates sanctorum suorum, et laetitiam felicitatis eorum inter creaturas glorificavit, illi vivo et vivifico, qui voce suavi etiam mortuos excitat, et populum suum glorificatione gratissima laetificat, quem decet gloria, etc.

Sedra. Adoramus te et gratias agimus tibi, creator saeculorum, et conditor creaturarum, germen benedictum quod e Maria, terra sitiente, prodiit, repletaque est terra omnis odore suavitatis ejus eximiae, faetoremque tetrum impietatis expulit per doctrinam suam praeclaram. Offerimus tibi incensum istud instar Aaron Sacerdotis, qui obtulit tibi thus purum, et prohibuit exitium a populo Israel. Petimus ecce a te Domine, ut suscipias hunc odorem thuris, quod offert tibi tenuitas nostra, pro peccatis et insipientiis nostris: pro divitibus et egenis; pro pupillis et viduis; pro afflictis et qui perse-

cutionem patiuntur: pro infirmis et oppressis; pro iis omnibus qui dixerunt et praeceperunt nobis, ut in nostris ad te Christum Deum nostrum precibus, eorum meminissemus; pro vivis et mortuis: pro animarum ipsorum quiete in coelesti Jerusalem: per intercessiones Patris nostri Adami, et Evae matris nostrae; per deprecationes sanctae genitricis Dei Mariae: per orationes Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum et Patrum nostrorum, Doctorum Orthodoxae fidei: per preces virginum utriusque sexus, et omnium sanctorum atque justorum, et referemus tibi Domine, gloriam, laudem et adorationem, et Patri tuo et Spiritui tuo vivo et sancto nunc et semper.

His pro tempore vel Sacerdotis arbitrio adjunguntur variae ejusdem generis Orationes, ad Deiparam, Prooemia, Sedrae, carmina Ephraemitica vel Jacobitica, Orationes pro variis necessitatibus, commendationes vivorum et mortuorum. Sacerdos inclinat se osculans altare dextrorsum et sinistrorsum, mox Presbyterio in circuitu ejus, et populo qui pone illum est.

Orate pro me propter Dominum. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, tam initio nostro, quam in fine. Super nos autem peccatores, misericordiae et miseratio effundantur in utroque saeculo nunc, etc.

Diaconus. Pro pace et tranquillitate: *ut supra.*

Sacerdos. Praesta Domine Deus misericors et amator hominum, ut cum scientia, timore, et disciplina spirituali, pure, coram te consistamus, sancte tibi ministremus: teque laudemus, ut Dominum et omnium opificem: cui adoratio et honor debentur ab omnibus; Domine Deus noster tibi gloria in saecula, Amen.

Et ter incensat mysteria in crucis formam, et in orbem. Mox dicitur ab omnibus.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. *usque ad finem Psalmi.*

Sacerdos. Miserere mei Domine secundum misericordiam tuam, et remitte peccata nostra per clementiam tuam. Lava iniquitates et nequitias nostras, multitudine miserationis tuae. Cor mundum crea in nobis, spiritumque rectitudinis et humilitatis, et sanctificet cogitationes nostras. Purius est enim magis, quam holocausta pacifica et legalia sacrificia. Doce iniquos viam tuam et errantes ad te converte, ut linguae eorum justitiam tuam celebrent, et miserationibus tuis aeternis digni efficiantur, Pater, Fili, etc.

Diaconus. Stemus decenter in oratione et precibus coram Deo Deorum, et Domino Dominorum, coram Rege Regum, coram altari propitiatorio, et coram mysteriis praeclaris, et vivis Salvatoris nostri, cum aromatibus impositis misericordiam tuam imploramus Domine.

Sacerdos ponit incensum, et dicit. Ad laudem et gloriam. *ut supra. Hoc loco inseruntur aliquot orationes metro Ephremitico aut Jacobitico, quae dicuntur in variis solemnitatibus juxta, cujusque Ecclesiae consuetudinem. Ter oblata incensat in modum circuli, dicens:*

Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis.

Diaconus. Miserere nobis.

Sacerdos. Sancte et laudabilis, potens et immortalis, Deus qui in sanctis habitas, et in sanctis requiescis, voluntate divinitatis tuae, sanctifica Domine cogitationes nostras, et mentes nostras munda ab omnibus sordibus criminum, ut hymnum inculpatum referamus tibi, in Ecclesia tua sancta nunc et semper, etc.

Diaconus dicit Psalmum Davidicum illi diei assignatum. Mox dicit.

Quem vidit Moses in rubo, et Ezechiel super currum, ipse ponitur super altare sanctum: accipiuntque illum populi, et vivunt. Ille cui Cherubim et Seraphim magno cum timore serviunt, ecce offertur super altare, accipiuntque illum populi et vivunt. Deus qui per misericordiam tuam suscepisti sacrificium justorum antiquorum, suscipe per misericordiam tuam sacrificium nostrum, et acceptas habe preces nostras.

Canticum aliud. Populus tuus Christe. Benedictus Christus qui aedificavit Ecclesiam suam super Simonem, et elegit Sacerdotes ad dividendum in ea corpus et sanguinem suum. In timore magno stant Sacerdotes, cum Diaconis et distribuunt corpus et sanguinem Filii Dei. Oves tuae Christe, stant ad ostium tuum: comedunt corpus et bibunt sanguinem tuum, canuntque gloriam divinitati tuae.

Diaconus legit Epistolam Pauli. Benedic Domine. Ex Paulo Apostolo Domini nostri Jesu Christi, etc.

Lectio juxta festa et tempora.

Sacerdos. Gloria Domino Pauli, Prophetarum, et Apostolorum. Misericordiae Domini sint super lectores et auditores, et super hanc urbem, omnesque habitantes in ea, in saecula, Amen.

Diaconus. Psalmus Davidis dicitur coram Patre nostro.

Sacerdos. Deus laudem tuam suscipiat, et laetificet cor audientium te, in regno coelorum in saecula.

Diaconus. Alleluia, alleluia.

Sacerdos. Immolate illi sacrificia, offerte oblationes, ascendite in atria Domini, et adorate eum in templo sancto ejus, confitemini et benedicite nomini ejus, a quo vita tribuitur. Alleluia.

Diaconus. Ante Evangelium Salvatoris nostri, qui annunciavit vitam animabus nostris, cum odoribus impositis, misericordiam tuam Domine deprecamur.

Sacerdos mittit thus in thuribulum et dicit.

Benedic Domine. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison. Adoremus, laudemus et celebremus, exaltemus, extollamus et benedicamus nomen adorandum et laudandum Patris, Filii, et Spiritus sancti vivi, cujus una est potestas, una majestas, una voluntas: unus Deus, verus, benedictus, excelsus, indivisus: ipsi sit gloria, et super nos misericordiae ejus, nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen. Domine Deus omnipotens qui secundum divinam voluntatem omnia regis; omnia enim tibi subdita sunt: concede nobis Domine Deus propitiationem delictorum et remissionem peccatorum: aufer a nobis dolum et invidiam, et Spiritu tuo sancto nos sanctifica, ut digni auditores et factores simus Evangelii Christi tui: per quem et cum quo te decet laus et gloria, simul cum suffitu hoc thuris, ante lectionem Evangelii tui salutaris. Domine et Deus noster tibi gloria in saecula.

Diaconus. Accedite ad me fratres, tacete et auscultate annunciationem Salvatoris nostri, ex Evangelio sancto quod vobis legitur.

Sacerdos. Pax vobiscum.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Ex Evangelio sancto, Domini nostri Jesu Christi, Dei nostri veri, praedicatione facta, a N. Apostolo et praecone vitae aeternae, annunciationem vitae et salutis audimus pro animabus nostris.

Diaconus. Estote in silentio, Auditores, hoc est enim Evangelium sanctum quod legitur. Fratres mei festinate, audite, et confitemini verbum Dei vivi.

Sacerdos. Igitur in tempore conversationis in terra Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, dixit Discipulis suis, etc.

Populus. Benedic Pater.

Sacerdos signat cruce populum, dicens:

Dextera Domini nostri Jesu Christi, et brachium potestatis ejus, et occulta virtus majestatis ejus, quae confert omnes benedictiones, et omnia dona vitae: ipsa quae requievit super Apostolos sanctos, in coenaculo sancto Sionis, eosque sanctificavit, et in monte olivarum illis benedixit, ipsa veniat, habitet et requiescat super fratres meos lectores et auditores (Evangelii) custodiatque regionem hanc, et omnes fideles in ea commorantes, civitatem hanc, et fideles ejus cives; beatam etiam requiem praestet fidelibus defunctis qui ex ea profecti sunt, fidelesque viventes qui habitant in ea semper custodiat, usque in saecula.

Populus. Amen.

Sacerdos. Tempore igitur conversationis in terra Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, etc.

Populus. Domine miserere nostri.

Hoc loco leguntur Evangelia juxta diem et solemnitatem. Diaconus canit versum simplicem Ephraemiticum.

Stemus omnes in oratione coram Deo misericordi, et vocibus quae ipsi gratae sint, ad Deum simul clamemus. Rogemus Patrem absconditum, filium laudandum et sanctum Spiritumque sanctum Paraclitum, ut per misericordiam suam suscipiat oblationem nostram. Annunciatio tua quae praedicata est Domine, in medio Ecclesiae tuae ad gregem tuum, fermentum sit animabus nostris: et per eam comparemus cibum suavem. Sacerdotes qui legerunt, veniam consequantur: Diaconi puri efficiantur: Subdiaconi et Lectores suscipiant a te remissionem. Revela gratiam tuam mentibus nostris per lectionem annunciationis tuae, et da nobis observatores esse mandatorum tuorum, quae in ea sunt consignata. Matthaeus, Marcus cum Luca, nec non cum illis electus Joannes, deprecentur te: et praesta misericordiam tuam erga nos omnes. Aures auditorum doctrinae tuae, et lectionis annunciationis tuae, non audiant Domine vocem illam, quae pellet et ejiciet impios. Propitius esto Domine populo tuo et miserere gregis tui, et triplices voces gloriae offeremus Trinitati.

Sacerdos. Ipsi Jesu Christo laudes, gratiarum actiones, et benedictiones propter ejus viva ad nos verba: Patri ejus, qui misit eum ad salutem nostram: et Spiritui ejus vivo et sancto nunc et semper.

Diaconus. Abite in pace auditores, abite auditores in pace: accedite Baptisati ad pacem; fores claudite.

Sacerdos. Dominus regnavit decorem induit: Alleluia. Ego sum panis vitae, dicit Dominus noster, qui ex alto in infima descendi, ut per me mundus vivat: misit me Pater Verbum carnis expers, et sicut agricola seminavit me Gabriel, suscepitque me uterus Mariae, velut terra bona, et ecce ferunt me manibus suis Sacerdotes super altaria. Alleluia. Suscipe oblationem nostram.

Diaconus. Induit Dominus fortitudinem et praecinxit se virtute, et firmavit orbem terrae ut non commoveatur. Alleluia. Filium qui facit Ministros ignis et Spiritus, qui alimento non indigent et mortem non gustant, qui edunt ignem, et carbones bibunt, Dominoque suo in timore serviunt, et offerunt trinas sanctificationes trino, benedicamus et adoremus, quia nos illis pares effecit. Alleluia. Suscipe oblationem nostram.

Sacerdos. Domum tuam decet sanctitudo Domine, in longitudinem dierum. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto.

Diaconus. Dominus regnavit.

Sacerdos. Memento Domine defunctorum, et requiem illis praesta, qui te in Baptismate induerunt, et te ex altari acceperunt.

Diaconus. Illi qui comederunt corpus tuum sanctum, et biberunt sanguinem tuum, calicem salutis, cum Abraham recumbant ad mensam tuam: et cum piis qui dilexerunt te, clamemus tibi gloriam, Domine. Alleluia. Da nobis et illis veniam.

Tum recitant Symbolum fidei trecentorum decem et octo Patrum Nicaenorum.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem creatorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, natum ex Patre ante omnia saecula. Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non * factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis: et incarnatus est de Spiritu sancto, et ex Maria virgine, et homo factus est, sicut nos. Crucifixus est etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, mortuus et sepultus est: tertia die resurrexit a mortuis, sicut scriptum est, et ascendit in coelum, sedetque ad dexteram Patris sui. Et iterum venturus est in gloria sua, judicare vivos et mortuos, cujus regni non est finis, et in unum Spiritum sanctum Do-

* *Al. Codd.* Creatum.

minum et vivificantem omnia. Qui procedit ex Patre. Qui cum Patre et Filio adoratur et glorificatur: qui locutus est per Prophetas et Apostolos. Et in unam Ecclesiam sanctam, Catholicam et Apostolicam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expectamus resurrectionem a mortuis, et vitam novam venturi saeculi. Amen.

Sacerdos lavat extremos digitos et dicit:

Lavi manus meas pure: et circumdedi altare tuum Domine: ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua: laetabor et exultabo in te, et psallam nomini tuo altissime.

Et deinde. Ingressus sum in domum tuam et coram throno tuo sancto procidi, Rex coelestis: dimitte mihi omnia quae peccavi tibi.

Inclinatur coram altari, et mox ad Sacerdotes et populum conversus veniam petit et se precibus commendat, dicens:

Orate pro me propter Dominum.

Et incipit Anaphoram sive Canonem.

ALIUS ORDO GENERALIS

LITURGIAE.

Per virtutem Trinitatis sanctae scribimus Ordinem qui observandus est ante Oblationem.

Primo Sacerdos dicit hunc hymnum.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto: et super nos imbelles et peccatores, miserationes et benignitas effundantur in utroque saeculo: nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio.

Perfice nobis Domine Deus miserator et amator hominum, ut cum cognitione, timore et disciplina spirituali, stemus coram te pure et sancte, et ministremus tibi tanquam Domino et factori, cui debetur adoratio ab omnibus, Pater, Fili, et Spiritus sancte nunc, etc.

Psalmus. Pesita. Miserere mei Deus.

Sacerdos petit remissionem et dicit.

Benedic Domine remissioni, seu absolutioni.

Ascendit ad altare et dicit.

Ad thronum tuum ascendi Domine, et coram solio tuo adoravi, Rex coelestis: parce mihi omnia quae peccavi tibi.

Et dum ascendit dicit. Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Osculatur cornu altaris et dicit. Liga Domine festivitates nostras in catenis, usque ad cornua altaris tui.

Et cum accendit cereum, ad latus dextrum dicit.

In lumine tuo videmus lumen.

Ad latus sinistrum dicit. Pius et sanctus, qui habitat in habitaculis lucis.

Cum miscet vinum et aquam in calice, dicit. Uni Domine aquam istam cum hoc vino, sicut unita est divinitas tua humanitati.

Si discus magnus est, ad quatuor ejus angulos disponit (particulas panis consecrandi) *in formam crucis: si minor est, super tres particulas unam super aliam collocat, aut duas ad minus, pari numero, aut impari, si opus est. Spongiam et cochlear in latere australi, supra tabulam consecratam deponit: Oblatae majorem particulam, et velum,* seu Anaphoram *in latere Occidentali, donec frangat corpus prima vice. Accipit Oblatam, et postquam extersit manus, eam osculatur, ponitque in latere australi cum cochleari. Tum accipit sigillum sive majorem et mediam oblatae partem ambabus manibus, et collocat in disco, dicens:*

Tanquam ovis ad occisionem ductus est: et tanquam agnus coram tondente siluit, et non aperuit os suum in humiliatione sua. Firmam fecisti sedem tuam Domine, sanctuarium tuum: confirma illud manibus tuis: Dominus regnabit in saecula saeculorum.

Deponit Oblatam in disco, et dicit.

Primogenite Patris coelestis, suscipe hunc primogenitum ex manibus servi tui imbellis.

Elevat calicem vino et aqua mistum, et dicit.

Dominus noster Jesus Christus inter latrones crucifixus est, super lignum in Jerusalem: transfixusque est lancea in latere suo, fluxeruntque ex eo sanguis et aqua, ad propitiationem universae creaturae: et qui vidit testimonium perhibuit, et scimus quia verum est testimonium ejus. Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo; votaque mea Domino reddam.

Incipit Sedram Poenitentiae. Prooemium.

. Laus uni Patri misericordi, qui exaudit peccatores invocantes eum: unico filio clementi, qui suscipit poenitentes pulsantes ejus ostium: uni Spiritui sancto qui propitiatur reis deprecantibus illum; quoniam decet illum, etc.

Sedra. Deus mitis, benigne, mansuete, et amator hominum, qui misericordiam vis, et non sacrificia: qui cor contritum plus amas quam holocausta: spiritumque humiliatum acceptum habes, magis quam sanguinem et adipem taurorum, et agnorum pinguium: suscipe nunc sacrificium nostrum spirituale, super altare tuum rationale, et praesta ut exhibeamus tibi animas nostras, hostiam vivam et acceptabilem, quae placeat voluntati tuae, in ministerio spirituali et offeramus tibi sacrificia spiritualia, cum corde contrito et spiritu humiliato, super

altare quod sursum est: simusque tibi oves praeclarae absque macula: ut per transmutationem novam transmutemur; et novi facti, ad saeculum novum mittamur, cum animabus rationalibus et sapientibus, simulque cum praeclaris lampadibus fidei, digni efficiamur omnes in templo tuo dicere: Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto, nunc, etc.

Versus. Ad ostium tuum Domine pulso: ad ostium quod pulsare debet, quicumque ad illud adit, Pater, Fili, et Spiritus sancte.

Incensum adoletur.

Sit Domine vox ministerii nostri incensum (coram te). Suavis tibi sit Domine odor orationum nostrarum, omni tempore: et fumus incensi nostri, sit ad placationem tuam: et placare creaturae tuae propter misericordiam tuam. Sit, etc.

Finis. Christe qui suscepisti sacrificium Melchisedech Sacerdotis puri: suscipe Domine orationem servi tui, et propitius esto delictis gregis tui.

Perficit officium (primum) *et dicit orationem ultimam.*

Sacrificia laudis in sacerdotali ministerio offerre tibi digni efficiamur Domine, in odorem suavitatis. Cogitationes nostrae, verba et opera, sint holocausta absque macula: ut placentes divinitati tuae appareamus coram te, omnibus diebus vitae nostrae, Pater, Fili et Spiritus sancte, Domine noster.

Incipit Officium secundum oblationis.

Primum. Oratio.

Praesta nobis, Domine Deus, ut cordibus nostris aspersis et mundis ab omni conscientia mala, digni efficiamur ascendere ad sanctum sanctorum tuum sublime et excelsum, casteque et sancte stemus coram altari tuo sancto, et sacerdotio fungentes, offeramus tibi sacrificia rationabilia, et spiritualia, cum fide vera, Pater, Fili et Spiritus sancte.

Deponens vestes ordinarias suas dicit.

Erue me, Domine Deus noster, vestimentis sordidis quibus induit me Satan, per dissolutionem operum malorum, et indue me vestimentis electis, quae conveniant ministerio honoris tui, et gloriae nominis tui sancti, Domine.

Calceos accipit, et primo sinistrum dicens:

Calcea me, Domine, ad praeparationem Evangelii pacis, ut conteram serpentes et scorpios, omnemque virtutem inimici, in saecula. Amen.

Tum accipit dextrum, et dicit.

Deprime, Domine Deus, sub scabellum pedum meorum omnem sublimitatem extollentem se adversus scientiam tuam, ita ut per auxilium tuum, conteram passiones carnales in saecula.

Accipit Χιτώνιον, factoque super illud triplici signo crucis, induit illud, et dicit.

Indue me Domine veste incorruptionis per virtutem Spiritus tui sancti: et praesta mihi ut placeam tibi moribus bonis et rectis, omnibus diebus vitae meae Domine.

Signat ter Orarium crucis signo, illudque imponit collo suo, demittitque super pectus transversim, in formam crucis, dicens:

Praecinges me virtute in bello, et deprimes insurgentes adversum me, subtus me.

Signat ter zonam crucis signo, et cingit eam circa renes suos dicens:

Accingere gladio super renes tuos, o potens: specie tua et gloria tua, etc.

Accipit manipulum et signat illum bis signo crucis, alligatque brachio sinistro, et dicit.

Arma justitiae fac membra mea, Domine, ad omnia opera bona et recta: faciens nos templa pura et vasa electa, quae conveniant ministerio gloriae tuae semper: Pater, etc.

Et dum illum induit. Doce manus meas ad praelium, et robora sicut arcum aereum brachia mea.

Accipit manipulum alterum, signatque eum semel signo crucis, et dextero brachio circumponit, dicens:

Arma justitiae, etc. Interea. Dextera tua adjuvet me, et disciplina tua me doceat.

Signat Fainam, sive Casulam, *ter signo crucis, dicens:*

Sacerdotes tui induantur justitiam, etc.

Sacerdos inclinatur, et ascendit in medium veli: tum inclinatur coram mensa vitae, dicitque hanc orationem pro se ipso secreto.

Domine Deus omnipotens qui remittis iniquitates humanas, qui non vis mortem peccatoris: ad te extendo manus cordis mei, et a te

peto remissionem omnium iniquitatum mearum, licet indignus: sed obsecro te, ut praeserves mentem meam ab omnibus operationibus adversarii: oculos meos, ne aspiciant intemperanter: aures, ne audiant res futiles: manus meas a perpetratione rerum odibilium: et renes meos ut per te moveantur, totusque ad te sim, et a te mihi concedatur donum mysteriorum tuorum divinorum, nunc, etc.

Osculatur gradum altaris, et ascendit: et revolvit velum sive tegumentum mysteriorum: velum disci collocat ad latus australe: velum calicis ad Occidentale, et dicit.

Dominus regnavit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et fortitudine accinctus est.

Oratio.

Agne pure, et absque macula qui te obtulisti Patri tuo sacrificium acceptabile, pro salute et propitiatione totius mundi: praesta nobis ut offeramus tibi nos ipsos sacrificium vivum, quod placeat tibi et simile sit sacrificio tuo pro nobis, Christe Deus noster in saecula.

Sacerdos stans dicet orationem quae incipit, Memoria Domini et Dei nostri. *Discum inveniens positum in parte sinistra, calicem in sinistra, extendit manus suas in formam crucis, dextra sinistrae superposita: tum dextra discum sustinet, sinistra calicem, supra partem altaris in qua tabula defixa est, neque eos deponit, donec absolverit orationem hanc generalem, quae sequitur.*

Memoriam Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi totiusque ejus dispensationis salutiferae pro nobis agimus. Ecce enim annuntiationis ejus per Archangelum Vigilem: nativitatis ejus in carne: baptismi ejus in Jordane: passionis ejus salutaris: elevationis ejus in cruce: mortis ejus vivificae: sepulturae ejus gloriosae: resurrectionis praeclarae: ascensionis in coelum, sessionisque ejus ad dexteram Dei Patris, juxta divinum ejus ad nos praeceptum, commemorationem nunc celebramus, super Eucharistiam istam quae coram nobis proposita est. Praecipue autem memoriam agimus patris nostri Adami, et matris nostrae Evae: sanctae genitricis Dei Mariae: Prophetarum, Apostolorum, Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Justorum, Sacerdotum et Patrum sanctorum: Pastorum verorum, Doctorum Orthodoxorum: Solitariorum et Monachorum: eorum etiam

qui nobiscum adstant et orant, cum omnibus qui a saeculo tibi placuerunt, ab Adamo ad hanc usque diem. Memoriam quoque agimus patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, qui docuerunt nos verbum veritatis: defunctorum quoque nostrorum, et omnium defunctorum fidelium; praecipue vero et nominatim consanguineorum nostrorum, tum eorum qui partem habent, aut habuerunt in erectione loci istius, et unius cujusque, cui nobiscum intercedit communio, sive verbo, sive opere, in pauco vel in multo: illius praesertim, propter quem offertur hoc sacrificium, N.

Hoc loco commemorat eum pro quo Liturgia celebratur, et quemcumque alium commemorari oportet. Si Genitricis Dei aut alicujus sancti Missa celebratur, dicet:

Sancti N. cujus hodie memoriam celebramus: et praecipue sanctae genitricis Dei Mariae, ad cujus honorem et propter quam offertur hoc sacrificium, specialiter et singulariter, ut ipsa sit apud te Domine deprecatrix pro quocumque qui ad ejus orationis auxilium confugit. Deus bone et misericors per ejus orationes acceptabiles, apud te et exaudiendas, concede ea quae petit ille, qui singulari honore celebrat memoriam ejus. Averte ab eo tentationes, castigationes et virgas furoris, et parce delictis et peccatis ejus, per clementiam tuam, per orationes genitricis tuae et omnium sanctorum tuorum. Amen.

Iterum. Deus tu factus es sacrificium, et tibi sacrificium offertur: suscipe hoc sacrificium ex manibus meis peccatricibus, pro anima N. *et nomen ejus ter pronunciat. Iterum.* Deus praesta per clementiam tuam, requiem et memoriam bonam patri meo et matri meae. *Nomina illorum ter pronunciat. Si pro infirmo Liturgia celebratur.* Deus misericors, miserere illius, et concede illi sanitatem animae et corporis. *Si pro defuncto.* Deus praesta illi requiem, et plenam felicitatis fruitionem in habitaculis lucis tuis, cum omnibus qui perfecerunt voluntatem tuam. Praesta etiam requiem et memoriam bonam patri meo, et matri meae, et unicuique eorum quibuscum mihi societas intercedit: et quicumque ab infirmitate nostra petiit, ut illius memoriam ageremus in sacrificio hoc, quod a nobis peccatoribus tibi offertur, quorum nomina tibi nota sunt.

Στῶμεν καλῶς. Stemus decenter. Kyrie eleison.

Tunc deponit mysteria, et collocat calicem ad Orientem, discum ad Occidentem: extendit Anaphoram sive velum majus, operitque mysteria, et dicit.

Operti sunt coeli splendore ejus glorioso, et laude ejus repleta est terra.

Incipit Sedram generalem, imponitque thus, et dicit.

Ad laudem et honorem Trinitatis sanctae et gloriosae, aromata imponuntur per manus meas peccatrices: oremus omnes, et misericordiam, et gratiam a Domino postulemus.

Imponensque aromata, incipit Sedram generalem. Prooemium.

Laus fructui illi desiderabili, qui ex sinu virginali germinavit: et memoriam genitricis suae magnificavit, perennemque fecit: illi Domino adorando, cujus gloriam, festum sanctorum suorum et chori eorum inter creaturas celebrant: illi vivo et vivificanti, qui voce sua benigna mortuos suscitat, et secum in gloria sua jucunda, laetificat; quem decet, etc.

Sedra. Adoramus te, et confitemur tibi creator mundi, et conditor creaturarum, radix benedicta, quae germinavit et ascendit de terra sitienti Maria, et repleta est omnis creatura odore suavitatis ejus praeclarae, qui expulit foetorem tetrum impietatis, ex omni parte, per doctrinam suam praeclaram. Offerimus coram te incensum hoc ad similitudinem Aaron Sacerdotis venerandi, qui obtulit tibi incensum purum in tabernaculo temporali, et prohibuit mortalitatem a populo Israel. Ecce obsecramus te Domine Deus, suscipe incensum istud aromatum quod offert tibi tenuitas nostra, pro sancta genitrice Dei Maria: pro patre nostro Adamo, et matre nostra Eva: pro Prophetis et Apostolis: pro piis et justis: pro Martyribus et Confessoribus: pro Patribus sanctis, Pastoribus veris, et Doctoribus Orthodoxis: pro divitibus et pauperibus: pro orphanis et viduis: pro augustiatis et afflictis: pro infirmis et dolore oppressis, et pro omnibus qui dixerunt et praeceperunt nobis, ut eorum memores essemus in orationibus et sacrificiis ad te, Christe Deus noster. Etiam pro vivis et defunctis, et pro requie animarum illorum in Jerusalem coelesti: gloriamque et honorem et adorationem referemus tibi Domine, et Patri tuo et Spiritui tuo sancto, nunc, etc.

Accipit incensum, et ascendit ad gradum altaris, et elevat incensum, super mysteria versus Orientem, dicitque.

Super incensum aromatum, sit memoria Virginis Mariae genitricis Dei. *Ad Occidentem.* Super incensum aromatum, sit memoria Prophetarum, Apostolorum, et Martyrum sanctorum. *Ad Septentrionem.* Super incensum aromatum, sit memoria Doctorum, Sacer-

dotum, Piorum et Justorum. *Ad Austrum.* Super incensum aromatum, sit memoria Ecclesiae sanctae et omnium filiorum ejus.

Adolet incensum circulariter super mysteria tribus vicibus, descenditque ex gradu, et dicit Orationem susceptionis incensi.

Suscipe Domine incensum Sacerdotum tuorum: placare per suffitum servorum tuorum: acceptumque habe ministerium adorantium te. Praesta etiam per illud quietem et memoriam bonam genitrici tuae et sanctis tuis, Fili Christe: qui adoraris et glorificaris cum Patre tuo et Spiritu tuo sancto, nunc, etc.

Facta genuflexione incensat ter partem mediam mensae vitae quae est typus Patris: tum cornu Septentrionale ejusdem mensae totidem vicibus, quod est typus Filii: ter etiam cornu Australe quod est typus Spiritus sancti. Et dicit Orationem. Maria quae te genuit: *aut deprecationem generalem.* Kyrie eleison *ter.* Domine miserere nobis. Pater noster. *Statim incensat Diaconum, et incipit responsorium oblationis, sancti Severi Patriarchae.*

Exaltabo te Domine meus Rex, Sanctus Deus *ter.* Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Lectio Epistolae Apostoli. Tum dicet Sacerdos hanc Orationem, ante Lectionem Actuum Apostolorum.

Praesta nobis Domine ut per intercessiones Apostolorum tuorum sanctorum, non simus errantes aut vacillantes in fide, sed ut in confessione eorum perseveremus, moribusque honestis et virtutum ornamentis quae placeant divinitati tuae, fulgeamus omnibus diebus vitae nostrae, ad ultimum usque spiritum, Christe Deus noster, spes vitae nostrae, et salvator animarum nostrarum in saecula. Amen.

Et post lectionem Actuum Apostolorum, dicet hanc Orationem ante Apostoli lectionem.

Suscipe Domine Deus orationes et deprecationes nostras apud te, hoc tempore, et praesta nobis ut cum puritate et sanctitate observemus mandata tua, et Apostolorum tuorum divinorum, et Pauli architecti et aedificatoris Ecclesiae tuae sanctae Domine, Deus in saecula.

Evangelium sanctum Domini nostri Jesu Christi, praedicatum per Mathaeum Apostolum, aut per Joannem, vitam et salutem annuncians mundo. *Sive.* Annunciatio vivifica per Marcum, aut Lucam Evangelistas, quae annunciat vitam et salutem mundo.

Et prosequitur. In tempore igitur dispensationis Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Verbi Dei quod annunciatum fuerat. Haec porro ita gesta sunt, *vel* Ita dixit.

Ita toto anno dicitur, excepto die Annunciationis factae Zachariae Sacerdoti. Et post Evangelium, dicit.

Domino nostro Jesu Christo, hymni, laudes et benedictiones, propter verba ejus viva ad nos: et Patri ejus, qui misit illum ad salutem nostram: et Spiritui vivo et sancto, qui vivificat nos, in saecula saeculorum. Amen.

Sedra illationis oblationis. Imponit incensum, quod ter cruce signat, et dicit.

Sanctus Pater sanctus. Sanctus Filius sanctus. Sanctus Spiritus vivus et sanctus, qui sanctificat incensum peccatoris servi sui, propitiatus, et miseratus animarum nostrarum, et animarum patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum: defunctorumque nostrorum, et omnium defunctorum fidelium, filiorum Ecclesiae sanctae in utroque saeculo: in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus. Σοφία et Πρόσχωμεν.

Populus. Credo in unum Deum.

Sacerdos lavat aqua summos digitos suos, et dicit.

Absterge Domine sordes et maculas animae meae, et munda me per aspersionem tuam vitae, ut pure et sancte merear accedere ad sanctum sanctorum tuum, sanctum et sanctificans: utque sine macula tractem Sacramenta tua adoranda et divina, et cum conscientia pura, offeram tibi sacrificium vivum, quod placeat divinitati tuae, et simile sit sacrificio tuo glorioso, Domine et Deus noster, in saecula saeculorum.

Petit remissionem, et dicit.

Benedic Domine remissioni, sive absolutioni.

Inclinatur coram mensa vitae, et dicit hanc Orationem secreto.

Trinitas sancta et laudanda miserere mei. Trinitas sancta et laudanda, parce mihi peccatori. Trinitas sancta et laudanda, suscipe sacrificium hoc ex manibus meis infirmis et peccatricibus. Deus per clementiam tuam praesta requiem et memoriam bonam genitricis tuae, et sanctis tuis, omnibusque defunctis fidelibus. Super altare tuum sanctum et coeleste. Deus parce et dimitte hoc tempore peccata mei peccatoris servi tui, et adjuva infirmitatem meam, qui te semper invoco: per orationes genitricis tuae et omnium sanctorum tuo-

rum. Deus per misericordiam tuam parce et dimitte peccata consanguineorum nostrorum, patrum et fratrum nostrorum, et magistrorum nostrorum, ut etiam illius pro quo offertur hoc sacrificium.

Hoc loco memoriam facit cujuscumque vult. Osculatur gradum altaris, et ad illud ascendit, incipitque oblationem, cantu gravi et tranquillo. Postquam dictum est. Stemus decenter: *signat ter populum signo crucis: tum imponit dextram super tabulam altaris, accipitque virtutem a mysteriis. Mox signat se ipsum, deinde eos qui sunt a parte Septentrionali, tum eos qui sunt ab Australi, facto ter signo crucis super populum. Si nullus sit ad dexteram ejus vel sinistram, ter signum crucis facit super se ipsum, ter super populum, et dicit.*

Caritas Dei Patris: et gratia unigeniti Filii, et communicatio illapsusque Spiritus vivi et sancti, sit cum omnibus vobis, fratres mei in saecula.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum ubi Christus sedet ad dexteram Dei Patris, sint mentes, intellectus et corda omnium nostrum.

Populus. Sunt ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino, cum timore.

Populus. Dignum et justum est. Miserere nostri Deus.

Sacerdos. Et nos quoque Domine, infirmi et peccatores servi tui, gratias agimus tibi, et laudamus benignitatem tuam, pro omnibus et de omnibus.

Populus. Sicut erat et est.

Sacerdos imponit manum super discum, signatque se ipsum ter signo crucis, hinc et inde quoque populum, dicens:

Misericordiae Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi sint cum vobis omnibus, Fratres mei, in saecula.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos frangit et signat, dicitque hanc Orationem dum corpus est super manus ejus.

Tu es Christus Deus noster: qui in vertice Golgotha in Jerusalem transfixus es in latere tuo, propter nos. Tu es Agnus Dei, qui tollis peccatum mundi: tu parce delictis nostris, et dimitte peccata nostra, nosque constitue ad dexteram tuam.

Tunc frangit et signat, dicitque hanc Orationem Fractionis D. Jacobi Barsalibi.

Ita vere passus est Deus Verbum in carne, et immolatus est et fractus in crucifixione, separataque est anima ejus a corpore ejus, quamvis divinitas ejus nullatenus separata fuerit ab anima aut corpore ejus. Transfixus est lancea in latere suo, ex quo fluxerunt sanguis et aqua, propitiatio totius mundi, quibus corpus ejus respersum est: venit anima et unita est ejus corpori: et pro peccato orbis universi, mortuus est filius in cruce, et convertit nos a parte sinistra ad dextram, et pacificavit per sanguinem crucis suae, univitque et conjunxit coelestia cum terrenis, populum cum populis, et animam cum corpore; die autem tertia surrexit de sepulcro: unus ipse Emmanuel, et non divisus post unionem inseparabilem, in duas naturas. Ita credimus, ita confitemur, et ita praedicamus, hoc esse corpus istius sanguinis, et hunc esse sanguinem hujus corporis.

Tum margaritam, sive particulam, *quam fregit, mittit in calicem.*

Alia Oratio D. Jacobi Doctoris.

Pater veritatis, ecce Filius tuus, hostia tibi placita: illum suscipe qui pro me mortuus est; et per eum esto propitius. Suscipe hoc sacrificium ex manibus meis, ut mihi placatus sis, neque reputes mihi peccata, quae commisi coram majestate tua. Ecce sanguis effusus super Golgotham ab iniquis, qui interpellat pro me: suscipe deprecationem meam propter eum. Quanta sunt delicta mea, tantae sunt miserationes tuae: si perpendas clementiam tuam, praeponderat etiam montibus quos appendis, in statera. Aspice delicta, sed aspice simul sacrificium quod pro ipsis offertur; quia multo majus est sacrificium et victima, quam reatus. Propter peccata quae commisi, clavos et lanceam sustinuit dilectus tuus: sufficiunt passiones ejus ad te placandum, et ut per eas vivam. Gloria Patri qui Filium suum tradidit pro salute nostra: et Filio qui mortuus est in cruce, et nobis omnibus vitam praestitit: et Spiritui qui incoepit et consummavit mysterium salutis nostrae: Trinitas superexcelsa, parce nobis omnibus.

Perficit tres orationes (Pesitas) *imponitque manum super calicem, signat se ipsum, et ter hinc et inde signum crucis facit super populum, et dicit.*

Gratia autem Trinitatis sanctae, laudandae, increatae subsistentis in essentia sua, aeternae, adorandae et consubstantialis sit cum omnibus vobis in saecula.

Diaconus. Cum timore Deo attendamus.

Populus. Unus Pater sanctus, etc.

Sacerdos elevat mysteria, et dicit. Parce Domine et miserere nobis. Sancta sanctis.

Unus Pater sanctus nobiscum: qui salvavit mundum per clementiam suam. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Unus Filius sanctus nobiscum, qui salvavit eum per passiones pretiosas personae suae. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Unus Spiritus sanctus nobiscum, qui est perfector et consummator omnium quae sunt aut fuerunt. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in saeculum.

Populus. Amen.

Diaconus. In sacrificiis, etc.

Sacerdos operit mysteria velis suis: accipitque cochlear, et imponit illud calici, et particulam super discum collocat, descenditque ab altari, et prostratione facta coram mensa vitae, dicit has orationes secreto, cum corde affecto, lacrymisque et suspiriis.

Praesta mihi Domine, ut comedam te sancte, et per comestionem illam tui pellantur omnia prava mea desideria: et per potionem calicis tui vivi extinguantur passiones carnis meae: dignusque efficiar propitiatione delictorum, et remissione peccatorum, Domine Deus noster, in saecula saeculorum.

Alia. Praesta nobis, Domine Deus, ut sanctificentur corpora nostra corpore tuo sancto, et illuminentur animae nostrae sanguine tuo propitiatorio: sit ad propitiationem delictorum nostrorum, et ad remissionem peccatorum nostrorum, Domine Deus noster in saecula.

Alia. Praesta nobis Domine Deus, ut comedamus corpus tuum sanctum, et bibamus sanguinem tuum propitiatorium, simusque haeredes in regno tuo coelesti, cum omnibus qui placuerunt voluntati tuae bonae, Domine Deus noster in saecula.

Et ascendit super gradum, et dum accipit particulam ex cochleari calicis, dicit.

Teneo ego te qui contines fines orbis: te in manibus habeo qui regis profunda: te Deus pono in os meum: per te liberer ab

igne inextinguibili, dignusque efficiar remissione peccatorum et delictorum, sicut peccatrix et latro: Domine Deus noster in saecula.

Et cum communicat dicit: Particula propitiatoria corporis et sanguinis Christi Dei, datur servo infirmo et peccatori ad veniam delictorum et remissionem peccatorum in utroque saeculo, in saecula saeculorum. Amen.

Et cum bibit ex calice, dicit. Particula propitiatoria corporis et sanguinis Christi Dei nostri, datur Sacerdoti venerando, oeconomo domus Dei, qui fundit preces quae exaudiuntur, offertque sacrificia acceptabilia, custoditurque a principe Pastorum Christo. Orationes illius sint nobiscum. Amen.

Ad Diaconum. Modesto. *Aut.* Monacho Antoniano et Oeconomo domus Dei, ad propitiationem delictorum ejus, et remissionem peccatorum ejus. Orationes ejus sint nobiscum. Amen.

Sacerdos portat discum in dextera sua: calicem in sinistra, venitque a latere Septentrionali ad Australe: cum vero convertitur, elevat dextram suam. Cumque egrediuntur mysteria, dicit.

Ex altari tuo propitiatorio descendat venia ad servos tuos, Fili Dei, qui venisti ad salutem nostram, venturusque es ad resurrectionem nostram, et ad renovationem generis nostri in saecula saeculorum.

Et cum descendit, dicit. Miserationes Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, sint super eos qui portant sancta et super eos qui illa distribuunt, aut qui illa suscipiunt: aut quicumque operam dat ut illis communicet, in utroque saeculo, in saecula saeculorum. Amen. *Et prosequitur.* Extende Domine dexteram tuam invisibilem, et benedic congregationi adorantium te, qui suscipiunt corpus tuum et sanguinem tuum propitiatorium, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et confidentiam coram te, Domine Deus noster, in saecula. Amen.

Et dum impertit communionem populo, dicit.

Ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum in utroque saeculo, in saecula saeculorum. Amen.

Qui communionem accipit, dicit. Amen.

Sacerdos cum reversus est, dicit. Gloria tibi Domine Deus noster in saecula. Domine Jesu Christe, corpus tuum sanctum, quod comedimus, et sanguis tuus propitiatorius quem bibimus, non in judicium, aut in vindictam fiat nobis, sed in vitam et in salutem.

Obsignatio.

Deus qui nobis praestitit, ut communicaremus Sacramentis ejus divinis et ineffabilibus, ipse dignos faciat nos regno suo, quod non transit, et loco quietis, ubi est gaudium indesinens: concedatque misericordiam, et tribuat veniam delictorum et remissionem peccatorum commissorum verbo et opere, unicuique, qui particeps factus est Eucharistiae istius: propitieturque Deus, et dimittat ei, pro quo et cujus causa oblatum est hodie sacrificium istud, per orationes et intercessionem matris amictae justitia, coeli secundi, Virginis immaculatae, sanctae genitricis Dei Mariae. Et per virtutem magnam crucis victricis et vivificae custodiamur, et salvemur: et per orationes, Domine, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Justorum, Sacerdotum, Patrum sanctorum, Pastorum verorum, Doctorumque Orthodoxorum, et per orationes totius coetus et congregationis sanctorum qui Christum amaverunt, et praecepta ejus custodierunt: et per orationem sancti D. N. ad cujus mensam Sacrificium ordinavimus; ut etiam sancti cujus Liturgiam celebravimus; et beati Patris nostri qui hodie nobis praeest, ut etiam per vestras, fratres mei et domini mei, in saecula.

Sacerdos imponit dextram altari, et dicit Orationem commendationis hanc, ter signans populum signo crucis, et dicit.

Abite in pace fratres et dilecti nostri: commendamus vos gratiae et misericordiae Trinitatis sanctae, cum viatico et benedictionibus, quas suscepistis ab altari propitiatorio Domini: longe positos et proximos, vivos et mortuos, liberatos per crucem victricem Domini, consignatos signo baptismi sancti. Illa expiabit delicta vestra, et dimittet crimina vestra, mortuorumque vestrorum: et ego servus infirmus et peccator misericordiam et auxilium consequar per orationes vestras. Abite in pace gaudentes et exultantes, et pro me orate.

Sacerdos inclinatus coram mensa vitae, dicit intra se hanc Orationem, pro se ipso, secreto.

Per sacrificium quod obtulimus hodie, placetur Dominus et Angeli ejus electi et sancti, et per illud praestet quietem et memoriam bonam genitrici suae et sanctis suis, omnibusque defunctis fidelibus, praecipue illi pro quo et cujus causa oblatum est hoc sacrificium.

Alia Oratio.

Os tuum Domine purum et sanctum pronunciavit, et ita dixit: quicumque manducaverit corpus meum, et biberit sanguinem meum, credens in me, ipse in me manet et ego in eo, et ego resuscitabo eum in novissimo die: nobis igitur Domine, qui comedimus corpus tuum sanctum et bibimus sanguinem tuum propitiatorium, non sit ad judicium, aut condemnationem et accusationem, ut neque populo tuo fideli: sed ad veniam delictorum: ad remissionem peccatorum, ad resurrectionem a mortuis, et fiduciam coram solio tuo tremendo, Domine Deus noster, in saecula.

Postquam omnia perfecerit quae ad administrandum corpus Christi pertinent, dicit. Dominus pascit me et nihil mihi deerit, *et reliquum Psalmum.*

Abstergitque discum Eucharisticum, et dicit.

Si membrum aliquod, (sive particula) superest, remaneat (commendatum) scientiae tuae quae mundum creavit. Si membrum aliquod superest, sit illi Dominus custos et nobis propitius.

Et postquam perfecerit abstersionem calicis, dicit.

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutis accipiam, et nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam, etc.

Tum dicit hanc Orationem D. Jacobi.

Fili Deus, qui per immolationem tui, salvasti reos, per sacrificium tuum vivum: dissipa passiones meas, sana infirmitates meas et miserere mei.

Postquam abstersit calicem spongia, dicit hanc Orationem D. Ephrem.

Absterge Domine spongia misericordiae tuae, omnia delicta et peccata quae commisi coram te. Ignosce per clementiam tuam Rex, Christe vivificator noster, mihi qui administravi mysteria tua sancta. Praesta mihi ut cum piis et justis qui amaverunt te, ministrem tibi Domine in regno tuo coelesti, in saecula perpetuo, Domine. Amen, in saecula saeculorum.

Et cum abluit manus, dicit.

Ignis vivus corporis tui et sanguinis tui pretiosi, Christe Deus noster, extinguat carbones ignis, cruciatusque terribiles et vehementes a membris meis, et ab animabus corporibusque defunctorum fidelium, qui induerunt te ex aqua et spiritu. Voca et constitue eos in ultimo die ad partem dexteram tuam, sicut pollicitus es.

Lavatque digitos suos ter, incipiens a dextera manu, et dicit.

Modulentur digiti mei laudes tuas, et os meum confessionem tuam. Per clavos manibus tuis et pedibus infixos, per lanceam quae latus tuum transverberavit, parce mihi delicta et peccata mea. *Ad manum sinistram, dicit.* Custodi me Domine ab omnibus fraudibus, et dextera tua adjuvet me, et ab operibus sinistris praeservet me, in saecula saeculorum.

Et cum bibit vinum quod miscuit ex oblatione, dicit.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente tuo delicioso potabis, etc.

Lavat manus suas aqua, et dicit hunc Psalmum.

Judica me Domine quoniam in justitia mea ambulavi, etc.

Abstergit manus, et dicit. Afferte Domino filios arietum.

Dicit Sedram pro defunctis, et primo Prooemium.

Illi qui per mortem suam destruxit mortem nostram, et per immolationem suam pro nobis, expiavit omnes filios Adam: bono illi, debetur, etc. *Alia.* Mortuorum suscitator, quique resurrectionem praestas sepultis; tu Domine suscipe animas servorum tuorum, quorum hodie commemorationem celebramus, et colloca eos Domine in habitaculis benedictis domus patris tui, cum Abraham, Isaac et Jacob dilectis tuis, et cum omnibus fidelibus et sanctis, qui decubuerunt cum spe tua. Suscita illos et constitue illos ad dexteram tuam, et super nos omnes effundantur miserationes tuae, referemusque tibi laudem, reddemusque gratiarum actionem Trinitati sanctae, nunc, etc.

Versus. Non in judicium, aut in vindictam corpus tuum Domine (acceperimus). Manus quae palmas suas extenderunt, susceperuntque ex te Domine arrhabonem filium Dei, non abripiantur ad tribunal judicii in die novissimo, per ardorem flammae, quando quidem corpus tuum gestaverunt. Tibi offeruntur sacrificia, Rex Christe ex manibus Sacerdotum servorum tuorum, suscipe illa per clementiam tuam Domine, qui amas poenitentes: placabilis esto ad ea.

Incensum. In odorem suavitatis sit servis tuis et ancillabus tuis sacrificium quod obtulimus pro illis hodie: adquiescat in eo Domine voluntas tua, et quietem illis praesta per misericordiam tuam, nunc, etc.

Sacerdos induit vestes ordinarias suas, et dicit Orationem finis.

Si Moyses vitam dedit Israelitae, qui peccaverat, per sanguinem animalium: quanto magis veniam consequentur defuncti fideles, per sacrificium vivum quod pro illis oblatum est. Kyrie eleison. Domine miserere nostri. Pater noster.

Obsignatio seu *benedictio.* A vivis quos conservas, a mortuis quos resuscitas, et ab omni creatura, quam creavit aut creat majestas tua, laus referatur supremae potestati tuae: Pater, Fili et Spiritus sancte, nunc, etc.

Prosternit se coram altari ter, et dicit.

In domum tuam, Deus, introivi, et coram solio tuo adoravi Rex coelestis: parce mihi quae peccavi tibi.

Osculatur mensam vitae, dicitque suspirabundus et cum affectu.

Mane in pace altare sanctum, et divinum Domini: nescio utrum revertar ad te, necne. Praestet Dominus mihi, ut te videam in Ecclesia primogenitorum coelesti, et super hoc testamentum fiduciam habeo. Mane in pace altare sanctum et propitiatorium, corpusque sanctum et sanguis propitiatorius quae ex te suscepi, sint mihi ad expiationem delictorum et remissionem peccatorum, et ad fiduciam coram throno terribili Domini et Dei nostri in saecula. Mane in pace altare sanctum et mensa vitae, et deprecare pro me misericordiam a Domino nostro Jesu Christo, ut nunquam cessem memoriam tui servare, ex hoc nunc et usque in saecula saeculorum. Amen.

LITURGIA

S. JACOBI APOSTOLI FRATRIS DOMINI.

***Primum** dicitur Oratio ante osculum pacis.*

Domine Deus noster, nos quamvis indignos, salute hac dignos effice, amator hominum: ut ab omni dolo, omnique acceptatione personarum mundati, salutemus invicem in osculo sancto et divino, constricti vinculo caritatis et pacis. Per Dominum Deum et salvatorem nostrum Jesum Christum filium tuum unigenitum, per quem et cum quo te decet gloria, honor et potestas, cum Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter et oremus, gratias agamus, adoremus et laudemus agnum vivum Dei qui offertur super altare. Divinitas sese demisit ad peccatores filios Adam, salvavitque illos ab errore et a servitute peccati. Spiritu sancto succensi sunt Prophetae, et de primogenito locuti sunt: unusquisque illorum descripsit Ecclesiae mysteria adventus ejus. Aperte scripsit Moses quod ipse creaturas condidit, et ipse statuit ad ministerium suum ordines ignis et spiritus. Signa Domine cruce ejus Ecclesiam, quam desponsavit in persona sua, et eleva atque constitue eam in coelo, ad dexteram ejus qui misit illum. Beata es Ecclesiae fidelis, donis quae dedit tibi Dominus tuus, corpore et sanguine suo sancto, et cruce ejus quae te custodit. Virginis purae Mariae memoriam agamus apud nos in oblatione nostra, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Piorum et Justorum. Vasa sancta offeruntur Patri nostro, ut osculetur ea et Pater noster in Liturgia sua recordabitur omnium qui in Christum credunt.

Sacerdos. Qui solus Dominus misericors es, in eos qui coram altari tuo colla inclinant mitte benedictiones tuas, tu qui in altis habitas, et humilia respicis, benedicque eos per gratiam, misericordiam et amorem erga homines Christi unigeniti Filii tui per quem et cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus Pater qui propter amorem tuum erga homines magnum et ineffabilem, misisti filium tuum in mundum, ut ovem

errantem reduceret, ne avertas faciem tuam a nobis, dum sacrificium hoc spirituale * et incruentum celebramus: non enim justitiae nostrae confidimus, sed misericordiae tuae. Deprecamur ergo et obsecramus clementiam tuam, ne in judicium sit populo tuo, Mysterium hoc, quod institutum nobis est ad salutem: sed ad veniam peccatorum, remissionem insipientiarum, et ad gratias tibi referendas: per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines unigeniti filii tui per quem et cum quo te decet gloria.

* Λογικόν. *In alio Codice.* Terribile et incruentum.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem unusquisque proximo suo, in caritate et fide, quae Deo acceptae sint. Vade in pace Sacerdos praeclare. Stemus decenter orantes, stemus cum timore et tremore, stemus cum modestia et sanctitate: quia ecce oblatio infertur, et majestas exoritur. Januae coeli aperiuntur, et Spiritus sanctus descendit super haec mysteria sancta, et illabitur. In loco timoris et tremoris consistimus, et cum Cherubim et Seraphim circumstamus. Fratres et Socii Vigilum et Angelorum facti sumus, et ministerium ignis et spiritus cum illis operamur. Nullus porro ligatus sit, qui audeat accedere ad mysteria haec, quia velum tollitur, et gratia demittitur, misericordiaeque effunduntur super unumquemque, qui orat in corde puro et conscientia bona.

Sacerdos elevat velum et ter populum cruce signat, dicens:

Caritas Patris, gratia Filii, et communicatio Spiritus sancti, sint cum omnibus nobis.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino Deo nostro.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, decens et debitum, ut te laudemus, te benedicamus, te celebremus, te adoremus, tibi gratias agamus, tibi opifici omnis creaturae, visibilis aut invisibilis. *Et elevans vocem.* Quem laudant coelum et coeli coelorum, omnisque exercitus eorum sol et luna et omne stellarum agmen, terra et maria et omnia quae in eis sunt: Jerusalem coelestis, Ecclesia primogenitorum descriptorum in coelis: Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, virtutes coelestes, et mundo superiores exercitus coeli, Cherubim quibus oculi multi, et

Seraphim quibus alae sex, qui duabus alis tegunt facies suas et duabus pedes, duabusque alter ad alterum volitantes vocibus indeficientibus, et Theologia non conticescente, hymnum triumphalem magnificentissimae gloriae, voce canora concinunt, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine Deus Sbaaoth, pleni enim sunt coeli et terra, gloria, honore et majestate tua Domine, Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit et qui venturus est in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

Sacerdos inclinatus. Vere sanctus es, rex saeculorum et omnis sanctitatis largitor; sanctus etiam unigenitus Filius tuus, Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus: sanctus etiam Spiritus tuus sanctus, qui scrutatur omnia, etiam profunda tua, Deus Pater. Sanctus enim es qui omnia contines, omnipotens, terribilis, bonus, cum unigenito Filio tuo, qui passionum particeps fuit, et maxime propter hominem figmentum tuum, quem e terra formasti, et concessisti illi delicias paradisi. Cum vero transgressus esset mandatum tuum, et cecidit, non neglexisti aut dereliquisti illum, o bone, sed reduxisti illum, sicut pater summae misericordiae. Vocasti eum per legem, direxisti eum per Prophetas: denique filium tuum unigenitum in mundum misisti, ut imaginem tuam renovaret; qui descendit, et incarnatus est de Spiritu sancto, et ex sancta Genitrice Dei semperque virgine Maria, conversatusque est cum hominibus et omnia ad generis nostri salutem instituit.

Et elevans vocem accipit Oblatum, et dicit.

Cum ergo suscepturus esset mortem voluntariam pro nobis peccatoribus, ipse immunis a peccato, in ea nocte qua tradendus erat pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas, immaculatas, et incontaminatas, et levatis oculis in coelum, aspexit ad te Deus Pater, et gratias agens, benedixit, † sanctificavit, † fregit, † et dedit discipulis suis sanctis et Apostolis dicens: accipite, manducate ex eo vos omnes, Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur et datur, in remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Sacerdos. Similiter etiam et calicem postquam coenaverunt, miscens vino et aqua, et gratias agens † benedixit † sanctificavit, † et dedit iisdem discipulis et Apostolis sanctis dicens. Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro

vobis, et pro multis fidelibus effunditur, et datur in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite in memoriam mei: quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem istum bibetis, mortem meam annuntiabitis et resurrectionem meam confitebimini, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, Domine, memoriam agimus, resurrectionem tuam confitemur, et adventum tuum secundum expectamus; misericordiam et gratiam a te postulamus: remissionem peccatorum precamur: misericordiae tuae sint super nos omnes.

Sacerdos. Memoriam igitur agimus, Domine, mortis et resurrectionis tuae e sepulchro post triduum, et ascensionis tuae in coelum, et sessionis tuae ad dexteram Dei Patris: rursumque adventus tui secundi, terribilis et gloriosi, quo judicaturus es orbem in justitia, cum unumquemque remuneraturus es secundum opera sua. Offerimus tibi hoc sacrificium terribile et incruentum, ut non secundum peccata nostra agas nobiscum Domine, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis: sed secundum mansuetudinem tuam et amorem tuum erga homines magnum et ineffabilem, dele peccata nostra, servorum nempe tuorum tibi supplicantium. Populus enim tuus et haereditas tua deprecatur te et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere Deus Pater omnipotens, miserere nobis.

Sacerdos. Nos etiam infirmi et peccatores servi tui, Domine, gratias agimus tibi, laudamus te, pro omnibus et propter omnia.

Populus. Laudamus te, benedicimus te, et adoramus te, gratias agimus tibi et precamur a te veniam, Domine Deus, miserere nobis et exaudi nos.

Sacerdos. Praecipue vero sanctae et gloriosae semper Virginis beatae genitricis Dei Mariae memoriam agimus.

Diaconus. Mėmento illius, Domine Deus, et per ejus orationes puras et sanctas, parce et miserere nobis et exaudi nos.

Diaconus. Quam terribilis est haec hora: quam timendum tempus istud, dilecti mei, quo Spiritus vivus et sanctus ex excelsis sublimibus coeli advenit, descendit et illabitur super Eucharistiam hanc in sanctuario positam, eamque sanctificat: cum timore et tremore estote, stantes et orantes. Pax nobiscum sit, et securitas Dei Patris omnium nostrum, clamemus et dicamus ter. Kyrie eleison.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere nobis, Deus Pater omnipotens, et mitte Spiritum tuum sanctum, Dominum et vivificantem, qui tibi throno aequalis est, et filio aequalis regno, consubstantialis et coaeternus; qui locutus est in Lege et Prophetis et Novo Testamento tuo; qui descendit in similitudine columbae super Dominum nostrum Jesum Christum, in Jordane flumine: qui descendit super Apostolos sanctos in similitudine linguarum ignis.

Populus. Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos. Ut adveniens efficiat panem istum, corpus vivificum, corpus salutare, corpus coeleste, corpus animabus et corporibus salutem praestans, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam accipientibus illud. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, efficiat sanguinem Testamenti Novi, sanguinem salutarem, sanguinem vivificum, sanguinem coelestem, sanguinem animabus et corporibus salutem praestantem, sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: in remissionem peccatorum et vitam aeternam suscipientibus illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sint nobis et omnibus qui ex illis accipient, iisque communicabunt, ad sanctitatem animarum et corporum, ad fructificationem operum bonorum: ad confirmationem Ecclesiae tuae sanctae, quam super verae fidei petram fundasti, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, cum liberaturus sis illam ab omnibus haeresibus et scandalis operantium iniquitates, usque ad consummationem saeculi: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Quapropter offerimus tibi, Domine, sacrificium hoc tremendum et incruentum pro locis tuis sanctis quae per manifestationem Christi Filii tui illustrasti; praecipue vero pro Sion sancta, matre omnium Ecclesiarum, et pro Ecclesia tua sancta toto orbe diffusa.

Diaconus. Benedic Domine. Oremus et deprecemur Dominum Deum nostrum, hoc temporis momento, magno, timendo et sancto, pro patribus et rectoribus nostris, qui hodie nobis praesunt, et in praesenti vita Ecclesias sanctas Dei pascunt et gubernant: venerandis et beatis

Domino N. Patriarcha nostro et D. N. Metropolita, reliquisque Metropolitis et Episcopis venerandis Dominum deprecemur.

Sacerdos. Dona ditissima Spiritus tui sancti concede ipsis, Domine. Memento, Domine, sanctorum Episcoporum nostrorum, qui nobis recte verbum veritatis dispensant, praecipue vero Patris Patrum et Patriarchae nostri Domini N. et Domini N. Episcopi nostri, cum reliquis omnibus Episcopis Orthodoxis. Canitiem ipsis venerandam concede Domine: multis annis ipsos conserva, pascentes populum tuum cum omni pietate et sanctitate. Memento, Domine, Presbyterii hujusce, et cujuscumque alterius loci: Diaconatus in Christo, omnisque ministerii et omnis Ordinis Ecclesiastici. Memento etiam, Domine, paupertatis meae, qui me licet indignum, vocare tamen dignatus es. Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris, sed secundum multitudinem miserationum tuarum, memento mei tu: si enim iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis poterit coram te sustinere? Quia apud te propitiatio est: visita me et purifica me, ut ubi abundavit peccatum, ibi superabundet gratia tua. Memento etiam, Domine, eorum qui in vinculis jacent aut carceribus detinentur: fratrum etiam nostrorum qui in exilio sunt: infirmorum, aut qui male affecti sunt: eorum qui a spiritibus immundis infestantur, aut agitantur. Memento etiam, Domine, aëris, imbrium, roris, fructuum terrae et coronae anni, oculi enim omnium in te sperant, et tu das illis escam eorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam omnibus sufficientem, et imples omne animal bona tua voluntate. *Elevans vocem.* Eripe me, Domine Deus, ab omni angustia, ira et adversitate, ab omni machinatione et infestationibus perversorum hominum, ab omni impetu et violentia daemonum, ab omni plaga a te immissa Domine, quae peccatorum nostrorum causa nobis accidit, et conserva nos in fide orthodoxa et observatione mandatorum tuorum, quae sancta sunt, et vivifica, nos nempe et omnes qui digni fuerunt coram te consistere, et uberes a te misericordias expectant; quia tu Deus es, qui vis misericordiam: et tibi gloriam referemus, etc.

Populus. Amen.

Pro fratribus fidelibus Diaconus. Iterum atque iterum commemoramus fratres nostros fideles, Christianos veros, qui prius monuerunt et injunxerunt nobis infirmis et imbellibus, ut memores eorum essemus in hoc temporis articulo. Et pro illis qui omni genere tentationum et afflictionum vexati sunt.

Sacerdos inclinatus. Rursus meminisse dignare eorum qui nobiscum in oratione consistunt, patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, et eorum qui absunt. Memento etiam, Domine, eorum qui praeceperunt nobis ut eorum memoriam ageremus in orationibus ad te Deum nostrum. Unicuique illorum concede, Domine, petitiones suas, quae quidem ad salutem spectant. Memento, Domine, et illorum qui intulerunt oblationes ad altare tuum sanctum, et eorum pro quibus singuli obtulerunt, et eorum qui offerre voluerunt, sed non potuerunt: eorum quos unusquisque habet in mente, et eorum qui nunc nominantur. *Et elevans vocem.* Memento, Domine, omnium quorum meminimus, et eorum quorum non meminimus, et secundum multitudinem mansuetudinis tuae, retribue illis gaudium salutis tuae, suscipiens sacrificia illorum in immenso coelo tuo, dignosque efficiens visitatione et auxilio tuo: confirma illos virtute tua, et fortitudine tua illos instrue, quia tu es misericors et misericordiam cupis, teque decet gloria, honor et potentia, simul cum unigenito Filio tuo et Spiritu tuo. *Populus.* Amen.

Diaconus. Pro Regibus. Iterum et iterum commemoramus omnes Reges fideles, Christianos veros: qui Ecclesias et Monasteria Dei in quatuor mundi partibus aedificaverunt et fundaverunt: totamque rempublicam Christianam, Clerum et populum fidelem, ut in virtutibus proficiant, Dominum deprecemur.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, piorum Regum nostrorum et Reginarum: apprehende arma et scutum, et exsurge in auxilium eorum. Subjice illis hostes omnes et adversarios, ut placidam tranquillamque vitam agamus, in omni timore Dei et humilitate: quia tu salutis refugium es, et potestas auxiliatrix: victoriaeque dispensator, erga eos omnes qui te invocant, et sperant in te, Domine. Et tibi gloriam et laudem referemus. *Populus.* Amen.

Diaconus. Memoria sanctorum. Iterum atque iterum commemoramus vere beatam, laudatamque ab omnibus generationibus terrae sanctam, benedictam, semper Virginem genitricem Dei Mariam, simulque memoriam agimus Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Praedicatorum, Martyrum, et Confessorum; et B. Joannis Baptistae praecursoris: gloriosi S. Stephani primi martyris, ac primi Diaconi: et unumquemque eorum commemorantes, Dominum deprecemur.

Sacerdos inclinatus. Quoniam igitur est tibi potestas vitae et mortis, Domine, Deusque misericordiarum et amoris erga hominem

tu es, dignos effice ut omnium illorum qui a saeculo tibi placuerunt, memoriam agamus: Patrum sanctorum et Patriarcharum, Prophetarum et Apostolorum, Joannis praecursoris et Baptistae, S. Stephani primi Diaconorum, et primi Martyrum, et sanctae genitricis Dei semperque Virginis beatae Mariae et omnium sanctorum. *Elevans vocem.* Rogamus te, Domine, multae misericordiae, qui impossibilia veluti possibilia creas, constitue nos in hac beata congregatione: accense nos huic Ecclesiae, statue nos per gratiam tuam inter electos illos, qui scripti sunt in coelis. Idcirco enim memoriam illorum agimus, ut dum ipsi stabunt coram throno tuo, nostrae quoque tenuitatis et infirmitatis meminerint, tibique nobiscum offerant sacrificium hoc tremendum et incruentum, ad custodiam quidem eorum qui vivunt, ad consolationem infirmorum et indignorum, quales nos sumus: ad quietem, memoriamque bonam eorum, qui in fide vera dudum obierunt patrum, fratrum, et magistrorum nostrorum, per gratiam et misericordiam, etc. *Populus.* Amen.

Diaconus. Commemoratio Doctorum. Iterum commemorantes coram te, Domine, Doctores divinos, qui fidei irreprehensibilis explanatores, qui moribus praeclaris ornati, obierunt et quieverunt, nobisque fidem Orthodoxam ordinaverunt et tradiderunt: Dominum deprecemur, etc.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, sanctorum Episcoporum qui pridem obdormierunt, qui verbum veritatis nobis dispensaverunt: qui a Jacobo principe Episcoporum Apostolo et Martyre, usque ad hanc diem, verbum fidei Orthodoxae in Ecclesia tua sancta praedicaverunt. *Elevans vocem.* Luminum et Doctorum Ecclesiae tuae sanctae, qui praeclarum fidei certamen ediderunt, qui nomen tuum sanctum tulerunt coram populis, regibus et filiis Israel, eorumque precibus et supplicationibus, pacem tuam Ecclesiae tuae tribue: doctrinas eorum et confessionem eorum in animis nostris confirma: haereses nobis noxias cito comprime, et consistentiam absque confusione, coram tribunali tuo nobis concede: quia sanctus es, Domine, et in sanctis requiescis: qui sanctorum es consummator atque perfector: et tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Commemoratio fidelium defunctorum. Iterum etiam commemoramus omnes defunctos fideles, qui in fide vera defuncti sunt, ex altari hoc sancto, et ex hoc pago, et ex quacumque re-

gione, qui in fide vera pridem obdormientes quieverunt, et ad te Deum Dominum spirituum et omnis carnis pervenerunt. Rogamus, imploramus, et deprecamur Christum Deum nostrum, qui suscepit ad se animas et spiritus eorum, ut per miserationes suas multas praestet illos dignos venia delictorum et remissione peccatorum: nosque et illos pervenire faciat ad regnum suum in coelis. Ea propter clamemus et dicamus Kyrie eleison *ter*.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, Sacerdotum Orthodoxorum, pridem defunctorum, Diaconorum et Subdiaconorum, Psaltarum, Lectorum, Interpretum, Cantorum, Exorcistarum, Monachorum, Religiosorum, Auditorum, Virginum perpetuarum, et saecularium, qui in fide vera defuncti sunt, et eorum quos unusquisque designat animo. *Elevans vocem*. Domine Deus spirituum et omnis carnis, omnium memento quorum meminimus, qui in fide Orthodoxa ex hac vita migrarunt, da animabus, corporibus et spiritibus illorum requiem, liberans eos a damnatione infinita ventura, et dignos efficiens gaudio quod est in sinu Abraham, Isaac et Jacob: ubi splendet lumen vultus tui, unde procul sunt dolores, angustiae et gemitus, non reputans illis omnia delicta illorum. Non autem intres in judicium cum servis tuis, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, nec ullus est a peccati culpa immunis, aut a sordibus purus, ex hominibus qui super terram sunt, nisi unus Dominus noster Jesus Christus unigenitus filius tuus, per quem nos etiam misericordiam et remissionem peccatorum consequi speramus, quae propter eum est, et nobis et illis.

Populus. Quietem praesta illis, et propitius esto, et dimitte, Deus, insipientias et defectus omnium nostrum, sive scienter, sive ignoranter, etc.

Sacerdos inclinatus. Remitte, dimitte, ignosce, o Deus, peccata omnium nostrum voluntaria et involuntaria, scienter et ignoranter commissa, verbo, opere, aut cogitatione, occulta et nota, publica, antiqua, per errorem admissa et omnia quae novit nomen tuum sanctum. *Elevans vocem*. Finem igitur nobis Christianum conserva, et sine peccato; congregans nos subter pedes electorum tuorum, quando, ubi, et sicut volueris: tantummodo absconde nos a confusione iniquitatum nostrarum; ut etiam in hoc, velut in omnibus, laudetur et celebretur nomen tuum honoratissimum et benedictum et Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti.

Populus. Sicut est, et fuit, in generationes generationum, et futurorum saeculorum in saecula. Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint super nos omnes. *Tum dicet:* Credimus, accedimus, obsignamus, et frangimus Eucharistiam hanc: panem coelestem, corpus Verbi Dei vivi, in calice salutis et gratiarum actionis, in crucis modum signamus, cum particula propitiatoria, mysteriisque supernis plena, in nomine Patris vivi, ad vitam: et unigeniti Filii, et Spiritus sancti, principii, perfectionis, et sigilli omnium quae sunt et fuerunt in coelo et in terra: unius virtutis, unius potestatis, unius voluntatis, unius Dei veri, benedicti, excelsi et indivisi, a quo est vita in saecula saeculorum. *Populus.* Amen.

Diaconus voce magna dicet Catholicam. Benedic, Domine. Iterum atque iterum per oblationem hanc sanctam et sacrificium propitiatorium, quod Deo Patri oblatum, sanctificatum, completum et perfectum est per illapsum Spiritus sancti vivi, pro Patre nostro Sacerdote praeclaro, qui illud obtulit et consecravit, et pro altari Dei, super quod illatum est, et pro populis benedictis qui accedunt, et accipiunt illud in fide vera, et his pro quibus oblatum et consecratum est, iterum impensius oramus. Ecce tempus timoris, ecce hora terrore plena: superi in timore consistunt, et illi cum tremore ministrant; terror filiis lucis immittitur, et terreni illum non sentiunt, hora qua venia affertur, peccata ab illa fugiunt. Ministri Ecclesiae tremite, quia ignem vivum administratis. Potestas quae vobis data est excellentior est illa quam habent Seraphim. Beata anima quae nunc in Ecclesia adest cum puritate, quia Spiritus sanctus scribit nomen ejus, illudque elevat in coelum. Diaconi estote cum tremore, hoc tempore sancto, quo descendit Spiritus sanctus, ad sanctificanda corpora eorum, qui illud suscipiunt. Aspice, Domine, oculo misericordi servum tuum, qui stat et sacrum celebrat. Suscipe, Domine, oblationem istam, ut illam Prophetarum et Apostolorum. Memento, Domine, patrum et fratrum nostrorum, ut etiam magistrorum nostrorum, nosque et illos dignos praesta per misericordiam tuam regno coelesti. Memento, Domine, per gratiam et miserationes tuas divinas, Domini N. Patriarchae nostri et D. N. quorum orationes nobis adsint. Memento, Domine, absentium, et miserere praesentium. Quietem quoque praesta spiritibus defunctorum, et parce peccatoribus in die judicii. Defunctorum, qui a nobis separati ab hoc

saeculo migraverunt spiritibus, Christe quietem praesta, cum piis et justis. Crux tua pons sit illis, et baptismus tuus tegumentum. Corpus tuum et sanguis tuus sanctus, via sint quae deducat ad regnum tuum. Gloriam perpetuam, cum adoratione acceptabili decet nos referre ex medio sanctuarii, Patri, Filio et Spiritui sancto vivo, ut ipse Deus verus adimpleat nobiscum gratiam, benedictionem, miserationem et clementiam suam, ex hoc nunc usque ad finem: nosque omnes cum oratione Dominum deprecemur.

Sacerdos ante orationem Dominicam dicit.

Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui sedes super Cherubim, et a Seraphim laudaris: coram quo consistunt mille Angelorum myriades, excelsa et coelestia agmina: qui oblationes ex donis et proventibus fructuum tibi oblatis in odorem suavitatis, dignatus es sanctificare et perficere per gratiam unigeniti Filii tui, et per illapsum Spiritus tui sancti. Sanctifica etiam Domine animas nostras, corpora nostra, spiritusque nostros, ut corde puro, anima lucida, et facie inconfusa, audeamus invocare te Deum coelestem, Patrem omnipotentem, oremusque et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Domine Deus noster, ne inducas nos in tentationem, quam virtute destituti sustinere non possimus, sed fac etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere, et libera nos a malo. Per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum.

Diaconus. Inclinate capita vestra coram Deo misericordi, coram altari propitiatorio, et coram corpore et sanguine Salvatoris nostri, in quo vita posita est suscipientibus illa, et suscipite benedictionem a Domino.

Sacerdos. Tibi inclinant servi tui capita sua, expectantes misericordias uberes a te. Benedictiones copiosas quae a te sunt, mitte, Domine, et sanctifica animas, corpora, spiritusque nostros, ut digni simus communicandi corpori, et sanguini Christi Salvatoris nostri: per gratiam et misericordiam et amorem ejusdem Jesu Christi Domini

nostri, cum quo laudatus et benedictus es, in coelis et in terra cum spiritu tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos Pax. *Populus.* Et cum.

Sacerdos. Misericordiae Dei.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Unusquisque cum timore et tremore ad Deum aspiciat, et misericordiam et gratiam a Domino postulet.

Sacerdos. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus potens Sabaoth, pleni sunt coeli et terra laudibus tuis. Exaltare super coelos Deus, et super omnem terram gloria tua: ad te levavi oculos meos qui habitas in coelis, etc.

Et post pauca Eucharistiam accipiens in manibus dicit illa voce.

Sancta sanctis in perfectione, puritate et sanctitate traduntur.

Tum dicunt omnes simul. Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus. Sit nomen Domini benedictum, qui unus est in coelo et in terra: ipsi gloria in saecula. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto, omnia sanctificanti, et omnia expianti.

Sacerdos. Domine vere et certo credimus, et in te credimus, quemadmodum credit in te Ecclesia sancta et Catholica: quod sis unus Pater sanctus, cui sit gloria, Amen. Unus Filius sanctus, ipsi laus, Amen. Unus Spiritus sanctus, ipsi gloria et gratiarum actio in saecula, Amen.

Diaconus. In resurrectione Christi Regis accipiamus veniam animabus nostris in fide, et dicamus omnes aequaliter, Filio qui salvavit nos per crucem suam. Benedictus Salvator noster Sanctus, Sanctus, Sanctus es omnibus modis, magnificans memoriam genitricis suae, sanctorum et defunctorum fidelium, Alleluia. Virtutes coelorum stant nobiscum in medio sanctuarii, et ministerium exhibent corpori Filii Dei, qui immolatus est coram nobis. Accedite, accipite ex eo remissionem peccatorum et delictorum, Alleluia. Super altare tuum sanctum Domine, memoria fiat patrum, fratrum, doctorumque nostrorum, resurgantque ad dexteram tuam in die ortus majestatis tuae, Rex Christe. Alleluia. Benedictus Dominus qui dedit nobis corpus et sanguinem suum vivum, ut per illa veniam consequamur, etc. Cum statis in sanctuario Sacerdotes aperite ostia cordium vestrorum, dicite psalmum et benedicite super Eucharistiam hanc in sanctuario positam. *Psalmus 150.*

Sacerdos interjectis aliquot orationibus quae pro Ecclesiarum consuetudine variae sunt, frangit ex majori Eucharistici panis parte minorem aliam, qua in calice intincta, reliquas in modum crucis signat, dicens:

Inspergitur sanguis Domini nostri, corpori ejus, in nomine Patris ✝ et Filii, ✝ et Spiritus sancti. ✝

Eamdem particulam immittit in calicem dicendo:

Miscuisti Domine divinitatem tuam cum humanitate nostra, et humanitatem nostram cum divinitate tua; vitam tuam cum mortalitate nostra, et mortalitatem nostram cum vita tua; accepisti quae nostra erant, et dedisti nobis tua, ad vitam, et salutem animarum nostrarum, tibi gloria in saecula.

Sacerdos accipit corpus Christi, dicens:

Praesta Domine ut sanctificentur corpora nostra per corpus tuum sanctum, et purificentur animae nostrae per sanguinem tuum propitiatorium, sintque ad veniam delictorum et remissionem peccatorum nostrorum; Domine Deus tibi gloria in saecula.

Mox Eucharistiam distribuit Sacerdotibus, Diaconis, deinde Laicis, dicens: Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi datur tibi in veniam delictorum, et remissionem peccatorum in utroque saeculo.

Interea dum communio administratur cum cochleari, Diaconus reliquis succinentibus clamat:

Fratres mei accipite corpus filii, clamat Ecclesia: bibite sanguinem ejus cum fide, et canite gloriam, hic est calix quem miscuit Dominus noster super lignum crucis: accedite mortales, bibite ex eo, in remissionem delictorum. Alleluia, et ipsi laus, de quo bibit grex ejus, et puritatem consequitur.

Qui versus ut et multi alii, juxta communicantium numerum minuuntur vel producuntur: mox Sacerdos abstergit vasa, Diaconorum ministerio, et deinde dicitur Oratio gratiarum actionis.

Gratias agimus tibi Deus et praecipue laudamus te ob immensum et ineffabilem erga homines amorem tuum. O Domine, quos admittere dignatus es ad participationem mensae tuae coelestis, ne damnes ob susceptionem mysteriorum tuorum sanctorum et immaculatorum. Verum o bone, custodi nos in justitia et sanctitate, ut digni effecti communicatione Spiritus tui sancti, partem, sortem et

haereditatem consequamur cum sanctis illis omnibus, qui ex hoc mundo tibi placuerunt: per gratiam, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Iterum atque iterum pro consummatione mysteriorum horum sanctorum, Deum precemur.

Sacerdos. Deus magne et mirabilis, qui inclinasti coelos et descendisti pro nostra hominum salute, aspice nos per misericordiam et gratiam tuam: benedic populo tuo, et haereditatem tuam conserva: ut semper et omni tempore laudemus te, quia solus es Deus noster verus: et Deum Patrem genitorem tuum et Spiritum tuum sanctum nunc et semper, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus, conserva omnes, etc.

Vel aliam benedictionem pro Ecclesiarum consuetudine et festorum varietate diversam: qua recitata Diaconus incipit psalmum Benedicam Dominum in omni tempore. *Quo dicto abeunt et finitur Liturgia.*

Aliae orationes ad communionem et postea dicendae, quae in quibusdam Codicibus Liturgiae Jacobi: in aliis Xysti: in aliis Petri, subjunguntur.

Cum distribuitur communio, Sacerdos dicit.

Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine, clamat Ecclesia. Benedictus qui dedit mihi corpus et sanguinem suum, ut per eum expiationem consequerer. Sanctum tuum deprecetur pro nobis in judicio, coram throno illo pleno timoris et terroris. Ego sum panis vitae, dicit Dominus: et qui manducat me cum fide, vitam haereditabit. Qui vident corpus ipsum filii cum fide: qui inter eos purus est, accedat, illudque suscipiat, et per illud veniam consequetur. Benedicta Maria, et benedictus fructus qui ex illa ortus est: quoniam

corpus ejus accipimus et sanguinem ejus bibimus, ad expiationem delictorum. Suscipe Domine ab adoratoribus tuis oblationes eorum, et propitius esto per miserationes tuas animabus defunctorum illorum.

Oratio pro mortuis.

Ecce oblatio illata est: et ecce animae purificatae sunt: praestetur per eam requies mortuis, pro quibus oblata est. Oblatio ista quae a viventibus, pro defunctis infertur, expiat iniquitatem animae, et per eam remittuntur illis delicta. Ipse qui vocavit Lazarum, et filium viduae, spargat rorem miserationum suarum, super ossa defunctorum. Cum Abraham, Isaac et Israel vero, praesta, Domine, memoriam illi, pro quo oblata est.

Rex coelestis suscipe oblationem servorum tuorum, et fac memoriam eorum in Jerusalem illa coelesti: in Jerusalem superna, et quae supra terram: et super altare quod est in excelso, sit memoria eorum bona. Agne Dei, et pastor qui mortuus es pro ovibus tuis, praesta Domine per gratiam tuam requiem defunctis fidelibus.

Corpus tuum sitit anima mea, et accedere ad illud vereor; peccata mea tremorem mihi incutiunt: expientur Domine, per clementiam tuam. Corpus tuum et sanguis tuus quae accepimus, sint nobis via, et transitus, ut absque timore a tenebris transeamus ad lucem. Gaudium in superioribus, et spes bona in inferioribus, per oblationes quas faciunt viventes pro defunctis suis.

Diaconus. Monitum. Oremus postquam digni facti sumus suscipere corpus et sanguinem Salvatoris nostri: quod est mysterium pignusque quod descendit de coelo, quodque non praeterit, neque destruitur. Oremus, ut apud nos permaneat, et ut nos illud cum puritate servemus. Gloria Domino illi bono, qui nos dignos fecit dono illo spirituali.

Iterum atque iterum in consummatione mysteriorum istorum sanctorum confitemur te, Domine Jesu Christe, propter corpus tuum quo cibasti nos, et sanguinem tuum quo potasti nos. Miserere nostri et exaudi nos.

Alia Oratio gratiarum actionis.

Ora assueta alimento ex frugibus, confitentur gratiam tuam, per quam meruerunt donum hoc coeleste, quod est corpus et san-

guis unigeniti filii tui, per quem et cum quo te decet, gloria et honor cum Spiritu tuo sancto.

Panis coelestis Christe, qui humiliatus adeo es, ut esses nobis cibus qui non perit: ne facias ut in adventu tuo secundo devoremur ab igne inextinguibili: et referemus tibi laudem, etc. Benedic omnibus nobis, conserva omnes nos: succurre nobis omnibus: viam vitae et salutis demonstra nobis: miserationesque tuae et clementia tua sint super nos omnes. Fratres quoque nostros, qui longe sunt, custodi: eos qui in proximo sunt, instrue doctrina sufficienti, omnesque fideles utriusque sexus, qui participes fuerunt hujus Eucharistiae, quae illata, oblata, et proposita est, super altare hoc sanctum. Deus qui suscepit oblationes piorum antiquorum Abraham, Isaac et Jacob, ipse suscipiat oblationes vestras, vota vestra, primitias et decimas vestras: praestet quoque requiem et memoriam bonam defunctis vestris, spemque benedictam et custodiam viventibus vobis: per precationes matris vitae genitricis Dei Mariae, et omnium sanctorum in saecula. Amen.

IN COMMUNE OFFICIUM

LITURGIARUM SYRIACARUM

RITUS JACOBITICI

OBSERVATIONES.

Veterum Codicum Liturgicorum raritas.

In maxima, quam periti rerum Orientalium Ecclesiasticarum satis sciunt, Codicum vetustorum raritate, mirum esse non debet si ad Eucharisticos ritus explicandos, multa nobis deesse ingenue fateamur. Vastatae bellis continuis provinciae, antequam in Arabum potestatem venirent: spoliatae multoties ab illis Ecclesiae, Christianis qui a mille et amplius annis durissimam sub infidelibus dominis servitutem serviunt, vix quidquam relictum est, unde decor domus Dei sustentari posset. Itaque cum Episcopi et Ordo omnis Ecclesiasticus facultatibus suis spoliati non aliunde, quam ex plebis eleemosynis, vitam tolerare et quae ad sacerdotales functiones necessaria erant habere possent, in extremis angustiis ferme semper constituti, ornamenta, et praesertim sacros libros, comparare dudum aegre possunt. Itaque nullae sunt a multis saeculis Ecclesiarum Bibliothecae: vetusti Codices, qui olim fuerant, usu quotidiano detriti et consumti sunt, pluresque fortasse tales in Occidente, qui ex communi naufragio evaserunt, quam in Oriente, reperirentur. Aucta est majorem in modum illa calamitas per Ecclesiasticorum Orientalium ignorantiam, qui veteres Codices neglexerunt, optimum rati, si novos potius, quam antiquos haberent, quorum saepe fragmenta semilacera, noviter scriptis amiciendis destinata, perierunt. Accessit zelus, non quidem secundum scientiam Missionariorum quorumdam, qui praesertim ubi plurimum poterant, ut in Libano apud Maronitas, et in Malabaricis Ecclesiis, veteres sacramentales libros flammis abolendos potius judicaverunt, quam in Europam transmittendos. Unde in Romanis Collegiis Maronitarum, Sapientiae, et de Propaganda fide, imo et in ipsa Vaticana Bibliotheca, paucissimi reperiuntur tales Orientalium libri, cum ingens illorum copia comparari facile potuisset, et Romae maxime debuisset, ubi toties de Orientalium fide et ritibus judicatum est.

Maxime eorum qui Officium generale continent.

Cum vero haec veterum codicum raritas ad omnia sacramentalia officia pertineat, habemus tamen satis antiquos, qui Anaphoras proprie dictas accurate repraesentent praecipue Jacobiticas. Sunt autem Anaphorae, praecipua illa pars Officii Eucharistici, quae ab oratione osculi pacis incipit, et usque

ad gratiarum actionem extenditur. Illarum quae Syriace extant, multos Codices tractavimus, atque adeo de illis dubitatio prope nulla est, neque majoris momenti discrimen ullum animadvertitur. At partem alteram in qua caeremoniae precesque continentur, quibus Sacerdotes Syri uti solent ad altaris ingressum, ad primam donorum praeparationem, et illationem, publicam pro variis rebus et personis supplicationem, scripturarum lectionem et alia omnia προπαρασκευαστικά, pauci libri accurate repraesentant. Neque mirum id cuiquam videri debet, cum Graeci Latinique sacramentales libri alicujus vetustatis, ea quoque caeremoniali parte careant: scilicet quia ritus illos, Sacerdotes, et alii altarium ministri, usu quotidiano potius et assiduo ministerio, quam scripto docebantur, et quando scribi coeperunt, non in libris sacramentalibus, sed in aliis scribebantur, quod apud Graecos et Coptitas factum fuisse observavimus.

Illi plerumque sunt recentiores.

Paucissimi igitur antiqui Codices praeparatoriam illam disciplinam, et adjunctas eidem preces repraesentant, suntque illi ut plurimum recentiores, cum non tam ad antiquitatis notitiam, cujus expertes omnino sunt, quam ad rite celebrandam Liturgiam referantur. Neque tamen ita caremus necessaria veteris disciplinae cognitione, quam Autores varii subministrant, ut divinationes nostras, quasi certas, proponamus, cum conjecturis, non nisi ubi necessitas postulat, uti soleamus, easque subjiciamus peritiorum judicio. Longa enim ejusmodi studiorum experientia didicimus, quam periculosum sit, in re obscurissima judiciis suis nimium tribuere, cum ea quae verisimillima videntur, nec contemnendis argumentis confirmata, unius aliquando libri autoritas evertat.

Is quem dedimus ad quos pertineat.

In hac igitur prima προπαρασκευαστικῇ, sacri Officii parte interpretanda, priorem locum dedimus illi Officio, quod in antiquis Codicibus Seguierianis et Colbertinis a nobis repertum est, quod etiam paucis exceptis, Romana Missalis Chaldaici editio satis accurate repraesentat, neque enim, ut alibi observatum est, Liturgiae et illud Officium, ad Maronitas pertinent, quidquid viri ex ea gente docti in contrarium scripserint. Nam etsi semper in ore et in scriptis habeant, nusquam interruptam fuisse Orthodoxae fidei apud majores suos conservationem: illos sub Aimerico tertio Latinorum Antiocheno Patriarcha, a Monothelitica haeresi ad Ecclesiam revocatos fuisse, testis est omni exceptione major Willelmus Tyrius, cujus testimonium scriptores omnes Arabes et Syri, Orthodoxi, Nestoriani et Jacobitae confirmant. Quos Amira, Echellensis et tandem Naironus illis opponunt, illorum praeterquam inter Maronitas ne nomen quidem notum est: scripta multo minus, quae et novitatis indicia permulta praeferunt, neque ab illis laudata, aut in amplissimis Bibliothecis conservata reperiuntur. Omnes igitur Liturgiae Syriacae, Maroniticarum titulo editae, aut quae in recentissimis aliquot Codicibus reperiuntur, Jacobitarum sunt, ut complures aliae quas recenset Abrahamus Echellensis. Nam in Codicibus Jacobitarum qui servantur in Bibliotheca Seguieriana et Colbertina, ut in Florentina, omnes illae reperiuntur, cum certis indiciis, quae illas Jacobitis proprias esse demonstrant. Imo, quod satis mirari non possumus, in Romana ipsa editione, tituli servati sunt Joannis

Ep. ad Nihusium.

Barsusan, Mathaei Pastoris, Dionysii, et aliorum, quos Jacobitas fuisse aliunde scitur, ut ipsi Maronitae non unis locis monuerunt. Unde in aliquot exemplaribus, atrum transverso calamo signum, Joannis Barsusan nomini illitum est. Verum ignoravere Editores, eam quae Julii Papae dicitur, non nisi inter Monophysitas notam fuisse, quod falsa sancti Pontificis Epistola, ad erroris sui patrocinium passim abuterentur: eam quae Dionysio Atheniensi contra librorum veterum fidem tribuitur, esse Dionysii Barsalibi: nullam esse denique, quam Jacobitae sibi non vindicarent.

De Ordine generali qui in Missali Chaldaico editus est.

In eadem editione, quae paucas Liturgias complectitur, Ordo communis Liturgiae, quo τὰ προπαρασκευαστικὰ continentur praemissus est, cum rubricis Arabicis, et is ipse est quem nostra versio repraesentat, quemque reperimus in Codice Ms. Seguieriano, et aliis. Factum id a nobis est, quia officium illud continet ritus omnes, qui osculum pacis, ubi Anaphora incipit, antecedunt, et cum aliis Codicibus satis convenit. Damus tamen seorsim alterius Officii versionem, quod ab altero in nonnullis discrepat, et quod descripsimus ex Codice Colbertino bonae notae, in multis conveniens cum Ordine illo quem Severi nomine ejus Rituali Baptismi, Syriace et Latine subjecit Guido Fabricius Boderianus. Illud autem quod Missali Maronitico adjunctum est, levissimas aut ferme nullas interpolationes sustinuit, quas in notis observabimus: eamdemque rituum et orationum formam exhibet, quae aliunde nota ex diversis autoribus, suspecta esse non potest. Cum vero pars illa prima Liturgiis reliquis inserviat, in nonnullis Codicibus praemittitur illi, quae Jacobo Fratri Domini tribuitur; nam et omnium vetustissima est, et cum schismatis Jacobitici memoriam omnem antecedat, communis est Orthodoxis et Jacobitis. Verum Codices prope omnes qui Ordinem generalem repraesentant illum conjunxerunt cum ea quae Xysto Romano Pontifici tribuitur, cujus tamen usus infrequentior est: ut antiquitas alteram non attingit. Illos Codices secuti sunt, qui Missalis Chaldaici editionem Romae procurarunt, rati fortassis probationem inde nasci conjunctionis Maronitarum suorum cum Romana Ecclesia, si Liturgia Romani Pontificis nomine appellata primum locum obtineret. Ista tamen ita Jacobitis propria est, ut alia Julii. Nos vero primum illum Ordinem Jacobi Liturgiae, ut celebriori praemisimus.

Multae orationes primis solum vocibus designantur, in Codicibus editis et Mss.

In illo Ordine multae preces, praesertim quae a Diacono et populo dici debent, primis tantum vocibus indicantur, neque aliter vulgo describi libri Orientales solent, quia Ecclesiasticis preces illae notissimae sunt, et quia prolixiores peti debent ex alio Codice. Vocatur is, *liber Ministerii,* sive *Ministri,* cujus extant varia in Bibliothecis exemplaria, idemque Romae editus est Syriace, cum versione Arabica, sed literis Syriacis anno MDXCVI. absque ulla interpolatione, praeterquam in Symbolo Nicaeno, ubi particula *Filioque* adjuncta est, quam Orientales libri non agnoscunt. Ut igitur lectores decurtatis istis orationibus non turbentur, illas ex aliis Codicibus et eodem libro Ministerii in versionem nostram transtulimus. Nam in paucis quae Latine versae sunt Liturgiis, aliquando interpretes cespitaverunt, praesertim Guido Fabricius

Boderianus, his tamen Orientalibus literis instructissimus, ut alii qui ex similibus vocibus continuam orationem efficere tentaverunt.

In Missali Chaldaico Romae edito plura interpolata.

Quaecumque porro translata sunt ex Ministerii libro Romae edito, consentiunt cum Mss. exemplaribus: imo nonnulla in Missali mutata sunt, quae in altero integra reperiuntur, quamvis iste biennio et amplius postea editus fuerit. Neque enim liber ille, necessarius licet, Maronitisque saepe promissus, statim atque editio absoluta est, publicatus fuit, cum essent homines meticulosi, quibus periculosum judicaretur, Officia Missae celebrandae publicari sub oculis et autoritate Pontificis, quae et lingua, ut putabant, vernacula, et forma quae Romanae non plane responderet, celebrarentur. Ita factum ut cum absoluta fuisset editio anno MDXCII. suppressa biennio circiter fuerit, ut ex primis foliis manifestum est. Nam Latinum, quo titulus libri continetur annum MDXCIV. praefert: Syriacum annum MDXCII. Memini etiam audivisse a majoribus natu, et a viro Clarissimo, Linguarumque Orientalium peritissimo Claudio Hardy, eo rem devenisse, ut totam editionem supprimere statutum fuerit; Cardinalem vero Perronium Romae cum esset, suasisse ut liber publice exponeretur, quod non nisi post aliquot annos ab editione effectum est. Sunt enim exemplaria quae annum quem diximus in fronte non praeferant: ut sunt nonnulla in quibus Praefatio Maronitarum nomine praemittitur, in qua majores suos laudant magnopere, quasi Orthodoxae fidei perpetuos in Oriente vindices. At illa Praefatio in plerisque exemplaribus non reperitur. Consulto sane fecerunt, qui inanes illas laudes, quibus historia Ecclesiastica conturbatur, et gravissimis autoribus fides abrogatur, improbandas censuerunt. Sed multo magis curare debuerant, ne in Diptychis inter sanctos, Barsomas, et aliquot alii haeretici nominarentur, quod vitium oculos censorum effugit, cum in aliis nimium oculati fuisse videantur, dum mutanda judicaverunt plurima, quae communi omnium Ecclesiarum traditione confirmantur, ut forma verborum sacramentalium, et quaedam alia. Ex illo solo exemplo satis intelligitur, quanto periculo neglecta fuerint Orientalium linguarum studia, Romae praesertim, ubi Christianis Orientalibus qui ad unitatem Catholicam redeunt jus dictum est, secundum illorum hominum sententiam, qui neque linguarum, neque disciplinae Ecclesiasticae satis periti, culicem colantes, et camelum glutientes, quae damnanda sunt probavere, innoxia condemnavere, non sine veteris Ecclesiae contumelia, et Christianorum Orientalium scandalo. Jam ad explicanda quae Officio generali continentur, veniendum est.

P. 1.

Sacerdos quotidiana veste deposita, etc.

Diversitas caeremoniarum, in eodem ritu.

Quamvis non exigua sit inter ritus Orientales diversitas, illa tamen, accurate loquendo, non tanta est quam quae observatur inter Romanum Officium, Gregorianum et Ambrosianum, Gothicum, Gallicanum, Mosarabicum, et singulares quosdam alios, qui in Ecclesiis multis insignibus, et in Religiosis familiis huc usque servantur. Omnia quippe in Romano Officio fundata sunt,

cujus formam in praecipuis retinent, maxime in Canone, quo Actio sacra continetur. Sunt tamen Orationes diversae: caeremoniarumque ratio non una est. Ambrosianus et Mosarabicus ritus, verba Christi sacramentalia non iisdem syllabis referunt, quibus in Gregoriano recitantur. Attamen considerata totius Actionis sacrae forma, discrimen in iis quae ad recte fungendum Sacerdotium pertinent nullum animadvertitur; cum orationum omnium et caeremoniarum sententia eadem sit, mystica quoque significatio eadem: fides quam exprimunt eadem, adeo ut secundum eximiam Innocentii I. regulam, *Legem fidei lex statuat supplicandi.*

Graecus ritus quantum ad praecipua, formam omnium Liturgiarum Orientalium repraesentat.

Graecus quoque ritus eodem modo se habet erga Orientales omnes, Syrorum, Aegyptiorum, Armenorum, Aethiopum, et si qui sunt alii in Oriente Christiani. Forma ejus, quantum ad Liturgiae partes praecipuas, una est, qualis extat in Basilii Chrysostomique Liturgiis, quae solae dudum in Graecis Ecclesiis usurpantur: ut etiam in illis quae Jacobi et Marci nomen praeferunt. Inter illas aliquod fuisse discrimen orationum et caeremoniarum, quae tamen in eamdem sententiam, eumdemque finem conspirant, animadvertitur, ut inter Latinas, de quibus diximus: aliud quoque inter illas et Syras veteres, tum Aegyptiacas, et reliquas. Verumtamen statim collatione illarum instituta, omnes ex eodem fonte prodiisse manifestum est, ita ut Liturgiae Orientales nulla excepta, Graecis suam debeant originem. Orthodoxi qui in Oriente supersunt, Melchitae vulgo appellati, Graecam Ecclesiam ut matrem agnoscunt: et Antiocheni, ut Hierosolymitani et Alexandrini, cum Graece sacra faciunt, non aliis sacramentalibus libris utuntur, quam qui in Patriarchatu Constantinopolitano recepti sunt. Qui Syriacam linguam in sacris retinuere, Jacobi Liturgia uti solent, nec tam multiplices agnoscunt, quam Jacobitae, qui novas multas scripserunt, quas Latine ex optimis codicibus interpretatas haec Collectio repraesentat. Ut vero orationum significatio, et ipsa prope omnium verba ex Graecis Liturgiis sumta sunt, ita maxima est disciplinae similitudo; praeterquam in nonnullis quae Orientales ignorant, quia posterius introducta fuerunt.

Praeparatio ad Liturgiam celebrandam.

Ut igitur a praeparatione incipiatur, ea pluribus caeremoniis quam in Occidente perficitur. Cum enim secundum Orientalium disciplinam, quae apud eos perpetua traditione commendatur, Sacerdotes non quotidie Liturgiam celebrent: unica semel in die singulis in Ecclesiis celebretur, neque Sacerdos sacris operetur absque Diacono, thure et cantu, quo fit ut nostris Missis multo sit prolixior: illum qui Liturgiam celebraturus est plura observare oportet, quae tum Canonibus, tum Ritualibus praescribuntur.

Quid pridie Sacerdotes observare soleant.

Sacerdos Syrus eam noctem quae Liturgiam praecedit, vigilando in Ecclesia, aut in secretario ducit insomnem, orationibus et sacrae lectioni vacans, ne per somnium ludibrio aliquo contaminetur. Si uxorem habet, abstinere ab illa debet per dies aliquot: jejunasse etiam vespera praecedente, aut saltem vino et omni liquore quo caput tentari potest, abstinuisse. Similem consuetudinem in Ecclesia pernoctandi antequam Liturgia celebretur, vi-

gere apud Nestorianos Mesopotamenos testati sunt, qui Bagdado saepe huc venerunt Sacerdotes.

Vestes ordinarias deponit.

Cum hora Liturgiae celebrandae instat, quae tertia circiter diei est, vel octava matutina more nostro, Sacerdos vestes ordinarias deponit, pallium scilicet, sive exteriorem amictum, et aliquamdiu prostratus orat coram altari: tum manus abluit, tandemque accipit vestes Ordini suo convenientes.

De Confessione facienda.

In isto Ordine generali, ut etiam in altero, aut in aliis Codicibus, Confessionis a sacerdote faciendae mentio nulla est. Eam tamen saepe praemitti solere, qua ratione Graeci illam observant, extra dubium est: nam par omnino est Graecorum et Jacobitarum Syrorum Poenitentialis disciplina. Illam quae apud suos communis erat, non modo designavit accurate, sed regulas illius partim collegit, partim ex Episcoporum suae sectae consilio constituit Dionysius Barsalibi Metropolita Amidenus, qui vivebat cum Franci Regno Hierosolymitano adhuc potirentur. In ejus Tractatu de suscipiendis Poenitentibus quem, si Deus vitam concesserit, Latine interpretatum Dissertationibus de Poenitentia subjungemus, nihil quidem praecipitur sacerdotibus de facienda confessione peccatorum, quoties Liturgiam celebraturi sunt: sed omnibus Ecclesiasticis et saecularibus praeceptum esse dicit, ut ter ad minimum, quotannis ad confessionem accedant. Illa autem intelligi debet de peccatis levibus et quotidianis, non de gravioribus contra Decalogum, quorum Sacerdos, si conscius sibi sit, a Confessore non sineretur ad Liturgiam celebrandam accedere: ut neque Laïcus ad communionem Sacramentorum. Habent enim in variis Canonibus constitutas poenas canonicas, quae sunt *Metanoeae* seu totius corporis repetitae prostrationes, Psalmorum recitatio, jejunia, pro peccatorum ratione graviora vel leviora, et eleemosynae. Verum interea abstinentur a Sacramentorum perceptione Laïci: Ecclesiastici ab altaris ministerio, donec ultimam absolutionem acceperint. Istis vero ex nova disciplina, ut testatur Barsilibi, cum secundum Canonum veterum dispositionem, gradum amittere debuissent, concessum illo tempore fuit, ex communi Episcoporum sententia, ut Ordinem suum retinerent, sed duplicarentur illis poenae canonicae, atque interea excluderentur a sacro ministerio. Itaque de levibus et venialibus peccatis Confessio illa accipi debet. Si quosdam Jacobitas confessionem peccatorum insuper habere a multis scriptum est, pertinet potius ad Aegyptios quam ad Syros haec accusatio: nam apud illos, praesertim sub duobus Patriarchis duodecimo saeculo, maximum Poenitentialis disciplina detrimentum accepit: quamvis suos semper defensores habuerit, etiam in Aegypto, adversus illam novitatem, praecipue Marcum filium Elconbari, qui Marco filio Zaraae restitit, et postea Ebnassalos fratres duos, et alios non paucos. Verum eo ipso tempore, Antiochenus Jacobitarum Patriarcha Michael, necessitatem Confessionis sacramentalis et *Canonis*, seu Poenitentiae Canonicae, multis argumentis stabilivit in Tractatu *de praeparatione ad communionem*, docto sane et Theologico, cujus alibi excerpta dedimus, et plura dabimus in Dissertatione de Poenitentia. Illum vero disciplinam in Ecclesia sua receptam propugnasse, non est dubitandum. Quod

Hist. Patr. Alex. p. 550.

si aliqui Jacobitae Syri, Aegyptiorum contagione afflati ab illa recesserunt, quod de nonnullis negari non potest, malo magno suo id fecerunt, nullo verae doctrinae praejudicio.

Plerique Codices antiqui rubricis carent.

Illa vero quae praeparationem Sacerdotis spectant, aeque a Graecis observantur, neque tamen extant in omnibus Euchologiis, quia sumuntur aliunde monita similia. Illa habet Goarii editio, et Venetae nonnullae, tum Romana Demetrii Ducae anni MDXXVI. omnium antiquissima. Unde mirum esse nemini debet, carere rubricis illis Orientales multos codices, cum in Graecis etiam recentioribus diverso modo se habeant. Qui ea, quae ad Sacerdotis praeparationem spectant negaret idcirco a Graecis observari, frustra foret: ita qui simile de Syriacis ritibus judicium ferret, quia desunt in multis codicibus.

Sententia porro orationum, quae hoc loco dicuntur a Syris Sacerdotibus, et illarum quae a Graecis et Latinis, eadem est, ut eadem prope verba. In illis frequens sacrificii et altaris mentio, non minus quam in sanctorum Patrum scriptis, in quo nimii fuisse Calvino visi sunt, et rhetorice potius locuti, quam Theologice. At bona posteritas pastores illos suos proprie locutos fuisse semper intellexit, et suis quaeque linguis fideliter expressit, et ex illis sacrificii incruenti, Sacerdotiique aeterni secundum ordinem Melchisedech, doctrinam accepit, et in Officiis Ecclesiasticis consignavit.

Conversus ad populum veniam petit, etc.

P. 2. l. 10.

Veniae et orationum petitio.

Antiquissima disciplina est, omnibusque Ecclesiis observata, ut Sacerdos, per secretam orationem, qua peccatorum veniam postulat, aut per confessionem factam, Deo conciliatus, etiam proximo concilietur, quod Graeci dicunt *μετὰ πάντων κατηλλαγμένος*. Id quippe significat conversio ad circumstantes et ad populum, versus quos inclinatus, petit remissionem, hoc est, ut si quis adversus illum quidquam in animo habeat, illi condonet. Ita intelligenda sunt verba Syriaca; ut Arabicum quod usurpatur hoc loco in rubricis Missalis Chaldai ciאסתגפר. Consentiunt cum nostro exemplari alii antiquiores Codices Seguieriani et Colbertini, in quorum aliquibus Arabice exponuntur rubricae: in aliis Syriace.

Sacerdos simul et eodem momento preces circumstantium petit dicendo, *Orate pro me fratres, propter Dominum:* ut in Latina Ecclesia dicitur *Orate fratres*, quamvis paulo serius, et exiguo temporis intervallo, antequam sacra Actio incipiatur.

Reliqua ad praeparationem corporis et animae spectantia, eadem omnino sunt apud Syros Jacobitas et Orientales alios, ac illa quae exposuimus in Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam, Graecorum antiquae disciplinae, cujus etiam magna pars superest, plane similia, ut etiam illi quae in Ecclesia Latina pridem servabatur, antequam privata Missarum celebratio introducta fuisset. Habent quidem Syri privatas Missas, sed non eodem modo,

quo apud nos in usu sunt. Scilicet diebus profestis, aliquando illas cum minori apparatu celebrant, quam Dominicis et festis, ut cum Baptismus administratur, dum sponsalia celebrantur, aut Officium *Lampadis* sive Extremae Unctionis; nam Ordinationes statis et solemnibus diebus fiunt: privatim vix aliquando factae reperiuntur. In Ecclesiis quoque omnia sacramentalia Officia perfici, constans Orientalium disciplina est: privata enim altaria sive, ut vulgo dicimus, *Capellas domesticas* ignorant, neque si id per illorum leges Ecclesiasticas licuisset, jam pateretur afflictissima Christianorum sub infidelibus principibus conditio: cum vetustas Ecclesias tueri vix possint. Syrorum ab annis ut minimum sexcentis consuetudo est, cujus meminit Barsalibi, ut singulares pro poenitentiam agentibus Liturgiae celebrentur, et simul imponantur illis manus, variaeque pro peccatorum qualitate orationes super illos recitentur. Verum illae celebrantur in Ecclesiis et ministrante Diacono, nec sine thure et cantu.

Observatur in variis Codicibus levis in quibusdam illis orationibus praeparatoriis diversitas aliqua, sed in sententiis nulla; unde illas aliis conjungere inutile plane foret.

Ib. l. 12.

Ingressus ad altare, etc.

De Altaribus.

In Oriente, ut in Ecclesiis insignibus vetustis, praesertim quae in Occidente supersunt, altaria ita constituta sunt, ut circumiri possint, neque parietibus adhaereant. Locus Ecclesiae superior, in quo altare est, *Sanctuarium* proprie dicitur, Arabice ut plurimum inter Christianos *Heikel* היכל quae vox ex Hebraico fonte derivata, *templum* primario significat: ex usu Ecclesiastico, partem illam augustiorem templi, in qua altare est, et in qua dum Liturgia celebratur, soli consistunt Episcopi, Sacerdotes et Diaconi: quae cancellis et velo, a nave, in qua Laïci sunt, separatur. Vocant etiam *Βῆμα*, nomine a Graecis accepto, ut etiam *Aradion*, hoc est Ἱερατεῖον, quibus vocibus Syri Arabice scribentes non minus utuntur, quam Aegyptii. At Syriace vulgo מדבחא usurpant, quae vox proprie *altare* significat, qua significatione in Arabica lingua saepe accipitur quoque pro sanctuario.

Quomodo ab Orientalibus vocari soleant.

In Officio quod edidit Boderianus, occurrit vox Graeca *Θρόνος*, quam interpres non explicans, lectoribus offendiculum reliquit. Ita enim vocatur etiam sedes Episcopalis, quae intra sanctuarium seu *Βῆμα* collocatur, quam Coptitae in Pontificali Ordinationis Patriarchae Alexandrini, *Σύνθρονος* etiam, ut Graeci, vocant. Hic vero de Altari agitur, quod aliquando *Thronum* appellant, quia in eo est *thronus Dei*, cum in illo corpus Christi *τεθεωμένον*, ut cum Cyrillo Alexandrino dicunt, consecretur, et ad finem usque sacrificii immolatum permaneat. Accuratius tamen loquendo *Thronum*, et Arabice quod idem est כרסי *Karsi* appellant Arabes Christiani, altaris medium, in quo discus sacer et calix collocantur, ante et post consecrationem.

Orationes quae desumtae sunt ex Psalmis, *Introibo ad altare Dei*, et quaedam aliae, quas habent alii Codices, dicuntur in omnibus Ecclesiis, cujuscumque ritus aut linguae, Graecis, Latinis et Orientalibus, adeo non abhorrebant Apostolici viri Ecclesiarum illarum fundatores, ab altaris et sacrificii commemoratione, quam Romanae inventum Protestantes esse volunt, et quam tantopere aversantur, ut quidquid ad eam pertinebat, ex Officiis Coenae suae sustulerint.

Versus qui eodem loco dicitur ex Psalmo CXVII. v. 27. is est qui in vulgata sic habetur secundum versionem Septuaginta Interpretum. *Constituite diem solennem in condensis usque ad cornu altaris.* Syri quorum versio exemplar Hebraeum sequitur, ita reddunt, ut vertit Gabriel Sionita, *Liga solennitates nostras catenis, usque ad cornua altaris,* propius ad primaevam lectionem. Pessime Boderianus. *Diebus festis vinciar catenis usque ad cornu altaris.*

Cum, ut superius dictum est, Jacobiticae Ecclesiae propria sint illa primae partis Liturgiae Officia; et exigua differentia sit inter illud quod Romae editum est in Missali Chaldaico, et alterum Codicis Colbertini, cui valde simile est id quod Boderianus edidit, observationes ne idem repetere necesse sit in eadem conjunctim dabimus.

Igitur post primas illas breves orationes accenduntur cerei, a dextra parte primum, mox a sinistra: cujus caeremoniae non meminit exemplar Boderiani, sed habetur illa cum iisdem precibus in Codicibus Seguierianis et Colbertinis, ut in Missali Chaldaico. Postea discrimen occurrit inter tres illos Codices, quod observari necesse est. In Missali Chaldaico notatur, Sacerdotem ubi cerei accensi sunt, vasa sacra collocare in altari, et mox oblatam et calicem disco imponere. In aliis, illum miscere vinum et aquam in calice, tum oblatam cum eo in disco collocare. In tertio Boderiani, statim praescribitur oratio dicenda, cum vestes ordinarias deponit, tum aliae quae dici debent, cum ornamentis Sacerdotalibus induitur. Verisimile videtur, orationes non eo ordine collocatas fuisse, quo dicuntur in Liturgia: et in prima Officii Colbertini parte, eas quae non nisi postea dicendae sunt descriptas fuisse, quia Sacerdotes memoriter illas dicunt, eo tempore, quod disciplina, quam omnes sciunt, praescribit: neque enim in illo, aut aliis diversarum Ecclesiarum codicibus, omnia agenda tam minutatim describuntur, ut nihil eorum desit, quae usu stabilita sunt. Cerei.

Igitur in hac obscuritate recurrendum est ad aliarum Ecclesiarum communem disciplinam, quae talis est, ut ex Graeca intelligitur. Sacerdos cum accedit ad sanctuarium, procumbens coram altari, orationes illas dicit, quae in Syriacis Officiis descriptae sunt, aut valde similes. Lotis manibus, deponit vestes ordinarias, et sacras induit, recitando ad singula ornamenta propriam orationem: tum vasa sacra in altari rite disponit, simulque oblatam, cum calice vini, aqua temperati. Haec Graeco ritu in Prothesi fiunt, aut in secretario, sive sacristia: et istum morem apud Jacobitas Syros vigere, significare videtur Barsalibi, cum de processione loquitur, quae respondet Graecorum Caeremoniae aliae praeparatoriae.

μεγάλῃ Εἰσόδῳ: de qua inferius. Ad hunc igitur ordinem sive Ἀκολουθίαν, referri debent orationes et caeremoniae, quae cum eaedem sint, ex varia dispositione, quam habent in Mss. exemplaribus, varietatis plus quam re vera sit, videntur praeferre: cum accuratissime loquendo, nulla sit. Nam Sacerdotem primam illationem donorum sacrorum facere, antequam vestimenta Ordini suo convenientia induerit, verum non est: cum ne id fiat variis Canonibus, et Constitutionibus Patriarcharum Alexandrinorum, et Antiochenorum prohibeatur. In altari ipso collocari panem et calicem, antequam fiat illorum *Εἴσοδος* sive *illatio,* fieri potuit in pauperrimis Ecclesiis: sed contra morem, cum in *prothesi* sive *credentia* fieri soleret. Et sane mensa illa *Προθέσεως* sive *propositionis,* constituta semper fuit in sanctuario, cujus ambitus, ut mox dicebamus, altaris nomine aliquando significatus fuit, qua ratione difficultas omnis evanescit. Usum autem *Προθέσεως* apud Syros fuisse, certo indicio cognoscimus ex pictura triplici quam Pontificalis liber Mediceus habet. In illis quippe Pontifex pingitur stans coram altari, quod illud ipsum esse in quo sacrificium celebretur, significant discus et calix in eo collocati. E regione aliud pingitur; quod Prothesin esse dubitari non potest, cum duorum altarium proprie dictorum in sanctuario, vestigium nullum in libris Orientalibus deprehendatur.

P. 14.

Sacerdos induit vestimenta sacra.

Vestes sacrae.

Fieri id initio officii diximus: quae autem de vestibus sacris dici possunt, partim jam exposuimus in Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam, quae repetere frustra foret. Ex illis autem lucem accipiunt, quae de Syrorum sacris ornamentis sunt observanda. Eadem enim prope, et Graecis quam simillima sunt, benedictione, ut alia quae ad ministerium pertinent, consecrantur; nec in profanos usus convertuntur.

Calceos quidem, vel ut in Pontificalibus nostris *Sandalia,* primo loco recenset Codex Colbertinus, quorum alii non meminerunt, ne quidem ad ornatum Episcopalem. Eorum tamen meminisse videtur Severus Episcopus Aschmonin, Opusculo de Agno Paschali: sed fortasse mystice intelligenda sunt ejus verba.

Χιτώνιον. Prima vestis est כותינא *Koutino* ut Syri vocant, quae est Graecorum *Χιτώνιον.* Arabes voce corrupta תוניה *Tunia* vocant. Talaris est, apud Graecos candida, ut apud Orientales vulgo solet. Tamen picturae rudes in Codice Ms. Florentino, Diaconos et Sacerdotes cum tunicis illis coloratis repraesentant. Contra tamen Ebnassalus, et Canones, quos vocant *Imperiales.* Eadem vestis *Χιτώνιον* quoque appellatur ab Arabibus Christianis, voce Graeca.

Com. ad. Lit. Bas. p. 160.

Orarium.

Sequitur *Orarium*, quam vocem Syri suam fecerunt אורדא, *Ouroro:* respondet stolae Latinorum et Graecorum Ὠραρίῳ: Aegyptiorum Ἐπιτραχη-

λίῳ. Diaconi illud ante pectus in formam crucis non cingunt, ut tradunt Pontificales libri varii, et idem testantur picturae illae Codicis Florentini.

De Zona diximus, quantum opus fuit, in Commentario ad Liturgiam Copticam. Zona. *P. 178.*

Manipulum vertimus, quod Syri vocant זנדא *Zendo,* ut recte Boderianus: respondet autem hoc ornamentum duplex apud Syros, ut apud Graecos, Ἐπιμανικίοις sive *Manicis,* de quarum forma inter Orientales Christianos nihil certi affirmare possumus. In una picturarum illarum Florentinarum, Sacerdos repraesentatur, cum quibusdam Ἐπιμανικίοις, quibus brachia cinguntur supra cubitos, quae cum Graecis commune nihil habent. Manipuli.

Faino tandem, sive *casula,* vel *planeta,* est vestis sacerdotalis ultima, quae φαινωλίῳ, vel φελονίῳ Graecorum respondet, de qua diximus loco citato. Ab ea porro deductam esse, autor est insignis apud Syros Lexicographus Isa-Bar-Hali. *Faino,* inquit, *aut Filono, aut Phaino vestis qua Sacerdotes induuntur dum sacra celebrant, loco Kutino, sive χιτωνίου quo induuntur Diaconi.* Explicat illam Arabice per *Albornoz,* qua voce utuntur Coptitae in libris suis Arabicis. Ut repraesentatur in Pontificali Syro Florentino, respondet formae veteri Planetarum Romanarum, quae totum corpus ambiebant. Graecarum iconem inseruit notis suis Goarius, quem vide de Phaenolio, ut et Cangium. Casula. *P. 113. et Not. 20. p. 112.*

De vestimentorum illorum variis appellationibus et forma, accuratius et prolixius inquirere nullius utilitatis est: cum nomina ipsa varias interpretationes tulerint ab Aegyptiis, Syris et aliis qui Arabice scripserunt, etymon illorum plane sit ipsis ignotum: formam vero, quae tot saeculorum decursu mutationem haud dubie passa est, delineare ex conjecturis nihil juvat. Graecorum recentiorum, qui de illarum mysticis significationibus fuse scripserunt, commentarii, nihil ad Orientales faciunt: praesertim Symeonis Thessalonicensis et aliorum argutae nimium allegoriae, de variis figurarum intextarum significationibus, quas alteri ignorant. Neque enim color aut forma sacrarum vestium perfectam inter se similitudinem habent. Stola sacerdotalis Syrorum Jacobitarum, cum cruciculis pingitur in Codice Florentino, aut lineolis intercisa: Episcopalis semper cum variis cruciculis. Casula vero vel Planeta seu *Faino* aliquando unicolor, purpurea scilicet in tribus locis, viridis in alio, et in uno floribus acupictis distincta. Graecorum ποταμοὶ sive *undulatae lineae,* et alia quae Graecis uberem rhetoricandi materiam praebuerunt, nullo modo apparent.

Perperam vero vocem *Faino* Boderianus *amictum* est interpretatus, nam illius in Orientali Ecclesia usus nullus est. Apud nos prima pars ornatus sacerdotalis est, at *Faino* sive *Phenolium* ultima, quae reliquis circumponitur, qua ratione diversis Arabicis vocibus ista expressa est, et vulgo *Albornoz* ab Aegyptiis appellatur, qua etiam voce illam exposuit Isa-Bar-Hali comparatione ducta a pallio illo Arabum, notissimo: ut *Mahfouro,* sive *Maphorium,* et *Birouno,* a *Birro.* Sed haec satis superque sunt: sufficit observasse Syros non minus quam Coptitas, et alios cujuscumque sectae vel linguae Christia-

nos Orientales vestium sacrarum usum retinuisse huc usque: tantumque abest ut superstitiosum illum existiment, quin potius sacrilegio proximum judicant, absque simili ornatu ad altaris ministerium accedere, quae temeritas poenis canonicis gravissimis, usque ad depositionem plectitur: deque illa disciplina variae sunt Alexandrinorum et Antiochenorum Patriarcharum Constitutiones.

In nonnullis Codicibus, ut in Seguieriano uno, adjunguntur ornamenta Pontificalia duo: unum quod המניכא *Homnico* vocant, ad quod dicitur: *Gloriam et decorem imposuisti super me, quoniam fecisti eam in benedictionem.* Alterum est תאגא Corona sive Mitra Pontificalis, quam dum accipit, dicit Episcopus. *Posuisti super caput ejus coronam gloriosam: Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum saeculi.* Tandem accipit baculum pastoralem, et dicitur: *Virgam virtutis mittet tibi Dominus ex Sion; dominaberis super inimicos tuos.* Primum ornamentum quid proprie sit, non satis intelligimus. Mitram vero seu Cidarin esse in usu apud Orientales, constat: quamvis forma ab ea quae apud nos in usu est diversa sit.

P. 12. et 15.

Sacerdos ascendit ad altare.

De altaribus.

Ms. syr.

De altaribus et Orientalium religione ad ea consecranda, videnda quae diximus in Commentario ad Copticam Basilii Liturgiam, ubi nonnulla retulimus ex propria Syrorum disciplina, quae continetur in ipsorum Nomocanone cap. 1°. §. 5°. secundum quam prohibetur, ne Sacerdos Liturgiam celebret in altari quod ab Episcopo consecratum non fuerit, sive *Tablito* טבליתא, tabula videlicet lignea vel lapidea, cujus benedictio eadem est, ac altaris solidi: nam solida habent Orientales Christiani, ut alibi probatum est. Vulgo etiam, si altare solidum non est, utuntur solis illis tabulis, quae Graecorum *Antimensiis* quodammodo respondent. Ex eodem Nomocanone retulimus, a quibusdam Antiochenis Patriarchis statutum fuisse, ut tabulae defectu, ne Ecclesia sacrificio careret, super folium aliquod libri Evangeliorum posset Liturgia celebrari: ut etiam manibus Diaconorum calicem et discum tenentium, altare in summa necessitate suppleri, quod factum refert in cujusdam Anachoretae gratiam, Theodoretus in Philotheo. De altarium consecratione per signum crucis, unctionem ex chrismate, sanctorum reliquias, et preces, ab Episcopo, agit Dionysius Barsalibi in eodem Nomocanone cap. 1°. nr. 7°. Ritus integer extat in variis codicibus, cujus praecipua capita dabimus ex Codice Florentino: Titulus est. Ἀκολουθία sive *series et ordo consecrationis altaris, sive tabulae, quae mensae imponitur. Illa autem consecratio celebratur Feria V. mysteriorum seu* in Coena Domini, *et omnibus Feriis V. a Resurrectione usque ad Ascensionem.*

Eorum consecrationis ritus.

Primo parantur tabulae ex ligno electo et pretioso, aut ex marmore vel lapide alio: et inscribitur ipsis tabulis, quo die et a quo consecratae fuerint, in hunc modum. Consecrata est haec tabula sancta, per manus Episcopi N. in Ecclesia N. anno tali: *quae inscriptio decussim fit, ita ut prima et postrema*

verba formam crucis exprimant. Postea Episcopus tabulam collocat super mensam vitae, hoc est altare: *non in medio,* quod solium vocant, *ubi tabula consecrata prius defixa est, sed ad latus sinistrum. Si plures consecrandae sunt, illas suo quamque ordine superponit, Episcopus postea ornamenta sua accipit: Sacerdotes, Diaconi, et reliqui, vestes quoque Ordine suo convenientes induunt, stantque circa altare. Archipresbyter defert crucem, et consistit prope altare: unus ex senioribus Sacerdotibus defert paropsides, in quibus sunt lenticulae sacri chrismatis: Diaconi flabella gestant, alii cereos. Episcopus* a quo solo haec consecratio perficitur, *recitat orationes aliquot, ex Officio consecrationis Ecclesiae, Sedras; orationem incensi, ex eodem: post quas legitur Epistola et Evangelium et recitatur Symbolum. Sequitur oratio secreto dicenda. Psalmus 23.* Dominus regit me, etc. *Episcopus signum crucis delineat pollice, ductis duabus lineis, et tabulam consecrandam imponit, ei quae fixa est in altari: quam deinde deponit ad latus aliud, et reliquas, si plures sunt, primae superponit: atque interea Clerici psalmos et hymnos canunt. Archidiaconus graece dicit Στῶμεν καλῶς. Prooemium. Sedra. Responsoria. Psalmus.* Judica me Deus, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: *et postea Episcopus signat secundo tabulas signo crucis, sicut prius fecerat: clero interea psalmodiam continuante. Diaconus iterum Στῶμεν καλῶς. Tum Sedra. Prooemium. Diaconus dicit Litaniam,* sive satis longam orationem, quae Litaniis nostris non respondet. *Responsoria ex Officio consecrationis Ecclesiae. Psalmus.* Memento Domine David: *et signat tabulas tertio, ut semel iterumque fecerat. Episcopus pronunciat secreto longam orationem, in cujus fine mutato tono, elevat vocem, et respondetur, Amen.* Omnium porro orationum illarum sententia una est, comparatio scilicet Sacerdotii legalis, cum Christiano: commendatio, dignitatis altaris, prae omnibus aliis in Testamento veteri: praesertim quod verum corpus Christi in eo consecretur, reponatur, et immoletur, non minus quam in cruce et in sepulcro. Commendatur pariter Sacerdotium a Christo institutum, et per Apostolos Ecclesiis traditum, cujus ministerio, sacrificium semel ab eo oblatum quotidie renovatur, et fidelium oculis proponitur. Deprecationes ad Deum, ut Spiritus sancti sui gratiam mittat, tum ad altarium consecrationem, tum super fideles, ut ex illis percipere digne valeant corpus Domini Jesu Christi, quod pro ipsis traditum est, et sanguinem ejus qui pro illis effusus est.

Post orationem, *pro Ecclesia, et populo fideli, incipit Episcopus consignationem tabulae per unctionem ex chrismate quo pollicem tingit, et ducit per easdem lineas, quas in modum crucis descripserat, atque id facit ter, recitando interea versiculos ex Psalmis, Hymnos et Responsoria. His peractis si plures sunt tabulae, singulas ordine suo, unam super aliam collocat in parte altaris sinistra, signatque unam quamque signo crucis, simulque collocat super tabulam ipsius altaris, et dicit,* Signatum est, unctum, sigillatumque, altare hoc coram positum, in nomine Patris, Amen; et Filii, Amen; et Spiritus sancti, ad consummationem Liturgiarum sanctarum in saecula, Amen. Ultimae illae consignationes fiunt ab Episcopo, in ipsa unctione

ex Chrismate, atque id est quod sigillum appellatur. Ita, ut notatur ad marginem, *novies super tabulas, signum crucis formatur. Ter primum absque chrismate: ter cum chrismate: et ter post chrismationem solo pollice. Interea canuntur hymni, et orationes aliquot, tandemque Episcopus tabulas integras chrismate ungit, ex omni parte. Diaconus proclamat* Catholicam, seu Orationem generalem; quae sic incipit. *Iterum atque iterum pro altaribus istis quae consecrata sunt, et repleta gratia divina et virtute, attente deprecemur: ut Dominus in illis complaceat, offeranturque super illa oblationes spirituales et salutares, corpus sanctissimum, et sanguis pretiosus: cum fide orthodoxa Dominum deprecemur: ut veniat et illabatur super ea Spiritus sanctus, ad consecrationem, et consummationem mysteriorum divinorum quae illis imponuntur, Dominum deprecemur, etc.* Episcopus caeremoniam concludit oratione gratiarum actionis.

Ex illis ritibus agnoscitur Orientalium fides.

Ex illa et adjunctis precibus patet, quanta sit Orientalium Christianorum religio circa altaria, quae saepe *Mensam vitae* appellant, quia ex illis accipitur, *panis vitae qui de coelo descendit et dat vitam mundo:* qui in eo consecratur, et reponitur. Ea verba multoties in isto consecrationis officio, et in aliis repetita, certum fidei Syrorum de Eucharistia argumentum, praeter alia multa subministrant, cum ita loqui nemo possit, qui non credat in altari, per summum miraculum, illabente scilicet, ut aiunt, spiritu sancto, panem et vinum fieri corpus et sanguinem Christi: non fide sola recipientium. Quippe secundum hanc Protestantium doctrinam, qui medium quo Christi corpus in Eucharistiae communione accipitur, fidem esse contendunt, quamdiu elementa panis et vini in altari sunt, panis et vinum sunt, nec quidquam aliud: etsi intervenerit pronunciatio verborum Christi, et Invocatio Spiritus sancti. Syri vero et reliqui Orientales Christiani, in ipso altari, consecratione peracta, profitentur existere corpus ipsum Christi Domini, non minus quam olim in praesepio, in cruce et in sepulcro. Ut enim Graeci, praecipue Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in Theoria sua Ecclesiastica, dum mysticas altaris significationes explicant, ita quoque Orientales iisdem comparationibus utuntur, ad commendandam altarium dignitatem, quod in illis vere credant Christum immolatum, et sanguinem ejus effusum in calice, licet invisibiliter, existere. Haec omnia confirmantur verbis orationum quae in dedicatione Ecclesiae usurpari solent, quarum plures dicuntur in Officio consecrationis altarium, sive Tabularum. Omnium autem illarum orationum, in diversis ritibus, Graecis, Syriacis, Copticis, et aliis, una eademque sententia est: illarumque non minus quam caeremoniarum conformitas, unitatem fidei de Eucharistiae Sacramento invicte demonstrat, quae Latinae quoque Ecclesiae benedictionibus, altarium, et vasorum sacrorum accurate convenit. Haec igitur omnia cum Reformatores sustulerunt, non magis a Romanae Ecclesiae, quam ab Orientalium omnium disciplina et doctrina recesserunt. Neque oratorie dicta existimanda sunt, quae de hoc argumento leguntur in istis Orationibus, cum eadem verba, similesque sententiae extent pariter in Liturgiis, in formulis gratiarum actionis post Eucharistiae susce-

ptionem; in vasorum sacrorum benedictionibus, in Ordinationibus; ubique tandem.

Sacerdos tollit velum quo mysteria operiuntur, etc.

Hoc loco differunt tria Ordinis generalis exemplaria: illud quod in Missali Chaldaico editum est, ita ritum explicat, ut vasa sacra in altari jam posita sint, et majori velo tecta; quo sublato Sacerdos eadem in altari, quo debetur ordine collocat, tum Oblatam: deinde calicem in quo tunc vinum infunditur cum aqua. De illatione munerum ad altare.

In Officio Boderiani, statim Sacerdos disponit rite Oblatam, hoc est, ut recte interpretatur, hostiam non consecratam, quae illic *Sigillum* appellatur, ut etiam a Barsalibi in Commentario, quia panes Eucharistiae consecrandae destinati, literis aliquot, vel figuris signantur, ut apud Graecos quibus consuetudo est ut crucem imprimant, intra cujus quatuor latera legitur IC KC. N K scilicet. Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ *Jesus Christus vincit:* et similem formam repraesentat, Goarius in Notis ad Liturgiam Chrysostomi, ut vir clarissimus Jacobus Sirmondus Disquisitione de Azymo. Adjunxit alias formas duas Oblatarum, Syrorum unam, Alexandrinorum alteram, quas licet unde habuerit, non dicat, veras tamen esse dubium non est. Utraque non una cruce, ut Graeco ritu, sed multis cruciculis distinguitur, ita tamen ut in medio Oblatae figura major crucis formam exprimat. Ex antiquissima porro consuetudine crucis figuram Oblatis impressam fuisse, probat ex pictura vetustissimi Codicis sancti Germani, in quo delineatus inter altaria duo, stat Sacerdos: quorum in altero, Judaici ritus, sunt victimae aries et hircus: in altero salutare Christianorum sacrificium denotant, calix et Oblatae crucis titulo insignes: tum desuper pensiles utrimque hostiarum capsulae. Magnae quoque antiquitatis indicium praebet figura quae in Coptico Evangeliorum Codice Bibliothecae Regiae servatur, in qua Christus pingitur coram altari Apostolis Eucharistiam distribuens: Oblatae super altari crucis quoque signo notatae sunt. Panis Eucharisticus. *Goar. Euchol. p. 117. P. 122.*

Partem illam in qua crux signatur, nam Oblatae aliquando majores sunt, Graeci σφραγῖδα appellant, ut monet Goarius, et eadem significatione טבעא *sigillum* vocatur in Officio Boderiani, qui minus recte interpretatus est, *circulum.* In primo Ordine Colbertino, priusquam panis Eucharistici mentio fit, notatur misceri calicem vino et aqua, quod videtur transpositum, nisi aliquid omissum est. Nam statim praescribitur quomodo in Disco sacro particulae componi debeant, et id fieri non poterat, nisi post primam fractionem, quae fit longe ante officium consecrationis. In Missali Chaldaico nihil aliud notatur, nisi quod, *Sacerdos velum majus aufert quo teguntur mysteria, et vasa sacra aliaque ad Liturgiam servientia disponit rite in altari: afferturque panis a Diacono, totque Oblatas in disco ponit quot necessariae sunt: deinde calicem vino et aqua mistum.* Verum non omnino ita se habent rubricae in Codicibus Mss. quia scilicet Missalis editores ad praesentis tempo-

ris morem suam accommodaverunt, quod faciendum ipsis erat, quando ab ultima Maroniticae Ecclesiae Reformatione, utuntur Oblatis azymis minutioribus, ut apud nos fieri solet. Ita non ex uno pane, ut veteri ritu franguntur sigilla, ut vocantur, seu minores particulae. At in Codicibus Mss. praescribitur solummodo ut panes, quantum sufficere possint, ad communionem praesentibus distribuendam, multiplicet. Illud quoque ex nostra quotidiana disciplina accessit, quod Oblatam et calicem statim in altari collocant; quod Orientali ritu non observatur, sed inferuntur a Diacono post preces aliquas, eo ritu qui deinde explicabitur. Ex illis Officiis non satis perspicue explicatur prima illa donorum sacrorum, quae *sancta mysteria* jam vocantur, ex futura consecratione, propositio, cui disciplinae lucem, quantum in nobis erit, afferre conabimur. Prius tamen de vasis et instrumentis dicendum est.

Vasa sacra. Praecipua sunt *Discus* et *Calix*. Graeci Disci figuram, dedit loco mox citato doctissimus Goarius: ex qua et verbis illius patet, illum patenae Latinorum non omnino respondere: cum latior sit, nec adeo planus. Codex Florentinus figuram Syriaci Disci, sed ruditer delineatam exhibet, ampliorem et profundiorem Disco Graeco, si tamen Discum repraesentare pictor voluit, non calicem ministerialem. Syri vocant פילאסא et aliquando פילא, quod idem est. Consecratur iisdem precibus et caeremoniis, quas exhibet Ritus Copticus, cujus versionem dedimus, extatque hujus consecrationis Officium singulare apud Syros, in Codice Seguieriano. Ita et Calix, de quo, ut de Disco nonnulla observata sunt, in Commentario ad Copticam Basilii Liturgiam: *Cochlear* quoque benedicitur, ut apud Graecos, et eumdem usum habet. In Codice Colbertino, adjicitur *Spongia*, de qua nihil scribitur in aliis: sed ea quoque usurpatur a Syris, ut a Graecis, ad extergendum calicem. Lanceola, sive ut Graeci dicunt Ἁγίᾳ λόγχῃ, Orientales, Syri aut Aegyptii non utuntur: ut neque *Astere,* quod duas laminas curvas et decussatas significat, quibus discus tegitur velo superposito. *Euchol. Goar. p. 152.*

Panis et calix primum praeparantur in Prothesi. Igitur, ut ad primam illam Officii partem redeamus, praeparatam fuisse Oblatam, et simul calicem in Prothesi, et ad altare deferri, ex Graeca veteri disciplina est, a qua Syri non videntur recessisse; quamvis caeremonia integra in plerisque Codicibus non exprimatur. At testis est ejusdem apud Syros disciplinae omni exceptione major, Dionysius Barsalibi in Commentario suo ad Liturgiam. *Producuntur,* inquit, *mysteria seu Sacramenta, et ab altari in gyrum circa sanctuarium deferuntur, ante illationem sacrificii.* Illo ritu testatur *significari Christi in terras descensum, et suae in terra conversationis,* sive τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας, *periodum: illatione ad altare, ejus ascensionem in crucem, unde ejusdem sacrificium quo se ipsum immolavit, ad Patrem ascendit.* In his verbis, *Altare,* ex quo producuntur panis et calix, parvum intelligimus, sive *Prothesin,* quandoquidem distinguitur a sanctuario, seu היכלא, in quo constitutum est altare proprie dictum, quod saepe eadem voce significatur. Esse sane apud Syros ejusmodi altaria seu Protheses, probat pictura duplex in Codice Florentino, in quo repraesentatur unum *Cap. 6.*

quod praecipuum et sanctuarium esse demonstrant calices et discus in eo designati: nihil simile in alio, inter quod et alterum pinguntur ordinandi, quasi accedentes ad altare; coram quo stat Episcopus Ordinator. Est porro ritus ille, Graecorum *μεγάλη εἴσοδος*, quem Coptitae, Aethiopes, et alii retinent, ut dictum est in Commentario ad primam Liturgiam.

Igitur quae in ea parte legimus, quam primum Ordinem seu Officium vocant in Codice Colbertino, ut in eo quod edidit Boderianus, ita videntur accipienda, ut ad Prothesin seu Altare minus, pleraque fiant. Id quidem non distincte praescribitur in Officiorum rubricis, sed illae quoque nihil habent, quod adversus hanc hypothesin trahi queat, et illa fundatur in communi disciplina, non ea modo quam Graeci observant, sed ea etiam quae Syris familiaris fuit, ut testis est Dionysius Barsalibi.

Potuit quoque aliquid variationis accipere secundum diversas Ecclesiarum consuetudines haec caeremonia: et alicubi statim ad altare proposita dona fuisse: alibi praeparata in Prothesi. Graeci, ex quorum ritibus Orientales omnes alii profluxerunt, panem consecrandum, et ampullas tectas ad altare deferunt, et in altari fit panis in particulas prima divisio: tum vinum et aqua calici infunduntur: atque ita facile intelligi potest, illationem hanc seu propositionem fieri in altari, postquam caeremoniae praecedentes factae sunt in Prothesi, et *περίοδος* sive processio circum altare.

Vela calicis et Oblatae.

Vela autem calicis, ut Graeci, ita Orientales plura habent. Anaphora sive Arabica נופיר *Nauphir* unum appellatur: aliud generali nomine שושפא *Velum:* in Rituali Boderiani עימא quae vox cum proprie *nubem* significet, hoc loco velum illud majus significat, quo discus, calix, et reliqua vela teguntur, quod eodem modo Graeci *Νεφέλην* vocant, et *Ἀέρα*: nam utraque vox videtur esse *ἰσοδύναμος*. At ista nomina Graecis non tam accurate respondent, ut qui singularis illorum usus fuerit, facile sit designare. Illud modo sufficiet, primo velo calicem, secundo totum discum, in quo calix cum pane consecrando depositus est, contegi: ultimo secundum illud, totumque sacrum ministerium. Anaphara eadem significatione usurpata legitur in Triodio 2. Feria I. hebdomadis jejuniorum, in Lychnico, et in Typico S. Sabae c. 30. *Αἴρεῖ δὲ ὁ ἱερεὺς τὰ καλύμματα τῶν ἁγίων, καὶ σκεπάζει αὐτὰ μετὰ τῆς ἀναφορᾶς ἤτοι τοῦ ἀέρος. Aufert Sacerdos velamina a sacris mysteriis et illa tegit Anaphora sive Aere.* Additur in Typico *οὕτω γὰρ εἰώθασιν καλεῖν αὐτὰ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμων μέρεσιν. Ita enim ea vocare solent in partibus Hierosolymitanis*: nempe *Anaphoram* appellare, quod Graeci dicunt *Aerem:* nam Liturgiae Syriacae quae ad Hierosolymitanam Jacobi expressae sunt, ea passim voce utuntur, a Graecis accepta: *Aeris* aut alterius quae *νεφέλη* repondeat rarior omnino usus est.

Diversitas in ritu illationis panis et calicis exigua est.

Haec porro de prima illa munerum Eucharisticorum oblatione, seu illatione, sufficiunt ad conciliandam Officiorum illorum de quibus agitur, diversitatem, quae major apparet quam re vera sit. Cum enim in illis orationes similes sint, ex illis quo ritu dicerentur, et in qua caeremonia intelligi potest. Quaedam in uno omittuntur, quae leguntur in aliis: verum orationes

ad ornamenta sumenda eaedem sunt: scitur porro aliunde ex ipsis Syrorum libris, et ex comparatione disciplinae reliquarum Ecclesiarum Orientalium; Sacerdotes et Diaconos ad ministerii functionem non accedere, nisi cum vestibus Ordini suo convenientibus. Preces igitur quas Codices illi assignant, ad illas induendas, postquam oblata ad altare illata est, suo loco non esse positas intelligimus, atque ita de reliquis, cum omnes ad unum ritum referri satis intelligatur.

De Pane Eucharistico.

Panis Eucharistici varia nomina.

De eo multa diximus in Commentario ad Copticas Liturgias; quaedam ad Syros maxime pertinentia hic referemus. In Officio Romae edito, cum rubricae Arabicae sint, usurpatur vox ברשאן *Burschan*, quae inter Christianos, panem consecrationi destinatum significat, quamvis rarior vocis illius usus sit, nec illa vulgo in antiquis libris reperiatur. Etymon sat obscurum est, sed cum illam peregrinam esse constet, formata est procul dubio a voce Graeca ἀπαρχή, quae in Copticis libris saepe occurrit, primitiasque significat: Oblatas aliquando. Vocum prima syllaba decurtatarum ab Orientalibus, exempla multa sunt, ut illud *Koloki*, quod extat in Scalis Coptico-Arabicis, pro *Εὐχολόγιον*. *χ* Graecum Arabes frequentissime per suum *schin* exprimere solent, ita *Schartonia* dicunt, pro *χειροτονία*. *Scharoubin* pro *Cherubin*, et alia non pauca. Ex accusativo igitur fecerunt *Barschin* quia literam *Π* non habent Arabes.

Syriaca diversa.

Sed nomina Syriaca panis Eucharistici varia sunt: integrum quidem panem קורבנא *Kourbono* vocant, *Oblationem*, ut nostri Latini veteres *Oblatam*, Graeci *Προςφοράν*: aliquando simpliciter לחמא דארזא *Panem Sacramentorum* sive *mysteriorum*. פריסתא *Paristo*. קצתא *Katzto*, quae voces panem quoque significant, et prima illarum legitur in versione Actuum Apostolorum c. 2. v. 46. ubi Graecus Codex habet *ἄρτον*. et Lucae 12. 42. respondet voci *Σιτομέτριον*.

Haec porro nomina Pani consecrando dantur, antequam ad altare inferatur, nam ubi primam benedictionem accepit, aliter et quidem multis nominibus appellatur. Nestoriani praesertim vocant בוכרא *primogenitum*; allusione facta ad Christum primogenitum omnis creaturae: alii *Agnum*. In Rituali Colbertino, et altero Boderiani vocatur טבעא *sigillum* seu *Σφραγὶς* aut טבעתא quod idem est. Sed de integra Oblata vox illa non est intelligenda. Ut enim Graeci, ita Syri, panem qualis supra descriptus est, in multas partes dividunt, quarum una major est, et media, majoremque quam reliquae partes, crucem impressam habet. Cum enim una tantum crucis figura sit in Oblatis Graeci ritus, in Syriaco sunt multiplices. Major in medio disco collocatur, et quamvis divisionis in particulas mentio nulla fiat, illam tamen observari apud Syros rubrica testatur, cum praecipit, qua ratione sigilla alia minora in disco componantur. Ita enim accipi vox illa

debet, quia ut major et media panis pars cruce majori signata est, ita aliae cruciculis, ut ex figura quam Sirmondus edidit, agnosci potest. Striae enim profundiores quae inter cruciculas observantur, faciunt ut panis in particulas facile frangatur, et omnes crucem, sive sigillum habent, quam ob causam *sigilla* quoque vocantur. Nihil simile occurrit in Missali Chaldaico Romae edito, quia ad Maronitarum usum reformatus est; illi autem Oblatis azymis Latino more utuntur, quae eodem modo, quo Orientales frangi non possunt.

Observandum tandem est, partibus illis in quas Eucharisticus panis dividitur, alia in sacra Actionis decursu nomina tribui. Nam particula major quando consecrata est saepe *Margarita* appellatur: apud Aegyptios *Isbodicon* seu *Isbadicon*: in Codice Graeco-Arabico Bib. Regiae *Σπουδικὸν* voce corrupta ex *Δεσποτικὸν* nempe *σῶμα*. *Corpus Dominicum*. Etiam pars desumta ex illa majori, qua calix consignatur ut unio duarum specierum fiat *ἁγία ἕνωσις* Graecis dicta, et ab Orientalibus non minus observata, *Margarita* quoque sive *Unio* dicitur. Partes reliquae in his officiis nomen aliud non habent quam sigillorum, ob rationem supra dictam, ut nec apud Graecos aliter vocantur quam *ἅγιαι μερίδες*. In Colbertino Codice, et eo quo Boderianus usus est, tum in aliis antiquissimis, occurrit vox Syriaca גמורא *Gamouro*, quam ille *corporale* interpretatus est, sed quae nihil minus significat, et de qua sane erat divinandum. Neque enim illa explicatur a Lexicographis recentioribus, aut a Syris ipsis, ut neque aliae prope omnes ad disciplinam Ecclesiasticam spectantes. Tamen cum illa vox *carbonem* vulgo significet, verisimile omnino est, illo significatu accipiendam hic illam esse, sed qui ad mysticum alium referatur, Orientalibus notissimum, et in orationibus frequenter usurpatum. Is est ut particulae panis consecrati vocentur *carbones vivi*, quia Christum ita mystice designatum volunt, qua ratione, ut diximus, Maria Virgo vocatur *thuribulum aureum*, quia *carbonem vitae utero continuit.* Unde in benedictione Cochlearis, quo communio Laïcis distribuitur, comparatur illud *λαβίδι* sive forcipi, quem in Angeli manu vidit Isaïas, capientis carbonem de altari: atque idcirco ipsum Cochlear *λαβὶς* appellatur. Itaque particulas illas quae fractae minutatim in disco collocantur גמורא *carbones* in Syriacis Ritualibus vocari, eo verisimilius est, quod ita quoque vocentur in Benedictione Disci Eucharistici, in Rituali Gabrielis Patriarchae Alexandrini, *qui replendus est ignitis carbonibus, ex reliquiis corporis filii tui:* particulis scilicet quae dicuntur *Νιλύμψανον*, hoc est *Λείψανα*, sive, ut Arabes vertunt, *membra corporis Christi:* Vocari autem ita possunt ante consecrationem, non minus quam *sacra mysteria, sacrificium, hostia, agnus, primogenitus*, et aliter.

Nomina alia particularum consecratarum.

P. 108.

Not. p. 324.

In his ergo officiis *Gamouro* particulas significat quae in disco collocantur, prope eas quae quod crucibus signentur, *Tabahe* טבעא sive *sigilla* singulariter appellantur. Imo in optimo Codice Seguieriano, eadem vox majorem ex qua aliae consignantur partem Oblatae significat.

Panis Eucharistici praeparatio.

Nunc quae ad Eucharistici panis praeparationem pertinent explicanda sunt, ex Syrorum disciplina. Eam fuse explicavit Dionysius Barsalibi Tractatu singulari, in quo proposuit omnia quae ad rite celebrandam Liturgiam necessaria sunt. Illius Epitomen nacti sumus Arabice scriptam, in Codice Colbertino, in cujus fine nonnulla adjuncta sunt ab interprete, ut testimonium Gregorii Abulfaragii, qui diu post Dionysium vixit. Praecipitur autem in hac Epitome, ut panis consecrationi destinatus, conficiatur ex frumento, cujus grana singulatim ab omni sorde mundata fuerint: ut postquam farina facta est, aqua maceretur, tum attente coquatur, adeo ut panis adustus non sit: misceatur fermentum, nec azymus offeratur. Si fissus sit, nec alius reperiatur, poterit offerri, quia in propria natura perseverat, quam fissura non corrumpit.

Fermentatus addito sale et oleo.

Azymum sane panem, ut Graeci, ita Syri et Orientales reliqui, exceptis Armenis, negant legitime offerri posse, atque inter alia quae Paulus Sidoniensis Episcopus, Petrus Melichae, Abulbircat, et Ebnassalus Francis objiciunt, non ultimo loco recensetur, Azymorum usus. Sed in fermentati panis usu ad Eucharistiam consecrandam Syri non consistunt, addunt praeterea salis micam et stillam olei, quod a Nestorianis quoque observari docet *Officium renovationis fermenti*, et ab autoribus aliquot memoriae proditum est. Quamvis porro Jacobitae Syri arctissimam cum Coptitis Alexandrinis communionem coluerint, illam tamen olei et salis ad parandum panem Eucharisticum admistionem non probaverunt. Olei ita admisti usum, in illis damnat Petrus Melichae Episcopus, et ex eo Abulbircat, sed salis non meminerunt. Constat tamen ex Historia Patriarcharum Alexandrinorum in vita Christoduli Patriarchae LXVI. ordinati anno J. C. MXLVII. quod Oblatam ita confectam, cum Cheik quidam Abulbecher Archiater Principis, Syrus, ad altare detulisset, eam rejecerit indignabundus, hominemque male multatum, Ecclesia pelli jusserit. Tum scripsit ad Joannem Patriarcham Antiochenum, adversus illam consuetudinem; quem monita Christoduli insuper habuisse testatur historicus.

Hist. Patr. Alex. p. 426.

Apologia istius consuetudinis scripta a Joanne Antiocheno.

Tamen in Codice Bibliothecae Colbertinae duo Tractatus Syriace scripti reperiuntur, ad vindicandam illam Syrorum disciplinam, quorum prior nomen Joannis Patriarchae praefert: alter Apologiae adversus contradictores. De ea controversia quaedam dicta sunt in Commentario ad Basilii Copticam Liturgiam. Porro cum obscurissima sit etiam in Orientalium Christianorum libris Patriarcharum Antiochenorum Jacobitarum successio, de isto Joanne nihil aliud affirmare possumus, nisi quod aequalis fuerit Christodulo, medioque undecimo saeculo vixerit. *Barsussan,* aut rectius, *Barchouchan*, cognominatum illum fuisse, primus scripsit Abraham Echellensis, in Notis ad Hebed Jesu, et illius judicium secutus est Faustus Naironus, in sua *Evoplia.* Illum quoque haereticum fuisse testantur, quamvis ejus nomine, cum *sancti* titulo Liturgia, inter Maroniticas, purae illius et incorruptae, ut volunt, Ecclesiae suae, locum invenerit in Romana editione. At istud cognomen non legitur in Historia Patriarcharum Alexandrinorum: neque Joannes ille, tanquam

Evopl. p. 34.

istius mistionis inventor, a Christodulo reprehensus est, sed ad eum tanquam Syrianorum, hoc est Syrorum Jacobitarum supremum Antistitem querela delata, quam si vivente altero neglexit, postea ut illi satisfaceret operam dedisse, probat ea quam diximus Apologia. In illa autorem se mistionis illius non agnoscit, neque verisimile est tunc illam noviter fuisse institutam, sed displicuisse Christodulo, quod Archiater ille rem novam attentasset, cum Oblatam, more ab Ecclesia Alexandrina diverso praeparatam, obtulisset. Habebant quippe Syri Jacobitae in Aegypto stabiliti Ecclesias suae gentis et sectae proprias, in quibus sacra suo ritu faciebant, sinentibus, aut dissimulantibus Patriarchis Alexandrinis, quod ob Severi Antiocheni memoriam, multum Antiochenis tribuerent, qui frequenter in Aegyptum, ubi sepultus fuerat, religionis causa commeabant. Ignorabant quoque fortassis Alexandrini Pariarchae aliorum Jacobitarum disciplinam, ut ex alio Historiae loco agnoscimus. Nam Gregorius quidam Armenorum Patriarcha, in Aegyptum cum venisset, seque Jacobitarum fidem profiteri testatus fuisset, tanquam ad rem novam, sibique prius incompertam obstupuerunt Aegyptii. Fieri igitur potuit, ut quid in Ecclesiis Syrianorum illorum, circa Oblatarum praeparationem observaretur, Alexandrini Patriarchae ignorarint, cum in illos precarium tantummodo, sicut in Armenos; non plenum et absolutum, ut erga Aethiopes, jus haberent. Quippe Syriani illi et Armeni non tam a Patriarchis, quam a Viziris et Sultanís obtinuerunt, ut suas sibi Ecclesias habere liceret: sufficiebat enim esse in Aulico ministerio scribam aliquem, aut Medicum advenam, qui facultatem a principibus postularet: illa vix unquam negabatur. Armeni Viziros aliquot suae gentis habuerunt, ut Behramum, Beder-Gemalium et alios, a quibus non modo ut Ecclesias proprias haberent, obtinuerunt; sed aliquas ipsis Coptitis eripuerunt. Verum haec alibi fusius tractata sunt: de Apologia Joannis illius Antiocheni jam pauca dicenda sunt.

Hist. Patr. Alex. p. 460. 492.

Hist. Patr. Alex. p. 506. et seq.

De Azymis quid haec Apologia contineat.

De Azymis, et necessitate panis fermentati continet ea quae a Graecis sequioris aevi, non minus prolixe, quam futiliter exposita sunt, in multis adversus Latinos scriptis, editis et manuscriptis. Collectanea sunt scilicet diversorum sacrae Scripturae locorum adversus Judaïcos ritus, et Azyma, dissimulatis illis, quae in illorum commendationem ab Humberto Sylvae Candidae et similibus Graecorum accusatoribus objecta fuerant, aeque imperite. Adjunguntur testimonia Gregorii Nazianzeni, Joannis Chrysostomi, Dionysiique Atheniensis, quae nihil ad rem faciunt. Extat de eodem argumento prolixior disputatio Arabice scripta in Codice Vaticano, post Quaestiones et Responsiones varias circa Eucharistiam, quae dicuntur factae *secundum doctrinam Ecclesiae Copticae,* quamvis ex Orthodoxo potius aliquo scriptore Graeco translatae videantur. Nam inter testimonia circa Eucharistiae fidem, referuntur ultima capita libri Joannis Damasceni de Fide Orthodoxa. An disputatio de Azymis ad autorem totius operis, aut ad alterum quempiam referenda sit, sciri vix potest. Dicitur autem facta Constantinopoli pro Patriarcha Michaele, anno Alexandri MCCCLXV. Martyrum DCCLX. Hegirae CCCCXLV. qui annus respondet anno J. C. MLIII. ut alter Alexandri, seu Seleucidarum,

qui est Martyrum, non DCCLX sed DCCLXIX. Autor Disputationis dicitur fuisse Muchtar Ebn-El-Hacen, Ebn-El-Abdoun, Ebn-El-Botlan Bagdadensis, Medicus satis celebris, de quo Abulfaragius in Historia Dynastiarum, qui tamen eum obiisse anno praecedente, scribit. Occasio disputandi fuit, quod misisset Papa Romanus Nuncios ad Michaelem Constantinopolitanum, Cerularium scilicet, tempore Constantini Monomachi, cum literis hortatoriis ad Graecos, ut multa disciplinae suae capita reformarent, inter alia usum fermentati panis in Oblationibus suis. In ea igitur Disputatione argumenta varia contra Azyma reperiuntur, quae Autor Apologiae, ut verisimile est, inde sumsit, cum eodem viveret tempore. Illud tandem praetereundum non est: quod Dionysius Barsalibi qui post tempora Christoduli Alexandrini Patriarchae vixit, tunc cum Franci Hierosolymis regnarent, nempe post annum MXCIX. misturae olei et salis non meminit, in Tractatu quem citavimus, nec in Commentario ad Liturgiam.

Hist. Dyn. p. 234.

Cum vero Graecis non minus quam Coptitis mistio salis et olei displiceret, eam Joannes confirmare satagit inanibus ratiunculis, comparatione ducta ex quatuor elementis: tum scripturae locis, ubi salis et unctionis mentio fit: quae quidem adeo frivola sunt, ut illa fusius referre, opera abuti foret. Sane nullum hujus admistionis occurrit, ante illa undecimi saeculi tempora, in libris Orientalibus vestigium. Consulti olim a nobis Sacerdotes Syri, atque inter alios Elias Bagdadensis qui ante annos quadraginta Lutetiam venit, is quem Ricardus Simon saepiuscule loquentem inducit, de rebus Theologicis, quarum imperitissimus erat, interrogatus de illa suorum consuetudine ita respondebat. Micam salis adjici in massa fermentata, sed quae gustu percipi non posset: oleum cavae manui Sacerdotis allini, ne dum Oblatam format, massa adhaereat: verum non tanti est illorum hominum fides.

P. 3. *et* 23.

Accipit majorem hostiae partem et collocat in disco, dicens Tamquam ovis, etc.

Syri lanceolam ad dividendam oblatam non habent.

Dicitur apud Graecos eadem sacrae Scripturae particula, cum Sacerdos ferro acuminato, quod *Ἁγίαν λόγχην* appellant, pungit et secat panem Eucharisticum, adjunctis formulis aliis, a Diacono aut ipso sacerdote dicendis, quae in Euchologio leguntur. Verba ad significationem Christi lancea transverberati, et aliis suppliciis lacerati referenda, Germanus Patriarcha et alii Liturgiae expositores testantur, et fuse Symeon Thessalonicensis. At Syri, ut etiam Coptitae, usum *λόγχης* non habent, neque illius indicium occurrit. Mysticam significationem agnoscunt, sed eam satis exprimi judicant per panis fractionem, tum primam quae hoc loco fit, cum panis in particulas fractus, disco imponitur: tum secundam quae fit ante communionem. Ita scilicet intelligunt verba Christi, ut in Liturgiis referuntur, *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*, idque ipsum significasse, cum panem fregit. *Cum fregit,* inquit Dionysius Barsalibi, *in mysterio significavit nobis, passio-*

nem suam, crucifixionem, occisionem, transfixionem lancea, denique mortem suam. Coptitae etiam, ut ex Abulbircat discimus, nec non aliis qui de sectarum diversis opinionibus et institutis scripserunt, accusant Melchitas, seu Graecos Orthodoxos, *quod oblatam incidant:* de qua consuetudine Syrianos non accusant, sed de sola olei in Oblatis praeparandis admistione.

Fundit vinum in calicem, etc.

P. 3. l. 31.

Vini conditio.

De illis, quae circa vinum calici immittendum et consecrationi destinatum observari oportet, multa dicta sunt in Commentario ad Basilii Liturgiam, quae non minus ad Syros quam ad Coptitas pertinent. Singulare illud, quod notat Barsalibi, vinum parari debere ex uvis selectis, quae manu, non pedibus premantur. Neque tamen id legis vim habere censendum est, cum nihil simile legatur in Syrorum Nomocanone: ut neque illud quod vini defectu, uvae duracinae adhiberi possint, exigua aqua maceratae, ut ex illis liquor exprimatur: quod ab Aethiopibus factitari, et ab aliquot Canonum et Rituum interpretibus non improbari, loco citato Commentarii observavimus.

Orationes quae hic assignantur in Missali Chaldaico, diversae sunt ab illis quas habent Officia Codicum Colbertinorum, Seguierianorum, et Boderiani, sed ad eamdem significationem mysticam referuntur quam exponit Germanus Patriarcha. Ὁ δὲ οἶνος πέφηνε τὸ αἷμα τὸ ἐκ πλευρᾶς τοῦ Χριστοῦ ῥεῦσαν. Τὸ δὲ ὕδωρ πέφηνε τὶ ῥεῦσαν ἐκ τῆς πλευρᾶς αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ. *Vinum significat sanguinem qui fluxit ex Christi latere: aqua illam quae ex ipsius quoque latere fluxit.*

Incensum, crucis signum, etc. ab Orientalibus usurpata.

Incensum, crucis signa, et reliquae caeremoniae cum Ecclesiis omnibus communes sint, singulari nulla observatione indigent, si quidem nullum prope discrimen est in disciplina, circa illa quae non tam ad essentiam, ut vulgo dicitur, Sacramenti, quam ad decorem domus Dei, et ad excitandam fidem, attentionemque instituta sunt. Offert Sacerdos panem et calicem, leviter elevando antiquum in veteri Lege oblationis illius morem imitatus, quem תרומה vocabant, quo testatur abolita fuisse vetera sacrificia per illud novum a Christo institutum. Ea verba subjicit, quae sacrificii, quo se ipsum in cruce Christus obtulit, memoriam revocent, ut intelligatur in Liturgia verum esse novae legis sacrificium, quod in omnibus prope orationibus inculcatur.

Orationum varia genera.

Observandum porro est in Ecclesiis Syriacis, inter istas caeremonias cani a Sacerdote celebrante, vel Clero, et ut nostri veteres Rituales loquantur, a *Schola Cantorum,* hymnos diversos, quorum nomina explicari, aliis ad usum nostrum accommodatis vix possunt. Tales sunt *Sedro*, *Pechito*, *Kolo, Akebo, Khoutmo,* praeter quae alia occurrunt in Nestorianorum Ritibus, huic sectae singularia. Ita in Graecis Officiis Ecclesiasticis, ejus generis nomina multa sunt, notae apud illos qui illis utuntur significationis, quae in alia lingua exprimere perdifficile est. Nam originationem illorum ex communi, quam in sermone vulgari habent, significatione deducere, frustra est. Ita Boderianus

lectoribus linguae Syriacae imperitis miras tenebras offudit, in versione Rituum Severi Antiocheni, cum illas quo vis modo, ex Syriacis originibus interpretari conatus est. Ita *Sedro,* sive *Sedra, Ordinem* vertit: et in Officio communi Liturgiae. *Et incipit ordinem Poenitentiae, primo Prooemium. Sedra* hoc loco assignatur, quae *Poenitentiae* dicitur, quia petitur peccatorum venia. *Prooemium,* brevis oratio est, quae Sedris, et aliis quibusdam praemitti solet. *Akebo* vertit *Disquisitio,* cum oratio sit quae in aliarum fine dicitur, quam ultima clausula sequitur, *Khoutemo* dicta, et ille *complementum* vertit, atque ita ferme in reliquis: unde tam exiguum ex talibus versionibus fructum, ad antiquitatis Ecclesiasticae illustrationem pervenisse, mirari nemo debet.

P. 10. 11. 12.

Omnes ergo voces illas, quia Latine reddi vix possunt, sua lingua reliquimus: quid vero significarent quantum in nobis fuit explicavimus. Itaque ut a *Sedris* incipiamus, illae Prosis quodammodo nostris respondent: nec semper dicuntur, sed secundum festorum varietatem, et ad Sacerdotis arbitrium. Plerumque non soluta, sed stricta oratione scriptae sunt, carmine Ephraemitico vel Jacobitico, quae sunt duae versuum apud Syros species; tales sunt Sedrae aliquot in Missali Romae edito, quarum aliquae in Mss. reperiuntur. Ita quoque appellantur preces non adeo prolixae, quae passim in Officiis occurrunt: et illarum ratio non magis explicari potest, quam tot vocabulorum, quae in nostris Breviariis et Missalibus adhibentur. *Invitatorium, Versus, Antiphonae, Sacerdotalis, Introitus, Graduale, Responsoria, Communio, Secreta: Infra actionem* alia tam multa.

Georg. Amira Gram. Chald. l. 6.

Hist. Chald. p. 117. et seq.

Orationum, ut apud Graecos, aliquae elata voce dicuntur aliae secreto, et cum inclinatione, quae ita notantur הליתא *Talito, Elevatio vocis,* et גהנתא *Gheento. Inclinatio:* et illae formulae respondent Graecae *Ἐκφώνως* et *Μυστικῶς.* In prima monendum est, hallucinatum fuisse Boderianum, qui semper vertit *Trinitas,* et cum sequentibus verbis conjungit ut sententiam efficiat. Reliqua suis locis observabuntur.

P. 7. et 19.

Diaconus legit Epistolam.

Lectio Epistolae a Diaconis.

In Orientali Ecclesia non solent Lectores vel Subdiaconi sacram Scripturam, cujus multae Sectiones leguntur, publice legere: idque vulgo perficitur a Diaconis. In priorum Ordinatione nihil occurrit quod ad Officium illud legendi Epistolam, ut apud Latinos, pertineat. Imo Subdiaconi ad altare vix accedunt: Diaconi omnia sacra ministeria obeunt, et absque Diacono Liturgiam rite celebrari Orientales non existimant. Unde Petrus Melichae Episcopus culpat in Francis sive Latinis, quod sine Diacono Liturgia apud eos celebretur.

Plures lectiones sacrae Scripturae in Liturgia.

Lectiones in Orientalibus Ecclesiis plures fieri solent. Prima ex veteri Testamento: secunda ex Actis Apostolorum: tertia ex Epistolis Pauli: quarta ex Catholicis: quinta tandem ex Evangelio. Ita illas recenset Dionysius Barsalibi. Omnes Syriace leguntur a Diacono: et postea legitur earum inter-

pretatio lingua vulgari Arabica, quae lectio fieri potest ab inferioris Ordinis Clericis, juxta Cyrilli II. Patriarchae Alexandrini Constitutionem. Interpretatio vero Evangelii duplex est: literalis una et simplex, qualis in aliquot codicibus Ordinationum, ut in optimo Florentino reperitur: altera paraphrastica, in Homiliarum modum, quae singularibus libris continentur. Extant hujus generis multi in Bibliothecis, et talem, ad usum Ecclesiae Syriacae Jacobiticae habet Bibliotheca Seguieriana, qui communiorem istarum interpretationum, quae *spirituales* appellantur, formam prae reliquis videtur exhibere: nam brevissimae sunt; cum illae quae ad Ecclesiam Copticam pertinent sint prolixiores.

Evangelium.

P. 9.

Ut apud Coptitas cum magnis caeremoniis defertur ad Ambonem liber Evangeliorum, ita fieri apud Syros constat, et id a Graecis acceperunt. Quo ritu id a Coptitis observetur, expositum est ex illorum Theologis, in Notis ad primam Liturgiam, ubi illum μικρῷ εἰςόδῳ Graecorum respondere dictum est, de qua erudite Jacobus Goarius. Legitur autem Evangelium a Sacerdote, non a Diacono: quamvis olim in Syriacis Ecclesiis munus Diaconorum, ut apud nos, Evangelii lectio fuerit. Id enim docet Constitutio Rabulae Episcopi Edesseni art. 70. *Sacerdotes legent Evangelium ubi reperientur, nullique erunt Diaconi.* Preces, et formulae ad venerationem codicis Evangelici, similes sunt in omnibus ritibus, ut nempe Christiani qui adsunt, non auditores tantum sint, sed factores verborum, quae ex Evangeliis recitantur.

Evangelii lectio a Sacerdote Syriace.

Euchol. p. 124.

Post Syriacam lectionem, sicut Epistolae, ita quoque Evangelii vernacula lectio lingua Arabica observatur similiter, et habent Syri Lectionaria propria Arabica, ad hunc usum. In Pontificalibus, et quibusdam aliis libris quorum usus quotidianus non est, lectionibus quae interseruntur, versio Arabica subjici solet, ut in optimo et antiquo Codice Florentino. Extant quoque Codices varii Epistolas et Evangelia secundum Dominicarum et festorum Ordinem, ut sunt apud Graecos Ἀποστολοευαγγέλια. In omnibus exemplaribus Syriacis Novi Testamenti notatur quando singulae Sectiones in Officiis Ecclesiasticis legi debeant, illarumque indicem repraesentat editio princeps Viennensis.

Lectio secunda fit lingua vulgari.

Sanctus Deus sanctus fortis, etc.

P. 4. et 20.

Hymnus est quem vulgo *Trisagium* appellant, qui in universa Ecclesia celeberrimus est. In Latina tamen non dicitur praeter, quam semel in anno Feria VI. majoris hebdomadae, idque Graece et Latine, quo peregrina illius origo significatur, quia secundum Graecos prope omnes, in Ecclesia Constantinopolitana cani coepit Angelo revelante, sub Proclo Patriarcha. Ita Theophanes, Nicephorus l. 18. c. 51°. Damascenus de Fide Orthodoxa l. 3. c. 19.

Trisagium.

et singulari Epistola, et alii multi, quorum testimonia collegerat vir clarissimus Carolus Fraxineus Cangius: plura addidit cum eruditis Observationibus R. P. Michael Lequien in accurata operum Joannis Damasceni editione. Nonnulla quoque ex Orientalibus Syris a nobis allegata sunt, in Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam, quae hic indicare sufficiet. Graeci et Orientales non modo in publicis Officiis, sed in privatis precibus hymnum illum frequenter recitant, ut patet ex Horologiis, non Graecis modo, sed Arabicis ad usum Melchitarum conversis, ut illo Fani edito anno MDXIV. quod Mss. simile est.

P. 208. et seq.

Jacobitae addunt, *qui crucifixus es pro nobis.*

Melchitae porro seu Orthodoxi Graeci et Latini, illum simpliciter recitant: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis.* Jacobitae, tam Coptitae quam Syri addunt, *Qui crucifixus es pro nobis*, Orthodoxis reclamantibus, non minus quam Nestorianis in quorum libris sine additione legitur: ut etiam testatur Amrus Mathaei filius, cujus testimonium loco mox citato retulimus. Is porro ex historia Maris filii Salomonis, non Petrum Gnapheum, sed Episcopum Menbigensem sive Hierapolitanum, scilicet Philoxenum, autorem istius additionis fuisse scribit, ex suorum traditione. Alii additionis autorem Petrum Gnapheum fuisse dicunt, Antiochenae sedis invasorem, eamque edictis suis confirmasse Anastasium Imperatorem Monophysitis addictissimum, ut legitur apud Abulfaragium, sed seditione populi commotum destitisse. Verum quae illorum temporum historiam spectant, a Graecis potius, quam ab Autoribus qui Arabice aut Syriace scripserunt petenda sunt: neque fraudi esse debent inanes quorumdam librorum de Ecclesiastica historia tituli, quasi quidquam Graecis aut Latinis incognitum docere nos possint: cum acta et instrumenta Arabice aut Syriace, praeter paucissima, vix ulla extent. Itaque Jacobitae Aegyptii, non minus quam Syri, Trisagium hymnum, ut apud eos recitatur, additionem illius particulae, *qui crucifixus es pro nobis*, ab initio habuisse existimant.

Hist. Dynast. p. 93. Hist. Patr. Alex. p. 135.

Qua ratione illam additionem explicent.

Accusatus est idcirco ab Orthodoxis Petrus Gnapheus tanquam passionem in divinas Trinitatis personas induceret, et eam accusationem olim a Graecis susceptam, Syri et Coptitae cum ad se pertineret, depellere non unis apologiis conati sunt. Praecipui inter Syros hoc aggressi sunt Isa filius Zaraa, Abu Raïta Takritensis, Yahia filius Adi, et Dionysius Barsalibi, praeter alios qui data occasione de eodem argumento scripserunt. Illorum testimonia retulimus in Commentario ad Copticas Liturgias. Omnium vero Jacobitarum sententia una est: verba Doxologiae illius non ad Trinitatem, sed ad Christum referri, quod perspicue significant ejusdem hymni paraphrases variae, quae in libris Ecclesiasticis reperiuntur, praeter eas, quas referunt Abu Raïta, Yahia et alii Theologi. Illum ea ratione determinatum, posse tolerari, judicavit Ephraemius Orthodoxorum Patriarcha Antiochenus, cujus operis excerpta Photius servavit, nec alia videtur sententia fuisse Eulogii Alexandrini, et aliorum qui de hoc argumento scripserunt, quod alibi tractatum est. Sufficit observasse Jacobitas Syros, ut etiam Coptitas, Doxologiam integram ad Christum referre.

Cod. 228.

Abite auditores in pace, etc. P. 10. l. 1.

Expulsionis audientium, disciplina in Liturgiis consecrata.

Formula haec antiqua servata est ex veteri disciplina quae dudum penitus apud Syros obsolevit, non minus quam inter Graecos, qui tamen in recentioribus suis codicibus illam ita exprimunt. *Ὅσοι κατηχούμενοι προσέλθετε· μήτις τῶν κατηχουμένων. Quotquot Catechumeni procedite: nullus Catechumenorum.* In Jacobi Graeca Liturgia. *Μήτις κατηχουμένων· μήτις ἀμυήτων· μήτις καὶ μὴ δυναμένων ἡμῖν συνδεηθῆναι· ἀλλήλους ἐπίγνωτε· ὀρθοὶ πάντες. Nullus Catechumenorum: nullus non initiatorum: nullus eorum qui orare nobiscum nequeunt: agnoscite vos invicem: Fores observate. Recti omnes permaneant.* Haec ex antiquis Ecclesiae moribus qui variis Canonibus continentur, notissima sunt: cum non minus in Oriente, quam in Occidente circa illam Officii sacri partem, quae Latinis idcirco ***Missa Fidelium*** dicta est, excluderentur infideles, catechumeni, poenitentes, energumeni: omnes tandem qui jus oblationis et communionis non habebant, cum baptisati non essent: aut illud per peccatum aliquod amisissent. Perstitit mos antiquus in Ecclesia Graeca, usque ad Imperii Constantinopolitani excidium, circa Catechumenos: non erga poenitentes, ex quo poenitentiae canonicae, praesertim publicae, forma mutata est: multo minus erga infideles, rerum dominos. In Orientalibus Ecclesiis non modo illa disciplina, sed etiam ipsa formula sublata est ex omnibus Liturgicis codicibus, praeter quam ex Syriacis, in quibus servata est, ut olim in Jacobi Graeca, quae illarum primaevum exemplar est. Nam Audientes, sive Infideles, qui ad sacras Scripturas, et sermones ad populum admittebantur, dudum nulli sunt: cum Muhamedani, caeco, et profundae ignorantiae tenebris circumfuso furore, nugas Alcorani, et infinitas alias traditionibus suis cumulatas adeo infixas animis habeant, ut aliud quidpiam ne audire quidem velint. Quod si Ecclesias ingrediuntur, ut saepe Janissarii, praesertim cum vino incaluere, factitant, turbant omnia: tantum abest ut audiendi verbi Dei curam ullam habeant. Verum maximam pietatem existimant Christianis et illorum Sacramentis illudere et insultare quantum possunt: unde factum, praesertim ubi Turcae dominantur, ut ostia Ecclesiae non Acolythis, Ostiariis aut Lectoribus, ut olim, custodienda committantur, sed conduci infideles milites solent, qui foris stantes, commilitones suos ab inferenda Christianis, Synaxes suas celebrantibus, injuria prohibeant. Proselytos sane ex Muhamedanis ad Christianam fidem profitendam accedentes, vix ullos, Orientales historiae referunt; nulli ab annis multis occurrunt a Missionariis memorati: et sane cavent illi summopere, ne de religione verbum illis faciant. Poenitentes nulli jam sunt proprie loquendo, cum a multis saeculis poenitentia omnis secreta fuerit, atque adeo a communione quidem Sacramentorum prohibeantur, qui illi subjacent, non tamen a precum Ecclesiae communione. Unde quamvis multa ex veteri disciplina ergo illos observentur, suscipiantque impositionem manuum et orationes Sacerdotis aut Episcopi, privatim haec fiunt: in Ecclesia quidem, sed

Euchol. Goar. p. 129.

clausis ostiis, ut explicat singulari de suscipiendis poenitentibus Commentario Dionysius Barsalibi. Antiqui porro moris testem habemus Jacobum Edessenum, qui olim poenitentes sub Episcopi manu transivisse, et suscepta benedictione, Ecclesia egredi jussos fuisse testatur: haec tamen jam suo tempore omnino esse sublata significat, et quamvis aetas illius ob historicorum defectum determinari accurate nequeat, est tamen inter Syros Jacobitas antiquissimus. *P. 202.* Verba illius relata sunt in Commentario ad Liturgiam Copticam Basilii.

P. 10.

Symbolum fidei.

Symboli recitatio.

De eo, et consuetudine illud in Liturgia et aliis Officiis recitandi multa dicta sunt in commentario ad Copticam Liturgiam, quae ad Syrorum disciplinam *P. 198. et seq.* illustrandam aeque pertinent. Eadem enim lex est in omnibus Orientalibus *P. 26.* Ecclesiis, tum recitandi Symbolum Nicaenum inter publica Officia: tum etiam omittendi particulam *Filioque*, cujus causa non modo a Theologis Aegyptiis, Severo, Ebnassalis duobus, Autore scientiae Ecclesiasticae, Abulbircat et multis aliis, sed etiam a Syris, Jsa filio Zaraa, Abulfaragio, Barsalibio, et a Paulo Sidoniensi, Franci accusantur. Nec audiendus Abrahamus Echellensis qui in Notis ad versionem Canonum Arabicorum Nicaeni Concilii, extare illam additionem in quibusdam Collectionibus affirmavit, pugnatque autorum aliquot testimoniis, quo probet doctrinam de processione sancti Spiritus a Patre et Filio, Orientalibus nec incognitam fuisse, nec erroris condemnatam. Sed autores illi ex illorum genere sunt, quos praeter Maronitas nemo novit. Reliqui magno numero, quamvis additio illis non probetur, non tamen Graecorum exemplo adversus Latinos tam acriter invehuntur: nam quaecumque inter utrosque hujus quaestionis occasione transacta sunt, Orientales penitus ignoravere, nec ad se pertinere arbitrati sunt. In Liturgicis, aliisque precibus, ubi de processione Spiritus sancti sermo est, vulgo dicunt, *qui a te Pater procedit, et a Filio tuo accipit,* ut in Scriptura sacra legitur. Aliquando addunt, *accipit ea quae ad illius essentiam pertinent,* quae sententia a Latinorum Theologia non multum abit. Ita Dionysius Barsalibi in sua Liturgia, Mathaeus Pastor in sua: et in ea Xysti idem legitur.

Symbolum porro Nicaenum, ut etiam Apostolicum, Syri non modo Arabica lingua, quae vernacula est, sed Syriaca quam pauci sciunt in privatis precibus recitare solent. In Ecclesia vero, praesertim inter Missarum solennia, non aliter quam Syriace dici solet: ut apud Jacobitas Aegyptios, Coptice. Ita enim praeceptum reperitur in Constitutionibus Patriarchalibus, ut Orationem Dominicam et Symbolum pueri Coptice docerentur. In Libro Ministerii Diaconici Romae edito, Symbolum Nicaenum Syriace et Arabice refertur, verum ut tota orationum series adjunctam similem versionem habet, nec tamen quidquam Arabice canitur aut alta voce pronunciatur, non alium usum habet illa symboli, nisi ut linguae Syriacae parum peritis, subsidio esse possit. Antiquissima

forte omnium quae extant, versio illius Syriaca occurrit in optimo Codice membranaceo Mediceo, a qua reliqua exemplaria vix discrepant.

Quae vero sequuntur in Officio Generali Codicis Colbertini, cum ad finem Liturgiae pertineant, ne eadem repetere necesse sit, ad Liturgiam Jacobi et Xysti explicabimus quibus in variis Codicibus adjungi solent.

Liturgia sive Anaphora sancti Jacobi.

P. 29.

Anaphora proprie loquendo quid sit.

Hoc loco secundum Orientales omnes incipit *Anaphora* sive Liturgia proprie dicta, ut de Latina Missa ab antiquis ejus expositoribus scriptum est, illam a Praefatione incipere: qua de re dictum est in primo Commentario. Sed cum Liturgiae Orientales Osculum pacis ante Praefationem praescribant, incipiunt vulgo ab Oratione quae eidem praemittitur, sequiturque Sacerdotis benedictio super populum, tandem Praefatio. Igitur in Mss. Codicibus Copticis, Syriacis, et cujuscumque linguae, novus titulus apponitur, hoc ipso loco, qui Anaphoram incipere significat: cumque omnes Officium quod praecedit commune habeant, illud quod sequitur, et *Anaphora* proprie vocatur, secundum diversas Liturgias varium est et multiplex, quamvis in ordine et sententiis nulla sit diversitas.

P. 208.

Jacobi Anaphora inter Syriacas praecipua.

Ista quae Jacobi nomen praefert, communis est Syris Melchitis, seu Orthodoxis, et Jacobitis; unde antiquitas ejus ultra schismatum initia promovetur: habetque multa cum Graeca ejusdem nominis communia: qua de re dictum est in Dissertatione praevia. Jacobum Fratrem Domini autorem illius esse, Syri existimant, ex antiqua sua Traditione, cujus fundamentum, ut videtur, aliud non fuit, quam usus illius Liturgiae in Ecclesia Hierosolymitana ab Apostolo fundata. Nam apud alios, ex libro VIII. Constitutionum Apostolicarum, si non nasci, firmari saltem potuit haec vulgaris opinio. At Syri quamvis illas habeant, non eodem tamen ordine, ac in Graecis Codicibus apud illos extant, estque maxima istorum et Orientalium diversitas. Praecipua est, quod liber octavus, in quo continentur prope omnia, quae ad Eucharistiae disciplinam spectant, et quae tanquam Liturgia S. Clementis a nonnullis Theologis habita sunt, desunt in antiquis versionibus Orientalibus. Omnium vetustissima censeri debet Syriaca, facta ex Graecis exemplaribus, cum vulgaris adhuc foret linguae Graecae usus, a viris illius peritissimis, ut pluribus exemplis demonstratur: et in ea totus ille liber deficit. Quod si Liturgiam Syri servant inter alias multiplices suas, quae Apostolorum nomine appellantur, talis enim reperitur in Missali Chaldaico et in Mss. exemplaribus, cum Clementina illa commune nihil habet, praeter formam generalem offerendi sacrificii Eucharistici, quae in reliquis pariter observatur. Idem statuendum de una Syriaca, quae Clementi tribuitur.

Usus illius frequens et eam Commentario explicavit Barsalibi.

Illam igitur quae Jacobo adscribi solet, in quotidiano ministerio Syri frequentant, ex vetusta suarum Ecclesiarum traditione, schisma Jacobitarum multis annis antecedente: cum aliter eam ab Orthodoxis aeque ac haereticis usurpatam fuisse difficile foret. Ad eamdem Commentarium suum accommodavit Dionysius Barsalibi, qui duodecimo vivebat saeculo, cum adhuc Franci in Palaestina regnarent: et si Maronitis credimus, multo antea, sexto videlicet saeculo, simile opus scripserat Joannes Maro, quem tamen praeter eos, Orientalium Autorum, qui Syriace vel Arabice scripserunt, nemo novit. Unde non inanis suspicio est alterius opus illi a Maronitis attributum fuisse. Inde porro manifestum est, communem et celebratissimam Liturgiam, eam esse quae Jacobi dicitur, ad quam reliquae Syriacae, tanquam ad praecipuam referendae sunt: ut generale illud Officium, quo praeparatoria omnia, et ad Gratiarum actionem post communionem pertinentia, non ad eam Xysti cui illa conjungitur in multis exemplaribus Mss. quae reliquis praetulerunt, qui editionem Missalis Chaldaici curaverunt. Ista tamen quamvis censeatur inter reliquas, extetque in antiquis Codicibus, rarioris tamen omnino usus est, et prope nullius; nec a Jacobitis alio, ut videtur, fine composita, ut altera Julii Papae nomine, quam ut in Romanorum veterum Pontificum fide se persistere falso gloriarentur. Illorum quippe, Julii praesertim, falsas Epistolas habent in suis Collectionibus, sententiis aliquot opinioni de una natura suae satis commodis, interspersas, quas inter alia SS. Patrum testimonia allegant Autor *Fidei Patrum*, et multi alii anonymi, praeter insignes Theologos Isa-Ebn-Zaraa, Severum Aschmoninensem, omnesque tandem qui Jacobiticae fidei vindicandae serio incubuerunt.

Syri credunt Jacobum primo Liturgiam scripsisse.

Quod autem praecipua habeatur inter Syros haec Jacobi Liturgia praeter ea quae diximus probat Dionysii Barsalibi testimonium qui initio Commentarii in illam ita loquitur. *Traditur, quod feria III. post descensum Spiritus sancti Jacobus Apostolus Liturgiam celebravit eamdem omnino, quam hic habemus. Cumque rogatus esset, unde accepisset eam, ita respondit. Vivit Dominus, nihil adjeci, aut detraxi ab eo quod audivi a Domino nostro. Ea propter haec Liturgia praecipue eximia est et omnium prima.*

Ut etiam Graeci.

Graecorum quoque communis traditio est Jacobum Liturgiam primum scripsisse, quod probant autoritate Procli, cujus opusculum editum est cum Graecis Liturgiis a Morellio: tum Synodi Trullanae, cujus canon, quamvis a sede Romana probata non fuerit, in Gratiani Decretum relatus est: et in eamdem sententiam posteriores omnes Graeci concesserunt, ut patet ex primo Responso Hieremiae Patriarchae Constantinopolitani ad Wirtenbergenses. Judicium Leonis Allatii de eadem Liturgia longa Dissertatione expositum, et Riveti censuram alibi expendimus.

P. 29.

Oratio ante Osculum pacis.

Secunda Liturgiae pars.

SECUNDA haec est Liturgiae pars, ut notat Barsalibi, cujus verba sunt, *Haec est secunda Liturgiae pars, quae terminatur celebri illa proclamatione,*

Sancta Sanctis. Hae vero et quae sequuntur orationes, recitantur super populum, unde etiam vocantur. *Impositionis manuum, quia antequam pronuncientur, Diaconus dicit:* Inclinate capita vestra coram Domino. *Nec debent ullatenus genua flectere, non quod prostrationem quae coram Domino fit, improbemus: sed quia sacrificium hoc signum est resurrectionis nostrae: ut prostratio ruinae per peccatum nostrae.* Porro Orationes quas designat, tres sunt. Prima est *Osculi pacis*: Secunda, *Impositionis manuum:* Tertia, *Detectionis Sacramentorum.* Ita Jacobus Edessenus. *Tres post Symboli recitationem fiunt Orationes; Pacis, Impositionis manuum, et revelationis Anaphorae, seu veli,* quo discus et calix teguntur: et quae ita appellatur secundum Barsalibium, quia in ejus fine Sacerdos velum illud aufert, quod *Anaphora* Syriace, *Naufir* Arabice vocari, dictum est superius.

Prima Oratio quae incipit, *Domine Deus noster nos quamvis indignos, etc.* expressa est ex ista Graeca. Ὁ πάντων Θεὸς καὶ δεσπότης ἀξίους ἡμᾶς κατέργασαι, τῆς ὥρας ταύτης, τοὺς ἀναξίους, φιλάνθρωπε, ἵνα καθαρεύοντες παντὸς δόλου καὶ πάσης ὑποκρίσεως ἑνωθῶμεν ἀλλήλοις τῷ τῆς εἰρήνης, καὶ τῆς ἀγάπης συνδεσμῷ, etc. Ejusdem sententiae sunt reliquae omnes formulae Syriacae, similis orationis.

Diaconus: Stemus decenter, etc. *Ib.*

Fᴏʀᴍᴜʟᴀ antiquissima et ubique recepta in Officiis Liturgicis Στῶμεν καλῶς, στῶμεν εὐλαβῶς, στῶμεν μετὰ φόβου θεοῦ καὶ κατανύξεως. *Stemus pulcre,* sive *decenter, stemus pie, stemus cum timore Dei et compunctione.* Ita habetur in Graecis omnibus: et in Copticis Graece pronunciatur, quod apud Syros quoque observatum fuit, ex antiquitatis reverentia. Nam in Rituali quod Boderianus edidit, in aliquot Liturgiis, in Officiis Ordinationum, et apud Barsalibi occurrit ista formula Graecis verbis, literis Syriacis, quam interpres non intellexit: similiter saepius reperitur in Pontificalibus Syriacis Jacobitarum. Habet autem significationem simplicem et literalem secundum Barsalibium, cujus verba superius relata sunt. Consuetudo quippe vetustissima est, ut ad Liturgiam et omnia sacra Officia Christiani stent. Aliquando sedent, maxime in Ecclesia Alexandrina, unde fit ut frequenter in Copticis Officiis occurrat haec formula, quae, ut aliae prope omnes, Graece dicitur, Οἱ καθημένοι ἀνάστητε. *Qui sedetis surgite.* In quibusdam tamen Ecclesiis nunquam sedetur, sed qui Officiis sacris intersunt, scipiones habent quibus innituntur, cum nimium stando defatigati sunt, quod Maronitis familiare est: ad alios an pertineat, ignoramus. Praefatus porro Graece Diaconus Στῶμεν καλῶς, subjungit hanc exhortationem, quam ut lectoribus integra constaret Officii ratio, ex libro Ministerii Diaconici transtulimus. Illa vero laudes Dei ob beneficia ejus erga humanum genus complectitur, et gratiarum actionem de fundatione Ecclesiae per Christum: unoque tenore confessionem fidei de veritate corporis et sanguinis ejus in Eucharistia, ubique ferme te-

Diaconi prima hortatio ad standum et orandum.

statam faciunt. Praeparant nempe suorum mentes ad summam mysterii, cujus sacra Actio jamjam inchoanda est, reverentiam, denunciando per Diaconi vocem, futurum mox in altari corpus et sanguinem Christi. Porro cum adhibeant propria Chrysostomi aliorumque Ecclesiae luminum, inculcata saepius ad populum verba, dum illa in contrariam plane sententiam, Albertino interprete Protestantes avertunt, plaudunt frustra ipsi sibi. Nam si veterum verba satis ex se perspicua, commentariis suis obscura faciunt; at ea quae inter Officia sacra pronunciantur ad plebem, ritibus ita determinantur, ut in aliam omnino, diversam ab ea quam ipsa verba offerunt significationem, detorqueri nequeant. Quod enim initio sacrae Actionis annunciant Diaconi, quasi futurum paulo post; idem qua hora perficitur, in memoriam revocant, per similes proclamationes, tempore consecrationis inchoandae et consummatae per verba Christi et Invocationem Spiritus sancti: factum esse testantur similiter ante communionem, populusque approbat dicendo *Amen*. Nec in eo consistit Orientalium religio, cum praeterea fidei Confessio ante Sacramenti perceptionem publice fiat, ut in Commentario ad primam Liturgiam expositum est.

Brevior multo est in Liturgia Graeca haec Diaconi Oratio, si tamen extat integra in vulgatis Codicibus: manuscripti enim rarissimi sunt, quia a sexcentis annis illa usurpari apud Orthodoxos Hierosolymitanos desiit. Fieri autem potuit, ut initium tantummodo assignaretur, id quippe multis aliis in locis usu venit. Addere quoque nonnulla Syri potuere: quod saepe factum est: sed additamenta illa plurium saeculorum aetatem ferunt: nec quidquam, quod alibi saepe repetitum non occurrat, continent, omnique adeo novitatis suspicione liberantur.

Quod legitur in fine *vasa sacra offeruntur, etc.* nos non satis intelligere ingenue fatemur, sed non alicujus esse momenti certissimum est.

Omnes porro orationes illae praeviae, desumptae sunt ex Jacobi Graeca Liturgia, quamvis in ea non eodem prorsus ordine dispositae: et totidem prope verbis leguntur in Coptica, Graecis Alexandrinis, et omnibus prope aliis, quia scilicet spiritus Ecclesiae loquitur in illis, et linguis omnium gentium.

P. 30. l. 10.

Date pacem, etc.

Osculum pacis.

Osculum pacis apud Syros, *Pax* vocatur simpliciter, qui usus quoque vulgaris apud nos, ut etiam cum Arabice scribunt. Observatur eadem Osculi sancti disciplina apud Ecclesias omnes Orientales, cujuscumque linguae, absque ullo discrimine. Canones qui de illa extant ex veteribus Conciliis, leguntur similiter in omnibus Collectionibus, et in Syriaca prae reliquis antiquissima: observaturque praesertim, ut viri viros osculentur; mulieres, sui sexus alias. Sacerdos sacra celebrans, cum pax danda est, osculatur primo altare, et ut Orientalium consuetudo est, tribus in locis, *ad captandam*, ut aiunt, *a mensa vitae benedictionem*. Tum dat osculum Sacerdoti ministranti, si quis est, aut

aliis dignioribus, qui se invicem osculantur: mox Diaconum, qui reliquis Ordinis Ecclesiastici dat pacem, a quibus Laïci illam accipiunt. Causam et significationes illius instituti explicat Dionysius Barsalibi in Commentario, ut alii Rituum Expositores, quorum eadem est cum Graecis et Latinis sententia; scilicet ut excludatur odium adversus fratres, *μνησικακία* sive injuriarum memoria, hypocrisis, qualis Judae Christum osculo prodentis fuit, et similes affectus, qui cum Christiana caritate subsistere non possunt.

Caritas Dei Patris, etc.

Ib. l. 23.

Benedictio prima per orationem Caritas Patris etc.

Solennis est haec apud Orientales benedictio, cujus antiquitatem in Liturgia Syriaca, confirmat Syrus Theodoretus in Epistola ad Joannem Oeconomum, dicens simul: *illam esse divinae Liturgiae Prooemium.* In Graeca Jacobi. *Ἡ ἀγάπη τοῦ κυρίου καὶ πατρός, ἡ χάρις τοῦ υἱοῦ καὶ Θεοῦ, καὶ ἡ κοινωνία καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος εἴη μετὰ πάντων ἡμῶν. Caritas Domini et patris, Gratia filii et Dei, et communicatio donumque Spiritus sancti sit cum omnibus nobis.* In Codice Florentino ita legitur haec formula. *Caritas Dei et Patris: et gratia unigeniti filii Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, et communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus vobis.* Respondet populus, *Et cum Spiritu tuo.* Ad hunc locum ita scribit Barsalibi. *Cum dicit Sacerdos*, Caritas Patris, *significat quod Deus ex puro amore, filium suum pro nobis morti tradiderit, ut ait Paulus.* Gratia unigeniti Filii, *significat quod ipse filius, gratia sua et voluntate, gustavit mortem pro omnibus hominibus, eademque gratia fecit nos esse filios Patris sui. Ista autem* communicatio et illapsus Spiritus sancti, *designat quod per illapsum Spiritus sancti perficiuntur sacrificia, et oblationes suscipiuntur.* Itaque ex istis illius verbis apparet, legisse illum haec verba, aliter quam in multis codicibus leguntur. In Jacobi Liturgia breviori, quam ordinavit Gregorius Catholicus, observari non potest si qua fuerit lectionis diversitas, cum prima tantum vox *Caritas,* adscribatur, quod videmus quoque factum in Syriacis Liturgiis prope omnibus.

In Liturgia Nestorii, quae tertia est earum quibus Nestoriani utuntur, haec benedictio his verbis concepta est. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei Patris, et communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus, nunc et semper et in saecula saeculorum.* Respondeturque. *Amen.* Eodem modo legitur in Liturgiis Graecis Basilii et Chrysostomi: atque id factum esse verisimile est, quia Constantinopoli usurpatam Liturgiam, multis in locis secuti sunt discipuli Nestorii, qui Cathedram illam tenuerat. Discrimen porro non videtur momenti alicujus, nec in ipsa forma, nec in responsione *τοῦ Amen* quae Nestorianis propria est. Graeci enim et Coptitae dicunt. *Et cum spiritu tuo.* Responderi *Amen,* non probat Barsalibi, *praesertim,* inquit, *si ad singulas partes interponatur, ut alicubi fieri solebat.* Addit esse aliquos Sacerdotes qui adjiciant haec verba, *Unigeniti filii Dei magni, et Salvatoris*

nostri Jesu Christi, quae reprehendenda non videntur: praestare tamen ut antiqua lectio observetur, qualem eam exhibent Jacobus Edessenus, Moses Mosulensis, et optimi codices. Monet idem Barsalibi Sacerdotem cum hanc benedictionem pronunciat, populum ter cruce signare, quod in aliis quoque Ecclesiis observatur.

Ib. l. 26.

Sursum corda, etc.

Sursum corda.

Ista formula omnibus toto orbe Ecclesiis communis est, et semper fuit, ut testimonia plurima sanctorum Patrum palam faciunt, quae a viris doctissimis dudum annotata sunt. In Syriacis codicibus integra legitur sicut in aliis Liturgiis: in Graeca haec tantum *Ἄνω σχῶμεν τὸν νοῦν καὶ τὰς καρδίας. Ἄξιον καὶ δίκαιον. Sursum habeamus mentem et corda. Dignum et justum est.* Defectum esse in Graeco Codice, suspicio vehemens est, cum omnes alii in communem lectionem consentiant: Singulare est, quod partes illius formulae, Nestoriani per paraphrasin aliquibus vocibus auxerunt, contra reliquorum Christianorum consuetudinem: quamvis simile quidpiam occurrit in paucis Syriacis Liturgiis.

Ib. l. 29.

Dignum et justum est.

Praefatio.

Haec oratio respondet Praefationi nostrae, quae ut olim multas diversasque formas habuit, ita quoque Orientales, maxime vero in Syriacis Liturgiis. Singulae quippe proprias habent, quarum aliquae breviores sunt: prolixiores aliae. Omnium tamen una est sententia, nempe ut laudetur Deus ab infinitis suis in humanum genus beneficiis, creatione, conservatione post Adami peccatum, institutione per Legem et Prophetas: missione filii ad salutem totius mundi, ejusdem in terris dispensatione, passione, morte, resurrectione, praedicatione Evangelii per Apostolos, et Ecclesiae fundatione. Unde laudatur ab Angelis est coelesti omni militia, qua occasione saepe de illis multa dicuntur, terminaturque Oratio per hymnum triumphalem, *Sanctus.* Talis est Praefationum omnium Graecarum et Orientalium dispositio, absque ullo, praeterquam ex verborum copia, discrimine, et quod omnes gratiarum actionem continent, et in hymnum triumphalem desinunt, Latinis ea in parte similes sunt. At istorum alia omnino ratio est. Patet enim ex ipso Missali veteri Gregoriano, singulares Praefationes, non modo festis praecipuis, tum memoriis sanctorum celebrandis, sed Dominicis singulis, aliisque diebus fuisse destinatas, in quibus de mysteriis ipsis, quae ritu solenni recolebantur, ut etiam de sanctorum actis nonnulla inserebantur, adeo ut quotidiana prope foret Praefationum mutatio. Tales quoque exhibet liber Sacramentorum antiquus Romanae Ecclesiae a Cardinale Thomasio editus, Gothicum Missale ab eodem publicatum, similes etiam et magis prolixas habet sub hoc titulo: *Im-*

P. 263. 267. 270. 274. 276. 279.

molatio Missae. Prima est ad Vigiliam Natalis Domini: altera in ipsa die: una de sancto Stephano, quae vocantur *Contestatio Missae:* aliae in Missa SS. Apostolorum Jacobi et Joannis, SS. Infantum: Circumcisionis, et plures aliae. Pares repraesentat Missale Francorum simul editum, ut et Gallicanum vetustissimum, ubi *Contestatio* quoque et *Immolatio* appellantur. In illis enim Officiis, Praefatio aliud omnino significat, nempe Orationem quae aliis praemitti solet: qua significatione ita apud nos appellatur ea, quae incipit *Vere dignum et justum est.* Ita quoque, ut alibi monuimus, illae quae vocantur apud Syros *Prooemia,* cum Praefatione commune nihil habent. Ex hac igitur comparatione satis intelligi potest innoxia orationum diversitas inter Orientales et Occidentales: ut etiam inter Graecas et inter varias ejusdem ritus et Ecclesiae, neque novitatis, neque suppositionis dare indicium: cum in ipsa Latina insignis illarum diversitas, nullam aliquando vel levissimae contentionis causam praebuerit. *P. 418. 419.* *P. 434. 438. 439.*

Ut autem conjungatur oratio cum hymno triumphali, quem Seraphim canebant alter ad alterum, de Angelis saepe multa paraphrastice adjiciuntur, ita tamen ut a vulgari novem Ordinum coelestis exercitus, Theologia non recedatur. Illam enim Jacobitae didicerunt ex Dionysio adscriptis libris, quos non modo legitimos arbitrantur, quae omnium Theologorum ante proxime elapsum saeculum communis opinio fuit: sed primi in Disputatione adversus Orthodoxos anno DXXXIV. Constantinopoli habita, ad testimonium protulerunt. Jam dudum porro de illis consentiunt Graeci, Syrique, Orthodoxi, Nestoriani et Jacobitae. In aliis tamen locis aliquando loquuntur aliter, et passim *Vigilum* Angelorum, de quorum uno Daniel locutus est, ordinem statuunt. De illis erudite nonnulla observavit V. C. Joannes Morinus notis in Ordinationes Syrorum, et nos alia quaedam de Angelis, Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam. In Praefatione multa inseruntur de Angelis.

Hoc est corpus meum, etc. *P. 31. l. 32.*

Quae praecesserunt explicatione non indigent, cum hymno triumphali quem populus canit, dicto, Sacerdos secreto, primam orationem pronunciet: tum alteram, in qua commemorat Christi beneficia et salutarem ejus dispensationem, tandemque ubi pervenit ad memoriam faciendam institutae Eucharistiae, elevat vocem, ita ut populus audiat sacra verba, quibus fides ejus excitetur. Ritus pronunciationis verborum Christi Sacramentalium.

In Ritu Alexandrino interjiciuntur acclamationes et professiones fidei de hoc mysterio, sive per *Amen,* sive per explicatiorem confessionem, de quibus dictum est in notis ad illum locum. In Graeco, praesertim recentiori, qualis viget ab annis plusquam sexcentis: caeremoniae aliquot adjiciuntur, pietatem sane et fidem de veritate corporis et sanguinis Christi in Sacramento significantes, sed quae antiquitus observatae fuisse non videntur: de quibus accurate Goarius. *Asterem,* nempe sive Asteriscum qui disco imponitur elevat Sacerdos, *Euchol. p. 136.*

Diaconus ῥιπίδιον sive flabellum movet super sacram mensam, et discum Sacerdoti, manu porrecta designat. Haec et similia, non occurrunt in Syrorum Liturgiis, et maxima est, vetustatique proxima haec disciplinae simplicitas. Asterem non habent: quanquam in Monte Libano usum illius fuisse testetur Dandinus: sed in Codicibus nostris plurimis ne quidem nomen ejus occurrit: Ῥιπίδια seu *flabella* apud eos in usu esse testantur picturae Codicis Florentini, quae Ordinationes repraesentant: an vero ad Liturgiam usurpata fuerint, non liquet.

Sacerdos igitur post pronunciatam secreto primam orationem, quae incipit, *Sanctus es vere*, elevans vocem dicit. *Cum ergo susceptūrus esset mortem, etc.* quae respondent nostro *Qui pridie quam pateretur;* pronunciat eodem tono verba Christi sacramentalia: simulque accipiens Oblatam in manibus, eam ter cruce signat, ad haec verba *benedixit, sanctificavit, fregit,* ut Alexandrini et Nestoriani Rituales praescribunt: cum Graeci benedicant ter, sed antequam pronuncientur verba Evangelica.

Forma verborum mutata in Missali edito. Observandum porro est in Missali Chaldaico Romae edito, formam verborum illorum penitus immutatam, eo consilio ut Latinae responderet, quod tamen ab illis qui editioni praefuerunt praestitum non fuit. Nam verba Syriaca ab illis substituta eorum loco, quae leguntur in Mss. exemplaribus, significant. *Hoc est autem corpus meum:* cum particula *enim,* si illam necessariam existimabant, supprimenda non fuerit, et γὰρ Graecum in Syriacam linguam migraverit. Immutationem porro istam nullo Ecclesiae judicio nullo Romanorum Pontificum decreto factam esse constat, sed privatorum hominum opinionibus, qui eamdem in Codices Graecos aliquot, ut Cryptaferratensem Goario teste, induxerunt. At Syriaci Codices omnes eam formam repraesentant, quae Graecis Jacobi, Marci, Basilii, aut Chrysostomi Liturgiis proxima est, licet insit quaedam lectionis varietas. Vetus Codex, quem interpretando secuti sumus, ita habet. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur in remissionem peccatorum et vitam aeternam.* Ita Codex Florentinus, et alii plerique. Extat in Colbertina Bibliotheca Codex antiquus in membrana scriptus, in quo verba Christi ita referuntur. *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, vos autem et multos fideles praeparat ad vitam aeternam.* Sed quantacumque sit codicis illius autoritas, aliorum longe potior est, cum Graecam formulam accuratius exprimant τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, καὶ διδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Quod pro vobis frangitur, et datur in remissionem peccatorum.* Et sane vix ulla Liturgia est, cujuscumque ritus Graeci vel Orientalis, quae κλώμενον istud non habeat, quod, ut interpretes illarum loquuntur, κλάσις illa, seu *fractio*, panis Eucharistici, corporis veri in quo Christus passus est, cruciatus, per flagella et crucem significat, veramque de Eucharistia fidem exprimit accuratius; nempe panem quem frangimus, communicationem corporis Christi esse, ut Paulus Apostolus loquitur, hoc est ut ubique profitentur, ipsum illius corpus natum ex Maria Virgine, in quo passus est. Illius enim lectionis ad confirmandam Orthodoxam de Eucharistia fidem vis eadem est, ac illius quam vexare Beza aggressus est, in Notis ad Evan-

gelii Lucae cap. 22. v. 20. *τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Hic calix novum testamentum est, in meo sanguine; qui* (calix) *pro nobis effunditur in remissionem peccatorum.* Ea verba ad calicem referri manifestum est, neque id negare Beza potuit, sed soloecophanes vult esse, ut ad sanguinem referatur, aut emendari sacrum Codicem, contra exemplarium omnium fidem: tanta est scripturariorum illorum religio. At vero, ut de Latinis Graecisque Theologis taceamus, qui haec verba ad calicem referunt, Orientales rituum Interpretes, effusionem calicis, qua adumbretur et repraesentetur quodammodo effusio sanguinis Christi, significari testantur. Unde monent Gabriel Alexandrinus Patriarcha et alii, ut *eo loco Sacerdos calicem leviter inclinet, ad effusionem sanguinis Christi significandam.* Itaque ex illorum sententia, corpus Christi quod in Sacramento frangitur, est panis, mox futurus corpus Christi: Sanguis novi Testamenti qui effunditur, vinum est calici infusum, mox convertendum in sanguinem Christi. Qui igitur verba ista *τὸ ὑπὲρ ἡμῶν κλώμενον*, aut ut aliis in Liturgiis habetur *θρυπτόμενον*, tollenda sunt arbitrati, non modo hodiernos Christianos Orientales, sed totam Ecclesiam Orientalem et Occidentalem condemnant, quae illis usa est, autore Paulo Apostolo qui eadem refert, et Corinthiis inculcat. Nam qui ea forma verborum non utebantur Latini, Graecis crimen non impegerunt, etiam cum nihil prope in disciplina eorum, rigidi censores intactum praeterirent.

Forma benedicendi calicis.

Sequitur forma benedicendi calicis, quam similiter immutavit editio Romana Missalis Chaldaici, ut Latinae formulae syllabatim responderet, adjectis illis verbis, *Mysterium fidei,* quae non modo in Graecis aut Orientalibus ullis Liturgiis non habentur, sed neque in Missa Mosarabica et Ambrosiana. Lectio quam expressimus confirmatur autoritate Mss. Codicum qui illud *ἔδωκεν ἡμῖν τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς. Dedit nobis discipulis suis,* quod legitur in Graeco textu, non agnoscunt. Verba autem illa, ad majorem Liturgiae Hierosolymitanae dignitatem comparandam, ex Constitutionibus Clementinis translata esse verisimile videtur; factumque id serius intelligitur, cum Syriaci Codices simile nihil contineant.

Codices Aegyptiaci, quod alibi notatum est, ut etiam Nestoriani adjiciunt *Gustavit:* et quamvis Syri Jacobitae in suis, vulgo illa verba non agnoscant, nec enim extant nisi in Liturgia Dioscori Gordiaeensis, et paucis aliis, tamen Christum edisse et bibisse ex corpore et sanguine suo affirmant Orientales. Videnda quae retulimus ex Barsalibio et aliis, Commentario ad Basilii Liturgiam. *P. 215.*

Verba Christi sacramentalia, uno tenore pronuntiantur a Sacerdote celebrante, nec in antiquis Codicibus aut recentioribus bonae notae, diffinditur illorum recitatio per *Amen,* aut per Confessionem fidei, sicut in Copticis Liturgiis. Tantum post ultima quae super calicem dicenda sunt, populus dicit *Amen*, ut in Graeca Liturgia Jacobi, et aliis ejusdem linguae.

Elevatio hoc loco non fit in Oriente.

Elevationis Eucharistiae hoc loco mentio nulla est, cum ritu Orientali non fiat, nisi cum dicitur, *Sancta sanctis*, paulo ante Communionem, ut ob-

Rer. Lit. l. 2. c. 13. servatum recte a doctissimo Cardinale Bona: neque quidquam circa hanc disciplinam mutatum est in Romana editione. Si quis incidat in aliquot recentissimos Codices, quales nonnullos vidimus in quibus elevatio Eucharistiae verbis Christi subjiciatur, sciat interpolatos illos fuisse ab Orientalibus, praesertim advenis, dum Orthodoxi haberi volunt, quamvis errores suos plerumque retineant: aut si ex animo illos deposuerint, cum imperitissimi sint, ex aliqua vulgaris Theologiae scintilla, libros suos reformare aggrediuntur, temere prorsus et imperite. Ita unum vidimus quem Sacerdos quidam Mesopotamenus, qui ante biennium Lutetiae diem suum obiit, descripserat, quasi formam Syrorum Liturgiae contineret: cui addiderat ex Missali Romano multa, atque inter alia, elevationem Eucharistiae post pronunciata Christi verba, quae in Syria et toto Oriente locum alium habet. Itaque nulla fides adhibenda est ejusmodi libris, nisi aliunde constet illorum autoritas: et facile dignoscuntur.

De quibusdam Liturgiis quae hoc loco depravatae sunt.

Verum majoris omnino momenti quaestio se offert, eo magis tractanda, quod ad Syros proprie, eosque Jacobitas, non ad alios pertinet. Omnes siquidem Liturgiae Latinae, Graecae, tam Constantinopolitani ritus quam Alexandrini; Syriacae Orthodoxorum, Nestorianorum, et Jacobitarum, Aethiopicae, Armenicae, verba Christi, *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei* repraesentant, quia scilicet, ut loquuntur, illorum Theologi, Sacerdotes pronunciare debent ea verba quae Christus pronunciavit, et illis fundata est Eucharistiae certa fides. Laudant quoque celebre Joannis Chrysostomi testimonium de verborum illorum efficacia, et ut alibi fusius probavimus, praecipuam consecrandi vim in illis agnoscunt. Occurrunt tamen in Mss. Codicibus Liturgiae aliquot, in quibus desiderantur. Prima est quae Petri Principis Apostolorum dicitur, quo titulo extat una in Missali Chaldaico, sed cum insigni diversitate. Ea autem verba ita habent Mss. Codices. *Cum vellet porro gustare mortem pro nobis, et Pascha inter vesperas celebrare, accepit panem super manus suas, benedixit, sanctificavit, fregit, deditque turbae Apostolorum sanctorum, et dixit:* accipite, manducate, in remissionem peccatorum, et vitam aeternam Amen. *Similiter calicem miscens vino et aqua, benedixit, sanctificavit, et dixit eis:* Accipite, bibite ex eo vos omnes ad veniam delictorum, et vitam aeternam Amen. Longius multo a vera lectione absunt aliae duae Liturgiae, quarum una Xysti Papae dicitur: altera Dionysii Metropolitae Amideni, illius qui cognominatus est Barsalibi, cujus saepe testimoniis utimur. In illa scilicet ita legitur. *Cum vero Passioni proximus esset, in pane, qui ab ipso benedictus, sanctificatus, fractus et divisus Apostolis sanctis fuit, corpus suum vivificum dedit nobis ad vitam aeternam. Amen. Similiter et in calice, qui ab illo signatus, benedictus, et datus Apostolis sanctis fuit, sanguinem suum propitiatorium dedit nobis ad vitam aeternam. Amen.* In ista Barsalibio inscripta. *Et cum ad Passionem se praeparet, panem quem accepit in manus suas, benedixit, sanctificavit, fregit, et corpus suum sanctum vocavit, ad vitam aeternam suscipientium.* Amen. *Et calicem cum miscuisset; sanguinem suum pretiosum perfecit, ad vitam aeternam.* Amen.

Habuerat a Fausto Nairono Ricardus Simon, excerpta istarum Liturgiarum, et illarum mentionem fecit in Notis ad Itinerarium Montis Libani a se Gallice conversum. Nodum vero qui sane intricatus est, non tam solvit, quam scidit in hunc modum. Orientales in eadem cum Graecis recentioribus opinione esse supponit, circa consecrationis formam, cujus, inquit, effectum non tam verbis dominicis, quam Invocationi sancti Spiritus, Graeci tribuunt. Inde factum suspicatur, ut verba quae ad efficiendam consecrationem existimarent non esse necessaria, praetermitterent: atque novum inde argumentum nasci judicat de solius Invocationis Spiritus sancti ad consecrandum efficacia. Verum in dubiis, qualis sane illa quaestio est, maximo testium inter se consentientium numero, fidem potiorem, quam duobus aut tribus adhibendam, juris certa regula est. Omnes porro Graecae Liturgiae, non minus quam Latinae; Coptitarum sex, Aethiopum duodecim, Nestorianorum tres, Syrorum plusquam triginta, verba Christi integra repraesentant: ex illis igitur, non ex tribus singularibus, quarum usus rarissimus est, vera lectio peti debet. Opinio R. Simonis.

Itaque non temere, sed maximis rationum momentis affirmare non dubitamus, tres illas Liturgias corruptas esse, non tam certo consilio, quam librariorum culpa, cujus conjecturae rationes multae sunt, haud equidem contemnendae. Statim vero neminem non moveat reliquorum omnium Codicum contra novitatem illam consensus, quae sane si in opinione illa, quam depravatae lectionis fontem esse existimat, fundata fuisset, reperiretur in aliquibus aliis, qui tamen vetusti non fuissent, quandoquidem illa circa consecrationis verba, contentio, saeculo decimo quarto et decimo quinto non est antiquior. Neque Jacobitae Syri a Graecis imbibere illam potuerunt, cum quibus nulla a Calchedonensis Concilii tempore habuerunt commercia. Natam vero in Jacobiticae Ecclesiae Syriacae sinu, suspicari, id quidem divinare est, cum ne obscurum quidem innovationis in ea parte doctrinae, appareat vestigium. Refellitur ex aliis Liturgiis.

Quod autem supponit autor idem, Graecos verba Christi ad consecrationem necessaria non existimare, ab eo vehementissime dissentient, quicumque Cabasilae Expositionem Liturgiae, aut Marci Ephesii opusculum legerunt, cujus solo titulo conjectura ejus evertitur. Is enim est, quod *non solis verbis dominicis Eucharistia consecratur*. Qui vero id affirmat, verba Christi necessaria esse non negat: neque inter Graecos recentiores qui simile quidquam scripserit, ullus reperietur. Imo contrariam prorsus opinionem tuetur Gregorius Protosyncellus in Epitome mysteriorum Graeco-Barbara, quam duce et magistro Georgio Coressio composuit, et Venetiis edendam curavit. Plura de ea quaestione non dicentur, quod alibi fusius a nobis exposita sit. Bessarion, Joannes de Turrecremata, et alii similes, Graecis haec affingere potuerunt, sed per summam calumniam. Graeci non existimant verba Christi non esse necessaria.

Itaque frustra inde quaeritur origo absurdissimae novitatis, quae tamen si vere apud Graecos ortum habuisset, qua ratione tandem ad paucos, non ad omnes Jacobitas pervenisset, quos peste qua non laborabant, Graeci afflare non poterant, qui nullam cum illis haberent communionem? Gratis igitur haec dicta sunt, absque ulla Orientalium de quorum rebus agitur autoritate, Multo minus Jacobitae.

cum praesertim omnes veritatem fidei de Eucharistia, fundatam in verbis Christi esse testentur, atque inter alios praecipuus Dionysius Barsalibi. Illius verba haec sunt, in Commentario ad istum Liturgiae locum. *Hic recitat Sacerdos narrationem mysticam, agitque memoriam sacrificii illius, quod sacerdotaliter perfecit Dominus noster in coenaculo, vespera qua traditurus erat se ipsum pro nobis. Postquam enim Pascha legale perfecisset, Episcopi officio functus est, ministeriumque hoc Apostolis suis commendavit. Accipiens nempe panem in manus suas sanctas, significavit se ipsum esse qui assumpsit carnem animatam ex Maria Virgine. Cum autem benedixit, significavit se abstulisse maledictionem transgressionis praecepti, a nostro genere. Cum deinde fregit, in mysterio significavit nobis passionem suam, crucifixionem, et occisionem suam, transfixionem lancea: denique mortem suam. Cum fregit, signum fuit quod seipsum immolavit et divisit: quodque ab eo fluxit peccatorum remissio. Et dedit illis, qua ratione significavit ab eo illud donum esse. Tum Sacerdos ter cruce oblatam signat, cum dicit,* Gratias egit, *quod etiam facit deinde ad calicem, dicitque verba ipsa quae dixit Dominus noster in coenaculo, cum illud mysterium perficeret, ut notum faciat, illum ipsum* (Christum) *esse, qui fruges nunc in altari positas, sanctificat per voluntatem Patris sui, et operationem Spiritus sancti: per Sacerdotem qui cruces format, et verba pronunciat. Nec enim qui ministrat, sed qui invocatur, ipse est qui sanctificat.* Hoc testimonio certissime demonstratur, Barsalibium de necessitate verborum Christi non aliter sensisse, quam alios omnes Theologos, atque adeo ipsum eadem tanquam inutilia in Liturgia sua suppressisse, nemo facile existimabit. Ejus tamen nomen praefert una ex interpolatis illis Liturgiis.

Defectus ex librariorum negligentia est.

Ita igitur statuendum videtur, defectum qui in illis observatur librariorum potius vitio, quam per aliam causam irrepsisse. Sunt enim codices multi qui formulas compendiose contrahant, et magnam illarum partem omittant, quae aliunde petenda sunt. In prima igitur, quae Petri dicitur, minimum difficultatis est: nam, *Accipite, manducate,* primas formulae voces repraesentat: jungantur quae sequi solent: *Hoc est enim corpus meum quod pro vobis frangitur et pro multis datur,* quae sequuntur verba, *in remissionem peccatorum*, perfectam et reliquis conformem sententiam efficiunt. Ita quoque in calicis benedicendi formula observari potest. Locus ergo vacuus, cum sequenti male conjunctus fuit: fortasse ut minio scriberetur, quanquam hoc in vetustis exemplaribus rarum sit: aut verba ex religione, sed non secundum scientiam praetermissa, librariis errandi occasionem obtulerunt.

In quibusdam tamen omissa videntur verba ex certo proposito.

In duabus alteris plus obscuritatis est: neque tamen illis accommodari non potest superior observatio. Sunt enim Liturgiae aliquot quae particulam ex Evangeliis, quam *mysticam narrationem* vocat Barsalibi, pluribus verbis amplificant, quod in duabus istis factum est. Nihilo minus tamen Christi sacramentalia verba referunt, aut supplentur a Sacerdotibus. De illis igitur quarum autoritas reliquarum autoritati comparari non potest, nec debet, haec maxime verisimilis conjectura est, cum in summa ignorantia contingere postmodum facile fuerit, ut eam partem tanquam integram librarii describerent,

et Sacerdotes aeque imperiti, illis codicibus uterentur. Testatur enim Dandinus quosdam Missales libros a se repertos cum ejusmodi vitio, qua occasione Interpres notas adjecit in quibus excerpta ex tribus illis Liturgiis inseruit. At Maronitarum libri illi non erant, sed Jacobitarum, ut alibi monuimus. *Voyage du Mont Liban, p. 140. pag. 340.*

Quod vero idem adjunxit conjectatum fuisse Naironum Liturgias illas *τῶν προηγιασμένων*, sive *Praesanctificatorum* esse, merito id improbavit, quamvis Liturgias ipsas non vidisset. Nos qui illarum exemplaria plura vidimus, certo affirmare possumus, nihil hac conjectura esse inanius. Nam tota Officii Eucharistici series, vel *ἀκολουθία* ut eam quoque Syri vocant, nempe ab osculo pacis usque ad communionem, illis Liturgiis continetur. Sed Naironus talis non erat, ut istarum rerum idoneus judex haberi posset. Neque magis vera commentatoris opinio, dum interpolationem illam referri voluit ad doctrinam Orientalibus incognitam, nisi eruditulis illis qui eam in Latinis Theologiae subselliis didicerunt. Id etiam obiter notabimus: quamvis in Oriente Praesanctificatorum Missa celebretur Graeco more, atque ita frequentius longe quam in Latina Ecclesia, ubi usus illius semel tantum fit in anno, Feria VI. majoris hebdomadae, singulare tamen illius Officium a nobis huc usque, nec in Syrorum, nec in Coptitarum codicibus repertum est. In Graeca quidem Alexandrina Basilii, occurrit oratio quae ex titulo dicitur excerpta *ex Missa Praesanctificatorum D. Marci*. Illa tamen Missa non reperitur in Codice Regio Graeco-Arabico, nec in Copticis: apud Syros in tanto Liturgiarum numero nulla similis. Naironi conjectura refellitur.

Tandem ut huic nostrae Observationi finis imponatur, quod affirmat idem Autor, Liturgiam Orientalem esse nullam, quae Invocationem Spiritus sancti subjunctam verbis Dominicis non habeat, haud plane verum est. Nam Nestorianorum primaria, quae sanctorum Apostolorum dicitur, illam non habet, sed similem, ante quam sacra verba pronuncientur. Quod etiam illa per narrationis modum *διηγηματικῶς*, ut Graeci dicunt pronuncientur, non idcirco Graeci, multo minus Syri, et alii Orientales virtute consecrandi elementa panis et vini illa spoliant, ut Autori judicatum est. Quippe sacram orationem sive praecipuam illam Liturgiae partem, ita dividunt, ut altera sit *διηγηματική*, *narratio*, scilicet, *Evangelica*, ut loquitur Barsalibi; altera *ἐνεργητικὴ* seu efficax aut *τελεστικὴ* sive consecratoria, quam dotem et vim prior non habeat. Verum id volunt Graeci, etiam Latinis hac in quaestione oppositi, necessariam esse narrationem ex Evangelio, eorum quae Christus in ultima Coena Eucharistiam instituens fecit et dixit, ita ut ipsa verba ab eo pronunciata, Sacerdos pronunciet, qua ratione facit quod Christus fecit, verba profert, quae ipse protulit. Illo sensu *διήγησις* sive narratio est, cum res tunc gesta, non aliter quam narratione explicari possit. Cum vero a Sacerdote sacra celebrante, et personam Christi sustinente, ut passim loquuntur, necessario dicenda sint eadem verba, quod omnium Liturgiarum et Theologorum testimoniis manifestum est, inutilia ipsis videri non possunt: itaque vim efficacem in illis agnoscunt, quae nulla est, nisi ad consecrationem pertineat. *P. 316.*

An vero inchoata illa sit, et Invocationem desideret, Orientalibus nunquam talis disquisitio in mentem venit: neque de illa olim, aut post Florentinum Concilium, quidquam audierunt, nam ad eos non pertinebat. Ipsi Graeci, si illos potius audiamus, quam illorum accusatores, non tam Orthodoxam de verbis consecratoriis doctrinam impugnabant, quam quorumdam Theologorum Latinorum sententias duas. Una erat, quod solis istis verbis *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* consecratio ita perficeretur, ut a quocumque Sacerdote prolata, effectum haberent, etiam extra Liturgiam: altera quod preces Ecclesiae quibus illa constat, piae quidem forent, sed nihil ad consecrationem conferrent. Haec Graeci traditionis et autoritatis veterum Patrum observantissimi, admittere recusabant: Syri et alii ignorabant, et ignorant etiamnum, neque impingenda illis erant, quae nunquam cogitaverunt. Satius omnino Dandini interpres conjecturae nostrae quam obiter tangit, animum adjiciendo, omissionem librariorum culpa factam agnovisset, sed Mss. Codices nullos viderat, quos in ore tamen semper habebat. Quae ad totius quaestionis explicationem pertinent, partim exposita sunt ad Basilii Copticam Liturgiam, et alibi fusius explicabuntur.

P. 32. l. 11.

Mortis tuae Domine memoriam agimus, etc.

In Graeca Jacobi Liturgia post ultima Christi verba *donec veniam, Διάκονοι λέγουσι! Πιστεύομεν καὶ ὁμολογοῦμεν. Credimus et confitemur;* Quod Diaconis haec Confessio tribuitur, non est secundum ritum Orientalis Ecclesiae, in qua unus vulgo Diaconus ministrat, et verba facit. In Copticis exemplaribus acclamatio illa praescribitur, sed a populo dicenda, non a Diaconis. De ea dictum est in Commentario ad Basilianam Liturgiam. *P. 213. et seq.* Significationem duplicem, ut illic observavimus, acclamatio illa habere potest: unam fidei de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia: alteram de veritate totius narrationis Evangelicae, quam a Sacerdote populus audiit: in qua prior quoque continetur. Itaque inter Liturgias, Theologosve, contrarietas nulla censeri debet, quod in illis simpliciter *Credo,* aut *Credimus,* ut in Graeco exemplari legitur: in aliquibus, ut in Aethiopica, *Credimus vere hoc esse corpus tuum: hic est vere sanguis tuus:* in Theologorum scriptis quoque haec Confessio fidei, de tota Evangelica narratione explicetur, ab aliquibus: ab aliis de veritate corporis et sanguinis Christi Domini. In Syriacis Codicibus nihil legitur, praeter communem omnibus Liturgiis formulam. *τὸν θάνατόν σου κύριε καταγγέλλομεν, καὶ τὴν ἀνάστασίν σου ὁμολογοῦμεν. Mortem tuam Domine annunciamus, et resurrectionem tuam confitemur,* quae Graece a Coptitis dicitur: quibus nonnulla de mysteriis *τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας* addi nonnunquam solent. Nec aliam Confessionem repraesentant Codices Maronitis proprii, etsi istorum Syrorum maxime intererat illam non omittere, si eam habuissent. Valet enim non mediocriter, ad diluendam nimis vulgarem opinionem, quod Orientales verbis Christi, ad consecrationem, vim nullam aut modicam attribuant.

Diaconus. *Quam terribilis est haec hora, etc.* P. 32. l. 32.

Formula haec hortationis Diaconi ad circumstantes, paulo ante quam pronuncietur Invocatio Spiritus sancti, Syris propria est, neque in tanto Liturgiarum numero vel una reperitur, in qua primis vocibus non designata sit. Est autem quaedam Praefatio ad ipsam Invocationem, cum qua conjunctionem habet necessariam, praecipuumque continet fidei de vera et reali elementorum transmutatione argumentum. Horam enim momentumque temporis determinat, quo consecratio perficitur, vel saltem perfecta et consummata declaratur: modum quoque quo perficitur, nempe adveniente et illabente Spiritu sancto, hoc est per miraculum, et quidem maximum, quod comparatur illapsui ejusdem, in sanctam Virginem ad Incarnationis mysterium: in Christum, cum in Jordane baptisatus est a Joanne: ut super Apostolos in coenaculo Sion. Ita jubentur Christiani, hortante Diacono, credere mox fieri tantum miraculum, quantum humana mente concipi nequit: fieri in altari, et in donis super illud propositis: attentique esse ad mysterii consummationem, quod in Liturgiis Graecis vulgaribus et illis quae sunt Ritus Alexandrini, paucioribus verbis dicitur. *Πρόσχωμεν Θεῷ μετὰ φόβου. Attendamus Deo cum timore,* et in Nestorianis, *Cum timore et silentio attendamus.* Monet ergo circumstantes Diaconus, ut ad omnia quae mox a Sacerdote Spiritum sanctum invocante audituri sunt, animum adjiciant: credant illa fieri quae a Deo postulat: nempe per adventum, et illapsum seu operationem immediatam Spiritus sancti, panem fieri corpus ipsum Christi Domini, vinum ejusdem sanguinem: non per fidem suscipientium, quibus non nisi post satis longas preces et caeremonias, praebetur Sacramentum. Ex ea fide, proclamante pariter Diacono, statim testantur videre se oculis fidei, Christum immolatum super altare, sanguinem ejus in calice, quod acclamationibus credere se populus testatur.

Recte igitur in Libro Ministerii Diaconici servata est haec oratio absque ulla mutatione. Sed parum attenderunt Maronitae editionis curatores, eamdem, Invocationi ad quam refertur, et quae omnino interpolata est, non respondere. Quippe monet Diaconus hac ipsa hora advenire Spiritum sanctum super dona proposita, et ea sanctificare, efficereque Christi corpus et sanguinem. At Sacerdos in oratione, prout legitur in Missali Chaldaïco illum invocat, non ut haec fiant, sed ut corpus et sanguis Christi prosint suscipientibus, ad remissionem peccatorum et vitam aeternam. Neque est quod doctrinae Catholicae impugnatores se torqueant cum Salmasio, qui contra lectionem Codicis Coptici Liturgiae sancti Gregorii, illapsum sancti Spiritus ad fideles retulit, ut scilicet per illum sanctificati, Oblationes sacras per fidem converterent in corpus et sanguinem Christi. Illam *παρερμηνείαν* suo loco discussimus, ejusque futilitatem demonstravimus: neque illa potest ullatenus formae Invocationis Syriaci ritus accommodari. Potuerunt qui Editioni Romanae praefuerunt emendationis suae causas habere quas perspicere facile

vocationem ita acceperunt, ut verborum significatio simplex postulabat, illud solummodo certum habentes, pronunciata illa Oratione, consummatam esse elementorum consecrationem. Quia vero de Syris agitur, operae pretium erit, hoc loco referre expositionem Dionysii Barsalibi, ex ipsius Commentario, cujus praecipua est inter illos autoritas.

Quomodo eam explicet Barsalibi.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti; Miserere mei Deus Pater, etc. *Hoc loco, in quo de Invocatione Spiritus sancti agitur, inquirendum nobis est, quare hic descendit Spiritus sanctus, super panem et vinum: quandoquidem enim filius descendit, et unitur illis personaliter, quare descendit Spiritus sanctus? Dicimus autem ob eamdem causam, illum descendere. Sicut enim descendit in uterum Mariae, juxta illa Angeli verba,* Spiritus sanctus superveniet in te, etc. *fecitque carnem ex Virgine acceptam, corpus Verbi Dei, eodem modo descendit super panem et vinum quae super altare sunt, facitque ea corpus et sanguinem Verbi Dei, assumta ex Virgine. Iterum dicimus: erga Virginem Mariam ita factum est: Pater voluit, ut incarnaretur Filius: Filius autem descendit in uterum Virginis, et ex ea incarnatus est: descendit etiam Spiritus sanctus ad Virginem sanctam, ut Filio, ex ea corpus formaret. Pari ratione, et istic in altari se res habet. Pater quidem vult, ut uniatur Filius personaliter pani et vino; atque eapropter deprecatur Sacerdos cum timore, clamore, et tacito cordis gemitu, apud Deum et Patrem, petitque ab illo, tanquam aeterno filii Spiritusque principio, a quo omne donum bonum descendit, ut mittat super se, et super omnem populum fidelem pone se stantem, et super Sacramenta in altari posita, Spiritum suum sanctum. Iterum. Oblata suscipit illapsum (ἐπισχίασιν) Spiritus sancti, ut etiam illum suscepit Filius in carne, tanquam primitiae, in Jordane flumine. Deprecatur quoque Sacerdos ut mittatur Spiritus super corpus et sanguinem, sicut in Virginem tunc illapsus est. Tum etiam per Invocationem Spiritus, mystice significat illud quod Gabriel cum stetit coram Virgine, conceptum illi sanctum suum annunciavit, unionem illam mysticam, quae intelligentiae captum superat: per quam cum illa potestate omnia sanctificante communionem habemus, animo a sensibus et a materia libero.*

Tum dicit Sacerdos. Exaudi me Domine et miserere mei. *Secundum Mosen Barcepha, Sacerdos dicit,* Kyrie eleison; *sive* Domine miserere mei, *quia sentit per fidem descendisse Spiritum sanctum, perfecisseque, et complevisse mysteria, cum clamore valido clamat ad Patrem,* Domine miserere nostri. *In Occidente porro et secundum novam traditionem, quae hodie obtinet, Sacerdos, ut supra diximus, Syriace dicit.* Exaudi me Domine et miserere mei, *elata voce, ita ut perveniat ad populum, dicantque similiter. Tunc omnes e populo dicunt ter,* Kyrie eleison, *aut* Miserere mei: *quod ter pronunciantes, perseverantiam in deprecatione notam faciunt. Fuit etiam aliquando, cum Sacerdotes imperiti, hoc loco frontem manu feriebant, quasi de commissis quibusdam poenitentes, quod Moses Barcepha incongrue prorsus fieri dicit, quia dona spiritus tranquille dantur, et non cum strepitu. Tranquille enim et placide descendit Verbum Deus in Mariam, et ex ea incarnatus est, non cum*

strepitu et tumultu: ita etiam hic placide descendit, et unitur personaliter pani et vino quae sunt super altare.

Mox idem Theologus sic prosequitur. *Postquam autem Sacerdos invocavit Spiritum sanctum inclinatus, erigit se, et dicit,* Ut adveniens, etc. *Tuncque Oblatam ter cruce signat, ter quoque calicem: ut ita significet, Deum Verbum, voluntate Patris descendere, et illabi in mysteria, eaque perficere per Spiritum sanctum, panem quidem, (ut sit) corpus: mistum quod in calice est, efficiat sanguinem. Iterum per triplicem illam obsignationem significat illud.* Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Si quidem postquam consecrata est Oblata, habitat in ea Verbum, sicut postquam sanctificata est Virgo per Spiritum sanctum, habitavit in ea Verbum Deus: ita quoque per voluntatem Patris sui, et per illapsum Spiritus sancti, perficit panem corpus: et vinum sanguinem* (sive perficit ut sint corpus et sanguis) *ejus; eadem ratione, ac voluntate Patris sui, per Spiritum suum sanctum, absque mutatione homo factus est ex Virgine, atque ita ex pane, per potestatem Patris unum corpus coeleste, significat mysterium, quo ex divinitate, una natura incarnata et persona composita est: unioque illa mystica significat unionem naturalem et personalem Verbi cum carne sua.* Haec Barsalibi, ex communi aliorum Theologorum Jacobitarum sententia, non minus Syrorum quam Aegyptiorum, quorum alibi testimonia referuntur.

Nullam singularem opinionem ex hac oratione deducunt Orientales.

Vidimus quae illius opinio foret de Dominicorum verborum efficacia, neque existimandum est illum in eodem opere contraria scripsisse, talia enim videbuntur ea quae mox retulimus, in quibus de Invocationis effectu tam magnifice loquitur, si a praeoccupatis hominibus ad Bessarionis et Arcudii trutinam expendantur. Eliciant, si lubet, ex illius orationis verbis errores multiplices; nihil agunt contra Syros et reliquos Orientales, neque contra Graecos ipsos, qui illius orationis autores non fuerunt, sed eam perpetua traditione commendatam a majoribus acceperunt. Vidisse tam acutum, Turrecrematam et alios, ut quae sanctis Patribus pia et legitima judicata sunt, in illis pestem et blasphemiam deprehenderent, nemo credat. De momento consecrationis, nulla unquam inter Orientales quaestio fuit: illam perfecte consummatam existimant, cum Invocatio pronunciata est.

Orant super dona consecrata, ut factum in vetustis Liturgiis.

Sed orant pro consecratione donorum sanctorum, quae jam facta est. Eam factam esse, nec negant, nec affirmant; orantes vero super Eucharistiam jam consecratam, habent exempla quibus se tueantur. Nam similes orationes leguntur in Liturgia Gallicana veteri, in Gottica, in Mosarabica et aliis, *post secreta* vel *post pridie,* id est pronunciatis Christi verbis. In prima, *Haec nos Domine instituta et praecepta retinentes, suppliciter oramus, uti hoc sacrificium suscipere et benedicere digneris, ut fiat nobis legitima Eucharistia, in tuo filiique tui nomine et Spiritus sancti, in transformatione corporis ac sanguinis Domini Dei nostri Jesu Christi unigeniti sui.* In Missa Assumtionis B. Mariae. *Descendat Domine in his sacrificiis, tuae benedictionis, coaeternus et cooperator Paraclitus Spiritus: ut oblationem quam tibi de terra tua fructificante porregimus, coelesti permuneratione, te sanctificante sumamus: ut*

translata fruge in corpore, calice in cruore, proficiat meritis, quod obtulimus pro delictis: et ita variis in locis. In Gallicano officio ad Missam S. Leodegarii, *Ut descendat hic benedictio tua super hunc panem et calicem in transformatione Spiritus tui sancti.* In Mosarabico multis locis, *Post pridie*, rogatur Deus *ut hostiam vivam illustratione adventus sui sanctificet: ut haec libamina benedicenda assumat, ut illis sanctificationem infundat.* In Missa Natalis Domini. *Ut in eodem spiritu quo te in carne virginitas incorrupta concepit, has hostias Trinitas indivisa sanctificet.* Alio loco. *Quaesumus ut oblationem hanc spiritus tui permistione sanctifices, et corpus et sanguinem Domini nostri plena transformatione confirmes.*

Similia multa praetermittimus, sed ex relatis perspicuum est eadem prope verba, easdem sententias in Missalibus illis vetustissimis, ac in Orientalibus reperiri. Nam utrobique postulatur *adventus Spiritus sancti,* isque super dona proposita: *transformatio, translatio, et plena confirmatio* petuntur: *benedictio, sanctificatio eorumdem munerum*, et illis verbis, quae Invocationi Orientalium comparata, magis quodammodo significantia sunt. Nemo unquam Ecclesias Gotticas, Gallicanas, Mosarabicas accusavit, quasi parum pie de Eucharistiae consecratione sentirent: cur igitur eorumdem verborum occasione Orientalibus crimen intentetur, perspicere difficile est. Accedit quod licet non iisdem verbis, Ecclesia Romana, orat tamen, et benedictiones format super dona consecrata, petitque ea *perferri in sublime altare* Dei, quo sensu Graecos suos, Invocationem intelligere, affirmavit Cabasilas. Tales porro Orationes, quarum excerpta retulimus, vetustate sua satis commendantur, de quibus si quis litem movere vellet, abunde refelleretur autoritate Romanae illarum editionis a Cardinale Thomasio procuratae: quamvis sacra haec venerandae antiquitatis monumenta approbatione recentiorum non indigeant.

Sententia Card. Bonae de illis Orationibus.

Rer. Liturg. l. 2. c. 13.

Primus inter eos qui de Liturgicis rebus scripserunt, hanc vetusti Mosarabici ritus cum Graeco conformitatem observavit Cardinalis Bona, eamque intelligendam judicavit secundum *eumdem sensum Orthodoxum,* inquit, *quo Patres Graeci in Synodo Florentina suam orationem,* fac hunc panem pretiosum corpus Christi, *explicarunt: ut nimirum hostia jam consecrata, nobis nostraeque saluti sancti Spiritus illapsu sanctificetur.* At Patres Graeci dici non possunt, Episcopi sex, qui Imperatore et aliis Episcopis nescientibus, et postea reclamantibus, talem expositionem dederunt. Qualis vero cumque illa sit, ad Syros et reliquos Orientales, qui cum illis commune nihil habuerunt, pertinere nullatenus censenda est. Nam quod aiunt Bessarionis et Arcudii imitatores, totam orationem referri ad fructuosam mysterii susceptionem, sustineri non potest. Neque enim postulari oportet Spiritus sancti illapsum, adventum, et obumbrationem super dona consecrata in corpus et sanguinem Christi, ut qui illa percepturi sunt, digne eadem suscipiant. Frustra scilicet oraret Ecclesia, si Spiritus sancti adventus et illapsus, ad solam piam et fructuosam mysteriorum susceptionem referretur. Nam certo credunt advenire Spiritum sanctum in dona proposita: non vero omnes qui illis commu-

nicant digne illa percipere, quisquam unquam existimavit; nam neminem judicium sibi manducare et bibere contra Apostoli sententiam inde sequeretur. Multo minus, *transformatio*, *translatio frugis in corpore, calicis in cruore,* petenda erat, ad piam sacramenti participationem, cum inde sequeretur, nullam esse transmutationem, erga indigne communicantes, quae germanissima est Protestantium doctrina. Distinguitur quoque accurate in omnibus quotquot extant Invocationis formulis, *adventus* aut *illapsus* Spiritus sancti in dona proposita, et in eos qui eadem suscepturi sunt. Primus, *ut dona proposita faciat corpus et sanguinem Christi:* alter, *ut qui illorum participes erunt, remissionem peccatorum consequantur, et vitam aeternam.* Si duo haec ad solam fructuosam communionem referantur, nulla magis commoda Protestantium causae interpretatio excogitari poterat.

Per diversas quorumdam interpretationes vis Invocationis ad probandam mutationem destruitur.

Ipsa Invocatio quae firmissimam continet verae substantialisque transmutationis probationem, simpliciter intellecta, ut eam Syri Theologi intelligunt, per ejusmodi commentarium non vana modo et inutilis efficitur, sed difficillimas objectiones parit, quas acutissima Dialectica refellere non potest. Nec enim quod ex recentioribus quidam, vir sane doctus, sed minime Theologus, in simili argumento dixit, *mihi curae non est quid dicant haeretici,* probari potest ab ullo Christianae concordiae studioso. Curae nobis esse debet quidquid veritati incommodare, aut fratres nostros in dissensione retinere potest. Consensus porro Ecclesiarum omnium in agnoscenda elementorum panis et vini transmutatione, magis efficaciter eos qui veritatem sectantur, afficit, quam subtilissimae disputationes. Nihil autem consensum istum firmius demonstrat, quam constans ubique et semper recepta apud Orientales Deum invocandi forma, ut summum in pane et vino miraculum faciat, idque omnipotenti virtute sua; et in altari, nempe ut fiant corpus et sanguis Christi. Ea verba non a Theologis dictantur, non ab Oratoribus rhetorice praedicantur ex superiori loco, sed illiteratae plebi exponuntur, praeparatae jam per Diaconi admonitionem ut cum timore et tremore omnes orent impensius, eo momento quo res tam mira perficitur. Illius igitur orationis sententiam diversis interpretationibus, quarum stare nulla potest, circumvenire, Ecclesiam prodere est, ne quid recentiorum quorumdam Theologia detrimenti capiat. Omnes ejus generis explicationes, constantissime rejiciunt Orientales, itaque frustra adhibentur ad eos ab errore vindicandos, quo nequaquam teneri illos certis argumentis demonstratur. At omnino immunes sunt erroris ullius circa veram et realem elementorum in corpus et sanguinem Christi transmutationem, quam haec oratio perspicue significat. Comparatio cum Incarnationis mysterio illam expressius inculcat: utramque scilicet veram, non typicam, aut figuratam esse volunt Theologi: neque minus verum esse, panem et vinum fieri corpus et sanguinem Christi, quam verum est Filium Dei ex Maria Virgine esse incarnatum. Unde inter illos nonnulli illum *in calice et in disco incarnari dixerunt,* audaciore fortassis metaphora, sed quae a tropis et figuris longissime remota est. Haec sufficiunt cum diversa aliorum testimonia quae Invocationem illustrant, alibi relata sint.

Forma Invocationis simplicior apud Syros quam apud Graecos recentiores.

Observandum denique Syros in ea pronuncianda veterem simplicitatem magis retinuisse quam Graecos, qui formulas aliquot interponunt, ut in Liturgia Basilii Sacerdos secreto dicit: *Domine qui Spiritum sanctum hora tertia Apostolis misisti, illum, o bone, ne auferas a me. Cor mundum crea in me, Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Tum Diaconus caput inclinans, designat orario sanctum panem et dicit secreto: *Benedic, Domine, sanctum panem:* atque ita ad calicis benedictionem: quae iisdem verbis occurrunt in Liturgia Chrysostomi; non in Graeca Jacobi, neque in Graecis et Copticis Alexandrinis, neque in Nestorianis. *Amen* tantum subjungitur a Diacono, ad utramque orationis partem.

Obiter quoque notandum est, Boderianum quoties titulum hujus orationis Latine expressit, perperam vertisse *Lectionem Spiritus sancti,* nullo sensu.

P. 34.

Memento Domine, etc.

Diptycha.

Hic incipiunt Diptycha, de quibus cum multa dicta sint in Commentario ad Basilii Copticam Liturgiam, quae Syriacis quoque Ecclesiis conveniunt, eo lectores remittimus. Ut in Graecis incipiunt, *Μνήσθητι κύριε. Memento Domine*, ita in Syriacis Liturgiis ab אתדכר, quod idem est. Oratur pro omnibus rebus et personis, vivis et mortuis.

Statim dicitur oratio pro Ecclesia Catholica, et Apostolica fundata supra petram fidei, ut in Graeca Jacobi et in omnibus aliis: tum pro locis sanctis et sancta Sion omnium Ecclesiarum matre, ut in eadem. *Προςφέρομέν σοι δέσποτα καὶ ὑπὲρ ἁγίων σου τόπων, οὓς ἐδόξασας τῇ ἐπιφανείᾳ τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου σου πνεύματος· προηγουμένως ὑπὲρ τῆς ἐνδόξου Σιὼν τῆς μητρὸς πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. Offerimus tibi, Domine, et pro sanctis istis locis, quos glorificasti manifestatione Christi tui, et adventu sancti tui Spiritus: Praecipue pro gloriosa Sion, matre omnium Ecclesiarum.* Syriaca exemplaria eadem prope verba habent, ex quibus efficitur Liturgias illas, Graecam et Syriacam, proprias Ecclesiae Hierosolymitanae fuisse, nec aliunde quaerendum, cur Jacobo tanquam autori attributae sint. Conveniebat enim illius Ecclesiae primo Episcopo, ut ab eo instituta diceretur sacrificii celebrandi forma, quae antiquitus illic observata, per traditionis lineam ad ejus successores transmissa fuerat.

Ecclesia Hierosolymitana mater Ecclesiarum.

Hierosolymitana Ecclesia, mater omnium aliarum dicitur, quia prima ab Apostolis fundata est, et ex Sionis caenaculo, ubi Spiritus sanctus in eos descenderat, profecti, praedicaverunt ubique, et reliquas constituerunt. Neque idcirco existimandum est ampliorem inter Syros Jacobitas dignitatem et autoritatem Hierosolymitano Episcopo attributam fuisse. Habent in Collectionibus Canonum suis, Canonem Nicaenum VI. legitimum, secundum quem Dioeceses suis limitibus circumscribuntur, et VII. in quo statuitur ut *Aeliae Episcopus honoretur,* post Patriarchas Romanum, Alexandrinum, et Antiochenum. Nempe vetus Canonum Collectio Syriaca, Canones illos repraesentat accurate ex

Graeco conversos: septimum autem ad verbum נהוא לה אקולותיא דאיקרא: *ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς honoris consequentiam.* Neque in illa versione verba illa reperiuntur, *Ecclesia Romana semper habuit primatum,* licet id affirmaverit Abrahamus Echellensis. Nam versio quam citamus, ea est quam continet Codex Mediceus in membrana scriptus ante annos, ut minimum, septingentos. Cum vero ad Epistolam Cypriani ad Fidum, qui *Filus* vocatur, notatum reperiamus factam esse versionem anno Graecorum DCCCCXCVIII. qui est J. C. DCLXXXVI. ejusdem aetatis esse videtur Canonum, qui eodem volumine continentur, interpretatio. Habet etiam vetustatis indicium non mediocre, quod Canones illos Arabicos non repraesentet, neque narrationem, quae Praefatione Arabica continetur, ullatenus confirmet.

Ad Praef. Can. Nic. Arab.

Inter Orientales vix honorem a Concilio Nicaeno tributum retinuit.

In illis vero Canonum, qui *Arabici* vulgo dicuntur, Collectionibus, Nicaeno Concilio attribuuntur quae in Constantinopolitano constituta sunt, de translatione dignitatis Ephesi, ad novam Romam, simulque honor quarti Patriarchatus Hierosolymitanae sedi tribuitur. Eam constitutionem retulit in Nomocanonis sui cap. 7. Gregorius Abulfaragius, his verbis *Quatuor erunt Patriarchae, juxta numerum quatuor partium mundi. Princeps vero summus omnium, est Patriarcha Romanus, post eum Alexandrinus, tum Constantinopolitanus, quia ab Epheso ad urbem Constantinopolitanam Patriarchatus translatus est, quae etiam Nova Roma vocata est. Post eum sequitur Patriarcha Antiochenus, qui in totum Orientem jurisdictionem obtinet. Cum vero Hierosolymitanus Episcopatus, constitutus sub autoritate Metropoleos Caesareae Philippi dudum foret, honor quinti Patriarchatus illi defertur, sed salva autoritate Metropolitae Caesareae, et Antiocheni Patriarchae.* Haec habent in suis Canonum Collectionibus Arabicis Jacobitae, quas Abulfaragius secutus est. Mirum tamen Patriarchae Hierosolymitani nullius apud illos extare memoriam; neque, si qui ex illorum secta, vel ex Nestoriana, in urbe sancta Episcopatum gesserunt, honoris illa praerogativa potiti videntur esse. In Nestoriana quidem Ecclesia inter Metropoles recensetur Jerusalem, sed vigesimo secundo loco, tantum abest ut attributam a Nicaeno Concilio dignitatem servaverit: cum non modo Catholicus, qui supremum ipse sibi Pontificatum inter suos arrogavit, licet in Pseudo Nicaenis illis Canonibus post Hierosolymitanum Episcopum nominetur, eum praecedat; verum plures alii Metropolitae urbium, quae olim ne Episcopos quidem habuerant. Itaque inter illos, ut inter Jacobitas, cum Hierosolymitani Antistitis mentio injicitur, non aliter vocatur quam Metropolita, et talis erat Ignatius ad quem Commentarium suum in Jacobi Liturgiam scripsit Dionysius Barsalibi. Legimus etiam in Historia Patriarcharum Alexandrinorum, Cyrillum filium Laklaki, novo exemplo Hierosolymis Metropolitam constituisse, sed contradicentibus non modo Syris, verum ipsis Aegyptiis, quod haec institutio ad Antiocheni Patriarchae jus spectaret, ex veteri disciplina. Soli igitur Graeci urbi sanctae Patriarchalem dignitatem servaverunt, quorum exemplo Latini, cum eam armis occupassent, Latinum Patriarcham instituerunt, cujus postmodum loco *κωφὸν πρόσωπον* Romae constituitur. Neque contra id quod huc usque dictum fuit, objici po-

Hist. Patr. Alex. p. 579.

test, esse etiamnum Hierosolymis Patriarchas Syrianorum, hoc est Jacobitarum, Armenorum, et quosdam alios: Metropolitae illi sunt, qui honoris gratia Patriarchae appellantur, quod re vera non sunt.

Formae Diptychorum variae.

Forma Diptychorum eadem est in omnibus Ecclesiis Orientalibus, et quidem, ut in edita Jacobi Liturgia, et plerisque Mss. observatur, uno tenore describuntur preces, quas Sacerdos dicit pro Ecclesia, pro Episcopis, Sacerdotibus et Clero, tum pro aliis. At non solus Sacerdos orat: populus monetur a Diacono, ut pro iisdem oret, quos ipse nominat: et, ut observat Barsalibi, nihil aliud a populo dicitur nisi, *Kyrie eleison.* Graece vel Syriace: huncque ordinem observandum ait. *Pro Pastoribus, Sacerdotibus Ecclesiae, omnibusque ejus Ordinibus; Pro Regibus etc.* tum *Memoria Genitricis Dei, Apostolorum, Martyrum, Patrum, Doctorum: tandem Oratio pro mortuis.* Id vero non uno eodemque modo solebat fieri, sed aliquando producebantur preces pro variis personis et rebus, ut in Copticis Liturgiis observare licet: sed populus nihil quoque Coptico ritu dicit, nisi *Kyrie eleison.* Diaconi autem denunciationes ad orandum integras repraesentat liber Ministerii. In prima. *Pro Ecclesiae Pastoribus. Benedic. Oremus et deprecemur Dominum et Deum nostrum in tempore isto, magno, terribili et sancto, pro Patribus et Rectoribus qui hodie nobis praesunt, etc.* respondeturque, *Kyrie eleison.* Reliqua ad hoc argumentum spectantia, dicta sunt loco citato, atque inter alia, quomodo orandum doceat Barsalibi, pro Regibus non modo fidelibus ex Jacobitarum opinione, sed etiam aliis, quod tamen non faciunt Nestoriani, ut ad eorum Liturgiam observabimus.

Epist. 172.

Diptycha Orientalium, nullam cum Litaniis nostris habere affinitatem, quod Josepho Scaligero visum fuerat circa ea quae Copticis Liturgiis continentur: in notis ad illum locum ostendimus, neque aliter est de Syriacis judicandum: utriusque enim ritus Aegyptiaci et Syriaci, imo et aliorum omnium Orientalium par omnino disciplina est.

P. 35.

Commemorationes Sanctorum.

Invocatio Sanctorum.

In ista Liturgiae parte gravissimum est Ecclesiarum Orientalium de Sanctorum invocatione testimonium, quod in nullis cujuscumque ritus aut linguae officiis desideratur. In illa igitur nihil novum, nihil a Romana Ecclesia illis insinuatum, quidquid de hoc argumento, imperite non minus, quam calumniose Reformatores declamaverint. Invocantur autem Sancti, qui ab initio mundi Deo placuerunt, non ut honor supremus creatori soli debitus, minuatur, aut cum illis communicetur: sed ut eorum precibus beneficia obtineantur, a bonorum omnium fonte et largitore, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse, et descendere a patre luminum, ex scriptura agnoscunt. In eorum quoque laudes effusi, hymnos habent multiplices, quos in Sanctorum festivitatibus canere solent: non quidem in Liturgia, sed in aliis Officiis. Tales multos continet *Beït Gaza,* sive *Thesaurus*, apud Ja-

cobitas, et suum quoque ita appellatum Nestoriani habent: Coptitae *Synaxarium* vocant. Quamvis enim Graeca vox, quam retinuerunt, aliud opus Graecis notissimum significet, nempe Sanctorum nomina, et gesta Calendarii ordine disposita, et simile quoque Coptitae agnoscunt inter libros Ecclesiasticos suos, singulari tamen significatione, hymni ad Sanctos ita dispositi, *Synaxaria* appellantur: taliaque extant in Bibliothecis; et similia habent Aethiopes.

Observandum quoque est, ne quid ad Rituum Orientalium cognitionem spectans omittatur, apud Syros, reliquosque Orientales Christianos, in quo Graecam disciplinam sequuntur, Missas Sanctorum proprias, ut in Occidente sunt et fuerunt a longinquissimis temporibus, nullas esse. Verum Liturgiam eodem semper tenore in Sanctorum solennitatibus celebrant: nihilque adjicitur, nisi Epistolae aut alterius libri sacri lectio, Evangeliumque ad eas pertinens: inter quae aliquando *Sedrae* vel aliae hujus generis orationes canuntur. Illae autem nonnunquam *Prooemia* appellantur: sed commune nihil habent cum nostris Praefationibus: aut cum vetustis aliis Ritus Gallicani, Gottici aut Mosarabici: imo et ipsius Romani, in quibus de Sanctorum quorum memoria agebatur, laudibus, et actis, multa continebantur. Tam communis autem, omnibusque approbata disciplina fuit circa Sanctorum memoriam, vota ad eorum sepulcra, confidentiamque in eorum apud Deum interventionibus, ut ipsi Muhamedani, multis miraculis convicti, venerationem illorum variis in locis retinuerint, et ad suos homines transtulerint. Itaque Idololatriae ne umbram quidem agnoverunt, in pio illo honore, quem Sanctorum memoriae a Christianis deferri videbant: ut neque in cultu sacrarum imaginum.

Missae Sanctorum nullae in Oriente.

Praecipue B. Virginis Mariae.

P. 32. l. 28. et 36. l. 5.

Pietatis Orientalium erga B. Virginem tot sunt argumenta, ut libris Ecclesiasticis, quorum aliqui, quos Graecorum exemplo *Theotokia* vocant, seu Preces ad Deiparam, pleni sunt orationibus ad eam, ut res ulteriori explicatione non indigeat: et jam de hoc argumento dictum est in Commentario ad Copticam Liturgiam Basilii. Jacobitae praesertim, qui adversus Nestorianos de divina ejus maternitate tractatus multos ediderunt, eam singulari veneratione prosequuntur. Unde in plerisque commemorationibus primo loco B. Virgo nominatur veluti creaturarum praestantissima: atque id observatur in Graeca Liturgia Jacobi *Ἐξαιρέτως τῆς παναγίας, ἀχράντου καὶ ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας*: nec aliter in reliquis Graecis. Hic vero praemittitur memoria Joannis Baptistae, quia scilicet inter natos mulierum, majorem illo non surrexisse, Christus ipse testatus est. An illa causa sit cur nomen ejus praemittatur, non liquet, neque plane verisimilis videtur: nam in aliquot exemplaribus post Joannem Baptistam nominatur Stephanus Protomartyr, ut in Romana editione, in Co-

Cultus Orientalium erga B. Virginem.

P. 235.

P. 198.

dice Florentino et aliis: sed neque in Theologorum scriptis quidquam vulgo legitur, quod ad similem de honoris praerogativa litem pertinere videatur.

An oraverint pro Virgine et Sanctis.

Verum major difficultas nascitur ex formula, nova prorsus et alibi inusitata, quam habet Ordo Officii communis in Codice Colbertino. Nam inter commemorationes eorum pro quibus oratur, ut Deus *praestet illis quietem et memoriam bonam*, nominatur B. Virgo. *Praesta etiam per illud incensum, quietem et memoriam bonam Genitrici tuae, et Sanctis tuis, fili Christe, qui adoraris, et glorificaris cum Patre tuo et Spiritu tuo.* Et paulo prius. *Ecce obsecramus te, Domine Deus, suspice incensum istud aromatum, quod offert tibi tenuitas nostra, pro sancta Genitrice Dei Maria, pro patre nostro Adamo, et matre nostra Eva, pro Prophetis et Apostolis, etc. pro divitibus et pauperibus, pro angustiatis et afflictis.* Iterum. *Deus per clementiam tuam, praesta requiem et memoriam bonam Genitrici tuae, et Sanctis tuis, omnibusque defunctis, super altare tuum sanctum et coeleste.* Idem quoque reperitur in Officio quod Boderianus edidit. (*P. 117.*) Illud porro non modo contra veterem, omnibusque sanctis Patribus confirmatam doctrinam foret, sed etiam contra Ecclesiae universalis disciplinam. (Aug. *Serm. 169. N. Ed. et Serm. 284.*) *Ideoque habet,* inquit Augustinus, *Ecclesiastica disciplina, quod fideles norunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oratur: pro caeteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* At si neque pro martyribus oratur, multo minus pro sanctissima Dei Genitrice Maria. Illud aeque contrarium ipsis Syriacis, ut et aliis omnibus Liturgiis foret: cum expressis verbis significent illam, ut reliquos sanctos, praecipue martyres commemorari, ut per illorum intercessionem, divinam gratiam, et necessaria ad bene beateque vivendum auxilia impetremus. Non dubitamus igitur his in locis peccatum potius a librariis imperitis fuisse, qui ea quae disjunctim scribenda erant, ut passim alibi, conjunxerunt, quam certo consilio admissum id fuisse, ut nova doctrina, a qua remotissimi sunt, et quam quotidiana illorum disciplina refellit, induceretur. Commemorationes a B. Virgine et Sanctis incipiunt per illa verba *Memento Domine*, et ista, *fac memoriam bonam:* similibus verbis continuantur memoriae vivorum et mortuorum. In prima periodo quae ad Virginem et Sanctos refertur: terminatur oratio per hanc clausulam *ut per eorum preces obtineamus gratiam et misericordiam a Domino.* Hanc vero, ut notissimam, omisit fortasse aliquis, et cum aliis conjunxit, unde nata est abnormis illa supplicatio, quae ex aliis Liturgiis confutatur. Addendum est formulam istam *praesta memoriam bonam*, nihil aliud significare quam, *Memento.*

P. 35. l. 30.

Memoria aliorum Sanctorum.

Varie illa se habet secundum diversas Ecclesiarum consuetudines, quae in eo consentiunt, quod Sanctos, quorum communis apud omnes fuit ante schismata veneratio, passim nominant, modo brevius, modo prolixius: neque

enim, ut in Canone Romano, determinatus est eorum, qui nominantur, numerus. In antiquo Codice Colbertino, quem praecipue interpretando secuti sumus, post Virginem Mariam, subjicitur, *et omnium Sanctorum*, neque alii nominantur. In Florentino adjicitur, *et sancti Domini Barsomae*, quod etiam habetur in Romana editione, sequiturque, *et sancti Georgii*, qui praecipue ab Orientalibus colitur, imo a Muhamedanis et Turcis ipsis, ut locupletissimus testis est vir celeberrimus Augerius Gislenius Busbequius. Iter sanctos quoque collocatur ab insigni apud Persas historico Emir-Condo, Tabarita et aliis, qui de eo mira narrant, quae, ut Orientales omnes φιλόμυθοι maxime sunt, Legendis veteribus, Graecorumque narrationibus nihil cedunt. Illud solum observatu dignum, quod tot laudibus eum cumulant, quia pro vera fide Martyrium subiit. Itaque coli a Christianis eum, qui sanctitatis suae buccinatores ipsos infideles habuerit, mirari nemo debet. At monstro simile, Barsomae nomen, scelerati illius Monachi, qui Proterium occidisse dictus fuit in Calchedonensi Concilio, a quo anathemate perculsus est, in Romana editione cum sancti titulo reperiri. Viderat tamen hanc editionem *Frater Joannes de Tarracina Theologiae Magister, et nihil contra fidem et bonos mores invenerat, sed omnia consona fidei sacro-sanctae Romanae Ecclesiae.* At quid magis illius fidei contrarium, quam hominem factionis haereticae antesignanum, damnatum ab Oecumenica Synodo, inter caelites collocari. Eant nunc Maronitae recentiores, dum Liturgias illas, tanquam Ecclesiae suae proprias nobis venditant: illud solum Barsomae nomen, Jacobitarum, eas esse demonstrat. Illum quippe Coptitae, qui ejusdem sectae sunt, pari ratione venerantur, et inter Diptycha nomen ejus celebrant. Duo praeterea alii ejusdem appellationis sunt, alter Nestorianus Metropolita Nisibensis, *Eutych. T. 2.* qui teste Eutychio sectam illam in Mesopotamia late propagavit: vivebat autem sexto saeculo: vir nefarius et antiquae disciplinae, quantum in ipso fuit, corruptor. Nam contra Canones, Episcopus cum esset, uxorem duxit, *Hist. Nestor. Ms.* eamque sanctimonialem: tum legem tulit ut Episcopis, Sacerdotibus, Monachis ipsis nubere liceret. Ob autoritatem vero tyrannicam, cum in ordinem redigi non posset, dignitatem quamdiu vixit, retinuit, sed post mortem anathemate damnatus est, statutumque in perpetuam ejus contumeliam, et per annos multos observatum, ne quis ex Metropolita Nisibensi, ad supremam Catholici dignitatem assumeretur. Tertius tandem Barsomas fuit, *Nudus* cognominatus, Anachoreta, qui serius vixit, nempe saeculo duodecimo labente, cujus vita extat in Codice Bibliothecae Regiae; ipse quoque Jacobita, cujus nomen, cum aliis Monachorum ex eadem secta celebrium, occurrit in aliquot Liturgiarum exemplaribus recentioribus, cum in antiquis non legatur. Nullus porro trium illorum talis fuit, ut ab Orthodoxis memoria ejus cum honore coleretur. En quo perducit antiquitatum Ecclesiasticarum ignoratio. Quales porro erunt Catholici illi, qui Latrocinii Ephesini principem, Concilii Calchedonensis, Leonisque Papae furiosum calumniatorem, invocare cum sancto Stephano et S. Georgio docentur, et quidem perpetuo testimonio Co- *Evopl. p. 53.*

dicis Liturgici, quo solo uti jubentur. Fallitur Naironus, dum eum qui ferro indutus vocatus est, eum esse existimavit qui in Canone Jacobitico nominatur.

P. 34. l. 4.

Memento.

Cap. 15.

Diptycha, proprie ad Syrorum mentem loquendo, sunt Orationes quae pro vivis et defunctis fiunt eo loco, quo tertiam Liturgiae partem incipere scribit Barsalibi. Ita autem orationes illae dici debent, ut partem illarum secreto Sacerdos dicat, sive, quod idem est, inclinatus, aliam elata voce, ut tam secreto, quam alta voce oret, et ita populo denunciet pro quibus ipse orat, et ab omnibus orandum sit: eaque ratione populus cum Sacerdotis precibus suas conjungit. Diptycha quoque Canones vocari, scribit autor idem, esseque sex, nempe tres pro vivis: totidem pro mortuis. Accusat Armenos quod pro vivis in Liturgia nullas orationes faciant: nam, inquit, si quis peccator est in impietate perseverans et, ut ait Apostolus, in peccato ad mortem, non orandum pro eo vobiscum fatemur. At si poenitentiam agat de peccatis suis, et ad ejus remedia recurrat, tanquam filius prodigus, pro eo sacrificium offerri oportet. De hoc argumento fusius se egisse testatur in opere singulari adversus Armenos. Negat etiam ex recta disciplina esse ut ad singulas Sacerdotis orationes populus respondeat, *Amen* aut *Kyrie eleison*, sed tantum eadem verba dicere debet, cum Diaconus orationem indicit, dicendo *pro tali vel tali Dominum deprecemur*: tunc dicunt *Kyrie eleison*, aut Syriace, *Domine miserere.*

P. 35. l. 18.

Diaconus: *Pro Regibus.*

De oratione pro Christianis principibus dictum est ad Copticam Basilii Liturgiam, et dicetur adhuc in observationibus ad aliquot sequentes. Duplex enim in Syriacis occurrit illarum orationum lectio. Prima est ei similis quam haec Liturgia repraesentat, et quae Graecis prope omnibus communis est, ut scilicet oretur pro Imperatoribus aut Regibus, *Christianis, piis et Deum timentibus:* hoc est, ut Graeci efferunt, ὑπὲρ εὐσεβῶν καὶ φιλοχρίστων βασιλέων. Illud autem nomen Syri reddere solent per *Deum timentes*, ut εὐσέβειαν et religionem per *Dei timorem.* Altera est ut simpliciter oretur pro Regibus et principibus, qualescumque sint: quod in plerisque observatur, Muhamedanorum metu. Utraque illa formula aeque communis est omnibus Liturgiis Syriacis, praeter illas quae sunt Nestoriani ritus. Observat hoc loco Barsalibi, quosdam Sacerdotes orationem pro Regibus omittere, quod ubique prope infideles sint, et hostes Christiani nominis: aut Calchedonenses sive Orthodoxi, qui Ecclesiae Jacobiticae non magis faveant, quam Muhamedani. Negat tamen id recte fieri, cum Paulus Apostolus doceat orandum esse pro Regibus qui sua aetate infideles erant, et Christianos durissimis

persecutionibus affligebant: ut tranquillam vitam agamus. Fieri potuit ut ante Muhamedana tempora Jacobitae, veterum exemplo, retinuerint commemorationem τῶν φιλοχρίστων βασιλέων; nam ita vocant Zenonem et Anastasium Imperatores qui illis faverunt impensius. Ea ratione factum, ut quod in antiquis exemplaribus legebatur, retentum fuerit. Hinc manifestum est nullam esse argumenti quod ex eadem formula ducitur, autoritatem, ad determinandam aliquot Liturgiarum vetustatem, ut perperam existimavit Salmasius *Ep. ad Joan. Dallaeum.* de Coptica, quae Gregorii nomen praefert, quia in ea oratio legitur, pro iis qui sunt in Palatio. Multas enim Syriacas habemus, scriptas ab autoribus, qui diu post Muhamedanum imperium, et sub illo vixerunt, in quibus oratur pro solis Regibus et Reginis Christianis, sive *Deum timentibus* quod idem est, ut observavimus. Neque enim subtilitati locus est, ut haec denominatio ad Muhamedanos referatur, quia inter tot errorum et blasphemiarum portenta, unum Deum venerantur, et Idololatriae bellum indixerunt, eamque toto passim Oriente sustulerunt. Illam enim laudem cum stupore legimus tributam Muhamedi, ab Elia, qui prius Hierosolymitanus, et Nisibensis Metropolita fuerat, postea ad Catholici Nestorianorum dignitatem evectus est, ut ab Amro Mathaei filio, et aliis Nestorianis, qui, quod sine horrore dici non potest, Alcorani testimonia cum laude adducunt. Habuerunt tamen illi Principes quosdam suae sectae inter Tartaros et Turcas; sed cum Cathedra Catholici olim in Perside, Modainae, sive Seleuciae Parthorum primo fuisset, deinde Bagdadum translata, infidelibus Dominis subjecti erant: tamen in suis Liturgiis orationem non habent, nisi pro Christianis Principibus.

Memento Domine sanctorum Episcoporum, etc. *P. 36. l. 22.*

In Syriacis Codicibus Mss. ut etiam in Missali Romae edito, singularis **Jacobi Apostoli commemoratio.** memoria occurrit, qua carent Graeci Codices. *Memento Domine sanctorum Episcoporum qui pridem obdormierunt, quique verbum veritatis nobis dispensaverunt, et qui a Jacobo principe Episcoporum Apostolo et Martyre, usque ad hanc diem, verbum fidei Orthodoxae in Ecclesia tua sancta praedicaverunt.* Nihil hic, ut videtur, nisi pium et ex vetere disciplina, ut memoria cum laude eorum renovetur, a quibus Ecclesia Hierosolymitana fundata, et Christianae fidei doctrinis et legibus instituta fuit. Verum quandoquidem haec formula Graecis incognita est, in primaevis exemplaribus qui ad Orthodoxos sive Melchitas spectabant, fuisse non videtur; quod affirmari certius posset, si antiquos Melchitarum Syriacos Codices haberemus. Illi porro cum a multis saeculis Officia sua sacra Graece celebrent, alterius linguae usum omnem in sacris amiserunt, et quotquot extant etiam vetustae Syriacae Liturgiae, Jacobitarum sunt. Inde fit ut verba quae retulimus ab illis adjuncta fuisse, existimemus.

Cognominatio illa Jacobitarum, si Orthodoxos et Nestorianos audiamus, **In hac commemoratione Jacobitas se-** originem habuit a Jacobo, quem Nicephorus et alii, *Zanzalum* appellant,

ctam suam commendare verisimile est.

Arabes *Baradaeum*, sive *Baradatum*, qui cum aliis, Monophysitarum haeresim per totum Orientem disseminavit, et plurimos tota Syria et Mesopotamia praesertim, Episcopos, Sacerdotes et Diaconos ordinavit. At haec denominatio illis non placuit: nam, ut ex aliquot Historiae Patriarcharum Alexandrinorum locis colligimus, *Theodosianos* se in Aegypto vocabant: quasi religionis a Theodosio juniore, sub quo Ephesinum Concilium convenerat, propugnatae defensores. Ita enim aliquot Autores Jacobitae scripserunt, Isa filius Zaraae, Ebnassalus, Elmacinus et alii nonnulli, cum id cognomen, si aliquando habuerunt, duxerint a Theodosio, qui XXXIII. Patriarcha numeratur, Timothei Aeluri successore, quique inter principes τῆς δεκακεράτου ὀρχήστρας ut illam vocat, recensetur ab Anastasio Antiocheno, et a quo Theodosianos, Monophysitarum aliquos, nomen habuisse, scribitur in libro de Haeresibus a Cotelerio edito. Ita nomen *Theodosianorum* ad Aegyptios solos pertinebat, et Severianorum ad Antiochenos Syros. Tandem cum praevaluisset ubique Jacobitarum cognominatio: quo majorem sibi dignitatem conciliarent, a Jacobo fratre Domini, quasi traditam ab eo fidem incorruptam servavissent, ita se appellatos fuisse jactaverunt, quod praeter illos nemo memoriae prodidit. Eam vero maxime probabilem causam esse additionis hoc loco Liturgiae a solis Jacobitis factae, non temere conjicimus. Mira enim est illorum de consensu veterum Patrum secum jactantia, eo major quod a viris non indoctis, quales apud eos multi fuerunt in lectione scriptorum antiquorum versatissimi, varia ex illis testimonia collecta sunt, praesertim ex Severi Antiocheni, qui πολυγραφώτατος fuit operibus, quae Syriace dudum et Arabice conversa, illos in opinione sua confirmant. Sunt hujus generis Collectanea multa, praecipuum vero locum apud eos obtinet, liber dictus, *Fides Patrum*, qui totus testimoniis hujusmodi contextus est. Conjecturam autem illam, certam facit, id quod legitur in Exhortatione ad Ordinandos, Pontificalis Medicei, in qua professio fidei de Trinitate et Incarnationis mysterio secundum Jacobitarum opinionem, ipsis praelegitur. In ea continetur, exigi ab Ordinandis *ut suscipiant omnia quae definita sunt in Synodis Nicaena, Constantinopolitana, et Ephesina: doctrinamque eorum qui fidem in illis Synodis promulgatam propugnaverunt, et posteris transmiserunt, ab Apostolorum tempore ad hanc usque diem: praecipue sancti Jacobi Apostoli Dei, Episcopi et Martyris veritatis.*

Hist. Patr. Alex. p. 126. 195. 213.

Hist. Patr. Alex. p. 139.

Anal. Gr. T. 1. p. 308.

Quos fidei suae doctores agnoscant Jacobitae.

Cum vero non inutile sit, scire quos traditionis suae autores esse existiment, recensebimus ex eadem Exhortatione illorum nomina. Linus, Anacletus, Clemens, Romani Episcopi: Timotheus Ephesi: Titus Cretae: Ignatius Antiochiae: Polycarpus Smyrnae: Dionysius Athenarum: Hippolytus, Julius, Anatolius, ut vulgo dicunt, Romae: Petrus, Alexander, Achillas, Alexandriae: Gregorius Neocaesareae: Basilius Caesareae: Gregorius Theologus Nazianzi: Gregorius Nyssae: Dionysius Alexandriae: Eustathius Antiochiae: Nectarius, Joannes, Constantinopoleos: Theophilus, Timotheus, Alexandriae: Amphilochius Iconii: Cyprianus Carthaginis: Cyrillus Alexandriae: Proclus Constantinopoleos: Dioscorus Alexandriae: Epiphanius Cypri: Theodotus Ancyrae:

Alexander Constantinopoleos: Irenaeus Lugduni: Methodius Olympi: Severus Antiochiae: Philoxenus Hierapoleos: Anthimus Constantinopoleos: Theodosius Alexandriae: Athanasius Antiochiae: Jacobus Patriarcha discipulus Jacobi, Faselitae: quae vox idem significare videtur ac Arabica *Bardaï*, sive centones ex pannis rudioribus, a quibus ita denominatum illum fuisse Eutychius testatus est. Petrus Patriarcha, Petrus alter: Julianus, non ille Halicarnasseus, nam illum ut haereticum anathemate feriunt: Theodorus, Ephrem Doctor: Isaac Doctor: Jacobus Doctor: Jacobus Edessenus, et D. Barsomas Archimandrita. *Petimus a vobis*, inquit Episcopus consecrator ad Ordinandos, *ut illis consentiatis, doctrinasque illorum puras, et electas amplectamini, diligatis et teneatis; et quaecumque fecerunt in Ecclesia sancta Dei ab initio Episcopatus sui, usque ad vitae finem consignatum canonibus, aut aliis scriptis, capitulis vel responsis, ut etiam sententias depositionis ab illis prolatas.* Atque illi sunt quos Ecclesia Jacobitarum Syriaca, ut Doctores agnoscit, et illorum, si paucos excipias, ut Linum, Anacletum, Timotheum, Titum, testimonia referuntur in recentiorum Theologorum Syrorum scriptis, ut multa Athanasii, quem mirum est in illa satis longa enumeratione non recenseri, errore, ut videtur, librariorum. Alios habent Jacobitae Alexandrini, praesertim suos Patriarchas, quorum Epistolas Paschales frequenter allegatas reperimus, et de quibus dicetur alibi. Illorum tamen vulgo in Diptychis commemoratio fieri non solet apud Syros; cum Aegyptii, Severi Antiocheni nomen, ut etiam Barsomae Syri, in suis nomina cum honore recitent. In hac sacri Officii parte, prolixiores sunt Syris Aegyptii, in quorum Diptychis plura longe referuntur istorum Ecclesiae doctorum nomina, quam in Syriacis. Inter eos porro qui a doctrina commendantur in formula quam Pontificalis liber repraesentat, sunt aliquot Patriarchae Antiocheni Jacobitae recentiores, quorum tamen, quantum conjicere possumus, nemo ante saeculum duodecimum non fuit. Nam Michaelis qui sub illius finem vivebat, viri eruditione et disciplinae zelo conspicui, quique Poenitentiae et Confessionis peccatorum necessitatem adversus Alexandrinos propugnavit, mentio nulla est. Reliquorum aliqui ex Historia noti, de aliis nihil habetur.

Commemoratio mortuorum.

P. 36. l. 36.

Orationes pro defunctis.

Si quidquam antiquissima omnium Ecclesiarum traditione stabilitum apud Christianos, et observatum est, commemoratio defunctorum fuit, ad altare Dei inter sacrorum mysteriorum celebrationem. Illam consuetudinem sua aetate ubique observatam, jam a veteri disciplina omniumque consensu confirmatam testatur Augustinus pluribus in locis, consentientesque habet veteres Patres omnes. Officia quoque antiquissima, non ea modo quae huc usque usurpantur sed Gottica, Gallicana, Mosarabica, Ambrosiana: Graecaeque Liturgiae, commemorationis illius formas exhibent, quae cum Orientalibus Copticis, Aethiopicis, Syriacis cujuscumque ritus Liturgiis, perfecte consentiunt, nihil

ut sit, de quo dubitari, aut in quo novitatem suspicari minus queat. Oratur autem Deus, *ut fidelium defunctorum animas quiescere jubeat in sinu Abraham, Isaac et Jacob; inter Patriarchas, Prophetas, et Martyres, inter choros Sanctorum suorum, in paradiso voluptatis et deliciarum, unde fugit dolor et gemitus.* Canones varii Conciliorum, recentiores quoque nonnullae de illa disciplina Constitutiones, leguntur in Collectionibus Syriacis et Arabicis: et in Historia occurrunt exempla bene multa Liturgiae, pro defunctis celebratae in illorum depositione: diebusque sequentibus, et anniversariis. Praeterea extat apud Syros, ut similes quoque in aliis Ecclesiis, liber singularis officia continens exequiarum, communia omnibus Laïcis; tum destinata exequiis Diaconorum, Sacerdotum, Episcoporum, Patriarcharum, in quibus variae preces sunt, in eamdem sententiam conspirantes. Editus est autem liber ille Romae, et Mss. codicibus satis accurate respondet. De Graecis non loquimur: quos nemo, nisi rerum Ecclesiasticarum imperitissimus, nescit veterem illam disciplinam semper et ubique retinuisse, et etiamnum observare.

Graecorum recentiorum opinio Syris incognita.

Verum pervulgata est adversus recentiores illorum Theologos controversia, quae animarum separatarum conditionem spectat, de qua inter Graecos et Latinos huc usque disputatur: quod scilicet Beatorum animae, usque ad supremum judicii diem coelesti felicitate non potiuntur, neque Deum vident, et illum errorem non modo Graecis, sed etiam Jacobitis Syris, nonnulli attribuunt, et inter illos praecipuus Orientalium accusator Thomas a Jesu, tanquam ex illorum Catechismo agnitum, quem tamen, ut erat linguarum imperitus, non nisi per interpretem legere potuerat. Inde concludit illos Purgatorium ignem non agnoscere: quod Coptitis pariter impingit; unde neque illos orare pro mortuis, temere omnino affirmat. Quid de talibus Orientalium Christianorum accusatoribus existimandum sit, de Thoma illo praesertim, alibi dictum est: atque uno verbo, testimonia hominis linguarum, et rerum imperitissimi, nemo adversus illos facile admitti debere judicabit. Certissime quippe constat omnes cujuscumque linguae aut sectae Christianos, ex antiquissima disciplina, orare pro mortuis in Liturgia, ut ex eo loco, quem illustramus, demonstratur: tum etiam eo maxime confirmatur, quod Liturgia nulla sit, inter tam multas quas habent Syri Jacobitae, quae mortuorum commemorationem non contineat. Cum tamen ex Actis Concilii Florentini notum sit, agitatam inter Graecos et Latinos fuisse quaestionem illam de statu animarum, neque illos qui unionem rejecerunt a pristina sua sententia recessisse, atque adeo Purgatorium ignem non agnoscere, in eodem errore versari Orientales Christianos causa non satis perspecta, affirmaverunt autores illi. Si de Melchitis loquuntur, potest etiam accusationis veritas periclitari, quamvis in illos solos cadere videatur, quos, cum Ecclesiae Graecae subjecti sint, in eadem, qua Graeci reliqui, opinione esse probabiliter potest judicari. Multi tamen sunt et fuerunt in Syria Christiani Melchitae, qui Syriace sacra celebrantes, aut Graece etiam, ut in locis aliquibus, quid Constantinopoli ageretur prorsus ignoraverint, unde neque turbatio illa quae ante et post Florentinum Conci-

L. 7. p. 1. c. 15. et l. 7. c. 23. Brerewood. c. 21.

lium Ecclesiam Graecam pervasit, vix unquam ad remotiores illos Christianos manavisse deprehenditur.

Quae vero Graecos recentiores spectant, circa illam de animarum separatarum conditione doctrinam, etsi cum quaestione de Purgatorio ita cohaereant, ut simul Ferrariae et Florentiae tractata fuerint, non tam ex ipsius quaestionis natura originem habent, quam ex Graecorum contumacia, qui dum Latinos insectabantur, ut quod alicubi, calumniose nimium et imperite Symeon Thessalonicensis scripsit, in omnibus peccare illos, demonstrarent, ultra terminos antiquos progressi, totam illam Theologiae partem contaminaverunt. Illud satis fuse a nobis probatum est alibi, nec ea repetere operae pretium foret, cum ad Orientales non pertineant. Ignorant enim illi, quidquid alteri de hoc argumento verbosissime disputaverunt, de dilata usque ab supremum judicii diem sanctorum felicitate, et impiorum damnatione: multo magis quod in inferno forent etiam electorum animae, in gemitu, tristitia, tenebris salutisque spe dubia, et dum ne tertium illum locum, quem Purgatorium appellamus, agnoscant, sanctos coelo deturbant, nullus alius animabus fidelibus, praeter infernum relinquitur. Ex eo etiam per preces Ecclesiae animas eorum, qui in peccato, aut etiam in infidelitate obierunt, educi posse pertendunt: nec puduit eos, imo nec Dositheum ante paucos annos Patriarcham Hierosolymitanum, portentosae illius opinionis: quam fabulis Falconillae et Trajani, ita ex poenis inferni liberatorum, confirmat. Ita dum illam de Purgatorio controversiam adversus Latinos ambitiosius prosecuti sunt, et Origenis errores illis objiciunt, in eosdem ivere praecipites, ut loco citato explicare conati sumus.

Graecorum doctrina nova et absurda.

Adv. Lat. p. 27.

Perpet. T. 5. l. 8.

Enchir. fidei p. 83.

Omnia haec Orientalibus ignota sunt, a quibus antiquitus observantur duo disciplinae capita, quae, si livor abfuisset, ad dirimendam quaestionem sola sufficiebant. Primum est, invocatio sanctorum, ad quos preces dirigunt in Liturgiis, aliisque omnibus Officiis, ut per orationes ad Deum, cui in vita sua placuerunt, gratiam et misericordiam aliis adhuc in terra positis, obtineant. Alterum preces in ipsa sacra actione repetitae, pro defunctorum quiete. At interpellare pro aliorum salute illi non possunt, qui de sua plenam securitatem non habent. Quod si quis objiciat formulam illam, de qua paulo ante dictum est, in qua pro B. Virgine, Martyribusque, et sanctis aliis, similes prope ac pro reliquis defunctis orationes occurrunt, videnda quae ad eum locum diximus: neque tanti est istius Officii solius autoritas, ut cum omnibus Liturgiis, quae simile nihil habent, possit comparari. Preces vero pro mortuis, expressam habent illarum formam, quae primitus in Occidente ad altaria pronuntiatae sunt, omnesque ex eodem limpidissimo fonte Traditionis fluxerunt. At neque Latini veteres Graecis, neque Graeci Latinis ullam de illarum significatione litem moverunt, et eaidem illam apud utrosque fuisse verisimillmmum est. Ex illarum igitur simplici intelligentia, in Oriente non minus quam in Occidente creditum fuit, prodesse mortuis vivorum suffragia, orationes, eleemosynas praecipue vero sacrificium Eucharistiae, illis autem qui ita vixissent ut possent haec ipsa illis utilia esse post mortem. Neque enim pro impoe-

Orientalibus ignota.

nitentibus, multo minus pro infidelibus mortuis, unquam oravit Ecclesia, quod tamen Graeci recentiores fieri posse concedunt, idque ut confirment recurrunt ad fabulas Falconillae et Trajani. Qua vero ratione, quandove fructus orationum et bonorum operum ad fideles defunctos perveniret, divinae providentiae relictum est. Purgari porro peccata levia, aut graviorum reliquias per ignem, Augustinus dudum docuerat, ut etiam Caesarius, quos multi alii imitati sunt inter Latinos. Ex Graecis vero Patribus prae caeteris Gregorius Nyssenus, cujus verba, cum recentiores ad suam sententiam trahere desperarent, illum, ut Origenis erroribus affinem, ex testium numero rejecerunt. Quantis vero difficultatibus laboret hominum istorum Theologia accurate exposuit ultimus operum S. Joannis Damasceni editor R. P. Michael Lequien Ordinis Praedicatorum doctissimus Theologus, et nos quantum satis esset, de eodem argumento loco citato diximus.

Dissert. Damasc. LXVII. et seq.

Novitate sua suspecta est.

Omnis porro inauditae illius Theologiae Graecanicae ratio, sola sua novitate suspecta esse debet, cujus praeter alia, non leve indicium ducitur ex Orientalium silentio, qui illam prorsus ignorant. At quicumque ejusmodi opinionum praejudiciis liberi sunt, et orationem, Liturgiamque pro defunctis observant ex vetusta traditione, animas eorum, si Martyres et alios eximiae sanctitatis excipimus, purgatione indigere, simul agnoscunt. Non igitur temere a doctissimis Theologis dictum fuit, orationem pro mortuis cum doctrina Purgatorii ita esse conjunctam, ut una sine altera stare non possit. Nec opponi debet obstinata Graecorum recentiorum contradictio, illam licet disciplinam conservent. Quippe quamdiu in simplici illius observatione constiterunt, nulla inter eos et Latinos controversia intercessit. Verum cum ea quae subtiliter magis quam vere, a nonnullis jactabantur, impugnare conati sunt: multa per summam calumniam Latinis imputaverunt, quae nunquam universali Ecclesiae consensu recepta fuerant, aut fidelibus ad credendum proposita: ipsi in gravissimos errores prolapsi sunt, quibus carent Orientales. Sane in omnibus Liturgiis pro illis tantummodo Christianis, qui in fide obdormierunt, preces offeruntur, non pro infidelibus, nisi pro illis qui adhuc in saeculo constituti ad Deum converti, et poenitentiam agere possunt, de quorum salute non desperandum, et idcirco pro illis orandum, docent Jacobus Edessenus et Dionysius Barsalibi, quod Ecclesiasticae omnium saeculorum disciplinae conforme est. Cum oratur Deus, ut animas eorum qui in Christiana fide vixerunt, etiam laudabiliter, liberet a poenis inferni, a doloribus sempiternis, ab igne inextinguibili, non ita haec intelligunt, ut illorum animas, talibus subjacere suppliciis existiment. Verum statim rationem subjungunt, quia nullus hominum mundus a peccato est, praeter Jesum Christum: nullus timere non debet si Deus nobiscum non agat secundum misericordiam suam, sed secundum peccata nostra. Non igitur magis impingi illis similis error potest, quam Latinae Ecclesiae, quae rogat Deum ut liberet *animas fidelium defunctorum, de poenis inferni et de profundo lacu, de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus et ut transeant de morte ad vitam.* Cum etiam petunt Orientales a Deo, ut *animas fidelium collocet inter choros Sanctorum, in locis amaenis,*

unde fugiunt dolores, tristitia et gemitus, perpetuam felicitatem illis postulari nemo non intelligit, quae sub talibus metaphoris significetur. Nihil porro huc usque nobis occurrit in Theologorum scriptis aut in Homiliis, unde vel levissimum indicium capi possit, autores illarum orationum, quae ex sacris literis ut plurimum contextae sunt, quidquam aliud cogitasse, praeter illam felicitatem, ad quam facilius consequendam, viventium suffragiis et Ecclesiae voce adjuventur.

Quae objici possunt de consensu Orientalium cum Graecis.

Quod si nonnulli, ut Moses Barcepha, ad vulgarem Graecorum sententiam videntur parumper declinasse, cum *Paradisum in Eden ab initio plantatum, locum esse* dicit *ubi justorum animae recipiuntur ab adventu Christi, atque ibi collocatam fuisse boni Latronis animam; post universalem vero Resurrectionem nullius usus futurum,* Doctoris inter suos celebris opinionem agnoscimus, et privati potius judicium, quam Ecclesiae Jacobiticae fidem, cujus expositiones variae publica autoritate scriptae, simile nihil continent. Sed neque confirmatur inde Graecorum nova Theologia, imo potius evertitur: nam si tertius locus admittitur, in quo requiescant justorum animae, illas in quiete agere et, si non modis omnibus plena, certa tamen, timorisque de sua salute vacua felicitate perfrui, negari non potest. Accedit, quod ipsi quae in Latinis damnant, committunt, cum tertius ille locus, qui nec infernus sit, nec coelum, sed Paradisus terrestris, in quo sancti ad ultimum usque judicium plenam beatitudinem expectent, nullam habet in scripturis autoritatem, cum ignis purgatorius in ea fundetur, juxta Patrum multorum Graecorum et Latinorum sententiam. Si diversa aliorum de illis ipsis scripturae locis judicia fuerunt: at de re ipsa consensus illorum aperte patet, cum opinionem de utilitate orationum et sacrificiorum pro defunctis fidelibus, et disciplinam eamdem ubique servaverint, omissis variis quaestionibus, *curiosis potius quam ad fidelium aedificationem utilibus, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio.* Eas a popularibus concionibus secludi jubet Tridentinum Concilium: incerta etiam, vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari prohibet. Nihil tamen frequentius a quibusdam hominibus inculcatum Orientalibus fuit, quam haec omnia, quibus, si Tridentinos Patres audiissent, abstinere debebant inter populares suos, multo magis, de fide tractantes cum hominibus indoctis, quos Catholicam et Orthodoxam fidem docere satis erat.

Mos. Barc. de Parad. p. 1. c. 18.

Conc. Trid. sess. 25.

Agnoscunt Orientales et laudant Dialogos Gregorii Papae.

Unum addemus et quidam hujus generis argumentum, quod maximi ad illam quaestionem explicandam momenti est. Habent antiquitus Graeci versionem Dialogorum Gregorii Papae, quam per multa saecula cum aedificatione legerunt et probaverunt, etsi multa de Purgatorio in illis contineantur. Ex Graeca Versione, Arabica facta est, anno Graecorum MXCI. J. C. DCCLXXIX. cujus exemplar ante annos septingentos, scriptum in membranis, extat in Bibliotheca Colbertina. Ita neque Graeci, neque Arabes Christiani ignoraverunt quid vulgo doceretur in Romana Ecclesia, neque tamen ante Florentinam Synodum controversia de Purgatorio ulla fuit. Antea igitur perfecta erat de doctrina consensio, quae similiter utrimque observatae disciplinae respondebat. Turbata illa est, cum adversus quosdam Theologos, qui for-

tasse plura a Graecis exigebant, quam fidei regula praescriberet, disputarent: isti vero dum incautius accusatoribus suis resistunt, ultra illius terminos progressi in varios errores impegerunt, ut superius probatum est, disciplinamque corruperunt, dum orationum et sacrificiorum suffragia ad impoenitentes, ipsosque infideles extenderunt. Haec vero omnia cum Orientales ignorent veteremque disciplinam constantissime huc usque retinuerint, cur illis similes errores attribuantur, causa idonea nulla est.

P. 38. l. 5.

Credimus, accedimus, obsignamus, etc.

Consignatio et unio utriusque speciei.

Haec oratio, et quae cum illa conjungitur caeremonia, ea est quam Graeci vocant Ἁγίαν ἕνωσιν, *unionem* scilicet specierum duarum, ut per eam demonstretur, id quod oratione quae Barsalibio tribuitur exprimunt, per quemdam modum professionis fidei, *hoc esse corpus istius sanguinis; hunc esse sanguinem istius corporis.* Cum vero plerique Codices Mss. Rubricis careant, quo ritu consignatio et unio ista fiat non explicatur, quamvis disciplina omnium Ecclesiarum Orientalium, similis omnino fuisse multis argumentis judicetur. Quomodo fiat apud Coptitas accurate exposuit Gabriel Patriarcha, cujus verba retulimus in Commentario ad hunc Liturgiae Basilianae locum. *P. 238. et seq.* Simpliciter Nestoriani ex particula calici immissa et madefacta, reliquas et ipsum calicem consignant. In Graeca Jacobi Liturgia discrimen observatur a Syriaca: quod ἕνωσις et consignatio fiat in ista ante Orationem Dominicam: in Graeca post Orationem Dominicam. Ita autem Graeca se habent *Εἶτα κλᾷ τὸν ἄρτον ὁ ἱερεύς, καὶ κρατεῖ τῇ δεξιᾷ τὸ ἥμισυ, καὶ τῇ ἀριστερᾷ τὸ ἥμισυ καὶ βάπτει τὸ τῆς δεξιᾶς ἐν τῷ κρατῆρι, λέγων, Ἕνωσις τοῦ παναγίου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, τοῦ κυρίου, καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Καὶ σφραγίζει τὸ τῆς ἀριστερᾶς· εἶτα τούτῳ τῷ ἐσφραγισμένῳ, τὸ ἄλλο ἥμισυ· καὶ εὐθέως ἄρχεται μελίζειν καὶ πρὸ πάντων διδόναι εἰς ἕκαστον κρατῆρα ἁπλῆν λέγων. Ἥνωται καὶ ἡγίασται, καὶ τετελείωται εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρός, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεί. Καὶ ὅταν σφραγίζῃ τὸν ἄρτον λέγει· Ἰδὲ ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ υἱὸς τοῦ πατρός, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, σφραγιασθεὶς ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, καὶ σωτηρίας. Καὶ ὅταν δίδω τὴν μερίδα ἁπλῆν εἰς ἕκαστον κρατῆρα λέγει. Μερὶς ἁγία Χριστοῦ πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, πατρὸς καὶ ἁγίου πνεύματος, ᾧ ἡ δόξα κλ.* Hoc est ex veteri interpretatione. *Deinde Sacerdos frangit panem, dimidiumque dextra, sinistra vero dimidium tenet, et quod tenet manu dextra, immergit in calicem dicens.* Unio sanctissimi corporis, et pretiosi sanguinis Domini et Dei ac servatoris nostri Jesu Christi. *Et signat id quod tenet manu sinistra, deinde hoc signato, alterum dimidium signati, ac statim incipit dividere, et ante omnia distribuere in singulos calices, partem unam dicens.* Unitum est et sanctificatum et consummatum, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper. *Et cum signat panem dicit.* Ecce agnus Dei, filius

Patris, qui tollit peccata mundi, mactatus pro mundi vita et salute. *Et cum distribuit unam partem in singulos calices dicit.* Portio sancta Christi, plena gratiae et veritatis Patris et Spiritus sancti, cui gloria et imperium in saecula saeculorum. Non ita omnino, unionem specierum duarum faciunt plerique Orientales, sed parum refert: cum omnibus solenne sit, ut in Latina Ecclesia, particulam unam, vel plures calici immittere.

Quomodo Coptitae illam observent videri potest in illorum Liturgia, et in Commentario ad eum locum: plures autem quam Syri caeremonias adhibent, quarum tamen una est intentio et significatio. Ubi Oblata consecrata statim in multas partes dividitur ex majori, quam *Σπουδικὸν* vocant Graecae Liturgiae Alexandrinae, unde Coptitae suum *Isbodicon,* aut *Asbadicon* formaverunt, consignatio fit calicis, et aliarum particularum. In omnibus autem Liturgiis Orientalibus, eadem prope fractionis ratio est. Nam ab initio Oblata in multas partes dividitur: Particulae quae calici immittuntur et intinguntur, ex majore illa sunt quae in medio disco collocatur, et circa quam aliae ordine disponuntur. Alia autem est ratio fractionis, quae fit ad calicis consignationem et ad *Sanctam unionem τὴν ἁγίαν ἕνωσιν*, et aliarum. Nam prima fit statim atque dona proponuntur in altari: secunda in quibusdam Ecclesiis in ipsa consecratione, cum dicitur *et fregit,* cujus fractionis nullum extat in Syrorum ritu indicium. Tertia cum ex majori particula, alia demitur, et calici immittitur: plures, cum calices ministeriales illa admistione *confirmandi* sunt, ut antiqui Latini Rituales loquuntur. Quarta tandem cum tota Oblata consecrata in multas particulas dividitur, ut Sacerdotibus distribuantur, ante quam calix ipsis praebeatur, aut calici immittatur ad Laïcorum communionem. Haec ita se habere ex aliarum Liturgiarum autorumque testimoniis intelligitur: cum Graeca Rubrica quam retulimus, aliquam habeat obscuritatem. Neque enim eodem momento confirmantur calices, quo fit *Ἕνωσις* in primo calice, cujus solius Syriaci Rituales meminerunt.

Ritus fractionis et unionis.

In eadem Graeca Jacobi Liturgia praemittitur *Ἑνώσει* non modo Oratio Dominica, sed proclamatio *Sancta sanctis:* in ritu Syriaco eidem subjungitur, quo in articulo potior videtur Syriaci, quam Graeci Codicis autoritas. Ut enim saepius observatum est, cum veteres omnes Liturgiae sint absque Rubricis, si quando in Codicibus reperiuntur, non semper recte dispositae sunt, quod in eo contigisse ex quo Graeca editio, et Latina versio expressa est, videtur omnino verisimile. Nam *Ἁγία ἕνωσις,* sive Unio duarum specierum, actio distincta est a fractione, quae fit ad distribuenda Sacramenta, quod Officiorum omnium Orientalium et Occidentalium testimoniis demonstratur. Neque, ut mox dicebamus, unica fractio est proprie loquendo, sed multiplex, et distincta. Primam quae fit cum Oblata altari imponitur, observare Syros ex Officio generali constat; secundam soli Coptitae faciunt: tertiam ad consignationem, omnes, ante quam fiat elevatio, cum dicitur *Sancta sanctis:* et mox quarta et ultima, cum majores particulae in minores franguntur, tum ad communionem Sacerdotum, tum ad confirmandos calices, tandem ad immittendas alias calicibus, ex quibus cum cochleari Eucharistia

Unio quando fiat ritu Syriaco.

intincta Laïcis datur. Unde qui Codici Graeco Rubricam adjunxit, duas diversas in unam videtur compegisse.

P. 38. l. 13.

Diaconus *dicit Catholicam.*

Catholica quid sit.

In Codice Florentino et in aliis bonae notae ita legitur, neque de veritate lectionis potest dubitari, cum illam agnoscat et explicet Barsalibi in suo Commentario. Illius vocis loco, alia reperitur in quibusdam Codicibus, quales fuerunt, quos expressit Romana editio: et illa vox est ברודיקי *Brodiki* vel *Prodiki*. Peregrinitas ejus statim agnoscitur: ex qua lingua in Syriacam migraverit, difficile dictu est. Sed parum refert, cum Versio Arabica ministerii Diaconici libro adjuncta, eam explicet per כרוא, quae *Proclamationem* significat, et orationem elata voce dicendam, ut *Catholica* dici debet: unde in aliis Syriacis exemplaribus vocatur כרוזותא. Dicitur etiam כולניתא: hoc est *generalis*, sive *Καθολικὴ*, ut ait Barsalibi, cujus haec verba sunt. *Incipit Diaconus Catholicam: et illa generalis oratio est, quia de omnibus memoriam revocat. Quidam dicunt, Apostolorum temporibus non extitisse Catholicam illam, quae ab illis verbis incipit.* Iterum atque iterum: *Sed quod Patres qui illos subsecuti sunt, eam rite admodum adjecerunt, ut statim post Diptycha recitaretur, ne mens populi in profundo silentio, quo Sacerdos ministerium Sacramentorum perficit, alio evocaretur. Neque*, ut prosequitur, *una et eadem est Catholicarum forma: aliae enim plano cantu recitantur; aliae per modulose et responsoria. Aliae rectae sunt, aliae nullatenus approbandae.* Probat autem et eximiam esse affirmat, eam quam versione expressimus. *Ecce sacrificium hoc perfectum est.* Illam porro formam non mediocris antiquitatis esse inde patet, quod legatur in Constitutionibus Apostolicis, quarum antiquitas, de qua inter Theologos controvertitur, scissionem Ecclesiae per Jacobitas aliquot saeculis antecedit. *Ἔτι καὶ ἔτι δεηθῶμεν τοῦ Θεοῦ διὰ Χριστοῦ αὐτοῦ, ὑπὲρ τοῦ δώρου τοῦ προκομισθέντος, κυρίῳ τῷ Θεῷ, ὅπως ὁ ἀγαθὸς Θεὸς προςδέξηται αὐτὸ διὰ τῆς μεσιτείας τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ ἐπουράνιον αὐτοῦ θυσιαστήριον εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας ταύτης, καὶ τοῦ λαοῦ, δεηθῶμεν. Ὑπὲρ πάσης ἐπισκοπῆς, παντὸς πρεσβυτερίου, πάσης τῆς ἐν Χριστῷ διακονίας καὶ ὑπηρεσίας, παντὸς τοῦ πληρώματος ἐκκλησίας δεηθῶμεν, ὅπως ὁ κύριος πάντας διαστηρήσῃ, καὶ διαφυλάξῃ. Ὑπὲρ βασιλέων καὶ τῶν ἐν ὑπεροχῇ, δεηθῶμεν . . . τῶν ἁγίων μαρτύρων μνημονεύσωμεν· ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων δεηθῶμεν. Iterum atque iterum oremus Deum per Christum ejus, ut bonus Deus suscipiat illud sacrificium, per mediationem Christi sui, ad altare suum coeleste, in odorem suavitatis. Pro hac Ecclesia, et populo, oremus: pro omni Episcopatu, omni Presbyterio, omni Diaconatu et ministerio omnis plenitudinis Ecclesiae oremus: ut Dominus omnes servet atque custodiat.... Pro Regibus et iis qui in dignitate sunt, oremus. Martyrum sanctorum memoriam faciamus: pro iis qui in fide defuncti sunt,*

oremus. Illas igitur orationes ex Apostolico instituto originem habere, non tam Constitutionum illarum autoritas probat, quam Orientalium omnium Liturgiarum consensus, quarum nulla, *Catholicam* illam precem non repraesentat. Illius Orationis meminit Joannes Chrysostomus his verbis *Δι᾽ ὃ καὶ ὁ ἱερεὺς ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης, ὑπὲρ τῶν προτέρων, ὑπὲρ τῶν νῦν εὐχαριστεῖν κελεύει. τῆς θυσίας προκειμένης ἐκείνης. Unde et Sacerdos, pro universo orbe, pro iis qui prius fuerunt, et qui nunc sunt gratias agere jubet, hoc sacrificio proposito.* *In Math. Hom. 25. p. 179. Ed. Gr.*

In ea quam retulimus formula, occurrunt haec verba de Angelis, *Et ei* (sacrificio scilicet) *cum terrore ministrant*, quae in textu Syriaco ambiguitatis aliquid offerre videbuntur. Sententia simplicissima est quam aliae orationes magis perspicue exprimunt, coelestes spiritus coram altari, in quo Christi corpus est, ministerium suum, obsequii scilicet, et venerationis exhibere.

Fractio Oblatae.

De fractione Eucharistiae haec habet Barsalibi. Accipit Oblatam Sacerdos eamque frangit in duas partes quo significet verbum vere passum esse in carne immolatumque et fractum fuisse in cruce. Accipit deinde partem ex corpore, eamque intingit in sanguine et cum ea signat super corpus, etiamsi, cum parte quae est in manu ejus, prius leviter tetigerit, sive pupugerit eam partem quae est in disco. Ita significat transfossum lancea fuisse Christum in latere suo. Deinde cum totum corpus, sive omnes quae in disco sunt particulas signat, significat ipsum esse qui occisus, sanguine suo respersus est: ipsum qui dixit in coenaculo *Hic est sanguis meus*: et in cruce cum latus ejus lancea apertum est, exivit ex eo sanguis et aqua, quibus respersus est. Quando ex sanguine corpus signat in formam crucis, unionem facit animae cum corpore, significans quod postquam separata est anima Verbi a corpore ejus, reversa est, eidemque rursus unita: quamvis nullatenus divinitas ejus separata fuerit a corpore ejus aut anima. Panis est corpus Verbi Dei: vinum autem ejus anima: quia sanguis est typus animae, sicut scriptum est, quod omnis carnis anima, sanguis ejus est. Iterum postquam signum fecit ex sanguine super corpus, unit et conjungit ad invicem duas illas partes Oblatae: atque ita significat, Emmanuelem unum esse, neque divisum post unionem in duas naturas: significat etiam, quod postquam in cruce immolatus est, pacificavit per sanguinem crucis suae, univit et conjunxit coelestia cum terrenis: populum cum populis et animam cum corpore. Oblatam quoque dum in circulum circumfert, significat quod pro peccato totius orbis immolatus est in cruce. Primo circumfert illam ad dexteram: secundo a sinistra refert ad dexteram, ut significet quod Dominus a sinistra, sive ab errore ad dexteram nos reduxerit. Fractio hostiae.

Accipit particulam ex corpore et mittit illam in calicem, ut intelligatur hunc esse sanguinem hujus corporis, et hoc corpus hujus sanguinis, non alterius, sed utrumque idem quod in cruce immolatum est: significatur etiam, quod licet in vasis duobus posita sint corpus et sanguis, tamen unum corpus dominicum est, Verbi Dei.

Postea corpus in plures particulas dividit, quia ita fecit Dominus cum corpus suum fregit et divisit in coenaculo: particula quoque sive Margarita quae in calicem mittitur, significat, hunc sanguinem esse hujus corporis, unumque et eumdem esse occisum, in sanguine et corpore.

Observat praeterea idem Barsalibi praeter illas particulas quibus consignatio fit et quae in calicem mittuntur, aliquas majores reservari tanquam praecipuas partes corporis dominici, quae dignioribus praebentur ad communionem: quod non satis videtur explicatum. Neque enim Orientales existimant particulam ullam alia esse digniorem: et istam opinionem refellit Echmimensis in sua Canonum Collectione, docens in exigua particula aeque contineri Christi corpus, ac in tota Oblata. Verum cum, ut alibi ex Jacobo Edesseno, aliisque Syris autoribus observatum est, Episcopis, si qui adsint, et sacerdotibus particula praebeatur, tum calix ex quo sanguinem bibant, illae particulae in disco reservantur: reliquae intinctae, cochleari administrantur. Monet etiam Barsalibi ut dum particulae majores franguntur, etiam ad communionem infantibus distribuendam, Sacerdos det operam ut signum crucis, quod singulis impressum est conservetur. Nempe, ut alias observavimus, Panes Eucharistici sive Oblatae, multis cruciculis signantur, et particula illa quae crucem habet, est proprie loquendo ea quam גמורתא, *Carbonem, Margaritam, Sigillum* vocant. Quod igitur ait Barsalibi, de infantibus intelligendum qui glutire possunt et mandere, non de aliis: ut neque particula ejusmodi integra semper data est: cum in minutissimas partes, etiam apud Graecos comminui Oblata soleat, et calici immitti, unde cochleari accipitur, et communicanti administratur.

P. 39. l. 9.

Sacerdos ante orationem dominicam.

Oratio ante *Pater noster.*

Brevis quaedam praefatio orationi Dominicae, ritu Orientali, quem Occidentales quoque retinent, praemitti solet. Ita dicimus, *Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati, audemus dicere.* Pater noster, etc. Oratio quam Syri, hoc loco recitant expressa est ex Graeca, quae incipit. *Ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ, τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ*, cum levi discrimine, quod observatur quoque inter alias ejusdem linguae Liturgias. Jacobus Edessenus. *Cum Sacerdos omnes orationes absolverit, dat pacem populo,* hoc est *dicit* Pax cum omnibus vobis; *et ter signo crucis facto benedicit, dicens.* Misericordiae Domini sint super vos. *Mox frangit et signat Eucharistiam, tum incipit orationem dominicam, quae deinde a populo integra recitatur:* In illis verbis agnoscitur hujus partis Liturgiae dispositio. Usi-

tatum porro est toto Oriente, ut Sacerdos celebrans prima verba orationis dominicae sola, alta voce pronunciet, reliqua secreto apud se recitat. Populus prosequitur. *Sciendum*, inquit Barsalibi, *quod Sacerdotem primo oporteat incipere orationem dominicam, quasi linguam corporis Ecclesiae: mox eam reliqui fideles prosequuntur.* Dicitur autem Syriace, quamvis plebs linguam non intelligat, ut apud Aegyptios veteris linguae aeque imperitos, Coptice. Nam licet habeant versiones Arabicas Orationis dominicae, quibus privatim uti solent, in Officiis publicis illis non utuntur: saltem nullum autorem aut librum Ritualem vidimus, qui, ut in lectionibus sacrae Scripturae consuetudo est, utraque, vulgari et antiqua lingua pronunciari Orationem dominicam, etiam obscure significet. Explicationes illius multas habent, quarum aliae Theologicae sunt, aliae ad plebis captum simpliciores: sed in Ecclesiis non leguntur.

Diaconus. *Inclinate capita vestra.* P. 39. l. 27.

Preces quae Orationi Dominicae subjiciuntur, Graecis accurate respondent, usurpanturque in omnibus Liturgiis. Monitio Diaconi ad populum, ut capita coram Deo inclinent, indicatur tantum per primas voces, in ipso Liturgiae contextu, sed extat in Officio Ministerii Diaconici. Nec habet quidquam, quod frequentissime non legatur in variis orationibus, in quibus agnoscere se testantur Orientales Christi corpus in altari positum; quod ex multis testimoniis alibi relatis certissime demonstratur, Habet hoc loco Graecus Codex orationem, quae Syris non est in usu. *Ἅγιε ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος*, sed quae occurrit alibi.

Inclinatio capitis quae hic praescribitur, ut *γονυκλυσία* in Graeco exemplari, non refertur ad solennem, quae paulo post subsequitur Eucharistiae adorationem, sed ad suscipiendam benedictionem Sacerdotis, qua populus praeparetur ad Confessionem sinceram fidei, secundum illam formulam, *Unus pater sanctus*, etc. quam omnes Liturgiae repraesentant, et singulares alias de Incarnationis mysterio, tum de veritate corporis et sanguinis Christi vere praesentis in altari, et mox communicantibus exhibendi. Qui enim testimonia aliquot veterum, quae nihil minus quam adorationem Eucharistiae significabant, ad eam detorquere conati sunt, isto ritu longe probabilius uti poterant, quod tamen nulli, ut opinor, venit in mentem, quia plerique veteres Liturgias aut non consuluerunt, aut non intellexerunt: multo minus, qui, ut plerique Protestantes omniumque audacissimus, simulque disciplinae tam veteris quam novae imperitissimus Claudius, Eucharistiae adorationem veteribus Christianis aut Orientalibus aeque incognitam fuisse affirmaverunt: de qua disciplinae parte, et dictum est ad Copticas Liturgias, et mox dicetur.

P. 40. l. 14.

Sancta sanctis.

Elevatio Eucharistiae et adoratio.

Hom. 51. ad Pop. Ant. It. Hom. 60. ad Heb. 17.

Vix ulla caeremoniarum Liturgicarum pars est, quae cum ista possit de antiquitate contendere, praesertim in Ecclesiis Orientalibus. Nam de illa formula, qua, ut ait Chrysostomus, sancti ad Eucharistiae communionem soli vocantur, et illius et omnium aliorum Patrum Graecorum infinita extant testimonia. Illam disciplinam imitatae sunt et huc usque retinuerunt omnes Orientales Ecclesiae, cum Liturgia nulla sit Graeca, Syriaca, Aegyptiaca, Aethiopica aut alterius cujuscumque linguae, quae illam non repraesentet. De Aethiopica fortassis litem movebunt eruditculi quidam, qui nullum de rebus Aethiopicis, Ecclesiasticis etiam, autorem habent praeter Ludolfum, de cujus imperitia rerum sacrarum, et mala fide, nimium fortasse multa aliquibus dixisse videbimur: pauca, ut apparebit ex Dissertationibus de hoc argumento nostris, dixisse nos agnoscetur. Nam formulam illam ita interpretatus est *sanctuarium sanctis,* quod absurdissimum est, nihilque significat, ut fusius ostendemus in Notis ad Liturgiam Aethiopicam.

Quomodo fiat.

Cum *sancta sanctis,* a Diacono, aut a Sacerdote inclamatum est, Sacerdos elevat Eucharistiam: praemissa secundum Graecum codicem ea quam diximus oratione. *Ἅγιε ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος: Sancte qui in sanctis requiescis.* In Liturgiis Aegyptiacis et Graecis Alexandrini ritus, elevatio similiter praescribitur, quae si ex rubricarum defectu non legitur in Syriacis plerisque, observatur tamen, ut ex Rituum Interpretibus et Theologis demonstratur. In Commentario ad Basilii Liturgiam multa de hac caeremonia jam dicta sunt, non modo quae ad Coptitas proprie spectant, sed etiam quae Syros, quorum illic nonnulla testimonia relata sunt. Cum enim ad illorum Liturgiam explicandam adjecissemus animum, nondum Syriacas interpretari et publicare constitutum nobis fuerat. Itaque non revolvemus illa quae jam dicta sunt eo loco, et ad omnes Orientis Ecclesias aeque pertinent, ea sola quae Syris propria sunt, attingemus. Eo loco Jacobi Edesseni, Dionysiique Barsalibi verba relata sunt, quae elevationem Sacramenti praescribunt accurate, qui Severi quoque Antiocheni autoritate disciplinam suam confirmant. *Signat Sacerdos ter signo crucis populum,* inquit Jacobus Edessenus, *eumque admonet quod sancta haec, puris et sanctis solis dantur. Tum elevat et ostendit Sacramenta omni populo, tanquam in testimonium: et clamant:* Unus Pater sanctus, etc. Severus Antiochenus, *Signat populum dicens*: Gratia sit vobiscum, etc. *Diaconus.* Cum timore aspiciamus. *Sacerdos.* Accedant qui sanctificati sunt. Sancta sanctis: *et elevat Sacramenta. Populus.* Unus Pater sanctus. Addit Barsalibi: *Sacerdotem elevare et circumferre Sacramenta clamando* Sancta sanctis: circumfert autem, ita ut loco non se moveat: Quamvis in plerisque Officiis, de elevatione calicis nihil praescriptum sit, illum tandem pariter cum disco attolli testatur in Commentario suo Barsalibi. Totam caeremoniam, qualis apud Coptitas observatur, diligenter explicavit Gabriel Alexandrinus Patriarcha cujus verba retulimus in Commentario, secun-

P. 245.

dum quam Sacerdos aliquamdiu partem illam Oblatae consecratae elevatam tenet, quo intervallo circumstantes usque ad terram procumbere venerabundos, deposita etiam capitum fascia, testantur Autores alii. In Graeca Alexandrina simpliciter. Ὁ ἱερεὺς ὑψοῖ τὸ σπουδικόν. *Sacerdos elevat Spodicon,* hoc est, ut alibi notavimus, Δεσποτικὸν σῶμα videlicet, seu *Corpus Dominicum.*

Protestantes frustra et temere negaverunt elevari in Oriente Eucharistiam.

Cum igitur plerique, Protestantes praesertim, elevationem Eucharistiae certum haberi velint adorationis indicium, et praefracte illam tam a Graecis, quam ab Orientalibus observari negaverint, habent quod postulabant. Pigere sane deberet eos qui veritatem sectantur ignorantiae magistrorum suorum, qui rem quae solis oculis elucidari absque Theologia poterat, non viderint, quia elevationem quaerebant loco non suo. Volebant scilicet illam statim, postquam verba Christi pronunciata sunt, reperiri: aliter nullam esse existimabant, quod absurditatem habet cum summa originum Ecclesiasticarum inscitia conjunctam. Nam si elevationem Eucharistiae certum judicant adorationis argumentum, quod non ita constat, ut de eo dubitari non possit: parum refert quo tempore sacri Officii Sacramentum elevetur, modo id fiat. Cum vero turbari Reformationis specie Ecclesia coepit, debebant Reformatores Liturgias Graecas quae jam editae fuerant vel leviter inspicere: illam sane agnovissent, si non eo ipso loco, quo in Romana Ecclesia fieri solet, at paulo ante Communionem, cum inclamatur *Sancta sanctis.* Primos illos adversus Ecclesiam conjuratos, qui barbariem et inscitiam tam frequenter nostris Theologis exprobrabant, haec ignorasse nemo mirabitur, qui aliquam in studio antiquitatis Ecclesiasticae operam posuerit, cum multa alia minus recondita illos nescivisse constet, et tanquam superstitiosas Romanae Ecclesiae novitates, instituta pia prope omnia condemnasse, quae sancta veterum Patrum commendabat autoritas. At aetate posteriores, maxime Albertinum, virum infinitae lectionis, qui etiam sordidissimos scriptores excusserat, haec ignorasse, aut, quod pejus est, dissimulasse, excusationem nullam habet. Negaverunt tamen elevari aut adorari Eucharistiam, quamvis adoratam illam semper esse constet, etiam cum elevationis mentio nulla foret: et si in illa sola, cultus religiosi nota certa constituenda est, illam Graeci et Orientales in libris suis consignatam habeant, et cum religione observent. Ita Claudius Carentoniensis, cui credere si malint tot ejus sectatores, potius quam indubitatis autorum, librorumque Ritualium testimoniis, illorum res agitur: sed ut testi imperitissimo rerum illarum, potius quam libris vetustis et indigenis credatur, nunquam obtinebunt: quo enim jure talis testis audiri posset, etiam a corruptissimo judice. At eruditorum Protestantium, eorum maxime qui linguarum Orientalium peritia commendantur, judicium non refugimus: imo ad illos provocamus, ut si quid habent in reconditis illis suis thesauris Orientalibus, quo refelli quae diximus de elevatione et adoratione Eucharistiae perspicue possint, ea proferant, publicaeque luci tandem exponant, heroemque illum suum a falsi crimine, quo reum illum facimus coram tota Christiana republica, si possunt, vindicent. Id autem praestabunt si autori-

tates producant Episcoporum, Patriarcharum, Canonum, Ritualium, quibus Eucharistiam non adorari probetur; aut quae inclinationem totius corporis, genuumque coram illa flexionem prohibeant: vel tandem monitum Liturgiis inscriptum, quo, ut in Anglicana, caveatur, ne quis propterea Eucharistiam adorare vellet. Haec enim sunt argumenta quibus in causa tam seria uti quisque debet, non inanibus peregrinantium aut mercatorum narrationibus, a quibus tamen non semel magnus ille Claudius vapulavit. Nihil contra valent familiares Epistolae hominum in Anglia de Constantinopoli somniantium: non nebulonum per Europam discurrentium perjuria, multo minus gerrae Hottingerianae. Neque tamen aliis autoritatibus *παράδοξα* de Orientalibus sua stabilivit, Catholicorum, ut suis dictus est, maximus triumphator, quae valebunt apud eruditos et veritatis amantes, si quando judicatum fuerit meridie non lucere.

Significatio formulae *Sancta sanctis.*

De formula *Sancta sanctis*, jam nonnulla dicenda sunt. Illius significatio simplicissima est, nempe *Sancta*, hoc est mysteria verbis Dominicis et adventu Spiritus sancti consecrata, non esse danda, nisi sanctis, hoc est fidelibus Christianis pie et sancte viventibus, et immunibus a peccatis, quae animam uno ictu perimunt, et per poenitentiam debent expiari. Ita passim haec verba explicantur a Theologis Orientalibus juxta communem Graecorum Patrum doctrinam. Ita Gabriel Patriarcha Alexandrinus, Michael Antiochenus, et alii multi. In Ecclesia Alexandrina, verba ipsa ut multae aliae veteres formulae, Graece pronunciantur *Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις*: quae ob linguae Graecae imperitiam, non uno modo Arabice interpretata sunt. In quibusdam enim Codicibus verba Arabica significant, *hoc est sanctum sanctorum*, quae sententia pia licet et vera, verbis tamen non convenit. Syri in quorum nullis Codicibus illa a nobis Graece reperta sunt, felicius eadem sunt interpretati, sed ita ut quaedam addiderint, *sancta sanctis, in perfectione, puritate et sanctitate traduntur*. In plerisque aliis simpliciter legitur, *sancta sanctis.* Quid illis verbis intellexerit vetus Ecclesia, et quid *sancta* significaverint: *τὰ ἅγια μυστήρια*, non actio ipsa sacra, et celebratio Eucharistiae vocabantur, sed dona sive elementa panis et vini, in altari proposita et mox consecrata, quae, ut tunc Graeci *τὰ ἅγια δῶρα*, ita Orientales *sancta mysteria*, aut simpliciter *sancta* appellant. Haec denominatio, ut aliae, *corporis sancti et sanguinis pretiosi*, qua vulgo uti solent, omnes eorum qui Catholicam de Eucharistia doctrinam impugnant rationes evertit. Inhaerentem enim ipsis elementis sanctificationem significat, non illam metaphoricam, ex usu eorumdem elementorum cum fide, quam solum medium quo accipitur corpus Christi, esse volunt. Sancta sunt enim antequam suscipiantur; non in ipsa susceptione, sancta fiunt, hoc est corpus et sanguis Christi. Neque sanctitas illa simplex est benedictio, aut consecratio materiae ad gratiam aliquam sacramentalem conferendam destinatae, ut aquae, et olei, aut chrismatis. Illa enim sanctitatem quamdam per orationes Ecclesiae percipiunt, et ea ratione sancta aqua Jordanis, sive Baptisterii dicitur, sanctum Myron sive Chrisma, sanctum oleum: at sanctum absolute sive *sancta τὰ ἅγια*, de sola

Eucharistia dicitur, quia illam esse credunt rem sanctissimam, nempe corpus et sanguinem Christi, quibus nihil sanctius. Nunquam porro vocare dona consecrata solent *panem sanctum et vinum sanctum*, sed panem vitae aliquando, quem Christus ipse se esse dixit: tanta est Orientalium non modo in rebus Eucharistiam spectantibus, sed etiam in illis explicandis religio.

Unus Pater sanctus, etc.

P. 40. l. 15.

Omnibus Orientalibus communis est hoc loco fieri solita a populo Trinitatis Confessio, scilicet ut antequam admittantur Christiani ad Eucharistiae participationem; brevem de Trinitatis mysterio Confessionem pronuncient. Illius meminerunt Jacobus Edessenus, Barsalibi, Canonum Collectiones variae, et Rituum Interpretes. In Liturgia Coptica Graece dicitur, ut plerumque solennium orationum formulae. *Εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος· ἓν πνεῦμα ἅγιον. Unus Pater sanctus; unus Filius sanctus: unus Spiritus sanctus. Amen.* Ita in Alexandrina Graeca Basilii: in Coptica, aliquando sola prima verba reperiuntur, sed plerique Codices melioris notae, illam totidem verbis repraesentant. Talis est Syriacarum omnium lectio, absque ullo discrimine. In Graeca tamen Jacobi, tota oratio ad Christum refertur. *Εἷς ἅγιος, εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστός, εἰς δόξαν Θεοῦ πατρός, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus, in gloriam Dei Patris, cui gloria in saecula saeculorum.* Ita quoque legitur in Graecis Basilii, Chrysostomique Liturgiis. Addunt Syri Doxologiam brevem, quam ex Libro Ministerii Diaconici transtulimus. Subjiciunt Coptitae eximiam illam fidei de Eucharistia Confessionem, de qua videnda sunt, quae in Commentario ad illorum Liturgiam observavimus. Quamvis enim nulla professio fidei simplicior et a metaphoris remotior inveniri queat, in Graecis, Latinis vel Orientalibus Officiis, non tamen antiquissima est, ut suo loco monuimus, cum praeter confessionem, quae veram corporis et sanguinis Christi praesentiam significat, addita sint nonnulla quae Monophysitarum doctrinam continent, qua sola ratione novitas eorum deprehenditur, cujus originem designavimus. Quod vero ad profitendam Eucharistiae fidem spectat, antiqua omnino est, neque alia a simplici illa et vetustissima formula, qua fideles Eucharistiam suscipientes utebantur. *Corpus Christi. Amen.* Illis enim tribus verbis idem intelligebant, quod postea pluribus explicatum fuit. *Corpus sanctum, pretiosum, verum, Emmanuelis filii Dei hoc est vere.* Amen. *Sanguis pretiosus verus, etc.* Nam cum haec verba Graece etiamnum dicantur apud Coptitas; antiquitatis ultra Muhamedana tempora, haec nota certa est. Syri a simplicitate non discesserunt, neque minus tamen praeclara in orationibus ante et post Sacramentorum perceptionem, ejusdem fidei testimonia in orationibus passim occurrunt: ut quae extant in Codice Colbertino, et in illo quem secutus est Boderianus, praeter alias quae leguntur in variis optimae notae Mss. Neque id factum sine exemplo, cum Graeci similes orationes suis Liturgiis adjunxerint: et

Com. ad Lit. Bas. p. 244.

Lit. p. 79.

P. 250.

pluribus verbis, quae vetus formula tribus exprimebat, recentiores explicaverint. Intellexerunt igitur, id quod Catholici pertendimus, per *sancta sanctis*, et *Corpus Christi. Amen*, significari, hoc quod ostenditur et communicantibus praebetur, esse ipsum corpus Christi, non quod Albertinus post mille et amplius annos excogitavit, *mysticum et metaphoricum, quod ipsi fideles non minus sint, quam elementa consecrata,* sed verum, in quo incarnatus, passusque, ascendit in coelum. Cum porro istae Confessiones fidei, non heri aut nudius tertius prodierint, sed ab undecim saeculis in actione, qua religiosiorem non habet Ecclesia, quotidie publice pronunciatae fuerint, verbis ita perspicuis ut dubitationem non admittant, si aliqua superesset in simpliciore formula, per alteras disculeretur. Verum istas nec Albertinus, nec Salmasius, nec alii Protestantes tetigerunt: quam bona fide, lectorum esto judicium. Qui enim ex istis Liturgiis habere se unde Catholicos refellerent, tam jactanter affirmabant, Salmasius ex Coptica Gregorii, Albertinus ex Aethiopica, Confessionem illam fidei quae in utraque statim subjuncta legebatur, explicare nobis debebant. Operae quippe pretium fuisset docere nos, verba propria et maxime significantia, plebi dicta, et demonstratione Sacramenti magnisque religionibus determinata, non illam doctrinam designare, quam, quisquis audit, intelligit: sed aliam penitus contrariam, eamque non ante ducentos annos natam, quam qui habeat in animo, quibuscumque verbis aliis, quam similibus exprimendam judicet.

P. 41. l. 13.

Sacerdos accipit corpus Christi.

Communio quomodo percipiatur.

In Commentario ad istam Copticae Liturgiae partem, ritum communionis satis fuse exposuimus, adeo ut pauca dicenda supersint, quia ut omnia quae ad communionis disciplinam spectant, uno conspectu exponerentur, non ea modo, quae ad Coptitas proprie spectabant, sed etiam multa Syris propria, simul explicavimus. Quod igitur Ecclesiis omnibus commune est, Sacerdos primus accipit corpus Christi, tum ex calice bibit sanguinem Christi. Deinde sacerdotibus qui sacrificio interfuerunt, sacram particulam ipse porrigit: calicem quoque dat ipse, vel Diaconus, ut ex eo bibant. Ita etiam alicubi observatum fuit ad communionem Diaconi ministrantis; vulgo tamen, tam ipsi quam Diaconis et reliquis ex Clero, particula intincta cochleari distribuitur, postea tandem Laïcis. Communis est Graecis, ut omnibus Ecclesiis Orientalibus haec disciplina, quam paucis verbis complexus est Meletius Piga Patriarcha Graecorum Alexandrinus *Τοῦτο δὲ παρ᾽ ἡμῖν τοῖς ἀνατολικοῖς εὐτάκτως γίνεται, παρ᾽ οἷς εἰςέλθονται εἰς τὸ θυσιαστήριον (τοῦτο γὰρ τὸ ἱερὸν βῆμα) οἱ ἱερεῖς μετὰ τοῦ ἀρχιερέως, ἢ τοῦ τὸν ἐκείνου τόπον ἐπέχοντος, στολὰς ἐνδεδυμένοι, ἱερὰς μεταξὺ ἱερουργοῦντες, καὶ λειτουργοῦντες ἐκτεταμέναις ταῖς χερσὶ λαμβάνουσι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ· μετὰ δὲ ταῦτα, τὰ χείλη τῷ ἱερῷ προςπελάσαντες, καὶ προςάψαντες ποτηρίῳ, τὸ αἷμα ἀρύουσιν· ἀλλὰ ταῦτα ἡνωμένα ἄμφω, διά τινος ὀργάνου, ἁρμοδίως*

Opusc. Gr. Gennad. etc. p. 111.

τούτῳ τῷ λειτουργήματι προηυτρεπισθέντος, εἰς τὸ στόμα ἐμβάλλεται τοῖς λαϊκοῖς. Hoc autem (scilicet communionis distributio) *apud nos Orientales praeclaro ordine fit, apud quos Sacerdotes cum Pontificè, vel eo qui locum ipsius tenet, ingressi ad altare, sive, quod idem est, sanctuarium, sive sacrum Bema, sacris amicti vestibus, dum sacro ministerio dant operam, porrectis manibus accipiunt corpus Christi, deinde labra sacro calici admoventes, sanguinem hauriunt: sed haec ambo conjuncta, instrumento quodam ad hoc ministerium, concinne accommodato, Laïcis in os ingeruntur.* Haec Meletius, qui nihil habet quod Graecis Orientalibusque Liturgiis et Ritualibus non confirmetur.

De eo ritu Protestantes siluerunt.

De illo ritu Sacramentum distribuendi, ne verbum quidem a Protestantibus, in tot de Communione sub utraque specie commentariis fieri videmus, quia scilicet ritualem illam materiam, etiam doctissimi inter illos prorsus ignoraverunt. Attamen, ut alibi fusius ostendimus, haec disciplina omnes illorum de calicis bibendi necessitate argumentationes funditus evertit: neque enim calicem bibere censendus est, qui minimam particulam intinctam vino consecrato, accipit in cochleari. Inde factum, ut etiam, cum inter Catholicos, quod aliquando contigit, de intincta communione diversae fuerunt sententiae: quibus illa non satis probabatur, eodem argumento pugnarent; cum ita calicem Domini bibi negarent. Consentiebant tamen, in utraque specie corpus et sanguinem Christi vere contineri: neque tantum de re ipsa, quantum de caeremoniali praecepto contentio inter illos erat. Nullus enim negabat intincta communione accipi verum corpus Christi, sed rite id fieri aliquibus non videbatur, quia ex instituto Christi calix eo modo bibi non videbatur. Protestantes vero negant corpus aut sanguinem suscipi, nisi panis edatur, et calix bibatur, quod Orientalibus nunquam in mentem venit, ut ex tota illorum disciplina manifestum est. Non igitur illam a Latina Ecclesia acceperunt, quae simile nihil observat, neque Episcopi aut Sacerdotes, de Laïcis calice defraudandis unquam cogitaverunt: neque Laïci de injuria contra praeceptum Christi sibi facta questi sunt, cum ex certis testimoniis constet eos non dubitasse, quin etiam in minima particula corpus et sanguis Christi continerentur, ut prae aliis accurate explicavit Echmimensis, et reliquis, quibus cura religiosa ad Eucharistiam distribuendam, usque ad minimas circumstantias commendata est.

Bona *Rerum Liturg. l. 2. c. 18.*

Observationes de Syrorum disciplina.

In Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam ex Syriacis autoribus nonnulla retulimus, ut disciplinae concordia magis elucesceret. Quaedam tamen hoc loco repetere, non inutile est, cum ad Ecclesiam Syriacam proprie spectent. Antiquissimum habemus ex illius Nomocanone testimonium, libri qui *Houdoio* appellatur, hoc est, ut vulgo loquuntur, *Directorium*, disciplinae vetustioris, secundum quam ita praescribitur. *Postquam acceperunt Sacerdotes corpus Christi, illi calicem bibent, sibique invicem bibendum praebebunt, postea saecularibus.* Nempe tunc ubique non minus in Ecclesiis Orientalibus quam in Latina, calix omnibus praebebatur, unde sequitur, *Sacerdoti non licet absque calice corpus sanctum tribuere: sed si fieri potest,*

ipse dabit corpus, Diaconus vero calicem bibendum praebebit, quod legitime et secundum Canones fiet, cum praeceperit Dominus in hunc modum: Edite ex corpore meo, et bibite ex sanguine meo. Nihilominus permittitur intincta communio his verbis. *Quod si id fieri non potest, corpus intingat Sacerdos, in calice quem Diaconus dextra tenet, communionemque det, ut in Occidente facere solent.* Diximus haec verba referri posse ad Latinos, vel ad Graecos, aut Aegyptios: nam ad quos proprie pertineant haud satis intelligitur. Illud quoque verisimile est, intelligi intinctionem particularum, quae calici immittuntur, quas Sacerdos celebrans educit ex calice quem Diaconus gestat, cum cochleari, cujus usus antiquissimus est. Nam praeter illam particulae majoris intinctionem, quae fit in unione et consignatione duarum specierum, in nullo ritu reperitur Sacerdotem particulas exiguas, quales sunt quae communicantibus distribuuntur, sola manu absque cochleari in calice intingere. Id enim facere vix posset, quin Sacerdos extremos digitos simul tingeret, quod ne fiat multis Canonibus cavetur, et si acciderit, poena canonica gravissima proponitur. Sed, ut saepe monuimus, omnes usque ad minutias caeremoniae in libris non quaerendae sunt. Illud modo certissimum haberi debet diversitates aliquot, si quae in administranda Eucharistia observari possunt in diversis Ecclesiis, tales esse, ut nulla alicujus momenti sit, omnesque vel cum Graecae vel cum Latinae etiam disciplina conveniunt, sive ea quae olim observata fuerit, sive quae etiamnum viget: nulla quae cum Protestantium Coenae variis formis possit conciliari. Nunquam enim quisquam inter illos de unione specierum, aut de fractione, qualis in Oriente fieri solet, cogitavit: multo minus de particularum intinctione aut de cochleari, vel calamo, qui tantum in Occidente locum habuit. Haec enim omnia, ut ipsi agnoscunt, ex realis praesentiae persuasione originem habuerunt, quam habuisse in animo illius disciplinae primos autores, omnino oportuit. Ita igitur credebant Christiani illi veteres, dudum antequam ipsa disciplina invalesceret: receptam vero illam in Oriente fuisse, ultra omnium schismatum memoriam vel ex eo satis constat, quod illam Orthodoxi, Nestoriani, et Jacobitae toto passim Oriente aeque retinuerunt, unde ante Concilium Ephesinum, et Calchedonense, disciplina et fides ex qua profecta erat, probabantur ab omnibus. Hinc funditus evertuntur inanes illae omnes Epochae, mutatae circa Eucharistiam fidei, in quarum substructione tantum stulti laboris etiam doctissimi Protestantes impenderunt. Quid enim poterat hoc in genere Paschasius, cujus ne nomen quidem ad Orientales unquam pervenit, aut Joannes Damascenus Graecis notissimus, sed Aegyptiis, Syris, omnibusque aliis, non ignotus modo, sed tanquam fidei perversae Nestorianorum et Jacobitarum impugnator, suspectissimus, et haereticus.

Varia distribuendae Eucharistiae forma.

At multis ante utrumque saeculis, et Eucharistiae specierum commistio, et cochlearis usus apud omnes receptus erat: et cochlear Latini semper ignoraverunt, ut Graeci calamum, cujus usus superest in solemni Missa Romanorum Pontificum, et in aliquot antiquissimis Ecclesiis, ut San-Dionysiana, secundo a Lutetia lapide. Apud omnes igitur Christianos constitit simul, varia

distributionis mysteriorum forma: ita ut calix non Ecclesiasticis modo, sed Laïcis primitus daretur, ut factum quoque diu in Occidente fuit. Eoque ipso tempore communio intincta dabatur apud Orientales Syros, duobus modis: nempe particula intincta a sacerdote in calice quem gestabat Diaconus: et eadem jam in calicem immissa, quae cochleari praeberetur. Primae formae alibi quam in citato loco ex Directorio Syrorum, nullum vestigium huc usque invenimus: sed cum non dubia sit libri illius autoritas, quin id quod describitur, in Syriacis Ecclesiis aliquando factum sit, vix potest dubitari. Manifestum est autem, particulam intinctam calicis usum, quem tantopere Protestantes urgent non repraesentare; nam calice secundum illam formam Laïci privabantur. Sequentia verba talia sunt. *Quod si nec illud poterit intingere, ob nimiam populi multitudinem, antequam separet,* (hoc est secundam in minutiores particulas fractionem faciat) *margaritam intingat in calice, tempore fractionis, et ita det communionem, sicut in Oriente solemus facere.* Itaque jam, cum illa disciplina scripta est, indifferens erat dare bibendum calicem, aut intinctam communionem praebere, ex *margaritis,* sive minutioribus particulis, quae calici immissae et sanguine madefactae, cochleari praebebantur.

Sequitur in eadem Constitutione. *Sacerdotibus autem et Diaconis Episcopus vel Sacerdos communionem dabit cum cochleari. Episcopus vero, si per se communicare velit, ascendet ad altare et descendet Sacerdos: illeque communicabit, aut a Sacerdote communionem accipiet. Archimandrita autem et Archipresbyter a Sacerdote celebrante illam accipient.* Sane si vel minimae du usu cochlearis dubitationi locus esset, discuteretur illa per hoc testimonium, quod consuetudine aliarum omnium Ecclesiarum sufficienter confirmatur. Similis ubique est sacrorum mysteriorum reverentia, statim atque consecratio illorum perfecta est; et cum distribuuntur fidelibus, et erga residuas illorum particulas: ut in Commentario ad Basilii Liturgiam dictum est, tum alio in loco, ubi de cura religiosa Sacramenti apud Orientales observata fusius diximus; de qua erunt quoque adjicienda nonnulla, ex propriis Syrorum autoribus. *Perp. T. 4. l. 3. c. 5.*

Diximus, in Liturgiis raro quae singulares caeremonias spectant adscribi solere, idque codices prope omnes palam faciunt, cum aliunde peterentur, praesertim ex non scripta traditione, quaecumque ad rite celebranda Sacramenta pertinebant. Haec observatio erga istam quam exponimus D. Jacobi Liturgiam locum habet, non minus quam erga alias, quarum usus non adeo frequentatur. Verum illum qualemcumque defectum supplent, quantum opus erat, Officia generalia. In isto, quae ad ritum Communionis spectant satis accurate explicantur, ut agnoscere facile sit maxima Syriaci ritus cum Aegyptiaco, quem Gabriel Patriarcha et Abulbircat fuse referunt, similitudo.

Ritus communionis ex Officio Generali.

Praescribitur in Syriaco illo Officio, ut Sacerdos, postquam dicta fuerit brevis Confessio, *Unus pater sanctus,* quae aliquot orationes ad arbitrium recitandas, subjunctas habet, operiat mysteria velis suis, accipiatque cochlear, et particulam quam ipse pro communione sumere debet: illud super calicem collocet, istam in disco. Tum descendit ab altari prostratusque coram illo,

pronunciat aliquot orationes praeparatorias ad communionem. In Aegyptiaco ritu Sacerdos celebrans loco non se movet; dum similis sententiae orationes secreto recitat. Quae autem particula גמורא sive גמורתא *Gamouro* sive *Gamourto* vocatur; ea est quam Alexandrini Graeci *Σπουδικόν*, hoc est *Δεσποτικὸν* supple *σῶμα* Arabice scribentes *Isbodicon*, vel *Isbadicon* vocant, de qua voce superius diximus: Neque una sola major prae aliis, quae elevabatur, et populo adoranda ostendebatur, ex qua etiam calix signabatur, sacerdosque communicabat, sed aliae minores: ita vocantur, nam illam vocem plurali numero Arabes usurpant, ut hoc loco Syri alteram.

Dum communicat Sacerdos dicit orationem, quam nemo, nisi realem transmutationem firmiter credat, possit pronunciare. In vetustis Codicibus non reperiuntur orationes similes, quod ad publicum minus, quam ad privatum Sacerdotis mysteria pie suscipientis Officium pertineant: neque enim aliter quam privatim recitantur, et ea sola ratione in ipsa sacra actione locum non habent, ut in Graecis Liturgiis, aut Latinis missalibus, nec idcirco perit illarum autoritas. Nam in Libro Ministerii Diaconici Syrorum Jacobitarum, et in Nestorianorum Officiis ut in eo quod Graeci vocant *Ἀκολουθίαν τῆς ἁγίας μεταλήψεως* *Ritum sacrae Communionis* et passim alibi, tales orationes occurrunt. Dicent fortasse nonnulli: recentiores cum sint, autoritatem illarum nullam esse, vel mediocrem: at etiam si ita foret, saltem illas, Ecclesiarum apud quas in usu fuerunt, suntque etiamnum, fidem repraesentare negari non posset, quod ad Claudii divinationes refellendas abunde sufficit. Sed novitas illa sexcentos, ut minimum, annos superat: cum inter preces illas una sit quae Dionysio Barsalibi tribuitur; vivebat autem ille cum Franci Hierosolymis regnabant; et illius aetatis comparatione, omnes Reformatorum doctrina et disciplina recentissimae sunt. Eam quoque reperimus in variis codicibus adscriptam cum autoris elogio, unde omnibus probatam illam fuisse constat. Alteram inseruit ipsi Liturgiae Dioscorus Gordyaeorum Episcopus, aeque significantem. Neque haec a Latinis accipere Jacobitae Syri potuerunt, quando quidem tales orationes non habemus, nec ulla inter illos et nostros homines illis temporibus communio aut societas intercessit, ut alibi satis probatum est.

Postea in Codice Colbertino, sequitur Mysteriorum distributio, de qua caeremonia, ut notissima, nihil singulariter praescribitur: verba tantum referuntur, quae Sacerdos celebrans tunc pronunciat. Ibi statim occurrit vox illa, de qua diximus גמורתא *Gamourto*, quae perspicue sacras particulas hoc loco significat. Nam Barsalibi satis eam explicat, dum ita vocat particulam quae calici immittitur: alias quae ad communionem Ecclesiasticorum primae dignitatis reservantur et minores quae praebentur Laïcis: Margaritam quoque vocat, quae vox sacras particulas significat, utraque per Metaphoram. Vox Syriaca גמורתא duplicem originem, utramque stilo Ecclesiastico familiarem, habere potest. Prior est simplicissima deducta scilicet a verbo גמר, quod, ut Hebraice, ita etiam Syriace significat inter alia, *absolvere*, *consummare*, *perficere*. Eo significatu *Gamourto* idem erit ac Graecum *τελέωσις* vel *τελετή*, quibus vocibus Graeci Sacramenta novae legis, prae-

sertim vero Baptismum et Eucharistiam designant, ut ex recentioribus Theologis manifestum est. Ea quoque ratione, Nestorianorum Catholicus Elias, voce Arabica cujus vis eadem est, sacra mysteria appellavit in Expositione fidei Christianae. In prima illa acceptione vox Syra τελετὴν seu Sacramentum Eucharistiae significabit. Verum, ut supra observavimus, cum eadem vox *Carbonem* quoque significet, et ita appellatas constet, non a Syris modo, sed a Coptitis particulas panis Eucharistici consecrati, per metaphoram a visione Isaiae expressam, aeque huic loco haec significatio potest convenire. Secundum hanc significationem dicunt: *Carbo propitiatorius corporis et sanguinis Christi Dei*, quia apud Prophetam legitur: *Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* Dicitur autem τελετή, seu carbo, corporis et sanguinis Christi, quia particula quae communicantibus praebetur, per unionem seu Ἁγίαν ἕνωσιν, de qua superius, et intinctionem, secundum communem Orientalium fidem, continet corpus Christi et sanguinem, ut etiam gutta quantumvis minima ex calice. Doctrinam enim *concomitantiae*, ut schola vulgo loquitur, non minus quam nos agnoscunt, ut de Graecis recentioribus perspicue constat, ex Epistolis Meletii Piga Patriarchae Alexandrini, a nobis editis. De Orientalibus, etsi rem ipsam Theologice non tractaverunt, non minus certum est ex constanti illorum disciplina, secundum quam, dum viaticum infirmis deferunt, solam panis consecrati particulam illis praebent. Infantibus, si illam deglutire non possunt, digito in calice intincto plenam corporis et sanguinis Christi communionem dare se non dubitant. Haec autem fusius exposita sunt in Commentario ad Basilii Copticam Liturgiam, et alibi cum de Communione sub una vel utraque specie tractatum est: quae repetere opus non est, cum valde similis ubique hac in parte sit Orientalium disciplina.

Isaias c. 6.

Opus. Gr. p. 106. et seq.

Sequitur in eodem Officio communi Colbertino *Sacerdotem portare discum dextera, calicem sinistra: cumque progressus fuerit a parte septemtrionali ad australem, elevare dexteram, tum egredi mysteria* sive Sacramenta, hoc est extra sanctuarium deferri, *ad communionem Laïcis et postea foeminis impertiendam.* Haec caeremonia accuratissime describitur in Rituali Gabrielis Patriarchae Alexandrini, ab Autore scientiae Ecclesiasticae, et aliis. Quamvis autem paucis verbis illam Syriaci Rituales definiant, qualis fuerit sufficienter intelligitur. Discus enim sacer particulas habet consecratas, quae elevantur, et ostenduntur. Ipsi autem Protestantes elevationem Eucharistiae cum ejus adoratione tantopere conjunctam judicant, ut quod illam caeremoniam in Graecis Codicibus multis non reperirent, non adorari ab illis Eucharistiam affirmaverint. Igitur etiam ex illorum sententia ubi elevatur, adoratur: atque adeo cum elevetur apud Syros, adorari quoque illam necesse est. Verum cultus ille religiosus tam perspicuis argumentis probatus est in Commentario ad Liturgiam Basilii Copticam, et alibi, ut eadem repetere necesse non sit: cum talia sint, ut illorum vis et autoritas per frivolas cavillationes eludi nequeant. *Egrediuntur mysteria*, quia Laïcis intra sanctuarium communionem accipere non licet: multo minus foeminis,

quae separatae a viris singularem in Ecclesia stationem habent, et ad eas Eucharistia defertur, eo ritu quem fuse describit Gabriel Alexandrinus Patriarcha, cui similem eum esse quem Syri observant, ut existimemus, multa suadent: quod in diversam opinionem inducat nihil occurrit. Quanta enim religione sacra mysteria apud Syros tractari soleant, quanta cura sit particularum minimarum: quanta severitas erga illos quorum negligentia aliquid decidit, ex illorum Nomocanone cujus varia hoc in genere testimonia retulimus, satis apparet. Regulae illae si alicubi non observentur, ut ex Itinerariis probare Claudius conatus est, Sacerdotum peccatum fuit, non alienae ab omnibus aliis Ecclesiis fidei indicium. Porro ubi disciplina non minutatim describitur, ad communem, praesertim illis Ecclesiis, quae eamdem fidem profitentur, recurrendum est. Illa est ut Laïcis communio distribuatur per intinctam particulam quae Cochleari praeberi solet: et illud habent Syri ut ex praecedentibus observationibus intelligitur. Diaconus calicem gestat: aut si calices ministeriales adhibentur, ob communicantium multitudinem, alii Diaconi illos gestant: proceduntque simul extra sanctuarium, usque ad septum mulierum. Plura non habent Syriaci Rituales.

Observatio de Diaconissarum Officio.

De sacr. Ord. P. 3. Exerc. 10.

Ms. Syr.

Verum hic offert se observatio singularis quae Syros proprie spectat, circa Diaconissarum officia. Ordinationem aliquam in Ecclesia Graeca illas olim habuisse ex variis autorum testimoniis et Pontificalibus, probavit vir Clarissimus Joannes Morinus: et inter alias caeremonias observavit, calicem illis in manus dari, ut sanguinem Christi bibant, sed illas in altari eum reponere, nulli vero bibendum illum praebere. Inter Ordinationes Syrorum quas idem edidit, singularis nulla Diaconissarum reperitur, ut neque in Codice Florentino: tamen eamdem honoris praerogativam illas habuisse apud Syros dubitari non potest, imo majores nonnullas, quarum mentio est in Responsis Canonicis Joannis Episcopi Telalensis, cujus saepe testimonia referuntur in Nomocanone. Testatur enim *Diaconissis licere non modo calicem accipere de manu Sacerdotis, sed etiam posse illas absente Sacerdote, aut Diacono, sororibus suis in Monasterio Eucharistiam administrare, imo et pueris, modo quintum aetatis annum non attigerint: vasa etiam sacra abstergere et abluere, ipsis licere* adjungit. An igitur in communione mulieribus distribuenda pars aliqua ministerii Diaconici illis attributa fuerit, dicere non possumus: sed nihil simile observatum a nobis huc usque fuit, in disciplina Ecclesiae Alexandrinae, in qua Diaconissarum vix ulla memoria est: quae etiam inter Syros et Graecos ipsos dudum obliterata est. In ipso etiam Nomocanone, ubi frequentissime referuntur Joannis Telalensis testimonia, nulla istius Diaconissarum ministerii mentio est. Sed haec quaestio, si Deus vitam concesserit, alibi fusius explicabitur, in Commentario de sacris Orientalium Ordinationibus.

Multa Commentario suo inseruit Dionysius Barsalibi, quae cum ad Theoriam, sive significationem mysticam spectent, omisimus: ea enim aliunde satis nota est, eique non absimilis quam fuse exposuit in sua Theoria, Germanus Constantinopolitanus Patriarcha. Satis visum est ea observasse quae tum

ad disciplinam, tum ad fidem spectabant. Tandem omnes orationes et caeremonias, quibus illae quarum interpretationem damus Liturgiae constant, aut explicat aut designat ille Theologus: adeoque veram Officii Eucharistici formam in illis contineri certum esse debet.

DE SEQUENTIBUS LITURGIIS

MONITUM.

Liturgias quae sequuntur in ordinem certum distribuere qui vel temporum rationi responderet, vel earum dignitati, quae ex frequentiori usu duceretur, non facile est. Codicum Mss. etiam antiquissimorum, certa dispositio nulla est, cum nullus inter plurimos quos tractavimus, omnes, quarum versionem damus, Liturgias contineat. Ex autorum quorum nominibus inscribuntur, antiquitate vel dignitate, conjectura capi nulla potest, cum titulorum fides exigua sit, et aliquas quae Apostolorum, aut sanctorum Patrum nomina praeferunt, recentiores esse constet. Itaque primo referetur Liturgia Jacobi brevior a Gregorio quodam Catholico ordinata, quod cum majori, quae omnium vetustissima est, maximam habeat affinitatem. Sequetur Liturgia Xysti Romani, quia in aliquot antiquis codicibus, ut in Romana Missalis Chaldaici editione primum locum tenet, et ad eam Officium commune accommodatum est.

LITURGIA

MINOR SANCTI JACOBI

FRATRIS DOMINI ORDINATA PER GREGORIUM CATHOLICUM ORIENTIS, INTER MONTES ARMENIAE MAGNAE AN. GRAECORUM MDCCCCIII. J. C. MDXCI.

Oratio ante Pacem.

Deus omnium Domine, praesta nobis indignis salutem hanc, ut absque dolo conjuncti per vinculum caritatis, salutemus invicem in osculo sancto et divino, offeramusque tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo et Spiritui sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo. Demus Pacem.

Sacerdos. Ipse qui es solus Dominus misericors, qui in excelsis habitas, et humilia respicis, mitte benedictiones ad eos qui inclinant colla sua coram te, et benedic illis per gratiam unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc, etc. Amen.

Deus pater qui per amorem tuum erga homines magnum, misisti filium tuum in mundum, ut ovem errantem reduceret, ne Domine rejicias cultum hunc nostrum, sacrificii hujus incruenti; quandoquidem in miserationibus tuis et non in justitia nostra confidimus. Ne ad judicium nobis veniat mysterium hoc, quod ad salutem nostram institutum est: sed ad abolitionem peccatorum nostrorum, et ad gratiarum actionem referendam tibi, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto, nunc, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae.

Sacerdos. Gratia.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, nos opifici omnis creaturae gratias agere, eumque adorare et glorificare.

Elevans vocem. Quem laudant Virtutes coelestes; corporeae et incorporeae (creaturae) sol et luna et omnes stellae, terra et maria, primogeniti descripti in Jerusalem coelesti, Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, Virtutes, Cherubim multioculi, Seraphim sex alis instructi, qui opertis faciebus et pedibus, volant alter ad alterum, sanctificant, clamant et dicunt.

Populus. Sanctus, etc.

Sacerdos inclinatus. Vere sanctus es, et sanctificator, rex saeculorum. Sanctus etiam Filius tuus, Dominus noster Jesus Christus. Sanctus etiam Spiritus tuus sanctus, qui scrutatur abscondita tua. De terra hominem creasti, et in paradiso collocasti: cumque transgressus fuisset mandatum tuum, non deseruisti illum errantem, sed direxisti illum per Prophetas: tandemque unigenitum filium tuum misisti in mundum, qui incarnatus est de Spiritu sancto, et ex Maria Virgine: et renovavit imaginem tuam, quae deturpata erat.

Elevans vocem. Cum vero paratus esset ad suscipiendam mortem voluntariam, pro nobis peccatoribus, ipse qui peccatum non fecerat, accepit panem in manus suas sanctas, et gratias agens, † benedixit, † sanctificavit † et fregit, deditque Apostolis suis sanctis, et dixit. Accipite, manducate ex eo. Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem accepit, et gratias agens † benedixit, † sanctificavit, † et dedit iisdem Apostolis suis sanctis, et dixit. Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite in meam commemorationem: quando communicabitis huic mysterio, mortem meam et resurrectionem meam commemorate, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine, etc.

Sacerdos. Mortem tuam commemoramus Domine, et resurrectionem tuam post dies tres, ascensionem quoque tuam in coelum sessionemque ad dexteram Dei Patris: nec non adventum tuum secundum, in quo judicaturus es orbem in justitia, et reddes unicuique secundum opera sua. Idcirco sacrificium hoc incruentum offerimus tibi, ut non secundum delicta nostra facias nobis, neque secundum peccata nostra retribuas nobis: sed secundum miserationes tuas multas, dele peccata nostra, servorum tuorum. Populus enim tuus et haereditas tua deprecatur te et per te Patrem tuum dicens:

Populus. Miserere. *Sacerdos.* Nos quoque.

Sacerdos. Invocatio Spiritus sancti.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos. Exaudi me. Miserere nostri, Deus Pater, et mitte super nos, et super oblationes istas, Spiritum tuum sanctum, qui est Dominus, aequalis tibi et Filio, throno, regno, et substantia aeterna: qui locutus est in Testamento veteri et novo tuo: qui descendit specie columbae super Dominum nostrum Jesum Christum in Jordane flumine, et tanquam linguae ignis super Apostolos, in coenaculo.

Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut illabens efficiat panem istum, † corpus vivificum, † corpus salutare, † corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem istum perficiat, † sanguinem Novi Testamenti, † sanguinem salutarem, † sanguinem ipsius Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sanctificent animas et corpora, communicantium illis, ad ferendos fructus operum bonorum, et ad confirmationem Ecclesiae sanctae, quae super petram fidei stabilita es, et a portis infernalibus superari non potest. Et libera eam a scandalis haereticorum usque in finem, ut referat tibi gloriam et laudem, et unigenito, etc. Amen.

Diaconus. Oremus.

Sacerdos inclinatus. Offerimus tibi sacrificium hoc incruentum, pro Sion sancta, matre omnium Ecclesiarum, et pro Ecclesia tua sancta, toto orbe diffusa, ut largiaris illi donum Spiritus tui sancti.

Memento etiam, Domine, Patrum nostrorum piorum et Orthodoxorum, Patriarchae nostri Domini N. et Domini N. et Episcopi nostri Domini N. Presbyterorum quoque et Diaconorum, et totius Ordinis Ecclesiastici: cum infirmitate mea. Peccata juventutis meae ne memineris mihi, sed secundum misericordiam tuam vivifica me. Memento quoque fratrum nostrorum captivorum, infirmorum, variisque morbis laborantium, et eorum qui a malignis spiritibus infestantur. Aëri quoque et coronae anni benedicito, perficiens bonam voluntatem tuam, erga omne vivens.

Elevans vocem. Et libera nos, Domine, ab omni impugnatione hominum malorum: ab omni incursu et infestatione daemonum, et ab omnibus plagis quae peccatorum nostrorum causa venturae super nos forent. Conserva quoque nos in observatione mandatorum tuorum sanctorum, quia tu Deus misericors es, et tibi gloriam referimus, et unigenito, etc.

Inclinatus. Memento Domine Patrum et Fratrum qui nobiscum adstant et orant: et eorum qui a nobis migraverunt: ut eorum qui voluerunt offerre, nec potuerunt: unicuique concede honestas petitiones suas.

Elevans vocem. Memento Domine omnium quorum meminimus, et quorum non meminimus. Suscipe sacrificia eorum in amplissima regione coelorum tuorum. Retribue illis laetitiam salutis, et praesta illis auxilium a te: robora illos virtute tua, et arma illos fortitudine tua, quia tu es misericors, et tibi gloriam referimus, et unigenito, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum et Reginarum, qui veram religionem profitentur: auxilium illis da per armaturam spiritus: omnes qui illos oderunt subjice illis, ut nos tranquillam vitam agamus.

Elevans vocem. Quia tu es salvator et auxiliator, dasque victoriam omnibus qui sperant in te, Domine, tibique gloriam referimus et unigenito, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Quandoquidem tu vivorum et mortuorum dominaris, memento Patrum sanctorum, Prophetarum, Apostolorum, Virginum, Genitricis Dei, Joannis Baptistae, Stephani, Martyrum, simul cum omnibus justis.

Elevans vocem. Rogamus te, Domine, ut robur des impotentiae nostrae: adjunge nos coetui primogenitorum descriptorum in coelis. Eorum autem commemorationem facimus, ut etiam ipsi memores nostri sint coram te, et communicent nobiscum huic sacrificio spirituali, ad conservationem vivorum, ad confortationem eorum qui inter nos aegrotant, et ad requiem fidelium qui decubuerunt Patrum, fratrum et magistrorum nostrorum, per gratiam, et miserationes unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, Praesulum verorum, eorum qui a Jacobo principe Episcoporum, usque ad hanc diem, orthodoxam fidem in Ecclesiis tuis confirmaverunt.

Elevans vocem. Doctrinam illustrium illorum doctorum, qui portaverunt nomen tuum sanctum, coram populis, regibus, et filiis Israel, in animabus nostris confirma: haereses nobis perniciosas comprime: et praesta nobis ut consistere absque reprehensione possimus coram tribunali tuo tremendo: quia sanctus es, et sanctificator sanctorum; tibique gloriam referimus, et unigenito filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, omnium ex Ordine Ecclesiastico, qui in fide Orthodoxa pridem obierunt et quieverunt: et cujuscumque, pro quo sacrificium obtulerunt, et eorum qui nunc nominantur.

Elevans vocem. Domine, Domine Deus spirituum et omnis carnis, memento omnium eorum, qui in fide recta a nobis migraverunt: quietem praesta corporibus, animabus et spiritibus eorum, et libera eos a damnatione quae finem non habet. Cumula eos laetitia, in regione quam illuminat splendor vultus tui, delens praevaricationes eorum, nec intrans in judicium cum illis, neque enim quisquam purus est a peccato coram te, nisi solus unigenitus filius tuus, per quem etiam et propter quem speramus misericordiam consequi, et nobis et illis. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Remitte et parce Deus peccatis quae commisimus, cogitatione, verbo et opere, manifestis et occultis, quae tibi manifesta sunt.

Elevata voce. Finem nostrum autem absque peccato custodi, Domine, et congrega nos sub pedibus electorum tuorum quando, ubi, et quomodo volueris, solummodo absque confusione propter peccata

quae commisimus, ut in omnibus, glorificetur, et celebretur nomen tuum honorandum et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi et Spiritus sancti, nunc, etc.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Sacerdos frangit et signat: Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, qui a Cherubim benediceris, et a Seraphim sanctificaris, quique a millies millenis, et decies millies decies millenis, exercituum spiritualium extolleris, qui oblationes, et fructus qui in odorem suavem tibi oblati sunt, sanctificas et perficis: sanctifica etiam animas, corpora et spiritus nostros, ut corde puro et facie non confusa, invocemus te, pater coelestis, oremusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Domine, ne inducas nos in tentationem, etc. et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem et unigenito.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra Domino.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Inclinaverunt tibi capita sua servi tui pauperes, quia divites sunt misericordiae tuae: mitte Domine benedictiones, et sanctifica animas, corpora et spiritus omnium nostrum, et fac nos dignos communicandi mysteriis vivificantibus Christi Salvatoris nostri: referemusque tibi gloriam et laudem et unigenito.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sint.

Diaconus. Cum timore. Kyrie eleison.

Populus. Unus pater.

Oratio gratiarum actionis.

Sacerdos. Gratias agimus tibi, Domine, propter multitudinem miserationum tuarum, per quas meruimus communionem mensae tuae coelestis. Ne condemnemur, Domine, propter susceptionem mysteriorum tuorum sanctorum; verum praesta nobis, ut communicemus spiritui tuo sancto, et cum omnibus justis qui a saeculo fuerunt inveniamus partem et haereditatem, referamusque tibi gloriam et gratiarum actionem, et unigenito, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Post susceptionem.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Deus magnus et admirabilis, qui propter salutem generis nostri humani inclinavisti coelos, et descendisti: propitius esto et miserere nobis, ut perpetuo glorificemus te Deum Patrem, Filium tuum et Spiritum tuum sanctum, nunc, etc. Amen.

Benedic, Domine. *Sacerdos.* Benedic omnibus nobis.

DE JACOBI BREVIORI LITURGIA

OBSERVATIO.

Istius Liturgiae unicum habuimus exemplar ex Bibliotheca Colbertina, recens procul dubio, quandoquidem ejus antiquitas centum viginti annos vix attingit, ut intelligimus ex titulo, qui eam ordinatam esse docet anno Graecorum seu Seleucidarum MDCCCCIII. qui respondet anno J. C. MDXCI. Absque ea temporis nota fuisset, existimari poterat, brevioris istius Liturgiae Officium ordinatum fuisse a Gregorio Abulfaragio, ex multis aliis operibus Ecclesiasticis notissimo, de quo plura dicentur in Observationibus ad illius propriam Liturgiam. Eamdem enim ipse dignitatem Catholici seu *Mofriano,* obtinuit in Ecclesia Syra Jacobitica, ac recentior iste Gregorius. Sed cum Abulfaragium anno Graecorum MDXCVII. J. C. MCCLXXXV. mortuum esse constet, ex Codice Mediceo, Gregorius iste alius omnino fuit. Cum vero obscurissima

sit successio Patriarcharum Antiochenorum, multo magis Catholicorum, de eo nihil nobis dicendum suppetit, nisi per conjecturam. Extat in Bibliotheca Regia Codex Arabicus, quo continentur sermones Ethici Simeonis Monachi, filii Khalil, scriptusque notatur anno Graecorum MDCCCXCVII. J. C. MDLXXXIV. cum esset tunc Patriarcha Antiochenus, Mar Ignatius, cognomine Daoud Chah: Mofrian sive Catholicus Orientis Mar Basilius, cognomine Filatus: Metropolita Hierusalem, Gregorius cognominatus Karkari. Is igitur quoniam tempora conveniunt, potuit ex Metropolita Hierosolymitano ad Catholici dignitatem promoveri, quae superior est in Ecclesia Jacobitica Syriaca: in qua maximo, non minus quam apud Graecos, veterum Canonum contemtu, translationes Episcoporum a multis saeculis frequentissimae sunt.

Causa quae autorem movit, ut Jacobi Liturgiam in compendium contraheret, servatis orationibus necessariis, haec potissimum fuisse videtur. Variis Ecclesiasticis Constitutionibus tam apud Syros, quam apud Alexandrinos Jacobitas praecipitur, ut in sacramentis administrandis Liturgia celebretur: neque ullum prope est quod absque Liturgia fiat. Cum vero illa ritu Orientali satis prolixa sit, in Baptismo praesertim, qui aegrotanti aut moribundo infanti administraretur, accidere poterat, ut priusquam omnes orationes et caeremoniae perficerentur, moreretur baptisandus. In eo periculo praecipitur Sacerdotibus ut preces multas omittant, necessarias tantum pronuncient. Tanta porro est plerumque Sacerdotum Orientalium imperitia, ut in orationum delectu falli graviter possint; nec minor multorum temeritas. Vidimus enim Codices aliquot Liturgicos, ab ipsis descriptos, in quibus addiderant et sustulerant multa: et talem consarcinaverat Sacerdos quidam Mesopotamenus Abdelahad, sive Dominicus, qui Lutetiae diu vixit et diem suum obiit. Illud vero exemplar, quod Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Parisiensi, tanquam formam Liturgiae Orientalis obtulit, neque cum Mss. neque cum Romana editione consentiebat. Memini quoque Eliam Bagdadensem, quem toties Ricardus Simon loquentem inducit, cum Liturgiam celebraret ex Missali Maronitico, tria vel quatuor folia praeteriisse: respondisseque mihi, fecisse id, ne prolixitas orationum taedio esset circumstantibus. Videtur itaque Gregorius edita breviori Liturgia, et imperitiae et temeritati Sacerdotum consultum voluisse: laudando sane consilio.

Cum vero illa contineat preces et caeremonias omnes necessarias, ex viri qui secundam in Patriarchatu Jacobitarum Antiocheno dignitatem obtinebat sententia, quale de partibus Liturgiae judicium illius foret, hinc licet existimare. Itaque verba Christi sacramentalia, non minus quam Invocationem, necessaria judicavit, neque ea compendio tradidit, ut in quibusdam Liturgiis factum videmus, quo ex vitio idem Criticus probari credidit, Syros eodem errore laborare, quem Graecis recentioribus impingit, ex vulgari opinione. Agnoscitur quoque quid de invocatione Spiritus sancti sentiant, cum veterem quae in omnibus Codicibus cujuscumque linguae vel ritus lectionem, haec Liturgia repraesentet: quid etiam senserint de verbo נחוא quod est Graecorum ἀναδείξῃ, cum illud expresserint per נעבד *faciat, efficiat* ποιήσῃ, loquendo

de panis specie per נשמלי τελειώσῃ *perficiat*, de calice. Ita enim Gregorius, cavillandi ex grammaticis observatiunculis occasionem praecidit, dum vocibus usus est, quae obscuritatis nihil haberent: et si qua fuerat in majori Liturgia, illam sustulit. Nihil praeterea in breviori ista occurrit observandum.

LITURGIA

SANCTI XYSTI PAPAE ROMANI.

Primum Oratio ante Pacem.

TRANQUILLITATEM et pacem, et caritatem usque in saeculum, perpetuo concede Ecclesiae tuae et ovibus gregis tui, Domine: et referemus tibi gloriam, et laudem, simulque unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sanctissimo, bono, adorando et vivificanti, tibique consubstantiali: nunc et semper in saecula.

Populus. Amen.

Diaconus dicit Mediam. Stemus decenter, oremus, confiteamur et adoremus, etc.

Sacerdos. In te, Domine, benedicamur omnes, et digni efficiamur ultimo illo bono, quod paratum est hominibus pacificis.

Populus. Amen.

Sacerdos. Abalienationem a praestigiis peccati, et familiarem habitudinem ad opera justitiae, praestent nobis haec mysteria sancta, per oblationem, quam tibi offerimus, Domine, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Date Pacem.

Sacerdos dat Pacem altari ac illud osculatur: datque pacem Diacono, et dicit.

Pax tibi, altare Dei, et Pax mysteriis super te positis.

Et Diacono dicit. Pax tibi, Diacone Spiritus sancti.

Diaconus respondet. Pax tibi, Sacerdos venerande.

Sacerdos. Tu es petra dura quae emisisti duodecim rivos aquarum ad duodecim Tribus Israel.

Dant pacem in Ecclesia. Diaconus dicit.

Stemus decenter orantes: stemus cum timore, etc.

Sacerdos leviter commovet velum, et dicit.

Caritas Dei Patris: et gratia unigeniti Filii et communicatio et inhabitatio Spiritus sancti sint cum vobis omnibus, fratres mei, in aeternum.

Simulque signat ter populum signo crucis. Reversusque ad altare ter signum crucis facit, revolvitque vela, quibus discus et calix operiebantur, et dicit ter.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto: mysterio adorando et glorioso, in quo non est divisio: nunc et semper in saecula.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum sint mentes, intellectus et corda omnium nostrum.

Populus. Habemus ad te, Domine.

Sacerdos. Gratias agamus Domino cum timore, et adoremus cum tremore.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Corde, animo et lingua gratias agimus tibi, Pater, Fili, et Spiritus sancte, qui es unus Deus verus.

Elevans vocem. Cum turmis invisibilibus, et ordinibus innumerabilibus, spiritualiter et seraphice adjungit se populus omnis tuus fidelis, Domine, qui ter te glorificant, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater: Sanctus quoque Filius tuus unigenitus: Sanctus etiam Spiritus tuus sanctissimus: quia per dispensationem filii tui, liberasti mundum ab errore peccati.

Elevans vocem. Qui cum paratus esset ad passionem salutarem, in pane qui ab eo benedictus, sanctificatus, fractus, et distributus fuerat, Apostolis sanctis, corpus suum sanctificans dedit nobis dicens: accipite et manducate ex eo: Hoc est nempe corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur et dividitur ad expiationem delictorum et remissionem peccatorum, ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et in calice qui ab eo signatus, sanctificatus, et datus iisdem sanctis Apostolis fuit, sanguinem suum propitiatorium, dicens: accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic nempe est calix sanguinis mei Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum dedit nobis ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Adjunxit simul hanc admonitionem dicens: quotiescumque pani huic communicabitis, mortem et resurrectionem meam commemorabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos elevans vocem. Non oblivioni tradenda sunt nobis miracula stupenda dispensationis tuae salutaris, cum signis terribilibus adventus tui, quo retribuetur unicuique secundum opera sua, Domine: eapropter Ecclesia tua et grex tuus deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere nostri Deus Pater omnipotens, miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque Domine, infirmi et peccatores servi tui, gratias agimus tibi et laudamus te pro omnibus, et propter omnia.

Populus. Te glorificamus.

Sacerdos. Praecipue vero et primario sanctam et benedictam semper Virginem B. Mariam Dei genitricem commemoramus.

Diaconus. Memento illius, Domine Deus: et per orationes illius puras et sanctas, parce nobis et miserere nobis. Quam timenda est haec hora: quam terribile tempus istud, dilecti mei, quo Spiritus sanctus de excelsis sublimibus coelis advolat, descendit, incubat et requiescit super Eucharistiam hanc propositam, eamque sanctificat. In silentio et timore state et orate. Orate pacem nobiscum, et tranquillitatem nobis omnibus: clamemus et dicamus ter: Kyrie eleison.

Sacerdos inclinatus. Propitius esto mihi, Domine, universoque gregi tuo et haereditati tuae: placitasque habe, et sanctifica oblationes istas, per illapsum Spiritus tui sancti: qui a te [4] procedit ab aeterno, et a Filio tuo accipit substantialiter.

Et genua flectens, dicit. Exaudi me Domine: exaudi me Domine: exaudi me Domine: et miserere mei.

Populus. Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos elevans vocem. Et veniat Domine Spiritus tuus vivus et sanctus; et requiescat super oblationem istam, servorum tuorum: sitque suscipientibus eam ad expiationem delictorum, ad remissionem peccatorum: ad resurrectionem benedictam a mortuis, et ad vitam novam et aeternam in regno coelorum. Et panem hunc, perficiat corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, perficiat sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et nos istos qui illis communicaturi sumus, faciant participes coelestis voluptatis apud te, Domine, et referemus tibi, etc.

Diaconus. Oremus et deprecemur, etc.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, pastoribus Ecclesiae tuae, lingua potens, quae vinci non possit a doctrinis pessimae haereseos.

Elevans vocem. Et ora haereticorum, quibus blasphemant adversus nos obstrue, illosque conticescere fac, Domine: et referemus tibi, etc.

Diaconus. Iterum et iterum commemoramus omnes fratres nostros.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, remunerator eorum qui bona operantur, et liberator eorum qui in afflictionibus detinentur.

Elevans vocem. Gemitum afflictorum; clamorem pauperum, lacrymas oppressorum, et dolores eorum qui persecutionem patiuntur ne despicias, neque sileas, Domine: ut referamus tibi, etc.

Diaconus. Iterum commemoramus omnes Reges fideles, etc.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, murus fortis omni civitati, regioni et regno, eorum qui secundum fidem rectam in te credunt, et ad te confugiunt.

Elevans vocem. Et eos qui numerant turres Sion spiritualis tuae per circuitum, terre et dissipa Domine, ut referamus tibi gloriam, etc.

Diaconus. Iterum et iterum, etc.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, confortator et adjutor eorum, qui confugiunt ad memoriam matris Christi tui: ut etiam sanctorum amicorum tuorum.

Elevans vocem. Et ad bona illa praeparata, quae illis a te reservata sunt, nos quoque et defunctos nostros fideles, pervenire fac, gratia tua Domine et referemus tibi gloriam, etc.

Diaconus. Iterum commemoramus Doctores, etc.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, decor incorruptibilis, illorum qui praeclare rexerunt gregem tuum, quique in vera pietate ad te profecti sunt.

Elevans vocem. Et a vicinitate paternitatis eorum piae, per quam facti sumus filii gratiae tuae, et fratres unigeniti filii tui, ne removeas aut repellas nos Domine: et referemus tibi gloriam, etc.

Diaconus. Iterum commemoramus omnes defunctos, etc.

Sacerdos inclinatus. Esto, Domine, quietis autor, et propitiator defunctis fidelibus, qui redemti sunt per mortem unigeniti filii tui.

Elevans vocem. Ut per te, Domine, a morte salvati, et ex infernis erepti, atque e pulvere excitati, praevaleat super nos et super eos gratia unigeniti filii tui, per quem nos quoque misericordiam, quae propter eum est, consequi speramus et remissionem peccatorum, tam nobis, quam ipsis.

Populus. Quietem praesta, etc.

Sacerdos. Et in renovatione futura per resurrectionem generalem, ad convivium beatum regni tui nos et illos pervenire fac, per gratiam tuam, Domine: ut in hoc, sicut in omnibus, glorificetur, et laudetur nomen tuum benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti tui.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, sint cum omnibus vobis, fratres mei, in saeculum.

Populus. Amen.

Sacerdos frangit et signat, dicens.

Credimus, accedimus, obsignamus Eucharistiam hanc, corpus Verbi Dei vivi, et sanguinem salutis et laudis signamus cum [5] particula propitiatoria, et plena mysteriis supernis, in nomine Patris vivi, ad vitam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et Filii unigeniti et sancti ab eo geniti, et cum eo similiter vivi: advitam. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et Spiritus sancti, principii, perfectionis, et sigilli omnium quae sunt et fuerunt in coelo et in terra: unius virtutis, unius potestatis, unius voluntatis, unius Dei veri; benedicti, excelsi et indivisi, a quo est vita in saecula saeculorum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Aperi Domine Deus, ora et labia nostra: sanctifica etiam corpora et animas omnium nostrum: purga quoque mentes et linguas nostras, ut deprecabundi clamemus ad te, Pater misericordiarum et Deus coelestis: oremusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum.

Sacerdos. Omnia etiam quae nos deteriores aut imperfectiores faciunt, in ea commuta citius, Domine, quae nos meliores et digniores efficiant: et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Omnes gratiae tuae, omnesque benedictiones tuae, et omnia dona tua divina, veniant, illabantur et effundantur super Ecclesiam tuam, et super gregem tuum, Domine, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Unusquisque.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Gratia Trinitatis sanctae et gloriosae, increatae, essentialis et aeternae, adorandae et consubstantialis, sit cum omnibus vobis, fratres mei, in saecula.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos elevans corpus, dicit. Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine Deus potens Sabaoth, pleni sunt coeli et terra gloria tua. Elevare super coelos, Deus, et super omnem terram gloria tua. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis. Sicut oculi servorum ad dominos suos, et sicut oculi ancillae ad dominam suam, ita sunt

oculi nostri ad te, Domine, donec miserearis nostri. Miserere nostri, Domine. Miserere mei et libera me ab homine malo. Memento mei in regno tuo, cum advenies, fili Dei.

Elevans vocem. Sanctum sanctis, in perfectione et puritate et sanctitate datur. *Et dicunt.* Unus Pater sanctus: unus Filius sanctus: unus Spiritus sanctus. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto.

Sacerdos elevans calicem dicit. O Domine in veritate credimus et credimus, sicut credit in te Ecclesia sancta, quod sit unus Pater sanctus: unus Filius sanctus: unus Spiritus sanctus. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto, qui unum sunt, in saecula.

Populus ad singulos versus, dicit. Ipsi gloria, Amen.

Sacerdos signat cruce populum, et dicit.

Gloria Patri qui sanctificavit, et Filio qui propitius fuit, et Spiritui sancto, qui illapsus est, et qui est principium, consummatio et sigillum omnium quae sunt et fuerunt in coelo et in terra: qui advolavit per miserationes suas, et demittens se per clementiam suam, venit et consecravit oblationem nostram, obsignavitque Ecclesiam, et filios ejus per virtutem magnam crucis: ipse demittat dexteram misericordiae suae, super regionem istam et omnes habitatores ejus fideles, praestetque requiem bonam defunctis ejus: spemque et custodiam viventibus in ea, et omnes qui in ea sunt, protege, Domine, sub alis misericordiae tuae.

Diaconus. Cum statis Sacerdotes, etc.

Sacerdos signans oblatam, dicit. Benedic, Domine, oblatam istam in sanctuario: benedicque agrum ex quo producta est. Praesta etiam requiem, et parce illis, pro quibus oblata et consecrata est, in saecula.

Sacerdos frangit oblatam, et dicit. Praesta, Domine, manibus meis infirmis, ut accedant et frangant corpus tuum sanctum, et filiis Ecclesiae sanctae dividam illud, cum fide vera. Benedictus es Domine Jesu Christe, panis vivus qui de coelo tuo descendisti, et factus es vita suscipientibus te, in saecula. Omnem fidelem qui nobiscum communicavit, participem illum fac, Domine, regni tui coelestis in saecula. Non in condemnationem, aut accusationem sit nobis corpus tuum et sanguis tuus Domine, in die judicii, in saecula. Domine Jesu Christe da nobis confidentiam coram te, quando revelaberis cum Angelis tuis in gloria magna, in saecula. Vivi et mortui

inveniant per illud, misericordiam in die judicii in saecula. *Et dicunt.* Laudate Dominum in sanctis ejus, etc.

Diaconus. Deprecamur.

Sacerdos frangit corpus, et tres particulas ponit super discum, aliam manu retinet et signat ex ea calicem, et deinde particulas quae sunt in disco in formam crucis, et dicit.

Inspergitur sanguis Domini nostri super corpus ejus sanctum: ipsi gloria, et super nos misericordia ejus in saecula. (*In al. codicibus.*) In nomine Patris et filii, et Spiritus sancti in saecula. Amen.

Et immittit particulam quam manu tenet in calicem, et dicit.

Univisti, Domine, divinitatem tuam cum humanitate nostra, et humanitatem nostram cum divinitate tua, vitam tuam cum mortalitate nostra, et mortalitatem tuam cum vita tua: accepisti nostra* et dedisti nobis tua, ad vitam et salutem animarum nostrarum.

Sacerdos cum communicaturus est, dicit hanc Orationem inclinatus.

Te gesto, Deus, manibus meis et complector pugillo, Domine saeculorum, quem creaturae non continent: teque omnipotens in os meum pono. Praesta mihi, Domine, ut comedam te sancte, et per comestionem illam tui, expientur delicta mea, et per bibitionem sanguinis tui auferantur prava desideria mea: per te quoque dignus efficiar propitiatione delictorum et remissione peccatorum in die judicii, in saecula. Praesta nobis, Domine Deus, ut sanctificentur corpora nostra per corpus tuum sanctum: illuminenturque animae nostrae per sanguinem tuum propitiatorium, sintque nobis ad propitiationem delictorum, et remissionem peccatorum. Amen.

Et cum bibit calicem, dicit. Et per potum calicis tui extinguantur passiones meae: et per te diginus efficiar propitiatione delictorum, et venia peccatorum, resurrectioneque benedicta a mortuis, et vita nova, in saecula saeculorum. Amen. Per sanguinem tuum vivum et vivificantem expientur delicta mea, et remittantur peccata mea, Jesu Verbum Dei qui venisti ad salutem nostram.

Cum distribuit communionem, dicit.

Particula propitiatoria, etc. *ut in Officio generali.*

Adjunguntur in aliquot codicibus orationes Gratiarum actionis diversae, quae non magis ad hanc Liturgiam quam ad alias pertinent: quarum nonnullae extant in generali Officio, aliae post Liturgiam Jacobi.

IN LITURGIAM SANCTI XYSTI NOTAE.

I. Liturgia S. Xysti.

In Missali Syriaco Romae edito in quo quatuordecim Liturgiae continentur, omnium prima occurrit ista, et ad illam accommodatus est Ordo generalis. Suspicari statim quisque posset factum id a Maronitis, ex zelo potius Orthodoxae fidei, communionisque cum Romana Ecclesia, quam ex Codicum Manuscriptorum autoritate. Verum tres, quorum duo satis antiqui sunt, eamdem habent dispositionem, cujus tamen nulla satis idonea ratio potest deprehendi. Nam multi Codices vetustiores Liturgiam istam non habent, neque ad illam Commentarium suum accommodavit Dionysius Barsalibi Amidae Episcopus, sed ad Liturgiam Jacobi quae omnium vetustissima videtur: tum quod Graecae ejusdem tituli prae reliquis similis sit, tum quod alias simplicitate superet, quae non levis est antiquitatis nota. Cur porro Xysti nomine, Jacobitae Liturgiam habeant, causa alia vix occurrit, quam ea propter quam Julio Papae aliam adscripserunt: nempe quod sententias quasdam ex pseudepigraphis transtulerunt in Collectanea sua, ex quibus commodas aliquot suis erroribus, animadvertere sibi visi sunt. Nulla sane apud alias Ecclesias reperitur Liturgia Xysti nomine, ex qua exprimi ista potuerit, aut ad ejus formam effingi. Ad Maronitas pertinere nullatenus existimanda est, quamvis in aliquot recentissimis exemplaribus nomen sancti Maronis legatur praecipuo in Diptychis loco, adjuncto elogio, quod laudes omnes complectitur, perpetuae cum Romana Ecclesia conjunctionis. Addita quippe haec fuisse ab hominibus patriae suae amantibus manifestum est: at Romae parum probata fuerunt, cum ex ipso Liturgiae contextu sublata fuerint, et praefatio Latine scripta, quae Maronis laudibus plenior erat, pariter expuncta; nam in paucissimis exemplaribus reperitur. Enimvero si quales majores suos Maronitae recentiores fuisse volunt, tales extitissent, perpetui scilicet Jacobitarum et Nestorianorum impugnatores, Orthodoxaeque fidei defensores acerrimi:

quos Jacobitae, tanquam Ecclesiae suae lumina, venerantur, illos Maronitae anathemati subjecissent, nec eorum nomina cum honore in Diptycha retulissent. At in eo ipso Missali libro, quem ut regulam celebrandae Eucharistiae esse voluerunt, occurrunt haereticorum laudes, nominatur in Diptychis Barsomas a Concilio Calchedonensi damnatus, tandemque aliquot Liturgiae locum habent quae ab Episcopis Jacobitis scriptae fuerunt, aut appellationem traxerunt: qua de re alibi dictum a nobis est. Cum autem ista Liturgia in plerisque exemplaribus primum locum occupet, multa quae per compendium in aliis Liturgiis designantur, integra habet: at cum ad illam non magis quam ad reliquas pertineant, quae observavimus ad illam sancti Jacobi, velut ad omnium praecipuam, sufficienter explicant, quidquid luce opus haberet. Ita in solis illis quae huic Liturgiae propria sunt immorabimur.

2. *Accipite edite, etc.*

Insigne hoc loco vitium codices hujus Liturgiae prope omnes occupavit, cum omittantur verba Christi, non minus ad consecrationem panis, quam ad calicis. Quod porro observavimus ad Liturgias paucissimas, quae non dissimilem lectionem praeferunt, omissa illa fuisse non tam certo consilio, quam librariorum culpa, id verissimum arbitramur. Haec quoque nostra conjectura probatur duorum codicum, non antiquissimorum quidem, sed qui a Missionariis, aut Romanis censoribus reformati non fuerunt, testimonio. In uno quippe illorum locus ille ut illum interpretando expressimus, se habet: in altero ad marginem verba quae deerant adscripta sunt. Non reformatos vero fuisse codices illos, probat intacta Invocationis Spiritus sancti lectio, quam uterque repraesentat: cum eam in reliquis Liturgiis, una Jacobi excepta, quod per incogitantiam accidisse verisimile est, interpolatam agnoscamus, ut in hac ipsa fecerunt, quibus editionis cura commissa est. Formam verborum Christi, ut in aliis, novam dederunt, verbatim ex Latina nostra conversam, contra exemplarium omnium cujuscumque linguae fidem: de qua reformatione dictum est ad eumdem Jacobi Liturgiae locum. Quod vero desint verba Christi in ista, ut in una Petri dicta, Dionysii Barsalibi, et paucis aliis, ex Graecorum opinione manasse existimavit Ricardus Simon, et fuse explicavit in Notis ad Itinerarium Montis Libani, specioso quidem, sed nullius firmitatis argumento. Nam cum Graecis Orthodoxis nullam a Concilii Calchedonensis tempore communionem Jacobitae habuerunt: neque Graeci dum Invocationem Spiritus sancti cum reliquis Ecclesiae precibus, ad consecrationem elementorum valere existimant, verborum Christi vim et efficaciam negant, quamvis frequentissima sit Theologorum recentiorum haec adversus illos criminatio. Quae porro ad deterendam sacrorum illorum verborum vim et dignitatem possent pertinere, non divinando et ad alienam sententiam ea detorquendo, quaerenda sunt: sed in scriptis illorum agnoscenda et demonstranda, quod nemini illorum qui Graecos eo nomine impu-

gnaverunt, huc usque praestitum est. Pugnent quantum libet Graeci, cum Theologis Ecclesiasticae disciplinae parum peritis, modo cum veteri Ecclesia consentiant, salva illorum doctrina est. At illam veterem, quae cum hodierna una est et eadem, orasse super dona jam consecrata, qui in tanta literarum sacrarum luce non agnoscat, is Orientalium Rituum judex idoneus esse non potest. Sed de his quantum opus erat in Observationibus ad Basilii Copticam Liturgiam dictum est.

3. *Invocatio Spiritus sancti.*

Formula illius integerrima est, et aliis valde similis; imo in eam congestae sunt voces prope omnes, quarum ad illam exprimendam usus frequentissimus est, et quae, cum eamdem in stilo Ecclesiastico significationem habeant, synonymae videri possint. Unde aliquae saepe non adhibentur, cum ab aliis sufficienter exprimatur efficax sancti Spiritus operatio in dona proposita. Vox נגמור *perficiat* respondet Graecae τελειώσῃ, quae consecrationem non minus, quam illius complementum et consummationem significat: nempe postulatur a Deo, ut proposita dona, plena sanctificatione, et transformatione confirmet, ut legitur in vetustissimis orationibus Missarum Gotticae, Mosarabicae et Gallicanae. At illarum autores, et qui illis ad sacra celebranda utebantur, non magis, quam Syri reliquive Orientales de controversia cum Graecis nata post annos mille, cogitabant. Neque existimandum est inculcari transmutationem et consecrationem, ea ratione, quod verba Christi pronunciata non fuerint: cum absque illis, seu, ut Barsalibi loquitur, absque Evangelica narratione, quae eadem verba complectitur, consecrationem non fieri, constans Orientalium doctrina sit. Quippe in reliquis Liturgiis quamvis illa religiose pronuncientur, Invocatio nihilo minus subjungitur iisdem verbis atque sententiis.

4. *Qui a te procedit ab aeterno et a filio tuo accipit substantialiter.*

Illa verba quae processionem sancti Spiritus a Patre et Filio non obscure designant, interpolationis suspicionem creare possent, si similis Theologia in aliis Liturgiis, quarum integritas certa est, non occurreret. In Liturgia Ignatii Patriarchae Antiocheni, et in nonnullis aliis idem legitur cum hoc solum discrimine quod alibi legitur, *et a filio quae substantiae sunt accipit,* aut *quae essentialia sunt*: et in verbis diversis una est eademque sententia. Hinc apparet illud quod de Spiritu sancto a Christo dictum est, *ille de meo accipiet,* non de donis in fideles conferendis, sed de processione per Filium, Orientales interpretatos fuisse. Et sane cum errores Francorum enumerant, Petrus Episcopus Melichae, Paulus Sidoniensis, Abulbircat, Eb-

nassalus et alii, non doctrinam illam, sed additionem particulae *Filioque* symbolo factam reprehendunt.

5. *Cum particula propitiatoria.*

Vox גמורתא quae hoc loco occurrit *perfectionem*, τελείωσιν, et τελετὴν significat, ex prima origine: significat etiam *Carbonem*. Utraque significatione usurpatur ad designandam particulam Eucharistiae, ut hoc loco et in Ordine Generali, ut etiam apud Barsalibi: eademque acceptio ejusdem vocis est in Officio consecrationis Disci sacri sive patenae Eucharisticae quae Tomo [1]°. edita est. Figurata haec acceptio, ut illic notavimus, ex Isaia sumta est.

LITURGIA SANCTI PETRI,

PRINCIPIS APOSTOLORUM.

Primum Oratio ante Pacem.

Sacerdos. EXCELSE qui es in saecula, et solus potens, caritas perfecta et amor naturalis: Deus pacis et Dominus tranquillitatis: da nobis omnibus, nosque dignos effice, ut in inspiratione vitae, a misericordia tua, amplectamur invicem in osculo, quod sit sine dolo, et digni efficiamur tranquillitate quae a te est, et quae pacificis datur: per adventum miserationum Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem et cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nunc quoque Domine, illumina vultum tuum super nos, et salva nos ab omnibus inimicis qui oderunt nos: dele etiam et dimitte iniquitates nostras: et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Sacerdos. Inclinationem collorum nostrorum tibi et coram te offerimus, ut percipiamus a te benedictionem, quae praeparata est humilibus corde, quia tu es judex cogitationum, et scrutator mentium Domine, et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quia per abundantiam divitis misericordiae tuae, Deus Pater, ad salutem nostram misisti filium tuum, ut eum qui errore peccati seductus fuerat voluntate sua, deduceret: et liberaret a fovea mortis et Satanae: et ipse per se ipsum purgationem fecit leprae illius: tu etiamnum Domine illumina vultum tuum, et salvi efficiamur hoc tempore, quo simul cum mysteriis istis sanctis, quae tibi offeruntur, deprecationes nostras tibi offerimus, ut nobis non sint in condemnationem, neque in reatum, sed in cordis confortationem, et aspersionem conscientiae mundae, et ad remissionem omnium iniquitatum nostrarum: per amorem erga homines tuum, et unigeniti tui qui ab aeterno a te genitus est, Spiritusque Paracliti, vivificantis, tibique connaturalis et consubstantialis, nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est ut te glorificemus, te adoremus, te laudemus, te exaltemus opificem omnium creaturarum visibilium et invisibilium, ab illis enim voces laudis tibi offeruntur.

Elevans vocem. Glorificant te Domine ordines Angelorum, legiones Archangelorum, catervae virtutum immaterialium, quae indesinenter extollunt voces jubilorum absque reversione, cum effusione scientiae, et timore, et cum sapientia, variis sanctificationibus distincta, extollunt voces, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Quis enim infinite sanctus est, aut a quo quaeremus fontem sanctitatis; aut in quo est origo perennis sanctorum nisi in te, Pater ingenite, et in Filio tuo, nato, adorando, qui e sinu tuo prodiit, et in Spiritu tuo, qui non temporaliter a te procedit? per sanctitatem incomprehensibilem conscientiae habita in nobis, sanctifica nos, et dirige nos. Non tenuiter, sed beate: et secundum amorem tuum erga homines purgati simus a passionibus, et mundati a vinculis peccati, ut doctrinam mysticam unigeniti Filii tui suscipiamus, et tecum sit delectatio nostra.

Elevans vocem. Et cum epulum illud de corpore et sanguine sancto praepararet, nobis impertiendo, et propinqua esset salutaris ejus passio, panem accepit super manus suas ab omni macula immunes, et elevavit eum, et aspectu visibili, tum etiam insensibili benedictione dignatus est, et benedixit eum, ✝ sanctificavit eum ✝ et fregit ✝ deditque discipulis Apostolis suis dicens: mysteria haec viatica vobis sint, et quandocumque comedetis istud ad modum alimenti, credite et certum habete, quod hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem postquam coenaverunt, miscuit vino et aqua, ✝ et benedixit eum, ✝ et sanctificavit, ✝ et dedit discipulus suis Apostolis dicens. Accipite, bibite ex eo vos omnes: hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur, in veniam delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut autem fructum suavissimum divinae illius operationis perciperent, praecepit illis in hunc modum: quotiescumque simul congregati eritis, memoriam mei facite, et panem hunc propositum edentes, et mistum quod in hoc calice praeparatum est bibentes, mortis meae commemorationem agetis, et resurrectionem meam confitebimini donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine.

Sacerdos. Adventum miserationum tuarum expectamus Domine, Dominus noster, refugium peccatorum, quo examen fiet justorum et peccatorum, per retributionem bonorum et malorum; quando ad judicium vocabis omnes homines, et eos qui te in veritate coluerunt,

vera voluptate perfundes: eos autem qui declinaverunt a semita vitae, in gehennam ignis comburendos mittes. Ne suffundas nos pudore peccatorum nostrorum, neque rei simus communionis mysteriorum sanctorum istorum, quia imaginis tuae nomine ornati sumus: neque de nobis gaudeat rex aëris, cum malignis catervis suis, quia sanguine tuo redemti sumus: sed oriri fac super nos lumen illud tuum, quod die secundi adventus tui emittes super timentes te, et salus cito nobis sit. Ecclesia namque tua, et grex tuus deprecatur te, et per te, ac tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri, et mitte ad nos e solio tuo regio, et ex throno tuo infinito, Spiritum tuum sanctum, et Paraclitum, ejusdem cum tua majestate naturae; consubstantialem, vitae largitorem, throno et aeternitate aequalem: qui operatur in Prophetis, et Apostolis, martyribus et confessoribus, regibus, rectoribus, sacerdotibus et omnibus ordinibus Ecclesiae fidelis. Qui apparuit in columbae specie super Dominum nostrum Jesum Christum in Jordane fluvio: qui descendit super Apostolos tuos sanctos in specie linguarum ignis. Et nunc requiescat, et maneat super oblationes nostras, et super nos infirmos, ut possimus percipere afflatum et radium adventus ejus, et illabatur super nos et super has oblationes propositas, easque sanctificet.

Sacerdos. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos. Ut illabens, efficiat panem quidem hunc † corpus salutare, † corpus vivificum, † corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam illis qui suscepturi sunt.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam calicem hunc, instituat † potum coelestem, † sanguinem salutarem, † sanguinem vivificum, sanguinem

Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem eorum quae insipienter commissa sunt, et relaxationem peccatorum suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nobis autem qui illorum participes futuri sumus, sit ad purgationem animarum et corporum, ad mores Evangelicos, et ad confirmationem Ecclesiae sanctae Catholicae, quae fundata est super petram fidei, de qua dixisti, quod portae inferi non praevalebunt adversus eam, liberans illam ab haeresibus et a scandalis operantium iniquitatem, in saecula saeculorum.

Sacerdos inclinatus. Suscipe confessionem nostram o Rex noster, et per eam conciliatus, tranquillitatem dona populo tuo, et pacem gregi tuo, et conservationem Pastorum Orthodoxorum: praecipue vero Patriarchae nostri Domini N. et D. N. Episcopi nostri, cum reliquis omnibus Episcopis Orthodoxis. Verbum praeclarum concede illis, ut pie gregi tuo ornamento sint, et a doctrina errorum eum prohibeant.

Elevans vocem. Fac eos stantes cum vultu potenti, et verbum veritatis recte administrantes exhibe illos, ut summa diligentia illorum, pace quae a te est, vita illorum abundet, et greges tibi acquisitos pascant alimentis alienis ab omni fraude, per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum dignare Domine meminisse eorum, qui praeceperunt nobis, ut in hac hora memoriam eorum haberemus in nostris apud te orationibus: et eorum qui has oblationes obtulerunt, eorumque pro quibus oblatae sunt: nec non illorum qui offerre quidem voluerunt, sed non potuerunt.

Elevans vocem. Memento Domine, et illorum qui in animo statuerunt, ut Ecclesiam tuam sanctam Catholicam et Apostolicam juvarent verbo doctrinae vitae, et operibus quae ad veritatis tuae agnitionem conferrent, eisque refugium et adjutor esto, liberans eos ab omni daemonum, malorumque hominum et inexorabilium malignitate: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, etc.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, illorum et illarum, qui regnum temporale obtinent fidelium, ut tam nos quam illi tranquillam et quietam vitam agamus, in omni timore Dei et castitate.

Elevans vocem. Et mentes eorum, qui regnum super populum tuum ambiunt, ad te inclina, Domine, et ad bona propensos perfice illos: ut nos pariter Sacerdotium cum illis, in ea tranquillitate, quae cum eorum conservatione constet, administremus, et cum illis tibi gloriam referemus, et unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Dignare etiam Domine, meminisse, sanctae et praeclarae semper Virginis Beatae Mariae, et cum ea, Prophetarum et Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Piorum, Sacerdotum et Justorum, qui in fide vera perfecti extiterunt, et B. Joannis praecursoris et Baptistae, et S. praeclari Stephani primi Diaconorum, et protomartyris, atque omnium sanctorum.

Elevans vocem. Deprecationem tibi offerimus, o princeps Deus, ut illis qui in angustia constituti exitum non habent, latitudinem praestes: et illis qui absque rectore sunt, gubernationis tuae beneficium conferas. Fac nos dignos parte eorum qui tibi in veritate servierunt, placueruntque tibi, et quorum memoria in aeternum subsistet, ut cum eis digni efficiamur referendi gloriam et laudem sine fine, tibi et unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine illorum qui in domo sanctorum nos praecesserunt, occubuerunt et quietem acceperunt, Patrum sanctorum, Doctorum Orthodoxorum, maxime vero Ignatii, Dionysii et reliquorum sanctorum, ut per orationes et deprecationes eorum liberemur a dolis ejus qui ex adverso est, et ab hominibus nequam.

Elevans vocem. Et illorum qui luculenter detulerunt annunciationem tuam vivificam, in omnem terram quae sub coelo est, et Ecclesiam tuam sanctam confirmaverunt, per fidem Orthodoxam memento, et per orationes eorum puras, nos quoque per misericordiam tuam, et spem quae a te est, inter coetus eorum aggrega.

Sacerdos inclinatus. Per hoc sacrificium quod manibus nostris peccatricibus tibi offertur, Domine, memoriam fac patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, qui pridem defuncti et ex hoc mundo profecti ad te pervenerunt: omniumque fidelium defunctorum hujus, et cujuscumque loci, praecipue vero illorum pro quibus offertur haec oblatio.

Elevans vocem. Domine, Domine amator hominum, in sinu Abrahae colloca, et quiescere jube eos, qui in fide orthodoxa humanae vitae periodum compleverunt, et vita hac temporali exsoluti

sunt: auferens et dimittens omnes iniquitates illorum et nostras, per tuum erga homines amorem, quia impossibile est illis qui vel unico momento, aliquam temporalem voluptatem perceperunt, ut non rei inveniantur, nisi ei, qui ex sinu tuo prodiit ab aeterno, Dominus et Salvator noster Jesus Christus, per quem etiam nos misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum, quae propter eum est, et nobis et ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Libera, solve et dimitte Domine, errores et insipientias servorum et ancillarum tuarum secretas et occultas, abstrusas et publicas, praeteritas et futuras, quando tibi placebit nos et illos liberare a confusione in conspectu tuo: et ad delicias tuas beatas perveniant, ut in nobis, pro nobis, et propter nos, glorificetur, et laudetur nomen tuum benedictum, et Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti, nunc et semper, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Benedictiones Dei sint, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit Eucharistiam, mox dicit Orationem ante Pater noster.

Deprecamur te Deus pater, curator noster, consolator moestitudinis nostrae, et confortator infirmitatis nostrae: qui ultra omne tempus super thronum tuum requiescis, et a virtutibus coelestibus potenter glorificaris: qui legiones ignitas ardore tuo infinito succendis; qui primitias et oblationes has nostras, quae a nobis tibi haud indigenti oblatae sunt, sanctificare, perficere et suscipere dignatus es, per praesentiam unigeniti Filii tui, et illapsum Spiritus sancti: munda nos ab omni macula, et immunitatem ab omni impuritate (da nobis) ut uno spiritu recto, et caritate inextincta, quae filios decet, absque confusione, clamemus et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum, etc.

Sacerdos. Deus benigne ne inducas nos in tentationem probationis, quam sustinere non possimus: sed secundum miserationes tuas multas adjuva nos, dans nobis exitum tranquillum, qui nos eripiat et liberet ab omnibus plagis furoris, et a foetore diabolico, quia tuum est imperium, et potestas regnumque tuum permanet in saecula saeculorum, et tibi gloria. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Benedic, Domine Deus, servis tuis istis, quorum colla tam animarum quam corporum inclinata sunt, quique te deprecantur. Fac nos et illos Domine, dignos benedictionibus mysteriorum tuorum sanctorum et immaculatorum, et venia peccatorum nostrorum, et illorum: ut pure et sancte communicemus corpori et sanguini unigeniti Filii tui. Educ ex nobis odorem operum bonorum, et referemus tibi gloriam, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit gratia, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Laudamus.

Sacerdos dicit Orationem Gratiarum actionis.

Omnem veram gratiarum actionem, et maxime sinceram tibi offerimus Domine, propter donum illud quod nobis quamvis indignis dedisti. Ne statuas nos, Domine, cum pudore peccatorum nostrorum, neque reatum incurramus ob susceptionem mysteriorum horum sanctorum, sed refugium et adjutor esto nobis, et a spiritibus inimicis qui luctantur nobiscum libera nos, per eorum commistionem, et simul referemus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post susceptionem, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Emitte Domine manum tuam potentem, et invisibilem, et benedic servis tuis istis in templo tuo congregatis: conserva illos per crucem tuam, et perfice illos per abundantiam benedictionum tuarum: ut nos et illi, nunc et in saeculis futuris et infinitis referamus tibi gratiarum actionem, et Patri tuo, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus nobis.

Finis Liturgiae Petri Principis Apostolorum.

IN PETRI LITURGIAM

NOTAE.

De titulis Liturgiarum, et quam parum illis tribuendum sit, sive ad autoritatem illis conciliandam, sive ad illam convellendam, dictum est in Dissertationibus. Sane nullam Ecclesia Graeca vetus, Petri nomine Liturgiam habet, et quam sub eo nomine edidit olim Joannes a S. Andrea, illa Graeci alicujus recentioris lucubratio est, qui mixtam ex Canone Romano et Liturgia Chrysostomi, Liturgiam composuit. Duas autem ejusdem tituli Anaphoras repraesentat Editio Romana Missalis Chaldaici: unam adjuncto hoc epitheto Papae Romani: in alia Principis Apostolorum: tertiam diversi Codices Mss. exhibent: imo nonnulli ita variant, ut quatuor distingui possint. Inter eas nulla primae antiquitatis notam praefert, sed omnes in Jacobitica communione scriptas fuisse, manifesto apparet. Non idcirco tamen nullius autoritatis esse existimandae sunt, cum illas agnoscant pro suis Jacobitae, atque ita testimonia fidei illorum luculenta ex illis ducantur: neque enim in cognoscenda, quam Orientales servant, fidei disciplinaeque circa Eucharistiam traditione, minus valent Officia sacra mediae aut posterioris aetatis, quandoquidem in celebrandis Sacramentis quotidie repetita, vivam illarum Ecclesiarum vocem repraesentant. Hinc patet nihil illos agere, quicumque similes Liturgias rejiciendas contendunt, tanquam suppositas autoribus, quorum nominibus insignitae sunt: modo illas Christianis apud quos reperiuntur probatas et usurpatas fuisse constet.

In ista Liturgia nihil singulare occurrit praeter haec pauca.

1. *Mysteria haec viatica vobis sint.*

Quamvis haec verba ipsa Christus non dixerit, nec illa dixisse Orientales pertendant, frequenter tamen Sacerdotem, quasi ex persona Christi, quam in consecranda Eucharistia sustinet, loquentem inducunt, ea quae ad Christianorum institutionem necessaria sunt, et ad mysterii ipsius quod celebratur fidem inculcandam. Exempla varia occurrent in sequentibus Liturgiis: in ista, ex persona Christi dicitur, Mysteria seu Sacramenta, viatica nobis esse, quae vox apud Syros, ut apud Graecos et Latinos ex usu Ecclesiastico communionem praesertim, quae moribundis datur significat: quo sensu legitur in antiquissima Syriaca versione Canonum Nicaenorum. Mysteria, sive Sacramenta exprimunt Syri per vocem ארזא, quae utraque significat. Dicunt igitur quod, licet per modum alimenti sumantur, credendum tamen firmiter sit, eadem esse corpus et sanguinem Christi Domini. Adjunctione autem illorum verborum corrumpi formam sacramentalem non facile probari potest, cum ipsa verba sacramentalia sequantur, integritatemque suam retineant.

2. *Invocatio Spiritus sancti.*

Tota orationis series et ipsa verba, uno excepto, eadem sunt ac reliquarum hujus orationis formularum, quae occurrunt in omnibus cujuscumque linguae Liturgicis codicibus. Nempe cum in parte Invocationis quae super corpus Christi pronunciatur, legatur *faciat* נעבד *ποιήσῃ*, ad calicem usurpatur נטכס. Ea vox a Graecis accepta proprie significat *ordinare*, *instituere, recte constituere*, *perficere*. Si quid per eam significare Syri voluerint dubitetur, absque ulla ex linguae utriusque originationibus Critica, responderi statim potest, illam ejusdem potestatis et significationis esse, ac alias quae in reliquis Liturgiis eodem loco, illius vice substituuntur. Illae porro sunt נעבד *faciat*, *efficiat* *ποιήσῃ* נחוא *ἀναδείξῃ*. נגמר *τελειώσῃ*, quarum praecipuus et frequentior usus est. Hic vero Syri aliam adhibent Graecis quoque usurpatam quae est *μεταῤῥυθμήσῃ*, et illam vix aliter exprimere poterant. Talium autem vocum, et omnium quae sunt usus Ecclesiastici significatio, peti debet, ut in aliis locis observatum est ex Graeca potius quam ex Syriaca origine. Si haec non sufficiunt, at illud saltem negari non potest, peti eumdem effectum super panem, ac super calicem, quacumque voce explicetur: de altero dicitur ut *faciat* de calice quoque intelligendum est ejusdem esse significationis verbum: quod reliquarum omnium Liturgiarum testimoniis confirmatur.

LITURGIA [1.] PETRI II.

Oratio ante Pacem.

Sacerdos. Tibi et coram te, Domine, inclinamus colla animarum, corporumque nostrorum, ut a te accipiamus benedictionem, et auxilium infirmitati nostrae; quia tu adjutor et refugium omnium es, et tibi gloriam et laudem referimus et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto. *In Ed. Rom. p. 89. Cod. Seg. G. 11.*

Sacerdos elevans vocem. Tu etiamnum, Domine, illumina faciem tuam super nos, et ab omnibus inimicis, qui odio nos habent, libera nos: dele, et dimitte universas iniquitates nostras, et referemus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus pacis, et Dominus tranquillitatis Domine, da nobis omnibus, dignosque nos effice, ut spiritu a misericordia tua non diviso, amplectamur invicem, in osculo doli experte et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter. Date pacem.

Sacerdos. Caritas, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere aequum, et justum est, ut te laudemus, et extollamus, opificem omnium creaturarum, tam superiorum quam inferiorum.

Elevans vocem. Laudamus te, Domine, cum Angelis, et Archangelorum legionibus, qui vocibus laudis inclamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es, et magnae misericordiae Domine, qui per amorem tuum erga homines filium tuum misisti in mundum: et ipse in Virgine Maria incarnatus est ad salutem nostram.

Elevans vocem. Qui cum vellet gustare mortem, et Pascha vespere perficeret, accepit panem in manus suas, † benedixit, † sanctificavit, † et fregit, deditque turbae Apostolorum sanctorum, et dixit: Accipite et [2] manducate. Hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur et dividitur in expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem miscens vino, et aqua, † benedixit, † sanctificavit, † et dixit eis: Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est calix sanguinis mei Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, in expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc praecepit, et monuit illos, quod quotiescumque mysteria haec perficietis, mortem, et resurrectionem meam commemorabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Adventum tuum salutarem et secundum illum, commemorantes, Domine, laudem cum deprecatione majestati tuae offerimus, ut in timendo illo, et terribili judicii die, in quo justorum, et peccatorum examen institues, non secundum peccata nostra, tradas nos ardori fletuum et poenarum, neque propter nequitias, et insipientias nostras cruciemur, et poenis afficiamur, imo propitius esto, Domine, miserere nostri, et averte faciem tuam a peccatis nostris et adjuva nos: propter hoc Ecclesia tua et grex tuus deprecantur te, et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Sacerdos. Praecipue.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri: mitte super nos et super has oblationes, Spiritum tuum sanctum, mysteriaque haec sanctifica, nobisque auxilium tribue et veniam.

Elevans vocem. Exaudi me, Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut adveniens [3] efficiat panem hunc corpus Christi Dei nostri. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sint communicantibus ad corporum et animarum emundationem ab omnibus maculis, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Diaconus. Oremus.

Sacerdos inclinatus. Suscipe deprecationem, et supplicationem nostram, Domine, et concede tranquillitatem populo tuo, et pacem gregi tuo, et custodi veros pastores, cum Sacerdotibus, et Diaconis, omnemque Clerum Ecclesiae tuae adjuva.

Elevans vocem. Statue eos, Domine, firmos, et potentes: et auxilio, et tranquillitate quae ex te est, confirma illos, ità ut deprecatores, et intercessores pro nobis sint apud te, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Rursus Domine dignare meminisse illorum, qui praeceperunt nobis ut memores eorum essemus, et eorum qui, cum offerre vellent, non potuerunt.

Elevans vocem. Memento etiam Domine eorum qui Ecclesiam tuam sanctam adjuvant: esto eis latibulum et domus refugii, liberans eos ab omni daemonum hominumque nequam machinatione, quia tu Salvator es omnium, et tibi gloriam, et laudem referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum fidelium, [4] et immitte cordibus eorum consilia pacifica circa populum tuum.

Elevans vocem. Mentem eorum qui regnare super nos volunt, fac Domine pacificam, et ab invidorum hostiumque manibus nos libera: ut referamus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum Domine dignare meminisse Virginis sanctae Mariae, et cum ea omnium Prophetarum, et Apostolorum: cum Martyribus, et Confessoribus, reliquisque omnibus sanctis.

Elevans vocem. Orationibus, et deprecationibus eorum adjuva nos Domine, et parce nobis: sorteque eorum dignos nos effice, ut cum illis, et inter illos referamus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine et illorum, qui in sanctorum domo jam obdormierunt, et quieverunt, sanctorum Patrum, et Doctorum; ut orationibus, et intercessionibus eorum, ab adversarii dolis eripiamur, nec non ab hominibus perversis.

Elevans vocem. Et eorum qui sedulo Evangelium tuum in omni terra circumtulerunt, et Ecclesiam tuam sanctam in orthodoxa fide confirmaverunt: per Orationes eorum puras, omnes adjuva, et in misericordia tua confirma, ut cum illis, et inter illos referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Praesta, Domine, per sacrificium hoc quod peccatricibus meis manibus tibi offertur, memoriam bonam patribus, fratribus, et magistris nostris, et omnibus fidelibus defunctis istius; et cujuscumque loci.

Elevans vocem. Domine, Domine hominum amator, in sinu Abrahamaeo colloca eos qui in vera fide vitam suam consummarunt, auferens dimittensque omnes iniquitates, et praevaricationes illorum, et nostras: quia nullus est a peccatis immunis, nisi Dominus Deus, et Salvator noster Jesus Christus, per quem, et misericordiam consequi, et remissionem peccatorum nobis, et ipsis speramus, propter eum.

Populus. Dimitte.

Sacerdos. Ignosce, Domine, et dimitte errores, et insipientias servorum ancillarumque tuarum, tam occultas quam manifestas, et nos eripe a confusione coram te, ut in nobis propter nos, et nostri causa glorificetur, et laudetur nomen tuum benedictum, et Filii tui Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui vivi, et sancti, nunc, etc.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae.

Diaconus. Credimus.

Sacerdos frangit oblatam. Oratio ad Pater noster.

Deprecamur te Deus pater, consolator, et confortator infirmitatis nostrae, purifica nos ab omni immunditia iniquitatis, et peccati, et suscipe has oblationes, quas pro peccatis nostris, tibi offerimus, ut uno eodemque spiritu, clamemus ad te, oremus, et dicamus, Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Deus benigne, ne inducas nos in tentationum experimenta, quia virtutem non habemus ad sustinendum: sed pro misericordia tua magna, eripe, et salva nos ab omnibus plagis furoris; quia tua est potentia, et regnum, et tibi gloriam, et laudem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum.

Diaconus. Inclinate.

Sacerdos. Benedic Domine Deus servos, et adoratores tuos, qui animarum, et corporum colla coram te demiserunt, et te deprecantur. Dignos effice illos Domine, misericordia tua, et venia suorum, nostrorumque peccatorum, quia multae misericordiae et omnipotens tu es, et tibi gloriam referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum.

Sacerdos. Sit.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. *Oratio post communionem.*

Confitemur tibi, Domine, et gratias agimus tibi hujus muneris causa quo nos beasti, licet indignos. Ne imponas nobis peccatorum nostrorum pudorem, sed eripe nos a spiritibus adversariis, qui nobiscum colluctantur, et una voce referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos. Demitte, Domine, manum tuam, et benedic servis tuis illis, qui hic congregati sunt, custodi eos signo crucis tuae, et esto eis latibulum, et refugium ab universis hostibus publicis, et occultis, et perfice eos effusis benedictionibus tuis, ut nos, et ipsi referamus tibi gloriam. *Populus.* Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

Diaconus. Benedicam.

IN LITURGIAM PETRI II.

NOTAE.

1. *Petri.*

Quae ad priorem Liturgiam dicta sunt de titulo, cum Petri nomine, non minus ad istam pertinent. Quod plures Petri nomine Jacobitae habeant, fecit non modo Apostolorum principis dignitas, sed quod Antiochenae Ecclesiae, cujus amplissima Dioecesis Syriam et alias provincias, ubi Syriaca lingua vigebat complectebatur, Petrus fundator fuerat. Cum tamen praeter duas quae sub ejus nomine editae sunt Liturgias, alias habeant eo nomine, fieri potuit ut non Apostolum designarent, sed Gnaphaeum, Jacobiticae haereseos pertinacissimum propugnatorem. Illum enim ut et Petrum quemdam alium, Apamiensem fortassis, in Diptychis cum honore collocaverunt: et inter eos quorum doctrinam sequi se profitentur, ante Ordinationem Sacerdotes et Episcopi, isti numerantur.

2. *Accipite et manducate.*

In plerisque hujus Liturgiae Codicibus Mss. tam illis quos habuimus ex Bibliothecis Seguieriana et Colbertina, quam in illis quos viderat Faustus Naironus, forma verborum Christi ita concipitur: *Accipite et manducate, in remissionem peccatorum et vitam aeternam.* Et in forma calicis benedicendi. *Accipite et bibite ex eo vos omnes, in remissionem peccatorum et vitam aeter-*

nam. Ea sola ratione satis constat Liturgiam istam a Latinis hominibus, illis praesertim quos realis praesentiae fidem in Oriente propagasse Protestantes volunt, interpolatam non fuisse. Nullo enim veterum exemplo, verba Christi. *Hoc est corpus meum*, *Hic est calix sanguinis mei, etc.* omittuntur, reclamantibus reliquis omnibus cujuscumque sectae aut linguae Orientalibus Christianis. Quippe si tres aut quatuor Syriacas Liturgias excipimus, quae eodem vitio laborant, nulla est quae hoc loco sacra illa verba non repraesentet: quodque notandum maxime est, cum una illarum ea sit quae Dionysium Barsalibi autorem habet, ipse in Commentario ad Jacobi Liturgiam, pronunciari debere a Sacerdote eadem verba docet perspicue. Vere igitur questus est de Maronitis ad quos Visitator Apostolicus missus fuerat Hieronymus Dandinus, quod in aliquot eorum codicibus id vitium observasset: quamvis non essent illi Maronitarum proprii, sed Jacobitarum. Interpres et commentator Itinerarii Dandini Ricardus Simon, cum excerpta aliquot Liturgiarum ejusmodi a Fausto Nairono accepisset, longam ea occasione disquisitionem instituit, quae colorem aliquem veritatis habebit apud nonnullos, sed ab illa abest quam longissime. Quod enim Invocationem sancti Spiritus quae paulo post subjicitur iisdem verbis, atque in Liturgiis Graecis extat, videret ab Orientalibus, magna cum reverentia pronunciari, existimavit vir eruditus, ut Graecos, ita Orientales qui eamdem Orationem habent, totam censecrandi vim illis attribuere: nullam aut exiguam verbis Dominicis. At neque Graeci, neque ipse Marcus Ephesius, quem erroris architectum esse volunt, in ea unquam opinione fuerunt, sed illud modo probare aggressi sunt, non solis verbis dominicis Eucharistiam consecrari. Neque Catholicam doctrinam, sed aliquorum Theologorum placita impugnabant, eorum scilicet, qui verbis istis extra sacram actionem, absque ritibus, et caeremoniis praescriptis, quocumque modo aut loco ea proferrentur, consecrationem perfici contendebant. Sed neque vel una Graeca Liturgia est aut fuit, quae careret sacris illis verbis: et quamvis Graeci ita errassent, res eorum agebatur, non Syrorum Jacobitarum, a quibus vehementissime dissentientes, circa Incarnati Verbi mysterium et Concilii Calchedonensis autoritatem, discere non poterant quidquam quod ad religionem pertineret, cum alteri alteros ad communionem non admitterent: multo minus, ea quae Graeci tunc ignorabant. Nam qui hujus cum Latinis controversiae, ante Cabasilae tempora meminerit, nullus reperitur. Frustranea igitur est similis interpretatio: neque magis firma Fausti Naironi, hominis nihil minus quam Theologi, conjectura, quod vitium illud irrepserit ex Missa Praesanctificatorum. Nam singulare illius Officium, quantum ex comparatione multorum Codicum perspicere licuit, non habent Syri: et Graecanicum neque verba Christi habet; neque Invocationem Spiritus sancti. Alia igitur nodi hujus solutio quaerenda est, simplicior, verior, et minus operosa.

Verisimile igitur est Liturgiam istam, quae brevissima est, ab aliquo descriptam qui verba sacra per compendium expresserit, ut multas alias orationes communes, quae ut notissimae vocibus tantum initialibus designantur. Imperitus deinde librarius quispiam, illis verbis omissis, *Hoc est corpus*

meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum, continuam conjunctis postremis, cum *Accipite et comedite*, orationem effecerit, qui error reliquos codices pervaserit: id quippe facile accidere poterat, inter homines non Theologiae modo, sed ipsius linguae imperitos. Conjecturam hanc firmare possunt, codices non quidem valde antiqui, sed apud Syros ipsos scripti, nec emendati a Missionariis et censoribus, cum nomina haereticorum inter sanctos referant, et alia contineant non pauca, quae Catholicis probari non possint. Illorum judicium si tale fuisset, quale suspicatus est Dandini interpres, de ejusdem loci emendatione parum fuissent solliciti. Imo unum habuimus non infimae vetustatis in quo verba illa referuntur, quemadmodum illa in versione expressimus. Intactam in aliis codicibus remansisse eo facilius fuit, quod rarior istius Liturgiae usus est.

3. *Invocatio Spiritus sancti.*

Formula haec ut eam interpretatione nostra expressimus, legitur in Codicibus omnibus Mss. quorum nullus eam, prout in editione Romana legitur, repraesentat: nempe ut adventus et illapsus Spiritus sancti ad solum fructum perceptionis Eucharistiae pertineat. Quae de significatione ipsius Orationis dici solent, ea cum fusius in notis ad Liturgias Basilii Copticam, et Syriacam Jacobi exposuerimus, reponere necesse non est. Quod autem paucissimis verbis Invocatio in hac Liturgia constet, cum in plerisque aliis, maxime recentioris aevi, longe pluribus exprimi soleat, simplicitatis et antiquitatis argumentum est, fortasse non contemnendum.

4! *Memento Domine Regum fidelium.*

Illud quoque indicium est, licet non plane certum vetustatis, quae Christianorum Imperatorum temporibus aequalis sit. Neque tunc aliter orari poterat aut debebat pro illis principibus qui Christianam religionem profitebantur. Attamen remansit in multis recentioribus Liturgiis antiqua ista formula, ex consuetudine vetusta potius quam ex malo consilio, quod sub Barbaris dominis consultori pessimum esse potuisset.

Reliqua nihil habent obscuritatis, aut indigent novo Commentario cum pleraque explicata sint ad Jacobi Liturgiam.

LITURGIA
S. JOANNIS EVANGELISTAE.

Oratio ante osculum pacis.

Sacerdos. DOMINE Deus fortis qui es caritas vera, tranquillitas imperturbabilis, et spes quae non confundit; tu Domine Deus pater: concede servis tuis istis, qui coram majestate tua stant, caritatem, benignitatem, tranquillitatem et pacem perpetuam, et praesta nobis omnibus, ut cum puritate cordis et sanctitate animae, demus pacem nobis invicem in osculo sancto, et spirituali, quod placeat nomini tuo sancto: et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen. *Diaconus dicit Mediam.*

Sacerdos elevans vocem. Et nunc coram majestate tua, Domine, inclinamus colla animarum nostrarum, et corporum nostrorum: jube et mitte nobis, de excelsis gloriosis sanctuarii tui, gratiam praeclaram, benedictionemque imperturbabilem et inamissibilem, ut te glorificemus et exaltemus, unigenitumque Filium tuum, et Spiritum tuum sanctissimum et bonum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Qui Filium tuum, in fine temporum misisti ad salutem nostram: ipse autem mysteria haec sancta et vivifica tradidit nobis. Ne, Domine, facias nos alienos ab hoc ministerio, nec avertas faciem tuam a nobis, propter multitudinem peccatorum nostrorum. Tu enim solus, sanctus es, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Diaconus. Date Pacem.

Populus. Misericordiae Dei.

Sacerdos. Caritas Patris, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino Deo nostro.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Digne te decet laus, Domine coelestium et terrestrium.

Elevans vocem. Te enim glorificant et laudant virtutes supernae, et coelum in quo consistunt, ignei te cum timore celebrant, Cherubim cum commotione te benedicunt: Seraphimque sancti, majestatem tuam sanctificant, qui veloci motu alarum et pennarum suarum, volantes alter ad alterum, clamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Domine, Deus potens, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sancto, una natura indivisa: qui est sanctus et sanctificans omnia virtute divinitatis suae. Pater qui misit Filium suum ad salutem nostram: et Filius qui descendit et incarnatus est, passus et crucifixus propter imaginem suam quae corrupta fuerat: Spiritusque vivus et sanctificans sacrificia divina.

Elevans vocem. Cum autem ad passionem salutarem voluntate sua venisset, propter salutem nostram, panem super manus suas sanctas, in oculis turmae discipulorum suorum accepit: aspexit in coelum, gratias egit, † benedixit, † et sanctificavit, † fregit deditque Apostolis suis sanctis et dixit: Accipite manducate ex eo. Hoc est corpus meum, quod pro vobis, et pro omnibus in me credentibus frangitur et dividitur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam futuram in saecula.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et post coenam suam illam mysticam, etiam ex vino et aqua accepit calicem, gratiasque egit super illum, † et benedixit, † sanctificavit, † et dedit turmae Apostolorum suorum et dixit illis: Hic est calix sanguinis mei, Novi Testamenti, accipite, bibite ex eo omnes: iste effunditur pro vita mundi, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, omnibus in me credentibus in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ita facietis in meam commemorationem: quotiescumque enim manducabitis Sacramentum hoc, et hunc sanguinem bibetis, mortem meam annunciabitis donec veniam.

Populus. Mortis tuae, Domine, memoriam agimus, etc.

Sacerdos. Commemorationem dispensationis tuae salutaris facientes, Christe Deus noster, imploramus et deprecamur bonitatem tuam, ut cum venies in gloria cum Angelis tuis sanctis, et constitues thronum gloriae tuae, praecipiesque terrae, ut pariat omnes defunctos ad standum coram te in timore et tremore: cum collocabis agnos ad dexteram tuam et hoedos ad sinistram tuam, et unusquisque exspectabit competentem sibi retributionem, et habitacula sibi destinata: ne Domine audiamus a te vocem illam acerbam, et mortiferam: ne dicas nobis, Domine, recedite a me maledicti, abite in ignem, quia ego non novi vos. Ne, Domine, simus alieni a familiaritate tua: ne avertas, Domine, faciem tuam a nobis: ne aspicias, Domine, nos indignanter in ira: ne, Domine, ascendant peccata et crimina nostra in cor tuum sanctum: ne, Domine, intres in judicium nobiscum: neque agas erga nos, tanquam erga eos quorum spes praecisa est: neque ultionem facias de nobis, quasi inimicis. Non tanquam alienos repellas nos: ne projicias nos, Domine, a facie tua, qui nomen tuum sanctum cognovimus, et divinitatem tuam confessi sumus. Sed fac nobiscum secundum promissiones tuas veras, et non fallaces: dimitte delicta nostra, propitius esto peccatis nostris: et fac misericordiam super haereditatem tuam, et super oves pascuae tuae, quemadmodum poenitens Ecclesia tua supplicat tibi, et tecum Patri tuo, dicens.

Populus. Miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Sacerdos. Praecipue.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos inclinatus. Domine clemens, et multae misericordiae, miserere mei, et mitte super me et super oblationes istas, Spiritum vivum et sanctum, vivificantem, et omnia sanctificantem, largitoremque sanctitatis: ipsum qui in Prophetis sanctis locutus est, et Apostolos sanctos, martyresque coronavit: ipseque illabatur super haec mysteria et sanctificet illa.

Populus. Exaudi me, Domine.

Sacerdos elevans vocem. Ut illabens, efficiat panem quidem istum, corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem istum, sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sanctificent corpora et animas eorum, qui illis communicabunt, ad mundationem cordium eorum, purificationem cogitationum eorum, et ad sanctificationem animarum eorum, quae est in regno coelorum et vita aeterna.

Diaconus. Oremus.

Sacerdos inclinatus. Commemoramus coram te, Domine Deus, hoc tempore hujus sacrificii, omnes Ecclesias tuas sanctas: et Pastores Orthodoxos qui in illis vivunt: praecipue vero DD. N. et N. cum reliquis Episcopis Orthodoxis. Iterum etiam commemoramus Sacerdotes et Diaconos veros, reliquosque domesticos tuos, qui observant mandata tua. Iterum etiam obsecramus te, Domine, pro tranquillitate et confirmatione totius mundi: pro benedictione anni, et fructuum ubertate. Iterum obsecramus te, pro infirmis, afflictis, et illis qui a malis spiritibus infestantur: ut visites eos, visitatione tua. Iterum obsecramus te Domine pro omnibus qui invocant nomen tuum, et confitentur te esse verum Deum.

Elevans vocem. Salva et libera, Domine Deus vere, gregem tuum ab omnibus plagis noxiis, acerbis et mortiferis, ut etiam ab omnibus contumeliis gentium barbararum quae nomen tuum sanctum non noverunt, et divinitatem tuam non agnoscunt. Rege illum dextera tua valida et omnipotente, ut confiteatur tibi, et unigenito Filio tuo, te Spiritui tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, eorum qui obtulerunt hodie oblationem, super hoc altare: et eorum qui voluerunt offerre, sed facultatem non habuerunt: atque unicuique illorum secundum mentem suam da, Domine.

Elevans vocem. Memento Domine, ad altare spirituale, coeloque sublimius, omnium qui te cognoverunt: et voluntatem tuam bonam adimpleverunt: et suspice per gratiam tuam, oblationes, decimasque eorum, et fac illos dignos gloria nominis tui sancti, et unigeniti Filii tui, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, [2] Regum fidelium: apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium eorum: da etiam illis victoriam de hostibus suis, per fortitudinem tuam magnam.

Elevans vocem. Tu es enim dator fortitudinis et largitor victoriae, omnibus qui credunt in te, et vere diligunt te.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum commemoramus coram te, Domine, omnes sanctos et patres, cum Prophetis, Apostolis, Martyribus, et Confessoribus: atque Dei Genitrice et omnibus sanctis.

Elevans vocem. Et illorum sanctorum amicorum tuorum memoriam agentes, obsecramus et deprecamur te, Domine, ut per illorum orationes puras et sanctas, digni efficiamur locum inter eos habendi, et sortem quae illis obtigit: per gratiam tuam, et per misericordiam, amoremque erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, Praesulum, Doctorum, et Pastorum Ecclesiae tuae sanctae Orthodoxae.

Elevans vocem. Eorum qui per doctrinam veram et Dominicam, constituerunt Ecclesias tuas sanctas, et ab illis deturbaverunt omnes haereses perniciosas, et per dogmata sua, veritatem fidei verae publicaverunt. Obsecramus te, Domine, ut per intercessiones sanctas illorum, confirmemur in doctrina vivificante illorum: ut nos et ipsi referamus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, per gratiam tuam, eorum qui a nobis separati sunt, et ad te migraverunt: qui acceperunt corpus et sanguinem tuum pretiosum, et obsignati fuerunt signaculo tuo, a tempore primae institutionis Christianae, ad hunc usque diem.

Elevans vocem. Tu es enim creator animarum et corporum, et te exspectant qui decubuerunt, et spem tuam vivificantem respiciunt. Suscita illos, Domine, in die illo novissimo: tranquillusque sit erga illos vultus tuus: et dimitte per misericordiam tuam delicta et defectus eorum: quia eorum qui super terram fuerunt nullus reperitur mundus a sordibus peccati, nisi Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus; per quem nos etiam misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum quae propter eum est, et nobis et ipsis. *Populus.* Quietem praesta.

Sacerdos. Parce, et dele, Domine Deus, peccata et maculas nostras, et illorum, quaecumque male et inique a nobis et ab illis commissa sunt: concede nobis puritatem et sanctitatem, statumque vitae inculpatum, et fiduciam perfectam coram te, absque lapsu in peccatum: ut semper glorificetur, laudetur, et honoretur nomen tuum prae-

clarum et benedictum: simulque Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti. *Populus.* Sicut.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae.

Sacerdos frangit hostiam et signat.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Tu qui orationes suscipis, et respondes petitionibus, Deus Pater: qui per Filium tuum dilectum docuisti nos, ut coram te staremus, et cum puritate et sanctitate te oraremus. Tu, Domine Deus, concede nobis, ut cum puritate animae, mentis abstersione, et castimonia, clamemus ad te, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Salva, Domine Deus, animas servorum tuorum a tentationibus asperis, et ab omni machinatione Daemonum, hominumque improborum, et implacabilium, quia tu potens omnium es: et tibi gloriam referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Sacerdos. Et illis qui coram te inclinati sunt, Domine, benedic per gratiam tuam, et miserationes tuas multas, et fac illos dignos mysteriis tuis vivificantibus, et participatione societatis cum congregatione sanctorum tuorum, ut referant tibi laudem, etc.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos elevans mysteria dicit. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus, etc.

Sacerdos dicit Orationem post Communionem.

Quid retribuemus bonitati tuae, Deus noster benigne, pro salute ista quam dedisti nobis? Gloriam debitam offerre quis possit etiam imperfecte? Quantum igitur possibile est, adoramus, glorifica-

mus, et laudamus te, unigenitumque Filium tuum, et Spiritum tuum vivum et sanctum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Te Christe Deus noster, adoramus, laudamus et glorificamus, deprecantes bonitatem et misericordiam tuam, pro liberatione et salute totius mundi: pro custodia viventium, et quiete defunctorum fidelium: pro saturitate esurientium, et alimento necessitatem patientium: pro visitatione infirmorum, et consolatione omnium afflictorum. Tu igitur per gratiam tuam visita, et vivifica per miserationes tuas multas: et benedic populum tuum: custodique haereditatem tuam per crucem tuam victricem: quia tibi debetur adoratio, et Patri tuo, et Spiritui vivo, nunc et semper.

IN JOANNIS EVANGELISTAE LITURGIAM

NOTAE.

Praeter istam Liturgiam nulla hoc titulo apud Orientales extat una excepta Aethiopica, quae cum ista commune nihil habet, cum Ritum Alexandrinum sequatur: ista Syriacum. Cum vero plures Antiocheni Jacobitarum Patriarchae Joannis nomen habuerint, facile fuit ut Evangelistae titulus huic Liturgiae ornandae adhiberetur, quem praefert in permultis codicibus, quos Romani editores secuti sunt. Sed hoc parum refert, cum ab Evangelista scriptam illam non fuisse, certissimum sit. Notam vero dudum inter Jacobitas fuisse, praeter antiqua exemplaria, probant excerptae ex eadem orationes aliquot in Liturgia quae dicitur Doctorum sanctorum, a Joanne Magno Patriarcha Antiocheno ex diversis aliis collecta. Interpolata non minus quam reliquae fuit, in Romana editione, duobus locis, nempe in forma verborum Christi, et in Invocatione Spiritus sancti: veram lectionem in interpretatione restituimus ex Codicibus Mss. antiquis Seguierianis et Colbertinis, recentioribus quoque nonnullis, et nostro qui vetustis similis est.

Memento Domine Regum fidelium, etc.

Nulli erant Reges fideles Apostolicis temporibus: atque ea ratione sola evertitur argumentum quod ex titulo duci posset ad antiquitatem istius Liturgiae stabiliendam, praesertim cum Apostoli pro Regibus etiam infidelibus, Christianos preces offerre docerent. De illa formula dictum est saepius, quae id solummodo significat quod Liturgiae in quibus occurrit, ex illis expressae sint quae sub Christianis Imperatoribus in usu erant.

LITURGIA

DUODECIM APOSTOLORUM

SANCTORUM, QUAM ORDINAVIT LUCAS EVANGELISTA MAGNI PAULI DISCIPULUS.

Primum Oratio ante pacem.

Domine Deus misericors et sancte, qui per unigenitum Filium tuum mensam hanc spiritualem et sanctam praeparasti nobis, suscipe a nobis oblationem sacrificii hujus incruenti, et concede nobis donum Spiritus tui sancti, et referemus tibi gloriam, etc.

Diaconus alta voce pronunciat Mediam.

Sacerdos elevans vocem. Tranquillitas tua et pax tua, Domine, et dilectio tua vera, gratia tua, miserationes tuae, naturales divinitati aeternae tuae, sint nobiscum et inter nos, omnibus diebus vitae nostrae: et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Coram te Rex regum: et Domine dominantium adoramus, rogamusque et deprecamur te: respice nos misericorditer et praesta nobis, ut cum puritate cordis et sanctitate animae, accedamus ad altare tuum sanctum et referemus, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, decens et debitum, tibi gloriam dare, quia sanctus es, et largitor vitae. Dignum enim est ut te glorificemus: tibique debetur gloria, nosque decet laudare te, tibique gratias agere, quia benedictus es, simul cum Patre tuo, et Spiritu tuo vivo et sancto.

Elevans vocem. Coram te enim stant circum Cherubim habentes facies quatuor: Seraphim sex alis instructi: quorum duabus tegunt facies suas: duabus pedes: duabus volantes alter ad alterum, voces puras et concentus divinos, clamant, vociferantur, et dicunt ter.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus, Sanctus, Sanctus es, Domine, plene miserationibus, et propitiatione, et misericors. Sanctus etiam unigenitus Filius tuus. Sanctus quoque Spiritus tuus sanctus et vivificans. Sanctus es tu et largitor bonorum: quia propter salutem nostram unigenitus Filius tuus carnem assumpsit ex Virgine Maria, et per dispensationem suam divinam salvavit et liberavit nos a captivitate. Qui cum pro nobis homo factus esset, absque mutatione, ad crucem venit: et ante passionem suam vivificam, accepit panem in manus suas sanctas, † benedixit, † sanctificavit, † fregit et comedit, deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex eo: Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur et datur in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem, postquam coenaverunt, miscuit ex vino et aqua, † benedixit, † sanctificavit, † et cum gustasset, dedit illum discipulis suis dicens. Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hoc est Testamentum Novum in meo sanguine, qui pro vobis, et pro multis effunditur ad expiationem delictorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem hunc bibetis, memoriam mei facietis donec veniam.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Idcirco nos infirmi et peccatores servi tui, dispensationis tuae memoriam agentes, rogamus et deprecamur te, amator hominum, cum exorieris in fine temporum, et juste retribues unicuique secundum opera ejus, parce et misericors esto adoratoribus tuis, et salva haereditatem tuam. Et propterea, nunc etiam Ecclesia tua deprecatur te, et per te, et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te, etc.

Sacerdos. Praecipue.

Diaconus. Memento. *et mox dicit.* Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere nostri Domine: miserere nostri, et mitte nobis de coelo sancto tuo, Spiritum tuum vivificantem, et requiescat super oblationem hanc, faciatque eam corpus vivificum, nosque expiet, mundet et sanctificet.

Benedicit et dicit. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut per illapsum suum, faciat panem istum, corpus Christi Dei nostri. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et mistum, quod in hoc calice est, sanguinem Christi Dei nostri, ut sint nobis Sacramenta haec sancta, et vivifica, ad expiationem delictorum, ad remissionem peccatorum, et ad sanitatem animae et corporis, et ad roborationem mentis nostrae. Sed neque unus pereat de populo tuo fideli: verum praesta nobis omnibus, ut pure spiritu tuo gubernati, vitam degamus, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, etc. *Populus.* Amen.

Diaconus dicit Orationem convenientem, et eam quae est pro mortuis.

Sacerdos inclinatus. Offerimus tibi Domine omnipotens, sacrificium hoc divinum, pro omni grege tuo: praecipue vero pro beatis Patribus nostris, Patriarcha nostro D. N. et pro Episcopo nostro Domino N. servo tuo, et reliquis Episcopis Orthodoxis, ut cum vita inculpata, gubernent oves tuas in puritate et sanctitate: offerantque tibi populum fidelem, gregem spiritualem, placitum honori nominis tui, et simul referemus tibi gloriam, etc. Memento Domine Sacerdotum,

rectorum, Diaconorum purorum et Subdiaconorum. Memento, Domine, populi tui, praecipue illorum qui obtulerunt tibi oblationes istas, et parce congregationi isti, quae coram te collecta est.

Elevans vocem. Ut perpetuo, incorrupte vivant coram te, et praeparentur ad bona quae a te illis promissa sunt, per misericordiam erga illos: esto illis propitius, tanquam Dominus bonus et multae gratiae: referemusque tibi gloriam, etc.

Inclinatus. Memento, Domine, Regum fidelium qui benefici sunt populo tuo, et clementes sunt erga oves redemtas sanguine tuo. Da illis fortitudinem quae a te est, neque superentur ab inimicis suis.

Elevans vocem. Et Angelos tuos sanctos mitte, Domine, ad auxilium eorum: libera etiam eos a dolo tyrannico et a Belial spirituali, ut praeserventur ab insidiis et machinationibus hostium Ecclesiae tuae fidelis: ut in tranquillitate, pace et concordia studiose et perseveranter referamus tibi gloriam, etc.

Memento, Domine, et illorum qui a saeculo tibi placuerunt, praecipue sanctae, gloriosae, semper Virginis Genitricis Dei Mariae, Joannis Baptistae, Stephani principis Diaconorum et protomartyris; cum reliquis Prophetis, Apostolisque sanctis, et patribus piis qui obierunt. Memento etiam, Domine, omnium defunctorum fidelium qui pridem obierunt et ad te pervenerunt. Suscipe oblationes istas, quae pro illis hodie tibi offeruntur, et quiescere illos fac in sinu beato Abrahami. Cum spe misericordiae tuae quietem acceperunt omnes defuncti, et miserationes a te exspectant, Deus noster adorande. Praesta illis ut mereantur audire vocem illam vivificam, quae vocet illos, et adducat, utque sint invitati ad regnum tuum. Concede etiam nobis exitum tranquillum, per gratiam tuam, et abole insipientias nostras, per misericordiam tuam.

Elevans vocem. Unus enim fuit qui visus fuerit super terram, sine peccato, unigenitus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus, propitiator magnus generis nostri; ipse per quem et nos misericordiam obtinere speramus, et remissionem peccatorum nostrorum et illorum.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Nobis etiam et illis esto propitius, et condonator peccatorum Domine, ut in nobis, pro nobis, et propter nos, glorificetur, laudetur, et honoretur nomen tuum gloriosissimum et benedi-

ctum: simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus vivi et sancti, nunc. *Populus.* Sicut.

Sacerdos. Pax. *Populus.* Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sint. *Populus.* Et cum.

Sacerdos. Credimus et accedimus.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Domine misericors, et mitis, qui supra omnia extolleris et laudibus celebraris, exaltaris, et glorificaris: tu Domine praesta etiam nobis pauperibus et infimis servis tuis, ut pure et sancte oremus, clamemus et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. O Domine, o benigne, ne despicias nos, ita ut praevaleat adversum nos tentatio, sed libera nos a malo rebelli, et a viis ejus tortuosis et perversis: quia tuum est regnum, et unigeniti Filii tui, et Spiritus sanctissimi tui, boni, adorandi et vivificantis.

Populus. Amen.

Diaconus. Inclinate.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum.

Sacerdos elevans vocem. Benedic, Domine, populo tuo fideli, qui coram te inclinatus est: eripeque nos omnes a damnis: et praesta nobis, ut mysteriis divinis pure et sancte communicemus, et per illa expiemur et sanctificemur: referemusque tibi laudem et gratiarum actionem et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum.

Sacerdos. Sint. *Populus.* Et cum.

Diaconus. Unusquisque.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Oratio post susceptionem Sacramentorum.

Gratias agimus tibi, Domine Deus, obsecrantes et deprecantes te: praesta nobis, ut sit nobis communio haec divina, ad expiationem

delictorum, remissionemque peccatorum, omniumque praevaricationum nostrarum: ut etiam ad gloriam nominis tui sancti, et unigeniti Filii tui.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum.

Sacerdos. Domine Deus salutis, qui propter nos homo factus es, et per sacrificium personae tuae, salvasti nos: salva etiamnum nos a corruptione perniciosa, et fac nos templum nomini tuo sancto, quia populus et haereditas tua sumus: teque decet gloria, honor, et potestas cum Patre tuo et Spiritu tuo vivo et sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Benedic omnibus.

Diaconus. Benedicam Dominum.

FINIS.

IN LITURGIAM SANCTORUM APOSTOLORUM

NOTAE.

MIRA est Codicum hujus Liturgiae diversitas, quae ex comparatione variorum Manuscriptorum conciliari nequit. Versionem elaboravimus ad exemplar, quod cum ea Liturgia quae nomine Duodecim Apostolorum sanctorum edita Romae est in Missali Chaldaico a pag. 98. usque ad 105. satis convenit, etsi in locis aliquibus differat: non illis modo, quae reformationem passa sunt, sed in aliis. At in Cod. Colb. 3922 alia est eodem titulo cum insigni discrimine. Unde manifestum est nullam aut exiguam esse titulorum fidem.

1. Forma verborum Christi ita ut eam vertimus, legitur in Codice Ms. nam in editione Romana, ut aliae mutata est. In hac parte duo observanda sunt: primum quod in verbis ad panis consecrationem pertinentibus, Christus edisse ex illo dicitur, ut in sequentibus, gustasse calicem: quod in Copticis et Nestorianis Liturgiis legitur, ut in aliquot Syriacis Jacobiticis. Ad calicem verba dominica referuntur ex Luca Evangelista. *Hoc est Testamentum Novum in meo sanguine*, quae fortassis ratio fuit cur Lucae in aliquot exemplaribus haec Anaphora tribuatur. In alia ejusdem nominis, deficiunt verba

Christi ad consecrationem panis, ex omissione ut videtur, qualem notavimus in ea quae tribuitur Dionysio Barsalibi: aliter se habet forma calicis: ita scilicet. *Hic est sanguis meus, in Novo Testamento:* cum in Evangelio scriptum sit, *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.*

2. Haec oratio pro Christianis Regibus non extabat in Codice quo Romani editores usi sunt, et ex Mss. eam adjecimus: de ea nihil observandum occurrit, praeter illa quae in aliis Liturgiis ad similes formulas notavimus.

LITURGIA

MARCI PRAEDICATORIS, ET EVANGELISTAE.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater qui Filium tuum dilectum misisti ad salutem nostram: qui infirmi, egeni, et morbidi eramus, qui per sanguinem suum dominicum, nos perditos reduxit ad ovile tuum spirituale: deprecamur te Domine, ut suscipias e manibus nostris peccatricibus, sacrificium hoc timendum, spirituale, et incruentum, et per illud veniam concede peccatorum, insipientiarum, et criminum, quae a nobis commissa sunt: per beneplacitum voluntatis tuae, et per gratiam, et misericordiam, et amorem erga homines, unigeniti Filii tui, per quem, et cum quo te decet, gloria, et honor, et imperium, cum Spiritu tuo vivo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Coram te, Domine Deus, inclinamus colla animarum corporumque nostrorum, et óramus, petimusque a clementia tua, ut largiaris nobis divitias gratiae, benignitatis, et misericordiae tuae: auxilia tua nos adjuvent omnibus diebus vitae nostrae, per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines unigeniti Filii tui.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Domine Deus omnipotens, qui es caritas vera, et sancta, praesta nobis ut omnibus diebus vitae no-

strae constringamur, et delectemur in caritate tua divina: et dantes nobis invicem pacem in osculo sancto, simus tibi oves praeclarae absque macula, et ab omni confusione liberae. Per Jesum Christum Dominum nostrum unigenitum Filium tuum, per quem, et cum quo te decet gloria, honor, et potentia cum Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem.

Sacerdos. Caritas, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere te Domine decet omnis gloria, omnis gratiarum actio, omnis laus, omnis honor, omnis exaltatio: te opificem omnium, Deum et Patrem, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo vivo, et sancto nunc, etc.

Elevans vocem. Te enim vere Domine, benedicunt, glorificant, laudant, et honorant Angeli et Archangeli: Principatus, et Potestates: Throni, et Dominationes: Virtutes incorporeae: Cherubim, et Seraphim, cum omnibus coelestibus, uno aequali cantu gloriae, concinentes, clamantes, vociferantes et dicentes.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus, Sanctus, Sanctus es Deus Pater omnipotens, cum Filio qui ex te est, et Spiritu tuo sancto: qui cum a te periissemus per praecepti transgressionem, misisti ipsum unigenitum Filium tuum, ad auxilium nostrum: qui per passiones suas salutares reduxit nos ad haereditatem nostram pristinam, et vivificavit nos sanguine suo divino.

Elevans vocem. Cum ergo ad passionem nostri causa venisset in carne, per gratiam suam: ipse in quo peccatum non inventum est, accepit panem in manus suas sanctas, et aspexit in coelum, et gratias egit, † et benedixit, † et sanctificavit, † et fregit, et dixit discipulis suis. Hoc est corpus meum, accipite, manducate ad remissionem peccatorum vestrorum et omnium fidelium verorum, et ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter, et calicem vino, et aqua miscens, † benedixit, † et sanctificavit, † deditque discipulis suis, et dixit. Hic est sanguis meus Testamenti Novi, accipite, bibite ex eo vos omnes, ad remissionem peccatorum vestrorum, et omnium fidelium verorum ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et cum haec mea praecepta perfeceritis, mortem et resurrectionem meam annunciabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Memoriam celebrantes, Domine Jesu Christe, totius dispensationis tuae salutaris pro nobis, a conceptione, nativitate, et baptismo tuo sancto, passionis tuae salutaris, mortis tuae vivificae, triduanae sepulturae tuae, gloriosae resurrectionis tuae, ascensionis tuae in coelum, et sessionis tuae ad dexteram Dei Patris, et adventus tui tremendi, et timendi, supremi et dominici, quo judicaturus es homines, et retribues unicuique secundum opera sua: deprecamur te Domine in hac hora timenda, et in hoc tempore tremoris, et metus. Propitius esto, et miserere omnium nostrum per miserationem tuam, et ignosce delictis nostris per gratiam tuam. Dimitte peccata nostra per misericordiam tuam, et aufer insipientias nostras, in die abundantis misericordiae tuae; dealba maculas nostras hyssopo tuo. Propter hoc enim Ecclesia tua, et grex tuus deprecatur te, et per te, ac tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Sacerdos. Praecipue.

Diaconus. Quam terribilis est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Domine miserere nostri, et exaudi nos hoc tempore: et mitte ad nos e coelo tuo excelso, et sublimi, Spiritum tuum sanctum, consubstantialem tibi, et honore aequalem, qui super unigenitum Filium tuum apparuit in Jordane fluvio in columbae specie, et super Apostolos tuos sanctos, in linguis igneis in coenaculo descendit, et nos perficiat per abundantiam gratiae tuae, vasa electa, quae utilia sint, ad ministerium honoris tui.

Sacerdos elevans vocem. Exaudi me Domine, exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut benedicens, et sanctificans, corpus Christi perficiat panem istum. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Elevans vocem. Ut sint nobis haec mysteria sancta ad propitiationem delictorum, et remissionem peccatorum; ad fiduciam habendam coram throno tuo terribili, et ad consistentiam absque confusione: ad honorem, et aedificationem Ecclesiae tuae sanctae, et ad conservationem filiorum ejus sine peccato: et referemus tibi gloriam, et gratiarum actionem.

Sacerdos inclinatus. Domine Deus, coram te inclinor hoc tempore, et deprecor clementiam tuam, adjuva me; parce mihi, et ignosce mihi peccata mea; insipientiasque meas, et iniquitates omnes quae a me perpetratae sunt, tanquam homine carne vestito. Suscipe etiam de manibus meis sacrificium hoc praeclarum, et incruentum, et extolle cornu Ecclesiae tuae sanctae, toto orbe diffusae, et custodi pastores ejus Orthodoxos. Praecipue Dominum N. Patriarcham nostrum, et Dominum N. Episcopum nostrum, et Metropolitas, et Episcopos Orthodoxos in tranquillitate, et pace omnibus diebus vitae suae: Sacerdotes quoque decoros, et veros, et Diaconos modestos, et puros, et omnem Ordinem altari tuo sancto deservientem honora, et custodi illos ab omnibus dolis per gratiam tuam.

Elevans vocem. Confirma Domine per clementiam tuam, Ecclesiam tuam sanctam in praeclaro statu eorum qui in ea Sacramenta administrant, piorum, et rectorum. Episcopos ejus sapientes effice per gratiam tuam, et Sacerdotes in gloria perfectionis mysteriorum tuorum sanctorum, et Diaconos ministerii tui spiritualis, in puritate, et sanctitate, et populum tuum fidelem et sanctum, tales exhibe, ut perseverent secure in morum Christianorum observatione, ut festo spirituali exultent, et referant tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Et sacrificii hujus divini, coram te propositi, memento Domine: sanctifica per clementiam tuam, et perfice nos illius beneficio ad implendam voluntatem tuam bonam, et vivificam: illos vero qui his oblationibus communicabunt, ignosce, et salva eos ab omnibus malis per caritatem tuam.

Elevans vocem. Et simul cum illis Domine, memento omnium qui invocant nomen tuum sanctum. Prope adstantes benedic, absen-

tes reduc, infirmos visita, debiles confirma, valetudine adversa laborantes robora, et eos qui a daemonibus tentantur, libera: vinctos educ, oppressos adjuva, pereuntes ad timorem tuum voca, et ad tui cognitionem, et omnibus iis qui obtulerunt oblationes, vota, primitias, ac decimas in Ecclesia tua sancta; tu Domine retribue illis bona, et praeclara; quia tu miserator, et veniae largitor es: et te decet honor, gloria, et potentia in unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Regibus timentibus Deum, pacem praesta Domine: judices custodi in timore tuo, et omnium fidelium filiorum Ecclesiae sanctae recordare, depelle ab eis bella tam domestica quam extranea: tranquilla civitate perfruantur, et custodi eos signo victricis crucis tuae.

Elevans vocem. Persecutionem patientes, et captivos gregis tui, dirige, et salva, per misericordiam tuam Domine: navigantes adducito ad portum securitatis: peregrinis esto domus reditus: in viam profectis esto itineris comes: Religiosis, et Monachis, et iis qui speluncis terrae delitescunt, finem religiosi hujus propositi concede, et quia omnes cum summa cura adjuvas Domine, ex omnibus referemus tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Ad altare tuum coeleste et ad istud Domine, memento nunc Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Annunciatorum, Praedicatorum, et Evangelistarum: praecipue sanctae Matris Dei semperque Virginis Beatae Mariae, et Joannis praecursoris Baptistae, et Stephani primi Diaconorum, et primi Martyrum reliquorumque sanctorum omnium.

Elevans vocem. Et tanquam bonus, et veniae largitor Domine, agmen triumphatorum illorum adjunge ad auxilium infirmitatis nostrae, ordines illorum beatos, turmas eorum admirabiles, occursum eorum praeclarum, festum eorum laetabundum, statum eorum laetum, ad ordinem doxologiae eorum praeclarae, et per intercessiones eorum suscipiantur oblationes, decimae, et orationes nostrae, coram throno praeclarae majestatis tuae, et cum iis, et inter eos referemus tibi gloriam, et gratiarum actionem.

Sacerdos inclinatus. Doctorum probatorum et verorum Episcoporum, sanctorum inspiratorum a Spiritu sancto qui dudum in fide orthodoxa obierunt, memento Domine per misericordiam tuam: praecipue vero, et nominatim, Ignatii, Dionysii, Clementis, Marci, Pauli:

cum reliquis omnibus qui persecutionem passi sunt, pro confirmatione Ecclesiarum suarum sanctarum.

Elevans vocem. Fidem eorum sinceram in animabus nostris planta, o Domine, omni tempore, praeclaram morum institutionem eorum in nobis confirma: rectitudinem legum irreprehensibilium quas ab ipsis didicimus, in mentibus nostris firma: eorum praecipue qui omnibus spoliati patienter tormenta sustinuerunt pro constitutione Ecclesiarum tuarum sanctarum: eorum qui jugiter rivos lacrymarum ex oculis profuderunt pro salute nostra qui peccatores sumus, et eorum vestigiis insistentes, adjunge nos societati ordinum illorum beatorum, ut cum illis pure canamus tibi hymnum convenientem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo.

Sacerdos inclinatus. Et eorum qui pia commemoratione digni sunt, memento per misericordiam tuam Domine, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorumque castorum, Anagnostarum, Lectorum, Cantorum, et omnium defunctorum fidelium, praecipue patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, et omnium qui petierunt orationes tenuitatis nostrae: et omnium qui participes facti sunt dignitatis Ecclesiasticae cujuslibet, quique necessitatibus omnium egenorum societatis nostrae communicaverunt, et iis quorum meminimus, fac memoriam bonam.

Elevans vocem. Rogamus te, Domine Deus, Patrum sanctorum Abraham, Isaac, et Jacob, et omnis coetus justorum, et piorum; ut illis quietem tribuas, illis inquam omnibus, qui a nobis profecti ad te migraverunt, et ad sedes tuas beatas pervenerunt. Dele, ignosce, et remitte omnia peccata eorum, nota, et ignota, voluntaria, et involuntaria, quia nullus visus est super terram absque peccatis, nisi solus Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus: per quem et nos misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum quae propter eum est, et nobis, et ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Dele Domine, per misericordiam tuam omnia peccata nostra, et illorum, occulta; et manifesta quae solus nosti, nosque, et illos dignos effice, ut ex vita hac temporali migrantes absque peccato aut reatu, stemus coram te, et cum illis, et inter eos, mereamur referre tibi gloriam indesinentem, et festum agamus tibi in choreis triumphalibus, illic in vita illa longa, temporali, et aeterna

commorantes: ut in hoc sicut in omnibus laudetur, et celebretur nomen tuum maxime honorandum, et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Et dicit. Credimus.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater misericors, et benigne, bone, longanimis miserator, et mitis: quem adorant, et laudant Angeli et Archangeli, et omnes Ordines materiae expertes: qui ministerium hoc divinum sanctificas, et perficis absolute, secundum beneplacitum tuum, et per gratiam unigeniti Filii tui, et per illapsum Spiritus tui sancti. Nunc quoque nos omnes sanctifica, ut simus tibi Filii novi, spirituales, puri, et sancti; ut corde puro, et anima nitenti, audeamus invocare te patrem laudandum, et amatorem hominum, oremusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Conserva nos Domine Deus, ab omnibus tentationibus animae, et corporis: deprime, et dejice Diabolum hostem nostrum sub pedibus nostris: et concede nobis uberem misericordiam, quae ex te est, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo benedictus es et laudandus, cum Spiritu tuo vivo, et sancto, nunc.

Populus. Amen.

Diaconus. Inclinate.

Populus. Coram te.

Sacerdos elevans vocem. Respice Domine in haereditatem tuam, quae coram te nunc prosternitur, et inclinatur. Dirige gressus nostros in semitis rectis tuis: et praesta ut communicemus huic sacrificio, quod coram te est, et sit nobis, et omnibus ex illo accipientibus, in sanctificationem animae et corporis, per Christum Jesum

Dominum nostrum, cum quo te decet gloria, et honor, et imperium cum Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae sint.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis, etc.

Populus. Unus Pater.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Confitemur tibi, adoramus te, et gratias agimus tibi, multae misericordiae, et gratiae, nunc cum nos dignos fecisti, comedendi corpus sanctum unigeniti Filii tui, et bibendi sanguinem ejus, purum, et sanctum. Fac Domine, ut pignus hoc in nobis maneat, et sit nobis in propitiationem, et vitam novam, non in condemnationem, et mortem aeternam, ut propter omnia tua erga nos beneficia, gloriam perpetuam referamus tibi, et unigenito Filio tuo, Spirituique tuo sanctissimo, et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum.

Diaconus. Iterum et iterum.

Sacerdos. Christe Rex gloriae, commendamus tibi regimen vitae nostrae: fac ut omnes nec tentati, nec spoliati ab hoste simus, et effunde super nos misericordiam tuam incomprehensibilem, et unicuique nostrum quod ipsi necessarium est, concede. Omnem adorantium te congregationem robora, et adjuva: senes confirma per potestatem tuam magnam; juvenes contine in observatione sollicitudinis (erga illos) tuae: pueros educa; et instrue doctrina tua divina: et omnes obsigna invicta cruce tua, ut referamus tibi gloriam, et laudem.

Populus. Amen,

Sacerdos. Benedic nobis omnibus.

Diaconus. Benedicam.

Aliae Orationes ex Cod. Mss.

Quis reperiri posset inter homines qui possit digna rependere gratiae tuae, Domine? qui nobis malis, et abjectis dedisti donum

hoc divinum, et sanctum, et fecisti nos dignos communicandi corpori, et sanguini unigeniti Filii tui, qui nos per se ipsum salvavit: cum quo te decet, etc.

Alia. Deus adorande, et sancte Jesu Christe, benedic, et parce Sacerdotibus oeconomis Ecclesiae tuae sanctae, et Diaconis administrantibus mysteria tua divina, et omnibus fidelibus veris, qui communicaverunt huic sacrificio. Ale, et cura orphanos, adjuva viduas, confirma pauperes et angustiatos spiritu, satia esurientes, et omnes qui invocant nomen tuum sanctum. Custodi illos in omni loco absque delictis, et peccatis, ut ab omnibus, et per omnia, et propter omnia laudetur nomen tuum sanctum, etc.

AD MARCI
LITURGIAM SYRIACAM
NOTAE.

De titulis Liturgiarum dictum est alibi, quantum opus fuit, et probatum satis, ex eo solo argumento nullam ejusmodi Officiis autoritatem accedere, praesertim cum major omnino sit ea, quae ex usu Ecclesiarum nascitur, quam quae ex sola autorum, etiam sanctorum, dignitate. Ut autem quid de ista sentiendum sit agnoscatur, eas Liturgias referemus quae Marci nomen prae se ferunt. Prima et antiquissima Graeca est, edita a Joanne de sancto Andrea Ecclesiae Parisiensis Canonico, ex ἀπογράφῳ Codicis Graeci antiqui et bonae notae, qui sive Guillelmi Sirleti Cardinalis fuerit, sive ab eo solum visus et exscriptus, superest in Bibliotheca S. Basilii Graecorum Monachorum Romae, translatus cum multis aliis ex Monasterio Cryptae-ferratae, cura R. Patris Generalis viri piissimi et doctissimi, cujus beneficio Romae illum tractavimus, et integriorem apographo reperimus. Haec autem Liturgia, Copticae quae Basilio adscribitur primaevum exemplar est, et olim non alia utebatur Alexandrina Ecclesia ut alibi probavimus. Aliam nomine Marci extare apud suos Jacobitas Aegyptios scripsit Abulbircat, et ejus fragmentum vidimus in quibusdam codd. At in melioribus non extat: et suspectissimum est autoris testimonium, qui tamen alio loco se explicat, dum ait eam esse quam Cyrillus perfecit. Ita quae Cyrillo tribuitur a quibusdam Marco adscripta est:

et id quidem facile fuit apud Alexandriam, sedem D. Marci: in Antiocheno Patriarchatu non item, ubi Graecae alicujus, quae cum Syriaca ista conveniret, usus aliquando nullus fuit. Quod vero hoc usque incompertum fuerat, nempe primaevum esse exemplar Graecum, Liturgiarum quae Alexandriae usurpantur, palam facit Codex rarissimus Bibliothecae Regiae in quo Graecus textus Liturgiarum Basilii et Gregorii, quae a Coptitis sua lingua usurpantur, descriptus est cum versione Arabica: ab ea quam Coptici Codices vulgo adjunctam habent omnino diversa. Eam quae Marci dicitur Codex ille non exhibet: sed Romanus ex quo procurata editio est, eam esse demonstrat, quae in Coptico exemplari Cyrilli appellatur. De illis omnibus alibi satis dictum est.

De ista illud primo observandum est, eam esse omnino ritus Syriaci, et ab aliis quae eodem nomine designantur, omnino diversam. Illas autem intelligimus, quae apud Coptitas usurpantur, aut olim usurpatae fuerunt, Graecam scilicet vetustam quae ex Cod. Crypta-ferratensi edita est, et Copticam quae Cyrilli nomen habet.

Dudum porro est cum ea quam exhibemus Jacobitae utuntur, cum extet in Mss. Colbertinis, et nonnullis aliis: ejus meminerint Maronitae doctissimi Gabriel Sionita, et Abraham Echellensis: tandemque inter alias edita sit in Missali Chaldaico, sive Maronitarum anno MDXCIV. Romae pag. 205. et sequentibus. Non est tamen, ut de aliis monuimus, unde quisquam existimet ad Maronitas eam magis pertinere quam ad Jacobitas, quidquid recentiores ex ea gente, de hoc argumento scripserint. Omnia quippe Officia sacra, si ea excipimus quae recentissime, hoc est a reformata per Missionarios Apostolicos Libanitica Ecclesia, introducta sunt, Latino ritui magis quam Orientali similia, Jacobitis propria sunt.

Romanae editioni in hac ut reliquis Liturgiis interpolatio multiplex accidit a Maronitarum et Censorum obscurorum manibus, qui cum in Scholastica Theologia fortassis perspicacissimi forent, in disciplina Ecclesiastica plane hospites: ea mutaverunt, quae cum altera illa constare non posse videbantur, imo haeresin sapere, quam in precibus longe multorum saeculorum usu consecratis, latere non posse certissimum est, nisi potiorem existimemus aliquot Theologorum, quam Ecclesiae autoritatem. Grassati sunt praecipue in Invocationem Spiritus sancti, quam nos ex Codd. Mss. fide restituimus.

Cur Syri Jacobitae Liturgiam singularem Marci nomine habeant ratio certa in re adeo incerta dari nulla potest, praesertim cum nulli plures habeant quam in ea communione reperiuntur, cum Nestoriani non alias habuerint huc usque, ultra tres apud eos celebratas: totidem Alexandrini ejusdem sectae, Syrarum numerus, ad quadraginta perveniat. Verisimiliter fortassis existimare possumus, ex antiquissima Antiochenae sedis Jacobiticae cum Alexandrina conjunctione factum, ut S. Marco quaedam Liturgia dicaretur, in ejus festo recitanda.

LITURGIA
S. CLEMENTIS ROMANI.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus qui es mare ineffabile caritatis, et abyssus imperscrutabilis pacis, fons bonorum, et largitor dilectionis, qui mittis pacem ad illos qui eam suscipiunt: aperi nobis hoc tempore mare caritatis tuae, et irriga nos fluentis ditissimis, ex ubertate gratiae tuae, et ex fontibus suavissimis benignitatis tuae. Fac nos filiòs tranquillitatis et haeredes pacis, accende in nobis ignem caritatis tuae, et fervorem amoris tui. Sere in nobis timorem tuum, et confirma infirmitatem nostram veritate tua. Constringe nos tecum, et nobiscum invicem, una, firmaque nec dissolubili concordia. Praesta etiam ut vacui dolo, et puri ab omni livore, salutemus invicem in osculo et amplexu pacis et caritatis non fictae, ut cum corde puro et anima munda, hic quidem arrhabonem vitae membris nostris misceamus, et illic in futuro saeculo invitati simus ad festum illud perpetuum deliciisque abundantissimum: et triumphaliter celebremus te, o beate, in regno tuo, quod in aeternum permanet, et unigenitum Filium tuum, et Spiritum tuum sanctum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos elevans vocem. Deus invisibilis, et incomprehensibilis, ineffabilis et infinite, qui in sanctis sanctorum excelsis habitas, in secreto habitaculo, quod manibus factum non est, supra coelos coelorum, et supra quidquid superius illis est; qui

destruis omnem altitudinem passionum extollentem se adversus scientiam tuam, et captivans omnem cogitationem ad formam humilitatis et adnihilationis tuae. Tu beatissime, et dives donorum sublimium aspice nos e coelis tuis sublimibus et splendidis, et ex habitatione regni tui aeterni. Mitte nobis dona gratiae tuae divinae, inhabitationem Spiritus tui sancti: quia tu dives misericordiarum et magnificus in donis, et amplissimae clementiae, tibique gloriam et gratiarum actionem offerimus, et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Domine Deus potens, qui vides abscondita, et futura etiam penetras, fons vitae et origo beata beatitudinis et bonitatis; largitor puritatis, et a quo sanctitas habet originem; thesaurus rerum preciosarum, et fons sapientiae: pater lucis aeternae, quae est ante omnia saecula in te essentialiter, aequalis potentia et gloria. Te deprecamur sanctissime Domine, sanctifica mentes et cogitationes omnium nostrum, munda animas et corpora omnium nostrum, refraena inordinationem cogitationum nostrarum. Indue nos stola nova intertexta ornatu morum honestorum: et per Spiritum tuum sanctum perficientem omnia, qui in omnibus mentibus puris habitat, et in animabus mundis sedem habet, sanctifica nos per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines unigeniti Filii tui: per quem et cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae.

Sacerdos. Caritas.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos. Te enim decet gloria et tibi debetur laudatio: te decet hymnus et exaltatio quocumque tempore, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, Deum verum, unius naturae excelsae, unius substantiae, qui in personis tribus adoraris et laudaris ab omnibus, quae per sapientiam creasti et ordinasti.

Sacerdos elevans vocem. Benedicimus te factorem saeculorum et creatorem naturarum, largitorem vitae et Dominum creaturarum

visibilium et invisibilium. Coeli coelorum, et quaecumque in illis sunt, cum naturis igneis et spiritualibus te glorificant. Sol et luna cursibus suis te venerantur: stellae splendore suo te praedicant: tonitrua sonis suis terrent, ad mandatum tuum: motus in aëre virtutem tuam significant: aquae in nubibus nutu tuo coguntur: terra et quaecumque super eam sunt, a te pendent, atque a te sustentantur: naturae rationales, et ratione carentes, illae quae intelligentia, et quae solo sensu praeditae sunt, per te vivunt, et potestati regni tui obediunt. Habes Domine in coelo illo excelso quod est scabellum sub pedibus tuis, ministros innumerabiles, et infinitum numerum laudantium te, qui in regionibus materiae expertibus, laudi majestatis tuae, et ministerio tuo toti addicti sunt, personas scilicet quae ex igne et Spiritu creatae sunt: quae canticis omnium musicae generum, laudes tuas cum clamore celebrant, milleni et decies milleni, qui ab aeterno fructus laudationis tibi deferunt, agmina et ordines spiritualium in suos ordines distributorum, qui hymnos jucundos tibi offerunt: coetus Angelorum, ordinesque Archangelorum, qui tibi uni Deo laudem novam et indesinentem referunt: Throni et Dominationes in firmissima et non perturbabili securitate constituti, qui cantica triumphalia concinunt tibi, summopere timendo. Archangeli et virtutes, Potestatumque principes, qui gloria Thronorum exornantur, laudesque et encomia dignissima prout decet dirigunt ad infimos gradus solii tui. Principatus spirituales qui coram te cum timore consistunt, indesinenter sanctificant tonitru sanctitatis tuae. Currus igneus animalium quadruplici facie distinctorum, similitudinibusque diversis donorum gloriae diversorum, decorem regni tui clamant: agmina Cherubim multis oculis praeditorum, in circulum voces benedictionis in regionem tuam absconditam extollunt: Seraphim multis alis instructi, qui facies suas iisdem alis suis protegunt a splendore tuo, et pedes suos pennis quoque suis tegunt, ut non adurantur ab ardore ignis tui inaccessibilis, et volantes undequaque laudant, et ad alterutrum alis plaudentes benedicunt, et alter alteri conformati glorificant: et unus ab altero hymnum suscipientes, oribus igneis, linguisque flammeis, una voce triplicatae sanctificationis laudant, clamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater, Sanctus es Deus Fili, Sanctus es Spiritus sancte, Trinitas sancta et indivisa, unus

Deus solus et sanctus es, in natura: qui in personis tribus adoraris, et in unitate substantiae glorificaris. In quibuscumque locis et mundi partibus, non sufficiunt ad extollendam virtutem majestatis tuae. Qui plasmasti hominem ad imaginem majestatis tuae, rationemque ipsi indidisti, praescripsistique tanquam limitem a Domino constitutum, ne praeceptum tuum transgrederetur: qui cum errasset, contemsissetque legem tuam, sententiam mortis incurrit, et in exilium infirmitatis depulsus est. Tu vero creator ejus, bonus et misericors, non abjecisti curam ejus, quam habebas, sed omnia ad salutem ejus instituisti, eo usque ut filium tuum aeternum et unigenitum tuum miseris in mundum, qui dispensationem suam salutarem propter eum explevit.

Elevans vocem. Cum ergo paratus esset, secundum voluntatem suam ad gustandas passiones, ad ascendendum in crucem et patibulum, mortemque subeundam pro vita totius mundi, ea vespera qua consummationem mysteriorum, et mirabilium perfecit, panem accepit in manus suas puras et sanctas, et gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque initiatis hoc ejus mysterio, Apostolis sanctis dicens: Accipite, et manducate ex eo, quia Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur et datur, ad veniam omnium fidelium, plurimorum pro quibus immolatur, et dividitur, ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Post coenam illam mysticam, miscuit calicem vitae ex vino et aqua: et ad te Deus Pater oculos elevans, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † et dedit turbae discipulorum suorum electorum, Apostolorumque sanctorum et dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus, qui confirmat testamentum mortis meae: qui pro vobis effunditur et pro multis datur, et dividitur ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quando autem huic pani communicabitis, et calicem hunc vitae usurpabitis, commemorationem mortis meae facietis, memoriamque resurrectionis meae perficietis donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos elevans vocem. Oculo intellectuali cordis describimus periodum dispensationis tuae sapientissimae, Christe Domine noster, et ea omnia quae operatus es per incarnationem tuam salutarem pro

salute nostra, commemoramus: generationem tuam ex Patre abscondito: nativitatem tuam ex Virgine inexplicabilem: ortum tuum eximium et praeclarum: elevationem tuam in cruce salutarem et admirandam: adventum tuum mundo vitam praestantem, excitationem tuam plenam miraculo: resurrectionem tuam gloriosam, plenamque omni gaudio: elevationem tuam in sublimia: excellentiamque sessionis tuae ad dexteram genitoris tui; praeterea etiam revelationem regni tui gloriosi, quae futura est in adventu tuo secundo: quando tu cum gloria ineffabili exoriens, et in turbis igneis legionibusque flammeis circumgestatus, tanquam fulgur timendum et validum, ex sublimi gloriae tuae prodibis: quando statuetur solium terribile majestatis, et sedes electis tuis collocabuntur: quando populi et nationes congregabuntur, et ad locum judicii sistentur, ut suscipiat unusquisque secundum opus suum: atque retribuetur unicuique secundum actiones suas, quando libri aperientur, et opera, verba, et actiones discutientur: quando recitabuntur crimina, et tanquam sol splendidus, palam fient abscondita, clarissime: quando mare ignis exundabit, aestuabitque fumus flammarum, descendetque fluvius ignis ardentis, ad probationem, et examen omnis carnis; quando angustiae amarissimae erunt iniquis: et praeparata erunt bona et deliciae justis: quando misericordia auferetur, et impii tradentur gehennae, atque pii vitam novam in aeternum haereditabunt. Quando vox valida audietur quae partem unam ab altera separabit, transferetque agnos ad dexteram, et haedos ad sinistram. Te deprecamur plenum misericordia, Domine, in hora illa decretoria, multiplica clementiam tuam erga adoratores tuos, in tempore illo terribili, et tristitiae pleno. Propitius esto erga animas servorum tuorum; in hora illa terroris, effunde misericordiam tuam super eos, qui per crucem tuam salvati sunt. In tempore illo timoris, miserere illorum qui confitentur passiones tuas: tangat te cura illorum, qui fiduciam habent super amorem tuum erga homines, et parce peccatis eorum; commoveatur benignitas tua, erga illos qui invocant nomen tuum sanctum et remitte delicta illorum. Ne auferantur miserationes tuae per iram tuam, neque deficiat nobis gratia tua, propter multitudinem malitiae nostrae. Ne excludas clementiam tuam, propter iniquitatem nostram: ne mutetur natura tua, propter magnitudinem insipientiarum nostrarum. Non eligant nos Angeli tui sancti, et tanquam fasciculos zizaniorum, in ignem nos projiciant. Non increpes ministros regni tui, propter sordes vestimentorum, ne-

que tanquam contemteres majestatis tuae nos in tenebras exteriores ejiciant. Ne extinguatur lumen lampadum nostrarum, ita ut extra fores thalami nuptialis tui remaneamus. Ne justitia tua nobis adversetur, neque in tenebras exteriores, et stridorem dentium projecti cruciemur. Exhibe auxilium gratiae tuae erga malitiam nostram: effunde pelagus miserationis tuae super nequitiam nostram, et ablue nostra crimina. Emitte abundantiam clementiae tuae et amoris tui erga homines, et dele quae in nobis odio digna sunt: contine Domine fortitudinem tuam, et blando erga nos aspectu mutetur indignatio tua, vultusque tui serenitatem demonstra nobis, ut victores in causa peccatorum nostrorum coram sede majestatis tuae appareamus: numeremur etiam inter vocatos ad regnum tuum, et inter invitatos discumbentes apud te collocemur, et splendore lucis tuae eximiae cum voluptate perfruamur. Propterea Ecclesia tua orat, et grex tuus deprecatur, et vocibus triumphalibus te interpellat, misericordiamque, et clementiam a te flagitat, et obsecrat te dicens.

Populus. Miserere.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos. Nos quoque.

Sacerdos inclinatus dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Obsecramus te sanctissime Deus, mitte ad nos ex habitaculo regni tui aeterni, et ex regione praesentiae tuae excelsae, Spiritum tuum sanctum, consubstantialem tibi, et operatione aequalem, [2] qui a te absque initio procedit, per unigenitum Filium tuum et qui quocumque tempore datur iis qui tibi accepti sunt, eosque qui te vident et intelligunt perficit et consummat: ut illabens, requiescensque, habitet super oblationes istas: quibus sanctificatis per virtutem gratiae tuae perficiat haec mysteria, atque illa suscepturos.

Sacerdos. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Et panem quidem istum, efficiat, corpus vivificum, † corpus coeleste et salutare, † corpus salvans animas nostras, et corpora nostra, † corpus ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientium.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Similiter et mistum quod in hoc calice est, efficiat † sanguinem purificantem et sanctificantem, † sanguinem vivificum et salutarem, † sanguinem salvantem animas et corpora nostra, sanguinem ipsius Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam illum suscipientium.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Ut per communionem horum Sacramentorum vivificantium, ad delicias vitae coelestis aditum habeamus, mereamurque evadere mortem secundam: neque tanquam rei ad judicium subeundum praeparemur coram throno gloriae tuae: et beatitudinem illam ab Angelis annunciatam pastoribus, spiritualem scilicet, in terra coelesti suscipiamus, ea in regione ubi tabernacula lucis fixa sunt: in domo nuptiali exornata, et in convivio vitae spiritualis, cum illis victoribus, qui festum illic peragunt, feliciter celebremus te, et inter agmina eorum, canamus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Ecclesiae tuae sanctae, confirma fundamenta ejus in fide recta, et conserva eam in tranquillitate perpetua, et in pace abundanti. Pastores et Doctores Orthodoxos qui praesunt in ea, castimonia morum exorna: praecipue vero Dominum N. Patriarcham: et Dominum N. Episcopum nostrum, et da illis ut cum decore pascant eam. Memento etiam Domine, Sacerdotum Ecclesiae tuae, et Diaconorum templi tui, et omnium Ordinum, qui ad ministerium tuum segregati sunt. Memento etiam Domine mei peccatoris insipientis, et pauperis servi tui, mei inquam peccatoris servi tui, quem nubes obscurae delictorum circumdant. Per aspersionem hyssopi tui munda me, et tanquam nivem dealba me, purgatum a maculis et naevis peccati. Memento etiam Domine omnium fidelium qui in exiliis sunt, et eorum qui pro fide orthodoxa agonem sustinent.

Sacerdos elevans vocem. Et Ecclesiam tuam Domine, quam possedisti ab initio, et redemisti per sanguinem unigeniti Filii tui benedic, et depelle ab ea conflictationes haereseon perniciosarum, quae a spiritibus peccati suscitantur, et ad eam demergendam in abyssum impietatis, excitantur. Propulsa ab illa Domine scandala, et rixas, et praeserva eam a virgis, flagellisque tuis, atque a ten-

tationibus, quibus per infirmitatem succumbat. Libera eam a fame amara, a captivitate, et mortalitate. Da etiam illi tempora tranquilla, et abundantia, praeclaramque aëris temperiem, segetum fructuumque proventum, cum accumulatione omnium bonorum; quia tu bonus es, et super omnes largiter effundens munera tua, gratiamque tuam dispensans, tibique gloriam et gratiarum actionem offerimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine eorum qui in virginitate pure vivunt, conjugatorum castorum, orphanorum et viduarum, pauperum et egenorum, et eorum qui adjuvant Ecclesiam tuam. Illorum etiam qui addicti sunt ministerio sanctorum, et adjuvant necessitatem patientes: qui offerunt oblationes, et praeclare operantur.

Populus. 'Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Et adjuva per dexteram tuam potentem, confirmaque brachio tuo forti, omnes qui in Ecclesia tua sancta Catholica et Apostolica perpetuo oblationes offerunt, et memoriae sanctorum tuorum communicant; qui eleemosynarum fructibus egenos abundanter sustentant, et indigentiam explent pauperum. Da illis abundantiam bonorum, pro dispositione cordium eorum: et pro donis temporalibus, da illis affluentiam benedictionum ditissimarum et inamissibilium: et pro possessionibus non permanentibus, praepara illis delicias beatas, et mercedem inconsumtibilem, et munera amoris erga homines tui, bonaque uberrima haereditatis tuae: quia tu bonus es, et dives in muneribus, largusque donorum tuorum: et tibi gloriam et gratiarum actionem offerimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine [3] Regum Orthodoxorum, da illis victoriam de inimicis suis, et virtute omnipotenti tua robora illos, et arma illos.

Elevans vocem. Ordines etiam militiae, copias bellicas, viresque regnorum, quae sub jugo servitutis, crucis tuae victricis inclinantur, et signum unigeniti Filii tui tenent, tanquam arma salutis, adjuva et salva Domine. Conjurationes gentium inimicarum disperge et dissipa: regna profana, et haereses impias comprime dextera tua potenti: hebeta gladium acutum, ne immineat cervicibus gregis tui: compesce captivitates, caedes, et bella a populis et haereditate tua: neque aspicias iniquitatem eorum qui unigenitum Filium tuum dividunt: sed reliquorum memento, qui retinent fidem orthodoxam,

et da illis atque nobis virtutem insuperabilem, et nobis et ipsis concede tempora quietis, et tranquillitatem salutis, per gratiam et misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui per quem et cum quo te decet gloria et honor, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Eorum etiam omnium qui agonibus suis tibi placuerunt, et summam moribus suis gloriam consecuti sunt, fac bonam memoriam Domine, hoc tempore: patrum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Praedicatorum, Annunciatorum, Evangelistarum, Joannis Baptistae, Stephani Diaconi, et Genitricis Dei Mariae, cum omnibus Sanctis.

Elevans vocem. Eorum qui certamine athletico suo perfecti, et agone justitiae consummati sunt. Memento etiam Domine eorum, qui in singulis regionibus et civitatibus placuerunt tibi, qui exitum vitae inculpatum habentes ex hoc mundo profecti, ad te pervenerunt, et ad coelestes domos elevati sunt: Patrum antiquorum et Patriarcharum, principum familiarum, qui mysteria viderunt et revelationes penetraverunt, oeconomorum spiritualium, praedicatorum gloriosorum, et dilectorum tibi deprecantium te, tibique acceptorum et dispensatorum domus tuae. Propitius esto Domine iniquitatibus nostris, per orationes eorum. Da nobis ut cum fide orthodoxa, secundum exactam doctrinam eorum, sequamur illorum vestigia, simusque haeredes promissionum quae ad eos factae sunt, participesque mercedis eorum; et cum eis laetemur, adepti coronas victoriae, atque inter agmina eorum canamus tibi gloriam et laudem et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemoramus coram te hoc tempore Domine, pastores veros, et doctores sinceros, omnes Patres electos et beatos, maxime vero Ignatium, Dionysium, cum reliquis dilectis tuis.

Elevans vocem. Eos qui super petram inconcussam confessionis Apostolicae, aedificaverunt, et stabiliverunt fidem, extenderuntque et dilataverunt tentorium Ecclesiae tuae, a finibus usque ad fines terrae: qui aedificaverunt ovile tuum in universa terra habitabili: qui in pratis spiritualibus, et Evangelicis fortitudinis tuae, paverunt oves tuas rationales, et super aquas quietis deduxerunt agnos gregis tui: qui coram regibus et tyrannis praedicaverunt Evangelium tuum, et coram judicibus iniquis confirmaverunt religionem tuam: qui

gentes in tenebris constitutas direxerunt atque illustraverunt, docueruntque illas quod in umbra erroris sederent, illisque demonstraverunt lumen scientiae tuae. Qui semina bona fidei seminaverunt in terris animarum, et purgaverunt agros sylva spinarum et zizaniorum peccati: qui propriis passionibus reduxerunt captivitatem populi tui a potestate duri et maligni, et sanguine cervicum suarum liberaverunt eam ab oppressione rebellis illius: Ut per deprecationes eorum propitiatorias, et per obsecrationes eorum acceptabiles coram te, concedas nobis mores castos, et inculpabiles, fidem rectam, et incorruptam, vitam castam, neque perturbationi obnoxiam, dona sublimia et sancta, liberationem a tentationibus asperis: exitus paratos et insuperabiles, finem bonum, et immutabilem, bona amplissima, et promissa, delicias permanentes, haereditatem cum sanctis, fiduciam standi coram solio tuo terribili, quia tu misericors es, et largus in muneribus, tibique gloriam et laudem referemus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Et ad altare tuum spirituale et sanctum, Domine, praesta quietem, memoriam bonam et felicitatem omnibus animabus, corporibus et spiritibus, patrum, fratrum et magistrorum nostrorum omnium, corporalium aut spiritualium, qui in regionibus quibuscumque, civitatibus, aut partibus defuncti sunt, aut suffocati in mari, vel fluminibus: aut in itinere obierunt, et quorum memoria facta non est in Ecclesiis super terram constitutis. Tu Domine praesta illis memoriam bonam, qui defuncti sunt et ad te migraverunt, in fide orthodoxa, simul cum illis, quorum nomina in libro tuo vitae consignata sunt.

Elevans vocem. Illis omnibus qui stadium vitae decurrentes, perfecti et praeclari coram te apparuerunt et ex delictorum pelago liberati ad te pervenerunt, patribus et fratribus nostris secundum carnem, et spiritum: fratribus inquam nostris secundum corpus et secundum animam, quietem praesta Domine in sinu illo spirituali et magno. Da illis spiritum gaudii in habitaculis lucis et laetitiae, in tabernaculis umbrae et quietis, et thesauris voluptatum, unde longe abest omnis moestitia, ubi piorum animae primitias vitae absque labore expectant, et spiritus justorum ad finem promissae mercedis pariter attendunt: in ea regione ubi operarii et fatigati paradisum adspiciunt, et invitati ad nuptias sponsum coelestem desiderant: ubi vocati ad convivium, ut ascendant praestolantur, et ut

stolam illam novam gloriae accipiant, ardenter concupiscunt: unde absunt moestitudines, et ubi gaudia reperiuntur: unus enim omnino et solus visus est non irretitus passionibus peccati, ex illis qui humano corpore induti fuerunt, scilicet Jesus Christus Dominus noster unigenitus Filius tuus, per quem nos etiam speramus misericordiam consequi, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos elevans vocem. Aufer, ignosce, et dele peccata nostra Deus, quae commisimus per remissas cogitationes, et quae a pueritia nostra ad senectutem usque, aperta, et nota sunt, Deus noster: voluntaria sive involuntaria, ea praesertim quibus in saeculo sine fine, condemnatio praeparata est. Da nobis ut quando justi in horrea tritici deferentur, et impii quasi palea comburentur, ut inter agmina Sanctorum tuorum laudemus te, et cum Angelis tuis canamus dicentes: benedictus ille qui venit ad salutem nostram, et nunc venit ad innovationem nostram, ut in hoc sicut et in omnibus, ab omnibus glorificetur et laudetur nomen tuum honorandum et benedictum, et simul Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti, nunc, etc.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Angelus, etc.

Sacerdos frangit Oblatam. *Diaconus dicit Catholicam.*

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus qui per spiritum tuum locutus es in Prophetis, et praedicasti per Apostolos doctrinam sufficientem ad inspirandam mentibus nostris sapientiam, et per eos commendasti illud quod sensus spirituales animae purgaret, et quod ostia aperta capitis corporis nostri mundaret: obsecramus et deprecamur amorem erga homines tuum, et caritatem tuam eximiam, ut aperias aures cordium nostrorum ad audiendam orationem Dominicam, quae ipsa est quam Dominus et Deus noster unigenitus Filius tuus, initiatis mysterio suo, et fami-

liaribus suis tradidit, in qua consignata sunt praecepta et norma dirigendae vitae nostrae; et cum fiducia, qualis dilectos filios decet, invocemus te Deum Patrem coelestem, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur etc.

Sacerdos elevans vocem. Pater gratiae, a quo procedit et oritur sanctitas sanctis, adveniat regnum tuum, quod superat omnia regna, ad salvationem nostram: et ne inducas nos in tentationem, aut in confusionem, ex afflictione: sed libera nos a violentia diaboli, et spirituum malignorum, et a potentia deceptoris: quia tuum est imperium gloria et potestas, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Tibi soli inclinantur colla omnium in quibus anima vitae est, et a te postulant remissionem omnium praevaricationum, quae per negligentiam commissae sunt. Tu autem per constantem misericordiam tuam dele et aufer omnes iniquitates nostras, et parce nobis per amorem tuum erga homines. Etiam praesta nobis, ut cum animae cauta praeparatione, et cordis munditie, sanctis tuis communicemus, et sint nobis in pignus voluptatis in aeternum permansurae, per gratiam et misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit.

Diaconus. Cum timore, etc.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Nunc Domine quando quidem invitatos ad regnum tuum fecisti nos, per susceptionem Sacramentorum tuorum sanctorum et vivificantium, quibus dignos praestitisti nos, ita ut partem

corporis et sanguinis sancti quae in eis sunt, mereremur accipere, atque communicare ipsis: fecistique ut essemus haeredes Sanctorum tuorum, oramus, obsecramus et deprecamur te, o clemens, ut non exquiras a nobis exactam illam observationem et castimoniam, circa illa mysteria, ne condemnemur cum iis qui te non noverunt, ad cruciatus ignis inextinguibilis: sed per gratiam tuam, cum filiis nuptiarum tuarum quiescere nos jube, et cum agnis mundis in paradiso fac nos discumbere, ut cum illis et inter eos offeramus tibi gloriam et gratiarum actionem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Coram te Domine Deus noster inclinamus colla animarum et corporum nostrorum, quia non sumus sufficientes, ad referendam gratiarum actionem majestati tuae, quales deberemus retribuere ad grates agendas tibi, sed has tantummodo, quia omnia dona quaecumque habemus, ex te sunt. Da nobis Domine voces sermonis dignitate animatas, ut sufficiant ad condignam convenientemque tui laudationem. O clemens qui nobis licet etiam terra indigni simus, claves thesauri tui commendasti, et super regnum tuum nos cum autoritate praeposuisti, praesta nobis ut in toto decursu vitae nostrae, puri coram te appareamus et a vanitate mundana, a cogitationibus terrenis, a motibus passionum, et remissis cogitationibus, sensus nostros occultos et manifestos remove: atque per fortitudinem potentiae tuae extende super nos dexteram tuam omnia complectentem, benedicque servis et adoratoribus tuis, qui salutem adepti sunt per nomen tuum sanctum, et fac nos templa habitationis tuae, et locum habitationis gloriae tuae: ut in die illo novo et aeterno, in regno tuo laetemur, et per te salvemur, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, et Patri tuo et Spiritui sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine, etc.

IN LITURGIAM CLEMENTIS ROMANI

NOTAE.

1. Praeter istam, nulla alia apud Orientales Clementi adscripta Liturgia reperitur in Mss. Codicibus, quod mirum sane videri posset, quando quidem in Clementinis Constitutionibus extat integra illius forma libro 8°. descripta. Verum quamvis illarum Constitutionum quas *Dascalia*, decurtato *Διδασκαλίας* nomine, Syri et Arabes vocare solent, versiones et epitomae plures reperiantur in Collectionibus Canonum Arabicis, ultimi illius libri fragmenta tantum habent: et is liber in vetustissima Syriaca Versione Codicis Florentini non extat. Neque apud Graecos, a quibus Constitutiones Apostolicas Syri et alii acceperunt, memoria ulla est Liturgiae quae Clementi tribueretur, quia scilicet in nulla Ecclesia celebri, et quae aliis legem aut exemplum dare posset, forma rituum et orationum singularis, ex Clementinis expressa, in usu fuit. Ratio cur istam Jacobitae composuerint et Clementi attribuerint frustra quaereretur, nisi dignitatis quam comparare huic officio conati sunt ex nomine viri Apostolici, cujus memoriam inseruerunt aliquoties in Diptychis suis, ut etiam in Confessione quam Ordinandis Sacerdotibus praelegi jubet Pontificalis Mediceus; et cujus aliquot testimonia in suae opinionis patrocinium referunt in Collectaneis, de quibus saepe dictum est. Non edita est in Missali Chaldaico, neque Gabriel Sionita in Epistola ad Nihusium, aut Abraham Echellensis Notis ad Hebed-Jesu, illius meminerunt, et pauci Codices eam repraesentant. Versio facta est ad bonae notae Codicem Colbertinum 3921.

Symmicta Allat. p. 291.

Ut probetur Liturgiam istam Clementis Romani opus non esse, multis verbis non opus est, cum ne levem quidem talis antiquitatis notam habeat, sed recentioris aevi non paucas, inter quas praecipua videtur esse, stilus ille a prima simplicitate degenerans, et vere Asiatica synonymorum, epithetorum, metaphorarumque congeries, per quam ad supremum elegantiae culmen perveniri Orientales existimant. Id etiam probat additio aliquot verborum in forma consecrandi panis et calicis, ut in prima, *quod pro multis fidelibus immolatur:* in altera, *sanguis meus qui confirmat testamentum mortis meae:* quae formulae magis recentioribus similes sunt, quam vetustis Graecis, Syriacisque, quarum sententia ad verborum Evangelicorum simplicitatem propius accedit. In Invocatione Spiritus sancti id observandum, quod oratio quae verba Christi sequitur praeter aliarum morem prolixa est supra modum, ita ut majus omnino inter illa et Invocationem, sit intervallum. Neque tamen interlocutio Diaconi occurrit ut in Graecis posterioribus, nam eas additiones Graecis usurpatas, ignorant Orientales Ecclesiae.

2. Invocatio ejusdem sententiae est, ac omnes reliquae Syrae, quarum nulla eam lectionem repraesentat, quam Editores Missalis Chaldaici elegerunt: etsi aliquos Codices vidimus, quos ex commemoratione sancti Maronis et aliis indiciis, Maronitarum Orthodoxorum esse constabat, qui veterem et communem omnibus Liturgiis formam continebant. Invocatur Spiritus sanctus ut illabatur caelitus: ut requiescat, ut habitet super dona proposita, et illis verbis exprimitur oratio, quorum vim jam superius exposuimus, cum ad significandum illapsum et obumbrationem Spiritus sancti in Maria Virgine adhibeantur. Effectum exprimit Liturgia per verba duo נגמור *perficiat:* et נעבר *faciat:* quae respondent Graecis τελειώσῃ et ποιήσῃ. Illud magis observatione dignum, quod in illa ipsa Invocatione de Spiritu sancto dicitur *qui a te absque initio procedit per unigenitum Filium tuum:* quod non in aliis Liturgiis, imo nec precibus diversi generis, facile reperiatur. In Jacobi Syra et in quibusdam aliis dicitur *qui a te procedit, et qui a Filio tuo, quae ad essentiam spectant, aut τὰ οὐσιώδη accipit:* quae rectam de Processione sancti Spiritus doctrinam ita exprimunt, ut a Graecis schismaticis rejiciantur. Non spernendum sane testimonium istud est, qualiscumque tandem sit ista Liturgia: nam ab interpolatoribus nihil passam illam esse certissimum est. Atque ita constat non apud Latinos natam opinionem esse de Processione Spiritus sancti a Patre et Filio, seu per Filium, quod idem esse Graeci agnoscunt, cum in media Syria, inter eos qui alieni sunt a Romanae Ecclesiae communione, testes illius reperiantur.

3. *Memento Domine Regum Orthodoxorum.*

In aliis hujus generis formulis, quales occurrunt non paucae, quasdam tractas ex veteri disciplina fuisse credibile est: istam non item. Nam planam et perspicuam orationem continet pro Christianis principibus, ut inimicis fidei superiores fiant divino auxilio, et pro infidelium debellatione, quod qua ratione Christianis moribus, legibus ipsorum Orientalium Ecclesiasticis, et exemplis convenire possit, explicare facile non est. Nam orare pro Principibus infidelibus jubet Christiana Religio, et testimonia multa veterum, ut Alexandrinae Historiae palam faciunt: et Aegyptiacae quoque Liturgiae, ad quas videnda quae notavimus. Neque ulli ex quo Muhamedani rerum in Oriente potiti sunt, Jacobitae, tales Principes habuerunt, quales hac oratione designantur, quod notavit in Commentario ad hunc locum Barsalibi, qui etiam abbreviari Diptycha, hac de causa testatur. Haec igitur formula inter singulares et inusitatas videtur reponenda.

4. *Ubi piorum animae primitias vitae absque labore expectant.*

Locus iste, et quae sequuntur ad communem Graecorum opinionem videntur referenda, qui animas piorum usque ad ultimi judicii diem coelesti

beatitudine non perfrui existimant; qua de re, maxima Ferrariae et Florentiae contentio fuit, ut de Purgatorio: quia duae illae quaestiones maximam inter se habent affinitatem. De hoc argumento fuse dictum est alibi. Sane Graecorum de animarum post mortem conditione, absurdas opinationes, Orientalibus ignotas esse certissimum videtur. Quod vero beatorum animae coelestem gloriam plenam atque perfectam ad ultimum usque judicium exspectent, scripsit Moses Barcepha in Tractatu de Paradiso, atque ita fieri potuit, ut autor hujus Liturgiae in eadem sententia fuerit, cum magna sit Mosis illius apud Jacobitas suos autoritas. Nihil tamen obstat quin figurata haec oratio, de plena consummataque beatitudine possit intelligi.

Perp. T. 5. l. 8. c. 9.

LITURGIA
SANCTI DIONYSII,
ATHENARUM EPISCOPI.

Primum Oratio ante Pacem.

Sacerdos. DOMINE Deus qui es simplex, non compositus absconditusque in essentia sublimi, Deus Pater a quo nomen habet omnis paternitas quae in coelo est et in terra, Principium divinitatis, eorum qui naturae divinae participant, et perfector eorum qui perfectionem consequuntur: bonus super omnia bona, pulcherque supra omnia pulchra: tranquillitas pacifica, pax, concordia et unio omnium animorum. Compone dissidia quae nos invicem dividunt, et reduc ea ad unionem caritatis, quae aliquam essentiae tuae sublimis similitudinem habeat. Et sicut unus es super omnia, fac nos unum, per unanimitatem bonae mentis, ut simplices, et non divisi inveniamur coram te in tempore hoc mysterii peragendi: utque per amplexus caritatis, et nexus dilectionis, spiritualiter unum simus, tam nobiscum ipsis, quam ad invicem, per pacem illam tuam omnia pacantem, per gratiam et misericordiam amoremque erga homines unigeniti Filii

tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Dator sanctitatis et largitor omnis boni Domine, qui omnem creaturam rationalem sanctitate quae a te est, sanctificas: sanctifica per Spiritum tuum sanctum, nos servos tuos, qui inclinamur coram te: libera nos ab omnibus passionibus servilibus peccati, ab invidia, dolo, deceptione, odio, inimicitiis, et ab eo qui eadem operatur, ut mereamur sancte perficere ministerium horum Sacramentorum vivificantium, per pontificem coelestem Jesum Christum unigenitum Filium tuum, per quem et cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos. Existens essentialiter et ab aeterno, cujus natura incomprehensibilis est, qui prope es, et praesens omnibus, absque ulla sublimitatis tuae mutatione: cujus bonitatem appetit et desiderat quodcumque existit; intelligibiles quidem et intellectu praeditae creaturae, intelligibiliter, sensu vero praeditae, sensibiliter. Qui cum unus sis essentialiter, tamen ades nobiscum et inter nos, in hac hora, qua ad haec mysteria tua sancta vocasti et adduxisti nos: et standi coram sublimi Throno majestatis tuae dignos fecisti, atque tractandi vasa sancta ministerii tui manibus nostris impuris. Aufer autem a nobis, Domine, vestem iniquitatis qua amicti sumus, ut a Jesu Filio Josedek Sacerdote magno vestimenta sordida abstulisti: et pietate atque justitia exorna nos, sicut illum vestimento gloriae ornasti; ut te solo tanquam tegumento induti, et sicut templa coronata gloria existentes, te absque velamine videamus, mente divinitus illustrata, et ad mensam regni tui epulemur, dum hoc sacrificio coram nobis proposito communicantes perfruemur, et referemus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae Dei.
Sacerdos. Caritas.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Sursum corda.
Populus. Habemus ad Dominum.
Sacerdos. Gratias agamus Domino.
Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere enim mentis, sermonis, et cogitationis vires excedit celebratio beneficiorum tuorum, Domine, neque sufficiunt omnia ora, mentes omnes, et linguae, ad te, ut dignum est, glorificandum. Verbo enim tuo facti sunt coeli, et Spiritu oris tui omnes virtutes supernae: luminaria omnia quae in firmamento sunt, sol et luna, mare et arida et quaecumque in eis sunt. Quae vocem non habent, silentiis suis: quae sermone praedita sunt, vocibus, sermonibus et hymnis perpetuo tibi benedicunt; qui tu es natura bonus, et supra omnes laudes, in essentia tua incomprehensibiliter existens.

Elevans vocem. Te laudat creatura haec visibilis et sensu praedita, Domine, ut etiam illa intellectualis, et supra sensuum conditionem posita. Coelum et terra te glorificant, mare et aër te praedicant; sol in cursu suo te laudat: luna in mutationibus suis te veneratur: turmae Archangelorum, et agmina Angelorum, Virtutes illae mundo et mentis facultate sublimiores, benedictiones ad regionem tuam mittunt. Radii lucis excellentis et absconditae, sanctificationes gloriae tuae emittunt; Principatus et Ordines te cum jubilo laudant; Potestates et Dominationes te venerantur; Virtutes, Throni et sedes inaccessibiles te exaltant, splendores lucis aeternae, specula sine macula, substantiae sanctae, susceptrices sapientiae sublimis, prae omnibus scrutatrices voluntatis ab omnibus absconditae, motibus praeclaris tonorum inimitabilium, vocibusque dignis creatura rationali: Cherubim multioculi, quorum motus subtilissimi, te benedicunt: Seraphim instructi sex alis implexis, plenique plumis, te sanctificant, illi ipsi, qui alis suis facies suas tegunt, pennisque pedes suos velant, et undequaque volantes et plaudentes alis alter ad alterum, ut non adurantur ab igne tuo devorante, cantus suaves, et ab omni materia puros, aequali omnium consonantia canunt, tibi gloriam aeternam referentes, uno hymno Deo digno clamantes et dicentes.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater omnipotens, opifex et creator omnis creaturae invisibilis, et visibilis, atque sensibilis. Sanctus es, Deus unigenitus Filius, virtus et sapientia Patris, Domine et Salvator noster Jesu Christe. Sanctus es Deus Spiritus sancte, perfector et sanctificator sanctorum. Trinitas sancta et indivisa, consubstantialis, aequalisque gloriae: cujus misericordia erga genus nostrum effusissima est. Tu sanctus es et sanctificans omnia: qui non reliquisti illud ipsum genus nostrum in exilio ex paradiso, cum interea omni peccati genere esset implicitum, sed illi manifestatus es per verbum quod coram mundo egestatem passum est: ipsum vero (genus humanum) accepit (Deus) Verbum, in omnibus ipsi assimilatus, excepto peccato, ut praeparatum eum efficeret ad sanctitatem, dispositumque ad convivium hoc vivificum.

Elevans vocem. Qui conceptus, formatus et configuratus a Spiritu sancto, et ex sanguine virgineo Virginis sanctae Genitricis Dei Mariae, natus est quidem homo, ex corpore ejusdem puro et sanctissimo, princeps vitae, suscipiensque divinitatem in carne, conservatis naturae lege et proprietatibus, sed modo supra naturam; agnitusque est Deus in Spiritu, et homo in carne. Atque in quantum erat Verbum ante saecula, ex te ut Deo dignum erat, natus est, et virtutibus atque miraculis, qualia opifici omnium conveniebant, talem se esse testatus est: tum etiam quod sanationem absolutam, salutemque perfectam universo generi humano largitus est. In fine autem et consummatione dispensationis suae, propter nos, et ante crucem suam salutarem, accepit panem in manus suas puras et sanctas, et aspexit ad te Deus Pater, gratias agens † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis Apostolis sanctis, dicens: accipite et manducate ex eo, et credite [2] quod corpus meum est, illud ipsum quod pro vobis et pro multis frangitur et datur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Eodem autem modo et super calicem quem miscuit vino et aqua, gratias egit † benedixit, † sanctificavit, † et dedit iisdem discipulis suis et Apostolis sanctis, dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes, et credite quod hic est sanguis meus Testamenti Novi, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ipse etiam praeceptum toti coetui et congregationi fidelium per eosdem Apostolos sanctos dedit, dicens: Hoc facite in mei memoriam, quotiescumque manducabitis panem hunc et mistum quod in hoc calice est bibetis, et hoc convivium celebrabitis, mortis meae commemorationem agetis donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Praecepto igitur Dominico tuo obsequentes, commemorationem mortis et resurrectionis tuae per sacrificium hoc perpetuo celebrantes in mysterio: expectamus quoque adventum tuum secundum, renovationem generis nostri, et vivificationem mortalitatis nostrae. Non enim simpliciter, sed cum gloria Deo digna, in Spiritu ineffabili terribiliter advenies, et super thronum excelsum majestatis tuae sedens, agnitionem regiae potestatis tuae ab omnibus creatis, et factis exiges; ultionemque imaginis tuae, ab iis qui per malas passiones eam corruperunt, juste facies. Sacrificium hoc, illic celebratum, tibi commemoramus Domine et passiones quas pro nobis sustinuisti in cruce. Propitius esto, o bone et amator hominum, in hora illa plena timoris, et trepidationis, congregationi huic adorantium te, et omnibus filiis Ecclesiae sanctae redemptae sanguine pretioso tuo. Depellantur carbones ignis, ab illis qui [3] tincti sunt sanguine tuo, et signati Sacramentis tuis, in nomine tuo sancto, velut olim flamma Babylonica, a pueris domus Hananiae. Neque enim alios praeter te novimus, Deus, neque in alio spem habemus salutis consequendae, si quidem auxiliator, et salvator generis nostri tu es. Et eapropter sapiens Ecclesia tua, per ora et linguas omnium nostrum deprecatur te, et per te, et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Te invoco Deus Pater: miserere nostri, et ablue per gratiam tuam, immunditiam operum meorum malorum, dele per misericordiam tuam, quae odio digna commisi. Etenim non extendo ad te cum fiducia manus meas; neque enim possum in coelum aspicere, propter multitudinem iniquitatum mearum, et spurcitiam facinorum meorum.

Sed in benignitate, gratia, et longanimitate tua, animum confirmans, Spiritum tuum sanctum peto, ut mittas eum super me, et super has oblationes propositas, populumque tuum fidelem.

Sacerdos. Exaudi me, Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Per [4] illapsum autem, et obumbrationem suam, efficiat panem quidem istum † corpus vivum et vitam praestans animabus nostris, † corpus salutare, † corpus coeleste: corpus salvans animas et corpora nostra, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam, illud suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod in hoc calice est efficiat † sanguinem vivum et vitam praestans animabus nostrum omnium, † sanguinem salutarem, † sanguinem coelestem, sanguinem salvantem animas nostras et corpora, sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum et vitam aeternam ea suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Secundum autem traditionem et commendationem divinam eorum, qui spectatores fuerunt mysteriorum tuorum, et interpretes mirabilium tuorum, Eucharistiam hanc offerimus coram te Domine, et per eam commemoramus caritatem tuam erga nos, universamque dispensationem unigeniti tui in hoc mundo, ut tu etiam recorderis per eam, misericordiae tibi congenitae et naturalis, quae hora quacumque super creaturas tuas diffunditur, et nos eripias ab ira iniquis reservata, et a suppliciis operantium nequitiam, et a crudeli impugnatione daemonum, qui oppugnant animas nostras, cum hinc exibimus: nosque dignos efficias regno tuo, et habitaculis eorum, qui servaverunt praecepta tua, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Verbis tuis non mendacibus, doctrinisque veracissimis tuis dixisti Domine, maximum esse gaudium in coelo et in terra super uno peccatore poenitentiam agente. Laetare igitur nunc Domine, in conversione servorum tuorum, qui coram te hic consistunt; adjunge etiam exultationem de nobis, animabus piorum et justorum, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum,

Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, zelatorum cultus divini, beneficorum, eleemosynas facientium, eorum qui necessitatibus pauperum communicant, et ab omnibus, una laudatio sit hodie coram te, ad altare hoc sanctum et in Jerusalem coelesti.

Elevans vocem. Et propter haec atque alia ejusmodi stabiliatur Ecclesia tua sancta, quae est a finibus usque ad fines terrae, conserveturque in tranquillitate et pace, doctrinisque Evangelicis, et Apostolicis, per Antistites divinos recte dispensantes verbum veritatis, et instruentes dogmatibus verae religionis: Per Sacerdotes sanctos, qui amplectuntur verbum vitae, et praeclare se gerunt in dispensandis mysteriis tuis coelestibus: per Diaconos modestos, perficientes ministerium purum et regale absque macula: per fideles veros, qui occupantur operibus et actibus Christiano dignis; per choreas Virginum utriusque sexus, mortificationem vivificam, unigeniti Filii tui in membris suis circumferentes. Atque hinc uno agmine mittamur omnes ad Ecclesiam illam Jerusalem, primogenitorum descriptorum in coelis, atque illic spiritualiter glorificemus te Deus Pater, et unigenitum Filium tuum, et Spiritum tuum sanctum.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Adjuva autem Domine eos omnes qui adjuvant Ecclesiam tuam sanctam, votis, decimis, ministerio, et oblationibus: atque illos etiam qui postulant orationes tenuitatis nostrae, da illis finem postulationum ipsorum, Domine amator hominum.

Sacerdos elevans vocem. Mitte autem curam perfectam, salutemque plenam, omnibus illis qui curam gerunt pauperum, qui alimenta praebent orphanis et viduis, visitantque infirmos et afflictos. Retribue illis, hic quidem abundantiam et bona: illic vero delicias incorruptibiles, quia tu Dominus es utriusque saeculi, et largitor immensae mercedis, tibique convenit beneficentia, tam hic quam illic, et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iram Regum comprime, o Rex Regum, furorem militum compesce; bella et seditiones aufer, fastum haereticorum dejice, et sententias a justitia tua contra nos pronunciatas, superet amor erga homines tuus, et convertat in mansuetudinem benignitatis tuae.

Elevans vocem. Tranquillitatem et pacem quae a te est, concede terrae et omnibus habitatoribus ejus, visita eam per beneficia

tua, et curam misericordiae tuae, per bonam et temperatam aëris constitutionem, fructuum ubertatem, frugumque abundantiam, varietatemque florum. Praeserva eam ab omnibus plagis furoris, et ab insultibus iniquis inimicorum, tam spiritualium quam sensibilium, ut absque ulla passionum noxa, perpetuos hymnos gloriae canamus tibi, et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Ad altare hoc, et ad illud coelo sublimius, memoria bona sit illis omnibus qui ex mundo tibi placuerunt. Praecipue vero sanctae Genitricis Dei, Joannis nuncii, Baptistae, et praecursoris: Petri et Pauli, totiusque coetus Apostolorum: Stephani quoque, et universae turbae Martyrum, et eorum omnium, qui ante eos, cum illis, et post eos placuerunt, et placent tibi.

Elevans vocem. Et quando quidem potes omnia, coetibus illorum dilectorum, et domesticorum tuorum adjunge infirmitatem nostram Domine: congregationi illi beatae, parti huic divinae, ut per eos suscipiantur oblationes et orationes nostrae coram throno excelso majestatis tuae, eo quod imbelles et infirmi sumus, indigentesque fiducia apud te. Nimirum peccatum nostrum et justitia nostra nihil sunt, ad pelagus effusum et immensum misericordiae tuae. In corda igitur singulorum perspiciens, retributiones bonas petitionum suarum unicuique mitte, ut in omnibus et in singulis adoretur et laudetur majestas tua et unigeniti Filii tui.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Episcoporum, Doctorum et Praesulum Ecclesiae tuae sanctae eorum qui a Jacobo [5] Apostolo, Episcopo et Martyre usque ad hodiernum diem, placuerunt et placent tibi.

Elevans vocem. Insere in nobis Domine fidem eorum veram, et zelum eorum pro vera religione, caritatem eorum sinceram, et nulli defectui obnoxiam, mores eorum inculpabiles: ut vestigiis eorum inhaerentes, participes mercedis eorum simus, et coronarum victoriae, quae illis paratae sunt in regno tuo coelesti: illicque simul cum illis canamus tibi gloriam indesinentem, et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium defunctorum qui decubuerunt cum spe tua, in fide vera: praesertim vero et nominatim, patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, corporalium aut

spiritualium, et eorum pro quibus et quorum gratia, oblatio haec sancta oblata est.

Elevans vocem. Adjunge Domine nomina illorum cum nominibus sanctorum tuorum in habitatione beata eorum qui festum agunt et laetantur in te; non revocans illis memoriam peccatorum suorum, neque commemorans ipsis quae insipienter egerunt; quia nullus est carni alligatus, et innocens coram te: unus enim tantummodo super terram visus est absque peccato, Jesus Christus unigenitus Filius tuus: [6] simplex qui ad compositionem venit, per quem nos quoque misericordiae consequendae spem habemus.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos inclinatus. Peccata nostra et illorum voluntaria, scienter et ignoranter commissa remittens, propitius esto Domine, amator hominum.

Elevans vocem. Et praesta nobis finem pacificum, exitum cum misericordia: utque stemus inculpati ad dexteram, et cum facie revelata et fiducia, occurramus ad ortum unigeniti Filii tui, et ad manifestationem ejus secundam et gloriosam de coelo: audiamusque ab eo vocem illam beatam, quam beatis in fine pronunciabit, *benedicti Patris mei, capessite haereditatem regni coelestis*, ut in hoc sicut et in omnibus, glorificetur et laudetur nomen tuum maxime venerandum.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit hostiam, et dicit Orationem, ante Pater noster.

Pater omnium et principium quod est super omnia, lux aeterna et fons lucis, quae illuminat omnes naturas ratione praeditas, qui vocas ex pulvere inopem, et de stercore erigis pauperem, et nos jactatos, rejectos et infirmos ad libertatem et domesticam filiorum tuorum dignitatem vocasti, per Filium tuum dilectum: praesta nobis ut filii sancti et hoc cognomine non indigni appareamus coram te, omne quoque ministerium nostrum, secundum mores inculpatos perficiamus, et cum puritate animae, intellectus munditia, divinaque mente, quacumque hora invocemus te Deum Patrem omnipotentem,

sanctum, et coelestem oremus et dicamus, Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum, etc.

Sacerdos. Libera servos et filios tuos Domine, ab omnibus tentationibus difficillimis et quae vires superent: et ab omnibus doloribus qui corpori nostro vel animae, damnum inferre possunt. Custodi nos simul a malo et ab ejus potestate universa, et a technis ejus perniciosis, quia tu Rex omnium es, et tibi gloriam referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Aspice Domine populum tuum fidelem, qui coram te inclinatus est, et expectat donum tuum et intuetur depositum Sacramentorum unigeniti tui, Deus Pater. Ne auferas a nobis gratiam tuam, et ne repellas nos a ministerio tuo, et a participatione Sacramentorum tuorum, sed praepara nos, ut puri et absque macula, dignique hoc convivio simus, utque cum conscientia inculpata, semper fruamur corpore et sanguine ejus pretioso, et in vita gloriosa et absque fine in habitaculo spirituali discumbamus, et ad mensam regni tui epulemur, et referemus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Gratia Dei sit, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Gratias habemus tibi Domine et grato animo agnoscimus benignitatem tuam, quod ex nihilo eduxisti nos ad id quod simus, et domesticos filiosque Sacramentorum tuorum fecisti nos, ministeriumque hoc religiosum commendasti nobis, atque mensa hac spirituali nos dignos fecisti. Conserva in nobis Domine depositum mysteriorum tuorum divinorum, ut secundum mores Angelicis similes,

vitam instituamus, et perficiamus coram te, ut cauti et inseparabiles simus per susceptionem sanctorum tuorum, perficientes voluntatem tuam magnam et perfectam, paratique inveniamur ad πληροφορίαν illam ultimam, et ad standum coram majestate tua, dignique efficiamur voluptate regni tui, per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Christe Rex gloriae, et Pater futuri saeculi, sacrificium sanctum, Pontifex coelestis: Agnus Dei qui tollis peccatum mundi, parce peccatis populi tui, et dimitte insipientias gregis tui. Conserva nos per communionem Sacramentorum tuorum, ab omni peccato, sive verbo vel cogitatione aut opere perficiatur, quodque a tua familiaritate domestica, procul nos faciat, ut custodiantur corpora nostra per corpus tuum, et renoventur animae nostrae per Sacramenta tua, et benedictio tua Domine, sit in toto nostro homine interiori et exteriori, glorificerisque in nobis et propter nos, dexteraque tua requiescat super nos, et patris tui benedicti, et Spiritus tui sanctissimi.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

IN LITURGIAM DIONYSII ATHENIENSIS NOTAE.

1. *Dionysii Athenarum Episcopi.*

Areopagitam hic Jacobitae intelligunt, quem etiam Arabice *Baulousi,* Paulinum vocant sive Pauli discipulum. Ejus enim libros pro genuinis habent, et majores eorum Monophysitae, qui sub Justiniano, anno J. C. DXXXII.

Mor. *de Sacr. Ord. P. 2. c. 1.* Launoy. *De duobus Dionys.*

Constantinopoli de fide collationem cum Orthodoxis habuerunt, illorum primi testimoniis usi sunt, quod a viris doctissimis dudum fuit observatum. In variis Collectaneis sententiarum ex antiquis Patribus, ad opinionis suae defensionem, extant nonnullae ex ejusmodi libris: et ea ratione, Dionysius inter Ecclesiae Doctores in Diptychis frequenter numeratur. Atque illa verisimilis causa est, cur ejus nomine Liturgiam singularem composuerint, non quod multa ad sacros ritus spectantia hauserint ex libris de Ecclesiastica Hierarchia; nam quantum ad disciplinam Eucharisticam spectat, vix unquam illorum meminerunt. Eodem nomine edita est in Missali Chaldaico Liturgia, sed quae praeter titulum cum ista commune nihil habet, cum in Missali tribuatur Dionysio Barsalibi Episcopo Amideno Jacobitae famosissimo, de quo dicetur in observationibus ad eamdem Liturgiam, et passim alibi dictum est, cum illius testimoniis in toto hoc opere saepissime utamur. Neque ullus est ambiguitati locus, aut suspicioni de incuria librariorum: cum in iisdem Codicibus utraque Liturgia saepe reperiatur. In ista vero pauca occurrunt quae aliquam explicationem desiderent.

2. *Credite quod corpus meum est.*

Ista vox addita verbis Christi tam in forma panis, quam in altera calicis consecrandi, nullum in vetustis Graecis Liturgiis exemplum habet, ut neque in Alexandrinis, sed tantum in una aut altera Syriacis.

3. *Qui tincti sunt sanguine tuo, et signati Sacramentis tuis.*

Ora fidelium per Eucharistiae susceptionem tingi sanguine Christi, ut postes domorum Israelitici populi in Aegypto tinctos sanguine agni Paschalis, communis est Orientalium doctrina, quam fuse explicat Severus Episcopus Aschmonin, in opere de Agno Paschali et Eucharistia. Idem legitur in variis orationibus, praesertim illis quae dicuntur post communionem, ad gratiarum actionem. Signati Sacramentis dicuntur Christiani per Baptismum, per Myron seu Chrismatis impressionem, et per Eucharistiam. Ea locutione nihil in istis Officiis frequentius.

4. *Ut per illapsum et obumbrationem suam.*

De vocibus quae in hac oratione usurpantur ab Orientalibus, dictum est fusius in notis ad hunc locum Liturgiae Basilii Copticae. *Ἐπιφοίτησιν* qua voce Graeci potissimum uti solent, exprimunt Syri per eam quam *illapsum* vertimus: qua etiam utuntur, dum mirabilem adventum Spiritus sancti super-

venientis in B. Virginem, in Incarnationis mysterio, exprimunt. Altera vox hebraicae originis est, legiturque initio Geneseos eo loco *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, tanquam incubans et fovens, genitalemque vim immittens: quam expositionem ab Ephremo acceptam laudavit et amplexus est Basilius. His igitur verbis significant Orientales virtutem coelitus missam, quae in dona proposita mirabiliter operetur, ut in creationis initio et Incarnatione factum est: nam utraque comparatione, miraculum quotidie in Eucharistia fieri solitum explicant, et iisdem verbis utuntur. *Hom. 2. in Haexaem.*

5. *A Jacobo, etc.*

Sumtum id ex Graeca Jacobi Liturgia Hierosolymitanae Ecclesiae propria, quae fundata a Jacobo fratre Domini, successionem fidei et Cathedrae ad eum merito referebat, neque proprie ad Antiochenam Ecclesiam a Petro fundatam pertinebat. Sed cum eam Liturgiam in vicina Palaestina celebrem ad se transtulissent, hanc formulam retinuerunt: et ea quoque, ut alibi, notatum est Jacobitae abusi sunt. Ita enim denominationem quam a Jacobo Baradato sive Zanzalo eos accepisse, Graeci autores, non minus quam Orientales Melchitae et Nestoriani testantur, ad Apostolum referunt.

6. *Simplex qui ad compositionem venit.*

Haec verba magis rhetorice quam Theologice dicta, minus recte Jacobitarum opinionem explicant. Nec enim compositionem agnoscunt, nisi qualis est illa quae in symbolo Athanasii dicto, habetur. *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus*, quae comparatio quamvis a nonnullis Patribus usurpata, Facundo et aliis non placuit. Sed dum unam naturam profitentur, ita confusionem mistionemque excludunt, ut compositio proprie dicta nulla sit, nisi quatenus summae perfectaeque simplicitati Dei opponitur, quam non habet homo assumtus ex Virgine, cui Verbum caro factum dum unitum est, in quamdam compositionem venit. Sed haec alibi accuratius explicabuntur. *L. 9. p. 395.*

LITURGIA
SANCTI IGNATII.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater sancte, genitor propaginis aeternae, largitor bonorum et dator tranquillitatis et pacis, qui ultra omnem comprehensionem mentium et animarum rationalium, magnificus es in donis tuis divinis quae nobis peccatoribus et Filiis tuis concessisti, cum praestitisti nobis, ut ea quemadmodum aequum est et justum administraremus: praesta nobis, ut cum summa puritate et castitate, atque immunitate ab omni dolo, demus invicem pacem, cum amplexibus Spiritus sancti, et in vinculo verae caritatis, ut in una concordia spirituali consistentes, et unanimitatem pacificam observantes, digni efficiamur convivio beato et sanctificante unigeniti Filii tui: cum quo te decet gloria, honor, et potestas, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Bonus, beatus et demissor benedictionum es erga eos omnes qui credunt in te. Et nunc Domine ne aspicias quod indigni sumus, nec ob defectum fiduciae nostrum coram te, prives populum tuum fidelem Domine, gratia tua divina, sed placide et benigne, mitte benedictiones tuas super congregationem hanc adorantium te: imple nos gratia et lumine scientiae tuae, et suscipe deprecationes gregis tui, ut in contemplatione pura, cum primitiis feracibus operum bonorum, festum agamus tibi simul, teque exaltemus et unigenitum Filium tuum et Spiritum tuum sanctum.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Qui possit verbis explicare benefi-

cia clementiae tuae Domine? aut quis possit enarrare abundantiam amoris tui erga homines, o beate? qui nos cum multitudine impietatum detineremur, et catenis peccatorum compediti essemus, dignos fecisti hujusmodi ministerio excelso et magno. Praesta nobis, ut abstersi a sordibus peccati, et purissime nos secundum corpus et animam habentes, digni efficiamur beatitudine illa quae a te promissa est, illis qui faciunt voluntatem tuam, et illuminatione atque illustratione Spiritus tui sancti, ut etiam functione Sacerdotii unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus, etc.

Populus. Misericordiae, etc.

Sacerdos. Caritas, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere decet tibi adorationem cum honore, laude et exaltatione, exhiberi ab omnibus creaturis tuis rationalibus, simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Elevans vocem. Tu ille es qui a substantiis sublimibus, et immaterialibus, decore summo, et triumphaliter in excelsis, honoraris, laudaris, et glorificatione perpetua celebraris, cantibus puris et sanctis, citharis suavibus, et jucundis, exaltationibusque et hymnis triumphalibus, festis indesinentibus, et canticis non cessantibus, per ora incorporea, per linguas non carneas, per praeconia eximia spiritualium, per aequalem concentum igneorum, per puras voces Thronorum, per sonum magnum Cherubim, et sanctificationes purissimas Seraphim, qui terribiliter alis plaudunt, volantesque ter sanctificant, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus enim es, Deus Pater, Sanctus etiam unigenitus Filius tuus, Sanctus etiam Spiritus tuus sanctus: qui similes coelestibus per amorem tuum erga homines, nos fecisti, et tantopere dilexisti nos, ut etiam unigenitum Filium tuum tibi consubstantialem mitteres ad salutem nostram: qui incarnatus est, inef-

fabiliter, et factus est homo, quomodo voluit et novit, et omnia quae nostra erant excepto peccato, pro nobis perfecit.

Elevans vocem. Qui totam dispensationem salutarem pro nobis perfecit, et per passiones suas sanctas, adventus sui in carne, veritatem demonstravit. In nocte Paschatis in qua tradebatur pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas, sanctificavit eum, † et fregit † deditque † discipulis suis Apostolis sanctis, dicens: Accipite, edite ex eo: Hoc est corpus meum quod vos et multos praeparat ad remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam et calicem vitae, vino et aqua cum miscuisset, † sanctificavit † eum, et dedit † discipulis suis sanctis discens: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus, quem pro vita mundi do ego, vos autem et multos praeparat ad remissionem peccatorum, et ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite in mei memoriam: quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem hunc bibetis, mortis meae commemorationem agetis, et resurrectionem meam confitebimini donec veniam.

Populus. Mortis tuae, etc.

Sacerdos inclinatus. Mente igitur recolentes, ea omnia, quae pro nobis, et propter nos dispensatorie a te perfecta fuerunt, nativitatem tuam salutarem, baptismum tuum divinum, sepulturam tuam vivificantem, resurrectionem tuam dominicam, ascensionem tuam gaudii plenam, sessionemque tuam ad dexteram majestatis Dei et Patris: iterum etiam adventum tuum secundum timendum, et tremoris plenum commemoramus, quando exoriens cum gloria, terribiliterque conspiciendum te praebens vivos et mortuos judicabis; quando Angeli a splendore judicii tui contremiscent, et Archangeli trement, Potestates concutientur, Throni conturbabuntur, et Ordines coelestes terrore obstupescent. Tunc omnes homines in dolore stantes, judicem timendum et potentem expectabunt, tunc cum justitiae conveniens locus erit, gratia autem nullam praestabit misericordiam; cum carbones ardentes, flamma comburens, gehenna inextinguibilis: quando preces repellentur, et deprecationes non acceptabuntur, orationes non audientur, et obsecrationes cujuscumque praecidentur: parce nobis Domine et extende dexteram tuam super nos omnes. Ne intres in

judicium nobiscum, non reducas in memoriam iniquitates nostras, non ad examen strictum, voces nos et constituas: ne simus exules a gratia tua, neque alieni ab haereditate tua: ne diris cruciatibus tradamur, non ad vermem rodentem praecordia, cum impiis amandes nos; non in parte eorum qui te crucifixerunt censeamur: non cum impiis statuamur: non participes iniquorum simus: non in supplicia et stridores dentium projiciamur: non abneges nos, veluti eos qui te non noverunt: neque perdas nos simul cum illis qui te non dilexerunt. Verum illucescere nobis fac salutem tuam; parce nobis secundum amorem tuum erga homines. Mitte nobis divitias clementiae tuae, statue nos ad dexteram tuam; memento omnium nostrum per misericordiam tuam: salva nos secundum multitudinem gratiae tuae, et adjuva nos per clementiam tuam. Adjunge nos gregi tuo, et numera nos inter ordines dilectorum tuorum, fac nos dignos regno tuo, et induc nos in thalamum tuum. Et propter haec Ecclesia tua et grex tuus deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque, etc.

Populus. Te glorificamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere nobis Deus Pater omnipotens, et mitte super nos Spiritum tuum sanctum qui omnia replet, Deusque est super omnia, tibique consubstantialis et unigenito Filio tuo; qui omni hora dona distribuit; dividitque et dat singulis, prout vult: qui omnibus praesens est, neque loco circumscribitur, qui vitam continet eorum qui vivunt, et perfector sanctitatis sanctorum est: ut illapsu suo sanctificans mysteria haec pura, me quoque a sordibus mundum efficiat.

Sacerdos. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Ipseque illapsus et sanctificans, efficiat panem quidem istum, corpus sanctum et sanctificans; corpus purificans et propitiatorium; corpus donans incorruptionem: corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum et vitam aeternam suscipientium.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, efficiat sanguinem vivum et vivificum, sanguinem purum et sanctum, sanguinem purificantem et san-

ctificantem; sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientium.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos igitur illatione mysteriorum istorum sanctorum digni effecti; et per veritatis agnitionem illuminatum habentes mentis oculum, rogamus et obsecramus, ut mysteria haec proposita, sint nobis et illa suscipientibus, ad excitandam vigilantiam animae, ad sanitatem corporis, ad participationem veram adoptionis filiorum, ad communicationem Spiritus sancti, ad haereditatem regni coelestis: ad remissionem delictorum et peccatorum, quia te decet bonitas et amor erga homines, tibique gloriam referimus et gratiarum actionem, simulque unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Coram te Domine obsecramus, per hoc sacrificium quod perfectum et completum est per Spiritum sanctum, pro Ecclesia tua sancta Catholica et Apostolica, ut conservetur secure et inconcusse, nec portae inferni praevaleant adversum eam. Et pro patribus nostris sanctis et rectoribus nostris, praecipue pro beatis, Patriarcha nostro D. N. et Episcopo nostro D. N. cum reliquis Episcopis Orthodoxis. Conserva eos ab incursionibus malis, et a pascuis perniciosis: Pro sacerdotibus et Diaconis, omnique ordine Ecclesiastico, unumquemque conservans in ea vocatione qua vocatus est, absque crimine, et accusatione. Miserere etiam tenuitatis meae secundum misericordiam, et clementiam, neque simul perdas me cum iniquitatibus meis, sed exhibe erga me bonitatem tuam, quamvis sim indignus: salva me secundum multitudinem misericordiae tuae, ut per omnia glorificem te omnibus diebus vitae meae: ut a terrenis cogitationibus me removeas, purusque nitidus, et absque macula sim, et sicut vigilantiae in ministerio requisitae convenit, sancte tractem haec mysteria. Pro illis etiam qui infirmantur corpore, et anima, et pro illis reliquis qui in purgationibus timendis, periculis scilicet exiliisque versantur, ut illis quidem sanitatem, et respirationem, istis vero libertatem et liberationem concedas. Benedic etiam coronae anni per benignitatem tuam; aëris quoque et omnium terrae fructuum, perpetuo recordare.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Et conserva Domine populum tuum fidelem, et libera nos ab omnibus maculis et naevis peccati, et ab

omni genere afflictionis et machinationibus malis, et perniciosis daemonum et hominum nequam, et ab omnibus doloribus intolerabilibus: a tyrannide capitibus nostris imposita, et tentationibus gravissimis nos eripe: et da nobis, ut cum ornatu operum bonorum et beatorum, ingrediamur in sanctuaria tua sancta, et praeclare gaudeamus donis spiritualibus, et simul sacrificemus tibi sacrificia acceptabilia, et indesinenter gratias agamus tibi et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, congregationis hujus benedictae adorantium te, quae cum timore et fide in te, stat coram te: et illorum, qui orationes infirmitatis nostrae postulant. Memento Domine omnium generaliter, et uniuscujusque singulariter, quod ipsis adjumento, necessariumque esse potest, concedens. Eorum etiam qui praeclare agunt, et qui producunt fructus Ecclesiae tuae sanctae; eorum etiam qui oblationes obtulerunt non obliviscere: et illorum, qui offerre voluerunt et non potuerunt, recordare.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Suscipe Domine oblationes, decimas et primitias, fructusque pacis, sacrificiorum servorum tuorum in odorem suavitatis, et retribue atque mitte nobis, o retributor bone, gratiam donorum, amplitudinemque munerum quae ad auxilium nostrum spectant, abundantiamque aeternorum bonorum, divites nos et illos faciens, operibus pietatis, et justitiae: communiens nos custodiis Angelicis, et per confessionem immaculatam et Apostolicam: quia tu magnificus in muneribus es, tibique gloriam et gratiarum actionem referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum fidelium Orthodoxorum, et pacifica imperium eorum, et da illis ut subditos sibi gubernent cum aequitate.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Defensor, et salvator esto, Domine, Ecclesiae tuae sanctae, et omnibus ovibus spiritualibus pascuae tuae: et salva nos per fortitudinem tuam, cui nihil impossibile est, ab omni fame acerba, mortalitate perniciosa, a bellis et tumultibus, a persecutionibus exitialibus et in tranquillitate et pace guberna nos cum cura, omnibus diebus vitae nostrae, quia non est nobis spes alia salutem consequendi, nisi in te, Domine. Destrue etiam per

potentiam tuam, potentiam illorum, qui stant adversus imperium tuum, et unumquemque subjice servituti nominis tui sancti: quia tu victor es, et bellator solus, et tibi gloriam et gratiarum actionem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemorantes, memoriam agimus coram te, Domine, et ad obsecrandum te adducimus, primum quidem sanctam genitricem Dei Mariam, et praecursorem Joannem Baptistam, Stephanum primum Diaconorum, et proto-martyrem, agmenque sanctorum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum et reliquorum, quorum nomina scripta sunt in libro vitae.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Ut deprecationes illorum tuorum, placide suscipiens, orationes eorum gratas pietati tuae acceptes. Nos quoque conjunctim obsecrationem imperfectam nostram, coram te simul effundimus, rogamusque et deprecamur, ut non avertas faciem tuam a nobis, neque in ira elongeris a nobis: non in furore tuo disperdas nos, verum secundum benevolentiam tuam posside nos, et per abundantiam bonitatis tuae, parce nobis. Illumina vultum tuum super nos, et super omnem plebem haereditatis tuae, quia tibi placet salutem praestare, et tua est pax et salus: tibique gloriam, et gratiarum actionem offerimus, et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine Patrum electorum et sanctorum, Patriarcharum, et eorum qui interpretes et ministri fuerunt mysteriorum sacrorum Ecclesiae tuae sanctae: maxime vero Ignatii, Dionysii, Julii, Athanasii, Basilii, Gregorii, Dioscori, Severi, reliquorumque Apostolorum et Pastorum, qui ad te migraverunt.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Doctores, Episcopos, et rectores ovium spiritualium, gregum tuorum sacerdotalium suscipe, Domine, et eos qui cum sanctitate, primitias, more Apostolico ceperunt haereditatis pacificae, Theologiam scilicet acquisitam sanguine salutari Christi unigeniti Filii tui: eorum qui in Ecclesiis tuis sanctis explicaverunt verbis, gloriam magnificentiae regni tui gloriosi, et super fundamentum fidei aedificaverunt scientiam universam verae religionis, salubremque doctrinam: Ut per intercessiones eorum puras et acceptabiles, Domine, non relinquas nos expositos insidiis et deci-

pulis erroris multiformis dogmatum reprobandorum: verum per doctrinam patrum illorum nostrorum beatorum, confirma nos, et fidem illorum funda in nobis, bonisque eorum eos dignos effice et cum illis referemus tibi gloriam et gratiarum actionem.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Ut etiam eorum memineris, qui ex hac vita ad te migraverunt, te deprecamur, Domine, Sacerdotum et Diaconorum, qui coram altari tuo, Sacerdotio et ministerio functi sunt, cum puritate et sanctitate: Subdiaconorum, Lectorum, Religiosorum, Monachorum, et omnium eorum, quos unusquisque animo suo designat.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Placidé et tranquille suscipe per benignitatem tuam, Domine, animas et spiritus servorum et adoratorum tuorum: qui ex hac praesenti vita ad te migraverunt: maxime vero illorum pro quibus et propter quos sacrificium hoc oblatum et perfectum est. Memento eorum, quietem illis praesta, et colloca eos in habitaculis lucis, in locis spirituum beatorum, in Jerusalem coelesti, in Ecclesia primogenitorum descriptorum in coelis, memoriamque et quietem maxime felicem, per amorem tuum erga homines praestans illis, Domine, concede illis vitam senii expertem, bona non transeuntia, et delicias finem non habentes. Veniam obtineant per clementiam tuam: quietem consequantur per misericordiam tuam: abscondantur sub alis gratiae tuae, neque condemnentur: quia speraverunt in te, et in unigenitum Filium tuum, per quem nos quoque speramus misericordiam consequi, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos inclinatus. Parce, Domine Deus, et dimitte omnes iniquitates nostras, et illorum, neque illas imputes, quia non justificatur in conspectu tuo ullus vivens, neque ullus est purus a sordibus, et maculis peccati, nisi tu, Domine. Obsecramus et deprecamur abyssum imperscrutabilem clementiae tuae, ut nobis infirmis, et ad peccatum propensis, veniam concedas per misericordiam tuam, neque dimittas nos in manibus a quibus abripiamur in errorem perniciosum, qui nos ad interitum deducat. Sed concede ut gradiamur in viis tuis, et faciamus voluntatem tuam, inveniamusque misericordiam, finem tranquillum, fiduciamque tibi placentem, et consistentiam absque confusione coram solio terribili unigeniti Filii tui, ut in hoc, sicut et in

omnibus, glorificetur et laudetur nomen tuum valde honorandum et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti, nunc, etc.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordia Dei, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus dicit Catholicam. Sacerdos frangit et signat Oblatam.

Diaconus. Angelus.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Vere enim et absque dubio, tu es Pater sanctus Filii sancti, qui sanctitate aequalis est cum Spiritu sancto: qui perfecte et cum summa potestate in sanctis requiescis, et perpetuo sanctificationes eorum, qui te sanctificant suscipis. Tu es fons incolumitatis, et origo auxiliorum, tu es genitor misericordiae, et pater clementiae, miserator, fautor, adjutor et auxiliator, curam habens pauperum, et refugium afflictorum, comes itineris navigantium, portus et requies jactatorum, refugium peccatorum: medicus bonus infirmorum: qui amas lacrymas poenitentium: emundator sordium, in illis qui inquinati sunt, largitor donorum, thesaurus divitiarum. Tu ab initio, ab aeterno, a saeculo et perpetuo, sanctus es, plenusque sanctitate, sanctificator et perfector sanctorum, et nos glorificationem, hymnorumque decantationem offerimus tibi, eam ipsam quam a Filio sancto tuo, Filio tuo dilecto amanter didicimus: petimusque ut nobis omnibus praestes, ut corde puro, sed ardenter succenso per zelum laudabilem, orationes et deprecationes nostras coram te effundendo, cum mentium illuminatione, animorum castimonia, linguarumque triumphali laudatione, clamemus ad te, oremus et dicamus, Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum.

Sacerdos elevans vocem. Ne, Domine, permittas nos jactari vexationibus mundanis, sive diabolicis, ultra id quod possumus, ita ut omnino in infirmitate, aegritudine et confractione cordis simus, et a domestica familiaritate tua alieni efficiamur, si nostri curam non habueris. Ne sis immisericors, Domine, neque avertas faciem tuam

a nobis, neque procul facias auxilia tua; sed aspice nos, et mitte gratiam tuam ad nostrum subsidium. Ab omnibus criminibus libera nos, neque inducas nos in tentationem, quia tibi est potestas, et imperium aeternum, et tibi gloriam et gratiarum actionem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Ante susceptionem mysteriorum istorum sanctorum, quae oblata sunt, iterum coram Domino misericordi capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te, Domine.

Sacerdos elevans vocem. Cum omni natura et creatura coelestium et terrestrium, quae te adorat, Domine, ut animo concipimus, nos quoque adorationem veram cum cervicis demissione tibi offerimus; et a summa caritate tua postulamus, ut illumines animas nostras veritate tua. Munda nos hyssopo tuo: sanctifica nos sanctitate tua: converte nos ad timorem tuum, placeat tibi ut mittas nobis benedictiones tuas, et in hunc modum atque talibus bonis locupletans nos, ne permittas, ut rei accedamus ad communionem hanc vivificam corporis et sanguinis unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria et imperium cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit benedictio, etc.

Populus. Et cum, etc.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Juste et secundum veritatem, valdeque rationabiliter, debentur magnificentiae tuae, laudes omnes indesinentes, hymni et exultationes triumphales, quia nos fecisti dignos per clementiam tuam dono hoc bono, et coelesti, alimenti hujus incorruptibilis: rogamusque amorem tuum erga homines ineffabilem, ut non convertas festa nostra in luctum, neque cantica nostra in ejulatum, neque dejicias capita nostra coram judicio: neque erubescamus in die novissimo, in quo unusquisque congruam remunerationem accipiet; cum Angeli in timore

consistent, et unigenitus Filius tuus judicabit. Sed quemadmodum summe misericordem erga nos te exhibuisti, parce pusillanimitati nostrae, miserere infirmitatis naturae nostrae, non in judicium, aut condemnationem reputans nobis hoc munus tuum, sed ad sanctitatem, et vigilantiam et viaticum salutis nostrae. Et te decet gloria, honor et imperium, simulque unigenito Filio tuo et Spiritui sanctissimo tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te.

Sacerdos elevans vocem. Tibi qui genitus es ab acterno, ex lumine aeterno, et incarnatus es absque ulla mutatione, ex utero virginali, gratias agimus, et ut requiescat dextera tua, super nos omnes perpetuo, postulamus. Sacerdotes altaris tui gloria affice, et ministrantes tibi in honore constitue. Senes mansuetudine orna et adjuva: impetus juvenum coerce: pueros educa in modestia, et ad summum scientiae apicem perducito. Sana Domine infirmos, ablue maculas peccatorum: obsigna cruce tua Virgines: custodi lectum conjugatorum: mitte egenis saturitatem: esto orphanorum curator, et confortator viduarum. Parce illis qui acceperunt corpus tuum: et eos qui biberunt ex sanguine tuo, perfecte purifica. Benedic illis qui per crucem tuam salutem consecuti sunt; sanctifica etiam agnos gregis tui, oves tuas adhuc ad ovile tuum: agnos tuos in doctrinis tuis confirma, unumquemque in gradu et ordine suo visita, per misericordiam tuam. Nos autem Domine servos tuos, et sacerdotio fungentes tibi, dignos effice visione tui: nos omnes adduc ad habitaculum tuum: mentes nostras firmas effice in dilectione tua: oculi nostri videant, majestatem timendam tuam: ora nostra repleantur sanctificationibus tuis: labia nostra, Domine, laudes tuas pronuncient, Patrisque tui benedicti et beati, et Spiritus tui, vivi, sancti, vivificantis et tibi consubstantialis.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

AD LITURGIAM IGNATII OBSERVATIO.

Longa oratione non opus est ad istius Liturgiae novitatem probandam, cum satis ipsa se prodat. Stilus enim synonymis et epithetis inflatus ultra modum, natae infelicibus saeculis eloquentiae magis convenit, quam primaevae Apostolicorum temporum simplicitati, quam genuina Ignatii Martyris scripta repraesentant. Illa apud Syros vulgari sua lingua olim extitisse docent nos multa ex illis testimonia, quae in libris Theologicis occurrunt, sed prae caeteris excerpta ex ejus genuinis Epistolis non pauca, quae Conciliorum Canonibus adjuncta reperiuntur in vetusta versione Syriaca, quam Codex Mediceus membranaceus repraesentat. Addidit interpres, illas sententias vulgo inter Canones non referri, verum ex nomine tanti viri, aequalem quodammodo habere autoritatem. Factam esse ex optimis Codicibus interpretationem illam agnovimus, et ab autore quicumque fuerit non imperito: tum illud etiam animadversione dignum observavimus, codices illum, similes Florentino illi celeberrimo quo Latinus interpres usus fuerat, secutum fuisse, nec alias, nisi veras Epistolas agnovisse. At nulla praeter Jacobiticam Antiochenam Ecclesiam, habuit huc usque Liturgiam Ignatio attributam: neque de ista quidquam aliud cogitare possumus, nisi quod ab aliquo scripta, cum singularem titulum non praeferret, essetque Antiochenae Ecclesiae propria, Ignatii nomen, tanquam illius insignis Episcopi acceperit. Potuit etiam ab aliquo Ignatio scripta fuisse, qui illam sedem tenuerit, aliquot enim ita appellati sunt, inter Jacobitarum Patriarchas, et librariorum culpa ad Martyrem referri, quae novi hominis foret. Sed quid de istiusmodi titulis statuendum sit, quantum opus erat, dictum est alibi.

In ista quidem Liturgia Monophysitarum haereseos ne levissimum quidem vestigium deprehenditur, quae majoris, quam existimamus antiquitatis nota, verisimilis videri aliquibus posset. Meminisse tamen oportet, quod alibi observatum est, raro inter Jacobitas Syros, Liturgicis precibus, ea quae ad suae de Incarnationis mysterio doctrinae confirmationem pertinent, inseri solere. Solis Aegyptiis proprium illud fuit, qui Confessioni de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, alteram de una in Christo natura conjunxerunt. Itaque quod nihil ad eam pertinens in ista Ignatii Liturgia reperiatur, ad illius antiquitatem probandam nullius momenti est, cum recen-

tioris aevi tam multa aliunde pracferat indicia. Inter illa tamen commemoratio in Diptychis facta, sanctorum qui consumto dudum per martyrium Ignatio in Ecclesia floruerunt censeri non debet: nomina quippe illa adjici potuerunt, ut in aliis observatur, quia tales commemorationes erant ex usu Ecclesiastico. Quod vero Dioscorus et Severus nominatim commemorantur: illam Liturgiam Jacobitis propriam fuisse manifestum facit.

LITURGIA

S. JULII PAPAE ROMANI.

Primum Oratio ante Pacem.

DEUS Pater omnipotens qui es caritas vera, et largitor caritatis et tranquillitatis, nos dignos effice, ut mundati ab omni genere iniquitatis peccati, demus nobis invicem pacem in osculo sancto, incensi amore et caritate unigeniti Filii tui, cum quo te decet gloria, honor et potestas cum Spiritu tuo sancto, nunc et semper, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Dignare.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Et eos qui coram te inclinati sunt, perpetuo benedic et conserva, illosque omnino exhibe cultores tui perfectos, et erroris immunes, simulque unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Perpetuo igitur robora infirmitatem nostram Domine, et da nobis ut sancte et valde pure, offeramus tibi sacrificia spiritualia et rationalia, rogantes veniam delictorum, et remissionem peccatorum nobis et omnibus defunctis fidelibus, quia tu Deus misericors es, volensque misericordiam tibique gloriam et gratiarum actionem offerimus, et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.
Diaconus. Stemus decenter.
Populus. Misericordiae Dei.
Sacerdos. Caritas.
Populus. Et cum.
Sacerdos. Sursum corda.
Populus. Habemus ad Dominum.
Sacerdos. Gratias agamus Domino.
Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, ut adoremus et laudemus Patrem et Filium, et Spiritum sanctum unum Deum verum.

Elevans vocem. Ad laudem nempe magni decoris tui ineffabilis, non sufficiunt omnes rationales creaturae, cum abscondite superior sit laus tua omnibus naturis visibilibus aut invisibilibus: Qui dignum fecisti populum tuum fidelem, sancte cum Cherubim et Seraphim laudandi divinitatem tuam ineffabilem, praesertim vero hoc tempore simul et generaliter hymnum illum coelestem, laudationem illam ter sanctam, praeclarae majestati tuae divinae concinentes clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus Deus Pater omnipotens. Sanctus Filius tuus unigenitus Dominus noster Jesus Christus. Sanctus Spiritus tuus sanctus. Magnificentia tua est, quod absque ulla mutatione incarnatus est unigenitus Filius tuus, ex Virgine sancta, et perfecit omnia opera sua recte, et per passiones suas sanctas liberavit eos qui in illum crediderunt.

Elevans vocem. Vespera illa postrema, qua traditurus erat se ipsum, pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas † et benedixit, † et fregit † deditque discipulis suis sanctis dicens. Accipite manducate ex eo. Hoc est corpus meum, ipsum quod pro vobis, et pro multis datur in expiationem delictorum, et remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam et super calicem gratias egit † benedixit, † sanctificavit, † deditque discipulis suis Apostolis sanctis dicens. Accipite bibite ex eo vos omnes. Hic est sanguis meus

Testamenti Novi, qui pro vobis, et pro multis datur, ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque enim mysterium hoc celebrabitis, commemorationem mortis et resurrectionis meae perficietis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Memoriam igitur agimus omnis periodi dispensationis tuae salutaris, quam pro nobis perfecisti et complevisti Christe Deus noster. Gloriam et magnificentiam offerimus benignitati tuae erga nos, deprecantes te, ut cum exortus fueris in die illo novissimo, redditurus unicuique secundum opera sua, non in examen et commemorationem adducas peccata nostra, Domine, quia nullus est perfecte immunis a sordibus peccati: sed praesta nos dignos quiete illa spirituali, quam pollicitus es electis illis tuis, qui confessi sunt sanguinem tuum pretiosum; et quam promisisti Ecclesiae tuae sanctae, quae propterea, et juxta haec, voce elata deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus, etc.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere mei Domine, miserere mei: et mitte super me et super has oblationes propositas, Spiritum tuum sanctum, Dominum et vivificantem, tibi consubstantialem et coaeternum, Pater, et unigenito Filio tuo Domino nostro Jesu Christo: et habitet in nobis et sanctificet corda nostra,

Elevans vocem. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut adveniens efficiat, panem quidem istum, corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice efficiat sanguine Christi Dei nostri. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Ut prosit illis omnibus qui ex eo accipiunt et communicabunt ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et resurrectionem benedictam a mortuis, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Offerimus igitur tibi Domine sacrificium hoc pro omnibus ordinibus Ecclesiasticis, et pro paupertate mea, et unicuique auxilium tribue.

Elevans vocem. Pastores et Doctores Orthodoxos Ecclesiae tuae sanctae, sapientia et viribus instrue Domine, ut quantum opus est stent super greges tuos sacerdotales, in pratis illis coelestibus, Evangelice pascentes agnos signatos nomine tuo sancto, nunc et semper.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine eorum qui praeceperunt nobis, ut illorum memores essemus in orationibus et deprecationibus nostris ad te: et eorum qui praeclarae vitae triumphum egerunt in Ecclesia tua, et pauperum populi tui.

Elevans vocem. Benigne autem Domine suscipe oblationes et dona populi tui fidelis, et retribue illis auxilia praeclara donorum tuorum, nunc quidem ea quae ipsis expediunt: deinde vero, sursum in extremo saeculo, triumphum illustrem et perfectum, et omnem affluentiam deliciarum indesinentium: ut gratias agant, adorent et glorificent, nosque cum ipsis, nomen tuum sanctum et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc et semper.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine populi tui fidelis et prohibe ab illis hostiles incursus secretos et apertos, bella domestica et extranea, et omne calamitatum genus.

Elevans vocem. Neque propter insipientias nostras deseras nos orphanos, destitutos virtute et auxilio tuo Domine: neque avertaris a nobis, et affligamur amare ultra vires nostras: sed propitius esto nobis, et ab omni genere passionum peccati liberans nos, subter alas tuas perpetuo nos absconde: quia tu Deus salvator et servator omnium es, et tibi gloriam referimus et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium sanctorum qui a saeculo placuerunt tibi, ab Adamo, ad hanc usque diem. Praecipue vero sanctae Genitricis Dei Mariae, Joannis Baptistae, Stephani principis Diaconorum et primi martyrum et omnium sanctorum.

Elevans vocem. Illorum qui sancte coronati sunt, et ad te pervenerunt, ut fiducialiter apud te pro nobis intercessores existant; quorum orationibus acceptabilibus exstingue a nobis flammas peccati, et omnes insidias maligni deceptoris nostri compesce: ut sedulo offeramus tibi deprecationes sanctas et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo, nunc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Episcoporum, et Doctorum Ecclesiae tuae sanctae, qui a Petro, Paulo, Joanne, et Severo extiterunt, ad hanc usque diem.

Elevans vocem. Illorum qui cum gaudio sustinuerunt afflictiones propter nomen tuum sanctum: qui perfecte depulerunt errorem impium, ex cordibus populorum in ignorantia versantium: illosque illustraverunt promissione magna veritatis tuae: et per orationes illorum sanctas, aufer ab Ecclesia tua sancta bella, divisiones, omniaque consilia mala, haereseon perniciosarum, et perpetuo confirma illam in veritate tua, et in illa habitare fac tranquillitatem nominis tui, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium fidelium defunctorum, qui pridem obierunt, et ad te pervenerunt.

Elevans vocem. Remittens illis omnes insipientias eorum, per amorem tuum erga homines, Domine, nec reputans illis defectus humanos illorum. Fac illos dignos quiere illa spirituali, et regione exultationis et laetitiae, in Christo Jesu Domino nostro; per quem nos etiam misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum per illum, et nobis et ipsis. *Populus.* Amen.

Diaconus. Quietem praesta.

Sacerdos. Nobis quoque qui etiamnum in isto saeculo subsistimus, praesta viam vitae hujus temporalis, immunem ab omnibus calamitatibus, et fraude maligni fraudatoris nostri, et inter omnes laqueos, et foveas perniciosas et scandala peccati dirige nos; deducque nos ad finem beatum, et exitum misericordiarum, ut non subtrahas te ab illis, qui secure te expectant, et aspiciunt in te sine fine, et exultant indesinenter in laudationibus tuis, ut hic et illic ex omnibus et propter omnia magis exaltetur nomen tuum benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum.
Sacerdos. Misericordiae Dei sint, etc.
Populus. Et cum.
Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit Oblatam et signat. Oratio ante Pater noster.

Indesinenter gratias agimus tibi, Deus Pater omnipotens, abscondite et invisibilis, propter omnia beneficia tua erga nos: qui nos infirmos et peccatores dignos fecisti, celebrandi ministerium hoc mysticum nomini tuo sancto. Complaceas tibi in nobis ergo Domine, et perpetuo conserva in nobis pignus hoc magnum et mirabile, repellens a cordibus nostris omnes cogitationes materiales, et meditationes atque imaginationes saeculi hujus, ut fiducialiter invocemus te Patrem coelestem omnipotentem, oremusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Petimus a te pater misericordiarum et Deus totius consolationis, ne inducas servos tuos in tentationem, sed libera nos a malo, et operibus ejus, et omnibus quae ejusmodi sunt, quia tuum est regnum et virtus et laudatio, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Ante susceptionem.
Populus. Coram te.

Sacerdos. Pastor bone gregis rationalis, visitator Sion coelestis et illustrator perfectorum, visita hos servos tuos qui coram te inclinati sunt, et munda corda eorum ad susceptionem Sacramentorum tuorum sanctorum, et ad laudem nominis tui gloriosissimi, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. In timore, etc.
Sacerdos. Sancta sanctis.
Populus. Unus Pater sanctus.
Sacerdos. Unus, etc.
Diaconus. Stemus decenter.
Populus. Gratias agimus tibi.

Oratio gratiarum actionis.

Sacerdos. Gratias agimus tibi Domine Deus noster, et excellentius gratias agimus propter omnia beneficia tua erga nos, qui nos infirmos et peccatores dignos fecisti celebrandi hoc ministerium. Dignare ut haec communio sacramentalis prosit nobis ad propitiationem delictorum, et remissionem peccatorum, ad fidei confirmationem, ad observationem mandatorum tuorum sanctorum, et ad tutamen coram throno terribili, unigeniti Filii tui: cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Post, etc.
Populus. Coram te.

Sacerdos. Quid est ergo nobis quod retribuamus amori tuo erga homines, Christe Deus noster, qui nos exules a patria nostra pristina, et diu a te procul factos vocasti, et adduxisti ad familiaritatem et fiduciam tecum; et dignos fecisti nos vitam veram et laetam in saeculum a te consequendi. Gloriam, honorem et adorationem referemus tibi, Patrique tuo, etc.

Diaconus. Benedic Domine.
Sacerdos. Benedic omnibus, etc.

IN LITURGIAM JULII PAPAE

NOTAE.

Julii Romani Pontificis nomine Liturgiam apud Jacobitas extare certum est, testimonio multorum Codicum Mss. qui eam repraesentant: tum etiam, quod Maronitae recentiores eam inter suas numerent, ut fecit Abraham Echellensis, in Notis ad Hebed-Jesu, Gabriel Sionita Epistola ad Bartoldum Nihusium et alii. Tamen, qua ratione nescitur, inter eas quae in Missali Chaldaico editae fuerunt, locum non habuit; nec immerito. Neque enim Latine, Graece, aut alia quam Syriaca lingua reperitur ulla, quae hunc titulum praeferat Liturgia. Jacobitae Syri qui novas multas composuerunt, ut Julio Papae unam attribuerent, causa haec fuit. Epistolas nonnullas istius Pontificis, quae dudum a viris doctissimis explosae sunt, in quibus praesidium aliquod errori suo, Monophysitae reperisse se existimant, commendant magnopere, et in Collectaneis illis quae multa veterum Patrum testimonia, ad unius naturae probationem continent, non pauca ex illis Epistolis referuntur. Sed id praecipue observatur in libro maximae apud Jacobitas autoritatis, qui *Fides Patrum* appellatur: ut in Tractatibus adversus Melchitas et Nestorianos, Isa filii Zaraa, et multis aliis. Nihil tamen in ista Liturgia animadvertitur, quod Monophysitarum haeresin insinuet. Quod enim in Diptycho nomen Severi Antiocheni legatur, illam ad Jacobitas pertinuisse demonstrat, sed nihil inde circa illius antiquitatem deduci potest: cum librarii saepe addant non modo sanctorum, quae ipsis in mentem veniunt nomina, sed eorum maxime, qui, ut Severus, in Ecclesia sua sanctitatis et doctrinae opinione commendantur. Quamvis porro Julio Romano Pontifici, aut ejus aetati hanc Liturgiam attribui non posse perspicuum sit, inter antiquas Syriaci ritus numeranda tamen videtur, praesertim ob brevitatem et stili simplicitatem, a qua deflexerunt ut plurimum, qui alias ad vetustiorum formam composuerunt. Nihil autem in ea singulare occurrit, quod explicandum sit fusiori commentario: cum quae de forma verborum Christi, et Invocationis Spiritus sancti dicta sunt ad Jacobi Liturgiam, isti quoque conveniant.

LITURGIA
SANCTI [1] EUSTATHII,
PATRIARCHAE ANTIOCHENI.

Primo Oratio ante osculum pacis.

Deus clemens et multae misericordiae Domine, qui te non dubitanter invocantes juste exaudis, nobis etiam qui una et aequali voce clamamus ad te, largire, ut cum unanimi concordia, demus nobis invicem pacem in osculo sancto et divino, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus proclamat Mediam.

Sacerdos elevans vocem. Omnem quoque dubitationem depellens a nobis, Domine, vinculo caritatis tuae confirma nos, et benedictiones abundantes, nobis et illis qui coram te inclinati sunt mitte, ut efficiamur adoratores veri et participes bonorum tuorum aeternorum, referemusque tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Tu es thesaurus auxiliorum, et fons bonorum, Domine: nos igitur qui egestate et paupertate laboramus, divites fac divitiis incomprehensibilibus donorum tuorum divinorum: et perfice nos in populum sanctum, et congregationem salvatam, quae annunciet laudes tuas, Deus Pater, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui vivi.

Diaconus. Date pacem.

Sacerdos. Caritas Dei Patris.

Populus. Amen. Misericordiae Dei.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Gratias agamus, adoremus, et glorificemus Patrem, Filium, et Spiritum sanctum unum Deum verum.

Elevans vocem. Magnificentiam tuam Domine glorificant omnes virtutes materiae expertes: legiones inflammatae ex flamma productae: agmina ardentia Cherubim fortium: turmae terribiles Seraphim sanctorum; qui moventes alas suas, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Trinas sanctificationes offerimus tibi, Deus Pater, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto: neque enim mensurabilis est sanctitas tua Domine: qui cum indigni essemus, misisti Filium tuum in mundum pro salute nostra: ortusque est ex Virgine, et per mortem suam vitam praestitit mortalitati nostrae.

Elevans vocem. Qui cum voluntate sua, quasi succidaneus pro nobis peccatoribus venit ad mortem, accepit panem in manus suas sanctas, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis sanctis, et dixit: accipite manducate ex eo: [2] Hoc est corpus meum, quod vos et omnes suscipientes illud fideles, praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem quem miscuerat vino et aqua, † benedixit, † sanctificavit, † et dedit iisdem discipulis sanctis et dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus qui vos et omnes suscipientes eum fideles praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sed et quando mysterium istud celebrabitis, agite memoriam mortis meae, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Etiam adventum tuum salutarem, et secundum illum retributionis commemorantes Domine, laudes cum deprecationibus majestati tuae offerimus, ut in die illo magno judicii tui justi, non per peccata nostra fiamus cibus carbonum ignis, alimentumque flammae terribilis: non demergamur in mare ardens, aut jactati obruamur fluctibus ignium. Non simus haeredes suspiriorum: neque gemitibus acerbis addicas nos: non fiamus habitatores locorum tenebrosorum, et regionum timore plenarum: non alieni fiamus ab haereditate tua, neque privati familiaritate tua: sed cum invitatis ad recumbendum tecum, et vocatis ad convivium tuum conjunge nos, et splendore

regni tui impingua nos. Et propter haec omnia praecipue, Ecclesia tua et grex tuus deprecatur te, et per te, atque tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Sacerdos. Praecipue.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Misericordiam tuam obtestor et deprecor, Domine Deus: miserere mei, et effunde super me et super oblationes istas propositas, gratiam Spiritus tui sancti: et munda me ab omnibus maculis peccati, et conforta me ad ministerium hoc purum et sanctum.

Sacerdos. Exaudi me, Domine.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut per [3] illapsum suum exhibeat, panem quidem istum, † corpus sanctum † Christi Dei nostri †.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, faciat sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nobis autem per illorum susceptionem, det veniam delictorum, remissionem peccatorum, scientiam veram fidei, zelumque laudabilem religionis, et participationem vitae aeternae.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Da Domine, Ecclesiae tuae et praesulibus ejus, ut juxta praescriptum legum tuarum se gerant, omnibus diebus vitae suae.

Elevans vocem. Et oculos intellectuales mentis nostrae illumina Domine, ut contemplemur miracula legum tuarum divinarum: et a lupis spiritualibus universum gregem tuum conserva: et simul referemus tibi gloriam et laudem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine eorum qui invocant te cum fide vera, et bona operantur propter nomen tuum sanctum.

Elevans vocem. Omnes quoque reliquos Orthodoxos auxilio tuo adjuvans Domine, benedic eos qui juvant Ecclesiam tuam san-

ctam: ut ab omnibus glorificeris, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sancto, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Coerce et aufer a nobis Domine, omnem potestatem inimicam pugnantem adversus nos.

Elevans vocem. Et concede Domine liberationem perfectam a bellis, tumultibus, et incursionibus barbarorum, populo tuo fideli: atque in pace, quae a te est, conserva omnem gregem tuum: ut assidue glorificemus te, unigenitumque Filium tuum, et Spiritum sanctissimum.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine sanctae Genitricis Dei Mariae, et sanctorum Apostolorum tuorum, ut etiam illorum qui inter eos recenseri meruerunt.

Elevans vocem. Nos etiam robora, ut gloriose perficiamur in scientia vera, et conscientia sincera: ut ea ratione similes effecti sanctis tuis, qui tibi vivunt, et apud te custoditi, cum illis referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Patrum sanctorum et beatorum, qui spiritualiter nos genuerunt, educaverunt, et aluerunt, in omni timore Dei.

Elevans vocem. Eorum qui doctores veri fuerunt Ecclesiae tuae sanctae, et a seductionibus erroris, eam converterunt, et vias rectas ad vitam immortalem, illi demonstraverunt: numeratos igitur inter ordines eorum fac nos, ut cum illis et inter illos referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Miserere et parce Domine per hoc sacrificium, omnibus defunctis fidelibus, qui pridem decubuerunt, cum spe tua, in fide Orthodoxa.

Elevans vocem. Omnes aspiciens cum misericordia, tanquam conditor animarum et corporum illorum. Acceptas igitur habe istas oblationes, quae pro illis tibi offeruntur: et praesta illis bona promissa diligentibus Christum tuum; per quem, et cum quo misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum quae propter eum est, et nobis et illis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Propitius igitur esto omnibus iniquitatibus nostris et illorum Domine, neque in memoriam revoces crimina quae a nobis et ab illis commissa sunt: verum rege nos in hoc saeculo liberos a judiciis et angustiis, et in futuro fac nos pervenire ad habitacula lucis, gaudii et laetitiae: ut hic et illic glorificemus, laudemus, veneremur et extollamus nomen tuum valde honorandum et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Postea frangit Oblatam et signat dicens: Credimus.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Princeps magne et Pater vere utriusque saeculi, Domine, qui nos ex nihilo eduxisti, ut essemus, et vias rectas salutis, per Filium tuum unigenitum docuisti nos: tu nunc etiam per gratiam tuam compatiens nobiscum Domine, sanctifica mentes et linguas nostras, eo fine ut pure invocemus te Deum Patrem omnipotentem, sanctum, oremusque et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Semper esto armatura nostra, Domine: auxiliator, et adjutor; et a tentationibus praeservator et liberator: quia tuum est regnum, et potestas et laus, unigenitique Filii tui, et Spiritus tui, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Adorande qui ter adoraris, et sancte glorificaris, sanctifica Domine animas et corpora eorum qui coram te inclinati sunt, ut sancte mysteriis istis communicemus, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.
Diaconus. Unusquisque cum timore.
Sacerdos. Sancta sanctis.
Populus. Unus Pater sanctus, etc.

Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.

Omnem laudem indeficientem, gratiae tuae inenarrabili offerimus Domine: qui per susceptionem hujus mysterii illuminasti animas nostras radiis spiritualibus divinitatis tuae. Praesta nos igitur incolumes ab igne illo inextinguibili, per istud convivium: et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Post.
Sacerdos. Domine custodi populum tuum fidelem, et salva nos omnes ab omni timore et tremore: tranquillitatemque et pacem concede nobis omnibus, benedictionesque bonas, gaudia et exultationem: ut pro omnibus retribuamus tibi gloriam, laudem, exaltationem et gratiarum actionem, Deoque Patri genitori tuo, et Spiritui tuo sancto, nunc, etc.
Populus. Amen.
Diaconus. Benedic Domine.
Sacerdos. Benedic nobis omnibus.
Diaconus. Benedicam Dominum.

IN LITURGIAM S. EUSTATHII

NOTAE.

1. *Eustathii Antiocheni.*

Celeberrima est non modo inter Jacobitas, sed apud Orthodoxos Eustathii Antiocheni, qui Nicaeno Concilio interfuit, memoria: neque magis ad *Soz. l. 1. c. 2. et 17.*

LITURGIA
S. JOANNIS CHRYSOSTOMI.

Primum Oratio ante Pacem.

Domine Deus omnipotens, nomen magnum et sanctum, excelse, laudande et mundum potestate complectens, qui ab illis omnibus qui adversantur voluntati divinitatis tuae, salvas illos qui recte glorificant te; nobis quoque servis et adoratoribus tuis praesta, Domine, ut ab omni fraude diaboli, et ab omnibus cogitationibus dolosis Judae procul facti, caritatique tuae divinae adhaerentes, amplectamur invicem in osculo sancto, dominico, et cum humanitate. Dignare etiam ut omnibus diebus vitae nostrae pacem loquamur, pacem operemur, et digni efficiamur bonis tuis coelestibus, et aeternis: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et potentia, cum Spiritu tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Populus. Dignos effice nos.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Tu enim es summus excelsus et mirabilis, atque a creatis omnibus absconditus. Tu es pax, et iratorum conciliator, veniae largitor: insipientium magnus consolator, laetificans afflictos. Aperi, Domine, ostium misericordiarum tuarum supplicationibus nostris, et suscipe deprecationes nostras juxta multitudinem gratiae tuae. Fac nos filios tuos et haeredes regni tui aeterni, per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Adorande qui ab Angelis benediceris et sanctificaris, et ab hominibus terrenis celebraris et exaltaris, quique ab omnibus creaturis cum timore et tremore adoraris et glorificaris; aspice, Domine, famulos tuos, qui nunc te invocant, et da illis, ut cum puritate animae et sanctitate corporis offeramus tibi orationes puras, oblationesque acceptabiles: et fructus labiorum nostrorum sint ad beneplacitum et voluntatem divinitatis tuae, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae.

Sacerdos. Caritas Patris.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere digne et justum est, ut tibi gratias agamus: adoremus, glorificemus, laudemus et exaltemus, honore afficiamus, jubilemus, benedicamus et sanctificemus unam majestatem Trinitatis sanctae, ejusdem substantiae, et adorandae in tribus personis, Patris, Filii, et Spiritus sancti, neque enim laude nostra indiget majestas tua, Domine, neque nostra gratiarum actione opus habes.

Elevans vocem. Sunt enim tibi laudatores innumeri, et virtutes excelsae infinitae, Cherubim congregati, Seraphim praeclari milleni, et congregatio innumerabilis: multitudines et agmina quae supputari non possunt: ordines expansi ignis devorantis: virtutes mirandae carbonis ardentis, legiones absconditae quae sustinent currum Cherubim, cujus conversiones infinitae sunt: turmae Seraphim, quae alarum suarum sonitu superliminaria commovent: multitudo praeclara, quae e medio prunarum ardentium, motu suo percipitur: mille millia quae stant coram te, et myriades myriadum quae laudant essentiam tuam: et una voce nitida, unoque concentu amabili, cantu suavi, linguisque materiae expertibus, clamant alter ad alterum, laudibus aeternis vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Voces Domine, Seraphim essentiam tuam explicant: turmae Cherubim absconditam naturam tuam benedicunt:

agmina Archangelorum te adorant. Gloria sit tibi, qui magnificasti genus nostrum infirmum, et adjunxisti coetibus spiritualibus laudantium te. Tu Domine per miserationes tuas multas, misisti Filium tuum dilectum ad salutem nostram, ortusque est ex Virgine sancta, tanquam nictu oculi purissimi, suscepitque similitudinem servi, cum esset vere filius majestatis tuae. Factus est homo, sicut ipse voluit, ut nos Deos faceret, quemadmodum illi placitum est. Natus est ex utero carneo, ut regeneraret nos ex utero spirituali. Factus est nobis frater per gratiam suam, ut faceret nos filios tibi, pater coelestis. Extulit nos ab humili servorum conditione, deditque nobis honorem haeredum. Abstulit a nobis servitutem mercenariorum, constituitque nos in gradu filiorum, et dedit nobis pignus adoptionis, quo te Pater vocaremus patrem nostrum confidenter.

Elevans vocem. Non boves saginatos offerimus, neque agnorum, haedorum, aut vitulorum ad cornua altaris sanguinem aspergimus, aut coronas, balteos aut Ephod praecingimus. Venit enim corpus pro similitudine, scilicet unigenitus Filius tuus, qui persona propria praestitit mundationem peccatorum nostrorum, per sanguinem suum pretiosum qui effusus est pro nobis. In nocte si quidem illa qua traditus fuit ad mortem, pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas, aspexit ad te, Deus Pater, et gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † et fregit, deditque discipulis suis Apostolis sanctis dicens: Accipite, edite ex eo: Hoc est enim vere corpus meum, quod pro vobis, et pro multis frangitur et datur, in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Sacerdos. Similiter et calicem postquam coenaverunt, accipiens vino et aqua moderate et ordinate miscuit, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † et dedit iisdem discipulis suis, Apostolis sanctis, dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic enim est sanguis meus vere, ipse qui pro vobis et pro multis effunditur, et datur in remissionem peccatorum et vitam aeternam: hoc facite in mei memoriam. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem hunc bibetis, mortem meam annunciabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine.

Sacerdos. Quis possit enarrare magnificentiam tuam excelsam et aeternam, o Verbum Dei: et exinanitionem tuam voluntariam pro nobis, quis comprehendat? Quis noverit enarrare nativitatem tuam mirabilem ex Virgine, illasque passiones voluntarias, immeritas et

salutares quas pro nobis sustinuisti, et passus es, quis compenset? omnemque dispensationem tuam salutarem propter nos, quis adorare et celebrare sufficiat? Te igitur deprecamur, Domine, optime et amator hominum, ut suscipiatur oblatio ista quam offerimus, coram majestate tua, super altare tuum spirituale, quod excelsius coelis est, in habitaculo Angelorum, inter sanctorum conventus, in loco divinae tuae praesentiae, in tabernaculo primario secreti tui: ut per illam digni efficiamur propitiatione delictorum et remissione peccatorum. Et cum veneris ad judicandum vivos et mortuos, non intres in judicium cum servis tuis, non afficiat nos confusio in conspectu tuo; non abneges nos neque dicas nobis, Nescio vos, in hoc ipso die magno et terribili judiciorum. Non extra projicias nos ad portam gehennae, in locum fletus, et stridoris dentium; sed respice Domine misericors, ad infirmitatem et paupertatem nostram, propter nomen tuum sanctum, quod invocatum est super nos. Et sicut digni facti sumus per gratiam tuam dono corporis et sanguinis tui propitiatorii, dignare ut tecum simus unum, per sanctitatem, sicut tu unus es per essentiam cum Patre tuo et Spiritu tuo. Atque propter haec Ecclesia tua sancta et haereditas tua poenitens deprecatur te, et per te et tecum patrem tuum dicens.

Pŏpulus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Laudamus.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Per supplicationem ad te factam, Domine Deus pater omnipotens, Spiritus tuus et virtus tua sanctificatrix requiescat super hoc sanctum, et sanctificet oblationes istas, et illabatur, resideat, et habitet super panem hunc, et super hoc vinum, et fiant unum corpus et sanguis unigeniti Filii tui, per virtutem tuam et Spiritus tui vivi et sancti.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Corpus quidem hoc Christi Dei nostri, fiat in pignus vitae futurae, corpus bona illa novies multiplicata conferens, quae promissa sunt: corpus ad delicias illas coelestes quae expectantur praeparans, ad innovationem animarum corporumque nostrorum, ad emundationem omnium sordium carnis et spiritus; ad praeservationem nostram ab omni operatione maligni hostis nostri, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, sanguis Christi Dei nostri, fiat propitiatorius delictorum et peccatorum quae commisimus: sanguis vivificans suspicientes illum, vita nova indeficienti; sanguis dirigens ad portus tranquillos, et habitacula lucis praeparata: ad innovationem animarum corporumque nostrorum, ad emundationem ab omnibus sordibus carnis et spiritus, ad praeservationem ab omni operatione maligni hostis nostri et ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Da et concede nobis per miserationes tuas magnas, Domine, ut animabus ille corporibusque nostris commistus, prosit ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum, abstersionemque omnium perversitatum, ad delicias quae cum sanctis tuis sunt, consequendas, et ad vitam aeternam. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Offerimus coram te, Domine, Deus oblationem hanc puram et sanctam, pro Ecclesia tua Catholica, et Apostolica, quam acquisivisti, quae in tua spe consistit, et regnum tuum expectat: ut per crucem tuam salutarem conservetur, et benedicatur. Congrega filios ejus, in unam concordiam, caritatem et fidem in te. Memento, Domine, venerabilium Episcoporum Orthodoxorum, Patriarchae nostri Domini N. et Domini N. et reliquorum omnium Episcoporum Orthodoxorum. Doce illos verbum veritatis, quod recte dispensent: et pascant gregem tuum, illis a te commendatum, pie et sancte. Da illis Domine, senectutem longaevam in praeclara gubernatione, ut perficiant voluntatem tuam. Memento, Domine, Sacerdotum venerandorum, Diaconorum modestorum, Subdiaconorum cástorum, omnisque plenitudinis, et Ordinis Ecclesiastici. Da illis, Domine, virtutem ad resistendum adversus omnes insidias, et artes diaboli, et dirige illos ad omne opus quod Ordini illorum conveniat. Memento etiam, Domine, infirmitatis animae meae morbidae, neque avertas faciem tuam, aut elongeris a me. Et quando quidem pro ultima illa peccatorum remissione te deprecor, non sicut errans aut projectus a tua praesentia sim; sed fac mecum secundum misericordiam tuam; adjuva infirmitatem meam, neque recenseas mihi insipientias meas. Memento, Domine, Regum, et subditorum, qui in nomen tuum crediderunt, illorum etiam qui bellis, pugnis et periculis conflictantur. Libera et praeserva nos, Domine, a fame, bellis, captivitatibus et effusione sanguinis justi, et a depraedatione per

manus gentium barbararum. Memento, Domine, pauperum, male habentium, orphanorum, viduarum, afflictorum, aegrotantium, et eorum qui a malignis spiritibus infestantur. Tu enim, Domine, conservator vitae illorum es, et necessitatibus illorum opitulator.

Elevans vocem. Deus celsitudine abscondite, et majestate laudande, quem exercitus, agmina, et coetus omnium, tam coelestium quam terrestrium laudant, quique voluisti, ut ministerium hoc pium et sacerdotale, per potestatem tuam Deo dignam perficeretur, et praestitisti nobis ut cum Episcopis, et sacerdotibus tuis staremus coram te et tibi ministraremus: complaceat tibi etiamnum Domine primarie pastor, et confortator animarum nostrarum, in pastoribus illis qui in capite populi tui stant, et tranquillitatem et pacem Ecclesiarum illarum sanctarum concede; ad perficienda praecepta tua sancta et vivifica: ut super fundamentum fidei Apostolicae, stabiliti et fundati, annumerentur ovili tuo superno, et vitae aeternae. Praesta nos omnes dignos communicandi operibus eorum, eosque aperta facie intuendi, in adventu unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et potestas cum Spiritu tuo sancto, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, omnium fratrum nostrorum fidelium, eorum qui propter nomen tuum fecerunt et faciunt omnia bona in omni regione, et communicaverunt, communicantque egenorum necessitati, subveniuntque egestati omnium pauperum, peregrinorum, et afflictorum. Nunc in praesenti vita retribue illis bona, et illic cum fidelibus defunctis vitae aeternae haeredes efficiantur.

Sacerdos elevans vocem. Da et concede per misericordiam tuam multam, praeclara dona, bonorumque affluentiam, omnibus illis qui communicant necessitatibus pauperum et praeclaris operibus cujuscumque generis in Ecclesia tua sancta conspicui sunt. Auge ignem caritatis tuae in animabus omnium nostrum, et aufer a nobis omnes vepres delictorum, et spinas amaras peccati. Per te qui es lux et vita vera, illustremur et vivamus: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria et honor. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Deus qui bonitate laudandus es, et incomprehensibilitate excelsus, Dominus omnis naturae nostrae creator et curator omnis creaturae intelligibilis, et sensibilis, ex te enim pendet cura, et conservatio vitae illorum. Omnes etiam virtutes

materiae expertes, naturae illae absconditae, et ignes superni, contemplatione tua divina perpetua delectantur, et a te proveniunt omnia auxilia illis qui ad imaginem tuam regiam ex illorum numero, juxta id quod tibi placitum est, creati sunt.

Elevans vocem. Pacem concede per misericordiam tuam regnis Domine, ut nos pauperes, in tranquillitate vivamus: benedic revolutioni annorum per circulum. Foecunda illos pluvia, rore, aëris temperie et serenitate, omnibusque fructibus benedictionum, quia tu altor bonus, suavis et misericors es, bonorumque omnium largitor, et tibi gloriam et laudem referemus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Patriarcharum, Patrum sanctorum, Prophetarum, Apostolorum, Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorumque sanctorum. Praecipue vero sanctae, et gloriosae semper Virginis Beatae Mariae; et B. Joannis, nuncii, Baptistae, praecursoris, et desponsatoris Ecclesiae tuae sanctae; et sancti gloriosique Stephani principis Diaconorum et protomartyris, omniumque qui placuerunt nomini tuo et te confessi sunt.

Elevans vocem. Domine Domine sanctissime, et qui solus bonus es, qui a legionibus ignis et spiritus motu magno terribiliter benediceris, et sanctificaris, nosque infirmos et terrenos dignatus es sacerdotali munere, non quod digni essemus, ad mysterium hoc magnum et coeleste accedendi: sed per miserationes tuas, eos qui a te cognominantur, nos inquam, dignos fecisti, illo quod desiderant Angeli prospicere: quamvis multiplici peccatorum genere impliciti, et a cognitione vera divinitatis tuae alieni facti fuerimus; ad dilectos et dignos qui intercedentes suscipiantur, accedimus; omnes scilicet sanctos, qui a saeculo tibi placuerunt, qui in laboribus, sudoribus, et aerumnis agones suos perfecerunt: ut per orationes eorum acceptabiles laqueos peccati a nobis solvas, et a decipulis, laqueis et scandalis futuris per te liberemur; ut cum illis et inter illos, et juxta illos in agminibus eorum, referamus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, illorum qui propius ad Deum accedunt, et res divinas enunciant: illorum qui thesaurus, lumen et fundamentum Ecclesiae sunt, Doctorum, vel curam habentium gregis tui rationalis, et illorum qui pie paverunt et rexerunt, oves emtas sanguine pretioso unigeniti Filii tui; qui a Jacobo prin-

cipe Episcoporum, Apostolo et Martyre ad hanc usque diem, verbo doctrinae Ecclesiam tuam sanctam illustraverunt. Praecipue vero SS. Patrum, Ignatii, Dionysii, Julii, et reliquorum Apostolorum sanctorum, Pastorumque verorum.

Elevans vocem. Mentem prudentissimam, et regimen superne concreditum habuerunt, patres nostri pii et beati, ab illo pastorum principe et institutore confessionis nostrae, donisque: spiritus instructi, converterunt prorsus mentem suam, et rectitudinem fidei orthodoxae suscipere digni facti sumus. Illi ergo legis vitae institutori, et praeclarae de caritate sententiae, suaviter per cordis puritatem nos offeramus; et ad mentem puram, cursu bonae cogitationis, in illa consistentia regali praeparemus nos: et ad thronum illum regalem, circumquaque illis adhaerendo respicientes, oculo interiori, laudes materiae expertes illuc mittamus: neque socorditer, aut mendaciter, in semitis beatorum illorum Patrum nostrorum curramus. Maxime vero ad supernum illud altare purum, attente oculis intellectualibus convertamur, et aspiciamus: casteque, nec impure, laudationem aeternam referamus Trinitati absconditae, neque mente comprehensibili, ejusdemque substantiae Patris, Filii et Spiritus sanctissimi.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Sacerdotum Orthodoxorum, Diaconorumque tuorum, Subdiaconorum, Devotorum, saecularium et omnium defunctorum, qui ex hoc altari, aut ex omni loco, vel parte defuncti sunt: patrum etiam fratrumque nostrorum, tam secundum Spiritum quam secundum corpus: quiescere illos jube in habitaculis tuis coelestibus, cum omnibus sanctis tuis, nosque illorum orationibus adjuvemur.

Elevans vocem. Et illorum qui cum puritate cordis, et sanctitate animae et corporis, ex saeculo isto egressi sunt et ad te Deus pervenerunt. Illorum qui ab Adam primo, et protoplasto figmenti nostri, in omnibus generationibus, placuerunt coram te, et te confessi sunt, speraveruntque, et expectaverunt manifestationem unigeniti tui, desideraveruntque videre diem illius magnum et praeclarum. Illorum etiam qui ex sinu spirituali baptismatis splendide te induerunt, et in nomen tuum crediderunt. Quietem illis praesta in habitaculis tuis coelestibus, in paradiso deliciarum, in tabernaculis lucis, in locis quietis. Neque Domine, intres cum illis in judicium, quia non justificatur in conspectu tuo omnis vivens: unus enim est

qui visus sit super terram purus et absque macula, unigenitus Filius tuus: per quem nos etiam speramus misericordiam consequi, et remissionem peccatorum propter illum, et nobis et ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos inclinatus. Exime Domine animas, corpora et spiritus nostros, ab omni genere infirmitatis perniciosae, et sarcinis gravibus peccati. Dirige gressus nostros in semitis mandatorum Evangelicorum et vivificantium, et da nobis ut simus tibi populus sanctus, congregatio salvata et regale Sacerdotium.

Elevans vocem. Ut qui jam plene sumus a te perfecti, per sacrificium hoc pium innoventur animae et corpora nostra: dignos effice nos gaudiis Angelicis, tripudiis spiritualibus, et choreis laetitiae: cum beatis viris illis simul vivamus et laetemur: ut cum illis et inter eos glorificemus et laudemus nomen tuum, gloriosissimum et benedictum, ut etiam Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Benedictiones sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit Oblatam et signat. Mox dicit Orationem ante Pater noster.

Domine noster et Deus misericors, qui es ultra tempora et mentes, et superior omnibus principatibus et ordinibus excelsis et coelestibus: qui per gratiam et misericordiam tuam vocasti nos, et addixisti nos servituti beatae, et deliciis paradisi Eden. Sed cum inexcusabiles mansissemus, et mandata tua dominica audacter conculcantes, et transgressi ideo morte damnati essemus, unigenitum Filium tuum, et splendorem substantiae tuae misisti ad salutem nostram. Is omnem dispensationem suam salutarem pro nobis perfecit; mandataque salutaria, et leges vivificantes nobis proposuit, ut in illis ambularemus, graderemurque; et perveniremus ad te, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis. Et nunc domine Deus, da nobis, ut advolent preces nostrae infirmae, per alas amabiles

gratiae tuae, usque ad gloriam solii regni tui, pureque, sancte, facie revelata, et cum fiducia in te stemus coram te, et glorificemus te: atque linguis exultatione et gaudio plenis, orationem illam magnam et dominicam, quam unigenitus Filius tuus Apostolos suos sanctos docuit, recitemus et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Domine misericors rogamus te et deprecamur misericordiam tuam: praesta nobis omnibus per gratiam tuam, ut in nobis infimis et terrenis, sanctificetur nomen tuum gloriosum et sanctum: et veniat regnum tuum, ad auxilium infirmitatis nostrae; requiescatque voluntas tua et permaneat in animabus nostris, quemadmodum in exercitibus sanctis et coelestibus. Libera etiam nos Domine, ab omnibus tentationibus gravioribus, quae vires nostras superent: et eripe adoratores tuos ab omnibus molitionibus et insidiis perniciosis diaboli: quia tuum est regnum, et potestas et laudatio, simulque unigeniti Filii tui, et spiritus tui sanctissimi.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Domino capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Domine Deus bone et amator hominum, propitius et multae misericordiae, respice illos omnes qui inclinaverunt capita sua coram majestate tua, et benedic iis benedictione tua spirituali, et inauferibili. Neque repellas nos Domine, cum accedimus ad sancta tua divina et immortalia: neque simus rei corporis et sanguinis unigeniti Filii tui per cogitationes odiosas cordium nostrorum; sed cum puritate, et absque macula dignos fac communicandi mysteriis tuis sanctis, coelestibus, vivificis et terribilibus: atque per illa consecra animas nostras et corpora nostra in habitaculum divinitatis tuae, et referemus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Miscericordiae Dei.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.
Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.

Quid nobis est, quod retribuamus tibi Domine, pro omnibus beneficiis tuis erga nos et propter omnia dona tua, et beneficia tua et benefacta tua erga nos: qui dignos fecisti nos communicandi corpori unigeniti Filii tui, et suscipiendi calicem salutis, sanguinem ejus pretiosum et salutarem. Nunc autem Domine bone et amator hominum, quemadmodum vocasti, et adduxisti nos ad has delicias beatas et vivificantes, dignare ut misceatur corpus unigeniti Filii tui, corporibus nostris, et commisceatur sanguis ejus animabus nostris, sitque nobis ad veniam delictorum, remissionem peccatorum, viaticum vitae aeternae, diaboli depulsionem, et sanctificationem corporum et animarum: quia tu benedictus es, o Deus, et sanctum regnum tuum, tibique gloriam referimus et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Post, etc.
Populus. Coram te.
Sacerdos. Coram te Domine, humiliamus mentes, cogitationes et animos nostros, omnemque compagem corporum nostrorum, commendantes tibi animas nostras: orantes te, et deprecantes misericordiam tuam; ut requiescat super nos dextera tua magna, invisibilis, omnibusque benedictionibus plena. Adjuva et custodi nos omnes, benedic et sanctifica nos omnes: salva et serva nos omnes: per crucem tuam salutarem et vivificam: referemusque tibi gloriam et gratiarum actionem, et Patri tuo, et Spiritui tuo vivo et sancto, nunc et semper et in saecula saeculorum.
Populus. Amen.
Diaconus. Benedic Domine.
Sacerdos. Benedic omnibus.

IN LITURGIAM
SANCTI JOANNIS CHRYSOSTOMI
NOTAE.

1. Duas nomine S. Joannis Chrysostomi Liturgias Syriacas habemus. Istam, cui primum hac in Collectione locum assignare visum est, quod in Codicibus Mss., uno praesertim satis vetusto et optimae notae Colbertino, eo cum titulo reperiatur. Illa vero quae in Missali Chaldaico Romae edita est, sub nomine Chrysostomi, in paucis admodum Codicibus reperitur, neque sancto illi Doctori tribuitur. Eos porro sive Maronitas, sive alios qui Romanae editioni operam dederunt, non bonos Codices habuisse, multorum quos tractavimus comparatio nos docuit, atque ita ea quam Joannis Chrysostomi nomine excuderunt Liturgia, alteri Joanni Harranitae potius tribuenda est, ut vocatur in quibusdam exemplaribus: is vero recentior aliquis Jacobita fuit. Neutra porro quidquam habet cum Graeca Chrysostomi Liturgia commune, nisi generalem illam quae in omnibus Orientalibus Officiis observatur Eucharistiae celebrandae formam. Singulare est in ista, quod a tribus Graecis vocibus incipit *Κύριε ὁ Θεὸς παντοκράτωρ*, quae si Graecae originis indicium dant, at illud est levissimum, et ad omnes quae Graece extant Liturgias aeque pertinet, cum plurimae Orationes idem initium habeant. Ipsa etiam lingua Syriaca maximam Graecarum vocum multitudinem recepit, non modo in rebus sacris, sed etiam in aliis: unde insignis apud Syros Lexicographus Isa-bar-Bahlul, quod illarum magnam copiam interpretatus fuit, maxime inter suos commendatus est. Titulorum autem, qualis est huic Liturgiae adscriptus, ratio ad antiquitatem stabiliendam nulla est, ut jam alibi fusius diximus: ad autoritatem comparandam non magis valent, nisi usus similium Officiorum constet. Istud vero cum agnoscatur a Jacobitis, et in illorum antiquis Codicibus reperiatur, aequalem habet cum reliquis dignitatem.

2. Singularis est haec Invocationis Spiritus sancti formula. *Spiritus tuus et virtus tua sanctificatrix, requiescat super hoc sanctum, et sanctificet oblationes istas: et illabatur, resideat et inhabitet super hunc panem et super hoc vinum, et fiant unum corpus et sanguis unigeniti Filii tui.* De verbis *requiescat, resideat, illabatur, inhabitet,* dictum est tam ad Basilii Copticam, quam ad Jacobi Syriacam Liturgiam, et si quando in aliis quidquam a communi stilo remotius, aut nova quaedam significatio se offert, explicabitur. Cum vulgaris in aliis lectio sit, et cum de Spiritu sancto verba sint, ita continuentur, et *faciat, efficiat, demonstret, perficiat, panem quidem hunc, corpus Christi, calicem, sanguinem Christi,* hic legitur aliter: nempe, *ut fiant unum corpus et sanguis.* Usurpatur quoque verbum, *Sit:* adeo ut rigidiuscule

verti possit *ut sint.* At verbum substantivum Syrum הוא et Hebraicum היה eamdem significationem habent. Itaque ut in istis verbis Geneseos. *Fiat lux et facta est lux*, putida dudum visa est eruditis eorum interpretatio qui maluerunt, *sit lux et fuit lux*: pari ratione consultius existimavimus *fiant*, quam *sint* interpretari.

Unum corpus et sanguis fiunt et sunt panis et calix: quia licet in duplici specie, Sacramentum unum est, sicut corpus Christi unum est, et non modo in unitate personae, quod Catholica docet Ecclesia, sed in unitate naturae, ut profitentur Jacobitae quorum propria est haec Liturgia: ita ut nempe, sicut alibi explicatum est, corpus sit, sanguinis qui est in calice: sanguis sit, corporis in disco positi, quod brevi confessione Jacobitae paulo ante susceptionem Eucharistiae, agnoscunt.

In sequenti Invocationis parte, cum in aliis formulis habeatur, *et panem quidem istum efficiat*, seu *perficiat corpus Christi, et sit nobis ad remissionem peccatorum, etc.* in ista *Corpus quidem hoc Dei nostri, fiat* vel *sit, in pignus vitae futurae, etc. et mistum quod est in hoc calice, sanguis Christi propitiatorius, sit* vel *fiat in remissionem peccatorum, etc.* Ex ista lectionis diversitate, si quis conjiciat, autores Liturgiae credidisse, antequam Invocatio pronuncietur, jam panem esse corpus, et vinum sanguinem Christi, non erit admodum repugnandum. Neque enim quibus haec conjectura displiceret, habent aliquid quo se tueantur, nisi quod Invocationis verba prout leguntur alibi, contrariam sententiam continere videantur: tum etiam judicio nostratis Critici, Orientales sola Invocatione consecrationem perfici contendent. Sed ut alibi fusius et accuratius expositum est, Orientales nullam verbis Dominicis virtutem consecrandi tribuere, et illa non necessaria existimare, probari non potest, cum ipsi contrarium affirment. Neque idcirco injuriam verbis aut corpori Christi fieri, credunt, quod orent super dona jam consecrata, ut Graecae et Orientales omnes Ecclesiae, Latinae quoque veteres iisdem prope verbis fecerunt. Verumtamen omnes reliquas Liturgias ex ista unica et rarioris usus reformandas esse, non est existimandum, neque enim discrimen inter istam et alias tale intercedit, quale statim rem non satis accurate perpendenti videri potest. Nam quod in posteriori Invocationis parte desideratur: occurrit in priore, neque enim illa verba, *ut inhabitet super panem et vinum, fiantque unum corpus et sanguis,* minus significant quam ista, *et panem hunc faciat corpus: calicem sanguinem Christi*, quae leguntur in aliis. Neque si rigidius agatur, orari potest ut *Spiritus sanctus illabatur et inhabitet super corpus Christi*, in quo *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:* neque fieri, quod jam factum est, corpus Christi. Verum haec simpliciter religioseque tractanda sunt: neque committendum ut ex levibus ejusmodi argumentis, quae ex aliqua contrariae locutionis umbra deducuntur, traditionis omnium Ecclesiarum rivos, in Eucharistiae doctrina ubique limpidissimos, temere conturbemus.

LITURGIA
SANCTI JOANNIS
QUAE IN MISSALI CHALDAICO CHRYSOSTOMO TRIBUITUR.

Oratio Pacis.

DEUS magne et aeterne qui es tranquillitas et pax, caritas et fons misericordiae, da pacem, Domine, Ecclesiae tuae, et custodi mundum per gratiam tuam, et referemus tibi gloriam et laudem, et Filio tuo unigenito, et Spiritui sancto.

Diaconus. Demus pacem, etc.

Sacerdos. Mitte, Domine, misericordiam tuam et extende dexteram tuam plenam benedictionibus, benedicque servos tuos, qui nunc inclinati sunt coram majestate tua, et referemus tibi laudem, etc.

Sacerdos. Confirma nos, Domine, ut offeramus tibi sacrificium hoc spirituale et incruentum, pro peccatis et insipientiis gregis tui, ut deleas et auferas iniquitates nostras, et referemus tibi gloriam, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas, etc.

Inclinatus. Tibi rex mundi, Deus Pater, cum Filio, et Spiritu sancto, juste debetur omnis gratiarum actio.

Elevans vocem. Omnes Ordines et agmina, exercitusque coelestes, Angeli et Archangeli, Cherubim et Seraphim, Throni et Dominationes invisibiles et innumerabiles, indesinenter laudantes et celebrantes, oribus incorporeis, vocibusque inenarrabilibus, hymnum triumphalem canentes, clamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Vere Sanctus es, Deus Pater, et Spiritus sanctus tuus, qui perpetuo sanctificatur cum Filio tuo sancto Domino nostro Jesu Christo.

Elevata voce. Qui pro nobis caritate sua incarnatus est, et propter salutem nostram exinanitus est voluntarie, et in carne passus est. In nocte vero passionis accepit panem in manus suas sanctas,

Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Miserationes Dei sint, etc.
Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus potens et magne, qui per amorem tuum erga homines, vocasti, et adduxisti nos ad donum hoc divinum, per quod, Pater, glorificamus te, et Spiritum sanctum adoramus, et orationem dominicam, quam docuit nos Filius tuus unigenitus canimus; puris mentibus, lingua abstersa, cum puritate corporis, et animae, quae fiducia instructa sit, audebimus invocare te Deum coelestem, orabimus, et dicemus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Pater bone et misericors, qui praestitisti nobis ut filii tui vocaremur: eripe nos a tentationibus gravissimis, et libera nos a maligno, omnique potestate ejus, et a machinationibus hominum improborum et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Inclinate capita vestra.

Sacerdos. Rex magne et omnipotens sub cujus imperii sceptro omnes creaturae inclinantur, mitte benedictiones tuas super Ecclesiam tuam sanctam, quae nunc inclinatur coram te, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Sit gratia.
Diaconus. Cum timore.
Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos dicit Orationem Gratiarum actionis.

Gratias agimus tibi Deus et confitemur nomini tuo, quod nos licet indignos, fecisti dignos hoc dono divino corporis et sanguinis unigeniti Filii tui, et referemus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum, etc.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos. Jesu Christe Deus noster, qui per voluntatem tuam, et Patris tui, et Spiritus tui sancti pro nobis immolatus es, et cibasti nos corpore tuo vivo, et sanguine tuo propitiatorio potasti nos, confirma nos in caritate tua: imple nos timore tuo: funda in nobis fidem tuam: orna nos vitae ratione inculpabili, et dimitte delicta nostra defunctorumque, ut perpetuo et omni tempore glorificemus te, et Patrem tuum, et Spiritum tuum sanctum, nunc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine, etc.

Sacerdos. Benedic omnibus.

Diaconus. Benedicam Dominum.

IN LITURGIAM
JOANNIS CHRYSOSTOMI II.
NOTAE.

1. Titulus hujus Liturgiae, ut alii plerique, ad conciliandam ei ex Joannis Chrysostomi nomine dignitatem momenti nullius est, cum ut superior, ne levem quidem notam habeat similitudinis cum Graeca, nisi generalis illius omnium Officiorum Orientalium inter se, circa praecipuarum Orationum sententiam conformitatis. Sed titulos hujusmodi frequenter adjunctos videmus in Codicibus Mss. ut in Romana editione, quae hanc Liturgiam Chrysostomo tribuit, cum in Mss. nonnullis alteri Joanni tribuatur qui et Harranita vocatur. An patriam ejus designet is titulus, an Episcopalem dignitatem ejus urbis, nescimus. Fuit sane Harran, quam Graeci Charras vocant, urbs in historia celebris, praesertim clade Crassi: et in ea Jacobitae Episcopum habuerunt a multis saeculis. Frequenter porro Jacobitae, aut per ignorantiam, aut fraudis faciendae proposito, nomina Divorum aut Patriarcharum suorum, quorum apud alios Christianos memoria non bona erat, aliis commutaverunt, quod saepe

factum, ab illis praesertim qui in Europam venientes, Codices suos Liturgicos deferebant. Ita Jacobi Baradaei nomen in Codice Seguieriano mutatum est, et Nisibeni substitutum: Dionysio Atheniensi tributa in Editione Missalis Liturgiae, quae Dionysii Barsalibi Amídeni Episcopi fuit: atque ita de aliis aliquot. Quisquis porro autor fuerit istius, Jacobitis propriam fuisse, unico sed indubitato argumento constat, commemoratione scilicet trium Synodorum: quae formula illis frequentissima, certam abjurationem continet Calchedonensis quartae, et doctrinae ab eadem adversus Monophysitas stabilitae.

2. Verba Christi recte se habent, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur* *διδόμενον* ut Graece legitur: nec vulgo adjunctum in reliquis Liturgiis *κλώμενον*, in ista reperitur, quod verborum efficaciae non nocet. In Invocatione usurpatur vox נחוא quam Graecae *ἀναδείξῃ* respondere probatum est, in Notis ad eumdem locum Liturgiae S. Jacobi. Et illa quidem dicitur de pane Eucharistico: de calice נגמור *τελειώσῃ perficiat*, sive *consecret*. Quae ad sententiam Orationis spectant alibi satis explicata sunt: ut etiam quae ad ritus caeteris similes.

LITURGIA

SANCTI MARUTAE CATHOLICI

SIVE METROPOLITAE TAGRITENSIS.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus bone natura, largitorque tranquillitatis et pacis, da et concede Ecclesiae tuae pacem et tranquillitatem inamissibilem. Pacifica iratos inter oves tuas, et concilia divisos pascuae tuae: ut tranquillitatem quae a te est, o tranquillitatis amator, tanquam anchoram fidei in animabus nostris teneamus. Apprecemur pacem mutuam cum osculo fidei: simusque unum aedificium perfectum, et una compages spiritualis: per Dominum nostrum Jesum Christum, unigenitum Filium tuum, cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo, et bono, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Et populum tuum orthodoxum, qui coram te cum timore inclinatus est, dignare Domine benedicere benedictione tua inamissibili, et praepara eum, ut inculpatus accedat ad mensam hanc divinam: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, cum quo te decet, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Domine Deus omnipotens, cui soli proprie competit principatus et sanctitas, susceptor sacrificiorum et oblationum, conforta nos imbelles et inutiles, qui tamen audemus accedere ad altare tuum sanctum, cum spe misericordiae tuae infinitae. Praesta nobis, o benignissime, ut cum omni puritate, sanctitate et timore offeramus tibi sacrificium hoc incruentum; referemusque tibi gloriam et laudem, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem, etc.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Quam decet ut gratias agamus tibi! quam justum est ut glorificemus! quam debitum ut semper laudibus celebremus divinitatem tuam, Pater, Fili, et Spiritus sancte.

Elevans vocem. Quem glorificant, laudant, adorant et exaltant omnes creaturae quae fuerunt, et quae sunt: utraque Ecclesia superiorum et inferiorum, agmina Prophetarum, turma Apostolorum: theatrum Martyrum: congregationes solitariorum: cantica suavia Angelorum: laudes aeternae Potestatum: benedictiones Cherubim: sanctificationes Seraphim. Illi quoque nos imbelles et pauperes, offerimus Doxologiam trinae sanctificationis, divinitatemque ejus incomprehensibilem, infinitam, et ininvestigabilem deprecamur et obsecramus supplicabundi, ut suscipiatur et adjungatur cum laudibus omnium potestatum coelestium millies millium et decies millies decem millium igneorum, qui voce suavi nec conticescente inclamant ter, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater: Sanctus Deus Filius, Sanctus Deus Spiritus sanctus: absque ulla divisione subsistens: una dominatio essentialis: unus Deus invisibilis. Qui nihilominus genus humanum nostrum tantopere dilexit, ut cum a pristina gloria sua cecidisset, per benignitatem suam, Filium unigenitum misit ad salutem nostram. Ipse vero carnem induens, carnem divinam fecit, per unionem ineffabilem; viamque nobis paravit ascensionis in coelum: omniaque humana perfecit, legemque adimplevit.

Elevans vocem. Et nocte illa suprema, qua mox futurum erat ut salvaret creaturam: legemque obsignaret et compleret: simulque Novo Testamento daret initium, doctrinamque vitae plenam, salvatos a se doceret: panem [2] fermentatum accepit in manus suas puras, et Patri gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † fregit divisitque discipulis et dixit. [3] Accipite, manducate, credite, et certi estote, atque ita praedicate et docete: quod corpus meum hoc est, quod pro salute mundi frangitur, et illis qui comedunt illud et credunt in me, dat expiationem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter prosequendo, accepit etiam vinum, et illud justa proportione, cum miscuisset aqua, † benedixit, † sanctificavit, † deditque illum iisdem discipulis, dicens. Accipite, bibite ex eo vos omnes: et credite, certi estote, atque ita praedicate et docete: quod hic est sanguis meus, qui pro salute mundi effunditur: iisque qui bibunt illum et credunt in me, dat expiationem peccatorum, et vitam aeternam. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Illos etiam corporis et sanguinis sui sancti, participes faciens, doctrina divina erudiit dicens; quemadmodum me vidistis fecisse, ita facite et docete ad commemorationem non obliviscendam dispensationis meae, et ad salutem vitae vestrae: resurrectionem quoque meam credite, et in me sperate, simulque adventum meum usque ad finem expectate.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Nos autem Domine Deus, populus tuus et haereditas tua, quos salvasti per adventum tuum, juxta doctrinam Apostolorum tuorum sanctorum, praeceptumque dominicum, omnem periodum dispensationis tuae in mundo, commemoramus, in faciem adorantes et confitentes tibi: qui natus es ex Virgine sancta: qui pannis involutus es, et positus in praesepio animalium: qui baptisatus es in

flumine, et sicut reliqui criminum rei inclinasti caput tuum Baptistae: qui jejunasti tanquam homo, confudistique et humiliasti tentatorem: qui colaphis caesus es in praetorio, et tanquam malefactor stetisti coram judice: qui extensus super crucem, et inter latrones ligno affixus fuisti: qui depositus fuisti et linteis tanquam indigens involutus: qui cum gloria resurrexisti, et tanquam potens rupisti mortis vincula: qui ascendisti in coelum, et effudisti super nos donum tuum ineffabile: qui cum honore, splendore et gloria Patris venturus es ad judicandas creaturas, omnesque homines ad vitam revocabis et excitabis in nictu oculi. Te Domine multae misericordiae obsecramus et deprecamur, atque a te spem vitae nostrae et salutem animarum nostrarum postulamus, ut non agas nobiscum secundum iniquitates nostras, neque retribuas nobis secundum merita nostra. Vere enim Domine, inique, impie et insipienter egimus, teque ad iracundiam provocavimus; sed nec unicum mandatorum tuorum observavimus. Tu vero Domine bone, excusatos habe nos, et propitius esto iniquitatibus nostris, propter hoc sacrificium propositum coram te. Tu enim ita pollicitus es Domine: quicumque manducat corpus meum, et bibit sanguinem meum, et credit in me, ille in me manet, et ego in eo, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Oves enim tuae et grex tuus, promissis tuis confidentes, deprecantur bonitatem tuam, et per te, ac tecum Patrem tuum dicendo.

Populus. Miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere mei Deus, amator hominum, et mitte super me, et super oblationem istam, Spiritum sanctum, Spiritum qui a te procedit, et a Filio [3] tuo accipit, perficitque essentialiter omnia mysteria Ecclesiae, requiescatque super oblationes istas, et eas sanctificet.

Populus. Orate.

Sacerdos. Exaudi me domine.

Populus. Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos elevans vocem. Et [4] panem hunc simplicem, transmutet, atque efficiat corpus ipsum quod pro nobis immolatum est in cruce: corpus ipsum quod resurrexit cum gloria, nec vidit corru-

ptionem: corpus vitam praeparans: corpus ipsius Verbi Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus illud.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et vinum mistum, quod est in hoc calice, transmutet, et perficiat sanguinem ipsum qui effusus est pro nobis in vertice Golgothae: sanguinem ipsum qui stillavit super terram, et mundavit illam a peccato: sanguinem vitae praeparatorium: sanguinem ipsius Domini, Verbi Dei et Salvatoris Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut omnes qui illis communicabunt veniam accipiant delictorum suorum: remittantur illis quae insipienter egerunt: infirmi inter eos, sanitatem recipiant: peccatores per illa justificentur, justi per eadem triumphent, tibique Domine et Deus noster gloriam indesinenter referant, et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo vivo et sancto, tibique consubstantiali, nunc etc.

Diaconus. Oremus.

Sacerdos inclinatus. Oramus te, qui dives es in muneribus, et supplicationem offerimus tibi, pro Ecclesia tua Catholica, in quacumque regione, ut conservetur absque ulla agitatione: et pro pastoribus et praesulibus ejus, ut vitam sacerdotalem vivant: reprimeque ab illis invidiam maligni. Praecipue vero pro Patriarcha nostro Domino N. et Episcopo nostro Domino N. cum reliquis omnibus Episcopis Orthodoxis, et concede illis, ut moribus sanctorum Apostolorum, inculpate vivant.

Elevans vocem. Pastor bone et vere, gregisque Domine, Pontifex magne, legumque divinarum lator, conserva Ecclesiam tuam Catholicam, quae super nomen tuum aedificata est: aufer ab ea schismata et divisiones, imple tranquillitate tua coetus ejus, da pacem tuam in ordinibus ejus: triumphare fac per doctrinam Apostolicam praesules ejus, et longaeva senectute, moribusque inculpatis, atque mansuetudine, antistites ejus exorna. Sacerdotes qui in illa ministrant fac honestate vitae conspicuos: Diaconis qui altaris ejus ministerio addicti sunt concede in bono firmitatem, spiritualemque tranquillitatem universae congregationi fidelium qui sub ejus patrocinio sunt: quia tu bonus es, tibique gloriam, et laudem offerimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium qui communicant necessitati peregrinorum, et afflictorum curamque habent Ecclesiarum et Monasteriorum, et praesta illis bona diligentium te.

Elevans vocem. Deus qui providentiam habes omnis carnis, et auxiliator es creaturarum, libera et salva populum tuum fidelem a manibus violentis gentium immisericordium: praeserva quoque illos a quocumque damno: a paupertate aspera, et necessitate doloribus plena: a poena et ultione quae vires superet: a paralysi, mutilatione, febre, nuditate, morte violenta et fortuita: a laqueis et scandalis, a contumelia, derisione et opprobrio: quoniam tu es Deus potestatem habens vitae et mortis nostrae, tibique gloriam referimus et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemoramus quoque Domine, Reges [5] Christianos, ut per virtutem tuam insuperabilem roborati, terribiles appareant adversus inimicos crucis.

Elevans vocem. Deus potens, rex in aeternum, aufer ab Ecclesia tua bella, et damna: immitteque cordibus Regum consilia pacifica et mitia super gregem tuum: deduc nos per miserircodiam ad portum tranquillum, et facie laeta pervenire nos fac ad diem salutis, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemoramus etiam Domine omnes Sanctos tuos, Prophetas, Apostolos, Martyres, Solitarios, Religiosos: praecipue vero sanctam Genitricem Dei Mariam, Joannem Baptistam, et sanctum Stephanum protomartyrem.

Elevans vocem. Congregationem domesticorum tuorum, tempore istius sacrificii divini commemoramus, omnesque qui servaverunt veritatem tuam, et perfecerunt voluntatem tuam: ut cum egrediemur in occursum unigeniti Filii in adventu ejus secundo, ascendemusque ad thalamum spiritualem, et ad convivium immortale, nostri quoque, qui eorum gratiam et auxilium imploramus, in orationibus suis memores sint, coram sponso coelesti coetibusque eorum adjungamur, et sub alis eorum protegamur, referamusque tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine [6] omnium Orthodoxorum Patrum nostrorum, qui fidem rectam nos docuerunt, praecipue

Severi Patriarchae, Philoxeni, Petri, et Jacobi: illorum qui per coronam confessionis ex mundo exierunt: ut etiam omnium illorum, qui ad hanc usque diem vestigia illorum secuti sunt.

Elevans vocem. Omnium illorum dignare meminisse Domine, qui super adamantem Petri, fundaverunt domos fidei, et pericula persecutionum sustinuerunt pro veritate: atque per orationes eorum pias et sanctas, haereses quae impugnant Ecclesiam tuam depelle: schismata condemna et rejice: omnes quoque transgressores legis dissipa et confunde: perde etiam omnes qui in corde et corde loquuntur. Omnes autem robora et adjuva, custodi et serva a laqueis haereticis: sis etiam nobis director et defensor, et conserva nos in fide orthodoxa ad ultimum usque spiritum, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine eorum qui depositi sunt, et omnium patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, qui defuncti sunt in fide vera, ex hoc altari sancto: maxime vero omnium defunctorum fidelium, qui cum fide orthodoxa ex hoc mundo exiverunt.

Elevans vocem. Illorum igitur omnium Domine, qui per sententiam adversus primum patrem nostrum Adamum prolatam, ex hac vita infelice migraverunt, et quo tu solus novisti pervenerunt, memento per gratiam tuam, et requiem illis praesta, inter delicias illas quas pollicitus es diligentibus te non revocans in memoriam delicta illorum et nostra. Neque enim peccatum nostrum quidquam est: aut justitia nostra, coram te Domine: aut quisquam purus est, et absque macula inter omnes filios mulierum, nisi solus Dominus, Deus et salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus: per quem nos quoque misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum, quae propter eum est, tam nobis, quam illis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Nobis etiam qui huc usque carni alligati sumus, et in aerumnis plena vita conflictamur, praesta ut observemus praecepta Christi tui: deducque nos ad finem, qualis decet operantes bona. Et quando secundum voluntatem divinam tuam dissolvetur compages nostra, et ad vitam secundam transmutabitur: praesta nobis Angelum pacis, et libera nos a Tartaro tenebroso. Praepara etiam nos, ut inculpati, cum lampadibus lucentibus, procedamus in occursum unigeniti Filii tui: ut in hoc, sicut in omnibus, glorificetur et laudetur nomen tuum

gloriosum omnino et benedictum, ut etiam Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti, nunc, etc.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Domini sint.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater vere Filii veri, ipse cujus laudes coeli enarrant, et cujus gloriam omnes creaturae praedicant, terra et maria miracula ejus demonstrant: Angeli et homines praeconia ejus canunt: te cum majestas tua sit inaccessibilis: essentia tua ininvestigabilis, abscondita natura tua impenetrabilis: infinitaque manifestatio tua: te exaltant omnes ordines et militiae coelestes, illi quos creasti ad ministerium majestatis tuae, et ornasti radiis praeclaris divinitatis tuae: quippe per te vivunt, moventur et illuminantur: atque obsequio accurato et sedulo, nutum mandatorum tuorum quae transgredi nefas est, observant. Nos quoque infirmi et peccatores servi tui, orationes et supplicationes effundimus coram te: secundum magisterium et institutionem Filii tui unigeniti: qui cum in carne esset super terram, orationem dominicam, in qua tota salus vitae nostrae posita est, docuit nos. Praesta nobis Domine Deus, ut illam fidenter recitemus coram te: clamemusque ad te, Pater misericors, et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Exaudi Domine deprecationem populi tui fidelis, et libera eos a malo, et a ministris ejus daemonibus corporeis, et ab omni tentatione quae vires superet. Perfice illos, per voluntatem tuam: nutri illos per gratiam tuam; et satia illos pinguedine domus tuae: quia tuum est regnum, potestas et gloria, et tibi gloriam et laudem referemus, et unigenito, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Sacerdos. Et universae haereditati tuae, quae cum debito servitutis obsequio prostrata est coram majestate tua paterna, concede gratiam tuam inamissibilem, et reple nos donis Spiritus tui divini. Praepara etiam nos, ut inculpati suscipiamus mysteria tua divina: ejice a nobis omne genus nequitiae, et reple nos caritate et mansuetudine, et referemus, etc.

Populus. Unusquisque.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Confitemur, adoramus, glorificamus et gratias agimus tibi, qui plenus es misericordia et gratia, eo quod nunc praestitisti nobis ut comederemus corpus sanctum unigeniti Filii tui, et biberemus ejus sanguinem purum et sanctum. Praesta nobis Domine ut permaneat in nobis depositum istud, fiatque nobis ad expiationem delictorum, ad remissionem peccatorum, et ad vitam novam, non ad condemnationem, sed ad vitam aeternam. Atque propter omnia beneficia tua erga nos, gloriam perpetuam referemus tibi, Pater aeterne, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Christe Rex gloriae, tibi commendamus omnem gubernationem vitae nostrae; custodi nos omnes, ita ut damno non afficiamur, neque expoliemur ab hostibus spiritualibus aut sensibilibus: et unicuique nostrum auxilium concede. Universam congregationem adorantium te robora et adjuva. Senes sustenta per virtutem tuam magnam: juvenes temperantes effice per custodiam diligentem tuam. Pueros erudi, et educa in doctrina divina: et nos omnes obsigna cruce tua victrice et insuperabili: ut pro illis omnibus referamus tibi gloriam et laudem, et Patri tuo, et Spiritui sancto tuo.

IN LITURGIAM S. MARUTAE
NOTAE.

1. Sancti Marutae nomine Liturgiam habent Jacobitae, quae inter alias ut Maronitis proprias numeratur ab Abrahamo Echellensi, et eam idcirco edendam illi curaverunt in Missali Romae edito. At neque Maronitarum Ecclesiae conveniebat haec Liturgia, quae Orthodoxis ignota fuit, nisi quod in Codicibus recentissimis inter Sanctorum memorias nomen Maronis adjunctum est, quod in vetustis non reperitur. Sed illa nominis insitione nihil profecerunt: imo eodem argumento Jacobitarum libros ad se imperitissime transtulisse probaverunt: nam praeclarum illud Ecclesiae lumen cum Severo, Philoxeno, Anthimo, Jacobo, Petroque Gnaphaeo conjungitur. Et quod mirari satis nemo possit, in Romana editione Severi quidem nomen sublatum est, sed reliquorum conservata sunt, haereticorum scilicet multoties a Synodis generalibus damnatorum. Itaque Marutae nomine Jacobitae hoc officium inscripserunt, ut alia complura, nominibus Apostolorum, Ignatii, Julii, Eustathii et reliquorum, quamvis inter Ecclesiae doctores, quos Confessio ab Ordinandis exigi solita enumerat, Maruta non recenseatur: ut neque ulla ejus testimonia occurrunt in Tractatu de Fide Patrum, variisque Collectaneis.

Fuit sane celebris sanctitate, miraculis et propagatione fidei Christianae apud Persas Maruta, circa annum Christi CCCCXII. Accurate quae ad ejus historiam pertinent explicavit Tillemontius ex Socrate et Sozomeno, qui Marutam ad Isdegerdem Saporis filium, legatum a Theodosio juniore missum fuisse scribunt: miracula illum plura edidisse: Regem ipsum a gravissimo dolore capitis sanasse: filium ejus a daemone infestatum liberasse: Magorum praeterea praestigias detexisse, atque adeo libertatem Christianis integram obtinuisse: Ecclesias aedificasse, tum reliquias Martyrum qui sub Sapore et aliis passi fuerant transtulisse, et in urbe quae idcirco Martyropolis dicta est deposuisse. Haec Graeci passim ut etiam Latini, qui memoriam ejus celebrant pridie nonas Decembris, ut Graeci in Menaeis 14. Februarii. Haec omnia quae de legatione et miraculis Marutae a Graecis scripta sunt, referuntur a Mari et Amro Nestorianis, in vita Kayumae, qui inter Catholicos XIV. numeratur, et Isaaci ejus successoris. Eadem habet autor non suspectus Zacharias F. Muhamed Kazüinensis in opere quod appellavit *Miracula regionum*. Loquens enim de urbe Miafarekin, ait illam a Maruta conditam, cum facultatem a Rege Persarum Isdegerde filio Saporis Dulactaf obtinuisset, postquam filiam ejus a morbo incurabili sanam praestitisset. Illic ossa multorum Martyrum quae in Perside collegerat deposuisse: atque idcirco vocasse illam, *urbem Martyrum* hoc est Martyropolin. Illud solum observandum, quod autor ut Muhamedanus, rerum Christianarum haud satis peritus, Maru-

Tillem. T. 11. p. 286. et 610.

Abulfar. p. 91.

Socrat. l. 7. c. 8. p. 281.

tam sub Constantino magno vixisse scribit: at in Codice meo, emendatus est alterius doctioris manu hic locus, et *Theodosius junior* pro Constantino repositus.

Cod. 52. *Hist. Dynast. p. 91.* Vocatur autem a Socrate et Sozomeno Episcopus Mesopotamiae, nullo adjuncto urbis nomine: a Photio Episcopus Sopharenorum, ab Arabibus vulgo Episcopus *Miafarekin*: in Codicibus Mss. quibusdam, Metropolita *Takritensis*, in aliis *Catholicus Orientis*. Syri in Canonum vetustissima Collectione Metropolitam *Mifractae* vocant, quae vox eadem est ac Arabica *Miafarekin*. Torquent se viri doctissimi de illo Episcopatu, cum plerique Takritam et Miafarekinam aeque ignorare se fateantur. Nec minor quaestio est de Sophena et Sopharena regione cujus limites postquam magno labore ex antiquis Geographis constituti sunt, ubi comparantur cum sequioris aevi scriptoribus Graecis, Syris, et Arabibus, conjecturae prope omnes etiam verisimiliores evanescunt. Talis enim per continua Persarum et Romanorum bella, deinde per Arabum dominationem mutatio rerum facta est, tot urbes celebres funditus excisae, ut nihil certi de earum situ et origine affirmari queat. Neque minus obnoxia fuit mutationi Ecclesiasticarum provinciarum antiqua forma, praesertim ex quo Nestoriani et Jacobitae novos Episcopatus, novasque Metropoles instituerunt. Sed ad Marutam redeundum, cujus diversi tituli facile inter se conciliari possunt.

Episcopum Miafarekinae illum fuisse omnes consentiunt: at illa ex omnium testimonio, ea est quam Martyropolin Graeci vocant, quod nomen ante Marutae tempora non habuit, cum ex translatis ad eam martyrum reliquiis ita fuerit appellata. Unde apud Nestorianos in quorum Notitia Ecclesiastica sextum inter Metropoles locum obtinet, vocatur *Beït-Garme*, hoc est *Ossuarium* sive *Coemeterium*. Inde Arabice scribentes Nestoriani fecerunt suum *Bajermi*, ut ex *Beïtzabda*, *Bazabda*; ex *Beït-Touma*, *Batouma*. Quamvis enim in quibusdam recentibus vocabulariis *Beïtgarme* et *Miafarekin* distinguantur, factum id verisimiliter est ex autorum et interpretum ignorantia.
Abulf. n. 241. Miafarekin autem secundum Abulfedae, Ebn-Sahid, et aliorum testimonia, caput et metropolis erat provinciae quam Diarbekiram Arabes vocant; re-
Gol. in Alfrag. p. 233. gionis scilicet quae a Tigris Occidentali latere protensa per montes Nisibis, terminos planitiei non excedebat.

Abulf. n. 266. *Takrit*, sive ut Syri scribunt *Tagrit*, urbs non incelebris, ultima Mesopotamiae proprie dictae, sive *Diar-elgeziret*, versus Iracam, qua ex urbe, magno Hierosolymitani Francorum Regni malo, prodiit Yubidarum seu Salaheddini familia. Ea porro urbs aut ante Muhamedanos non fuit, aut aliud a veteri nomen accepit. Verum in ea sedem suam constituit Catholicus Jacobitarum Syrorum, seu *Mofrian*, qui Patriarchali inferiorem, sed Metropolitica majorem habebat dignitatem et autoritatem. Historici Nestoriani quorum meminimus, Marutam interfuisse scribunt Concilio Constantinopolitano primo: et fortasse pro *Mareas Amidenus*, quod nomen legitur in Latinis subscriptionibus *Marutas* reponendum. *Amida* autem erat etiam in Mesopotamia proprie dicta. Cum porro vocetur Marutas Episcopus Mesopotamiae, sede

Episcopatus non assignata, magnamque in ea provincia autoritatem habuerit, Ecclesiasque Persidis ordinaverit, quod agnoscunt tam Jacobitae quam Nestoriani; facile fuit ut Syri posterioris aetatis, antiquarum originum haud satis periti, ea occasione *Catholicum* illum *Orientis* appellaverint, quia quo jure postmodum usi sunt inter Jacobitas, qui Catholici titulum habuerunt, illud a Maruta in Mesopotamia et Perside exercitum viderunt. Cumque Catholicorum apud Jacobitas sedes Takritae demum statuta fuerit: Takritensem Metropolitam eum vocaverunt. Melius omnino qui illum Episcopum Miafarekinae vocant. Nam in illa urbe deposuisse illum reliquias Martyrum, unde urbs nomen consecuta est, omnes testantur. Antiquissima illic esse Christiani cultus vestigia Muhamedani ipsi nos docent, atque inter eos Yacutus Hamathaeus qui duarum a Miafarekina parasangarum itinere, dicit esse Monasterium sive Ecclesiam, nomine *Dir-Touma*, id est, *Monasterium D. Thomae*, ad quod maximus fieret hominum concursus et vota frequentia. Laudatur eximie Maruta, quod superstitionem Magicam ignicolarum audacter reprehenderit, et ab ea multos avocaverit: temere prorsus, si Thomae Hyde, qui de Religione veterum Persarum scripsit credendum quisquam existimet. Is enim *Orthodoxiam, Hierarchiam, Sacerdotium Judaico vetustius et antiquius, veri Dei cognitionem conservatam, cultum ignis sive* πυροδουλίαν ficto vocabulo, non ignis adorationem, agnosci inter Magos jubet. Martyres innumeros tanquam homines rerum patriarum ignaros ridet, nempe *quia perperam existimabant Persas adorare solem,* atque adeo illi, *videntur suo humori et propriae pertinaciae plusquam verae conscientiae litasse:* elegantiam istorum verborum deterere piaculum foret. Absit ut de tot sanctis Martyribus, deque eo qui reliquias illorum religiose collegit, eamdemque fidem propugnavit, tam absurde, ne dicam impie, judicetur, praesertim ex autore sordidissimo Poëmatis *Centum Portarum*, quem et Muhamedanum fuisse constat, et ante ducentos admodum annos scripsisse.

Hyde de Relig. vet. Pers.

Commendatur praeterea Marutas, a Jacobitis in amplissima et vetustissima Canonum Collectione Syriaca, quod disciplinae Ecclesiasticae tam in Mesopotamia quam in Perside restituendae, insignem operam navaverit. Extat de hoc argumento Syntagma Canonum Syriace hoc titulo. *Canones et regulae constitutae a Synodo Episcoporum Persarum habita in civitatibus Seleuciae et Ctesiphontis, civitatum regni Persidis, in Legatione D. Marutae Episcopi Miafarekin, ad Isdegerdem Regem filium Saporis anno II. regni ejus.* Continentur in eo Syntagmate Canones viginti sex, omnes praeter unum de disciplina Ecclesiastica, missi ut aiunt ab Episcopis Occidentis, quo nomine Graeci intelligendi sunt, qui ex Synodo in Graecia habita, ut in Praefatione notatur, ad Orientales scripserunt. Canones et Epistolam promulgavit Maruta, in Concilio quadraginta Episcoporum Seleuciae et Ctesiphonte habito, cui praesedit simul cum eo Isaac Catholicus, quem ipsius fratrem fuisse docet eadem Praefatio, de quo silent Nestoriani. Canones accepti sunt et Synodali autoritate confirmati. Secundus continet Expositionem fidei, in qua, cum nullum Nestorianae aut Jacobiticae doctrinae vestigium animadvertatur,

Ms. Syr. Florent.

rectae fidei quam Maruta profitebatur illam convenire manifestum est, et ejus saeculo: neque de illius antiquitate et autoritate dubitandum. Haec de Maruta fusius, quod obvia non sunt, et ad illustrandam partem historiae quae illum spectat, summe necessaria. Possent enim qui Syriace sciunt, legendo Liturgiam ut Romae edita est, alium quemdam Marutam quaerere, qui cum Philoxeno, Jacobo, Anthimo et aliis idem senserit, nam inter eos collocatur, etiam cum Marone, in quibusdam exemplaribus. Ita qui editionem curaverunt sanctum illum suum Jacobitis conjunxerunt, a quibus tamen non recipitur, sed ut Monothelitarum princeps rejicitur.

2. *Panem fermentatum accepit in manus suas.*

Idem legitur in quibusdam Liturgiis Syriacis, ut Ignatii Patriarchae Antiocheni filii Wahib: quaedam habent *panem perfectum,* quod idem est, quae verba novitatis aut interpolationis notam praeferunt. Nam Marutae aetate de Azymo et Fermentato controversia nulla erat.

3. *Accipite, manducate, credite, certi estote, praedicate et docete.*

Illorum verborum adjunctione corrumpi sacra verba Christus pronunciavit, et quae ad consecrationem perficiendam maxime pertinent, nemo facile existimabit: quamvis ex Romana editione sublata sint. Verumtamen eximiam, et qua magis perspicua esse nulla potest, continent adjuncta illa verba fidei de Eucharistia confessionem; scilicet ut Christo ipso doctore et interprete, credatur firmiter et praedicetur, panem et calicem, esse ipsum corpus et sanguinem ejus: corpus autem quod *frangitur,* vel, ut habet alia lectio, *sacrificatur et immolatur:* quod ut in ligno crucis factum est, in altari pariter fit: simulque agnoscatur doctrinam istam et sacrificii disciplinam ab ipso Christo per Apostolos, ad Ecclesiam pervenisse.

4. *Invocatio Spiritus sancti.*

Illam orationem expressimus secundum accuratam Codicum Mss. lectionem, a qua longius abit ea quam Editio Romana repraesentat. De illa oratione dictum est ad Basilii Copticam Liturgiam, et ad eam Jacobi fratris Domini: unde quae illam generaliter spectant repetere necesse non est, cum omnibus cujuscumque Ecclesiae, ritus, aut linguae Liturgiis conveniant. Hic observandum praecipue, quod usurpetur vox נשחלף *transmutet*, ut in Liturgia Nestorii, et in Jacobitica Jacobi Serugensis: ad imitationem Liturgiae Graecae Chrysostomi. Igitur ex autoris quicumque fuerit, et eorum qui hoc Officio usi fuerunt, sententia, *demonstrare, complere, perficere, facere* עבד, גמר, שמלי, חוא,

quibus vocibus hac in parte, operationem sancti Spiritus significant, eamdem vim habent ac *transmutare*.

In prooemio ejusdem orationis de Spiritu sancto dicitur, *qui a te procedit et a filio accipit*, quae communis est secundum Evangelii verba, Orientalium Theologia. Addunt aliquando *et a filio quae ad essentiam* sive *substantiam pertinent, accipit*, ut in Liturgiis Xysti, et Ignatii Patriarchae Antiocheni. Cum vero de Marutae Liturgia agatur, observatione dignum est, quod in ea de qua mox dicebatur Confessione fidei, quae Canonem II. constituit Synodi illius Seleuciensis quadraginta Episcoporum in qua Marutas praesedit cum Isaaco Catholico, ita de Spiritu sancto loquuntur. *Confitemur unum Spiritum vivum et sanctum Paraclitum, qui est ex Patre et Filio:* Atque illo testimonio nihil fortasse est in Ecclesia Syra antiquius, cum Codex Florentinus antiquitate septingentos ad minimum annos superet: et ipsa Confessio, Nestorianorum et Jacobitarum schismatibus sit longe vetustior.

5. *Reges Christianos.*

Si quis hanc orationem, antiquitatis ultra Muhamedana tempora argumentum esse velit, non admodum repugnandum. Sed in eadem Collectione primus Canon talis est. *Oratio, deprecatio et supplicatio offeratur coram Deo vivo, et sancto, pro regibus et principibus, ut tranquillam et pacificam vitam degamus, in omni sanctitate et justitia: ipsique cogitationes superbas et duras non foveant contra populum Dei.* Hoc loco de Christianis principibus sermonem non esse manifestum est. Lex enim illa Ecclesiastica promulgata est in Synodo Episcoporum Persidis, congregata in urbe Regia, totius regni Metropoli, sub Isdegerde Rege infideli, qui in Persica sua religione vixit: quique licet Christianis libertatem aliquam precibus et miraculis Marutae victus concesserit, nunquam tamen Christo nomen dedit, sed in Magica superstitione periit. Sapor ejus pater in Christianos crudelissime saevierat, et multa millia Martyrum variis suppliciis consumserat. Cum igitur Maruta sententiae principe statutum fuerit, ut pro Regibus et principibus qualescumque forent, etiam infidelibus et persecutoribus oraretur, verba illius orationis intelligenda sunt de statu Ecclesiae sub Christianis principibus, quae ex veteri usu in Liturgiis servata sunt; non quod Maruta aut alii docuerint non orandum pro Infidelibus, cum etiam pro persecutoribus Christiani semper oraverint.

6. *Patrum Orthodoxorum, etc.*

Antiquiori Liturgiae ut Marutae esset, si ab eodem compositam fuisse constaret, adjici potuisse nomina aliorum qui serius vixerunt, probant Graecarum et aliarum Liturgiarum exempla multa, ut alibi fusius explicavimus, dum inanitatem Critices Riveti demonstravimus, qui ex ejusmodi nominibus

aetatem illarum determinare aggressus est. Verum Orthodoxos non fuisse, qui ea uterentur, in qua Severus, Philoxenus, Petrus, Gnapheus scilicet, Jacobusque Baradatus inter sanctos commemorantur, certius est quam ut probatione indigeat. Maronitae igitur dum istam sibi vindicaverunt in Romana editione, majores suos in haeresi Jacobitarum fuisse incauti prodiderunt, aut saltem summam imperitiam, dum haereticos anathematibus Conciliorum repetitis proscriptos, inter coelites reposuerunt. Severi quidem nomen sustulerunt, sed alios reliquerunt, non minus damnatae quam ille memoriae, quibus cum Maro in quibusdam codicibus adjunctus reperiatur, vanam esse sanctitatis illius opinionem, de qua tantopere recentiores laborant, hinc licet existimare.

7. *Qui super adamantem Petri fundaverunt domos fidei.*

Locutio ambigua est si verba tantummodo attenduntur. Si enim pressius explicentur, vertendum erit *supra adamantem petrinum*, quae verba sententiam duplicem efficere aeque possunt. Prima est ut significetur eos aedificasse, seu instituisse Ecclesias supra firmam petram, cum nulla sit adamante durior aut solidior: altera, super adamantem Petri, sive firmam ejus fidem, nempe referendo hanc metaphoram ad illud *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Utrumque frequentissime legitur in Orientalium Liturgiis, et aliis Officiis, cum de Petri Primatu non minus Orthodoxe sentiant, quam Catholici. Utraque significatio ad idem reducitur.

Reliqua nullam singularem observationem desiderant.

LITURGIA
SANCTI I. CYRILLI.

Oratio ante Pacem.

Sacerdos. Domine Deus misericors sancte, et omnipotens, qui es pax, tranquillitas, caritas, dulcedo, castitas, et bonitas: Pater et Dominus omnium qui pacem diligunt: praesta nobis ut pleni humilitate, et spe, atque in fide vera confirmati, necnon in spirituali tui, et mutua dilectione proximi, invicem amplectamur, per abundantiam dilectionis quae est plenitudo legis tuae, ut simus tibi filii tranquilli-

tatis, et pacis: dignique efficiamur bonis illis quae promisit nobis Filius tuus unigenitus et sanctus: per quem, et cum quo te decet gloria, honor, et potentia, cum Spiritu tuo sanctissimo, et bono, adorando, vivificante, et tibi consubstantiali.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Date pacem.

Populus. Dignare Domine.

Diaconus. Inclinemus capita nostra Domino.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Tu es igitur miserator, et multae misericordiae Domine, quia a te descendit, et oritur omne donum optimum, et perfectum; benedic, et conserva adoratores tuos istos, qui coram te colla corporum animarumque suarum inclinaverunt, et illis largire donum miserationum tuarum, atque auxilium perfectum gratiae tuae, juxta promissionem Christi tui: cum quo, et Spiritu sancto tibi debetur adoratio, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Creaveras enim nos Domine a principio per misericordiam tuam paternam, et beatam, nos qui primitus nihil eramus: idcirco ut bene nobis esset in gradu illo excelso, vitae angelicae, et immaterialis, et tamen nostra voluntate, in errorem, et ruinam peccati prolapsi sumus, exules facti a prima nostra patria. Verum per easdem aeternas tuas miserationes, Filium tuum unigenitum misisti ad salutem nostram, qui peccatores, et insipientes sumus, et factus est corporaliter, sed absque mutatione homo similis nobis, ut nos amplius divinos efficeret, et ad pristinam nostram haereditatem nos reduceret. Tu ergo etiamnum Domine, mitte gratiam tuam ad expiationem, et mundationem nostram, et ad acceptationem, consummationemque puri hujus, et immaculati sacrificii, quod pro peccatis nostris tibi offerimus, juxta doctrinam Evangelicam, et vivificam Christi, cum quo te decet honor, gloria, et potestas.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae Dei.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Tibi enim vere, et aequissime, debetur gloria et adoratio, quia benedictus es Deus, et opifex omnium, Deusque super omnia.

Elevans vocem. Laudat te Domine coelum, quod est solium majestatis tuae: et terra, quae est scabellum sub pedibus tuis. Laudat quidem terra, et adorat nomen tuum in hac Ecclesia, quae ore filiorum suorum hymnos tibi canit, per coetum Prophetarum, per agmen Apostolorum, passiones Martyrum, Ordines Confessorum, Theologiam Doctorum, rectam vivendi rationem Religiosorum; patientiam coelibum, exercitum justorum, coetum Sanctorum, statum moresque fidelium: coelum autem, in Ecclesia illa excelsa, ubi scripti sunt primogeniti tui in libris sanctis tuis. In ea nempe glorificaris Angelorum cantibus, Archangelorum jubilis, Cherubim concentibus: Principatuum fortitudine, Potestatum gloria: Thronorum fulgore: Dominationum decore: ardore legionum: inter agmina victricia, coetus perfectorum, inter festa, et gaudia Sanctorum, sanctificationesque Seraphim, qui senis alis, et voce nitidissima, laudant, clamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus excelsus, sanctus inquam qui ter sanctificatus, et perpetuo laudandus est. Pater sanctus genitor: et non genitus: Filius sanctus genitus, et non genitor, Spiritus etiam sanctus, vivificans et adorandus. Sanctifica nos igitur, Sancte, qui omnia sanctificas, ut parati, et recte dispositi simus in sanctitate, ad convivium istum vita, et suavitate plenum, unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, qui unus est, de Trinitate sancta: et ad communionem mysteriorum ejus sanctorum, et vivificantium. Qui cum homo voluntate sua factus esset, et more humano educatus, non gloriae diminutionem aut divinitatis detrimentum passus est, sed incarnatus existens, etiam erat illud quod fuit verbum, sapientia, et virtus Dei naturaliter, et substantialiter, etiamsi accepisset formam servi, ad salutem nempe vitae nostrae. Ipse igitur ante passionem suam salutarem accepit panem in manus suas sanctas, † et benedixit, † et fregit, † tradiditque in manus discipu-

lorum suorum, et dixit. Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, vos autem, et multos fideles praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Miscuit etiam ex vino, et aqua, calicem vitae, † et benedixit eum, † sanctificavit eum, † et dedit eum turbae discipulorum suorum, et dixit: Hic est sanguis meus, qui obsignat Testamentum mortis meae; vos autem, et multos fideles praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Cum autem eos sanctitatis, et remissionis peccatorum beneficio, corporis, et sanguinis sui fecit participes, primum praecepit eis, et injunxit: cum pani, et calici huic communicabitis, memores estote, et memoriam celebrate mortis meae, ejusque commemorationem facite donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Sed nos etiam Domine Deus noster, adorande et sancte Jesu Christe, tanquam arrhabonem vitae tenemus, depositum, dispensationis tuae salutaris, gloriamurque in passionibus tuis, et morte quam nostri causa perpessus es; gaudemus et exultamus in salute, et commemoratione resurrectionis tuae mirabilis. Deprecamur gratiam, et misericordiam tuam, et cum veneris in illo ultimo, et terribili, statutoque die, non ejicias nos e conspectu tuo, statuasque in pudore, et confusione: non in tenebris, et caligine: non in gehenna, et cruciatu: non in fletu, et stridore dentium: non in dolore, aut tristitia: non in luctu, aut gemitibus: non in minis, et increpationibus, ne laetentur de nobis inimici nostri, ne irrideamur ab iis qui oderunt nos: neque enim ii sumus Domine qui passiones tuas erubescimus, aut nomen tuum sanctum negamus. Tu autem Domine agnosce nos, et spem tuam, lumenque vultus tui, emitte super nos, et super Ecclesiam tuam sanctam, et Orthodoxam, quam ex gentibus adquisivisti: quae etiamnum voce elata jubilans clamat ad te, Patrem tuum, Spiritumque sanctum tuum, dicens.

Populus. Miserere nobis.

Sacerdos. Nos etiam tibi gratias agimus de omnibus, et propter omnia.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Memento.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Domine miserere nostri, qui figmentum tuum sumus, et imago majestatis tuae: veniatque Spiritus tuus sanctus, qui ejusdem est tecum, et unigenito Filio tuo naturae, substantiae, honoris, et gloriae, adveniatque, et requiescat super oblationes istas, et illabatur, et habitet in cordibus nostris. Exaudi me Domine. Deprecor te miserator hominum, Domine miserere mei, et vivifica me: effunde super me donum gratiae tuae, et purifica me: ne prohibeas gratiam tuam a me, ob foeditatem, et turpitudines vitiorum meorum. Quae enim peccavi, fateor Domine, et quae inique egi, palam facio: misericordiae autem tuae multae Domine, et gratia tua absque mensura est. Spiritus sanctus tuus ad me veniat, omnes animae meae sordes abstergat, omnibus delictis meis ignoscat; cogitationes meas omnes sanctificet, et suscipiat sacrificia, et oblationes meas.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Qui benedicens, et sanctificans, corpus Christi perficiat panem istum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et sanguinem Christi perficiat, mistum quod in hoc calice est.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos etiam faciat puros, et sanctos, per divinam hanc communionem in regno tuo aeterno, in felici illa domesticitate, in habitaculis splendoris tui, in contemplatione illa lucida, in gaudio eorum qui perfecerunt voluntatem tuam: in jucunditate quae est ad dexteram tuam; et in omnibus, per omnia, et propter omnia, laudem et gloriam tibi referemus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Suscipe hoc sacrificium nostrum Domine, quod mente, verbo, et cogitatione offertur tibi; maxime vero pro tranquillitate, et pace Ecclesiae tuae sanctae, pro Pastorum ejus justorum, et orthodoxorum confirmatione, pro decore, et exaltatione Sacerdotum ejus: pro honestate, et modestia ministrorum ejus: pro remissione, et venia filiorum ejus: pro gaudio, et concordia congregationum ejus: pro infirmorum, et afflictorum visitatione, et auxilio eorum omnium qui in aliquo periculo versantur.

Diaconus dicit [2] *Canonem primum.*

Sacerdos elevans vocem. Per te enim stat, et conservatur unum quodque, per te petitiones omnes justae effectum consequuntur, affluuntque benedictiones effusae, spes honestae, gaudium, et voluptas omnis, potestas omnis, et virtus, omnis consummata perfectio, omnis denique creaturae tuae subsistentia, teque decet gloria, honor, potestas; et laus cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Domine misericors, et clemens, qui parva rogatus, maxima tribuis diligentibus te, exaudi tenuitatem meam quae te nunc invocat pro iis omnibus qui gravissimis tentationibus dejecti, ad te confugiunt. Accede velociter, et eos libera, dignamque mercedem iis tribue, qui oblationibus Ecclesiae tuae, et pauperum necessitatibus communicant: eorumque memor esto, qui ut sui meminissemus, nobis praeceperunt: mementoque eorum omnium qui invocant nomen tuum sanctum.

Populus. Amen.

Diaconus dicit Canonem secundum.

Sacerdos elevans vocem. Exaudi Domine preces populi tui, et suscipe deprecationes gregis tui: parce, et miserere peccatorum insipientium, pereuntium, et perditorum; captivorum; et qui persecutionem patiuntur: qui in angustia, et oppressione sunt, et calumniam fraudemve sustinent; peregrinorum, exulum; miserorum, et pauperum, orphanorum, viduarum: eorum qui peccati vinculis implicantur: qui in mari aut terra peregrinantur; eorum denique omnium qui te optimum auxiliatorem sciunt, credunt, et confitentur, et tibi laudem referemus.

Populus. Amen.

Diaconus dicit Canonem tertium.

Sacerdos inclinatus. Concede etiam Domine populo tuo, et orbi universo tempora fertilia, omnisque ubertatis, benignitatisque tuae plenissima, et benedic coronae anni, per imbres, rorem, bonorumque omnium varietatem, et omnis generis fructuum feracem abundantiam; quia tu semper auxiliaris creaturae tuae.

Elevans vocem. Libera nos, salva nos, tu qui curam geris omnium, ab omni oppressione, et rebellione, ab omni persecutione, et peste, ab omni coede, et annonae caritate, tribulatione, et captivitate, plagarum inflictione, et sanguinis effusione, et a gentibus quae a religione tua alienae sunt; neque corripias, et punias nos in

furore et ira, propter multitudinem peccatorum nostrorum, sed reple nos misericordia, et mansuetudine, et tanquam Pater filiorum amans posside nos: quia non est nobis alius Deus praeter te, per quem salutem quaeramus, nisi tu, ad quem levati sunt oculi nostri, et corda nostra, tibique gloriam referemus cum unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Diaconus dicit Canonem quartum.

Sacerdos inclinatus. Benedictus es Domine sancte, et sanctorum amator, qui vis ut sanctorum tuorum memoriae frequenter communicemus, maxime autem, et speciatim, gloriosae prae omnibus sanctis, Virginis immaculatae, sanctaeque Genitricis Dei Mariae, et Joannis praedicatoris, praecursoris, consummatorisque mysteriorum: Stephani quoque primogeniti, principis, primique Martyrum, cum omnibus tibi acceptis.

Elevans vocem. Memento Domine, et eorum qui a nobis nominati sunt, Patrum, Patriarcharumque, omnium Sanctorum, et Justorum, Prophetarum, et Apostolorum, Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, et Confessorum, Doctorum, et Thaumaturgorum, Virginum sanctarum, continentium, jejunantium, Monachorum, Solitariorum, verorum fidelium, omniumque bene agentium, et per eorum preces perfectas, et supplicationes acceptissimas, aspice nos oculo misericordi, vultuque tranquillo, et sereno, nosque adjunge agminibus, ordinibus, et stationibus dilectorum tuorum: ut cum eis, et inter eos pure, et sancte dicamus hymnum sine fine tibi, et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo.

Populus. Amen.

Diaconus dicit Canonem quintum.

Sacerdos inclinatus. Effice Domine dignos voluptate regni tui, Patres electos, doctoresque probatos, et sanctos Episcopos, Ignatium, Dionysium, Julium, Athanasium, Basilium, Gregorium, Cyrillum, reliquosque omnes Sanctos, qui fortiter pugnaverunt, et persecutionem passi sunt, pro fide indivisa, et confessione indubitata.

Elevans vocem. Memento Domine eorum qui sancte et splendide Ecclesiam tuam sanctam, unigeniti Filii tui sanguine emptam, stabilierunt, et confirmarunt: qui lumine praeclaro, et divino Theologiae, adduxerunt, et converterunt populos in tenebris constitutos, ad lucem Evangelii Christi tui: qui secura mente, et sincero animo, veritatis tuae causa, pericula sustinuerunt, vineamque spiritualem, et

rationalem rigaverunt. Eorum qui statutis, et constitutionibus suis Spiritu tuo sancto plenissimis, ejecerunt ex Ecclesia tua haereticam insaniam, cum impietate conjunctam: eorum qui in labore et sudoribus, agones suos perfecerunt, et voluntatem tuam adimpleverunt: ut nos quoque, qui fidem eorum amplectimur, coram te summa cum fiducia, et absque confusione consistamus; novamque tibi laudem referemus, et incessabilem gratiarum actionem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo. *Populus.* Amen.

Diaconus dicit Canonem sextum.

Sacerdos inclinatus. Praesta Domine per hoc sacrificium, quietem, propitiationem, remissionem, et memoriam bonam, super altare hoc spirituale, omnibus patribus, et fratribus nostris corporalibus, et spiritualibus; nec non illis omnibus qui ex hoc loco, et omni alio populi fidelis, et Orthodoxi Christianique instituti, dudum vitam finierunt.

Elevans vocem. Petimus a te Domine, vivorum Princeps, et mortuorum Domine, pro iis omnibus qui tuo jussu ex praesenti vita migraverunt, et in Orthodoxa fide ad te profecti sunt, ut per misericordiam illam summam quae naturalis tibi est, et tibi inest substantialiter, eorum in bonum memineris, et ne despexeris nostram pro illis deprecationem, quia imago tua ipsi sunt: sed assume eos per gratiam tuam, et eleva, constitueque illos in excelso vitae illius immortalis, in habitaculis illis coelestibus, ubi unigenitus, sanctusque Filius tuus, a spiritualis exercitus corona cingitur, et celebratur. Per eum, per quem maxime misericordiam, et remissionem peccatorum propter eum speramus consequi, et nobis, et ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Cognitor absconditorum, et cogitationum scrutator Domine, aufer, et dele omnia peccata nostra, nota, et ignota, secreta, et publica, voluntaria et involuntaria, hujus, praecedentis, et futuri temporis; et cum tuo jussu ad finem vitae venerimus, juxta viam antiquam, et generalem, hominibus universis constitutam, et praescriptam: dispone nos ita; ut nullius conscii, coram tribunali tuo tremendo et timendo, consistamus. Adjuva nos Deus Salvator noster, et vias vitae nobis demonstra, et semitas luminis plenas, quae recte deducant ad portum benignitatis tuae, ut in nobis, et pro nobis, et propter nos, et ab omnibus exaltetur nomen tuum, nec non unigeniti Filii tui, et Spiritus tui.

Populus. Ut.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint vobiscum.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus alta voce pronunciat Catholicam.
Sacerdos. Credimus et accedimus.

Oratio ante Pater noster.

Adoramus te, Deus Pater omnipotens, creator, et dispositor visibilium, et invisibilium, qui es absconditus et inscrutabilis, ineffabilis, et interminabilis: origo boni, et fons vitae absque principio: Rex regum, et Dominus Angelorum; qui sublimitate tua excelsissima, super naturas, potestates, et ordines omnes, circumfereris super thronum aeternum majestatis tuae in excelsis: qui videns genus nostrum in periculo constitutum, dum ignorantia doctrinae vitae teneremur; non neglexisti opem, et curam erga nos tuam. Misisti enim prophetas primum, ut conversionem nobis omnibus modis, et similitudinibus praedicarent; ideoque, et tempora elegisti, quibus nobiscum per dilectum Filium tuum locutus es, unigenitum illum, qui ex te est, germen, et prolem ex sinu tuo, et solem ex substantia tua, veritatem, vitam et salutem; qui carnis expers, incarnatus est: et incorporeus, corpus assumpsit: qui nobiscum in terra conversatus, orationem paternam nos docuit, et sacrificium sine macula. Oblatio acceptabilis, et odor suavis pro nobis extitit, et mysteria haec sancta, et vitae plena nobis tradidit. Tu ergo Domine, perfice nos in disciplina ipsius sapientissima, ut animo puro, conscientia defaecata, et lingua plena exultatione, clamemus ad te, oremus, et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Tuum est enim Domine, imperium, virtus, potentia, regnum, et laudatio, potesque eripere nos a malo, et ab operibus ejus, et ab oppressionibus, tentationibus, et virgis furoris, et dimittere peccata, et delicta nostra per abundantiam magnam misericordiae tuae, ut dum sanctificatur in nobis nomen tuum, et in nobis tua voluntas perficitur, te laudemus, sancte, et Filium unigenitum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Domino capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te, Domine Deus noster.

Sacerdos. Benedic brachio tuo magno, et forti tua virtute Deus noster, benedicte, populum, et haereditatem tuam, et concede nobis gratiam, et benedictionem quae a te sunt, ut communicemus mysteriis tuis istis sanctis, sine macula, aut peccato, et impleamur per eorum susceptionem, omni odore suavitatis, et fervore fidei in te, et referemus tibi laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Gratia Trinitatis sit.

Diaconus. Cum timore aspiciamus.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Benedic Domine.

Populus. Sit nomen Domini benedictum.

Post receptionem Sacramenti, Sacerdos dicit.

Nunc postquam delectati sumus, ex plenitudine sanctorum tuorum divinorum, et hausimus poculum vitae ex beato fonte gratiae tuae, Domine quid retribuemus bonitati tuae, tali et tam profusae. Sed cum menti corporeae adstricti simus, tuam tamen majestatem in mente habentes, vocibus laudis dicimus, o altitudo divitiarum sapientiae tuae, o latitudo bonitatis tuae: o abyssus imperscrutabilis misericordiae tuae, quod cum malitia peccati detineremur, ad gaudium et voluptatem talem adduxisti nos: tu per quem, et propter quem deprecamur, ut a damnatione judicii liberemur, et a condemnatione ad perditionem: ut in magno illo mane resurrectionis omnium, securi simus cum sanctis tuis, in voluptate illa tua spirituali et intellectuali, et canamus perfecte cum perfectis hymnum indesinentem tibi, Pater aeterne, Filioque tuo unigenito, et beato, et Spiritui tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Capita nostra Domino inclinemus.

Populus. Coram te Domine Deus noster.

Sacerdos. Domine Deus noster qui es refugium peccatorum, sanator infirmorum, vulneratorum restaurator, auxiliator animarum, precum susceptor, quique petitiones respicis, propitiare peccatis servorum tuorum; sana vulnera populi tui, suscipe preces ovium tuarum; et respice supplicationes gregis tui, et sacrificium hoc quod in templo sancto tuo obtulimus, sit acceptum majestati tuae. Sit in sanctificationem animarum, et corporum nostrorum; et sanguis ille purus, et sanctus quo labia nostra peruncta sunt, praestantior quam illius agni sanguis, qui exterminatorem Angelum a populo Israelitico arcuit, ipse arceat, et prohibeat a nobis omnem cujuscumque generis perniciem, et omne genus peccati. Securitas tua regat nos: et pax tua nobiscum sit, et dextera tua habitet super nos, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Benedic nos omnes.

Diaconus. Benedicam Dominum in omni tempore.

IN LITURGIAM S. CYRILLI

NOTAE.

1. Cyrilli nomine, extat apud Coptitas Liturgia, ultima ex tribus quas solas agnoscunt. Eam a nonnullis Marco Evangelistae attribui testatur Abulbircat, idque verissimum esse probatur certo argumento, quod ignoravit vir Aegyptius, Graecae linguae imperitus, qui Graecam Marci Liturgiam nunquam viderat. At illa quam hoc titulo edidit Joannes a sancto Andraea insignis Ecclesiae Parisiensis Canonicus, primaevum, ut supra observavimus, Cyrillinae exemplar est, nihil tamen Graeca, sive Coptica quae ab illa priori expressa est, quidquam cum ista Jacobitica commune habent, nisi generalem et ubique receptam sacri Officii formam, in omnibus Orientalibus Liturgiis observatam, quae semper et ubique eadem fuit. Ritus Jacobitis proprius est, juxta primam et praecipuam inter illos, quae est Jacobi fratris Domini.

Versio Arabica adjuncta est multis orationibus in Romana editione, et illis prope solis, quae alta voce dicuntur a Sacerdote. Illius versionis usus ad altaria nullus est, quod nonnulli, non satis prudenter affirmarunt: sed ut Officium Ministerii Diaconici, Arabice pariter interpretati, et Romae editi,

ita haec versio Laïcis aut ipsis sacerdotibus et Diaconis parata est, ut quae Syriaca lingua, doctis solis nota, canuntur et recitantur, intelligant. Illam versionem nullus codex vetus, inter multos quos vidimus, repraesentat: unde recentissimam esse judicare possumus. In Romana editione varias interpolationes sustinuit in forma Verborum Christi, et in Invocatione Spiritus sancti, ut omnes ferme aliae. Versionem ad optimae notae Codices Mss. exegimus. Quod Maronitae illam Liturgiam quasi Ecclesiae suae propriam sibi vindicant ut complures alias, frustra sunt: nam Jacobiticis aliis conjuncta est, et reperitur in Codicibus Jacobitarum sinceris, Colbertinis, Seguierianis et aliis.

2. *Diaconus dicit Canonem primum, etc.*

Vox *Canon* hoc loco Diptychum significat, ut docet Dionysius Barsalibi Commentario ad hunc S. Jacobi Liturgiae locum, sine quo frustra illius significatio apud Lexicographos quaereretur. Observat porro ille Diptycha a suis Syris vulgo *Canones* appellari: sexque esse; nempe totidem orationes seu commemorationes, quarum tres pro viventibus sunt: tres aliae pro mortuis. Quae vero dicuntur a Diacono, et Canon hic appellantur, primus, et secundus usque ad sextum, denunciationes sunt ad orandum pro iisdem: nam ipsae orationes a Sacerdote recitantur, non a Diacono: plebs nihil aliud dicit nisi Kyrie eleison, Graece, aut *Domine miserere* Syriace. Reliqua nihil habent obscuritatis.

LITURGIA I. DIOSCORI

PATRIARCHAE ALEXANDRINI.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus fons tranquillitatis et pelagus bonitatis, qui es caritas vera quae non aemulatur: praesta nobis peccatoribus servis tuis, ut purgati ab omni iniquitate et macula peccati, amplectamur invicem in caritate, et pace tua indivisibili: utque omne odium et simultatem a nobis abjicientes, in uno vinculo caritatis indissolubilis constringamur, atque ut uno et aequali spiritu fidei non pigrae, refe-

ramus tibi gloriam, et laudem simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo et bono.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Date pacem.

Populus. Dignare Domine.

Diaconus. Capita coram Domino inclinemus.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Domine qui solus bonus es, et dives donorum, fonsque uberrimus omnium benedictionum, demitte dexteram tuam potentem, et benedic agnis pascuae tuae, qui coram majestate tua inclinantur, concedens illis remissionem eorum quae inique a nobis commissa sunt, ut cum puritate animae et corporis castitate, referamus tibi gloriam cum voce gratiarum actionis, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus incomprehensibilis, et ineffabilis cujus erga homines amor a creaturis tuis comprehendi non potest, quique per miserationes tuas aeternas, unigenitum Filium tuum misisti ad salutem universi, ut ovem quae ceciderat et aberraverat, a familiaritate beata, reduceres; ne ergo Domine respicias turpitudinem servorum odiosorum, et populum tuum gratia et miserationibus tuis prives, aut avertas faciem tuam a nobis hoc tempore, quo tibi sacrificium terribile et incruentum offerimus. Non enim abundantiae bonorum operum confidentes, audemus tractare mysteria tua sancta, sed multitudine misericordiae tuae freti, deprecamur, et petimus a te Domine, ut non ad condemnationem et confusionem fiat nobis mysterium hoc salutis, sed ad remissionem peccatorum, et veniam omnium iniquitatum nostrarum: per gratiam miserationis, et amorem erga homines, unigeniti Filii tui, cum quo laudaris in coelo et in terra, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae.

Sacerdos. Caritas.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum est et a nobis debitum atque ab omni creatura, ut te honoremus, adoremus, confiteamur, laudemus, et exaltemus te, qui a militia superna benediceris et sanctificaris, cui debetur gloria, honor, et adoratio, a superioribus et inferioribus, cum Filio qui ex te ipso est, et Spiritu tuo sancto.

Elevans vocem. Coram te Domine stant et ministrant omnes ordines superni, ignis et spiritus, qui gloriae tuae subjecti sunt: Angeli qui glorificant, Archangeli qui laudant, Potestates quae splendide fulgent, Throni qui jubilant, Dominationes quae extollunt, Virtutes quae celebrant, Cherubim submissi, qui benedicunt concentu indificienti: Seraphim sancti qui alis sex igneis immaterialibus circumvecti, et volantes, duabus facies suas tegunt, prae splendore virtutis majestatis tuae: duabus tegunt pedes suos ne ignitis carbonibus tuis adurantur, et duabus volant, extolluntque simul voces suas, et clamant alter ad alterum trinis sanctificationibus, quae sibi invicem succedunt, et vocibus triumphalibus sanctificant, clamant, vociferantur, et dicunt.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sanctus Deus Pater genitor lucis aeternae: Sanctus etiam Filius aeternus qui ex sinu virginali sancte, et impassibiliter natus est: Sanctus Deus Spiritus vivificans, qui sanctos sanctitate perficit et consummat: qui ter et unice, atque inseparabiliter, unus ab universo orbe agnoscitur, et unus in tribus noscitur. Qui cum genus nostrum vidisset perditum, et a bestia mala spirituali depraedatum, unigenitum Deum misit ad salutem ejus: qui ex Spiritu sancto, et Virgine incarnatus et natus est, [2] nativitate carnali et non phantastica, extititque perfecte Filius hominis, Deus interea absque immutatione permanens, omnia ad salutem nostram disponens et perficiens.

Elevans vocem. Qui cum ita voluisset, secundum salutarem suam dispensationem, ante passionem suam vivificam [3] postquam simul cum discipulis suis agnum illum Mosaicum epulatus esset, accepit panem vitae in manus suas puras et immaculatas, † benedictione benedixit, † et sanctificavit † eum, fregit et tradidit societati Apostolicae dicens: Accipite, manducate: Vere hoc est corpus meum, quod pro mundi vita frangitur et dividitur, in remissionem peccatorum, illud suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et super calicem vitae, postquam illum vino et aqua temperate miscuit, et sanctitate sua consecravit, perfecitque, et tradidit Apostolis sanctis: dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Vere enim hic est sanguis meus qui pro mundi vita effunditur, et dividitur, in remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hanc salutarem institutionem suscipientes, panem et vinum statuimus, et imponimus super altare hoc, juxta praeceptum ejus vivificum, ut memoriam agamus, secundum oraculum hoc divinum quod ait: quoties mysteriis istis sanctis communicabitis, memoriam mei facietis, et passionem, mortem et resurrectionem meam annuntiabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Commemorationem igitur dispensationis tuae salutaris agimus, commemoramus etiam exinanitionem tuam voluntariam pro nobis, passionem tuam vivificam, sepulturam tuam quae corruptionem sepulcralem solvit: praeclaram tuam post triduum e sepulcro resurrectionem: ascensionem tuam mirabilem e terra in coelum: sessionem tuam regiam et praeclaram ad dexteram majestatis Patris, adventumque tuum secundum terrore plenum, quando excitationem omnium hominum facies, et opera cujuscumque palam fient: quando thronos lucis Apostolis tuis statuens, vindictam populi Israelitici illis committes, et cum ira aspicies operantes iniquitatem, impios et iniquos, qui cruciatus suscipient, absque misericordia, secundum aequitatem et justitiam: orieturque dies ignis illius obscuri neque lucentis: et coram throno majestatis tuae ad examen occultorum, et judicium decisum, et abbreviatum ascendent omnes tribus: stridorque dentium, et planctus amarus, et inconsolabilis erit: domus judicii aperietur, et judex sedebit, et unusquisque hominum flammis examinabitur. Domine propitiare et parce in hoc tempore timendo, populo tuo fideli, qui te confitetur et nomen tuum laudat. Non voces fletus cum Diabolo a nobis audiantur: ne plangant Angeli tui sancti, quod a conspectu tuo projiciamur: sed convertere Domine, et audi suspiria et gemitus servorum et ancillarum tuarum. Ignosce peccatis, sanctifica poenitentes, parce omnibus per gratiam tuam, et misericordiae tuae effundantur super reatus nostros, etenim propter haec omnia, Ecclesia sancta quam

acquisivisti, obsecrat et deprecatur te, et Patrem tuum per te, et tecum dicens. *Populus.* Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te adoramus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus, dicit Invocationem Spiritus sancti.

Domine veniat Spiritus tuus sanctus, requiescatque per gratiam suam, sanctificet et perficiat sacrificium hoc, quod coram nobis propositum est, et nobis illud purificationem esse faciat. Verum nec [4] propter opera nostra odibilia prives populum tuum fidelem dono coelesti: sed per abundantiam gratiae tuae mitte illum nobis, et donis suis divinis nos repleat. Et sicut in columbae specie in Jordane fluvio super unigenitum Filium tuum requievit, et super Apostolos sanctos in linguis ignis apparuit: sic habitet et requiescat super nos et super oblationes istas.

Populus. Exaudi me.

Sacerdos. Ut adveniens, per gratiam suam, panem quidem istum efficiat corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, efficiat sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut qui in hoc convivio mysteriorum istorum vivificantium epulati fuerimus, et quorum animae et corpora sanctificata fuerint, ea non in confusionem fiant nobis in novissimo die, sed in salutem, et apologiam coram majestate tua, et bonis quae triumphatoribus tuis reservata sunt, in lumine intellectuali tuo, digni efficiamur: per gratiam, miserationes et amorem erga homines unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sanctissimi et boni.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Convertere Domine et suscipe de manibus nostris peccatricibus, sacrificium hoc quod tibi nunc offerimus, pro tranquillitate Ecclesiae tuae sanctae, pro custodia filiorum ejus, et exaltatione Sacerdotum ejus, praecipue vero Pastorum beatorum qui hodie illi praesunt, in fide orthodoxa, in primis autem Patriarchae nostri Domini N. et Domini. N. et Episcopi nostri D. N. reliquorumque Episcoporum orthodoxorum, ut in pascuis spiritualibus, cum vita longa, et temporibus pacatis, absque hypocrisi pascant eam et

gubernent. Iterum, et pro me reo obsecro te, scrutator mentium, ut abstergas a me omnem peccati maculam, et perfecte mundes me, ut sanctitas quae a te est, in me habitet. Iterum et pro corona anni, ut benedicatur per gratiam tuam, et aëres concede temperatos, quibus fructus multiplicentur, ut edant pauperes et saturentur, et voce gratiarum actionis te glorificent.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Tu es enim qui omnium hominum curam geris, et unumquemque in omni loco juvas, et gubernas. Adjuva nos Domine, et exaudi nos quotiescumque clamamus ad te, et liberans nos ab omni errore, ignorantia, et tenebris peccati, fac ut in luce mandatorum tuorum ambulemus omnibus diebus vitae nostrae: quia tu es in quo spirat omne quod vivit, et tibi debetur gloria et honor ab omnibus quae creasti in coelo et in terra, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum cum deprecatione te obsecramus, pro illis qui nunc nobiscum congregati orant: et pro illis qui diligenter nobis praeceperunt, ut memoriam eorum coram te faceremus: et pro illis qui vota et primitias in Ecclesia tua sancta adimplent et offerunt: qui sanctis ministrant, et pauperibus populi tui alimenta praebent, et eorum qui hodie quaedam separaverunt et obtulerunt.

Elevans vocem. Et sacrificium hoc benigne accipiens, ita ut voluntas tua in eo acquiescat, et per benignitatem miserationum tuarum suscipiatur, adjuva et salva eos omnes, qui te invocant ex toto corde suo, et suscipe in expanso coelo tuo Domine, orationes et oblationes quae ab omni Ecclesia tua sancta tibi offeruntur, et illas quas nunc tibi obtulerunt. Parce quoque per gratiam tuam, omnibus iniquitatibus quae a nobis perpetratae sunt, quia tu es Deus volens miserationes, et amorem erga homines, et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Rursus deprecamur te Domine, pro pace regnorum, cessatione bellorum, et pro praeclaro totius mundi statu: ut adoratores tui, per miserationes quae a te sunt, conserventur, et cum diligentia tranquilla unusquisque in regione sua tibi confiteatur.

Elevans vocem. Corda et animos Regum et principum ad te converte Domine: impetus violentos, vanasque doctrinas ab Ecclesia

tua depelle: in fide recta quae in te est, inconcusse conservetur, et cantica spiritualia vocibus triumphalibus, et modulatis a filiis ejus concinantur. Dissipa et propulsa eos qui ex adverso eam dividunt: quia tu es dator et largitor omnium bonorum, et tibi gloriam et laudem offerimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine eorum quos ab antiquis temporibus oblitus non es, Prophetarum qui interpretes fuere mysteriorum tuorum: Apostolorum beatorum, Praedicatorum illustrium, Evangelistarum strenuorum, qui pugnaverunt et vicerunt errorem idololatriae: Martyrum fidelium qui animi fortitudinem ostenderunt: et Joannis Baptistae, vocis illius quae praecessit Verbum, et praecursoris: Stephani etiam qui primus exhibuit certamen gloriosum, et coronatus est corona martyrii. Ejus etiam quae prae illis omnibus illustris, gloriosaque est, et a nobis celebratur et excelsior superiorque omnibus ordinibus coelestibus, ab omni Ecclesia tua coelum secundum vocatur, Virginis Genitricis Dei Mariae, cum omni coetu sanctorum.

Elevans vocem. Memoriam etiam agimus Domine illorum qui a saeculo tibi placuerunt, ut per orationes et deprecationes eorum propitius sis peccatis nostris voluntariis aut involuntariis. Ab omnibus offendiculis et incursibus diabolicis salva nos, et ut quiete illa indeficienti gaudeamus dignos effice nos: ut in coetibus eorum laudationem incessabilem canamus tibi Pater aeterne, et Filio tuo unigenito, et beato, et Spiritui tuo vivificanti et tibi consubstantiali.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Pastorum electorum mystarumque veritatis, eorum qui in generatione, et generatione steterunt in Ecclesia tua sancta, et greges tuos sacerdotales in Orthodoxia paverunt, atque rexerunt, et ad aquas quietis deduxerunt, atque illos qui in errore versabantur, doctrinis divinis illustraverunt, ad te direxerunt, et adduxerunt, et fidem rectam sanctae Trinitatis populo tuo egregie explanaverunt: et confirmaverunt, omnesque doctrinas vanas haereseon perniciosarum depulerunt et dispunxerunt. Praecipue vero Ignatii, Dionysii, Athanasii, Julii, Dioscori et Severi, cum illis omnibus, qui persecutionem passi sunt propter nomen sanctum tuum.

Elevat vocem suam. Mystarum veracium, Doctorum rectorum,

qui cultum Dei stabiliverunt, eorum qui angustias et cruciatus multos pro Ecclesia tua sancta passi sunt et sustinuerunt et populos atheos ad adorationem tui converterunt, superstitionem Judaicam confutaverunt, et garrulitates haereticorum refellerunt, fidem apostolicam praedicaverunt, omniumque nostrum animas in te confirmaverunt: ut per orationes eorum pias, avertas a nobis omnes virgas furoris, et tentationes difficiles; tranquillitatem et pacem quae a te est, concede nobis: et praesta nobis ut vita beata perfruamur, per eorum obsecrationes, quia tu bonus, et multae misericordiae et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum memento Domine eorum omnium, qui ab Adamo, huc usque, moribus suis tibi placuerunt, et ad te profecti sunt: praecipue vero eorum qui praeclare ministraverunt et servierunt coram te: Sacerdotum fidelium, qui dispensationem mysteriorum tuorum Sanctorum commissam suae fidei habuerunt: Diaconorumque qui animas suas et populi tui fidelis purificaverunt, et omni Ordini qui ministerio sacerdotali alligatus est, et eorum qui in fide recta tua consummati sunt: maxime vero Patrum nostrorum corporalium et spiritualium, eorumque quorum nullus est qui meminerit, sed est apud te eorum commemoratio.

Elevans vocem. Igitur per praeclaras miserationes tuas, eorum recordatus Domine, et in sinu Abrahae quietem illis praestans, et ad mensam illam tuam intelligibilem eos collocans, nec non peccata illorum praetermittens, propitius esto illis propter miserationes tuas multas, et nos et illos dignos effice gaudio illo indefectibili, ut in habitaculo beato, in gloria sanctorum tuorum laetemur. Et jam inde remissionem insipientiarum nostrarum nobis concede, quia nullus est qui vivat et non peccet, aut purus sit a sordibus et maculis peccati, nisi unus solus Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus unigenitus filius tuus, per quem nos quoque miserationes speramus.

Populus. Amen.

Diaconus. Quietem praesta.

Sacerdos. Quietem praesta Domine, animabus, corporibus et spiritibus eorum omnium qui praecepto tuo liberati ab hoc saeculo, in fide orthodoxa ad te migraverunt: nec ascendat chirographum peccatorum illorum et nostrorum, ad judicium rectum, in die illa tremenda retributionis, sed per abundantiam gratiae tuae, propitius

esto nobis omnibus: quia tu Domine ipse es qui unicuique juste retribuis, et si intres nobiscum in judicium Domine, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Sed ostende nobis gratiam tuam, et ab igne gehennae per miserationes liberemur: ut propter haec omnia laudemus et exaltemus nomen tuum gloriosum in omnibus et benedictum, Domini etiam Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint super vos.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos frangit et signat Oblatam.

Sacerdos dicit Orationem ad Pater noster.

Pater sancte, excelse et timende, qui cum timore laudaris et exaltaris ab omnibus ordinibus, chiliadibus et myriadibus Angelorum: qui a Cherubim inclinatis, in motu rotarum benediceris, et a turmis innumeris Seraphim igneorum, sanctificationibus gloriosis, et canticis immaterialibus, cum tremore sanctificaris: qui etiam adoraris et glorificaris a nobis infirmis, abjectis, et terrenis: Aequum est ut invocemus te Pater aeterne, per doctrinam vivificam et orationem dominicam, quam unigenitus Filius tuus Apostolos suos sanctos docuit, et pignus adoptionis filiorum nobis concessit, mysteriaque haec vivifica nobis tradidit, ut cum fiducia quae filios decet et juvat, cum anima purgata a maculis peccati, mente ab omnibus affectibus materialibus libera, corde puro a cunctis cogitationibus carnalibus, una voce gratiarum actionis plena, audeamus te invocare Patrem omnipotentem, orare, et dicere. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum.

Sacerdos. Domine fortis et potens, qui virtutem, et potestatem nobis dedisti adversus virtutem hostis spiritualis, libera et salva nos ab omnibus sordibus perniciosis et a tentationibus intolerabilibus, virgisque furoris: quia tuum est regnum, et tu es rex gloriae, tibique gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Diaconus. Capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Coram potentia benignitatis tuae Domine, cum humili demissione animae et corporis inclinati servi tui, a benignitate tua petimus veniam delictorum et remissionem peccatorum. Sanctifica nos omnes sanctitate perfecta quae a te est, et benedictione illa inamissibili, simul omnes benedicamur, ut susceptioni mysteriorum vivificantium sancte communicemus, quia tu benignus es, et fons uberrimus benedictionum, largitorque omnium bonorum, tibique gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Oratio gratiarum actionis.

Gratias agimus abundantiae bonitatis tuae Domine, laudamus, et exaltamus te, et vocem glorificationis indesinentis tibi referimus, quod nobis pelago peccatorum immersis, per susceptionem corporis et sanguinis unigeniti Filii tui, mundationem contulisti. Ne in judicium, aut damnationem nobis fiant in illa die qua unicuique opus suum retribuetur: sed a gehenna per miserationes tuas eripiamur, et ad mensam tuam spiritualem, in regno tuo cum sanctis tuis epulemur: per gratiam, miserationes, et amorem tuum erga homines, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti et boni.

Sacerdos. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post susceptionem, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Lumen de lumine, et Deus de Deo qui inclinasti coelos sanctos tuos, et in terram amore hominum descendisti ad salutem universi: extende dexteram tuam omnipotentem, et emitte super omnes nos benedictiones tuas: sanctifica animas nostras et

corpora nostra per sacrificium hoc quod suscepimus, et dirige gressus nostros in semitas justitiae, ut secundum voluntatem tuam geramus nos, atque mandata tua observemus, et faciamus omnibus diebus vitae nostrae, ad finem beatum perveniamus, et hymnum incessabilem cum sanctis tuis canamus tibi, et Patri tuo adorando, et Spiritui tuo sancto, et vivificanti, tibique consubstantiali nunc et semper.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus, etc.

IN LITURGIAM DIOSCORI

NOTAE.

1. Magnum inter Monophysitas semper fuit Dioscori Alexandrini Episcopi nomen, quod Calchedonensi Concilio duas in Christo naturas post unionem in una persona profitenti, restiterit et novo ausu, Leoni Romano Pontifici, cujus Epistola ad Flavianum probata fuerat, anathema dixerit. De ejus vita et rebus gestis dictum est in Historia Patriarchali secundum Jacobitarum traditionem, quae repetere necesse non est. Nec minus laudatur a Syris, quam a suis Alexandrinis; etsi inter illos rarius nomen ejus commemoretur in Diptychis: sed in omnibus libris commendatur magnopere, et memoria ejus religiose tanquam sancti colitur, ut patet ex Calendariis et Synaxario Coptitarum VII. mensis Toth, qui primus est anni Aegyptiaci, non sexta, ut perperam editum est in ejus vita. Rarior tamen hujus Liturgiae usus est apud Syros, nec invenitur in multis Codicibus. Aethiopes unam habent ejus nomine quae Aethiopice et Latine anno MDCLXVI. Londini edita fuit a Wanslebio, cum titulo sancti Dioscori. Neque is est cujus commemoratio fit XVII. Baini, ut voluit Ludolfus, sed XXXI. Patriarcha junior vulgo appellatus.

Hist. Patr. Alex. p. 114.

P. 120.

2. *Nativitate naturali et non phantastica.*

Haec temere, aut oratorie dicta non sunt, ut existimari statim posset, sed certo consilio. Nam cum accusatus esset Dioscorus, quod Eutychen haereticum absolvisset: a plerisque de eadem haeresi postulatus est, idque

non a vulgaribus modo et nullius autoritatis scriptoribus proditum est, sed etiam a doctissimis. Nam vir Clarissimus Joannes Morinus eo colore Jacobitas Eutychianos vocat, et sub tali elogio Ordinationes illorum edidit: minus recte, cum Eutychi anathema denuncient. Ita enim statuunt, illum eodem quo Apollinarius errore laborasse, atque adeo existimasse Christum habuisse de coelo corpus, quod nostro consubstantiale non esset, sed phantasticum. An vere judicent, parum interest, sed Christum etsi ex duabus naturis unum agnoscant, non ut Ecclesia Catholica, in unitate personae, sed in unitate naturae, illum tamen profitentur consubstantialem Patri secundum humanitatem, ut Leo Papa cui fortissime maledicunt, ad Flavianum scribens, professus fuerat. Commistionem quoque naturarum, confusionem et alterationem rejiciunt: itaque Eutychiani dici non possunt. Verisimile igitur est, Syros Jacobitas qui memoriae Dioscori tantum tribuerunt, ut ejus nomine Liturgiam scriberent, ea inseruisse quae famam ejus ab Eutychianae haereseos imputatione vindicarent: tum etiam ab errore qui inter Jacobitas postea pullulavit, per Julianum Halicarnasseum, cujus *phantasias*, nam ea voce
Ms. Syr. Off. utuntur, quod confutaverit, Severus Antiochenus, laudatur in Officio ejus commemorationis.

3. *Postquam cum discipulis Agnum illum Mosaicum epulatus esset.*

Idem legitur in aliquibus Syriacis aliis Liturgiis, ut Jacobi Edesseni et Dioscori Gordiaeorum Episcopi. Non fuit tamen eadem Syrorum de hoc argumento sententia. Illam quaestionem duobus in operibus tractavit Dionysius Barsalibi, in Commentario scilicet ad Evangelia, et in opere singulari *de Paschate et institutione Eucharistiae.* In eam ipse sententiam inclinat quae hic exprimitur, scilicet Christum Agnum Paschalem secundum Legem, cum discipulis comedisse: postea Sacramentum Eucharistiae instituisse: atque illa Evangelii verba, *postquam coenaverunt,* de coena Legali intelligenda esse, non de mystica et sacramentali: Judaeos non observasse legem, sed eam fuisse transgressos, dum in alterum diem Paschatis celebrationem distulerunt, ut Christum occiderent. Illam opinionem, ait confirmari testimoniis Eusebii, Joannis Chrysostomi, Mosis Barcepha, et Joannis Darensis. Itaque ejusdem operis cap. XIV. hunc ordinem a Christo observatum fuisse constituit in ultima coena. Edisse Pascha legale: postea coenavisse stantem: lavisse pedes discipulorum; recubuisse, docuisse eos mysterium ablutionis illius, mox instituisse Sacramentum corporis et sanguinis sui, tandem relatum a Joanne sermonem ad illos habuisse. Verum capite V. monet ambigi inter doctos, an Christus Pascha legale comederit ipso illo die, an vero ipse fuerit verum Pascha, typico altero praefiguratum. Dicit Hippolytum Romanum, Mar-Joannem, Mar-Jsaac, et quosdam alios in ea opinione fuisse: *quod Dominus ea vespera Pascha legale non comederit, sed discipulis suis Pascha verum fuerit.* Itaque verba haec, *desiderio desideravi hoc Pascha mandu-*

care vobiscum, de ipso Christo intelligenda esse, non de Agno Paschali. *Passionem,* inquit, *suam designabat, ad cujus similitudinem accepit panem et fregit pridie quam pateretur, docens eos, ne cum Judaeis agnum immolarent, et comederent. Ipse enim erat qui tanquam agnus pro ipsis mactandus erat, ea die quam Prophetae de eo praedixerant.* Haec tamen sententia illi non probatur, duasque idcirco coenas distingui jubet: primam quae a stantibus peracta est, quam Legalem fuisse credit, quod ita ex Legis praescripto agnus erat comedendus: alteram in qua novum Pascha instituit. Usi sunt eodem argumento plurimi, non recentiores modo Theologi, sed etiam veteres, quo tamen nihil efficitur: et ab aliis peccatum est ignorantia Rituum Judaicorum. Certum enim est ex antiquis illorum monumentis, quaedam in primo Paschate, quod in exitu de Aegypto celebratum est, observata fuisse, quae postmodum omissa sunt, atque inter alia, stantes et renibus accinctos comedere, baculos habentes in manibus, et quaedam hujus generis, diligenter notata ab antiquis autoribus: in *Hagadat Happesach,* in Tractatu Pesachim, et passim alibi. Neque locum hic habere potest vulgaris illa exceptio de futilitate Judaicarum Traditionum, et ineptis fabulis, quibus scatere Pandectas Talmudicos non inficiamur, illis praesertim quas ex odio Christianae Religionis natas et propagatas agnoscimus. At quae consuetudines veteres, disciplinamque spectant, quae vigeret stante templo, ea neque Judaeis prosunt, neque Christianis nocent, imo saepe ad scripturae sacrae, etiam Novi Testamenti intelligentiam plurimum lucis afferunt. Plerosque autores non minus veteres quam recentiores, non satis perspectas habuisse caeremonias, quae stante templo in usu erant, multis argumentis demonstratur, et Graeci illas praecipue ignoraverunt. Neque id mirum, cum inter Judaeos Hellenistas doctissimus Philo, eas nesciens, plerosque in errorem induxerit. Itaque Graeci dum Latinis circa Azyma litem ex Paschatis celebrandi ratione moverunt, in absurda multa incurrisse nolentes, deprehenduntur, quae Syri quidam non effugerunt, dum ut Fermentati sui usum stabilirent, adjecerunt narrationi Evangelicae in Liturgia, *Christum accepisse panem fermentatum,* quod ex Evangelio non habetur. Hac enim in parte Romanae Ecclesiae traditio, magis constat ipsa sibi: nam cum exemplo Christi se tuetur, et illum celebrasse Pascha Mosaicum vulgo docet, recte Azymo pane utitur, quo solo usum illum fuisse constat, modo Legem quam adimpleturus venerat, observaverit. Fermentati enim, a prima illa vespera ad octavam usque diem usus, sub excidii poena erat prohibitus, quam legem si summo jure Christus omisisset, plenam dabat Judaeis, ipsique proditori, qui Coenae Paschali interfuerat, calumniandi materiam. Qui enim dicebant, cum per summum miraculum hominem Sabbato curatum vidissent, *iste homo non est a Deo, qui Sabbatum non custodit,* quid de legitimi Paschatis violatione dicturi non fuissent? Verum de hoc argumento vix Orientales aliquid scripserunt, nisi in Commentariis ad Evangelia, aut cum adversus Armenos disputarent: qui Azymis utuntur, sed ita ut illam disciplinam a Latinis non acceperint magis, quam pravam et omnium Ecclesiarum traditioni contrariam consuetudinem, aquam vino consecrando non admiscendi.

4. *Propter opera nostra odibilia non prives populum tuum dono tuo coelesti.*

Similis deprecatio occurrit in multis Liturgiis non modo Syriacis, sed Aegyptiacis, quam ob Severi magnum inter Jacobitas nomen, hic paucis explicabimus, eo magis quod colorem quemdam erroris circa fidem gravissimi referre videatur, a quo tamen Orientales sunt alienissimi. Quidquid enim Ecclesia semper docuit, et adversus Donatistas propugnavit de integritate Sacramentorum, etiam si per malos et peccatis plenos ministros celebrentur, id agnovit Orientalis Ecclesia. Nam de Baptismo ita administrato nunquam dubitavit, quamvis de eodem ab Haereticis suscepto, aliquando variis Theologorum suorum opinionibus agitata fuerit. Fuerunt enim qui talem Baptismum penitus damnavere, neque modo susceptum ab illis haereticis, quorum Baptismum vetus Ecclesia rejecit, sed omnium qui a Jacobitica fide alieni essent, ut Nestorianorum et Calchedonensium, ut vocare solent Orthodoxos, quos in eadem classe collocant. In eum errorem casu potius, et temporum calamitate, quam certo consilio prolapsi sunt. Nam cum Canones Conciliorum veterum in Syriacam linguam transferrent, quod factum est paulo post occupatam a Muhamedanis Syriam, Carthaginiense octoginta septem Episcoporum sub Cypriano, reliquis conjunxerunt, tantique Martyris nomen illis fraudi fuit, dum homines veteris historiae haud satis periti, quae ab illis Episcopis de rebaptisandis haereticis constituta fuerant, eodem loco habuerunt, ac reliqua Conciliorum decreta. Itaque Concilium illud, Epistolae Cypriani, et Episcoporum sententiae referuntur in antiquissima Canonum Collectione Syriaca, quae extat in optimo Codice Mediceo, absque nota ulla censoria. Hinc occasionem, autoritatemque nacti Jacobitarum doctores praecipui, Severus in primis, Orthodoxorum Baptismum damnare coeperunt: nam extat in Syrorum Nomocanone similis ejus nomine Constitutio, quam nonnulli secuti sunt: prudentiores alii, non probaverunt. Verum haec ad Baptismum solum pertinebant: de reliquis Sacramentis ab homine diversae fidei celebratis, nihil videtur publice constitutum. Si quid a furiosis quibusdam zelotis, ulterius attentatum est, odio potius quam jure factum satis agnoscitur. Jacobitas enim quosdam Episcopos Eucharistiam a Melchitis seu Orthodoxis consecratam, proculcasse legimus, et vicissim a Graecis Latinorum, a Latinis Graecorum Sacramenta eodem modo projecta sunt, nullo jure. Sed de his non agitur in ista et similibus orationibus.

Istius autem haec sententia; orare Sacerdotem, ut Deus ad peccata Sacerdotis et aliorum, non attendat, aut eorum causa Christianum populum circumstantem, beneficio quod exspectatur privet, nempe effectu orationis, et elementorum propositorum consecratione. Ita enim, verbisque magis perspicuis, id significatur in Copticis orationibus. Quod a Sacerdotum merito, vitaque illorum inculpata effectus Sacramenti pendeat, nemo Theologus inter Orientales existimavit. Ita igitur orant ex cordis plenitudine, propriaque indignitatis conscientia, fatendo se tanto tamque mirabili ministerio indignos esse: timereque ne sui causa Deus gratiam et beneficium quod postulatur et

fide exspectatur, subtrahat. Fatendum scilicet eos quamvis de sacerdotali dignitate praeclare sentiant, de qua fuse loquuntur in orationibus quae ad Ordinandos Sacerdotes usurpantur, nescire tamen multa, quae de operatione Ministri ad consecrandum panem et calicem in corpus et sanguinem Christi subtilissime a nostris Theologis disputata olim fuerunt. Neque in ea opinione sunt, ut existiment Sacerdotem nisi imperando, nihil efficere: verum precibus Ecclesiae plurimum tribuunt: homini praeter ministerium nihil, nisi ut certam spem et fidem Sacerdos habeat, Deum per Spiritum sanctum, autorem, ut saepe vocatur, Sacramentorum et consummatorem, preces audire, et perficere invisibili effectu, id quod visibili ministerio celebratur. Non igitur rigide intelligenda haec oratio est: neque similes affectus in quibusdam aliis orationibus supprimendi, causa satis idonea videtur, quam Lusitani censores attulerunt in Synodo Diamperensi, inde existimari posse Sacerdotem non consecrare, sed Spiritum sanctum.

Plura de hoc argumento dici possent, et variis Theologorum autoritatibus confirmari, sed una sufficiet ducta ex Synaxario majore Ecclesiae Alexandrinae Ms. Arabico Bibliothecae Seguierianae. In eo ad diem XXX. mensis Cohiac, commemoratio fit Abbatis Joannis Archimandritae, famosi illius in Sceti ad S. Macarium Monasterii. In ejus vita dicitur illum cum Liturgiam celebraret et populo Sacramenta distribueret agnovisse divinitus peccatores et justos: saepeque vidisse Christum Dominum et Angelos super altare. Accidit quodam die ut Sacerdos malae famae, veniret ad Ecclesiam: cumque ad ostium pervenisset, vidit eum Joannes septum spiritibus immundis, qui fraenum ori ejus injecerant. Statimque vidit Angelum Domini egredientem ex altari, cum gladio flammeo, qui eos depulit. Intravit itaque Sacerdos ille in Ecclesiam et ubi ornamenta sacerdotalia induisset, totus igne circumdatus apparuit: sacris mysteriis celebratis et ornamentis depositis, ut Ecclesia pedem extulit, daemones iidem illum circumdederunt et abduxerunt. Hanc visionem narrabat Abbas Joannes, inquit autor, fratribus suis, ut doceret eos, quantum ad sacrum ministerium, discrimen nullum esse inter Sacerdotem justum, et peccatorem: quia propter fidem plebis, eodem modo panis efficitur corpus Christi: quia ut sigillum regis in quacumque materia sit, ferro vel auro, unum est; ita sacerdotium unum est: sed Deus reddit unicuique secundum opera sua. Historiam qualiscumque sit nihil moramur: neque enim ignoramus, quam faciles sint Orientales in referendis miraculis. Verum ex ipsis fabulis veritas elicitur: nam qui narrant sanationes divinitus factas ad sepulcra Martyrum, aut per illorum reliquias, frustra eos non invocari credunt: qui apparuisse carnem et sanguinem in Eucharistia credunt, illi verum Christi Corpus et Sanguinem illam esse non dubitant. Similiter ex illa narratione manifestum est Orientales credere Sacramentorum effectum a ministri dignitate non pendere.

Reliqua, cum communi omnibus Liturgiis disciplinae respondeant, nulla luce opus habent, satis ex se perspicua.

LITURGIA
PHILOXENI EPISCOPI
MABUGENSIS, SEU HIEROPOLITANI.

Oratio ante Pacem.

Deus vita omnium, lux ante initia rerum existens et nostris omnibus cogitationibus excelsior, dignos effice nos, ut cum timore stemus coram te, dantes nobis invicem pacem, in caritate unigeniti Filii tui: per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium cum Spiritu tuo sanctissimo, bono, adorando, vivificante, tibique consubstantiali, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det quisque pacem.

Populus. Dignos fac.

Diaconus. Postquam.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Dexteram tuam invisibilem Domine demitte, et benedic adoratores tuos, qui nunc inclinantur coram te: per multitudinem miserationum unigeniti Filii tui, per quem, et cum quo, te decet gloria, honor, et potestas, cum Spiritu tuo, sanctissimo, bono, adorando, vivificante, tibique consubstantiali, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos dicit Orationem super velum.

Te deprecamur in hac hora Domine, ut des nobis gratiam Spiritus tui sancti, et corrobores nos ad ministerium hoc spirituale, depellasque, et ejicias a nobis omnes cogitationes foedas, et phantasmata terrena: per clementiam unigeniti Filii tui: per quem, et cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo et bono, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae.

Sacerdos. Caritas Dei Patris.

Populus. Cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Dignum et justum est, ut omni hora te adoremus et laudemus, Pater, Fili et Spiritus sancte, unus Deus vere.

Elevans vocem. Te laudant coelestes, Domine, te exaltant terrestres: turmae etiam spirituales quorum agmina innumera supputari non possunt, ad invicem voces triumphales, sibi succedentes, cum exaltationibus praeclaris efferunt laudantes, clamantes, et dicentes.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus et laudandus es Domine Deus noster, qui misisti Filium tuum in mundum, is autem corpus assumsit ex Virgine Maria, perfecitque dispensationem, et salvavit figmentum suum, ab eo quod erat Deus, non recedens.

Elevans vocem. Volens autem voluntate sua gustare mortem, pro nobis, et perficere Pascha legale, [2] accepit panem in manus suas sanctas, et elevavit oculos suos ad te Deum Patrem: gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, et dedit ordini Apostolorum sanctorum, et dixit. Hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur, et dividitur, in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem vino et aqua miscuit, † gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, et dedit turmae Apostolorum sanctorum, et dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes. Hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effunditur, in remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc etiam praecepit, et admonuit eos: Quotiescumque mysteria haec celebrabitis, ad mortem et resurrectionem meam commemorandam facietis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Nos igitur peccatores, observantes mandata tua sancta et vivifica, memoriam agimus dispensationis tuae: nativitatis tuae ex Virgine: baptismi tui a Joanne: passionum tuarum voluntariarum: sepulturae tuae salutaris: resurrectionis tuae gloriosae, ascensionis tuae in coelum, et sessionis tuae ad dexteram Dei Patris: laudesque et exaltationes nomini tuo adorando offerimus: rursus etiam adventus tui secundi, in quo omnia operta in apertum expones. Et propter hanc dispensationem tuam salutarem, sacrificium hoc offerimus tibi; vocibusque gementibus et suspiriis deprecamur, ut non facias nos partem ignis illius ardentis, quia Chrisma [3] tuum sanctum signatum in nobis est: neque cruciandos nos tradas, in flamma illa flagrantissima, quia sigillo crucis tuae vivificantis obsignati sumus. Neque dominetur vermis stridens dentibus in membra nostra, quia corpus tuum sanctum conditum in nobis est. Non illam vocem terribilem nobis pronuncies, Discedite a me maledicti, non novi vos, quia fratres tuos vocasti et appellasti nos, ex aqua baptismi. Verum propter misericordiam tuam, colloca nos in regno tuo coelesti, et laetifica nos cum sanctis tuis gaudio indeficienti. Et propter ista praecipue, poenitens Ecclesia tua, et grex tuus deprecatur te, et per te, tecum clamat ad Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque Domine.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Dona paracletica Spiritus tui sancti, et vivificantis, mitte mihi nunc Domine: Spiritus illius qui neque tempore, neque quantitate, neque qualitate circumscribi potest. Qui super Jordanem fluvium in columbae specie apparuit, qui super Apostolos sanctos requievit, in similitudine linguarum ignis. Ipse sanctificet mysteria haec, meque peccatorem mundet, abluat, et purificet a passionibus peccati.

Sacerdos. Exaudi me, Domine.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut per illapsum suum, perficiat panem istum, corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod in hoc calice est, sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sint nobis mysteria haec vivifica, praeservantia ab omnibus iniquitatibus, daemones propulsantia, depellantia omnes sordidas cogitationes, et praeparantia ad regnum coeleste, per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor, et potestas, cum Spiritu tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Ecclesiae tuae, Pastoresque, Sacerdotes et Diaconos qui in ea sunt exorna timore tuo.

Elevans vocem. Et concede illis Domine tempora tranquilla et laeta: Illis etiam qui in ea praesident, da verbum evangelisationis cum virtute magna: quia apud te est fons vitae, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine etiam illorum qui pro Ecclesia tua solliciti sunt, et vigilant ad sustentationem eorum qui necessitatem patiuntur.

Elevans vocem. Inclina Domine aurem tuam, et audi voces et supplicationes adorantium te, suscipe oblationes et primitias quae ab Ecclesia tua offeruntur, quia tu susceptor es sacrificiorum et oblationum: et referemus tibi gloriam, et gratiarum actionem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui sanctissimo tuo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum fidelium, qui recte confitentur te, et concede illis victoriam adversus hostes eorum.

Elevans vocem. Aufer Domine a populo tuo fideli omnia bella hostium, visibilium aut invisibilium, et confirma nos in tranquillitate et pace omnibus diebus vitae nostrae; quia tua est victoria, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine amicorum tuorum Mariae Genitricis Dei, Beati Joannis, Stephani Martyris, et omnium Sanctorum.

Elevans vocem. Et nos fac participes Domine, orationum servorum tuorum, et praesta nobis, ut imitemur mores eorum, quia

ex te est omne donum optimum et perfectum, et referemus tibi gloriam, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Doctorum divinorum, eorum qui promulgaverunt verbum sanum doctrinae tuae, Ecclesiae sanctae, et adjunge nos ordinibus eorum.

Elevans vocem. Tu es enim Domine qui eos elegisti, et exhibuisti eos splendentes in saeculo. Per orationes et preces eorum, eripe nos a tentationibus adversis, et in ordinibus eorum colloca nos, quia a te sunt dona, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine defunctorum fidelium qui te induerunt ex baptismo: praesertim vero patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum.

Elevans vocem. Et deprecamur te Domine multae misericordiae, ut suscipias animas eorum in habitaculis Jerosolymitanis, sinuque Abrahamitico; neque reputes illis peccata quae commiserunt in hoc saeculo iniquitatibus pleno, quia ne quidem unus est ex natis mulierum, qui purus sit a peccatis, praeter Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, per quem nos etiam speramus misericordiam consequi, et remissionem peccatorum propter eum, et nobis et ipsis.

Populus. Quietem praesta et veniam concede.

Sacerdos. Extingue Domine et comprime passiones peccatorum, quae voluntarie aut involuntarie coram te commisimus, et deduc nos et defunctos nostros, in regnum tuum coeleste, ut in hoc in omnibus, et ab omnibus laudetur et extollatur nomen tuum benedictum, nec non Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax vobiscum.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit et signat Oblatam. Mox dicit Orationem ad Pater noster.

Deus Pater sancte qui habitas lucem inaccessibilem, cui ministrant Angeli: munda et sanctifica corda nostra, ut pronuntiemus

orationem quam unigenitus Filius tuus docuit discipulos suos sanctos, in puritate animae et sanctitate corporis: clamemus ad te Deus Pater misericordiarum, oremus et dicamus. Pater noster, qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. O mitis et veniae largitor, ne permittas nos incidere in tentationes graves, sed fortitudine dexterae tuae libera nos a tentationibus noxiis, quae superent vires nostras: quia tuum est regnum, virtus et laus, ut etiam unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc et semper.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Coram Domino.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Quia ex te est omne donum optimum et perfectum, et omnia munera laetitiae, rogamus te Pater lucis, ut illumines mentes nostras, et eorum qui inclinant colla coram te, nosque et illos dignos efficias, ut cum timore et concordia, communicemus corpori et sanguini unigeniti Filii tui, et referemus tibi gloriam, et gratiarum actionem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto, nunc etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Gratia sit.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Laudamus te, Domine Deus, et gratias agimus bonitati tuae, glorificamusque majestatem tuam, eo quod nos dignos fecisti accedendi ad mensam tuam sanctam et communicandi mysteriis vivificantibus. Te igitur obsecramus Domine, ne condemnes nos in die illo terribili judicii, sed libera nos a damnatione et confusione: adjunge nos consortio Sanctorum tuorum: et cum eis atque inter eos referemus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo; et Spiritui sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post communionem.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Adorationem offerimus tibi Rex sancte, Domine noster Jesu Christe, qui praestitisti nobis ut misceretur corpus nostrum corpori tuo sancto, et sanguis noster sanguini tuo pretioso. Idcirco adoramus majestatem tuam: laudamus divinitatem tuam: praedicamus misericordias tuas: non aberrantes a veritate tua. Deprecamur etiam te ut benedicas nos omnes, benedictionibus tuis coelestibus, et liberes nos a tormentis quae praeparata sunt operantibus mala. Dignare nos habitaculo quod promisisti diligentibus te, constitue nos ad latus tuum dextrum, et ignosce nobis peccata omnium nostrum aequaliter, et referemus tibi gloriam et laudem, Patrique tuo, et Spiritui tuo sancto, nunc et semper.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic, conserva et protege nos omnes.

IN LITURGIAM PHILOXENI

NOTAE.

Niceph. l. 16. c. 27. PHILOXENUS, aliter Xenaias appellatus, Graecis autoribus notus est ex Nicephoro qui Persam illam fuisse genere et servum conditione scribit, quique nec dum baptisatus, Clericum se mentitus fuerit et ad Antiochenam Ecclesiam venerit, a qua Calandion Episcopus Orthodoxus ejus nequitiam ex signis non obscuris agnoscens, illum expulit. Petrus vero Gnapheus illum *ἔτι ἀμύητον ὄντα τῆς γείτονος ἱερᾶς πόλεως πρόεδρον κατεστήσατο: licet nondum initiatum vicinae Hierapoleos antistitem constituit.* Is postea magnas contra Synodum Calchedonensem et Flavianum Antiochenum turbas excitavit, quas fuse recenset idem Nicephorus. Unde cum Monophysitae similes zelotas non paucos habuerint, quos magnis honoribus prosequuntur, Philoxenum inter eos locum habere mirum videri non debet. Ejus sane memoria celebratur in Diptychis multarum Liturgiarum Syriacarum: ut etiam nomen ejus recensetur inter Ecclesiae doctores in formula, quam Ordinandis proponi solitam reperimus in Pontificali Mediceo. Recensetur quoque in eorum numero, ab autore Tractatus

de fide Patrum, et a plerisque aliis Jacobitis: multa enim scripsit Syra sua lingua. Extat satis spissum volumen ejus Orationum Syriacus in Bibliotheca Seguieriana, antiquus et bonae notae, sed lacer et male habitus, in cujus titulis Xenaia quoque appellatur. Nomen istud Persicum non est, ut existimavit Nicephorus, sed Syriacum ex Graeco *Ξένος* formatum, quod hospitem et extraneum significat magis tamen, hunc et peregrinum, quam qui hospitalitatem exercet: quamvis Petrus Gnapheus Graece Philoxenum illum appellari maluerit. Fuit autem Episcopus Hierapoleos, quam urbem Syri *Mabouge*, Arabes *Menbige* vocant. De eadem urbe multa leguntur apud Geographos Arabes, Abulfedam, Yacutum et alios, ex quibus observationes eruditas collegit vir doctissimus Jacobus Golius in Commentario ad Alfraganum, quas consulere quisque potest. *P. 260.*

Ut porro rem nostram agamus haec Liturgia extat in aliquot vetustis exemplaribus, praecipue in Colbertino 3922°. In multis aliis, uno Colbertino 3921°. Seguierianis, et aliis, reperitur ejusdem tituli una, sed penitus diversa: quam subjiciemus. Tertia quoque occurrit in Codice Seguieriano, Philoxeni Episcopi Bagdadensis, de qua suo loco dicetur.

2. *Volens perficere Pascha legale.*

Idem legitur in aliquot aliis recentioribus, ut in praecedenti ex communi traditione, quae tamen plerasque rationes Graecorum ad fermentati panis necessitatem stabiliendam omnino conturbant. Nam si in Coena Paschali aut post eam statim Eucharistiae Sacramentum institutum est, eo pane Christum usum fuisse qui in mensa foret, et qui in ea adhibitus fuerat, verisimile esse, Latini non pauci, maxime veteres prope omnes cum Graecis disputantes statuerunt. Inde factum ut ex istis nonnulli Christum Pascha legale non celebrasse contenderint: quorum duos recenset Photius in Bibliotheca sua: *Cod. 115. et 116.* et extant aliquot fragmenta opusculorum de eodem argumento in variis codicibus Mss. *Lambec. Bib. Caes.* Inter Orientales Theologos, qui in ea sententia fuerint, pauci *l. 5. p. 37.* reperiuntur.

3. *Quia Chrisma tuum sanctum signatum in nobis est.*

Myron vox Graeca est usus Ecclesiastici, quam Syri, Arabes et Orientales reliqui suam fecerunt, ad significandum Chrisma, quo baptisati in fronte signantur. Praecipue vero apud Orientis Ecclesias ea voce significatur Sacramentum Confirmationis, ut in Latina appellatur. Cum vero simul administrari cum Baptismate soleat, per totum Orientem, ut olim in Occidente mos fuit, quando Episcopus aderat, multi temere Graecos et reliquos Orientales Christianos, Confirmationem agnoscere tanquam novae legis Sacramentum, negaverunt, eo magis, quod a Presbyteris apud illos administratur, non ut

apud nos, a solis Episcopis. Quam inanis esset illa accusatio, alibi probavimus: et ex isto Liturgiae loco satis intelligi potest, quam religiose de Myro, seu Confirmatione, quae idem est, Jacobitae sentiant, quorum ea in parte eadem est ac reliquorum Orientalium Christianorum fides et doctrina. Comparant enim illud cum Baptismo, et Eucharistia, quae duo Sacramenta agnoscere illos nemo dubitat. Orant quippe, ut igni aeterno non tradantur: quia signati sunt Chrismate, donumque Spiritus sancti acceperunt; nam in consignatione dicitur *Sigillum doni Spiritus sancti,* ut apud Graecos: tum, quia Eucharistiam acceperunt, quod exprimunt, ita ut metaphorae locus non sit, cum dicunt corpus Christi conditum et depositum fuisse in illis: tum quia per Baptismum regenerati sunt. Agnoscunt igitur gratiam, ut vulgo dicitur, sacramentalem in Chrismatis unctione, non minus quam in Baptismo, et Eucharistia, atque adeo illud Sacramentum esse confitentur.

Perpet. Tom. 5. l. 2. c. 11. etc.

Quod autem verbum hic usurpatur ad significandam consignationem, illam ex usu Ecclesiastico proprie designat, quae fit in omnibus Sacramentis impresso simul crucis signo, et ea observatur in Confirmatione administranda, nam unctio fit in crucis formam ut in aliis omnibus sacris caeremoniis, in quibus Chrisma adhibetur.

4. *Invocatio Spiritus sancti.*

Eadem quae aliis omnibus Liturgiis hic observatur Invocationis forma, Graecis persimilis, quam idcirco vexare inutile est: neque enim inter Codices bene multos Syriacos, quos tractavimus, unus alicujus antiquitatis reperitur, in quo aliter se habeat, si recentissimos quosdam a Maronitis reformatos excipimus. In ista legitur ut perficiat נגמור, ut in aliis נשמלי, quae duae voces respondent Graecae τελειώσῃ, quae perfectam et consummatam consecrationem significat. De illarum porro et aliarum quae in hac oratione usurpantur vocum significatione et tota quae inde oritur quaestione, cum alibi copiose dictum fuerit, nihil adjiciemus.

5. *Memento Domine Regum fidelium.*

Haec antiquitatis nota esse posset, si a Philoxeno scriptam hanc Liturgiam fuisse constaret: nam vixit ille sub Christianis Imperatoribus, et iis qui ex ejus sententia, rectam fidem propugnabant, Zenone scilicet et Anastasio, quos maximis laudibus efferunt Jacobitae, et inter sanctos suos collocant, ut patet ex Coptitarum Kalendario. Sed nihil inde effici potest, cum eadem formula sit in aliquot Liturgiis, quorum autores sub Muhamedanorum imperio vixerunt: ut alibi observavimus:

LITURGIA
PHILOXENI II[a]. HIEROPOLITANI.

Primum. Oratio ante osculum pacis.

Domine Deus potens et incomprehensibilis: abscondite et ininvestigabilis: tranquillitas et gaudium superiorum: pax et laetitia inferiorum: caritas indivisibilis: et dilectio fraudis expers: gaudium justorum, triumphus piorum, spes Sanctorum: refugium lugentium: ad te clamant animae nostrae: et deprecantur te spiritus nostri, ut uno vinculo caritatis nos invicem conjungas, et in osculo sincero, et pace omnis doli vacua, adoratores tuos unias: fiamusque tibi unum corpus indivisum, quod te glorificet, unigenitumque Filium tuum, et Spiritum tuum sanctissimum, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos elevans vocem. Deus largitor benedictionum et distributor donorum: potens in muneribus, et dives in auxiliis, benedic dextera tua potenti et brachio tuo excelso, oves gregis tui spiritualis, et mitte illis de sublimibus sanctis tuis, omne datum optimum et omnia dona perfecta. Imple etiam corda eorum gaudio et voluptate tua spirituali, ut satientur gaudio vultus tui, et pinguedine domus tuae, referantque tibi gloriam et laudem, simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto et optimo.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem. Deus lux vera et ineffabilis, qui es sine principio, causa, et tempore: pater lucis, et splendoris aeterni: illuminator mundi, et conditor creaturarum, qui per amorem

tuum infinitum erga homines, misisti Filium tuum unigènitum ad salutem nostram: qui absque ulla mutatione incarnatus est ex Spiritu sancto, et ex natura humana: salvavitque genus nostrum a corruptione et morte peccati, deditque nobis vitam, adoptionem et regnum coeleste. Tu nunc etiam Domine per multas abundantesque miserationes benignitatis tuae, suscipe sacrificium hoc coram te propositum, ad propitiationem delictorum nostrorum, et remissionem peccatorum nostrorum: ut abstersi per emundationem, et aspersionem hyssopi tui, efficiamur templa munda ad habitationem gloriae tuae, et locus habitaculi [2] sanctitatis tuae: et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.
Diaconus. Stemus decenter.
Populus. Miserationes, etc.
Sacerdos. Caritas Patris, etc.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Sursum corda.
Populus. Habemus ad Dominum.
Sacerdos. Gratias agamus Domino.
Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Te decet hymnus et laudatio: tibique debetur adoratio ab omnibus ordinibus superioribus, et inferioribus, infimaeque conditionis: neque sufficiunt linguae omnes ad laudandum te; sicut convenit honori tuo: quia tu per bonitatem tuam aeternam sublimis es, et supra sanctificationes omnes, per excelsam incomprehensibilitatem tuam.

Elevans vocem. Tu in throno tuo excelso splendide, et clementer extolleris, per cantus spirituales, hymnosque triumphales suaves, substantiarum simplicium et materiae expertium: per rotas spirituales et terribiles: per diversos jubilos Angelorum fortium; per cantica suavia Angelorum: per concentus dulces Principatuum: per choreas et tripudia Virtutum: per citharas spiritu compositas Potestatum: per voces puras et gratas Dominationum: per clamores terribiles Thronorum: per tonitrua tremenda exultationis Cherubim multioculorum: per volatus ardentes Seraphim sex alis instructorum, qui oribus igne textis et labiis carbonibus opertis trinam sanctificationem concinunt, clamantes, vociferantes et dicentes.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater: Sanctus unigenitus Filius tuus sanctus: Sanctus Spiritus tuus sanctus: qui creasti per gratiam tuam genus humanum; habitationemque in paradiso dedisti illi, voluptatemque qualis in eo erat, praeparasti. Cum autem a maligno ejus deceptore seductus fuisset, et a te in exilium pulsus, dejectus est ad infimam sortem, humilitatemque mortis, et cum ad ea translatus fuisset, misisti Verbum Deum unigenitum Filium tuum, qui absque mutatione incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine benedicta. In mundo secundum dispensationem suam conversatus est, reduxitque nos ad patriam nostram pristinam.

Elevans vocem. Qui cum universam dispensationem suam salutarem et vitae plenam, complevisset, virtutesque et miracula universis creaturis exhibuisset, potestatemque rebellis et seductoris undique sustulisset: atque ad passionem salutarem per amorem erga homines suum veniens, agnum illum legalem [3] cum turba discipulorum suorum comedisset: accipiens panem in manus suas puras, sanctas, immaculatas et impollutas, elevans oculos in coelum, aspexit ad te Deus Pater et gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis sanctis dicens: Accipite: comedite ex eo: Hoc est corpus meum, quod vos et multos fideles praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam et calicem vino et aqua temperatum, accepit et gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † et dedit iisdem discipulis Apostolis suis sanctis: dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus Testamenti Novi, quod vos et multos fideles praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Semper autem ita facite ad commemorationem mortis meae: quotiescumque enim panem hunc manducabitis et calicem hunc bibetis, mortis meae memoriam facietis, et resurrectionem meam annuntiabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine.

Sacerdos elevans vocem. Universam periodum dispensationis tuae Domine, commemorantes, obstupescimus, et admiramur judicia inscrutabilia tua: abyssumque impenetrabilem dispensationis tuae salutaris propter nos: conceptum tuum, per quem benedicti fuerunt omnes concepti: nativitatem tuam mirabilem, et miraculo plenam:

Baptismum tuum sublimem et admirandum: miraculorum tuam operationem, ad quam mentes obstupescunt: passionem tuam placidam et salutarem: mortem tuam vivam et vivificantem: sepulturam tuam plenam spe et salute: ascensionem tuam de terra in coelum: sessionem ad dexteram Dei Patris: adventum tuum e coelo secundum et terribilem, quando coram te ordines flammei stabunt, et principatus spirituales tibi ministerium exhibebunt: cum resurrectionem hominum omnium facies: et in justitia unicuique secundum opera sua retribues: cum opera igne examinabuntur, omniaque secreta et occulta in apertum prodibunt: cum impii et iniqui tenebras exteriores, et stridorem dentium haereditabunt: maligni, oppressores, et fures in ignem foveae inferioris projicientur: in vinculis, baratro, tinea et verme in aeternum futuri: cum pii, justi et sancti, in tabernaculis luce splendidis habitabunt, et in vestimentis puris super nubem lucidam extollentur: et ad thalamum gaudio plenum, in domum regni ascendent. Miserere Domine, illa hora sententiarum ferendarum, agnorum ovilis tui, qui signati sunt cruce tua salutari: et depelle flammam a corporibus in quibus absconditum est corpus tuum sanctum: et prohibe vermem et tineam ab ovibus quae comederunt te cum fide: protege etiam corpora, quae sanguine tuo tincta sunt, a tenebris omni luce carentibus. Conserva quoque captivos tuos a vinculis perditionis: et propter haec et similia Ecclesia et grex tuus deprecatur te, et Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora, etc.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere nostri Domine, secundum multitudinem miserationum tuarum: peccata etiam et delicta quae commisimus coram te, dele et munda: absterge quoque maculas nostras hyssopo tuo, omnia dealbante: et mitte super nos et super oblationes istas quae tibi offeruntur, spiritum tuum sanctum, et illas sanctifica: illum Dominum vivificantem, aequalem tibi essentia, gloria, virtute et voluntate, et unigenito Filio tuo ipsum qui locutus est per Prophetas, sanctificavitque efficacem operationem suam in Martyribus et Sanctis.

Populus. Orate.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Ut illabens, efficiat panem quidem istum † corpus vivum et vivificans, † corpus salutare, † corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum, et vitam aeternam, suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, efficiat, † sanguinem Testamenti Novi, † sanguinem salutarem, † sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam, suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut per sanctitatem suam, sanctificent corpora peccatorum, et mundent animas eorum qui maculati sunt, fiantque erga eos omnes qui illis communicaturi sunt, ad propitiationem delictorum et criminum, abolitionemque peccatorum, et nequitiarum: ad fermentum benedictionum et sanctitatis: ad liberationem ab omnibus dolis maligni, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Audi Domine orationes, et precationes nostras: neque avertas faciem miserationum tuarum a nobis propter peccata nostra multa. Suscipe quoque a nobis sacrificium hoc, sicut oblationem justorum, qui spem habuerunt in majestate tua. Memento Ecclesiae tuae sanctae, et omnium Pastorum: praecipue vero sanctorum et beatorum Patriarcharum nostrorum DD. N. et N. Episcopi quoque nostri D. N. cum reliquis omnibus Episcopis Orthodoxis: concede quoque illis virtutem et potestatem, ut pure et sancte pascant illam. Memento Domine Sacerdotum qui in ea ministrant, et omnium Ordinum, qui honori tuo separati sunt. Memento etiam Domine, mei infirmi servi tui: non abjicias me, propter ea quae in me odio digna sunt: neque memores mihi peccata quae te ad iracundiam provocant. Verum dele et aufer peccata mea, et culpas, totiusque gregis tui redemti per crucem tuam.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Et cum te ad auxilium et opem imbecillitatis nostrae invocamus, Domine ne despicias supplicationem adorantium te: atque exaudi preces gregis tui spiritualis, Pastor bone et vere: salva agnos tuos et libera possessionem tuam a manu ho-

minum impudentium. Adjuva pauperes et male habentes: libera afflictos et oppressos, et eos qui a spiritibus malis tentantur eripe: rege orphanos, satia famelicos plenitudine benignitatis tuae. Da auxilium illis qui sunt in itinere, et illis qui in mari, fluctibus et tempestatibus agitantur; et protege Ecclesiam tuam, quae per crucem tuam redemta est: exalta quoque ejus praesules, per firmam veritatis fidei observantiam, et referemus tibi gloriam etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine illorum qui curam gerunt Ecclesiae tuae sanctae, et qui pauperes adjuvant et necessitate pressos; ut eos qui separaverunt, et obtulerunt oblationes, vota et decimas ad altare tuum sanctum, concedeque illis retributionem donorum sublimium, in utroque saeculo.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Retribue Domine bona, et benedictiones abundantes, omnibus qui sollicitudinem et curam gerunt pauperum et peregrinorum; et illis esto adjutor et refugium. Omnes etiam qui visitant captivos, infirmos et afflictos: omnesque qui curam habent Ecclesiarum et monasteriorum sanctorum, custodi absque damno: liberaque illos a scandalis; praeparaque illis habitacula nova, et lucis plena, voluptatemque in regno coelesti, et referemus tibi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Comprime Domine tumultus Regum, militum et inimicorum qui bella gerunt: et reple tranquillitate ecclesiam tuam sanctam: libera eam a tumultibus, dissensionibus, et divisionibus, ut cum sedulitate glorificemus te, et in tranquillitate honoremus te.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Rex coelestis, et gubernator omnis creaturae Domine, compesce reges et exercitus qui bella movent, comprime pugnas a finibus orbis: libera gregem tuum a bellis, dissidiis, et contentionibus: exalta Ecclesiam tuam vocibus orationum, canticisque deprecationum: et depelle ab ea offendicula et schismata: orna illam doctrinis Orthodoxis, et doctoribus amplectentibus veritatem fidei: auferque ab ea rixas haereseon perniciosarum, et referemus tibi gloriam etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento quoque Domine, omnium piorum et justorum, Patrum et Prophetarum sanctorum, qui ab Adamo, usque

ad hanc diem tibi placuerunt; Martyrum etiam, Confessorum, et Ascetarum tuorum; Virginis quoque conjugium non expertae Mariae: Joannis Baptistae: Stephani Martyris et primi Diaconorum, omniumque qui simul cum illis sustinuerunt passiones, tormenta, et lacerationes, ut per supplicationes eorum, ab omnibus damnis praeservemur.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Constitue et numera nos Domine inter agmina sanctorum tuorum: inter ordines eorum qui dilexerunt veritatem tuam: inter coetus piorum et justorum qui expectaverunt salutem tuam: inter congregationes Martyrum qui occisi sunt in spe tua: inter praeclaras catervas solitariorum et religiosorum, qui moribus suis placuerunt tibi: in accubitu Monachorum et Virginum familiarium tuorum: in circuitu Apostolorum qui annunciatores et praedicatores fuerunt veritatis tuae: in theatro praeconum et Prophetarum, qui viderunt revelationem tuam: inter festa, exultationes et triumphos agonistarum, qui perfecerunt voluntatem tuam, in regione gaudii et voluptatis indefectibilis tuae, ut cum illis et inter eos referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Apostolorum, et totius coetus Evangelistarum, eorum qui a tempore adventus tui salutaris, ad hanc usque diem Ecclesiam tuam sanctam dilataverunt doctrinis sanctis, sudoresque et labores magnos pro ea susceperunt et sustinuerunt.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Congregationes tuas domesticas, commemoramus tibi Domine: invocamusque ad auxilium nostrum illos qui fuerunt luminaria spiritualia, depuleruntque tenebras peccati ab orbe universo: qui fuerunt fontes jucundi odoris, qui potaverunt populos aquis dulcibus fidei: magistros illos doctrina divites, qui terram veris doctrinis inundaverunt: praedicatores veritatis: scrutatores rerum verarum: felices et strenuos operarios, qui ex terra exstirpaverunt spinas et zizania peccati; qui deduxerunt gregem tuum spiritualem in semitis rectis mandatorum tuorum vivificantium: et ad illos confugientes Domine, in habitaculis et haereditate eorum maneamus: inter choros eorum laetemur et gaudeamus: in convivio eorum epulemur, et per gratiam tuam, cum illis perfruamur bonis coelestibus, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine ad altare tuum coeleste, et ad illud coram quo consistimus, Sacerdotum, Diaconorum, omnium quoque qui ad ministerium tuum animas suas consecraverunt: solitariorum, monachorum, et omnium fidelium, in quorum membris absconditus est sanguis tuus, tanquam pignus vitae; propitius existens delictis illorum et nostris, animasque eorum et spiritus collocans in habitaculis lucis et quietis.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Fac Domine pervenire servos tuos, qui decubuerunt cum spe tua in fide, ad bona illa coelestia, deliciasque indeficientes: et gaudia illa indefectibilia, et voluptates quae non pereunt: ad portum in quo conquiescunt fatigati et jactati: ad convivium illud, in quo exultant Martyres et Confessores, coenamque praeparatam beatis omnibus: praeservans eos ab igne, tenebris et verme qui non moritur, quia nullus est liber a peccatis et delictis inter omnes homines, nisi unus Dominus et Salvator noster Jesus Christus unigenitus filius tuus, per quem nos quoque misericordiam consequi speramus, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Parce populo tuo fideli Domine: peccataque et delicta eorum non recorderis eis; neque manifestentur maculae eorum a justitia tua, illo die quo judicaturus es omnes generationes hominum, et separaturus malos a bonis. Verum expande super nos alas gratiae tuae, ut liberemur a minis et increpationibus quae impiis praeparatae sunt, mereamurque egredi super nubes leves in occursum tuum: et cum invitatis tuis in thalamo tuo spirituali laetemur visioneque tua divina perpetuo, cum gaudio perfruamur: atque in hoc sicut in omnibus glorificetur, laudetur, et celebretur nomen tuum, honorabilissimum et benedictum, simulque Domini nostri, Jesu Christi et Spiritus tui sancti.

Populus. Sicut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint, etc.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater abscondite, incomprehensibilis et ininvestigabilis: qui sublimitate in regno tuo excelso elevatus es: Rex coelestis, qui laudibus spiritualibus celebraris a mille et decies mille Angelis: creator omnium, et dispositor linguarum: doctor verbi rationalis, et perfector sermonum: qui suscipis orationes, audis preces, et respondes petitionibus: qui per bonitatem tuam naturalem et commiserationem aeternam tuam, misisti filium tuum in mundum: et liberavit nos a peccato, morte et Satana: nos etiam docuit viam vitae et semitas salutis plenas: quique orationem Dominicam promulgavit et demonstravit nobis. Praesta nobis Domine, etiam nunc, ut ab iniquitate liberi, remotique ab omni dolo, odio et malitia, purgatique ab omni fraudulentia, et soluti a vinculo peccati, repleti omni puritate et sanctitate, audeamus invocare te Deum Patrem sanctum et omnipotentem, orare et dicere: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum, etc.

Sacerdos. Pater Sancte, et Sanctorum sanctificator, conserva nos in ea sanctitate, quae a te profluit et venit, et libera nos ab omnibus insidiis et versutiis calumniatoris: aufer a nobis inspirationes peccati, et vincula delictorum: et protege sensus nostros sub alis gratiae tuae. Dirige gressus nostros in semitis mandatorum tuorum: quia tuum est regnum, virtus et gloria, et unigeniti filii tui, et Spiritus tui sanctissimi, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te.

Sacerdos elevans vocem. Inclina Domine aurem tuam ad preces et orationes servorum tuorum, qui coram te, hoc tempore inclinant colla sua: et cum deprecationibus, lacrymis et suspiriis ad te clamant. Respice illos et mitte illis Domine ea quae recte petunt: asperge super eos hyssopum tuum sanctum, et dealba illos: mitte super illos imbrem clementiae, miserationum et salutis: protege illos, et ab omni angustia atque rebellione serva illos: ut digni fiant susceptione mysteriorum tuorum sanctorum et vivificantium, ut con-

spiciamur liberi a peccatis et delictis suis, splendeantque sicut sol in regno tuo coelesti, quia tu es bonus, et multae misericordiae: cum unigenito filio tuo et Spiritu tuo sancto, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos dicit orationem gratiarum actionis. Gratias agimus tibi Domine Deus noster, pro omnibus tuis erga nos beneficiis: quod liberasti nos a peccato, et praeparasti ad regnum tuum coeleste: quod eduxisti nos ex ore draconis spiritualis, et habitare fecisti nos in Ecclesia tua sancta: quod vocasti nos filios tuos per gratiam, et tradidisti nobis dispensationem mysteriorum tuorum sanctorum et coelestium: quod cum alieni essemus, domesticos tuos fecisti nos per unigenitum filium tuum: qui commiscuit corpus suum corporibus nostris et sanguinem suum miscuit membris nostris: promisitque nobis regnum quod non perit: bona quae non transeunt, et voluptates quae finem non habent. Eapropter laudes puras referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Christe Deus noster, clemens et misericors, qui es propitiatio, et mundatio omnium peccatorum, suscipe oblationes istas, quae a nobis tibi oblatae sunt, sicut oblationes piorum omnium antiquorum, qui exspectaverunt spem tuam, ut attenti, neque spoliati in illis perseveremus: et deliciis mensae tuae spiritualis digni efficiamur, simulque fiducia coram throno majestatis tuae, in illo, quo exorieris die gaudii, laetitiae et exultationis cum sanctis tuis in regno tuo

coelesti: simulque tibi referemus gloriam et laudem; Patrique tuo, et Spiritui tuo sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

IN SECUNDAM PHILOXENI LITURGIAM

NOTAE.

Quae Philoxenum spectant, dicta sunt ad priorem ejusdem tituli Liturgiam, quam ab ista diversam omnino esse satis constat ex praecipuis orationibus, praesertim ex forma verborum Christi, et Invocationis Spiritus sancti. Verba diversa sunt, sed sententia ut in aliis omnibus eadem. Agnoscunt Maronitae recentiores, Philoxeni Liturgiam apud Jacobitas extare; sed quaenam ex duabus quas damus, illis nota fuerit, non significant. Quod autem Naironus illum fuisse Episcopum Berrhoeensem scribit, verum non est. Nam *Mabouge* seu *Menbige*, ut Arabes hoc nomen efferunt, est Hieropolis. Sed Liturgias illas omnes Syriacas, Maronitae recentiores etiam qui aliqua doctrinae laude claruerunt, tam indiligenter tractaverunt, ut illorum judicia nullius ponderis esse debeant. Quod ejus scripta simul cum Homiliis Sanctorum Patrum publice lecta dicit Faustus Naironus, verisimile est: pleraque enim Ethica sunt de Christianorum officiis, neque alia continet vetustissimus Codex Seguierianus, nulla quae ad Theologiam, et ad Monophysitarum opinionis confirmationem spectent: qualia tamen illum edidisse constat ex testimoniis relatis in Tractatu de fide Patrum, et in diversis Theologorum Jacobitarum scriptis.

Nairon. Evopl. p. 52.

2. *Locus habitaculi sanctitatis tuae.*

Dupliciter haec verba intelligi possunt: prior sensus est is quem versione expressimus qui praecedentibus respondet. Alter, si ultima vox plurali numero accipiatur, quod duobus punctis superpositis Syri significant, et illa saepe omittuntur, talis est *locus habitaculi Sanctorum tuorum:* sancta autem hic intelligi oportet τὰ ἅγια sive *sacra mysteria.*

3. *Agnum illum legalem, cum turba discipulorum tuorum comedisset.*

Idem legitur in priori Liturgia, et in quibusdam aliis, ex communi Ecclesiarum prope omnium traditione: in qua tamen opinione non fuisse Hippolytum Romanum, ut illum vocant Orientales, neque Mar Joannem, testatur Barsalibi in Commentario ad Evangelium Matthaei, ut in Tractatu de Feria quinta majori et Eucharistiae institutione cap. 5. videnda quae diximus in notis ad Liturgiam Dioscori.

LITURGIA

SEVERI ANTIOCHENI

QUAE IN ALIIS CODICIBUS TIMOTHEI ALEXANDRINI DICITUR.

Oratio ante osculum Pacis.

Deus opifex omnium, praecipue vero hominis, quem secundum similitudinem tuam, fecisti rationalem, et ad id quod est illum produxisti, illumque donis tuis divinis ornasti: qui legem caritatis mutuae nobis posuisti, qui vis ut omnes unum simus, sicut tu et unigenitus Filius tuus, Dominus et Deus noster Jesus Christus unum estis: tu ergo nos ab omni hypocrisi liberans, et corda nostra conjungens per communicationem, et gaudium Spiritus tui sancti, fac nos dignos apprecandi mutuam pacem in osculo sancto, unum corpus et unus Spiritus existentes, sicut et vocati sumus in una spe vocationis nostrae: per Christum Jesum Dominum nostrum, cum quo te decet gloria et honor.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Diaconus. Demus pacem unusquisque, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Domine Deus qui dilectum Filium tuum demisisti

e coelis ad nos, ut nos in terra positos in sublime ad te extolleret, inclina etiamnum corda nostra, ad obediendum mandatis tuis, destruens altitudinem tenebrosam quae extollitur in nobis adversus scientiam tui, et captivans omnes cogitationes nostras, secundum formam humiliationis Filii tui, qui lubens humilis factus est propter nos, per beneplacitum tuum Deus Pater, et cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus mysteriorum ineffabilium, et inaccessibilium, penes quem sunt thesauri absconditi scientiae et sapientiae, qui ministerium officii istius nobis revelasti, cum adhuc infantes essemus, ut non amplius tanquam Sacerdotes Judaici, super pectus ferremus pectorale revelationis et veritatis judicii, in sancta Sanctorum prospicientes, sed sanctitate induti verbum et germen ex sinu tuo, Pontificem magnum; dignare, ut quandoquidem ignem alienum non habemus, accedamus ad te: sed per Spiritum tuum sanctum liberans nos, combure omnem vetustatem nostram sordidam, et ad gregem tuum rationalem sanctifica et praepara nos, ut extra carnem facti, et omnem cogitationem corruptibilem a nobis depellentes, atque e terra in coelum pervenientes, tecum simus mente purissima, o Pater Luminis, et possimus digni fieri hoc sacrificio quod tibi offerimus, ad confirmationem offerentium, et ad veniam et recreationem eorum qui olim decesserunt, Patrum et Fratrum nostrorum, per gratiam et misericordiam unigeniti Filii tui, quia te decet gloria, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Quam cogitationem habere possumus, aut quam vim sermonis adipisci ad glorificationem quae tibi debetur referendam, Rex regum et Deus omnium: qui virtutes intellectu praeditas condidisti, et creaturam sensibilem fecisti, qui ex visibili atque invisibili fecisti hominem, capacem omnis excellentiae, et similitudinis divinae, ut nihil esset illorum quae a te facta sunt, quod gratiae tuae particeps non esset, ita ut etiam pulvis, contemplatione gloriae tuae

beatus efficeretur, bonisque Angelorum ditaretur: ut per omnia opera te agnitum opificem admiraremur; et cum summo silentio, te honoraremus.

Elevans vocem. Etenim coetus Angelorum, ordines antiqui Archangelorum, Throni dudum positi, firmi et immobiles, Potestates et Principatus, majestates Virtutum, celsitudo Dominationum, spiritus justorum, Ecclesia primogenitorum descriptorum in coelis, Cherubim multioculi, Seraphim sex alis instructi, naturae maxima scientia praeditae, trementes a divinitate tua invisibili et incomprehensibili, ad se ipsas conversae, et intentae ad invisibilitatem et incomprehensibilitatem visionis, laudant, hymnumque de Patre et Filio et Spiritu sancto, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Quis enim idoneus sit ad explicandam potentiam tuam, aut quis narrabit laudes tuas? Tu scilicet vere sanctus es, Deus Pater et omnium rerum principium, et qui a te est Filius, aequalis aeternitate et sapientia; singulariter ex substantia tua, nec temporaliter ortus, aequalis omni honoris genere cum Deo. Sanctus etiam et sanctissimus Spiritus tuus vivificans, et omnia perficiens, qui a te Pater, absque initio et tempore processit. Omnes igitur supernae virtutes glorificant te, et unigenitum Filium tuum, et Spiritum tuum sanctum, unus enim es in tribus. Quis vero scrutari possit profundum amoris tui erga homines; qui cum rei essemus transgressionis praecepti, Deum Verbum, Filium unigenitum splendorem gloriae, salutis nostrae dispensatorem esse voluisti? Qui ex beneplacito tuo et voluntaria animi sententia, dispensationem illam pro nobis suscipiens, incarnatus est, ex sancta Dei genitrice, semperque Virgine Maria, sanctificata per adventum Spiritus sancti: conceptus, natus, factusque idem omnino quod nos, corpus, animam, mentem, totumque adeo hominem assumsit, et per dispensationem suam dignitate plenam, nobis ascensum ad coelos fecit.

Sacerdos elevans vocem. Qui cum passionem salutarem, et crucem, ad memoriam nobis reliquit, ille nequitiarum nostrarum medicus, oblationem sui pro nobis offerens tibi Deus et Pater: accepit panem in manus suas, et extendens eas in coelum, benedixit, † sanctificavit, † fregit, † divisitque discipulis suis Apostolis dicens: accipite, edite ex eo, quia Hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur et datur ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem accepit, postquam coenaverunt, miscensque vino et aqua, † gratias egit † et sanctificavit, † et divisit discipulis suis Apostolis dicens: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei memoriam: quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem hunc bibetis, mortem meam annuntiabitis.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Hoc igitur sacrificium incruentum perficientes Domine Jesu, deprecamur amorem tuum erga homines, pter quem in sacrificium dedisti te ipsum pro nobis. Meminimus etiam manifestationis tuae secundae, gloriosae, et timore plenae, quando sedebis super sedem excelsam et timendam, stabuntque coram te millies milleni Angeli, igneusque fluvius descendet et impios absumet absque misericordia: omnes quoque homines rationem reddent operum suorum, nullum jam aut accusatoris, aut patroni opus habentes, sed ipsa eorum opera quae egerunt, recensebuntur, ipsae etiam cogitationes aut accusabunt, aut excusabunt: quando quale sit opus cujuscumque hominis [2] ignis probabit; quando neque sapientibus, neque doctis erit excusandi locus, in illo tempore timore pleno, cum tremor et terror in omnes creaturas rationales cadet, et omne os obstruetur, et confusio impios et insipientes tenebit: quando frater auxilio non erit, et nihil juvabit commiseratio, neque patres salvabunt: quando sequetur ultio absque misericordia, illos qui non fecerunt misericordiam. Illo tempore, ne avertas faciem tuam a nobis, neque despicias haereditatem tuam, ita ut cruciatibus absque fine tradatur. Ne haeredes simus tenebrarum absque ulla luce, ne facias nos Domine alienos a consortio tuo, neque abneges nos, et dicas nobis, quia non novi vos; ne statuas nos in latere sinistro, illorum qui viderunt te esurientem, nec paverunt te: infirmum, neque visitaverunt te: sed agnosce nos et numera nos in coetu illorum, qui fecerunt voluntatem tuam. Propter haec enim populus tuus et haereditas tua deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum.

Invocatio Spiritus sancti.

Sacerdos. Miserere mei Deus Pater omnipotens, et respice ad gemitus et suspiria populi tui, neque respicias Domine, labia mea

impura, aut vocem immundam, aut mentem malitia plenam; sed suscipe super altare tuum spirituale et coelo sublimius, hoc sacrificium in odorem suavitatis: Et mitte nobis de excelso sancto tuo Paraclitum Spiritum tuum, Dominum, vivificantem, qui in Lege, Prophetis et Apostolis locutus est; qui ubicumque praesens est, et replet omnia; qui etiam potestate propria sanctitatem in iis qui digni sunt, operatur.

Sacerdos. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison *ter.*

Sacerdos. Super nos et super has oblationes propositas et sanctifica illas, [3] ut panis quidem iste fiat corpus vivificum, corpus coeleste, corpus salutare animabus corporibusque nostris, corpus Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam suscipientibus illud. Et mistum quod est in hoc calice faciat sanguinem Novi Testamenti, sanguinem vivificum, sanguinem salutarem, sanguinem Domini Dei et regis omnium Jesu Christi in remissionem peccatorum, et vitam aeternam accipientibus illum.

Sacerdos prosequitur. Domine quemadmodum illa per gratiam et virtutem tuam perfecta sunt, ita fac illis omnibus quicumque illorum participes futuri sunt, neque ullus per duritiam cordis sui iracundi, aut impoenitentis teneatur, aut prohibeatur ab accessu ad mysteria, sed omnes ad bonam voluntatem tuam converte [4] et dispone, quia tu es qui facis, convertis, et ordinas quodcumque ad bonum. Timorem tuum in nobis insere, et spem vitae aeternae, tibique gloriam referemus et unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Propter abundantiam gratiae tuae Domine, digni facti sumus [5] perfectione oblationis divinae, et confidimus satis, quod quae a te petimus consecuturi sumus. Deprecamur te, ut memineris Ecclesiae tuae Catholicae quacumque diffusae, et custodias eam in operibus bonis et observatione mandatorum tuorum. Memento Domine Episcoporum Orthodoxorum: memento Sacerdotum, et Diaconorum, praecipue illorum qui adsunt, et orant nobiscum. Memento Domine etiam mei peccatoris. Da mihi ut intelligam, quanta dignitas sit adstandi coram altari tuo sancto; et quidquid animo pusillo aut puerili jucundum est, a me aufer, ne illud mihi sit in onus gravissimum in die illo terribili rationis reddendae; libera etiam me ab omni operatione virtutis sinistrae, neque perdas me cum iniquitatibus meis, neque in aeternum iratus, reserves mala mihi: sed

demonstra erga me gratiam tuam, me licet indignum salvans secundum miserationes tuas, ut glorificem te semper omnibus diebus vitae meae.

Elevans vocem. Ecclesiam tuam sanctam, quae est a finibus ad fines terrae, conserva in doctrina veritatis, ut quoniam illa est corpus Christi tui, conjungatur simul cum capite suo. Etiam errorem impium, et a Diabolo ortum depelle ex animabus nostris: aufer operarios mercenarios et iniquos, maculas haereseon dele, neque permitte ut per eas blasphemetur nomen tuum inter gentes. Genimina haeretica quae nunc in Ecclesia tua nata sunt, procul ab ejus circuitu depelle, neque negligas corpus sacerdotale Ecclesiae, ita ut inique discindatur, sed memento reliquorum Orthodoxorum, neque obliviscaris testamenti tui, quia pauperes facti sumus valde. Verum adjuva me Deus et Salvator noster, propter gloriam nominis tui: et referemus tibi gloriam et laudem.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine benefactorum nostrorum, quocumque modo, et retribue illis dona abundantissima, ut etiam illis qui pauperes sustentant, qui peregrinos suscipiunt, et necessitatibus sanctorum communicant, et omnem bonorum fructuum fertilitatem offerunt. Retribue illis in die judicii justi. Memento etiam Domine eorum qui hodie obtulerunt has oblationes, et eorum pro quibus oblatae sunt, et eorum quicumque idem in mente habuerunt.

Elevans vocem. Esto Domine viduis sustentator, orphanis refugium, senibus baculus, juventuti paedagogus, et illorum qui injuriam patiuntur adjutor, eorum qui a malis spiritibus tentantur liberator. Miserere illorum qui doloribus et infirmitatibus conflictantur, solve illos qui omni genere oppressionis aut persecutionis obsidentur. Incurvatos dirige, eos qui ceciderunt erige, neque sinas, ut somnum peccati ullatenus dormiamus, qui ad mortem aeternam deducit: sed nos omnes per poenitentiam purifica et per lacrymas conversionis: et referemus tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine [6] Regum Orthodoxorum et terram, simulque quidquid super illam est, pacifica: ut vitam tranquillam et quietam ducamus, vacuam et liberam a turbis et contentionibus.

Elevans vocem. Reges fideles et pacem amantes pacifica per potentiam tuam excelsam, et ordines eorum qui ministerium et auxilium praebent adversus hostes regni Christi tui; adjunge illos, et

domesticos fac, atque ad timorem tuum eos adduc, et incende eos zelo fidei Orthodoxae: ut cum tranquillitate Ecclesias tuas regant: quia tu Deus es volens misericordiam: et tibi gloriam referemus.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine et illorum qui a principio coram te illustres fuerunt, Patrum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Joannis Baptistae, Stephani Diaconi, Sanctae Genitricis Dei, et omnium piorum et justorum.

Elevans vocem. Da nobis Domine mores qui conveniant sanctis, amicis tuis, et dignos effice nos parte illorum qui mysteriis tuis divinis initiati fuerunt. Profer nobis verbum Apostolicum quod spiritualem alimoniam praebet fidelibus, quia tu es inopum sustentator, et indigentium repletor, qui figmento tuo per multiplices salutis effectus, das causas vitae: quotidie enim aperis tu manum tuam omnibus sufficientem, et imples quodcumque vivit bona voluntate tua. Libera etiam nos Domine ab omnibus malis, et communibus saeculi cladibus, et averte omnem iram et plagas ab omni creatura, et referemus tibi gloriam etc.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Episcoporum, et Doctorum qui steterunt in Ecclesia tua et doctrinis suis paverunt oves tuas spirituales, et errabundas ad te converterunt: praecipue vero D. Jacobi principis Episcoporum et reliquorum sanctorum Patrum.

Elevans vocem. Sapientes et nuncios mysteriorum verae fidei, lumina et stellas quae populum tenebris obscuratum illustraverunt, fundatores Ecclesiae sanctae, Theologiae electae interpretes, curatores gregis empti sanguine unigeniti Filii tui [7] laetifica per visionem vultus tui, o pastor et largitor scientiae divinae. Et nos qui vestigia eorum sequimur, et passiones eorum aemulamur, custodi in sanctitate. Emitte nobis fontem perennem doctrinae eorum, et effice nos dignos vocatione, ad quam vocati sumus. Salva nos ab omni errore haeretico, et ab omni fovea et laqueo alienorum a timore tuo; ut in die illo ultimo sententiarum ferendarum, in coetibus patrum nostrorum locum habeamus, et inter agmina eorum numeremur, et referemus tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Psaltarum, Interpretum, Confessorum, Monachorum, virginitatem perpetuam profitentium. Fortem animum, et modestiam quae illis convenit tribue, et omnium homi-

num generis qui in Christo obierunt et pro quibus haec oblata sunt, memento.

Elevans vocem. Omnium illorum qui ex carne et sanguine ad te Domine universae carnis, profecti pervenerunt, animabus, corporibus et spiritibus praesta quietem in sinu Abraam, Isaac et Jacob, in paradiso voluptatis, in loco quietis, et tabernaculis sanctorum, ubi est multitudo eorum qui festum agunt celeberrimum: ubi est perfectio vitae sine molestiis, et primitiae promissionum ineffabilium: quarum consummatione dignos illos effice, non reputans illis omnia delicta eorum, neque intrans in judicium cum servis tuis, quia non justificatur coram te omnis caro. Unus enim et solus super terram absque peccato communicavit carni, et impetum desideriorum peccati, qui ex carne oritur, plane eradicavit, ita ut nullus in eo illis omnino locus esset, Dominus ac Deus noster Jesus Christus unigenitus filius tuus, per quem et nos speramus. etc.

Sacerdos inclinatus. Et vitam nostram temporalem Domine, guberna et praepara in occursum unigeniti Filii tui, ut quando venerit cum Angelis Sanctis in gloria tua, o Pater, ad congregandos sanctos suos, non deficiamus ad occursum passionibus affixi, onere peccatorum quae commisimus praeponderante, cum electi rapientur obviam ei per aëra. Praesta ut etiam nos simul cum illis hymnos triumphales canamus, et cum gloria et laude dicamus, Benedictus qui venit in nomine Domini: ut in hoc sicut et in omnibus glorificetur et laudetur nomen tuum. etc.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos. Domine omnipotens, cujus magnum nomen est: Domine qui fecisti omne quod est, et cogitationem: qui cum essemus peregrini a testamentis promissionum, et alieni a republica Israëlis, adduxisti nos ad hanc cognitionem: et qui pulsare ad ostium non poteramus, nos ad penetralia sanctuarii introduxisti in ea quae desiderant Angeli prospicere; purifica, et sanctifica mentes nostras, et praesta ut depellentes omnem materialem cogitationem, et curam hujus saeculi, quaeramus tantummodo regnum tuum et justitiam tuam, et sicut jussi sumus, orationem hanc corde puro recitemus et dicamus. *Pater noster.* O Domine qui non permittis ullum tentari supra id quod potest, sed tribuis etiam illi cum tentatione proventum,. ut possit sustinere, libera nos ab omni tentatione, cujus fuga

sit difficilis, et ab omni operatione, et depraedatione maligni, per Christum Jesum Dominum nostrum, cum quo te decet gloria. etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Deus qui tantopere dilexisti nos, et dedisti nobis jus adoptionis filiorum ita ut filii Dei vocaremur, et essemus haeredes quidem tui, Pater, cohaeredes autem Christi tui: inclina Domine aurem tuam et exaudi nos, coram te capita inclinantes et purifica interiorem nostrum hominem, sicut purus est unigenitus Filius tuus, quem suscepturi sumus. Fugiant a nobis fornicatio, et cogitationes immundae, in nomine Dei qui ortus est ex virgine: superbia autem, et elatio mala depellantur a nobis, per illum qui se ipsum humiliavit: pusillanimitas, per eum qui passionem in carne sustinuit, et signum victoriae crucis erexit. Vana gloria a nobis compescatur per illum qui percussus et flagellatus est, neque avertit faciem suam a sputorum opprobrio: invidiam, homicidium, dissensionem et odium auferat a nobis, Agnus Dei qui tollit peccatum mundi: furor et ira procul a nobis fiant, per illum qui diabolum et inimicum traduxit crucifixione sua, et chirographum delictorum nostrum scidit. Omnem terrenam cogitationem aufer a nobis, per illum qui nos secum assumsit in coelum, ut pure communicemus sacramento purissimo, sanctificemurque perfecte in corpore, anima et spiritu, et referamus tibi gloriam. etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Benedictio Dei sit etc.

Diaconus. Cum timore.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Sacerdos. Quam gloriam, aut quam laudem, aut quam retributionem gratiarum actionis referemus tibi, Deus amator hominum, quia nobis qui mortis rei, et dudum immersi peccatis eramus, libertatem donasti, et participes nos fecisti alimenti istius immortalis et coelestis, et omne mysterium quod a saeculis et generationibus erat absconditum nobis revelasti, ut illud notum fieret Virtutibus, Principatibus et Potestatibus coelestium, per Ecclesiam. Sapientia tua superat omne quod sapiens existimatur, et supra omnem comprehensionem haec nostra dispensas. Quanta haec est omnis dilectio ca-

ritatis, quam magna est sollicitudo tua paterna, quantum pelagus gratiae tuae vere etiam tibi gloriam referimus et unigenito Filio tuo.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Domine Deus spirituum et omnis carnis, qui fecisti nos dignos communione hac divina, et susceptione gratiae tuae, tu omnes sensus nostros a mortalitate passionum libera: statue etiam illis principii vice timorem tuum et mentem interiorem. Oculus nihil obscoenum aspiciat: auditus non pateat verbis otiosis, et cantibus lascivis. Labia nostra quae te glorificant, purifica: effice ut manus nostrae abstineant ab operibus nequitiae, et extensae sint ad misericordiam praestandam; gressus nostros averte a semitis peccati, et ad cursum Evangelii dirigantur: in omnibus membris nostris insere timorem tuum, et mentes nostras confirma, ut habitet in nobis divinitas tua. Et sicut Moyses qui ministraverat cultui umbrarum et figurarum, quando descendit de monte, agnitus fuit a filiis Israël, quod cum Deo conversatus esset: ita etiamnum, sed perfectiori et diviniori modo, gratia tua adveniat et exoriatur super eos qui mysterio hujus ministerii spiritualis consecrati sunt, apparentes tanquam luminaria in mundo, et tenentes verbum vitae: salvans nos a cruciatu qui finem non habet, transmutans figuram corporis humilitatis nostrae, in similitudinem gloriae tuae, in vita beata, et indeficienti et referemus tibi gloriam et laudem, et Patri tuo qui misit te ad salutem nostram, et Spiritui tuo sanctissimo, et adorando, vivificanti tibique consubstantiali etc.

AD LITURGIAM SEVERI OBSERVATIONES.

1. *Severi.*

Quam celebris sit illius memoria nemo ignorat, cum ipse Jacobiticam sectam per annos multos propagaverit, et infinitam librorum copiam ad illius causae defensionem ediderit. Etsi vero multa jam aliunde nota erant, cum

eorum fragmenta passim reperiantur in Graecis Catenis, plures longe indicavit ex antiquissimis Codicibus Bibliothecae Seguierianae, Vir doctissimus D. Bernardus de Montfaucon. Etsi Graece plerumque scripsisse videatur, multa Syriace extant in variis Manuscriptis. Patria ejus fuit Sozopolis, et ea ratione legitur in Officiis Syrorum Jacobitarum: *de Severo gloriatur Sozopolis:* laudaturque quod Leonem Romanum, oves Christi devorare cupientem, et Calchedonense Concilium debellaverit. Haec Liturgia reperitur in paucis Codicibus, neque usus illius frequens esse videtur: sed quod ejus recensio facta fuisse dicatur a Dionysio Barsalibi, non mediocrem eidem Liturgiae autoritatem conciliat. Sane antiquitatis plus quiddam habere videtur, quam multae aliae posterioribus saeculis compositae, in quibus autores genio uberrimae linguae suae nimium indulserunt, majorque est istius simplicitas. Edidit Guido Fabricius Boderianus Officium Baptismi, quod apud Syros vulgo usurpatur, et Severo tribuitur, Antiocheno scilicet, ut habent omnes Codices, et res ipsa demonstrat: non Alexandrino, qui nullus unquam fuit. Subjecit Ordinem Liturgiae Generalem, qui in multis simillimus ei est, quem ex Codice Colbertino transtulimus, et quem Boderianus absque autoritate Severo attribuit: ad quem nullatenus pertinebat, et de quo dictum est superius.

2. *Opus cujuscumque hominis ignis probabit.*

Nihil hoc loco intelligendum est de igne purgatorio, quamvis hunc *Enchir. c. 68.* Apostoli locum Augustinus, et Gregorius Nyssenus ita interpretati fuerint, ut ex eo communis Ecclesiae Catholicae doctrina possit confirmari: sed agitur de extremo Judicio. Quamvis enim de quaestionibus circa animarum purgationem, quae tantopere Graecos et Latinos vexaverunt, pauca aut nulla Theologice tractata legantur in Orientalium libris: agnosci tamen facile potest illos veteris Ecclesiae doctrinam et disciplinam de utilitate orationum, et sacrificii Eucharistici oblatione pro mortuis, constantissime retinuisse. At in isto articulo causa praecipue versatur, et si Graeci, Latinos calumniandi libidine caruissent, lites illas componere facile fuisset. Verum cum neque Severi, neque Barsalibii qui Liturgiam recensuit aetate agitarentur, in ista et similibus orationibus, neque unde Syri accusentur quaerendum est, neque doctrina illis attribuenda, quae licet vera et pia, nondum tamen apud illos *Perpet. T. l. 5. 3. c. 9.* satis explicata fuerat. Videnda quae observavimus alibi de eodem argumento.

3. *Invocatio Spiritus sancti.*

Eadem ac in reliquis Liturgiis hujus orationis sententia, et eadem prope verba: cum illo solum discrimine, quod uno tenore dicitur, quae antiquitatis nota est non dubia. Ita enim agnoscitur illam ita pronunciatam fuisse, ut continuam cum sacramentalibus verbis Christi sententiam efficeret: qua ratione

evanescit maxima illarum ambiguitatum pars, quibus illam obscurare multi conati sunt, cum tamen nulla magis perspicuc et minus obscure veritatem fidei de vera elementorum transmutatione stabiliat. In aliis Liturgiis interjicitur acclamatio *Amen*. Illa tamen fortasse subintelligi debet, quia in Cod. MS°. omnia fere quae populus dicit, omissa sunt, quae supplere ex aliis Liturgiis facile est.

4. *Omnes ad bonam voluntatem tuam converte et dispone quia tu es qui facis, convertis et ordinas quodcumque ad bonum.*

Simplex haec est et orthodoxa expositio doctrinae de gratiae divinae ad bona opera auxilio, nullis ambagibus obnoxia. Orientales de Pelagio, multo minus de Pelagianorum reliquiis vix quidquam audierunt, tametsi habeant in suis Collectionibus Canones Africanorum Conciliorum, in quibus Pelagiana haeresis damnata est, atque adeo de peccato originali, de Baptismi necessitate, et praecipuis doctrinae Orthodoxae articulis, hac in parte conveniunt cum Ecclesia Catholica. Haec vero oratio etiam id significat, quod omnia Deus operatur, convertit et dirigit ad bonum, quae sententia alteri contraria non est, sed eam confirmat, et explicat.

5. *Digni facti sumus perfectione oblationis divinae etc.*

In his verbis non nihil obscuritatis est, quam discutere, ita ut simplici versione verborum Syriacorum vis exprimatur, non est facile. Dictum est alibi et semper in animo habendum, multas quae in Syriacis Liturgiis usurpantur voces ex Graeca potius origine, quam ex nativa sua intelligendas. *Perfectio* igitur nibil minus hic significat, quam actionem qua Sacerdos sacramentum perficit seu consecrat: sed respondet graecae voci τελετή. Illa autem non modo apud scriptores Christianos, verum apud alios, sacrificium, mysterium, et sacra significat. Eo sensu, nulla est difficultas. Gratiae vero aguntur Deo non de consecrationis effectu, sed de divino beneficio, quod per mysterium suscipitur.

6. *Regum Orthodoxorum etc.*

De illa formula saepius dictum est, demonstratumque nullum ex ea capi posse vetustatis indicium: quamvis enim a primis Ecclesiae saeculis repetenda illius origo sit, cum Imperatoribus Christianis conveniat: ex veteri instituto in multis Liturgiis servata est, etiam ex quo infideles Orientis imperio potiti sunt. Olim quidem nominabantur pii et religiosi Imperatores: Orthodoxi dici coeperunt a Jacobitis illi demum, qui ut Zeno et Anastasius, illorum

sectam opibus suis, quantum fieri poterat, juverunt, quod Severi aetati convenit.

7. *Laetifica per visionem vultus tui.*

Eorum memoria in hac oratione fit, qui habentur in Sanctorum numero: atque ita videntur Liturgiae autores, et qui eam recensuit, existimasse, Sanctos plenam perfectamque felicitatem nondum esse consecutos. Eam opinionem Graeci recentiores altercando, et Latinos calumniando impeditissimam fecerunt, et nuper Dositheus Hierosolymitanus Patriarcha vir sane doctus, magno molimine tuendam suscepit. Quamvis Syri quorum opera Theologica vidimus, mediocrem in ea expendenda operam posuerint, ad eam tamen videntur inclinasse, cum Moses Barcepha cujus maxima apud eos autoritas est, eam probaverit, animasque Sanctorum in Paradiso voluptatis, ad ultimum judicii diem quiescere affirmaverit. Quod vero Syri eam opinionem, veluti *κυρίαν δόξαν* et quae ad fidem pertineret, eadem pervicacia, qua Graeci, propugnaverint, non apparet. Quod enim in Officiis exequiarum variisque orationibus pro mortuis, oratur Deus, ut animas illorum collocet in sinu Abrahae, in locis voluptatis, super aquas refectionis, et si quae sunt alia ex variis sacrae scripturae locis desumta, figurate non Theologice esse intelligenda, vel eo solo demonstratur, quod Ecclesia Latina similibus locutionibus utitur, etsi a Graecis vehementissime dissentiat.

Perp. T. 5. l. 8. c. 9. et 10.

In Enchirid. c. ult.

De Parad. p. 1. c. 18.

LITURGIA JACOBI

COGNOMENTO BORDAYAEI,

SEU, UT GRAECI PRONUNCIANT, BARADATI.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater pacis, sanctissime, quique solus bonus et beatus es, qui parens et autor es tranquillitatis, et fons absconditus pacis, caritas infinita, et misericordia nullis terminis circumscripta; tu Domine praesta nobis per gratiam tuam, ut cum pace quae nos ab omni dolo et fraude praestet immunes, amanter amplectamur invicem in

osculis sanctis, quae te deceant et unigenitum Filium tuum Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum; et per eum, simulque cum eo, te decet gloria et honor cum Spiritu tuo sancto nunc et semper, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Demus pacem.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Et nunc Domine miserator, postquam pace tua divina delectati, et caritate tua pura simul conjuncti sumus, colla demittentes, et inclinati, deprecamur abundantiam bonitatis tuae, ut effundas super nos omnia bona tua et benedictiones tuas coelestes, per eumdem Christum unigenitum Filium tuum: cum quo te decet gloria et honor, cum Spiritu tuo sancto nunc, etc.

Oratio ad Velum.

Te obtestamur Domine dominantium; fiduciam habentes in caritate mansuetudinis tuae, et precamur te, ut sicut misertus es nobis, per unigenitum Filium tuum, et per eum commendasti nobis mysteria haec adoranda et sancta; ita etiam per eumdem depellas et ejicias a nobis omnem phantasiam mundanam; concede nobis spiritum castitatis et sanctitatis, ut caste, et praeclare stemus coram te, et operemur tibi ministerium hoc mysticum, quod commendavit nobis unigenitus Filius tuus, per quem et cum quo te decet gloria et honor, cum Spiritu tuo sanctissimo, et bono.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus, etc.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Tibi juste debetur laus, et te decet gratiarum actio, tibique aequum est adorationis cultum exhiberi, ab omnibus

quae per bonitatem tuam creasti, Pater, Fili, et Spiritus sancte in saecula.

Elevans vocem. Misce etiamnum Domine hymnos et laudes imperfectas nostras, cum laudibus Vigilum [2] et Angelorum qui perpetuo glorificant te, et junge cantus, et psalmos nostros imbelles cum cantibus illis suavissimis igneorum et spiritualium ordinum, qui indesinenter laudant te; simulque junge cantus insuaves nostros cum cantibus praeclaris Cherubim, qui cum timore benedicunt tibi, et voces tenues sanctificationum nostrarum, cum sanctificationibus suavissimis Seraphim sex alas habentium: qui ter sanctificant te, duabus alis tegentes facies suas, propter aspectum terribilem tuum: duabus autem tegentes pedes suos ab ardore tuo: duabus autem volant ad alterutrum, voce magna clamantes et dicentes.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus, Sanctus, Sanctus es, Domine Sanctorum, Deus Pater: qui misisti ad nos Salvatorem Dominum Christum, qui a te genitus est ab aeterno, non temporaliter, et natus est ex Deipara Virgine Maria, nativitate humana, Deus tamen permanens absque mutatione, secundum naturam, aut personam.

Elevans vocem. Qui cum perfecisset totam dispensationem suam salutarem, supra humanae naturae conditionem, propter nos, ipse Verbum Deus, incarnatus, vespere illo quo futurum erat ut pateretur voluntarie, accepit panem [3] communem in manus suas sanctas, et gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † et fregit, deditque turbae suae Apostolicae, et dixit ad eos. Hoc est corpus meum, accipite et manducate ex eo, [4] quia absque dubio illud frangitur pro mundi vita, eritque vobis et omnibus in me credentibus, ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et postquam coenavissent, accepit calicem mistum vino et aqua, in manus suas puras, et gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † et dedit discipulis suis, dixitque ad eos: Hic est Sanguis meus Testamenti novi, accipite, bibite ex eo vos omnes: absque dubio enim ille effunditur pro mundi vita, eritque vobis et omnibus, qui in me credituri sunt, ad propitiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque igitur manducabitis panem hunc, et calicem hunc bibetis, mortem et resurrectionem meam commemorabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Secundum praeclaram tuam traditionem dominicam, super hoc sacrificium mysticum et divinum, memoriam agimus totius periodi dispensationis tuae, pro nobis: conceptionis tuae, et nativitatis tuae ex Virgine Deipara Maria: baptismi tui in Jordane, a Joanne praecursore tuo; passionis et mortis tuae voluntariae: sepulturae tuae et resurrectionis tuae de sepulcro, post tertium diem; Ascensionis tuae gloriosae, et sessionis magnificae tuae ad dexteram Patris tui. Rursus memoriam agimus adventus tui tremendi et formidandi e coelis, quando revelabitur gloria majestatis tuae, supernis simul et infimis; quando excitabit valida vox tua omnes mortuos e sepulcris, absque corruptione: quando in igne secernes justos ab iniquis, et fideles ab infidelibus, veracesque a mendacibus: quando pudore confundentur Judaei, qui te crucifixerunt, et confundentur infideles, qui te contemserunt et tabescent haeretici, qui te contumeliis affecerunt: quando laetabuntur justi qui te dilexerunt, et exultabunt Sancti qui te amaverunt: laetitiaque et gaudio cumulabuntur praeclari illi viri, qui tibi adhaeserunt: quando gloria ornabis Prophetas, et Apostolos super thronos gloriae collocabis, Martyresque et Confessores coronabis: quando Pastores et Doctores Orthodoxos stola gloriae indues, solitariosque et religiosos ad mensam regni tui accumbere jubebis, Virginesque et pudicos in thalamum lucidum regni tui introduces: quando filios dexterae ad regnum vocabis, et filios sinistrae in gehennam quae non extinguitur, cum diabolo et copiis ejus amandabis. In illo tempore Domine plene misericordiarum, quo haec omnia perficientur, bonosque a malis separabis, cum electis tuis statue nos; cum illis scilicet qui perfecerunt voluntatem tuam numera nos; cum illis qui recte laudaverunt te, conjunge nos: cum illis qui praedicaverunt te Deum incarnatum absque immutatione, simul cum bonis moribus, constitue nos, et cum iis qui placuerunt tibi per fidem et opera bona, ad mensam bonorum regni tui cum voluptate colloca nos. Ecclesia tua Domine Deus noster Jesus Christe, quae credit mortem et resurrectionem tuam, et adorat crucem tuam, gemebunda deprecatur te pro his omnibus, et Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit orationem Invocationis Spiritus sancti.

Te invoco Domine Deus, fiduciam habens in misericordia tua, ut mittas super nos gratiam Spiritus sancti, qui aequalis est tibi et unigenito Filio tuo, secundum essentiam et naturam; qui descendit super unigenitum Filium tuum in Jordane flumine et super Apostolos sanctos.

Elevans vocem. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ille ipse Spiritus Paraclitus, veniat et illabatur super mysteria haec praeparata, et per illapsum inhabitationis suae, efficiat panem istum, Corpus vivificum Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et Calicem hunc perficiat sanguinem propitiatorium Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos autem efficiat per gratiam suam puros et mundos, atque ita, dignos dono hoc mystico, quia tu es bonus, et multae misericordiae, et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Sacerdos inclinatus. Offerimus tibi Domine dominantium sacrificium hoc spirituale, pro universa Ecclesia Catholica emta sanguine Christi tui: praecipue vero pro Episcopis, Sacerdotibus, et Diaconis, et pro omni populo zelante orthodoxorum: et mihi infirmo, quique misericordia indigeo veniam tribue et mei miserere.

Elevans vocem. Compesce Deus bone et veniae largitor, ab Ecclesia tua sancta, bella et pugnas: eos qui mysteriorum ejus sunt dispensatores, instrue sapientia adversus omnes haereses quae illam impugnant, et veritatem tuam ignorant: Sacerdotes ejus honestate, Diaconos fac castitate commendandos, imple eam tranquillitate, caritate et concordia quae a te provenit: quia tu misericors es et multae misericordiae, tibique gloriam referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine totius populi fidelis

qui in nomine tuo refugium quaerit, et salutem tuam expectat, et unicuique auxilium et beneficia concede.

Elevans vocem. Et suscipe Domine Deus sacrificium servorum tuorum in odorem suavitatis: largire illis per clementiam tuam, tempora bona, et plena gaudio, concedens per gratiam tuam infirmis et afflictis sanitatem, et consolationem: in necessitate constitutis, armaturam bonam: vinctis et captivis libertatem: peccatoribus, et criminum reis, remissionem, quia a te est omne donum bonum, et tibi gloriam referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. [5] Memento Domine per gratiam tuam quae omnibus sufficit, Regum qui veram Religionem profitentur, qui curam gerunt Ecclesiae tuae et Monasteriorum tuorum sanctorum, victoriisque perfectis corona illos.

Elevans vocem. Adjuva etiam illos qui in maribus, aut laboriosis itineribus sunt, Domine, et eos qui a malignis spiritibus infestantur, libera. Potentiam Regum Tyrannorum comprime, et liberationem perfectam ab omnibus quibuscumque inimicis nobis tribue, quia tu salvator, et liberator omnium es, et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, hoc tempore hujus sacrificii, omnium sanctorum, qui fuerunt a saeculo: praecipue vero semper Virginis sanctae genitricis Dei Mariae, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Solitariorum, et reliquorum Agonistarum praeclarorum pro vera Religione.

Elevans vocem. Ut per orationes eorum acceptabiles, suscipiatur sacrificium hoc tenuitatis nostrae, coram majestate tua, et digni efficiamur nos, et qui ex nobis defuncti sunt, pari cum eis sorte, et deliciis quae ipsis praeparatae sunt, quia tu sanctus es, et in sanctis beneplacens, et tibi gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Pastorum et Doctorum Ecclesiae Orthodoxae, eorum qui a Petro et Paulo huc usque praedicaverunt Evangelicam praedicationem in orbe universo, praecipue vero S. Jacobi [6] Bordaeï.

Elevans vocem. Eorum qui in unaquaque generatione praefuerunt populo tuo fideli, quique lumine praeclaro doctrinae suae

Evangelicae illustraverunt tenebras gentium, et persecuti sunt obscurum errorem haereseon, quae blasphemabant impie adversus Incarnationem Verbi unigeniti Filii tui, et [7] unionem in natura, cum carne assumta ex sancta genitrice Dei dividebant; gregemque sacerdotalem ab omnibus perniciosis pascuis dogmatum perversorum elongaverunt: quia ad orationes eorum confugimus, ut in fide prudentes simus, habitaculisque eorum lucidis digni efficiamur, et lumine vultus tui, cum voluptate perfundamur: quia tu benignus es erga unumquemque qui in te sperat, et tibi gloriam referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine per abundantem clementiam tuam, omnium defunctorum fidelium, qui ex hoc loco aut ex nobis morte divisi sunt, in confessione Orthodoxa, atque etiam ex omni loco: patrum, fratrumque nostrorum, tam secundum carnem quam secundum spiritum: Sacerdotum, Diaconorum, Monachorum, hospitum, alienorum, praesertim vero eorum pro quibus offertur hoc sacrificium.

Elevans vocem. Domine Deus spirituum et omnis carnis fac ut illi omnes quorum meminimus, et illi etiam quorum non meminimus, qui in fide Orthodoxa ex vita hac mutabili migraverunt, digni fiant vita indefectibili, in sinu Abraham, Isaac et Jacob, ubi sunt omnes sancti: ubi dolores et angustiae non reperiuntur, sed ubi beatitudo et gaudium regnant tantummodo: ubi unigenitus Filius tuus tecum ab omnibus glorificatur; per quem etiam misericordiam consequi, et revelationem faciei coram te speramus, et propter eum tam nobis quam ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Quietem praesta Domine in habitaculo regni tui omnibus qui in spe tua obdormierunt, et libera nos atque illos ab igne inextinguibili, et a verme qui non moritur. Dignos fac nos voluptate illa quam oculus non vidit, et auris non audiit, neque in cor hominis ascendit quae electis tuis praeparata est, ut in hoc et in omnibus glorificetur et laudetur nomen tuum benedictum, et unigeniti Filii tui et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Miserationes Dei sint super vos omnes.

Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus dicit Catholicam. Iterum atque iterum, etc.

Sacerdos signat et frangit Oblatam, et mox dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater sancte, et qui sanctitatem largiris Sanctis; qui etiam sanctificasti nos per sanctitatem quae a te est, per unigenitum sanctum, qui a te genitus est ab aeterno, et non temporaliter: qui tecum adoratur, et glorificatur substantialiter a millibus et decem millibus incorporeis: qui homo factus est ex genitrice Dei Maria conjugii experte, naturaliter et personaliter, absque ulla mutatione: qui sacramenta haec adoranda et vivifica nobis commendavit, et orationem hanc paternam ad te, docuit nos. Tu igitur tanquam Pater filiorum amans, praesta nobis ut simus tibi filii, digni nomine tuo sancto: filii perfecti adimplentes voluntatem tuam et observantes praecepta tua: ut cum revelati vultus fiducia qualis filios decet, invocemus te, Deus Pater coelestis et sancte, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Pater sancte, qui bona voluntate tua et per Filium naturalem tuum largitus es nobis, ut filii tui vocaremur per gratiam tuam: idcirco deprecamur te ut dignos efficias nos omnes sanctitate nominis tui et regno tuo aeterno, liberationeque a maligno, et a tentationibus gravibus, quia tuum est regnum et excellentia, et potentia et laus, ut etiam unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Coram Domino etc.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Coram potentia majestatis tuae Domine inclinamus colla nostra, et cum lacrymis suspiriisque deprecamur te, ut dignos efficias nos susceptione mysteriorum istorum sanctorum, et vivificantium, corporis et sanguinis unigeniti Filii tui, et sint ad nobis expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam:

quia tu omnia potes, teque decet omnis gloria et honor, simul cum unigenito Filio tuo, et Spiritu sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Miserationes Dei sint, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta Sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus, etc.

Sacerdos. Unus, etc.

Sacerdos dicit Orationem Gratiarum actionis.

Gratiarum actionem debitam offerimus majestati tuae incomprehensibili, Domine, propter salutem hanc quam praestitisti nobis per unigenitum Filium tuum, qui ab initio ante constitutionem mundi praeparabat mysterium hoc absconditum a generationibus et a saeculis, quod infirmis et imbecillibus nobis revelatum est, et datum. Offerimus ipsum [3] tibi deprecatorem pro nobis, ut in eo, et per eum liberemur a judicii venturi damnatione, et digni efficiamur coronis gloria splendidis hominum beatorum, et cum ipsis referamus gloriam et laudem unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Postquam, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Tibi fili unigenite Patris unici Jesu Christe Deus super omnia, gratias agimus, laudamusque summam tuam erga nos benignitatem pro omnibus beneficiis tuis, qui nos contemtibiles, infirmos, perditos, errantes, egenos, aegros, contritos, captivos, vinctos, passionum servituti subjectos, adorantes daemonia, tenebris obsitos et absque Deo, per incarnationem supernaturalem tuam fratres tuos et filios Patris tui, participesque Spiritus sancti perfecisti nos per baptismum divinum, et corpori et sanguini tuo sancto univisti nos. Idcirco petimus a te Domine et Deus noster, bone, benigne, et veniae largitor, ut non in reatum et accusationem sint

nobis mysteria tua sancta, sed ad praeservationem ab omnibus malis, et ad liberationem et conservationem ab omnibus angustiis, et ad emundationem ab omnibus maculis, et ad consequendam purgationem perfectam ab omnibus praevaricationibus, et ad susceptionem omnium benedictionum et bonorum, et liberationem a Belial venatore animarum, et ad effugienda amarissima suspiria quae finem non habent, reservanturque operantibus mala, et ad consequendas delicias sempiternas, quae repositae sunt operantibus bona: ut cum illis qui digni erunt haereditate tua, laetemur in tabernaculo regni tui, quod auferri non potest, et referemus tibi gloriam et laudem Patrique tuo et Spiritui sancto tuo nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

IN LITURGIAM JACOBI BARADATI

NOTAE.

1. *Liturgia Jacobi.*

Hoc nomine famosissimi apud Syros Jacobitas extitere plures, quos aeque, non modo ut Sanctos, sed ut Ecclesiae suae praecipuos Doctores venerantur, et in Diptychis commemorant. Is quem a Graecis Zanzalum vulgo appellatum fuisse testatur Nicephorus, et quem Syri sui, duplici cognomine designant, Syriace quidem scribentes, *Fasselita*, Arabice *Bardaï,* quam vocem Syriace exprimunt, ut hic scripta est, *Bordyaea:* Graeci *Baradatum* pronuntiant. Alii recentiores fuerunt, Botnanensis, seu Serugensis: Edessenus, famosus apud eos Theologus, et scripturae interpres. Primus de quo dicendum est, cujusque nomine hanc Liturgiam habent, ut etiam duorum alterorum singulas, *Bardaï* appellatus est *quod ei amictus erat, e segminibus Albaradaï seu dorsualium quae jumentis insterni solent, consutis.* Verba sunt Eutychii Alexandrini secundum versionem Pocockii. Favet huic etymologiae ejusdem vocis Ὁμολογία ut graece vocatur seu Confessio, quae Syro-Jacobiticarum Ordinationum ritu exigitur ab ordinandis, in qua Jacobus ille inter alios Doctores recensitus appellatur *Fasselita,* cujus vocis origo est, ab ea quae *Segmenta* significat, qua significatione ῥακενδύτης apud Graecos recentiores usurpatur. Conjectura tamen esse potest *Bardaï* vocatum esse ab urbe *Bardaa*, quae non longe ab Istachara aberat, in montana Regione,

Niceph. l. 18. c. 52.

Eutych. Tom. 2. pag. 147.

quam Geographi nonnulli Armeniae attribuunt. Illum enim Episcopum fuisse Nestoriani Autores testantur, qua de re nihil apud Jacobitas nobis occurrit. Verum cum inter tot Syriacas Liturgias nulla sit quae alicujus autoris, qui Episcopus aut Patriarcha non fuerit, nomen praeferat, ex eo indicio haud fortassis temere conjici potest, in simili Jacobum dignitate fuisse. Si Nestorianos audimus, Marin Salomonis filium, et Amrum ejus abbreviatorem, postquam Severus Antiochiae Episcopatu quem occupaverat dejectus, in Aegypto obiisset: ut ejus discipulus et assecla Jacobus Serugensis, Jacobus ille de quo agitur, mirifice sectam ejus per totam Syriam propagavit, praecipue Takritae in Armeniae finibus, ubi Jacobitae sedem Catholici sui, seu *Mofriani* ut illum vocant, dudum constituerunt, et in vicinis urbibus. Illic magnam eorum caedem fecit Peroses seu ut Persae scribunt *Firuz:* et ex ea se surripuit Jacobus, habituque Sufii sive Religiosi Persae, evasit. Comites fugae duos illum habuisse, iidem autores scribunt Georgium et Gregorium, quos ille Episcopos, illum ipsi Patriarcham ordinaverunt. Cumque passim ordinationes faceret, quocumque transibat, aiunt eum Sacerdotes et Diaconos octoginta mille ordinasse, longo vitae decursu, cum septuaginta tres annos impleverit. Nihil illum in scriptis reliquisse verisimile est, cum in Tractatu de Fide Patrum, qui totus ex autorum qui apud Jacobitas commendantur testimoniis contextus est, ut et in aliis ejus generis collectaneis mentio ejus nulla fiat.

2. *Vigilum et Angelorum.*

Ex loco Danielis cap. 4. v. 10. Orientales singularem beatorum spirituum ordinem fecerunt, Vigilum scilicet, quorum satis frequens memoria est in libris Ecclesiasticis, quamvis de illorum dignitate, et loco in coelesti Hierarchia, perplexe loquantur plerique eorum Theologi. Inter eos praecipue laudare solent Joannem Darensem, cujus testimoniis ab Abrahamo Echellensi acceptis usus est vir clarissimus Joannes Morinus, qui de Angelis ex Syrorum mente, scripsit in notis ad Ordinationes Syriacas. At de Joannis istius Darensis aetate Maronitae ipsi inter se dissentiunt, cum Echellensis eum vixisse quarto saeculo scripserit in notis ad Hebedjesum: Faustus Naironus inter quintum et sextum saeculum, nec satis probat. Recte quidem Severo Antiocheno posteriorem illum judicat, cum eum citet; sed quod ex linguae Syriacae elegantia quam in ejus scriptis observat, antiquiorem esse Muhamedanorum imperio existimat, nihil egit. Multos enim habemus Syros qui patria sua lingua longe post Muhamedana tempora scripserunt, in quibus maxima sermonis foecunditas, et Asiatica illa elegantia ubique lucent. Unus hanc conjecturam refellit Abulfaragius, qui cum saeculo XIII°. floruerit, plura elegantissime scripsit, quam quivis alius. Dionysius Barsalibi uno saltem saeculo antiquior multis quoque scriptis Syriacis inclaruit. Ipsae quas tractamus Liturgiae aetatis posterioris, stilo illo uberi scriptae sunt, in quo potissimum consistit Orientalis facundia. Verum haec tanti non sunt: neque multum refert, quid de beatis spiritibus Orientales sentiant, cum omnes

No. 22.

Evopl. p. 115.

illorum Theologi et Joannes Darensis, toti sint in explicanda secundum Dionysii, quem Areopagitam esse credunt, mentem, coelesti Hierarchia. Cumque ille inter novem Ordines, Vigilum non meminerit, ubi illos collocent valde incerti sunt.

3. *Accepit panem communem.*

Vox Syriaca שחימא communem simplicemque significat, respondetque Arabicae סראג: in Lexico Bar Ali. Eo significatu de Christo dicitur quod a Joanne baptisatus fuerit, כשחימא tanquam *simplex* homo scilicet, quae vox inepte prorsus a Boderiano expressa est in hunc modum: *qui tanquam vacuus baptisatus est.* Ex hac tamen voce existimavit Faustus Naironus ad Azymorum usum confirmandum, argumentum posse duci. Citat ex Marutae Liturgia haec verba Invocationis Spiritus sancti, *et panem hunc simplicem commutet et perficiat Corpus quod pro nobis immolatum est in cruce*: Tum sic prosequitur. *Ubi notandum est panem simplicem esse panem Azymum, hoc enim nomen* שחימא, Schhimo, *significat simplicem, sincerum, purum, hoc est sine admistione ulla, teste Joanne Baptista Ferrario in Nomenclatore Syriaco*, quam significationem esse vocis ἄζυμος probare contendit. Sed hoc non agitur: verum an ea voce in tot sacrae Scripturae locis, ubi Azymorum mentio est, ea vox usurpetur; quod probare sane nemo possit. Tum Azyma in usu antiquitus apud Orientales fuisse, adhuc probatu difficilius est, vel potius impossibile. Nam testimonium Gabriëlis Klaï quod producit Naironus, nullius autoritatis est, cum Scriptor recentissimus sit, ut qui tempore Leonis X. vixerit, et omnibus praeterquam Maronitis, sit ignotus. Constitutiones Maronitarum quas ipse, Echellensis exemplo saepius allegat, ejusdem generis sunt: neque enim Bibliotheca ulla quantumcumque dives Orientalium librorum, opus illud repraesentat: similes tantum Collectiones nonnullas ex quibus verisimile est Maronitam aliquem novam composuisse. Nam ex relatis ab Echellensi testimoniis, et aliis quae viro clarissimo Joanni Morino subministravit, recentiorem omnino illam Collectionem esse quam Maronitae existiment, manifestum est. Neque major est Joannis illius Maronis Patriarchae, ut volunt, Antiocheni, qui nunquam fuit, autoritas. Illius igitur loci sententia haec est, Christum cum Sacramentum Eucharistiae institueret, panem communem in manus accepisse, quem benedictione omnipotenti in Corpus suum consecraverit.

4. *Hoc est Corpus meum, quia absque dubio illud frangitur, etc.*

Quod in hac sacrorum verborum forma quaedam addita sunt, quae Christum pronunciasse non constat, efficaciae illorum nihil detrahit: cum praecipua et quae vim praecipuam habent non omittantur: neque minus sincerae Orientalium de Eucharistia fidei, ulla inde creatur suspicio, non

magis quam Romanae Ecclesiae quae omittit partem verborum ab Evangelistis relatorum: et ad consecrationem calicis spectantibus alia adjunxit, quae, ut recte notat S. Thomas, Ecclesiae traditione sufficienter commendantur. Quod si, ut olim ab aliquot hominibus factum est, lis moveatur adversus Orientales de Sacramentorum formis, neque ulla admittatur, ut legitima, nisi Latinis verbis syllabatim conveniat, nulla in Ecclesia Orientali unquam fuisse Sacramenta sequetur necessario: nulla dudum superesse in illis Ecclesiis, cum quibus tamen Romana Communionem tenuit.

Parte 3. Q. 68. art. 3.

5. *Memento Domine Regum qui veram Religionem profitentur.*

Id ut alibi monuimus translatum est ex veteri formula, juxta disciplinam Ecclesiasticam, quae orationes pro Regibus etiam non Christianis fieri praecepit, ex Apostolorum doctrina. Affectationem in Jacobitis nimiam si quis inde suspicetur, natam ex vetusto adversus Imperatores Orthodoxos, qui illos represserunt odio, habebit argumenta non pauca quibus conjecturam tueatur. Maledicta enim adversus Marcianum quod Concilio Calchedonensi faverit, pietatis partem videntur existimasse, cum ea non modo in historiis librisque Theologicis, sed etiam in precibus, tamen extra Liturgias congesserint: ut in aliquot Syriacis officiis observavimus: nam moderatiores hoc in genere Aegyptii fuerunt. Imo Nestoriani, licet in suis quoque Officiis quae in *Beit Gaza,* sive Thesauro suo continentur Nestorium laudent, quod contriverit caput serpentis Cyrilli, abstinent tamen a conviciis adversus Theodosium Imperatorem. At Jacobitae Syri modum non tenuerunt, et cum sub Zenone et Anastasio, quos tanquam Sanctos venerantur, et annua commemoratione celebrant, plurimum possent, veteremque consuetudinem orationis pro Christianis Imperatoribus in Liturgia faciendae renovassent, eam postea retinuerunt, etsi praeter Reges Aethiopiae et Nubiae, nullos ex sua sententia Orthodoxos agnoscerent.

6. *Memento Domine, praecipue Jacobi Baradati.*

Quod autoris, si titulus ut legitimus agnoscitur, nomen Diptychis inseritur, novitatis, aut suppositionis certum argumentum non est, quamvis aliter Riveto visum fuerit, parum idoneo veterum Ecclesiasticorum scriptorum censori, qui Liturgias Jacobi, Basilii et Chrysostomi frivola ista ratione impugnat, cujus inanitatem alibi confutavimus. Fieri omnino potuit, ut recentiores istae Liturgiae, quae ut Graeci autores nonnulli observaverunt, a Jacobitis compositae sunt, eo potissimum consilio factae sint, ut in festis diebus quos in memoriam illorum consecraverant, celebrarentur. Ita nomen illius cujus memoria agebatur, Diptychis inseri debebat: atque inde forte, ut alibi observatum est, originem habuerunt illarum tituli, quae nomina prae se ferunt autorum qui vixerunt ante Muhamedana tempora.

7. *Et persecuti sunt errorem haereseon, quae blasphemabant impie adversus Incarnationem Verbi, etc.*

Notam hic agnoscimus et quidem indubitatam Monophysitarum doctrinae, non modo adversus Nestorianos, sed etiam adversus Orthodoxos Theologice explicatae, quod tamen satis rarum est in Liturgicis officiis. Haec novitas satis convenit homini audacissimo, qualis fuit Jacobus ille, si Graecis, et Nestorianis credimus. Unionem dividebant ex Jacobitarum sententia, Nestoriani, quod duas in Christo personas agnoscerent: Orthodoxis idem impingebant, quod duas naturas statuerent; cum unam Jacobitae profiterentur.

8. *Offerimus tibi ipsum deprecatorem pro nobis, etc.*

Christum cujus Corpus et Sanguinem susceperunt, Jacobitae offerunt Deo deprecatorem; quae doctrina in aliis quoque precibus privatis et publicis occurrit, quamvis magna confidentia negaverint id dudum Protestantes, et nuper vir inter eos doctus qui longam de Eucharistiae oblatione Dissertationem Fragmentis aliquot Irenaei a se editis subjunxit, adjuncta testimoniorum nube, quibus nihil plane efficitur contra communem omnibus Ecclesiis Orientalibus et Occidentalibus Sacrificii Eucharistici doctrinam, ut alibi demonstrabitur. At rituum et sententiarum quae ad illud Mysterium spectantes extant in Graecis Liturgiis, aut in scriptis Graecorum Patrum, optimi et certissimi interpretes haberi possunt Syri veteres, tam Orthodoxi, quam illi qui ab Ecclesia ante mille et amplius annos secessionem fecerunt, in quos suspicio cadere nulla potest. At illi sacrificium incruentum, λογικὸν sive rationale et spirituale, verum et sacrificiis antiquis dignius, quae illius umbra et figura erant, offerri agnoscunt in sacra actione, in qua offertur non sanguis animalium, aut legales victimae, sed Corpus et Sanguis Agni vivi immaculati: quem idcirco oculis fidei jubent nos immolatum super Altare intueri. Fidem istam miraculis comprobant, et illis sane, quae apud eos qui veram et realem elementorum in Corpus et Sanguinem Christi transmutationem negant, ne excogitari quidem possunt. Videnda quae retulimus alibi ex Severo Episcopo Aschmonin et aliis. Christum dicunt esse victimam in Altari sacrificatam: offertur igitur Deo in sacrificium Corpus ejus et Sanguis, ex Orientalium sententia. Id nisi crederent illum manibus sacerdotum ferri, tractarique non dicerent, quod tamen in multis orationibus dicunt, tam privatis, quam publicis. Ad Christum quoque, ut vere in altari praesentem preces dirigunt: et in Liturgia Aethiopica quae Dioscori nomen praefert, id quod in Altari videtur dicunt accusatorem et judicem fore, Christum Dei Filium cui *Pater omne judicium dedit,* in Sacramento agnoscentes. Sacrificium porro fit ejus rei quae oblationis et victimae loco est. In celebratione Eucharistiae infertur oblatio ex pane et vino aqua misto, et illud sacrificium,

Hist. Patr. Alex. p. 181. 187. 270. 306. 378. 438.
Perp. Tom. 4. l. 3. c. 4.

omnibus antiquae legis sacrificiis longe praestare agnoscitur, a plebe in publicis privatisque precibus, et ab omnibus Theologis. At nihil simile cogitari posset, si panis tantummodo, et vinum Deo offerrentur: ita necesse est praestantius quiddam offerri Deo, idque nihil aliud esse potest, quam id quod ex pane et vino per sacra verba et operationem Spiritus sancti in elementa, fieri credunt Orientales. Illud autem est Corpus Christi, nam id ubique testantur in Liturgiis, in Catechesibus, in Homiliis. Ubi porrò victima est, ibi quoque sacrificium est intelligendum: illa in ipso sacrificio consumitur: atque ea ratione Corpus Christi immolatum et sacrificatum existere agnoscentes, illudque vere suscipi a Christianis, agnoscunt simul verum in Liturgia Corporis Christi sacrificium, atque adeo oblationem. Haec omnia perspicuis et simplicibus verbis docentur Orientales Christiani per orationes Liturgicas suas: Eucharistiam esse sacrificium spirituale et incruentum, in quo victima sit Corpus et Sanguis Christi, qui se ipsum obtulit hostiam immaculatam Deo: in cruce scilicet. Sacrificium vero in cruce oblatum in multis Orientalium Ecclesiasticis precibus, idem esse dicitur, atque illud quod in altari offertur. Si haec quasi non satis explicata Protestantibus non sufficiunt, licebit illis in scriptis Theologorum plura reperire, et quidem quantum satis erit. Quidquid enim ad confirmandam Eucharistiae fidem dici potest, dictum ab illis est, eaque tractatum methodo, quae cum nostrarum Scholarum Theologia, praeter fidei perfectam similitudinem commune nihil habet, et idcirco a nostris hominibus, ut Albertinus et Claudius frustra probare conati sunt, illis instillari non potuit: sed haec sufficiunt.

LITURGIA
MATTHAEI PASTORIS.

Primum Oratio ante Pacem.

TRANQUILLITATEM securam, et pacem indissolubilem: caritatem non defervescentem, da et concede ovibus rationalibus pascuae tuae Domine.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Praesta nobis.

Sacerdos. Post.

Populus. Coram te.

Diaconus dicit Mediam. Illis qui cum fide inclinantur, praesta Domine ut suscipiant a te benedictiones, ad obtinenda bona quae pacificis praeparasti: ut referamus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Remoti a passionibus quae peccatum operantur: proximi et domestici in regno appareamus, mediante hac Eucharistia, quam tibi offerimus Domine: ut referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Miserationes, etc.

Sacerdos. Caritas Patris, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere Patri, Filio et Spiritui sancto debetur laus magnificentiae honoris ejus.

Elevans vocem. Et cum omnibus naturis spiritualibus et intelligentibus, gloriam [2] secundam cogitationis aeternae barbare et balbutiendo tripliciter celebrantes proprietatum tuarum mysteria confuse explicamus, dicentes.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos inclinatus. Unus es substantia, Domine, trinus personis. Cum vero salutem nostram providenter ordinasti, Verbum ex mente tua, misisti in mundum absque proprietatum detrimento: et ex Spiritu sancto, atque ex sanguine Virginali, carnem induit, et [3] imagini configuratus est, libertatemque dedit jacentibus in peccato.

Elevans vocem. Cumque Testamentum novum, quo vetus aboleretur tradere vellet, panem [4] fermentatum, in quo mysterium vitae tegebatur, accepit, et oculis intentis aspiciens ad te Pater, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, porrexitque discumbentibus in coena sua dicens: Accipite, vescimini ex eo. Hoc [5] est caro mea, quae pro omnibus fidelibus, mihi adhaerentibus dividitur,

ut comedatur ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam. *Populus.* Amen.

Diaconus. Similiter et calicem vitae quem temperate miscuerat genimine vitis et aqua, accepit, et gratias egit, † benedixit, † sanctificavit; † deditque etiam illum mysterio suo initiatis, commendavitque illis ut ex eo omnes communicarent [6] quodque in eo salus bibentibus illum esset declaravit, cum eo uterentur in conscientia pura, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Adjunxit quoque admonitionem, et declarationem dicens: quotiescumque mysteriorum participes eritis, memoriam mortis et resurrectionis meae celebrabitis; donec veniam.

Populus. Mortis tuae, Domine, memoriam agimus.

Sacerdos. Etiam nativitatis, fasciarum, circumcisionis, baptismi, crucis, sepulturae, Resurrectionis et Ascensionis mysteriorum memores, neque ullius obliti, adventum quoque tuum in gloria magna expectamus, in quo omnes homines et Angelos in uno theatro constitues, bonisque et malis quod justum est retribues: propterea Ecclesia tua, et grex tuus deprecatur te: et per te ac tecum Patrem tuum dicens:

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Per miserationes naturales tibique proprias Domine, et placabilitatem a qua cognominaris, mitte Paraclitum Spiritum veritatis, qui perpetuo [6] a te procedit et a Filio quae substantiae sunt accipit, illabaturque, et requiescat super hoc sacrificium, illudque sanctificet, neque propter peccata mea, privetur populus tuus dono tuo divino.

Elevans vocem. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut ille qui spirat occulte, et requiescit invisibiliter, panem istum perficiat [7] corpus Dei incarnati.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc consummet, sanguinem qui effusus est in summitate Golgothae.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sint nobis, et illis qui illa percipient, ad expiationem delictorum, ad scissionem chirographorum, et ad adipiscendam haereditatem vitae aeternae in regno coelorum, in saeculo venturo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Pastoribus, qui ut nobis praeessent constituti sunt, esto, Domine, os et lingua: atque haereticos qui cum illis bellum gerunt, increpa et comprime.

Elevans vocem. Ut lupi noxii, qui ovium habitu tecti audent lacerare oves tuas, cito deficiant et depellantur: et referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Illis qui pauperes populi tui adjuvant, da auxilium; illis, qui ecclesiarum tuarum sollicitudinem gerunt, mercedem retribue: illos qui captivi sunt, libertati redde: vinctos solve: et eos qui variis morborum generibus conflictantur, sana.

Elevans vocem. Quia difficilia tibi facilia sunt, et aspera plana, omniumque potens es, Domine, tibique gloriam et laudem referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Reges fideles et Reginas Deum timentes, fortitudine brachii tui potentis robora, et victores effice.

Elevans vocem. Ut manum auxiliatricem ad illos extendens, adjutoriumque dexterae tuae illis submittens, victores, et triumphatores appareant adversus inimicos crucis unigeniti Filii tui; cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, benedictae in mulieribus, ex qua filius unigenitus tuus carnem induit: simulque Prophetarum, qui quod ex ea corpus accepturus esset praedixerunt: Apostolorum, qui illum esse Deum verum praedicaverunt: Martyrum, qui colla sua propter eum tradiderunt, et omnium justorum, qui fuerunt a saeculo.

Elevans vocem. Praesta quoque nobis Domine, ut sub alis dilectorum tuorum protegamur: exercitibusque eorum adjungamur, et inter coetus eorum constituamur: ut cum illis, et inter illos referamus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Pastoribus ex quorum ventre flumina aquae vivae fluxerunt: quique potum salutarem ovibus et agnis tuis praebuerunt, praesta Domine, memoriam pietatis bonam: nosque per illorum intercessiones custodi.

Elevans vocem. Ut illorum doctrina salutari confirmemur: et exemplis patrum eorum insistamus, atque ita sorte et funiculo haereditatis eorum nos dignos efficias, et inter eos, ut illi, referamus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Defunctorum qui crediderunt promissis unigeniti Filii tui, et in spe resurrectionis obdormierunt, ossa in pulverem redacta, odorem suscitationis sentire fac: animas eorum reduc ad eorum cadavera, et praevaricationum illorum ne memineris.

Elevans vocem. Ut per te a morte spirituali liberati, et a gurgite perditionis educti et a limo corruptionis extracti, nunc fortes resurgant et enarrent fortitudinem et gratiam unigeniti Filii tui, per quem nos quoque misericordiam consequi speramus, remissionemque peccatorum quae propter eum est, tam nobis, quam illis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Et novos per secundam formationem factos, resurgentesque, ad convivium spirituale in conspectu tuo, nos renovatos tuos aequaliter pervenire praesta, ut in hoc, sicut in reliquis glorificetur, et laudetur nomen tuum gloriosissimum et benedictum, ut etiam Domini nostri Jesu Christi et Spiritus sancti nunc, etc.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit et signat dicens. Credimus.

Diaconus alta voce dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ad Pater noster.

Tange Domine, organum spirituale nostrum, quod ad laudes tuas ordinatum est, studia, et affectus cum motibus et cogitationibus quae nos conturbant tempera, ut secundum institutionem unigeniti

Filii tui, cum suavi harmonia, et gemitu, oremus et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Omnia, quae mala, et vitia operantur, in ea quae bona et virtutes producunt cito converte erga nos Domine: et referemus tibi gloriam et laudem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra coram Deo.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Populum eorum qui procumbentes coram te inclinati sunt, et miserationes tuas coelestes suscipere se expectant, dignos fac participatione mysteriorum tuorum sanctorum, et ad gaudia fruenda tecum in regno tuo illos praepara: et referemus tibi gloriam et laudem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit.

Diaconus. Unusquisque cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Unus Pater sanctus, etc.

Diaconus. Fac.

Sacerdos. Gloria tibi.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Laudamus.

Sacerdos. Ora non sufficiunt ad laudandum te: neque linguae ad enarrandam gloriam tuam, quod digna illa fecisti deliciis, quae percipiuntur in corpore et sanguine unigeniti Filii tui: per quem et cum quo te decet gloria, honor et potestas cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Christe qui dedisti corpus tuum ut comederetur,

essetque fermentum vitae, ne condemnes eos, qui te comedunt, cum illis qui contemserunt passiones tuas salutares: et referemus tibi gloriam et laudem, Patrique tuo benedicto, et Spiritui tuo sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

IN LITURGIAM MATTHAEI PASTORIS NOTAE.

De Mattheo Pastore, qui hujus Liturgiae autor perhibetur, nihil nobis occurrit, unde quando vixerit, aut quem gradum in sua Ecclesia obtinuerit, vel divinando assequi possimus. Jacobitam illum fuisse hinc probatur certissime quod haec ejus nomine Liturgia occurrit cum multis aliis eidem sectae propriis, quae, si eam quae Jacobi dicitur excipimus: nullam cum aliis Ecclesiis communem habet. Eam tamen Missali Chaldaico inseruerunt qui editioni praefuerunt, cum, ut alibi monuimus, et illa et aliae omnes, non alia ratione ad Maronitas pertineant, quam reliquae: omnes enim Jacobitarum propriae sunt, sed neglecta, post depulsos Syria Latinos, Maronitarum Ecclesia quae cum Romana reconciliata fuerat, qui prius Monothelitae fuerant, perfecti Jacobitae evaserunt. Extat in Romana editione p. 146. et sequentibus. Ejus autem ut aliarum recentiorum stilus, ex elegantiae Syriacae studio intricatissimus est, nec levis multis locis, quorum tamen nullus ad fidem pertinet, obscuritas reperitur.

2. *Et cum omnibus naturis spiritualibus, etc.*

Sententia, ut videtur, haec est. Cum beatis illis spiritibus laudes nostras conjungendo, aeterna tua consilia, non nisi secundo post illos loco, valde imperfecte noscimus et balbutiendo de Trinitate loquimur, dicendo *Sanctus.* Verum aliquid fortasse aliud intelligendum est, quod qualecumque sit, non valde refert.

3. *Et imagini configuratus est.*

Dei filius carne assumta, homini, qui erat imago Dei, configuratus est

4. *Panem fermentatum accepit.*

Nihil simile in plerisque aliis Liturgiis: in ea quae dicitur Ignatii Patriarchae Antiocheni legitur, *Accepit panem perfectum*, quod idem est. Nam Graecorum qui impotentius adversus Latinos in Azymorum quaestione declamaverunt palmare illud argumentum fuit, panem non esse, si fermentum deficeret, quo in explicando operosissime nugati sunt. Iisdem quoque rationibus pugnat Joannes Patriarcha Jacobitarum Antiochenus, in Apologia Syrorum suorum, et ut alii ad fermentum variis ex Scriptura sacra autoritatibus stabiliendum utuntur, ita ille aliis nihil ad rem facientibus abutitur, ad salis et olei admistionem probandam. At disputationes de Azymo et Fermentato quae Latinos inter et Graecos usque ad anathemata exarserunt anno J. C. MLIII. tempore Constantini Monomachi, et Michaëlis Cerularii Patriarchae Constantinopolitani, tum primum Orientalibus innotuerunt, cum Tractatum adversus Latinos de eodem argumento edidit Joannes cognomine Ebn-Botlan Medicus Bagdadensis, quem reperimus in Codice MS. Bibliothecae Vaticanae. Erat Ebn-Botlan Christianus, et verisimiliter Melchita sive Orthodoxus, nam in titulo interfuisse disputationi dicitur, et scripsisse pro Michaële Patriarcha, quod Jacobitae nec libuisset, nec licuisset. De eo scribit Gregorius Albufaragius, *Hist. Dynast. p. 233. et seq.* sed tantum ut de Medico loquitur, non ut de Theologo. Antea nullius de hoc argumento operis apud Orientales memoria est, vixque ullae inter Latinos et Orientales controversiae de Religione, scripto vel voce, intercesserunt: unde quid recentiores illos moverit ut ea ratione verba Christi interpolarent, causa legitima nulla fuit.

5. *Haec est caro mea, etc.*

Audacior sane neque excusanda interpolatio in verbis quae ad calicis consecrationem spectant; quam ut paucas alias similes ad Librariorum indiligentiam aut oscitantiam referre vix possumus. Temere vero prorsus Matthaeus ille Pastor, contra omnium aliorum exemplum formam illam mutilavit: dum alias voces, earum loco quas usus Ecclesiae toto orbe diffusae consecravit, substituere ausus est. Quod vero ut Itinerarii Montis Libani interpres ex duabus aliis, quarum sola excerpta viderat, factum id arbitratus est, quod totam consecrandi vim Invocationi Spiritus sancti tribuerent, speciosa quidem, sed parum firma conjectura fuit, ut alibi probavimus. Fieri tamen potest, ut inter ea verba, *deditque mysterio suo initiatis*, seu ad verbum *filiis mysterii sui* primitus extiterint alia necessaria. *Hic est calix sanguinis mei, etc.* ut omnino verisimile est accidisse circa Liturgiam Dionysii Barsalibi: cum ipse verba Christi necessario pronunciari a Sacerdote, testetur in suo ad Jacobi Liturgiam commentario. Hanc porro difficultatem resolvere ex comparatione exemplarium non est facile, et quod rarissima sunt, et quod tanta est scri-

ptorum imperitia, ut quemcumque Codicem nanciscantur, eum describant, judicio nullo, diligentia mediocri.

6. *Spiritus qui a te procedit, etc.*

Occurrunt eadem verba in aliquot aliis Syrorum Liturgiis sumpta ex Jacobi primaria: unde agnosci potest eos verba ipsa quae ex Scriptura sacra deprompta sunt, rectius et ad doctrinam Romanae Ecclesiae accommodatius intellexisse, quam Graecos recentiores, praesertim quorum certamina de processione Spiritus sancti Orientales non aliter didicerunt, quam a Missionariis: qui quod symbolum sine additione *Filioque* recitari audirent, eos in eadem esse ac Graecos Schismaticos opinione, existimaverunt. *Spiritus sanctus,* inquit Christus, *qui a Patre procedit, de meo accipiet.* Graeci ultima verba sic intelligunt, ut dona Spiritus sancti quae Christi morte parta sunt, ab eo accepta, hominibus communicet. At quod ea quae οὐσιώδη sunt, a Filio Spiritus sanctus accipiat, non agnoscunt, ut prae caeteris longa et subtili disputatione in Concilio Florentino probare nisus est Marcus Ephesius, et qui odii et belli adversus Latinos haeres fuit, Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, ab urbe capta primus. Qui igitur verba Christi de Spiritu sancto contra Graecorum mentem publicis testimoniis declaratam, variisque Theologorum scriptis confirmatam interpretantur, eorumdem errori affines esse non possunt. Docendi igitur sunt Orientales, non insectandi, ab illis praesertim, qui totam illam materiam, non ex probatis autoribus, quos ignorabant, sed ex Collectaneis didicerunt, aut ex aliquorum hominum relationibus, qui domum ex Oriente reduces, de triumphatis Schismaticis aut Haereticis sibi plaudunt inaniter.

7. *Panem istum perficiat, etc.*

Quae ad istius loci intellectum pertinent alibi fusius explicata sunt: illud tantum breviter repetendum est. Ex illis verbis quibus Syri uti solent in exponenda *Invocatione Spiritus sancti*, non captandam esse occasionem varias ipsis significationes attribuendi, jam diximus. Utuntur Graeci in vetustissimis Liturgiis vocibus ποιεῖν, ἀναδεῖξαι, ἁγιάσαι, τελειοῦν, quae omnes idem significant. Orientales qui ejusdem omnino potestatis voces non habent, utuntur illis quae, si non ad ipsam singularem significationem accedunt, at originem exprimunt. Manifestum est porro, tum ex Invocationis variis formulis tum ex Theologorum testimoniis, praecipuam et ad quam reliquae omnes referuntur esse τὸ ποιεῖν, *facere, efficere*, cui ἰσοδύναμος est ἀναδεῖξαι ut ab ipsis Protestantibus, doctissimo praesertim in Graecis literis Casaubono agnoscitur. Syri ad originem primariam attenti, verterunt aliquando per חוא, quod proximiorem vocem non reperirent, ut Arabes Liturgiae Copticae interpretes, per similem. De illius interpretatione secundum verbi ποιεῖν significationem,

si quis litem moveat, ut vocem Syriacam, ad simplicem designationem, typicamque significationem referri debere contendat, facili negotio refelletur. Nam cum eadem res, divinus scilicet effectus, variis verbis postuletur, eam solam significationem convenire, quae petitioni respondeat, certissimum est. Illa cum pluribus verbis exprimitur, adjunctas habet voces alias, quae τῷ ποιεῖν respondeant: ex illo igitur, non ex linguae origine significatio peti debet, non minus quam in multis aliis. Ita תריץ שובחא qui vertat *rectae gloriae*, ut Boderianus, nugas aget: multo magis qui שויב אוסיא, *similem aut aequalem substantia:* cum Ὁμοούσιον aliter explicare non possint. Igitur hoc loco, ut in aliis Liturgiis נשמלא, *perficiat,* respondet Graecae τελειώσῃ, hoc est *consecret:* ποιήσῃ, *faciat* et aliis similibus. De ipsa re quantum ad Invocationis effectum, veramque ejus intelligentiam videndus Commentarius ad Liturgiam Basilii Copticam.

8. *Reges fideles, etc.*

De ea formula jam dictum est: quae licet minus frequens sit, occurrit tamen in pluribus Liturgiis, neque alia utuntur Nestoriani. Vetustissimae illa disciplinae notam praefert, omnibus Ecclesiis communem: mutatam fuisse Muhamedanorum metu satis patet.

9. *Qui dedisti corpus tuum ut ederetur, et esset fermentum vitae.*

Idem legitur in plerisque Orationibus gratiarum actionis post communionem: ut in hymnis qui canuntur a Diacono, cum sacramentum distribuitur: sed praesertim in Officiis exequiarum. Inde certa probatio doctrinae Orthodoxae deducitur, pro reali, non spirituali solum susceptione corporis Christi a Christianis: ut alibi expositum est.

LITURGIA

S. JACOBI I. EPISCOPI

BOTNANENSIS ET SERUGENSIS, SYRORUM DOCTORIS, QUI TABELITA ETIAM VOCATUR.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater qui es tranquillitas terminum non habens, et pax indeficiens: caritasque inseparabilis; qui per abundantiam gratiae tuae creasti hominem ad incorruptibilitatem: ille tamen eo quod transgressus esset praeceptum, reus mortis factus est per invidiam Diaboli; per adventum autem unigeniti Filii tui Domini et Dei nostri, pace e coelo demissa terram replevisti; quod etiam exercitus Angelorum hymnis celebraverunt, dicentes: *Gloria in excelsis Deo et super terram pax, atque hominibus bona voluntas:* imple Domine corda nostra bona voluntate tua, purgans nos ab omni macula, et liberans nos ab omni dolo, odio mortifero, et ab omni perversitate et astutia. Praesta etiam ut demus pacem nobis invicem in osculo sancto: et absque ullo crimine participes efficiamur doni tui coelestis et incorruptibilis, in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo te decet gloria, honor, et imperium, cum Spiritu tuo vivo, sancto et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Populus. Praesta, etc.

Diaconus. Post.

Sacerdos. Adorande qui ab Angelis glorificaris, et a Cherubim benediceris, a Seraphim sanctificaris, ab Igneis laudaris, a spiritualibus extolleris, et a filiis hominum exaltaris, et ab omnibus creaturis laudaris; respice Domine famulos tuos qui inclinaverunt colla

sua coram majestate tua, et emitte dexteram tuam plenam miserationibus, super coetum hunc adorantium te. Mitte ad eos ex sublimi sanctuario tuo abundantiam benedictionum, fontem bonorum, scaturiginem sanctitatis, puritatis et castitatis rivos perennes, fac eos filios ét haeredes in regno tuo coelesti, per pacem hanc quam tuo beneficio suscipere a te meruimus; et referemus tibi gloriam et laudem simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus magne et aeterne, superne, excelse, mirabilis et abscondite, qui facis misericordiam in millia et decem millia eorum qui timent te, et observant praecepta tua: qui revelasti nobis per adventum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, mysterium quod absconditum fuerat a saeculis et generationibus: praestitistique ut essemus mediatores, et ministri sacramentorum tuorum venerandorum et coelestium: ne aspicias vilitatem nostram, quia indigni sumus accedendi et participes fieri munerum tuorum divinorum; sed per gratiam tuam et amorem tuum erga homines, visita nos in misericordia et miseratione, et libera nos ab omni dolo et invidia. Largire nobis Spiritum illum tuum sanctum, Spiritum sapientiae et prudentiae; Spiritum scientiae et fortitudinis, Spiritum castimoniae et sanctitatis, Spiritum timoris, et bonae voluntatis, ut aspersione hyssopi tui mundati, et abstersi, mereamur corde puro stare coram te et ministrare tibi, offeramusque tibi sacrificium hoc timendum et incruentum, ad consequendam veniam delictorum nostrorum, et remissionem peccatorum nostrorum: ad memoriam defunctorum, et ad gloriam tuam Deus Pater, et unigeniti Filii, et Spiritus tui sanctissimi.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas Dei Patris.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Ad te Deus omnium Domine, timende et laudande, et faciens mirabilia, Pater vitae et Rex omnium saeculorum: occulte nec investigabilis, excelse nec comprehensibilis; praeclare qui nullo fine circumscriberis. Deus quem assequi cogitatio non potest, Pater et genitor Domini nostri Jesu Christi Filii tui di-

lecti: Filii tui aequalis tibi unigeniti, qui est similis tibi, et persona ex substantia tua: Filius praeclarus majestatis tuae: oriens lucis tuae, et splendor ignis tui, germen gloriae tuae, et imago substantiae tuae, omnipotens virtute verbi tui: qui ab aeterno ex te genitus est, et absque initio: estque tecum substantialiter et absque fine, in quo et per quem creavisti mundum per gratiam tuam. Nos igitur Domine te et illum et Spiritum sanctum adoramus, confitemur, et glorificamus, quia tu unus es tripliciter absque divisione.

Sacerdos elevans vocem. Gloria tibi Domine per Ecclesiam tuam, quam illuminasti ad praestandam tibi adorationem: laus tibi reddatur per ora quae novam per Verbum tuum dignitatem acceperunt: sanctus dicaris ab immundis illis qui hyssopo tuo purgati sunt; non quod glorificatione nostra magnificeris, aut quod gratiarum actione seu confessione nostra, magnum aliquid tibi accedat. Sunt enim tibi in coelis coelorum laudatores absque numero: juventus lucida et indeficiens, exercitus coelestes qui praeclare essentiam tuam glorificant: agmina lucida quae magna voce hymnos ad invicem canunt, millia millium, et myriades myriadum, quae coram te consistunt et nomen sanctum tuum adorant: series longissimae ignis devorantis: qui hymnos gloriae majestati tuae offerunt; virtutes admirabiles Spiritus vehementis, quae benedictiones mittunt illuc ubi es: legiones exercituum flammantium, quae laudes canunt naturae tuae absconditae: strepitus rotarum, vocesque Cherubim qui gloriam tuam benedictionibus prosequuntur: coetus Seraphim qui sono alarum suarum, et plausu suavi volatus sui, cantica dulcissima sanctitati tuae canunt, oribus igneo ardore, et labiis carbonum instar inflammatis, triplices sanctificationes inclamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Voces Cherubim Domine Trinitatem tuam explicant: et congregationes Seraphim absconditam naturam tuam benedicunt: ordines Angelorum substantiam tuam admirabilem glorificant. Gloria tibi, qui genus nostrum gratia tua magnificas; misce voces nostras terrenas cum hymnis coelestium ordinum. Tu Domine per miserationes tuas magnas, misisti ad nos Salvatorem et liberatorem, unigenitum Filium tuum dilectum: qui ortus est ex te o Virgo, tanquam radius ex luce in oculo puro effulgens. Accepit similitudinem servi ex utero sancto, cum vere sit similitudo majestatis tuae: homo factus est sicut ipse voluit, ut faceret nos Deos, quemadmodum ipsi

optimum visum est: natusque est ex utero carnali, ut regeneraret nos ex spirituali utero. Factus est nobis frater, ut nos filios tibi faceret: extulit nos ex humili servorum conditione, et dedit nobis ut ad haeredum dignitatem perveniremus: abstulit a nobis mercenariorum servitium, et constituit nos in gradu filiorum dilectorum. Depulit a pectoribus nostris spiritum servitutis, ut jam absit a nobis timor captivorum, et dedit nobis spiritum adoptionis, quo te fiducialiter vocaremus Patrem nostrum.

Elevans vocem. Et [2] cum paratus esset ad patiendum, reliquit nobis sui commemorationem. Ea scilicet vespera qua completa sunt omnia mysteria typi, et miracula, ea nocte qua tradebatur pro vita et salute mundi, accipiens panem in manus suas sanctas aspexit ad te Deus Pater, gratias egit ✝ benedixit ✝ fregit ✝ deditque congregationi Discipulorum suorum, et dixit eis: Accipite, manducate ex eo: Hoc est corpus meum quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam postquam coenaverunt, calicem quoque vitae miscuit ex vino et aqua, † et † sanctificavit † deditque congregationi Discipulorum suorum, et dixit eis: Accipite, bibite ex eo vos omnes; Hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effunditur, et datur in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et hunc calicem bibetis, mortem et resurrectionem meam annunciabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos junctis manibus. Quis inveniri potest qui magnificentiam tuam sublimem et aeternam digne enarret, o Verbum Deus! aut quis comprehendet exinanitionem tuam voluntariam; aut quis explicare poterit nativitatem tuam mirabilem ex Virgine; aut quid referemus pro passionibus voluntariis, et immeritis, quas nostri causa sustinuisti, et pertulisti? Quis sufficiat ad adorandam, et laudandam universam dispensationem tuam salutarem pro nobis? Deprecamur igitur te Domine, ut in die ultimo adventus tui, quando venturus es judicare vivos et mortuos, quando sedebis super solium excelsum et elevatum, quando Angeli et Archangeli consistent coram te judice

aequo et justo: quando abscondita revelabuntur, et opera examinabuntur, et omnes homines stabunt cum timore et tremore: in hac hora Domine, plene misericordiarum, ne avertas faciem tuam a nobis: ne intres in judicium nobiscum, ne examen severum adversum nos instituas: ne confundas nos confusione aeterna: ne repellas nos a servorum tuorum numero, neque projicias nos a conspectu tuo: ne expellas nos ab ostio thalami tui, neque dicas nobis; nescio vos, quia non abnegavimus nomen tuum sanctum; sed convertere Domine misericorditer, parce et miserere nobis. Ignosce peccatis Domine, dimitte insipienter commissa, parce criminibus, audi voces servorum tuorum; suscipe deprecationes adorantium te; propitiare supplicationibus deprecantium te; et pro his, atque in hunc modum poenitens Ecclesia tua deprecatur te, et per te, et tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te adoramus, te glorificamus, etc.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit [3] *Invocationem Spiritus sancti.*

Domine Deus omnipotens, precor miserere mei hoc tempore; aperiantur coelorum ostia, et veniat Spiritus sanctus, consubstantialis tibi, et unigenito Filio tuo: descendatque, illabatur, et requiescat super nos, et super oblationes has propositas, et transmutet eas.

Sacerdos elevans vocem. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos. Et exhibeat panem quidem istum, corpus ipsum pretiosum Domini nostri Jesu Christi.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, ipsum sanguinem vivum Domini nostri Jesu Christi.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et faciat [4] utrumque unum corpus, et sanguinem, unum sanctum aequale et mysticum, ut commistum animabus et corporibus nostris, sit nobis, et illud accipientibus, in augmentum verae in te fidei; et in abstersionem macularum omnium. Expientur per illud peccatores, sanctificentur per illud poenitentes, justificentur per illud qui insipienter egerunt, convertantur per illud errantes, recon-

cilientur ira laborantes, concilientur odio perciti, tranquillitatem consequantur inquieti, laetentur per illud angustiati, consolationem habeant lugentes, recreentur oppressi, sanentur infirmi, ut ex omnibus, et in omnibus et propter omnia referamus tibi gloriam et exaltationem, et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Offerimus tibi Domine sacrificium hoc tremendum et incruentum, pro Ecclesia tua sancta Catholica, in omni loco diffusa. Confirma eam in fide Orthodoxa, orna eam donis Spiritus sancti. Memento Domine Pastorum et Doctorum illius, praecipue vero beatorum Patriarcharum nostrorum D. *N.* et D. *N.* et venerabilis Episcopi nostri D. *N.* reliquorumque omnium Episcoporum Orthodoxorum, et omnium Ordinum Ecclesiae sanctae. Memento Domine etiam mei peccatoris et infirmi, omnibus nequitiis inquinati, et per aspersionem hyssopi tui abstersivi, munda me. Ne avertas faciem tuam, aut elongeris a me; sed secundum multitudinem misericordiae tuae magnae, abundet in me gratia tua, et multiplicetur tua erga me clementia.

Elevans vocem. Et populum tuum fidelem ab omnibus plagis et virgis furoris conserva Domine, et ab omnibus spiritibus malignis et ab omnibus technis fallacibus impiorum libera, et ab omni errore impio, aut idololatria eos eripe, neque permitte ut polluatur nomen tuum sanctum inter gentes: neque procul sis a nobis, aut nos negligas, ne inique colaphisemur et humiliemur; sed adjuva nos Deus salutaris noster, tu enim solus potes salutem nobis praestare, et tibi laudes perpetuas referimus et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, etiam eorum qui obtulerunt has oblationes ad altare tuum sacerdotale, et eorum qui attulerunt fructus ad Ecclesiam sanctam tuam, eorumque qui offerre quidem voluerunt, sed non potuerunt: et eorum qui injunxerunt nobis ut memores essemus illorum in orationibus ad te, Deus noster: retribue illis bona quae a te sunt.

Elevans vocem. Memento Domine omnium qui nobiscum stant et orant, eorumque qui procul sunt: eorum qui pauperes, egenos, et in angustia spiritus constitutos, adjuvant. Conserva nos simul cum illis per exercitus potestatum tuarum Angelicarum. Salva nos, et libera nos ab omnibus telis ignitis et perniciosis diaboli, et ab

insidiis et laqueis daemonum, a fame perniciosa doctrinarum malarum: et ab insultu hostium audacium; a manibus filiorum alienorum; ab hominibus malis, et sceleratis perversa loquentibus: atque confirmans nos per tranquillitatem quae a te est, dignos effice ut non spoliati, custodiamur, ad ultimum usque vitae nostrae spiritum; et referamus tibi laudem simulque unigenito Filio tuo et Spiritui sancto, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum fidelium Christianorum, et exercituum eorum, adversus eos qui contra illos pugnant. Memento etiam Domine eorum qui in mari navigant, aut in incommodis itineribus versantur: infirmis et in dolore constitutis, liberationem et sanitatem cito concede. Memento etiam Domine aëris, imbrium, roris et fructuum, et coronae anni: ad te enim respiciunt oculi universae carnis, et tu eis distribuis vitae necessaria in tempore opportuno.

Elevans vocem. Adjuva etiam Domine omnes Reges veram religionem profitentes, et populum tuum qui quaerit apud te refugium. Comprime Ecclesiarum schismata, compesce superbiam gentium, haereses a fundamentis destrue: eos qui in carceribus, exilio, aut servitute sunt, libera: eos qui in captivitate, persecutionibus aut periculo sunt, eripe: eos qui gravissimis morbis conflictantur, sana: eos qui dolore et angustia animi tenentur, recrea; reduc eos qui in mari, aut longinquis itineribus peregre absunt: imbres tempestivos, roremque commodum locis secundum necessitatem mitte. Benedic coronae anni per gratiam tuam, quia tu clemens es et multae misericordiae, et tibi laudem offerimus et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium piorum et justorum, patrumque sanctorum, qui ab Adamó usque ad hanc diem fuerunt. Et Virginis Mariae thorum conjugalem non expertae, Joannis-Baptistae, Stephani primi Diaconorum; et eorum omnium qui placuerunt coram te.

Elevans vocem. Constitue et recense nos Domine, inter coetus dilectorum tuorum, inter ordines eorum qui dilexerunt veritatem tuam, in coetibus piorum et justorum, qui expectaverunt salutem tuam, in congregationibus martyrum qui mortem cum spe tua sustinuerunt: in partibus praeclaris religiosorum tuorum et virginum: in consessu Apo-

stolorum, et Evangelistarum: in theatro Praedicatorum et Prophetarum, qui revelationem a te acceperunt: in festo et gaudio gloriosorum agonistarum qui perfecerunt voluntatem tuam: in regione gaudii et voluptatis indeficientis tuae, ut cum illis et inter illos, referamus tibi gloriam et laudem et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Patrum Sanctorum et Doctorum electorum, qui cum recta fide praefuerunt Ecclesiis tuis sanctis, pugnaveruntque pro verbo veritatis, praecipue vero Ignatii, Dionysii, Basilii et Gregorii, reliquorumque Patrum et Doctorum Orthodoxorum.

Elevans vocem. Luminarium splendidorum Ecclesiarum tuarum sanctarum, eorum qui in certamine pro religione suscepto, animi robur demonstraverunt: eorum qui nomen tuum inter gentes, Reges et filios Israël praedicaverunt. Per orationes eorum acceptabiles audaciam haereseon compesce: doctrinas rectas fidei eorum in animabus nostris insere, et inter ordines eorum beatos nos colloca, et gloriae triumphique coetuum eorum coelestis participes nos effice. Da nobis etiam fiduciam coram solio tuo excelso, quia tu es sanctus, et in sanctis requiescis, sanctosque perficis; et te decet gloria, honor, et imperium cum unigenito Filio tuo et Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium qui in fide vera pridem obdormierunt, ab Adamo ad hanc usque diem, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Psaltarum, Interpretum, Cantorum, Monachorum, et omnium Saecularium fidelium qui in Christo obdormierunt, et eorum pro quibus uniquique obtulerunt.

Elevans vocem. Domine quietem praesta animabus eorum quorum memoriam fecimus, et in libro tuo vitae nomina eorum scribe, dignosque illos fac voluptate quae in Paradiso percipitur. Colloca eos in regione justorum, et ordinibus piorum illos adjunge, atque ad portum vitae pervenire fac, ubi est habitaculum quietis, unde fugiunt dolores, infirmitates, suspiria et angustiae: ubi omnes sancti voluptate fruuntur, ubi omnes pii quiescunt. Nullum ex nobis, aut ex ipsis condemnatum, projectum, aut exclusum facias a regno tuo coelesti: unus enim fuit tantummodo qui apparuerit super terram immunis a peccato, unigenitus Filius tuus Dominus et Deus noster Jesus Chri-

stus: per quem nos etiam speramus consequi misericordiam et remissionem peccatorum, et propter eum, tam nobis quam ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Parce Domine, et remitte omnes iniquitates nostras et illorum, et libera nos ab omnibus aegritudinibus perniciosis, iniquitatis et peccati, cujuscumque generis: dirige gressus nostros in semitis mandatorum tuorum divinorum: et da nobis ut simus populus sanctus, congregatio salvata, et Sacerdotium angelicum. Da etiam nobis, ut cum exultationibus spiritualibus, et choreis intellectualibus, tripudiisque cum summo gaudio conjunctis, laetemur et eadem voluptate fruamur, cum viris illis beatis; ut cum illis et inter illos glorificemus, laudemus et exaltemus gloriosissimum, et benedictum nomen tuum, et Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Benedictiones Dei sint, etc.

Diaconus dicit Catholicam. Sacerdos frangit et signat.

Et dicit Orationem quae dicitur ante Pater noster.

Deus admirande et ineffabilis, excelse et infinite qui laudis perpetua decantatione a potestatibus coelestibus exaltaris, et canticis triumphalibus, et sublimibus celebraris: te oramus ore mentium nostrarum, te qui occulta intueris nostra. Tu es enim Creator et Deus, primus et novissimus: neque est alius Deus praeter te. Tu es spes eorum qui persecutionem patiuntur: comes exulantium: pauperum confortator, consolator afflictorum, et perditorum repertor. Te igitur precamur, ut misericordia tua inveniat perditionem nostram, ut mundemur per gratiam tuam a sordibus peccatorum, et liberemur a tentationibus animam et corpus impugnantibus. Da etiam nobis ut orationes nostrae, alis optabilibus gratiae tuae subvectae, perveniant usque ad infimum gradum solii gloriae tuae; utque cum fiducia a te concessa, stemus coram te cum corde puro et vultu laeto, dicamusque hanc orationem quam docuit unigenitus Filius tuus, discipulos suos sanctos: respondeamusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Ne Domine inducas nos in tentationem, animae vel corporis, ita ut per dolores, vel per peccata tentemur. Sed tu Domine Deus per misericordiam tuam tanquam Pater misericors et clemens conserva corpus a doloribus et infirmitatibus, et animam ab iniquitatibus et peccatis; atque in hunc modum liberemur a malo, a potestatibus et artificiis ejus. Non enim est in nobis virtus qua possumus maligno resistere, si nomen tuum sanctum non adjuvat nos: quia tuum est regnum et potestas, et gloria, simulque unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Capita nostra Deo inclinemus.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Coram te Domine, Rex Regum et Domine Dominantium, et faciens mirabilia, excelse per gloriam tuam, praedicande per majestatem, abscondite secundum essentiam, inclinant servi tui capita sua hoc tempore, expectantes spem promissorum tuorum, et clementiam tuam, sitientesque miserationes quae a te conceduntur. Extende Domine manum tuam potentem, et omnibus sufficientem, benedicque servis et adoratoribus tuis. Perfice illos, ita ut puri sint, et absque macula sordibusque peccati, ut digni efficiantur susceptione mysteriorum tuorum sanctorum et divinorum. Libera nos ab omni phantasia nocturna, diurna, meridiana et vespertina: corpusque et sanguis unigeniti Filii tui sit nobis fermentum, et pignus vitae in die judicii, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen. *Sacerdos.* Pax.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore aspiciamus.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Quid habemus quod retribuamus Domino pro omnibus quae retribuit nobis; et pro omnibus donis, beneficiis, et muneribus ejus erga nos: qui nos terrestres, dignos fecit communicandi

49 *

mysteriis ejus sanctis? Confitemur, adoramus, et glorificamus, et voces gratiarum actionis offerimus, rogamusque, o amator hominum, ut sicut vocasti, et adduxisti nos, ad convivium hoc beatum et vivificum, des, et praestes nobis, ut sit nobis ad propitiationem delictorum, et remissionem peccatorum, ad viaticum vitae aeternae, et ad gloriam laudemque nominis tui, et unigeniti Filii tui et Spiritus tui sanctissimi. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Post susceptionem mysteriorum istorum sanctorum, quae nobis data sunt iterum, coram Domino misericordi capita nostra inclinemus.

Sacerdos. Coram te, Domine Deus, inclinantur mentes nostrae, motus animi et intellectus nostri, omnisque corporum nostrorum compages cum animabus nostris: rogantes et obsecrantes misericordiam tuam, ut requiescat dextera tua invisibilis, et plena benedictionibus super nos omnes. Benedic, sanctifica, custodi per crucem tuam victricem, nos omnes, qui accepimus corpus tuum sanctum, et bibimus sanguinem tuum purum, ab omnibus damnis animae et corporis. Confirma in nobis voluntatem tuam vivificam, insere in nobis fidem in te veram, et da nobis virtutem ad observationem mandatorum tuorum sanctorum: facque nos pervenire ad finem bonum, et voluptatem regni tui, et referemus tibi gloriam et laudem, et Patri tuo, et Spiritui sancto, nunc, etc.

IN LITURGIAM JACOBI SERUGENSIS

NOTAE.

1. Jacobi Botnanensis.

Frequens Jacobi hujus memoria est apud Syros Jacobitas, extantque ejus nomine Homiliae non paucae Syriacae, et opuscula Theologica in Codice antiquissimo Colbertino. Citatur a Mose Barcepha in Commentario de Paradiso, nec mirum cum in eadem uterque secta vixerit. Botnan autem quae

apud Syros ita appellatur, urbs est Syriae, Orroënae sive tractatus Edesseni, quem אורוהי vocant. Stephanus *Βάτναι πόλις τῆς ὀῤῥοήνης, τὸ ἐθνικὸν βατναῖος. Batnae urbs Orrhoenes:* Procopio *Βάτνη* singulari numero appellatur. Ait esse *πόλισμα βραχὺ καὶ λόγου οὐδένος ἄξιον ἡμέρας δὲ ὁδῷ ἐδέσσης διέχον. Urbeculam nullius nominis unius diei itinere ab Edessa distantem.* Meminit Julianus Imp. Ep. 27. *Osroenae* legendum monet Holstenius apud Stephanum, nec temere, nam ita vulgo haec regio a Graecis et Latinis autoribus appellatur; nihil tamen mutandum, ut saltem quae apud eos remanent scripturae Orientalis et genuinae vestigia, intacta serventur. Urbeculam hanc praesertim afflictissimis Christianorum rebus, sub uno Episcopo cum Seruga fuisse conjunctam, verisimile est. Nam ut ex hujus Liturgiae titulo, aliisque Syris et Arabicis monumentis intelligitur, utrique urbi Jacobus Episcopus praesidebat. Nec immerito vocatur *Syrorum Doctor.* Nam si vera est narratio de rebus Armeniae quam e Regio Codice edidit Combefisius, ab isto Jacobo nomen Jacobitae habuerunt, quem *Ἰάκωβον Πιτνανοῦ* vocat; qua in voce *Botnan*-facile est agnoscere. Quamquam verisimilior omnino conjectura videtur, eorum qui Nicephorum et Graecos alios autores secuti, Jacobitas non a Botnanensi Jacobo, sed a Baradaeo, sive Baradato quem et *τζάνζαλον* per contemptum appellant, ita cognominatos existimant. Tabelita unde dictus sit, haud aliter scimus quam ex Cod. MS. inscriptione: ex qua etiam conjectari licet non pauca Constitutionum Ecclesiasticarum fragmenta quae in Nomocanone Syrorum leguntur, nomine Tabelitae, ad hunc esse referenda. Fuit autem ille, ut Christiani tam Orthodoxi quam Nestoriani testantur, Severi Antiocheni discipulus, et maximus Jacobiticae fidei propugnator, cum alter in exilium pulsus foret: successoremque in eadem causa sustinenda habuit Jacobum alium Baradatum, a quo Jacobitas nominatos fuisse Nicephori, Eutychii Alexandrini, et aliorum multorum opinio fuit. Cum autem Jacobus Botnanensis multa scripserit, non modo inter Ecclesiae Jacobiticae Doctores numeratur in *Ὁμολογίᾳ*, sive Confessione fidei quae ab ordinandis exigitur, sed multa ejus testimonia occurrunt in Tractatu de fide Patrum. Historiae Nestorianae scriptores tradunt, Jacobum aequalem fuisse Acacio, quem vigesimum secundum Catholicorum suorum numerant: literis sacris operam dedisse in Schola Edessena quae florentissima tunc fuit: et initio Nestorianorum opinioni adhaesisse. Postquam vero Anastasium Imperatorem Severo plurimum tribuere, et in ejus sententiam consensisse intellexit, unius naturae fidem professum fuisse, illamque acriter defendisse.

L. 2. de bell. Pers. p. 119. ed. Regiae. Et de Aedif. l. 2. p. 22.

2. In codice Colbertino vetusto et bonae notae forma verborum Christi aliter se habet; magisque paraphrastica est; sed quia luculentam continet Jacobitarum de Eucharistiae fide confessionem, eam referemus. *In ea nocte qua tradebatur, ut animas nostras in captivitate servitutis constrictas liberaret, atque a maledictione et scandalo idolorum mutorum et mortuorum homines eriperet; ornatum sacerdotii demonstravit et pro Ephod atque Cidari sacerdotii antiqui, potestatem Deo dignam coram Apostolis sanctis manifestavit. Accipiens panem in manus suas sanctas, aspexit ad te Deum Patrem,*

gratias egit † benedixit † sanctificavit † fregit, divisitque Apostolis suis sanctis: dicens: Accipite, manducate ex eo: Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Populus. *Amen.* Sacerdos. *Etiam super calicem perfecit hoc mysterium dispensationis, miscens illum vino et aqua, et virtutem verbi sui vivificantis in eo abscondit, ipsam quae semper et perpetuo sanctificat et perficit: gratias egit † benedixit † et sanctificavit † dicens: Accipite, bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, et datur, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.* Populus. *Amen.* Sacerdos. *Quotiescumque sacrificio hoc divino reficiemini, et panem hunc manducabitis, calicemque hunc bibetis, ego in medium vestri veniam, super thronum sedens, panemque et vinum per unionem assumens: atque in patena et calice habitabo. Cum igitur ad mysterium istud celebrandum convenietis, non recedet a vobis memoria mortis meae, et illam annunciabitis, resurrectionem quoque meam confitentes, donec veniam.* Insignis sane locus, in quo explicando, et ad Protestantium sententiam reducendo exercere se possunt, quicumque Claudio saepius de Orientalium fide pejeranti, nimium facile crediderunt. Quamvis autem rara sint ejusmodi expositionum fidei in Liturgiis exempla, cum tamen istius certa sit apud Jacobitas Syros autoritas, rejici testimonium illius non potest, praesertim cum nihil contineat, quod iisdem verbis alibi non occurrat: tum in precibus, tum in scriptis Theologicis. Verba illa *virtutem verbi sui vivificantis in eo abscondit,* eadem significant, ac ista quae in orationibus leguntur, *virtutem Spiritus sancti habitare in pane et commisceri calici.* Dicunt etiam Jacobitae Christum post consecrationem elementorum, *venire et quiescere in altari:* id enim hoc loco significat vox *Throni,* nam Graecam retinuerunt hujus Liturgiae autores. Ita autem Syri in stilo Ecclesiastico vocant, mediam altaris partem in qua discus Eucharisticus et calix collocantur, ut videre est in Rituali Severi Antiocheni, et pari ratione Arabice vocatur כרסי *Karsi,* pars illa scilicet in qua *Tablito,* sive Tabula consecrata fixa est. Quod sequitur *panem et vinum per unionem assumens*: ad verbum redditur *uniens:* sed cum eadem voce explicetur a Syris, unio qua Verbum carnem assumsit, alia hujus loci significatio esse nulla potest. Frequentissima porro apud Syros Jacobitas est haec Theologia; panem et vinum fieri Corpus et sanguinem Christi, per assumtionem, et unionem, sicut corpus humanum ex carne et sanguine Beatae Virginis formatum, factum est corpus Verbi Dei, assumtum et unitum Verbo Dei. Ita Anonymus in Codice Mediceo, et plurimis locis autor Homiliarum de circulo anni ad usum Ecclesiae Alexandrinae, qui in prima de Evangelio Lucae ita loquitur. *Sacerdos postulat illapsum Spiritus sancti super panem et vinum, ut ea sanctificet: et postquam ab ipso sanctificata sunt, tunc unitur illius Filius, fiuntque ejus corpus et sanguis per unionem ejus, cum illis.* Et in ea quae est de Cantico Zachariae ad ea verba: *illuminare eos qui in umbra mortis sedent:* ita loquitur. *Significat hic locus, quod nobis quotidie Christus oritur, incarnatus in disco et in calice:* atque id

Severi lib. Rit. p. 104.

multoties repetitur in iisdem Homiliis, et in Tractatibus Theologicis. Inde constat non singularem quamdam in ista Liturgia proponi opinionem, sed communem Ecclesiae Jacobiticae doctrinam.

2. *Invocatio Spiritus sancti.*

Invocatio Spiritus sancti, communem omnibus Liturgiis Orientalibus lectionem repraesentat cum perspicua illa distinctione duplicis effectus per sancti Spiritus adventum postulati: nempe in dona proposita, ut ea efficiat corpus et sanguinem Christi Domini: in Sacerdotem et circumstantes, ut mysteriorum participatio prosit illis ad remissionem peccatorum et vitam aeternam. Utrumque enim effectum, dum similem ex Gregorii Coptica Liturgia formulam vexavit Salmasius, confundere conatus est, ut scilicet fierent dona proposita corpus et sanguis, sed illis duntaxat quos Spiritus sanctus prius sanctificavisset; qua interpretatione nihil absurdius, aut magis abhorrens ab Orientalium Theologia, ut ab antiquorum Patrum doctrina. In hujus autem Liturgiae Invocatione singulare est, quod cum pleraeque, ex vocibus quae adventum seu *ἐπιφοίτησιν*, et *ἐπισκίασιν* Spiritus sancti significant, et omnes eamdem vim et significationem habent, unam aut duas repraesentet, ista omnes complectatur: nempe נאגן *superveniat,* נרחף *obumbret,* נתניח *requiescat,* quibus *illapsus*, *obumbratio, adventusque* sancti Spiritus in Beatam Virginem ad Incarnationis mysterium significantur a Theologis, dum miraculum quod in Eucharistia fit, alteri quod factum est in Incarnationis momento, comparant. In ista porro forma Invocationis adjicitur, et *transmutet* eas oblationes: quae verba occurrunt in Graeca Liturgia Chrysostomi: et in Syriaca quae Nestorio tribuitur: tum in Jacobitica Jacobi Edesseni, Marutae et aliis. Hinc agnoscitur vocem נחוא, quae in sequenti periodo legitur, ut in Syriaca quoque Jacobi Apostoli, non aliter intelligendam, quam ut intelligenda est vox *ἀναδείξῃ* quae eodem loco usurpatur in Graecis codicibus: nempe *consecret*, et *efficiat,* ut saepius exprimitur in diversis aliis Liturgiis Syriacis. De illis vero locutionibus, et Orientalium hac in parte Theologia, sufficienter dictum est alibi.

3. *Et faciat utrumque unum Corpus et Sanguinem unum, sanctum, aequale et mysticum.*

Sententia hujus loci quiddam obscurum habere videbitur, illis qui Theologos Orientales minus familiares habent. Docent non modo in Tractatibus Theologicis, sed in orationibus quae ad populum dicuntur, atque adeo simplicissimae sunt, et ad plebis captum accommodatae, dona consecrata unum esse; sicut Christus ipse unus est, neque panem et calicem quamvis seorsim consecrentur et sumantur, duo esse mysteria sive sacramenta, sed unum. Hoc simplicibus verbis ita exprimunt in oratione, quam plerique co-

dices repraesentant, nonnulli eam Dionysio Barsalibi attribuunt, dicenda paulo ante Communionem. *Hoc est corpus istius sanguinis: hic est sanguis istius corporis.* Rogant igitur ut Spiritus sanctus panem et calicem faciat unum corpus et sanguinem: hoc est, ut cum mysterium consummatum est, utraque species, tam simul, quam divisim consecrata vel sumta, unum sit sanctum τὸ ἅγιον hoc est una Eucharistia, unum sacramentum, *aequale,* ut scilicet et in pane corpus et sanguis, et in calice sanguis et corpus aequaliter credantur: *aequale* etiam idcirco, quia utrumque sub alterutra specie continetur: *mysticum* sive *sacramentale,* ut pariter verti potest, quia licet vere et realiter, mystice tamen fit, quia non sensibiliter fit, sed in sacramento. Ita illos credere et multa alia firmissima argumenta demonstrant, et maxime, optima fidei interpres disciplina: secundum quam infirmis longe positis solum panem consecratum mittunt: infantibus solam vini speciem, ut alibi fusius explicatum est. Eamdem sententiam aliis verbis, sed idem significantibus, expressit in Liturgia sua Gregorius Abulfaragius, in qua gratias agit Deo *propter illud munus duplex, quod duplicibus dedisti, quamvis tamen unum sit et unius typum exhibeat.* Duplex munus vocat panem et vinum, facta corpus et sanguis Christi, datum hominibus, qui constant ex corpore et anima: quamvis tamen munus illud unum sit, quia unum est, in duplici specie sacramentum, et unius typum exhibet, quia sacramentum unum est ea qua mox dictum est ratione, Christumque unum non persona solum, sed natura, ut existimant, repraesentat et exhibet. Nam ex praejudicata illa sua opinione, licet praeclare de Eucharistiae fide scribant, argumenta ducunt, quae illam magnopere confirmant.

LITURGIA

BEATI JACOBI INTERPRETIS

EPISCOPI EDESSENI.

Primum Oratio ante osculum Pacis.

Deus Pater omnium et Domine dominantium, genitor aeterne qui genuisti Filium aeternum, et ab aeterno, neque temporaliter, non divisibiliter, aut mutabiliter: ipse fons pacis, et origo tranquillitatis, abyssusque caritatis perfectae; Tu largitor illius pacis, praesta nobis

omnibus, ut pure et spiritualiter, absque ulla animi perturbatione, amplectamur et osculemur invicem in caritate vera, perfecta atque vacua omni dolo: per eum ipsum largitorem tranquillitatis, unigenitum Filium tuum, cum quo te decet gloria, honor et imperium cum Spiritu tuo sanctissimo et bono.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem. *Et* Post, etc.

Sacerdos. Quando igitur conjuncti et uniti sumus alter alteri, per caritatem veram et spiritum mansuetudinis, deposuimusque vetera vestimenta hominis veteris, et colla nostra coram clementia tua inclinavimus, rogamus bonitatem tuam naturalem, ut effundas super nos, et super omnem populum et haereditatem tuam, quae sanguine salutari Christi redempta est, omnes benedictiones tuas abundantes, et omnes gratias tuas perfectas, ut [2] linguis quae accipiunt unum corpus sanctum unigeniti Filii tui, et per eum et cum ipso referamus tibi gloriam et laudem et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Tu per bonitatem beatam tuam naturalem, et misericordias, et miserationes, quae substantialiter tibi connexae sunt, ex nihilo ab initio creasti nos ad imaginem praeclaram majestatis tuae: cumque corrupti fuissemus, et corruptioni relicti obnoxii, per eamdem gratiam tuam, et non per justitiam nostram, Verbum Deum Filium tuum misisti ad salutem nostram. Tu ergo etiam nunc Domine, per eamdem bonitatem tibi naturalem, per quam creasti nos a principio, et per misericórdiam illam etiam tibi naturalem qua in fine salvasti nos: per illam igitur age nobiscum benigne in hac hora, ut accedentes ad mysteria haec sancta, non afficiamur pudore peccatorum nostrorum, sed per eadem mysteria tua, purgemur a sordibus et spurcitiis peccati, et referamus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo.

Diaconus. Stemus, etc.

Sacerdos. Caritas Dei, etc.

Populus. Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Dignum et valde justum est, ut benedicaris, glorificeris, honoreris et exalteris, Deus noster, neque solummodo a nobis, sed etiam ab omnibus virtutibus quae in coelo sunt: quia creasti nos ex nihilo per amorem tuum erga homines, et docuisti nos glorificationis et gratiarum actionis voces, quas offerremus tibi. Sed nunc conjunge nos per Spiritum tuum sanctum in unam spiritualem concordiam.

Elevans vocem. A te enim contremiscunt millies millia, et decem mille myriades mentium coelestium, et multitudines sublimium: substantiae simplices nec compositae, a flamma illa intelligibili decisae, quae tibi benedicunt. Ordines mirabiles et timendi ex carbonibus ignis levissimi constantes, qui te laudant: exercitus maxime admirabiles, quorum inter labra carbones terribiles defluunt, te glorificant; catervae prolixae et fortes, cum motu Cherubim carbones ferentium, te exaltant: ordines praeclare dispositi Seraphim, sex alas habentes, trina te sanctificatione sanctificant, qui facies suas, quamvis igneas, ab ardore tuo protegentes, canticis suavissimis, et quae humana labia efferre non possunt, trinam sanctificationem uno concentu intonantes, cum jubilo clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, etc.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es, Domine, fons sanctitatis; qui cum praevaricati fuissemus et in pulverem recidissemus, in eam scilicet naturam ex qua creati fueramus, per bonitatem exaltasti nos, et Prophetas misisti ad directionem nostram: cumque non suppeteret illis virtus ad salutem praestandam, Verbum Deum Filium tuum misisti ad auxilium nostrum. Ipse autem corpus assumpsit ex figmento nostro, ut illud iterum refingeret: et quaecumque homini conveniunt (excepto peccato) suscepit pro nobis, et illa quae Deo digna erant, operatus est ad salutem nostram.

Elevans vocem. Cum igitur agnum legalem illum, qui typus erat agni coelestis cum discipulis suis sanctis manducaret, velletque nos a sacrificiis corporeis, agnorum, taurorum, et haedorum liberare, et nos attollere ad digniora sacrificia, coelestia divinaque mysteria, eo vespere quo traditurus erat se ipsum in sacrificium pro nobis, panem accepit in manus suas sanctas, et expertes omnis maculae et elevans oculos in coelum ad Patrem, gratias egit † benedixit † fregit † [3] edit deditque discipulis suis dicens, accipite edite

ex eo: Hoc est Corpus meum, quod pro vita creaturarum frangitur, et dividitur, ad remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam miscuit calicem temperate ex vino et aqua, gratias egit super eum, postquam coenavit cum discipulis suis in mensa mystica, † benedixit, † sanctificavit † et porrexit Apostolis sanctis, et dixit. Hic est Sanguis meus quem effundo pro mundi vita, et eis qui credunt in me praeparat vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ita perficite quotiescumque manducabitis corpus hoc, et bibetis hunc calicem, memoriam agite mortis meae, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, etc.

Sacerdos. Dispensationem tuam supernaturalem scribimus super tabulas cordis nostri; et mysteria praeclara mirabilium tuorum, o Verbum Deus, oculis mentium nostrarum intuemur. Memoriam etiam facimus exortus tui tremendi et timendi in adventu tuo secundo: quando sicut fulgur vehemens, ab oriente exorieris, et orbis fundamenta virtute potentissima tua concuties: quando super nubes coeli cum pompa ingenti venies, quando super thronum sublimem majestatis tuae cum gloria inenarrabili sedebis: quando terra sicut vas figulinum evomet corpora in ea deposita, et abyssus excitabit defunctos in ea quiescentes, tanquam ex somno: quando nulla erit consolatio luctui impiorum, neque ulla tristitia superveniet gaudio justorum. In hac hora terribili effunde commiserationem tuam Domine, super populum tuum, et haereditatem tuam: ne deficiat spes nostra a gratia tua, neque privetur confidentia in te nostra miserationibus benignitatis tuae. Non tegant peccata nostra sigillum [4] Chrismatis tui sancti; neque spoliemur per insipientias nostras, baptismo tuo divino. Ne immisericors sis erga nos Domine, ne avertas faciem tuam a nobis o clemens, ne quaeramus misericordiam et non sit qui misereatur, neque fleamus in passionis dolore, et non sit qui consoletur. Non torqueamur in gehenna, et non sit qui ignoscat; ne effectum non habeant promissiones erga nos tuae veraces, propter peccata, praevaricationes, et iniquitates nostras: non cum illis qui contemserunt passiones tuas recenseantur, qui non abnegaverunt crucem tuam: neque cum illis qui te non confessi sunt, numerentur illi qui crediderunt in te. Nos ii sumus Domine qui sustinuimus contumeliam et opprobrium pro nomine tuo sancto, qui ja-

ctati, praedae expositi et persecutionem passi sumus pro nomine tuo sancto; qui colaphis caesi sumus a gentibus alienis, pro fide tua vera. Quandoquidem te non abnegavimus, ne abneges nos: qui non contempsimus humiliationem tuam, ne per contemtum privemur convivio tuo. Pro his et ejusmodi rebus Ecclesia tua et grex tuus deprecatur te et per te et tecum Patrem tuum, dicens. Miserere mei, etc.

Sacerdos. Nos quoque. *Populus.* Te glorificamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Domine Pater miserere nostri, et mitte gratiam Spiritus tui sancti qui vivificans est, tibique consubstantialis; qui per Prophetas locutus est, qui Apostolis sapientiam, qui martyribus fortitudinem inspiravit, ipse veniat et requiescat super haec mysteria et sanctificet illa, et nos sua sanctitate repleat. Exaudi me, etc.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut adveniens et requiescens, efficiat panem hunc, ipsum corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, exhibeat ipsum sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut commista et unita animabus et [6] corporibus nostris, sint nobis ad veniam, et non ad accusationem; ad mundationem, et non ad condemnationem; ad fiduciam consistendi coram throno terribili majestatis tuae, et non ad confusionem; imo ad revelationem vultus coram timenda majestate tua, quia veraces et fideles sunt promissiones tuae, Pater, Fili, et Spiritus sancte nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Hoc sacrificium offerimus tibi, pro universa Ecclesia Orthodoxa, pro Patriarchis nostris, pro Episcopis, pro Sacerdotibus, pro Diaconis, pro Monachis, pro Religiosis, pro Fidelibus veris, pro vilitate mei peccatoris, et pro insanabilibus infirmitatibus meis, ut cures eas per medelam tuam saluberrimam, Domine misericors, bone et longanimis.

Elevans vocem. Ut per illa extollatur, et triumphet Ecclesia haec sancta et praeclara tua, quae extendit tentoria sua a finibus

usque ad fines terrae habitabilis. Confirmetur per fortitudinem brachii tui, confortetur per virtutem potentiae tuae, referatque tibi gloriam et laudem simulque unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sancto.

Sacerdos inclinatus. Et per solam misericordiam tuam, suscipiens has oblationes ex manibus meis peccatricibus, eorum etiam qui optaverunt offerre et facultatem non habuerunt, memento per misericordiam tuam.

Elevans vocem. Et eorum qui cum fide et zelo ardenti veritatis, primitias, decimas, oblationes et dona, Ecclesiae tuae sanctae separant et largiuntur, quique necessitatibus et inopiae pauperum, afflictorum, et persecutionem patientium communicant, in hoc tempore hujus sacrificii memento. Sed neque suspiria et gemitus eorum, qui in angustia spiritus, et cordis afflictione sunt, negligas Domine: quia tu beatus, veniae largitor et hominum amator es, tibique gloriam et laudem referimus, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu sancto.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine [7] Regum fidelium qui auxilium dant Ecclesiae tuae sanctae, et pugna pro eis, et judica causam eorum, adversus inimicos eorum.

Elevat vocem. Et lupos, atque tyrannos qui avide frendent dentibus contra Ecclesiam tuam, et contra oves gregis tui sancti, perde et dissipa. Gladios etiam sitientes sanguinem adorantium te, magna fortitudine brachii tui hebeta et perde, confringe et repelle: militiam quoque illam quae decertat pro aedificatione Ecclesiae unigeniti Filii tui, virtute tua insuperabili confirma et adjuva: quia tu refugium, salvator, et adjutor noster es, tibique gloriam et laudem referimus, et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo.

Sacerdos inclinatus. Ad bonam etiam memoriam revocans, Prophetas electos, revelationum investigatores: memento genitricis Dei Mariae, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Stephani, Joannis Baptistae, et omnium Sanctorum qui a saeculo placuerunt tibi.

Elevans vocem. Eorum qui interpretes fuerunt mysteriorum inscrutabilium dispensationis unigeniti Filii tui, qui abscondita tua viderunt, qui res abstrusas annuntiaverunt: qui futura indicaverunt: qui sermone simplici, sapientiam sapientum confuderunt: qui in ipsa corporis infirmitate thronos regum potentium terrore concusserunt, ut etiam eorum qui cervices suas tradiderunt tormentis et doloribus, propter nomen tuum sanctum: eorum qui mundo et concupiscentiis ejus renuntiaverunt, et cucurrerunt post praecepta Christi tui memento Domine,

et nos per eorum intercessiones robora et adjuva. Animas etiam nostras in veritate tua firmas effice, corda nostra in fide tua confirma, quia tu dator et largitor bonorum es, Domine, tibique laudem referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Sacerdos inclinatus. In hac etiam hora memento, Domine, Doctorum, Orthodoxorum, praecipue [8] vero Ignatii, Dionysii, Basilii, Gregorii, Cyrilli, Severi, Philoxeni, Jacobi, et reliquorum omnium Doctorum qui vestigia illorum secuti sunt.

Elevans vocem. Eorum qui radiis Theologiae a Spiritu tuo sancto inspiratae, tenebras omnium gentium illustraverunt: eorum qui funes extenderunt Ecclesiae ex gentibus congregatae, et redemptae sanguine unigeniti Filii tui, a finibus usque ad fines terrae habitabilis: eorum qui gladio spiritus resciderunt membra mortua ex corpore Ecclesiae Christi tui: per quorum orationes acceptabiles, Domine nos etiam confirma et dirige in fide et doctrina eorum beata; ut cum illis et inter illos, referamus tibi gloriam, et laudem simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui sanctissimo.

Sacerdos inclinatus. Mortuorum etiam fidelium, pro quibus hoc sacrificium oblatum est, memento Domine in hac hora: nominatim vero mortuorum omnium fidelium, patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, tam secundum corpus, quam secundum spiritum.

Elevans vocem. Et eorum qui cum spe vera, et confidentia fidei quae in te est, ex hoc mundo angustiarum migraverunt, et ex vita hac gemebunda profecti, ad te pervenerunt, patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum recordare. Memento eorum, et suscipe, eosque quiescere jube in sinu Abraham, in tabernaculis laetitiae et quietis, in habitaculis lucidis, in mundo voluptatum, in Ecclesia Jerusalem, ubi locus non est afflictioni, neque via tristitiae. Per misericordiam tuam, Domine, veniam consequantur, subter alas aspectus tui abscondantur, et peccata eorum non revocentur in memoriam: quia nullus extitit plane liber ab hujus mundi sordibus, ex omnibus qui carne induti super terram vixerunt, nisi salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus: per quem etiam misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum propter eum, tam nobis quam illis.

Quietem praesta. Et onera gravia quae nobis ipsi hoc in mundo imposuimus, aufer a cervicibus nostris Domine: peccata nostra et eorum ignosce, dimitte et aufer, tam ea quae voluntarie, quam quae

involuntarie, scienter aut ignoranter commisimus, neque rigidum nobiscum examen instituas, quando stabimus coram solio tremendo et timendo majestatis gloriae tuae, Domine, sed secundum misericordiam, gratiam, et clementiam age nobiscum: neque laetentur de nobis inimici nostri, aut exultent de perditione nostra: neque alieni simus a deliciis optatissimis regni tui: neque careamus fiducia illa filiorum quam habent coram te omnes qui faciunt voluntatem tuam, ut in hoc, sicut et in omnibus, glorificetur, laudetur, honoretur, et exaltetur nomen tuum benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit et signat. Mox dicit Orationem ante Pater noster.

Existens, aeterne, Pater sancte Filii aeterni, et sancti: abscondite nec investigabilis: excelse, non comprehensibilis: gloriose, et quem assequi cogitatio non potest: secrete qui explicari non potes, qui in ultimis diebus temporis, modo inexplicabili, per dispensationem verbis inenarrabilem, et per miserationes essentialiter tibi congenitas, summo in homines amore egisti erga figmentum tuum, quod mortuum, corruptioni subjacebat: ipsumque Verbum Filium tuum, Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum misisti ad nostrum auxilium; qui omnia quaecumque ad emendationem nostram erant necessaria perfecit, nosque filios tuos et fratres suos vocari, praestare dignatus est, et orationem Dominicam docuit nos, quam tibi cum deprecatione offerremus; tu nunc, Domine, praesta nobis omnibus, ut labiis impollutis et cum fervore verae fidei et fiducia nulli confusioni obnoxia, qualis filios decet, clamemus ad te, uno ore aequaliter, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Pater sancte et misericors ne dimittas nos ex manibus tuis, ne incidamus in tentationes quarum vim sustinere non possimus. Verum ut Pater benignus visita filios imbelles, neque prives nos gratia tua, aut prohibeas a nobis influxum benignitatis

tuae. Non avertas vultum tuum a nobis, neque ejicias nos ab ovili tuo: quia tua est excellentia, gloria et regnum, simulque unigeniti Filii tui et Spiritus tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et potentia cum Spiritu tuo sanctissimo.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Et populum fidelem hunc tuum Domine qui cum humilitate mentis, cervicem suam inclinat coram misericordia tua, expectatque dona tua abundantia, benedic dextera tua benedictionum feraci, ut ab omni labe et macula peccati mundati, corporique sancto et sanguini divino Christi tui communicantes, laudes, hymnos, et glorificationem quae diviti misericordiae tuae debentur, referamus tibi, gloriamque et gratiarum actionem, simulque unigenito Filio tuo et Spiritui sancto tuo.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Misericordia Dei sit, etc.

Sacerdos. Sancta Sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Confitemur.

Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.

Gratiarum actionem debitam tibi Deus offerimus, et continuo quantum nobis licet, secundum officium nostrum, linguis non conticescentibus tibi confitemur, petentes a te, Deus noster, ut mysteria haec sancta quae suscepimus, sint nobis ad remissionem peccatorum et expiationem delictorum, et ad excusationem coram solio tuo terribili, per gratiam et misericordiam, amoremque erga homines unigeniti tui, qui nos vivificat, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post susceptionem.

Sacerdos. Coram te Domine misericors, inclinamus colla nostra, et populi tui fidelis: concede omnibus nobis, o clemens, concordiam

et caritatem veram, statum aequalem, non accusationi obnoxium, sed modestum: effundens super nos per misericordiam tuam omnia bona abundantia, per benedictiones tuas indeficientes: conserva eos ab omnibus angustiis; protege illos ab omnibus offensionibus, et praesta illis ut perficiant omnia dextra: deducque nos omnes ad finem illum bonum, qui promissus est omnibus piis et justis, et illis qui faciunt voluntatem tuam. Tu enim es solus Pastor bonus, et veniae largitor, qui voluntarie tradidisti te ipsum, et liberasti animas perditas et tibi gloriam referimus, et Patri tuo, qui bonis petitionibus annuit, et Spiritui sancto tuo qui vivificat creaturas, nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus, etc.

IN LITURGIAM JACOBI EDESSENI

NOTAE.

1. *Jacobi Interpretis Edesseni.*

Nomen illius inter Jacobitas celeberrimum est, et inter sectae illius doctores non minima est ipsius dignitas et autoritas. Vocatur autem interpres, quia varios in sacram Scripturam commentarios scripsit, ex quibus testimonia passim referuntur in Catenis Syriacis et Arabicis. Ejusdem mentio fit a Gregorio Abulfaragio, tum in Historia Dynastiarum, tum in aliis operibus: ut etiam a Mose Barcepha in Tractatu de Paradiso et expositione in Hexaemeron. Extant quoque varia ejus de Jure Ecclesiastico Responsa in Nomocanone Syrorum Jacobitarum, tum in Collectione quae subjicitur antiquissimo Codici Mediceo: ex quibus non pauca his in notis ad Liturgias decerpsimus. De illo scripsit Faustus Naironus in Evoplia sua, sed ea quae *Evopl. p. 48.* tenebras potius historiae, quam lucem inferant. Ait enim vocatum illum fuisse *Malfono Doctorem:* non vere. Is quippe titulus proprius est alteri Jacobo Botnanensi et Serugensi Episcopo, de quo diximus ad ejus Liturgiam. Utrumque saeculo septimo vixisse scribit, et nihilominus, inquit: *Orthodoxi a nationibus Catholicis Orientalibus reputantur, cum in eorum scriptis quae circumferuntur,*

nihil quod haeresim sapiat inveniatur: imo de Jacobo Edesseno mentio fit in Calendario Maronitarum die 27. Januarii, una cum sancto Ephrem. Sancti Ephrem Doctoris, et S. Jacobi Edesseni, cujus aevo asserit Barebraeus, id est Abulfaragius, *initium habuisse hymnos illos qui Canones Graeci nuncupantur.* Verba sunt: *Atque etiam sub aevo sancti Jacobi Edesseni, et electi Georgii gentium Arabicarum, coeperunt hymni qui Canones Graecorum nuncupantur.* Hinc colligit Naironus diversum illum esse a Zanzalo, quem eumdem fuisse cum Edesseno, nemo quod sciam existimavit.

Circa Muhamedani imperii initia vixisse Jacobum Edessenum verisimile est. At Orthodoxum illum fuisse, neque Abulfaragius, neque idoneus ullus inter Orientales Autor, memoriae prodidit. Stephanum Edenensem Maronitarum Patriarcham Antiochenum, quem adducit in testimonium Naironus, et omnes, quotquot sunt aut fuerunt Maronitas, nihil moramur, in quibus amor patriae, si veritatis limitibus contineretur, esset excusandus: verum in rebus ad historiam Ecclesiasticam spectantibus, illudere lectoribus, quia pauci his studiis operam dederunt, et alios omnes fallere facile est, omni excusatione caret. Quae enim sunt nationes Catholicae Orientales a quibus Jacobi illi duo Orthodoxi judicati fuerint, nisi Jacobitae sincerissimi? Nam illi in Confessione fidei, quae ab Ordinandis exigitur, inter Doctores Ecclesiae suae probatissimos Jacobum Edessenum et Serugensem nominant: eorum testimonia producuntur a Theologis ad impugnandam Concilii Calchedonensis fidem; tandemque illorum Liturgiae habentur in Codicibus Jacobiticis, ubi eorum qui post illud vixerunt Orthodoxorum nulla reperitur. Pari ratione Severi, Philoxeni, Barsomae et aliorum haereticorum fama purgabitur, quia nomina illorum extant in Diptychis Liturgiarum, quas Maronitae sibi vindicant, cum Jacobitarum propriae sint, ut alibi probavimus. Idem de Calendario illo judicandum: neque Orthodoxi judicari potuerunt Jacobus Edessenus, et Serugensis, quia nihil occurrit in eorum scriptis, quo fides Catholica offendatur, nisi ab illis qui illa ne ex titulo quidem noverunt: cum contra laudentur a Jacobitis, quod adversus Calchedonenses antiquam fidem strenue propugnaverint. Episcopum fuisse Jacobum Edessenum certum est ex inscriptione Codicis Medicei, in quo continentur *Responsa* ejus de Jure Canonico *ad quaestiones propositas ab Adaeo quodam sacerdote.* In margine et eadem qua codex scriptus est manu, antiqua sane et sexcentis, ut minimum, annis vetustiore, legitur. *Hoc opus factum fuisse anno Graecorum* DCCCCXCVIII. Is autem respondet anno Aerae Christianae DCLXXXVII. Muhamedanae LXVII. Ea igitur aetate vixisse Jacobum Edessenum certum videtur, hoc est labente septimo saeculo.

2. *Linguis quae accipiunt unum Corpus sanctum unigeniti Filii tui, etc.*

Frequentissima est haec locutio in Syrorum sacris Officiis, et praecipue in orationibus gratiarum actionis post Communionem, tam in istis quam in aliarum Ecclesiarum Orientalium Liturgiis: nec minus familiaris inter Theo-

logos, Severum Episcopum Aschmonin, qui idem fuse exponit, et alios, quorum alibi testimonia relata sunt. Unum autem corpus sanctum dicitur: quia ut multis docet Barsalibi sacramentum unum est, quamvis in speciebus duabus, et vasis duobus: *quapropter,* inquit, *particula calici immittitur, ut significetur, hoc esse corpus istius sanguinis: huncque sanguinem istius corporis, quodque licet sint in vasis duobus, corpus et sanguis, unum tamen est corpus dominicum Verbi Dei.* *Com. in Lit. Jacobi cap. 16.*

3. *Benedixit, fregit, edit, etc.*

Ita in Liturgiis Copticis et Syriacis nonnullis, sed rarius. Constans tamen Syrorum Doctorum sententia est. Barsalibi. *Sacerdos primum communicat mysteriis: sicut etiam Dominus noster primum quidem communicavit corpori et sanguini suo in coenaculo: deinde utrumque Discipulis communicavit.* *Id. c. 18.*

4. *Non tegant peccata nostra sigillum Chrismatis tui sancti.*

Hoc loco *μύρον* sive Chrismationem significari perspicuum est, ut etiam iisdem verbis in Liturgia Philoxeni Mabugensis sive Hieropolitani, legitur: *non facias nos partem ignis illius ardentis, quia Chrisma tuum sanctum signatum in nobis est.* Eo loco per vocem Chrismatis, intelligitur non modo sacramentum Confirmationis, sive *Myron*, ut appellatur a Christianis Orientalibus, sed etiam Baptismi, qui simul in Oriente administratur. At in ista Liturgia utrumque sacramentum distinguitur, sigillumque Chrismatis, a veste Baptismatis, qua Christum induimus, aliud esse declaratur. Eo nomine, id quod nos Catholici characterem appellamus intelligi certum est, quem dum aeque per Chrisma sive Confirmationem imprimi agnoscunt, simul rectae suae de hoc sacramento doctrinae testimonium dicunt.

5. *Nos ii sumus, Domine, qui sustinuimus contumeliam, et opprobrium pro nomine tuo, etc.*

Ad miseram Christianorum conditionem sub Muhamedana tyrannide haec verba referenda sunt: cum jam extinctum esset Persarum Imperium.

6. *Ut commista et unita animabus et corporibus nostris.*

Ex his et similibus sententiis, quae passim in Officiis sacris Orientalium occurrunt, satis constat, quid illi sentiant de vera et reali corporis Christi per sacrorum mysteriorum susceptionem manducatione, quod non modo animae

per fidem communicetur, sed ore et lingua suscipiatur. Ea ratione dicunt Christum esse super altare; manibus Sacerdotum teneri, ore fidelium et lingua suscipi: corpora sanctificare et ad resurrectionis beatae spem, tanquam fermentum vitae praeparare: simulque agnoscunt ab indigne communicantibus, et peccatoribus suscipi: aut quemadmodum Severus, Barsalibi et alii ex vetustiorum Theologorum suae Ecclesiae sententia existimaverunt, tunc per miraculum auferri: quod alibi fusius, eorumque verbis exposuimus.

7. *Memento Domine Regum fidelium.*

Diximus jam de illa formula, ex qua deduci non potest antiquiorem esse hanc Liturgiam Muhamedanis temporibus, cum illa aetate Jacobus Edessenus vixerit, ut supra dictum est, quando non modo infidelibus dominis, sed immanissimis, et belluina crudelitate Praefectis, Syria subjecta erat. Itaque illa verba ex veteri usu retenta sunt.

8. *Doctorum Orthodoxorum, etc.*

Haec sola periodus omnem, si quae superesset, de Jacobi Edesseni secta dubitationem tolleret; eam enim amplectebatur, quae Severum, Philoxenum, et Petrum Gnapheum scilicet, doctores Orthodoxae fidei ejusque propugnatores, agnoscebat. Si igitur Maronitae in Calendario suo nomen illius habuerunt, majores suos, quos tanquam Ecclesiae veteris Syriacae lumina, veraeque doctrinae defensores haberi volunt, Jacobitas fuisse demonstrant. Sed Calendarium illud quod Naironus citat, non magis Maronitarum est, quam ipsae Liturgiae, quas Jacobitarum esse nemo possit cum aliqua ratione dubitare.

LITURGIA
THOMAE I. HERACLEENSIS.

Primum oratio ante Pacem.

Existens, aeterne, abscondite, qui in tua propriaque essentia permanes: qui ab omnibus creaturis et servis adoraris et glorificaris; sicut olim, ita etiam nunc sanctifica animas, et còrpora omnium nostrum, ut in una concordia caritatis, tam ad te, quam ad nos invicem mutuae, mereamur laudare te et unigenitum Filium tuum, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem, etc.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Per multitudinem misericordiae tuae Domine, benedic servos tuos et adoratores tuos istos, qui nunc coram te inclinati, expectant donum tuum coeleste: per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui: per quem et cum quo te decet gloria et honor, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Perfecte applica mentem nostram ad lumen perfectissimum Theologiae, quae contemplatur summas laudes tuas beatas, Domine; et praesta nobis, ut pure atque sancte perficiam ministerium hoc purum atque mysticum; per gratiam et misericordiam, et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae, etc.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Domine timende qui glorificaris in coelo et in terra, cum Filio tuo unigenito et Spiritu sancto.

Elevans vocem. Mentes perfectae et ordines spirituales, mundoque superiores, in sancto sanctorum tuo, sanctificant gloriam tuam, qui incessanter glorificant, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Convenienter secundum misericordiam tuam, Deus Pater, nobiscum dispensasti, et misisti nobis unigenitum Filium tuum, qui unitus est nobis secundum omnia, excepto peccato, tanquam scilicet ad salutem, et vitam nostram.

Elevans vocem. Vere et certe accepit formam servi, ut in ea perficeret, quae futura erant ad salutem, vitamque nobis praestandam, [2] Accepit panem et vinum, benedixit †, sanctificavit †, fregit, † deditque Apostolis suis dicens: accipite, utimini, et ita facite. Et cum hoc acceperitis, credite et certi estote, quod corpus meum editis, et sanguinem bibitis in memoriam mortis meae facientes, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Maxime etiam nunc memoriam agimus coram te, omnium earum rerum quas nostri causa gessisti, o Verbum Deus, quae a nativitate tua gestae sunt: Baptismi tui, passionis, mortis, sepulturae, resurrectionis tuae, et ascensionis in coelum, sessionisque ad dexteram majestatis Dei Patris, adventusque tui secundi et terribilis. Propterea Ecclesia tua et grex tuus deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te glorificamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus. Gratiam Spiritus tui, Deus Pater, qui a te procedit, et tibi consubstantialis est, unigenitoque Filio tuo, mitte

etiam nunc, veniatque et requiescat super nos, et sanctificet mysteria haec, atque illa perficiat.

Populus. Orate.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, *ter.*

Sacerdos elevans vocem. Largitorem illum bonum: ut illabens, faciat panem istum, et vinum istud, corpus et sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Feliciter per accessum ad haec sacramenta, participes tui efficiamur, et cum fiducia a te concessa, hymnis repleamur, et referamus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Generaliter ad te et per te, suscipe Domine has oblationes, quas nunc tibi offerimus, in nomine sancto tuo, pro Ecclesia tua sancta et Pastoribus ejus, pro ordinibus qui in ea sunt, et pro pace inter regna, bellorumque cessatione; pro benedictione pura anni, pro tenui mea infirmitate, et pro illis qui in quacumque necessitate positi sunt.

Sacerdos elevans vocem. Te Domine Deus noster adorande, rogamus, suscipe deprecationem nostram, imperfectam, pro omni populo et haereditate filii tui: mitte nobis et omnibus fidelibus divitias nulli egestati obnoxias, munerum tuorum laetificantium, secundum promissionem unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es, simul cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Perfecte memento, Domine, secundum memoriam divinam tuam, eorum qui nunc nobiscum simul uniti sunt et tibi noti: eorum qui fidem habent.

Sacerdos elevans vocem. Lux inaccessibilis et largitor munerum divinorum, fonsque auxiliorum es Domine, erga omnes qui te invocant. Divites illos fac divitiis illis laetitiam conciliantibus, munerum tuorum coelestium, quia tua est gratia et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sanctissimi.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Visita Domine per misericordiam tuam, Pastores hos nostros, qui claves scientiae tuae tenent perfecte; et da illis victoriam propter veritatem tuam.

Sacerdos elevans vocem. Auxilia nulli confusioni obnoxia, confer Domine in eos omnes qui diligenter praesunt gregibus tuis sanctis, et in uberrima voluptate Evangelii unigeniti Filii tui, illos pascunt et regunt: et cum illis gloriam referemus tibi et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Convenienter memento Domine, eorum qui persecutionem patiuntur pro nomine tuo sancto. Etiam praecipue et singulariter memento matris illius, quae vitam peperit, et Dominum sanctorum: reliquorumque omnium qui in singulis generationibus placuerunt coram te.

Sacerdos elevans vocem. Placeat tibi Domine ut per intercessiones dilectorum tuorum, cito salvati appareamus coram te, et voluptate qua fruuntur, quaeque finem non habet, digni efficiamur: per gratiam et misericordiam amoremque erga homines unigeniti Filii tui: per quem et cum quo te decet gloria cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Suscipe in memoriam tuam Domine Patres beatos, quique mysteria docuerunt, Ecclesiam tuam sanctam; eorum, qui ab antiquis temporibus tibi noti sunt, ad hanc usque diem.

Elevans vocem. Praecipue stabili et confirma, Domine, Ecclesiam tuam sanctam per invocationem Spiritus tui sancti, et dirigentis: atque universim orna eam et conspicuam effice, per doctrinam sinceram dilectorum tuorum: quia tu munificus, et donorum liberalissimus es, tibique gloriam et laudem réferimus et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Praeclare et abundantissime, memento Domine animarum et spirituum patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, et eorum omnium qui in confessione Orthodoxa ex hoc mundo ad te profecti obierunt, et illis requiem praesta, ut iis etiam, pro quibus hoc sacrificium oblatum est.

Elevans vocem. Efficaciter memento illorum Domine, et animas eorum colloca in habitaculis aeternis lucis, et illius beatitudinis quae per misericordiam tuam singularem obtinetur, et in locis quietis spiritus eorum colloca, nosque et eos simul laetifica lumine praeclaro vultus tui: quia quod ab unigenito Filio tuo commendatum erat, accepimus, et per illum etiam speramus misericordiam consequi, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Ad lucem inaccessibilem, quae in te est, Domine, nos pervenire fac, et inter exercitus tuos pacificos nos accense: atque ad partem dexteram simul cum electis tuis nos et illos constitue; quia in numerum dilectorum tuorum vocati sumus: ut in hoc sicut et in omnibus glorificetur, et laudetur gloriosissimum nomen tuum, et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Miserationes Dei sint.

Diaconus dicit Catholicam. Sacerdos frangit et signat.

Diaconus. Angelus, etc.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater, Filii unigeniti, Domini Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui supra omnes ordines, potestates et agmina incorporea extolleris et honoraris, cujusque gloriae, millia millium, et myriades myriadum indesinenter ministerium exhibent. Tu nunc etiamnum, Domine, praesta nobis, ut cum conscientia pura, et cum fiducia, atque amore qualis filios decet, audeamus invocare te Deum Patrem omnipotentem, oremusque et dicamus: Pater noster qui es, etc.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Per virtutem tuam potestas est inter creaturas, et illae te glorificant, o Rex saeculorum, et Domine potestatum. Tu etiam praeservator noster es; salvati cito coram te appareamus omnibus diebus vitae nostrae: quia bonum tibi videtur salutem praestare: et tibi gloriam referemus simulque unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Animi mentisque perfectione nobis concessa per Spiritum tuum sanctum, benedic hos servos et adoratores tuos qui nunc cum timore inclinantur coram te, expectantes misericordiam tuam

aeternam, ut in omnibus laudatores tui appareamus, et referamus tibi gloriam, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Benedictio Dei sit etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater Sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Convenienter et secundum veritatem tibi debetur adoratio cum omni gratiarum actione, et sincera beneficiorum agnitione, Rex Domine et Deus noster adorande et salvator noster Jesu Christe, eo quod cum essemus indigni; nunc tamen praestitisti nobis, ut ex pinguedine domus tuae, in anima reficeremur. Tu igitur, Domine, nos omnes confirma, adjuva nos, conforta nos et erige, parce nobis omnibus et quietem praesta, ut tam in his praesentibus, quam in futuris, laudabiles appareamus, facientes voluntatem tuam. Et pro omnibus quae circa nos dispensasti, beneficiisque tuis erga nos, gloriam, honorem et adorationem offerimus tibi, et per te atque tecum Patri tuo benedicto, et beato, atque Spiritui tuo vivo et vivificanti nunc, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post susceptionem.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Domine qui inclinasti coelos et descendisti pro salute nostra, et pro salute totius generis nostri infirmi, effunde super nos misericordiam benignitatis tuae, et concede nobis, congregationi scilicet Ecclesiae tuae sanctae, divitias et benedictiones tuas coelestes, ut absque fine et perseveranter glorificemus te: te qui es Deus verus super omnia, et Patrem tuum, qui misit te ad salutem nostram, et Spiritum tuum sanctissimum. *Populus.* Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos dicit ultimam benedictionem.

AD LITURGIAM THOMAE HERACLEENSIS OBSERVATIO.

Quis ille Thomas Heracleensis Episcopus fuerit, haud facile est conjicere: Jacobita sane, et Episcopus fuit. Sed qua aetate vixerit, huc usque assequi non potuimus. Citatum tamen alicubi hunc autorem reperimus, quasi quaedam de Christiana religione opuscula scripserit: tum etiam hanc Liturgiam, quae a nobis primum reperta est in antiquo Codice Colbertino. An eadem sit quae numeratur inter alias ab Abrahamo Echellensi, attributa Thomae Giarmachitae, obscurum plane nobis est: nam nihil adducit ex ea, unde vel levissimum indicium duci possit, istane, an altera sit. Haec autem Liturgia singulari apud Jacobitas Syros artificio commendatur, et quod diversae quibus constat orationes secundum Alphabeti litteras, Threnorum, et Psalmorum Abecedariorum more incipiat, et quod cultiori stilo scripta sit. Altum est sane de hoc Thoma apud eos quos vidimus autores silentium. Quis tamen ille fuerit existimamus haberi posse ex Codice MS. Bibliothecae Regiae Syriaco membranaceo qui Evangelia quatuor continet elegantissime scripta anno Alexandri MDIII. hoc est Christi MCXCI. Ad operis calcem haec leguntur. *Hic est liber IV. Evangeliorum sanctorum qui translatus est ex Graeca lingua in Syriacam, studio exactissimo maximoque labore: primo quidem in urbe Maboug, sive Hierapoli anno* DCCCXIX. *Alexandri Macedonis, tempore S. Philoxeni Confessoris et Episcopi ejusdem civitatis. Deinde vero recognitus summa cum diligentia, a me Thoma paupere, ad duo exemplaria Graeca eximia et accuratissime scripta Alexandriae, civitate magna ad S. Antonium sive Monasterium Religiosorum S. Antonii anno Alexandri* MCCCXXVII. Christi DXV. Haec erant descripta ex Codice primario ab ipso libri scriptore Jeschua F. Johanan Sacerdote, qui addit, *finita esse quatuor Evangelia secundum editionem Heracleensem:* hoc est Thomae illius, de quo supra. Is ergo videtur esse Thomas Heracleensis Episcopus: ut proclive est existimare: atque adeo vixisse illum oportet ineunte saeculo VII. quo potissimum tempore floruerunt Severi discipuli, atque reliqui ejusdem sectae Antistites, quos inter divos Jacobitae numerant. Parem epigraphen exhibent codices alii vetustissimi Evangeliorum Vaticani, et Florentini quos Romae et Florentiae vidimus ann. MDCCI. et antiquissimus noster scriptus anno Graecorum MCDIV. J. C. MXCI. Meminit quoque editionis Heracleensis Dionysius Barsalibi, citatus ab Eduardo Pocockio in Praefatione ad Epistolas aliquot Catholicas Syriace et Latine a se editas: in quibus verbis vocatur, *Thomas Episcopus Heracleae. Versionem*, reddidit Pocockius: at vox Syriaca מַפְקְתָא, non versionem significat, sed editionem, seu recensionem, quam ad Graeca exemplaria se fecisse testatur ipse Thomas, non Syriace vertisse.

In hac Liturgia nihil occurrit, quod alibi explicatum non fuerit. Nisi defectum quem in paucis aliis circa verba Christi observamus; et quod de aliis dictum est, de ista quoque dicendum videtur: nempe sequi debuerunt verba Christi: *Accipite et manducate: Hoc est Corpus meum*, et *similiter et calicem*.

Si plures illius Liturgiae Codices habuissemus, fortasse alia lectio in aliis reperta fuisset, cum librariorum culpa omissa potius videantur verba Christi sacramentalia, quam pravo consilio, ex falsa suppositione opinionis de Invocatione Spiritus sancti, de qua Syri aut reliqui Orientales numquam cogitaverunt. Videnda quae de hoc argumento dicta sunt ad Liturgiam Petri, Dionysii Barsalibi et paucas alias.

Quae sequuntur, paraphrasin continent verborum: *Hoc facite in meam commemorationem:* simulque continent professionem fidei de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia. De disciplina porro Syrorum Jacobitarum, statuere oportet, non ex duabus vel tribus Liturgiis quarum usus infrequens est, sed ex communi omnium forma, qui in Liturgia Jacobi continetur. De Invocatione Spiritus sancti, quae subjungitur, adversus communem illam regulam deduci nihil potest, cum iisdem verbis extet etiam in illis quae integram habent verborum Christi formam.

LITURGIA

MOSIS I. BAR-CEPHAE.

Oratio ante Pacem.

Domine Deus lumen aeternum et verum: parens luminis aeterni et veri; fons vitae et causa bonorum, principium tranquillitatis, et origo pacis: praesta nobis ut cum tranquillitate et pace ornemur misericordia spirituali, et rectam de te fidem habeamus: utque liberi ab omni passione reprehensibili, in caritate vera, demus pacem nobis invicem, in osculo sancto et divino, et referemus tibi laudem, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Sacerdos. Te enim solum novimus, fontem benedictionum et

largitorem misericordiae, Domine: coramque altari tuo sancto inclinamus colla animarum et corporum nostrorum: et cum deprecatione propitiatoria, rogamus et obsecramus te. Mitte benedictiones tuas uberes, et benedic servos et adoratores tuos, et referemus tibi gloriam et laudem, et unigenito, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Tu enim es Domine ab initio creator sapiens, et in fine temporum extitisti nobis salvator, et veniae largitor: et per Filium tuum dilectum salvasti nos, atque ad haereditatem nostram pristinam nos reduxisti. Nunc etiam, Domine, hoc tempore, per misericordiam, facilem te nobis praebe, et suscipe hoc sacrificium quod pro peccatis nostris offerimus tibi; juxta doctrinam Evangelicam Christi unigeniti Filii tui, per quem, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas Patris, gratia Filii, et communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus nobis.

Populus. Cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere et plusquam juste, cum timore et tremore gratias agemus tibi, adorabimus et laudabimus te corde, mente, et lingua: te, Deus Pater omnipotens, qui adoraris, laudaris et celebraris ab omnibus ordinibus igneis et spiritualibus.

Elevans vocem. Tibi enim, Domine, sunt in coelo et coelis coelorum, ministri nunquam silentes, et laudatores innumeri, qui te perpetuo et indesinenter laudant: Angeli et Archangeli, hymnis suis: Throni et Dominationes cantibus suis: Principatus, Virtutes et Potestates, jubilis suis: qui oribus igneis, reverenter te laudant, ter clamant et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es, Deus Pater omnipotens, qui per tuum amorem erga homines, mundum salvasti a morte, et a peccato, per incarnationem Filii tui unigeniti, qui voluntate bona, descendit de coelis, nec tamen reliquit sinum tuum; et incarnatus est de Spiritu sancto sibi consubstantiali, et ex Maria Virgine san-

cta, factusque est homo, vere, et propria persona sua liberavit, salvavitque naturam humanam ab erroribus, et a peccato.

Elevans vocem. Verbum enim Deus factus est homo, propria voluntate: non immutatus a natura substantiae suae, sed unione naturali et personali, omnia haec nostra suscepit, et passus est pro nobis in carne. Vespere autem passionis salutaris, agnum quidem legalem comedit et abrogavit: tum accepit panem in manus suas sanctas, et aspexit ad te, Deus Pater, gratias agens, † benedixit † et sanctificavit † et fregit, deditque discipulis suis sanctis, dicens: Accipite, edite ex eo. Hoc est corpus meum quod pro omnibus in me credentibus frangitur et dividitur, in expiationem delictorum, remissionemque peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem mistum temperate aqua et vino, accepit, et gratias agens † benedixit † et sanctificavit † deditque discipulis et Apostolis omnibus, dicens: Accipite, bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus, qui pro vobis, et pro illis qui in me credunt, effunditur, et datur, omnes illum suscipientes praeparans ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque haec ita perfeceritis, credite et pro certo habete, quod corpus meum editis, et sanguinem meum bibitis, mortisque, sepulturae et resurrectionis meae memoriam agite, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, Domine, memoriam agimus, etc.

Sacerdos. Omnia etiam illa quae fecisti pro nobis dispensatorie, novimus et oculis secretis conscientiae nostrae intuemur. Adventum quoque tuum secundum timemus et magnopere formidamus, tunc cum juste in justitia advenies, quando super tribunal judicii sedebis, et cum aequitate retribues unicuique secundum opera sua. Cum vehementer, et in furore, latera duo separabis, et impios ad latus sinistrum constitues: quando voce forti tua dices illis: ite maledicti in ignem qui non extinguitur. In illa hora terribili, propitius esto Domine per misericordiam tuam populo tuo, neque statuas nos ad latus sinistrum, neque vocem illam amarissimam intona adversus nos, quae ad ignem deducit: sed te ipsum pro nobis concilia, et ab incendio nos libera: a gehennae doloribus nos eripe; et a reatu peccatorum libera nos. Propterea Ecclesia tua sancta quam

redemisti, et grex tuus orthodoxus, quem acquisivisti te deprecatur, et per te tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

Propitius esto nobis Domine Deus creator noster, secundum promissionem veram unigeniti Filii tui, et mitte Spiritum tuum sanctum super oblationes nostras: illum qui tibi aequalis est tam essentia, quam throno et gloria, tecum et cum unigenito Filio tuo: ipse veniat, et illabatur super mysteria haec, illaque sanctificet illapsu suo.

Populus. Exaudi me, etc.

Sacerdos elevans vocem. Ipse, inquam, ipse Spiritus sanctus illapsu suo, perficiat panem hunc, corpus vivum et vivificans animas nostras: corpus sanctum et vivificans corpora nostra: corpus verum Christi Dei nostri ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum, suscipientibus illud.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, efficiat sanguinem sanctum et sanctificantem animas nostras: sanguinem purum et purificantem corpora nostra: sanguinem dominicum Christi Dei nostri; ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum, accipientibus illum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et illis sacramentaliter communicantes cum fide vera, custodi nos, et ab omni haeresi quae animam inficiat, salva nos; a reatu peccatorum nostrorum libera nos, et ab igne gehennae eripe nos, ut referamus tibi gloriam et laudem.

Inclinatus. Offerimus tibi sacrificium hoc timendum, et incruentum, pro Ecclesia sancta, et ejus Pastoribus, Patriarcha nempe Domino N. et Episcopo nostro N. qui eam recte pascunt: proque omni Clero qui in illa est, et pro filiis ejus, qui in universo orbe sunt, etiam pro infirmitate mei peccatoris: per misericordiam tuam, Domine, ignosce, et dimitte peccata mea et defectus meos, et concede tranquillitatem in habitaculis ejus usque in saeculum.

Elevans vocem. Eamque in fortitudine et gloria quae te dignae sunt conservans, Domine, etiam omnes haereses impietate plenas e medio illius depelle, et fidem Orthodoxam in ea confirmans, et ab illis qui eam dividunt et lacerant, eam liberans, in doctrina vera eam stabiliens, ut ita ab ejus filiis referatur tibi gloria et laus, et unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, per miserationes tuas multas, eorum qui adjuvant Ecclesiam tuam sanctam, et communicant necessitatibus pauperum et afflictorum, et adjuva eos quando te invocant.

Elevans vocem. Fideles etiam veros qui sunt in toto orbe, commemoramus: rogantes et deprecantes te Domine, ut per misericordias et gratiam tuam, illos visites, et fortitudine brachii tui eos adjuves. Ab omnibus angustiis libera eos: a necessitatibus et oppressionibus eripe eos, oblationes, decimas et primitias eorum suscipe ab illis, dexteraque tua custodi illos, ut pariter referamus tibi laudem.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, per gratiam tuam Regum fidelium qui ad te confugiunt, et fortitudine brachii tui conforta illos, et bella barbarorum ab illis, et ab omni mundo depelle.

Elevans vocem. Omnia etiam regna quae imperio tuo subjecta sunt, et omnes potestates quae in virtute tua fiduciam habent, Regesque fideles adjuva: Principes Orthodoxos virtute instrue, seditiososque et rebelles ex universo mundo compesce: atque in tranquillitate et pace rege gregem tuum spiritualem, ut referamus tibi gloriam et laudem, etc.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, genitricis unigeniti Filii tui, et omnium Sanctorum qui placuerunt majestati tuae.

Elevans vocem. Per te enim, Domine, vaticinati sunt Prophetae: per veritatem tuam armati sunt Apostoli: secundum spem tuam dimicaverunt Martyres: per caritatem tuam vicerunt Confessores: per te illustres facti sunt justi: in nomine tuo profecerunt jejunantes: per te coronatae sunt Virgines, et Sancti. Te obsecramus et deprecamur, ut orationibus eorum acceptabilibus, mereamur sortem habere cum illis, et partem quae illis servatur; ut cum illis, et inter illos referamus tibi gloriam et laudem, ut etiam unigenito Filio tuo.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, Doctorum Orthodoxae fidei, illorum qui vere praedicaverunt et docuerunt populum tuum,

doctrinam Apostolorum tuorum sanctorum, ab Apostolicis temporibus, ad hanc usque diem.

Elevans vocem. Doctorum electorum, et qui mysteria recte interpretati sunt, Ecclesiae tuae sanctae: illorum qui vere praedicaverunt dispensationem unigeniti Filii tui, et qui luce dogmatum suorum a Spiritu tuo sancto inspirata, illustraverunt gregem tuum rationalem, emtum sanguine unigeniti Filii tui. Nos etiam qui veritatem doctrinae eorum tenemus, te obsecramus, ut orationibus eorum, pacem tuam Ecclesiae tuae concedas, et schismaticos atque dissidiorum autores e medio nostri expellas: in recta illorum confessione nos confirmes: atque cum illis, et inter illos, referamus tibi gloriam etc.

Sacerdos inclinatus. Praesta, Domine, per clementiam tuam requiem et memoriam bonam, omnibus defunctis, qui decubuerunt, et quietem acceperunt, in spe unigeniti Filii tui.

Elevans vocem. Te Domine, Domine dominantium obsecramus, et te Deus, Domine spirituum et universae carnis deprecamur, pro illis, qui jussu tuo ex hac vita migraverunt; et ex hoc mundo flebili profecti, ad te pervenerunt. Quietem praesta animabus, corporibus, et spiritibus eorum: et a tenebris exterioribus salva illos: a cruciatu amaro eripe illos, et ad habitacula lucis et gaudii deduc illos: lumine vultus tui gloriosi laetifica illos, et a reatu peccatorum suorum libera illos; quia nullus inter natos mulierum purus fuit a sordibus peccati, nisi unus Dominus Deus magnus et salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus, per quem nos etiam misericordiam speramus.

Populus. Requiem praesta, etc.

Sacerdos. Viam enim generalem illam, primitus naturae nostrae constitutam novimus, et te Deus Domine universi obsecramus, ut delicta nostra voluntaria et involuntaria remittas, et ultimi illius boni quod viris pacis praeparatum est nos dignos efficias, et per misericordias gratiae tuae in hoc saeculo nobiscum te benignum praebeas, et in futuro perducas nos ad habitacula lucis et gaudii, et tam hic, quam illic celebrabimus, laudabimus, et extollemus nomen tuum sanctissimum et benedictum.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.
Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicet Orationem quae dicitur ante Pater noster.

Deus absconditus et incomprehensibilis, occultus, nec comprehensibilis, et gloriosus, nec visibilis, lux aeterna, et inaestimabilis, existens, excellens, nec mente comprehensibilis: genitor Verbi non temporalis, cui cum timore ministrant Ordines ardore succensi: qui videns genus nostrum quod ceciderat in abyssum profundum perditionis, et a Deo alienatum, non neglexisti salutem nostram, sed Filium tuum unigenitum e sinu tuo misisti ad nos, qui assumsit corpus humanum nostrum, et nobiscum in mundo versatus est ad emendationem nostram, et Orationem dominicam docuit nos, ut corde puro et anima lucida clamemus ad te, oremus, et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum.

Sacerdos. O Pater miserator, et misericors, Pater clemens, et veniae largitor, a te petimus et deprecamur te, ut salves nos a malo, et exercitibus ejus, et liberes nos a tentationibus, afflictionibus, plagis et virgis furoris: dimitte etiam nobis delicta et peccata nostra, per multitudinem magnam clementiae tuae, quia tuum est regnum et potestas, et referemus tibi laudem, et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Ante, etc.

Sacerdos. Ter tibi gratias agimus, te adoramus unice: te cum timore laudamus, tibi adorationem offerimus inclinabundi, et a te misericordiam deprecabundi petimus. Mitte benedictiones tuas abundanter, et benedic populum tuum et gregem tuum aequaliter, ut mysteriis istis communicemus sancte, et referamus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit gratia.

Diaconus. Cum timore aspiciamus.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Diaconus. Unus Pater.

Sacerdos. Gratias agimus tibi, et laudamus te, Deus creator noster, qui semper de salute nostra sollicitus, in omnibus genus nostrum magnificasti, et ornasti; nunc etiam nos dignos effice, ut ex pinguedine domus tuae, secundum animam impinguemur: per fidem alimoniae illius spiritualis ab igne liberemur, et in lumine tuo praeclaro laetemur, et exultemus, referamusque tibi laudem, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Post.

Sacerdos. Te Jesu Christe Deus cognoscimus, te confitemur, te laudamus, quod per te Deo Patri oblati sumus, et fide recta ditati sumus, corpusque et sanguinem tuum edimus et bibimus. Adorationem veram tibi offerimus, amoremque tuum erga homines deprecamur. Benedic dextera tua gloriosa et brachio tuo excelso populum tuum et haereditatem tuam, custodi illos per crucem tuam victricem, et referemus tibi gloriam et laudem, et Deo genitori tuo, et Spiritui sancto tuo, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen. *Diaconus.* Benedic Domine.

Sacerdos. Deus qui nos dignatus es etc.

AD LITURGIAM MOSIS BAR-CEPHAE

OBSERVATIO.

Mosis Barcephae nomine Liturgia extat in omnibus prope codicibus Syrorum Jacobitarum, inter quos celeberrima est illius memoria, tanquam insignis ex illorum Ecclesia Theologi. Is est cujus opus de Paradiso Latine interpretatus est vir doctissimus Andreas Masius, quae versio primum typis Plantinianis edita, in Bibliothecam Patrum translata est. Sed quis fuerit aut quando vixerit Moses, neque docuit nos Masius, neque aliunde certo scire potuimus. Vixisse illum diu ante Dionysium Barsalibi perspicuum est, cum is in Commentario suo ad quatuor Evangelio et alibi, illius testimonia frequenter referat: ut etiam juniorem fuisse Jacobo Edesseno, et altero Serugensi ex eo probatur, quod illorum sententias referat eodem in opere. Valde autem hallucinatus est Masius, dum illum non longe post Joannem Chryso-

stomum vixisse existimavit, cum Severum citet, Antiochenum scilicet Monophysitarum praecipuum. Sed gravius adhuc erravit Margarinus Binius, qui ad tempora Julii II. et Pauli III. illum reduxit, immani anachronismo, cum Moses ille alter Meredinensis fuerit, *Mardenus* a Masio ejus in Syriacis discipulo perperam appellatus. Nec meliora Possevinus. Sane eum Monophysitam fuisse constat, quales erant, quos honoris et testimonii causa appellat, Severus, Jacobus Edessenus, et alter Serugensis. Illum Episcopum fuisse verisimile est, ex hac quae ipsi tribuitur Liturgia: neque enim ab aliis quam ab Episcopis aut Patriarchis compositas, aut saltem illis adscriptas Liturgias Syri agnoscunt, ut ex Elencho illarum quas interpretati sumus manifestum est. Eum decimo saeculo vixisse scribit Naironus, sed nullam hujus conjecturae suae probationem offert.

In ista porro Liturgia nihil singulari observatione indiget, cum reliquis Jacobitici ritus sit omnino similis, maxime vero duabus in partibus quae a multis vexari solent. Verba Christi referuntur prout vulgo in Graecis Liturgiis et reliquis referuntur. In uno codice desunt ad benedictionem calicis verba haec, *Accipite et bibite ex eo vos omnes:* sed manifesto errore librarii, cum in praecedentibus legatur, *Accipite et manducate.* Invocatio Spiritus sancti multis quoque aliis similis est, habetque verbum *perficiat* τελειώσῃ, quod ex sensu Graecae vocis consummatam et perfectam consecrationem significat, ut alibi expositum est. In Oratione quae sequitur, *Et illis sacramentaliter communicantes cum fide vere, etc.* quae verba literaliter idem significant, ac alia quae in similibus orationibus occurrunt, *Qui illius sacramenti participes per ejus susceptionem erimus.* Nam qui ex illis elici posse existimabit, mystice tantum et metaphorice suscipi corpus Christi et per fidem: nihil habebit ex etymo Syriaco praesidii, vox ארזא *mysterium* et *sacramentum* significat: hoc loco participium *mystice,* sive *sacramentaliter*, ex idiotismo idem est suscipere sacramentum seu mysterium, ut cum dicunt Spiritum sanctum in piorum fideliumque animabus quiescere et illabi *perfectorie, et dominanter*, idem est ac si dicerent, *ut Dominum et perfectorem.* Si quid obscuritatis esset, discuteretur facile, per ejusdem generis orationes multas, quae veram, et non spiritualem corporis sanguinisque susceptionem perspicue significant.

Quae de agni Paschalis coena celebrata in eadem Liturgia leguntur, explicata sunt in Notis ad Liturgiam Dioscori.

LITURGIA

PHILOXENI I. EPISCOPI BAGDADENSIS.

Oratio ante osculum Pacis.

Deus qui es mare pacis, fluvius perennis caritatis, et fons puritatis, qui omnes accedentes ad te, pace quae a te est tranquillos reddis, et sanctitate quae pariter a te est sanctificas: da nobis servis et domesticis tuis, Domine, et praesta nobis omnibus, ut cum caritate odii experte, et dilectione sincera, amplectamur invicem in caritate vera, et dilectione immaculata, efficiamurque tibi filii pacis amantes, perficientesque voluntatem tuam: referemusque tibi gloriam et laudem, simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus dicit mediam. Stemus decenter.

Sacerdos. Coram te, Domine magne et terribilis, inclinant servi tui colla animarum et corporum suorum; et cum contritione cordis deprecantur te: exaudi eos per miserationes tuas, et adjuva illos per clementiam tuam, secundum promissiones unigeniti Filii tui: per quem et cum quo, te decet gloria et honor, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Domine factor, et conditor omnium, qui primum hominem ex nihilo formasti, et ad existentiam adduxisti: cumque peccasset, et mandatum tuum transgressus fuisset, salvasti, donisque tuis dignum fecisti: dirige etiam nunc corpora nostra et animas nostras: et a fovea corruptionis, ad excelsum tuum sublime eleva: et praesta nobis ut digni simus muneribus tuis: referemusque tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Miserationes Dei.

Sacerdos. Caritas Dei Patris.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, decens et debitum, ut glorificemus, laudemus, canamus et sanctificemus te factorem omnis creaturae, visibilis et intelligibilis.

Elevans vocem. Te enim benedicunt et sanctificant, cum timore et tremore magno, ordines ignis et spiritus: potestates illae beatae: agmina flammantia numerosa: substantiae principatus, ordinesque superni: militiae gloriosae, personae igneae honorandae et timendae: Angeli quoque et Archangeli, qui constituunt coetus splendidos ordinatos ad laudem tuam: Cherubim subjecti cum tremore tibi creatori, portantesque majestatem tuam: Seraphim sex alis instructi, qui circulatim benedicunt tibi, et hymnis Deo dignis extollunt te, cantibusque suavibus et jucundis laudant te, volantes unus ad alterum, clamantes et dicentes.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus enim es Pater luminis, omnisque sanctitatis largitor: sanctus etiam unigenitus Filius tuus, salvator omnium creaturarum: sanctus quoque Spiritus tuus sanctus. Tu omnia contines et omnia potes, qui fecisti hominem primum, ad imaginem tuam: is autem cum mandatum tuum esset transgressus, non deseruisti eum, ut in corruptione veterasceret, sed misisti ad eum praedicatores veri et aequi, expositoresque rerum absconditarum. Ipse vero cum adversus voluntatem tuam rebellasset, tandem per unigenitum Filium tuum, eum salvasti, et ad bona pristina restituisti.

Elevans vocem. Volens autem juvare figmentum suum donis suis, et imperium mortis morte sua destruere: ipse ante passionem suam salutarem accepit panem super manus suas puras, immaculatas, et illibatas, et aspexit ad te Deus Pater; et gratias agens † benedixit † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis et Apostolis sanctis dicens: accipite, manducate ex eo: Hoc est Corpus meum, ipsum quod pro vobis frangitur, et datur, in expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus illud.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem postquam coenaverunt, miscens

vino et aqua, et gratias agens † benedixit † sanctificavit † deditque iisdem discipulis suis et Apostolis sanctis dicens: accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus Testamenti Novi, ipse qui pro vobis, et pro multis effunditur et datur, in expiationem delictorum; remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite in meam commemorationem; quotiescumque enim panem hunc manducabitis, et calicem istum bibetis, mortem meam annuntiabitis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Universae igitur periodi dispensationis tuae memoriam facimus, Domine: conceptus tui puri: Annuntiationis per Angelum Vigilem: Nativitatis tuae gloriosae et mirabilis: evangelisationis laetabundae Angelorum: Baptismi tui praeclari et salutaris: elevationis in cruce: descensus ad inferos: Resurrectionis tuae a mortuis: Ascensionis tuae gloriosae et admirandae e terra in coelum: sessionis tuae ad dexteram Dei Patris: et cum his omnibus, adventus tui tremendi et terribilis, in quo cum splendore, et tremore exorieris, et super solium majestatis tuae sedens, fines et regiones terrae judicabis; cum congregatio illa magna et tremenda fiet: quando perditio et cruciatus adversus impios decernentur: quando ignis minaciter splendebit: quando gehenna vehementer ardebit: quando occulta in apertum produces, examenque operum institues: quando justos ad gaudium mittes, et impios operantesque mala, dabis in cibum ignis: quando illi qui regni participes erunt, clamabunt, Fidelis est Dominus in sermonibus suis, et verae sunt promissiones ejus: illi vero qui igni gehennae destinati erunt, Justus es, Domine, et valde recta sunt judicia justitiae tuae. Eo tempore propitius esto populo tuo, Domine, et miserere ovium gregis tui: ne incidamus in chaos illud terribile quod in medio est: ne gemamus in tenebris luce carentibus: ne fletu, lacrymis, et luctu affligamur inter supplicia, dolores et planctus: ne suspiriorum amaritudine cruciemur: non ligentur linguae nostrae vinculis flammae, neque labia nostra fraeno ignis. Non obtegantur oculi nostri tenebris et tristitia. Ne prives nos conspectu faciei tuae, Domine: neque abneges nos et dicas nobis, quia non novi nos, sed propitius esto nobis: suscipe preces et lacrymas nostras. Idcirco Ecclesia tua sancta deprecatur te, et per te, atque tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.
Sacerdos. Nos quoque.
Populus. Te laudamus.
Diaconus. Quam terribilis est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Miserere mei, Deus, Pater omnipotens; et mitte super nos, et super oblationes istas propositas, Spiritum tuum sanctum, Dominum et vivificantem, ejusdem throni consortem tecum Deus Pater, simulque regnantem: qui olim locutus est per eos qui dilexerunt te, dirigens eos ad veritatem: ipse similiter veniat, et sanctificet oblationes istas propositas.

Elevans vocem. Exaudi me Domine.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut illabens faciat panem quidem istum, Corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, faciat sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nobis autem, et omnibus qui ea suscepturi, illisque communicaturi sumus, fiant ad sanctitatem animae puritatemque corporis: mundationem cogitationum, et purificationem mentis, ad praeservationem, et cautelam a malo pernicioso; ad excusationem coram te: et ad standum ad dexteram tuam; quia tu benedictus es Domine, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sancto, nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Idcirco offerimus tibi sacrificium hoc spirituale incruentum, pro Ecclesia tua sancta et Orthodoxa: pro conservatione Pastorum verorum, qui religiose dispensant nobis verbum veritatis: pro statu pio filiorum ejus et totius Cleri religiosi: pro pace mundi, et bellorum cessatione: pro Regibus fidelibus, et eorum qui hostili animo sunt, conciliatione: pro illis qui in carceribus sunt, in custodiis aut in exilio: pro illis qui invocant nomen tuum sanctum, et auxilium a te expectant.

Elevans vocem. Da et concede per miserationes tuas multas, Domine, pacem securam Ecclesiae tuae sanctae et Orthodoxae: justi-

tiam et rectitudinem Pastoribus ejus: vigilantiam, et honestatem Sacerdotibus ejus: decorem et sublimitatem Diaconis ejus: modestiam et sanctitatem filiis ejus: sedulitatem et tranquillitatem natis ejus: unitatem et concordiam congregationibus ejus; exultationem et laetitiam illis qui in ejus tutela sunt. Quoniam adjutor et salvator omnium tu es, tibique gloriam referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, illorum qui Ecclesiam tuam sanctam verbo doctrinae, et operatione bonorum operum juvant: eorum quoque qui visitant infirmos, et vinctorum curam gerunt: adjuva illos per miserationes tuas, et auxilium illis praebe, per clementiam tuam.

Elevans vocem. Libera et salva nos Domine Deus a furore malo, et a tormentis duris: ab incendio et terrae motu, a submersione et pestilentia: a periculis et persecutionibus: a bellis et captivitatibus acerbis: a populis immisericordibus, et expertibus timoris tui, et ab omnibus illis, quae propter peccata nostra a te super nos inducuntur: quia tu es auxiliator omnium, et salvator omnium qui invocant te: tibique gloriam et laudem referemus et unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine eorum qui obtulerunt hodie oblationes praeclaras super altare tuum sanctum: et retribue bona operibus illorum: comple benedictionem tuam in domibus eorum, et libera eos a malo.

Elevans vocem. Memento Domine eorum qui invocant nomen tuum sanctum: adjuva et conforta illos in praelio: custodi et libera illos a malo: esto illis galea salutis, et brachium insuperabile: comple pacem tuam in cordibus eorum, et dispone timorem tuum in animabus eorum, quia tu es salvator noster Domine: et tibi gloriam et laudem referimus, unigenitoque Filio nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Praesta nobis Domine ut memoriam agamus hoc tempore sanctae Genitricis Dei Mariae, Joannis Baptistae et Stephani primi Diaconorum, omniumque eorum qui a saeculo tibi placuerunt.

Elevans vocem. Eorum qui in cunctis generationibus justi fuerunt et illustres, propter nomen tuum sanctum. Eorum etiam qui praedicaverunt adventum unigeniti Filii tui in mundum: justorum, electorum et sanctorum, qui per inediam exsiccaverunt corpora sua propter te: Martyrum victoria * vestitorum: Confessorum, qui omnia tormenta passi sunt: omnium tandem qui ab initio usque ad hanc diem in via veritatis ambulaverunt: et per orationes eorum divinas, praeserva nos ab omnibus plagis asperis, et custodi nos ab omnibus tempestatibus et fluctibus peccati, quia tu es salvator noster Domine: tibique gloriam et laudem referimus, et unigenito Filio tuo, etc.

* νικηφόρων.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Praesta Domine memoriam bonam et commemorationem sublimem, omnibus Patribus et Pastoribus electis, qui induerunt nomen tuum, tanquam vestimentum: mysterioque tuo tanquam galea armati sunt: praefueruntque praeclare gregi tuo, populumque tuum gubernaverunt secundum veritatem tuam, primitias gregis tui: acceperuntque coronas victoriae.

Elevans vocem. Eorum qui sustinuerunt pericula et adversitates passi sunt propter nomen tuum sanctum. Dignare illorum meminisse Domine, qui adjutores et praedicatores fuerunt veritatis: qui aedificaverunt Ecclesias sanctas; qui fundatores, et erectores fuerunt templorum verorum nomini tuo constitutorum: qui propter te persecutiones sustinuerunt, et colaphis caesi sunt propter veritatem tuam: qui errantes ad te converterunt: qui portaverunt crucem in populis: et glorificaverunt nomen tuum in gentibus: et per orationes eorum divinas, extolle et eleva nos ad te, et trahe cogitationes nostras ad veritatem tuam. Praesta etiam nobis et omnibus qui laudaverunt te, ut referamus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Pro defunctis.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium eorum qui a saeculo tibi placuerunt; Sacerdotum, Diaconorum, patrum et fratrum nostrorum, pauperum, peregrinorum, et omnium qui cum spe et fiducia in te, ex vita hac temporali migraverunt.

Elevans vocem. Deprecamur te clemens et misericors Domine, pro servis tuis quos formasti, et per unigenitum tuum salvasti, quique per voluntatem tuam ex hac vita migraverunt. Libera et praeserva eos per miserationes tuas, ab ignis supplicio; operantibus ini-

quitatem et impiis destinato: transduc illos ultra transitus illos terribiles et regiones timore plenas: eripe illos a potestate spirituum malorum et inimicorum: erue illos per miserationes tuas a voragine mortis secundae: fac illos dignos splendore triumphali sanctorum tuorum, et decore eorum qui a te ad nuptias invitati sunt. Aufer et dele defectus eorum: neque intres in judicium cum illis, quia nemo est liber ab accusatione peccati, nisi unigenitus Filius tuus, per quem nos quoque misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum, quae propter eum est, tam nobis quam illis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Domine qui delicta dimittis, et propitius es peccatis, parce nobis omnibus, per gratiam tuam, dimitte culpas servorum tuorum, neque accusemur propter opera impura nostra. Ne flamma pars nostra fiat, ob inobedientiam nostram praeceptis tuis. Ne condemnemur illo die quo unusquisque retributionem accipiet, secundum id quod egit: non torqueamur igne illo vehementi, neque a salute tua alieni fiamus: sed splendere fac in nobis virtutem tuam, ut in nobis, pro nobis, et propter nos, glorificetur nomen tuum gloriosissimum et benedictum: simulque unigeniti Filii tui et Spiritus sancti, etc.

Populus. Sicut.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Misericordiae Dei.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos frangit et signat: et dicit orationem ante Pater noster.

Venerandus et benedictus es Domine, cujus gloriam coeli enarrant, et potestates igneae te hymnis celebrant: qui propter salutem nostram misisti unigenitum Filium tuum in terram: et ille homo factus pro nobis, liberavit nos a servitute peccati, nosque in sublime et ad vitam elevavit, perfecit et sanctificavit: docuit etiam nos ut orationem et precem offerremus tibi. Tu etiam nunc misericors, et clemens Domine, reple nos donis gratiae tuae, et sanctifica ora linguasque nostras, ut pure et sancte clamemus ad te, et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Bone et benefice Domine, ne inducas nos in gravia et dura pericula tentationum difficilium, quia non est nobis virtus ad sustinendum, sed libera nos per miserationes tuas, ab impugnationibus inimici, et ab operibus tenebrarum, quia tuum est imperium, potestas et regnum, tibique gloriam et laudem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante susceptionem mysteriorum istorum sanctorum, quae oblata sunt, et coram Domino misericordi capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Coram te Domine collum nostrum reum inclinamus, et cum lacrymis et suspiriis deprecamur te, et preces coram te effundimus. Tu autem exaudi nos sicut pollicitus es, et miserere nostri secundum gratiam tuam: munda, sanctifica, et purifica nos, per sacrificium hoc vivificum; quia tu es benedictus Domine, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Gratia Trinitatis sanctae essentialis, aeternae, increatae et consubstantialis, sit cum omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore aspiciamus.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus, etc.

Sacerdos. Unus Pater sanctus, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Gratias agimus tibi Domine et laudamus te, pro auxiliis tuis dexteris, beneficiisque tuis et amore erga homines tuo, qui praestitisti nobis licet indignis, donum pro quo retribui nihil potest; corpus et sanguinem unigeniti Filii tui: fac nos dignos vita immortali, coronisque incorruptibilibus, et mercede operum bonorum: quia tu es Deus benignus et clemens: tibique gloriam et laudem referimus, et unigenito tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post susceptionem mysteriorum istorum sanctorum, etc.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Domine qui inclinasti coelos et descendisti: et ex terra in sublime nos elevasti; peccatisque omnium nostrum pepercisti: propitius esto Domine, per donum hoc quod suscepimus, toti homini nostro interiori et exteriori: et da nobis virtutem et potestatem, ad verae pietatis tuae observantiam, quia tu es Deus clemens; et tibi laudem referimus, Patrique tuo et Spiritui tuo sancto: nunc, etc.

Populus. Amen. *Diaconus.* Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

IN LITURGIAM PHILOXENI BAGDADENSIS
OBSERVATIO.

Hanc Liturgiam transtulimus ex Codice Seguieriano, in quo aliquot aliae continebantur, et cujus ope agnovimus, Philoxenum cujus nomen praefert non esse Mabugensem sive Hieropolitanum a Jacobitis tantopere celebratum, sed alterum, Episcopum Bagdadensem, qui etiam vocatus est Lazarus sive Eleazarus filius Sabta. Quis porro ille fuerit, aut quando vixerit plane obscurum est. Notam fuisse, et in pretio habitam hanc Liturgiam, probat autoritas alterius quae vocatur *Doctorum Sanctorum* a Joanne Magno Patriarcha Antiocheno ex aliis collecta: in qua duae orationes referuntur sub nomine Eleazari, quae in ista Liturgia reperiuntur. Ex illius dignitate, Episcopi scilicet Bagdadensis certo scimus, eum ante octavi saeculi finem non vixisse, cum anno DCCLXII. Bagdadum condiderit Almansor, Califa secundus ex Abbassidarum stemmate. Cum vero urbs aedificata fuisset ex ruinis Seleuciae et Ctesiphontis, ubi tanquam in conjunctis urbibus, et quae pro una habebantur esset Persarum Regia, in qua urbe Catholici Nestorianorum, sive supremi eorum Antistites sedem suam constituerant, in novam illam Muha-

Elmac. p. 97. et Arabes Histor. Patrum.

medani Imperii Metropolin paulo post migraverunt, et eorum exemplo, sed aliquanto serius, Melchitae seu Orthodoxi. Cum Catholici nova dignitas sub Justiniano Imperatore instituta fuisset; duoque essent eo titulo Antistites, unus Persidis, alter Armeniae; Antiochenus Patriarcha Graecus suae quoque Ecclesiae Catholicum instituit. *Mittebat,* inquit Nilus Doxapatrius *Catholicum in Irenopolin, Irenopoleos dictum.* *Κ᾽ ᾀκεῖ γὰρ ἔστελλεν ὁ Ἀντιοχείας καθολικὸν εἰς Εἰρηνούπολιν, τὸν λεγόμενον Εἰρηνουπόλεως.* Sed fallitur is autor, dum alterum Catholicum quem *Romogyreos* vocat, *mitti* scribit *in Persiam,*

Allat. de consensu l. 1. c. 9.

et Babylonem, cui nunc nomen Bagda. *Καὶ ἕως τῶν νῦν καθολικὸν χειροτονῶν στέλλει· τὸν καλούμενον Ῥωμογύρεως καὶ αὐτὴν τὴν Περσίαν, ἔτι καὶ αὐτὴν τὴν Βαβυλῶνα τὴν νῦν καλουμένην Βαγδᾶ.* Bagdad, ut scribendum est, ab Almansore ejus conditore appellata fuit *Medinet elselam. Civitas pacis,* atque adeo non alibi quaerenda *Εἰρηνούπολις.* Illic etiam fuit Catholicus *Romogyreos,* quod nomen alibi facile non reperitur, formatumque est a *Roum,* quomodo Graeci vocantur ab Arabibus, et *Ygour* quae vox Barbaros Trans-Eufratenses significat linguis, moribus et religione dissimiles. At Bagdadi statim Nestorianorum Catholicus praecipuam autoritatem obtinuit, non modo in suos, sed in reliquos Christianos: quia Muhamedani jura Ecclesiarum, ex possessione determinabant. Nestoriani Christianorum primi Bagdadum venerant, et illic sedem Patriarchalem suam constituerant. Jacobitae Orthodoxorum exemplo Catholicum quoque suum habuerunt in Antiocheno Patriarchatu: sed cujus sedes Takritae fuit, urbis in finibus Mesopotamiae celebris, quam Catholici dignitatem in eadem urbe obtinuit Marutas secundum varios Codices Liturgiae, quae illi tribuitur. Longo postea temporis intervallo Gregorius Abulfaragius ex Historia Dynastiarum a Pocockio edita et interpretata notus, in eadem sede ordinatus est *Mofrian:* nam ita deinde Catholici vocati fuerunt. Itaque Bagdadum simplex apud Jacobitas Episcopatus fuit, quam obtinuit is de quo agitur Philoxenus. Neque Bagdadum ullo inter Jacobitas ampliori honore floruit, cum ex Maris et Amri Nestorianorum historia discamus: Catholicum illius sectae decem subjectas sibi Metropoles habuisse, inter quas Bagdadi mentio nulla est.

Observari potest Philoxenum istum aliter Eleazarum vocatum fuisse, quod nomen deposuerat cum Episcopus ordinaretur: id enim saepe factum, praesertim apud Syros Jacobitas, ut inter Liturgiarum autores Ignatios reperimus in Patriarchatu appellatos, unum qui prius vocabatur Joseph filius Vahib: alium qui Joannes filius Maadni; et istius mutationis aliquot alia tam in Alexandrina historia, quam in Antiochena, exempla sunt.

In ista Liturgia nihil singulare occurrit, quod explicatione indigeat, cum ad aliarum Syriacarum ritus Jacobitis forma expressa sit.

LITURGIA
DOCTORUM I. SANCTORUM,
A JOANNE MAGNO PATRIARCHA ORDINATA.

Primum Oratio Pacis.

Domine Deus potens et incomprehensibilis, absconditus, nec investigabilis: tranquillitas et exultatio sublimium: pax et gaudium inferiorum: caritas indivisibilis: misericordia imperturbabilis: laetitia justorum: victoria piorum: spes Sanctorum, et refugium lugentium. Ad te clamant animae nostrae, et deprecantur spiritus nostri, ut uno vinculo spirituali, nos omnes simul invicem connectas, ut osculo sincero, et pace omnis fraudis vacua adoratores tuos unias: simusque unum corpus indivisum, quod te glorificet, et unigenitum Filium tuum et Spiritum tuum sanctissimum, et bonum. Philoxeni.

Populus. Det quisque pacem.

Sacerdos. Adorande qui ab Angelis glorificaris, et a Cherubim benediceris, a Seraphim sanctificaris, ab Igneis honoraris, a Spiritualibus extolleris, et a filiis hominum celebraris, ab omnibusque creaturis adoraris et laudaris. Respice Domine servos tuos, illos qui inclinaverunt colla sua coram majestate tua. Demitte manum tuam plenam miserationibus, super congregationem adorantium te, et mitte illis, ab excelsis sanctis tuis abundantiam benedictionum, fontes bonorum, scaturigines sanctitatis, et fontes puritatis: et fac nos filios et haeredes in regno tuo coelesti, per pacem hanc quam a te suscipere meruimus, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem. Jacobi Serugensis.

Populus. Amen.

Sacerdos. Deus magne, aeterne, summe et excelse, admirabilis et abscondite, qui praestas misericordiam in millia et myriades, eorum qui diligunt te, et observant mandata tua; qui mysterium a saeculis, et generationibus absconditum revelasti nobis per adventum Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quique dignatus es, nos media-

tores et ministros mysteriorum tuorum terribilium et coelestium constituere: ne respicias tenuitatem nostram, nec enim digni sumus accedendi et communicandi donis tuis divinis; sed per gratiam tuam visita nos, in misericordia et miseratione: libera nos ab omni dolo et invidia: et concede nobis Spiritum tuum sanctum, Spiritum sapientiae et intelligentiae, Spiritum scientiae et fortitudinis, quo per haec dona illustrati, mereamur corde puro stare coram te et ministrare tibi, offerreque tibi sacrificium hoc spirituale et incruentum, ad remissionem peccatorum nostrorum, memoriamque omnium fidelium Orthodoxorum, et gloriam tuam, Deus Pater, nec non unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti, nunc et semper, etc.

Populus. Amen.

Jacobi Fratris Domini.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas Patris, gratia Filii, et communicatio Spiritus sancti sint cum omnibus vobis.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Cyrilli.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, decens et debitum, ut te laudemus, te adoremus, tibi gratias agamus, opifici universae creaturae, visibilis aut invisibilis.

Elevans vocem. Te laudat, Domine, coelum, quod est thronus majestatis tuae, et terra quae est scabellum pedum tuorum: terra quae adorat et honorat nomen tuum sanctum, in Ecclesia hac, quae canit tibi hymnos ore filiorum suorum, in consessu Prophetarum, in coetu Apostolorum, in passionibus Martyrum, in ordinibus Confessorum, in Theologia Doctorum, in choris Virginum, in praeclara conversatione Religiosorum: in patientia Nazaraeorum, in habitaculis piorum, in congregationibus justorum, in perseverantia temperata fidelium: coelum autem, in Ecclesia illa sublimi, in qua descripti sunt primogeniti tui, in libris tuis sanctis. In ea enim celebraris cantibus Angelorum, jubilationibus Archangelorum, canticis Cherubim, clamoribus Principatuum, dignitate Potestatum, splendore Thronorum, vigilantia Legionum, in coetibus victorum, in congregationibus perfectorum, in choris et choreis Sanctorum, et in sanctificationibus de-

precatoriis Seraphim, qui alis sex instructi, effusis vocibus suis, laudant, clamant, et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es, Domine, potens, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu tuo sancto, una natura indivisa, sancta, et omnia sanctificante. Pater qui misit Filium suum, ad salutem nostram, et Filius qui incarnatus ex genitrice Dei Maria, passus et crucifixus est, propter imaginem suam quae corrupta fuerat, et Spiritus sanctus, sanctificator sacrificiorum divinorum.

Joannis Evangelistae.

Elevans vocem. Cum ergo susccepturus esset mortem voluntariam pro nobis peccatoribus, ipse sine peccato, ea nocte qua tradebatur, ut pateretur, accepit panem in manus suas sanctas, et aspexit ad te Deum et Patrem, et gratias agens † benedixit, † sanctificavit, † fregit, et dedit discipulis suis et Apostolis sanctis, dicens: Accipite, edite ex eo, Hoc est corpus meum quod pro vobis, et pro multis frangitur, et datur, in remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Similiter etiam, et calicem postquam coenaverunt, miscens ex vino et aqua, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit † et dedit discipulis suis, et Apostolis sanctis, dicens: Accipite, bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis, et pro multis effunditur, et datur in remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Sanctitatem vero corporis et sanguinis sui ipsis communicans, prius admonuit, praecepitque eis; cum illis communicabitis, mementote et agite commemorationem mortis meae, donec veniam.

Jacobi Fratris Domini.

Cyrilli.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Memoriam etiam agimus omnium illorum quae dispensatorie pro nobis a te acta et perfecta sunt, Christe Deus noster: nativitatis tuae salutaris, baptismatis tui divini, sepulturae tuae vivificae, Resurrectionis tuae dominicae, Ascensionis tuae excelsae, sessionisque tuae ad dexteram Dei et Patris. Iterum etiam adventus tui pleni tremore memoriam agimus, cum in gloria magna exoriens, vivos et mortuos judicaturus es: cum Angeli judicio tuo territi erunt, Potestates tremebundae, Ordines coelestes conturbati, omnes homines in animi deliquio stantes, judicium terribile et severum expectabunt: tunc cum justitia minas experietur, neque gratia misericordiam praestabit: cum carbones ardentes, flamma comburens, gehenna inextincta: tunc, cum petitiones repellentur, deprecationes non suscipientur, orationes non audientur, intercessiones cujuscumque

Ignatii

cessabunt: parce nobis, Domine, et extende manum tuam super nos omnes. Non intres in judicium nobiscum, ne venias in recordationem iniquitatum nostrarum, non ad accuratum examen voces, et constituas nos, nec simus depulsi a gratia tua: non simus alieni ab haereditate tua, non acerbissimis suppliciis tradamur: non ad vermem stridentem dentibus, cum impiis nos amandes: non in eorum parte qui te crucifixerunt numeremur: non cum impiis statuamur: non socii iniquorum simus, non in fletu et stridore dentium projiciamur. Ne abneges nos: ut eos qui te non noverunt, neque perdas nos cum illis qui in te non crediderunt, sed oriri fac nobis salutem tuam, da nobis veniam secundum amorem tuum erga homines: mitte nobis divitias clementiae tuae, et constitue nos ad dexteram tuam. Memento omnium nostrum per miserationes tuas, salva nos secundum multitudinem bonitatis tuae: adjuva nos per clementiam tuam; adjunge nos gregi tuo, et numera nos in ordine dilectorum tuorum; effice nos dignos regno tuo, introduc nos in thalamum tuum. Eapropter Ecclesia tua, et grex tuus deprecatur te, et per te, et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere nostri.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Duodecim Apostolorum.

Miserere mei, Domine, et exaudi me hoc tempore, et mitte de coelis tuis excelsis Spiritum tuum sanctum, et sanctificet Eucharistiam hanc spiritualem: spiritum Sanctum, tibi aequalem, substantia, et gloria: qui super unigenitum Filium tuum in Jordane flumine apparuit specie columbae: et super Apostolos tuos sanctos, in linguis igneis in coenaculo requievit; me quoque perficiat per gratiam tuam vas electum, et aptum ministerio gloriae tuae.

Elevans vocem. Exaudi me, Domine.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut ipse illabens, et sanctificans, faciat panem quidem istum, corpus sanctum, corpus purificans et propitiatorium, corpus praestans incorruptibilitatem: corpus Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus illud. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Et calicem istum, faciat sanguinem purum et sanctum, sanguinem vivum et vivificum, sanguinem purificantem et sanctificantem, sanguinem Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam accipientibus illum. Ignatii.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hac igitur mysteriorum illorum illatione digni effecti, et oculis mentium nostrarum, veritatis significatione illustratis, oramus et obsecramus, ut haec proposita mysteria prosint nobis, et illa suscipientibus, ad animae vigilantiam, ad optimam corporis valetudinem, ad participationem veram adoptionis, ad communicationem Spiritus sancti, ad haereditatem regni coelorum, ad remissionem delictorum et peccatorum; quia te decet bonitas et benignitas, tibique gloriam et laudem referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo, bono, et adorando.

Sacerdos inclinatus. Suscipe sacrificium hoc nostrum, Domine, quod mente, verbo et animo tibi offertur: praecipue vero pro tranquillitate et pace Ecclesiae tuae sanctae, pro confirmatione Pastorum ejus justorum et Orthodoxorum, pro honore et exaltatione Sacerdotum ejus, pro puritate et modestia Diaconorum, pro venia et remissione filiorum ejus: pro unitate et concordia congregationum ejus: pro victoria Regum fidelium: pro visitatione afflictorum et infirmorum: pro auxilio omnium eorum qui in periculo versantur. Cyrilli.

Elevans vocem. Etiam pro auxilio, et adjutorio infirmitatis nostrae, invocamus te, Domine. Ne despicias supplicationes te adorantium. Audi orationes gregis tui spiritualis, Pastor bone et vere. Salva agnos tuos, et libera oves tuas de manibus improborum. Adjuva pauperes, et miseros, serva oppressos et afflictos, et libera eos qui infestantur a spiritibus malis. Orphanorum curam gere, famelicos satia plenitudine voluptatis tuae. Adjuva eos qui in itinere sunt; et qui in mari navigant, illos a tempestate et naufragiis libera. Protege Ecclesiam tuam redemptam per crucem tuam, et exalta Praesules ejus per veram fidei conservationem, et referemus tibi gloriam, etc. Philoxeni.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, virginum purarum, conjugum castorum, orphanorum et viduarum, miserorum, et pauperum, eorumque qui in ministerio sancto assidui sunt, et afflictos adjuvant, qui oblationes offerunt, et praeclare vitam instituunt. Clementis.

Elevans vocem. Libera et salva nos Domine Deus ab ira mala, et obstinata: ab incendio, et terrae motu, ab inundatione et peste, Eleazari.

a periculis et persecutoribus, a bellis et duris captivitatibus: a populis absque misericordia, et timore tuo destitutis, et ab omnibus illis, quae propter peccata nostra a te nobis immittuntur: quia adjutor omnium tu es, et salvator omnium qui invocant te: tibique gloriam et gratiarum actionem offerimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo nunc et semper, etc.

Dionysii. *Sacerdos inclinatus.* Iras Regum comprime, Rex Regum, incursiones praedonum, bella et seditiones compesce. Superbiam haereticorum deprime. Decreta aequitatis adversus nos prolata, benignitas tua superet, et convertat in tranquillitatem dulcedinis tuae.

Cyrilli. *Elevans vocem.* Libera et salva nos, tu qui omnium curam geris, ab omnibus angustiis et rebellionibus: ab omni persecutione et pestilentia: ab omni gladio et fame: ab omni contentione, et captivitate: ab omni bello et depraedatione: ab omni denique insultu et effusione sanguinis, ex illis populis metuenda qui alieni sunt a timore tuo. Ne arguas vel corripias nos in furore et ira, propter multitudinem peccatorum nostrorum, sed misericordia et lenitate satia nos, et sicut pater diligens filios, posside nos: quia non est nobis Deus alius praeter te, cujus beneficio salutem consequamur; verum ad te levati sunt oculi nostri et corda nostra, et tibi hymnos offerimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sanctissimo tuo, bono, adorando et vivificanti.

Julii. *Sacerdos inclinatus.* Memento Domine, omnium sanctorum, qui a saeculo tibi placuerunt, ab Adam et Abel, ad hanc usque diem; praesertim vero sanctae genitricis Dei Mariae, Johannis praeconis, et Baptistae, Stephani principis Diaconorum et primi Martyrum.

Elevans vocem. Memento, Domine, omnium qui a nobis dicti sunt, omniumque Patrum et Patriarcharum, piorum et justorum, Prophetarum et Apostolorum, Praedicatorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Doctorum, Thaumaturgorum, Virginum sanctarum, coelibum, jejunantium, solitariorum, Monachorum, fideliumque veracium, et omnium qui praeclare vitam egerunt, et per orationes eorum perfectas, et deprecationes acceptabiles, aspice nos oculo misericordi, et vultu pacifico et benigno. Adjunge nos coetibus et ordinibus mansionibusque dilectorum tuorum, ut cum eis, et inter eos, pure et sancte, canamus tibi hymnos incessanter, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sanctissimo tuo et bono.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, Pastorum beatorum qui in Ecclesia tua sancta steterunt in generatione et generatione, gregemque tuum sacerdotalem paverunt, et rexerunt, et ad aquas quietis deduxerunt: eosque qui in errore erant, doctrina tua divina illustraverunt, atque ad te direxerunt et converterunt, quique in fide recta Trinitatis sanctae populum fidelem confirmaverunt, omnesque doctrinas schismaticas et haereses perniciosas sustulerunt et compresserunt, praecipue vero Ignatii, Dionysii, Julii, cum reliquis omnibus qui cum illis propter nomen tuum sanctum persecutionem passi sunt. Dionysii.

Elevans vocem. Et illorum, qui afflictiones et adversitates sustinuerunt, et passi sunt, pro nomine tuo sancto. Dignare Domine meminisse illorum qui mysteria sancta interpretati sunt, illustrium praeconum veritatis, qui sanctam Ecclesiam aedificaverunt, et fundamenta templorum sanctorum nomini tuo dicatorum posuerunt; qui propter te persecutionem sustinuerunt; et eorum qui colaphis caesi sunt pro veritate tua: qui errantes ad cognitionem tuam converterunt: qui tulerunt crucem unigeniti tui in populis, et nominis ejus gloriam in gentibus propagaverunt: ut per orationes eorum puras, eleves et extollas nos ad te. Trahe cogitationes nostras ad veritatem et fac nos dignos, ut cum illis qui te glorificaverunt referamus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo sancto. Eleazaris.

Sacerdos inclinatus. Memento, Domine, Presbyterorum Orthodoxorum, qui pridem obierunt, Diaconorum, Subdiaconorum, Psaltarum, Lectorum, Interpretum, Cantorum, Exorcistarum, Monachorum, religiosorum, et eorum qui virginitatem perpetuam professi sunt, et Saecularium qui in fide Christi pridem decesserunt, ut etiam illorum pro quibus singuli obtulerunt, et eorum pro quibus unusquisque offerre in animo habuit. Jacobi Fratris Domini.

Elevans vocem. Placide, et tranquille suscipe per benignitatem tuam, Domine, animas et spiritus servorum et adoratorum tuorum, qui ex hac vita migraverunt ad te, maxime vero illorum, pro quibus et quorum gratia, sacrificium istud illatum et oblatum est. Quietem illis praesta, et colloca eos in habitaculis lucis, in locis spirituum, in Jerusalem coelesti, in Ecclesia primogenitorum descriptorum in coelis: commemorationem, et requiem maxime felicem, per amorem erga homines, illis praestans. Largire illis vitam Ignatii.

bentur a nobis summae dignitati tuae, Domine, omnes glorificationes indesinentes, omnes laudes et exaltationes gloriosae, quia per clementiam tuam, dignos praestitisti nos dono praeclaro et coelesti cibi hujus indeficientis. Obsecramus amorem tuum erga homines ineffabilem, ut non convertas festa nostra in luctum, et gloriam nostram in pristinam captivitatem. Ne inclines capita nostra in judicio, neque confusione afficiamur in die novissimo, quo unusquisque hominum remunerationem accipiet, et Angelis cum timore adstantibus, unigenitus Filius tuus judicabit: sed ut misericors, aspiciens nos, veniam concedas tenuitati animae nostrae. Miserere infirmitatis naturae nostrae, verum non ad judicium, sed neque ad condemnationem imputa nobis munus hoc tuum, sed ad sanctitatem, vigilantiam, et viaticum salutis. Et te decet gloria, honor et potestas, cum unigenito Filio tuo et Spiritu tuo sanctissimo, bono et adorando.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Lux mea et Deus omnium Domine noster Jesu Christe, qui de coelo descendisti ad salutem ovium tuarum, extende dexteram tuam sanctam, bonis abundantem, et omnipotentem, benedicque nobis omnibus servis tuis, generaliter, magnis et parvis, viris simul et mulieribus: juvenibus et pueris: virginibus et conjugatis: sacerdotibus pariter et populo. Viribus illos conforta qui imbelles sunt: divites in justitia custodi, orphanos nutri, pauperibus et viduis alimenta praebe. Sanctifica eos qui in peccatis volutantur: extende brachium tuum forte et obsigna nos omnes cruce tua; emitte super nos omnes benedictiones tuas sanctas, per sacrificium hoc quod suscepimus. Agnoscatur sanguis tuus purus et sanctus super limina portae corporum nostrorum. Mens nostra lumine tuo illustrata prudentior evadat: corda nostra confirma in doctrina tua: gressus nostros dirige in semitis tuis: linguae nostrae sint organa laudis tuae, quia tu bonus et amator hominum es, et te decet gloria, laus, etc.

IN LITURGIAM DOCTORUM SANCTORUM OBSERVATIO.

Extat haec Liturgia in omnibus melioris notae Jacobitarum Codicibus, Seguierianis et Colbertinis, ut de ea dubitari non possit, quin apud illos vigeat et ubique probata sit. Vocatur autem Doctorum sanctorum, quia tota contexta est ex aliis Liturgiis, quorum autores perhibentur aut sancti nominatissimi in antiqua Ecclesia ante omnem schismatum memoriam: aut recentiores, qui ob defensionem vel professionem Monophysitarum doctrinae, fama inter eos celebres sunt. Extant autem omnes illae Liturgiae, quamvis aliquando orationes ex illis decerptas reperire non facile sit, fortasse ex parum accurata exemplarium descriptione, in qua indiligentissimos esse Orientales, sciunt qui codices multos tractaverunt. Adscribuntur unicuique orationi autorum nomina, et illi sunt. Jacobus Frater Domini: Joannes Evangelista: Duodecim Apostoli: Clemens: Julius Romanus: Gregorius Theologus: Cyrillus Alexandrinus, Ignatius Martyr, Philoxenus Hieropolitanus: Dionysius: Joannes absque nomine, Eleazarus. Omnium, si unum Theologum excipimus, quod de Gregorio Nazianzeno intelligi debet, nominibus praenotatas Jacobitae totidem Liturgias agnoscunt, istam non item: sed quod ex veterrimo Codice Colbertino didicimus: quae Basilio tribuitur, ea scilicet quam Masius interpretatus est, eadem Gregorio quoque conjunctim adscribitur. Nam multa duobus illis Ecclesiae luminibus Responsa de Jure variisque quaestionibus Ecclesiasticis, attribuere solent, ut factum est de ista Liturgia, quam diu frustra quaesitam in illo tandem Codico reperimus. Clementis quoque Liturgiam habent, quamvis eo titulo nulla Graeca extet. Eos autem omnes tanquam testes et laudatores fidei suae allegare familiarissimum est praecipuis inter Jacobitas Theologis, ut alibi exposuimus.

Joannes Patriarcha quem magnum appellant, quisnam ex aliis qui eodem nomine fuerunt et in eadem dignitate, dicere non possumus. Antiquiorem multis aliis istius nominis fuisse suspicio foret, ex eo quod Liturgias recentiorum, ut Jacobi Edesseni, Mosis Barcephae, et reliquorum, Syris notissimas, in suam non transtulerit. Sed hanc conjecturam evertit Eleazari Liturgia, ex qua duas orationes excerpsit: is autem ut ad illam observavimus: fuit Episcopus Bagdadensis, alio nomine Philoxenus appellatus, ut didicimus ex Codice Seguieriano, cujus beneficio veteris Philoxeni et istius Liturgias distinximus, quae in variis exemplaribus alteri illi Hieropolitano tribuuntur. An Joannes hujus Liturgiae ordinator, is sit qui Apologiam ritus Syrorum circa praeparationem panis Eucharistici cum fermento, sale et oleo scripserit, affirmare non possumus.

In ista autem Liturgia nihil legitur quod singulari observatione indigeat, aut quod notis alias explicatum non fuerit.

LITURGIA
JOANNIS [1] BASORENSIS.

Primum Oratio ante Pacem. [2]

Deus largitor caritatis, et aequanimitatis, et dator animi per virtutem compositi, qui mandatum novum dedisti nobis, per unigenitum Filium tuum, ut diligeremus invicem: sicut tu nos indignos dilexisti, et pro vita et salute nostra Filium tuum unigenitum tradidisti; concede nobis servis tuis Domine, toto tempore vitae nostrae super terram, praecipue vero nunc et in diversis occasionibus, cogitationes quae sint absque ulla injuriarum memoria, conscientiam variis dispositionibus non obnoxiam; cogitationes fideles animae, ad fratrum dilectionem; ut dantes osculum sanctum, longe absimus ab exemplo Judae: et tanquam Discipuli et Apostoli tui sancti, pacem inter nos invicem firmiter retinentes, sanctificemus, atque etiam sanctificemur, mediatione Spiritus tui sancti per Christum Jesum Dominum nostrum; cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Det pacem unusquisque.
Populus. Dignare, etc.
Diaconus. Post, etc.
Populus. Coram te.

Sacerdos. Tibi Domine inclinamus capita nostra, quandoquidem tibi soli sumus mancipati per servitutem et ministerium. Tibi enim omnis creatura, visibilis, et quae sola mente comprehendi potest, tenetur caput inclinare et cervicem demittere, in signum gratiarum actionis. Nos quoque propter ea omnia quibus a te exornati sumus, sermonem, et intelligentiam, et munus Evangelii Christi tui,

inclinati gratias agimus, et per eam capitis demissionem deprecamur, ut demittas super nos dexteram tuam invisibilem, et efficias nos templa Spiritus tui sancti, quandoquidem cum fide et veritate glorificamus nomen tuum, Pater, et Filii tui unigeniti, et Spiritus tui sanctissimi.

Populus. Amen.

Sacerdos dicit Orationem ad velum.

Creator creaturarum visibilium et invisibilium, et curam omnium gerens, quia tua sunt: Domine amator animarum. Domine, omnipotens tu es, et ego pauper et infimus minister tuus, indignus qui accedam ad sancta sanctorum tua, et tractem mysterium hoc tuum sacerdotale. Obsecro ut des mihi Spiritum tuum sanctum, materiae expertem, neque humana mente comprehensibilem: ignem illum qui omnem libidinem depellit, et imaginationes perversas incendit, et mortificat, ex membris terrestribus humanae carnis. Coerceat etiam omnem inordinationem mentis erga phantasias passionum exteriorum. Mystice etiam atque sacerdotali dignitati convenienter, et supra omnem mentis mortalis captum, habitet in me plenitudo sanctificationis, ad perfectionem doni hujus propositi. Ipse qui est consummator omnium mysteriorum, per communicationem Christi tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.
Diaconus. Stemus.
Populus. Misericordiae Dei, etc.
Sacerdos. Caritas.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Sursum corda.
Populus. Habemus ad Dominum.
Sacerdos. Gratias agamus Deo.
Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est et ab omni creatura pariter debitum, ut te glorificemus, te benedicamus et in perpetua ad te gratiarum actione perseveremus, tanquam virtutes illae intelligibiles, naturaeque illae incorporeae, pulcritudinis quae mundanam excedit: flammae non compositae, spiritus materiae ex-

pertes, qui vetustate existentiae dignitatem habent et perpetua ad omnem horam, ante thronum gloriae tuae infinitum consistentia illis competit. Hic solus illis cibus est, ut te glorificent, te honore afficiant, te laudent, et per hymnos te magnificent, qui neque verbis exprimi, neque intellectu comprehendi possunt. Nos autem filii terrae, divites sacramentis ministerii facti sumus. Ut autem figmentum hoc materiale, creatura scilicet sensibilis, nec spiritualis non privaretur eodem splendore, quamvis commune nihil haberet, nihilque lucis illius, et post breve tempus intereundum ipsi foret, me animal rationale constituisti ex anima intelligente et corpore valde materiali, per quam ut intelligens, et videns essem fecisti; mortalem et immortalem, ex duabus contrariis unam naturam indivisam, ut per illam cognationem spiritualem naturae intellectualis, cum superna illa pulchritudine ad illa etiam excelsa aditus perpetuo pateret compositioni luteae: quam adsumsit ad se, et per dispensationem ortus simultanei, interpellaret, pro natura non spirituali, et ut adorationem atque debitam tibi gratiarum actionem referret.

Elevans vocem. Habentes igitur in auribus cordis hymnos laudis perpetuae, et oculis intellectualibus cernentes agmina illa superna, omnia scilicet quae Angelis, et Archangelis propria sunt: honorem dignitatemque virtutum: ordinationem Potestatum: ministeria Principatuum: adorationes Dominationum: perpetuam Thronorum stabilitatem: accedimus ad eosdem hymnos gloriae concinendos, qui ibi canuntur, digne Deo celebrandos, ad doctrinam animabus utilem et salutarem, ad traditionem beatam, et sapientissimam, Theologiae indesinentis Seraphim, quam linguis incorporeis tibi, unus Deus, offerunt, tibi qui unum principium es, una natura et una substantia, qui in tribus personis agnosceris, quae totam amplitudinem Dei complectuntur, et universim absque illis nihil quidquam factum est; a quibus, et ab unaquaque earum, ab ea et ad eam unitur Deus substantia et natura, tanquam Domino, et in rei veritate secundum illam ipsam eamdem divinitatem, non per solam communicationem, aut introductionem. Pater enim, et Filius, et Spiritus sanctus, una substantia, et una natura divinitatis, secundum operationem et veritatem sunt, non secundum imaginationem aut figmentum heterogeneum humanae mentis; quam naturam trine sed indivisim distinguimus, unice, non per effusionem fieri tenemus: hymnumque qui mundanas vires excedit, timorisque testimonium tibi offerimus, eumdem scilicet

quem omnis principatus ordinum militiae coelestis, Cherubim multioculi, et Seraphim sex alis instructi, canunt tibi voce triumphali, glorificantes indesinenter, et una voce laudantes dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Tu enim solus sanctus es, tu enim solus bonus, tu enim solus liber, Deus quem in Trinitate confitemur Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. Tu etiam Domine omnipotens, cum formasses primum hominem ad opera bona, participem illum fecisti potestatis divinae, quietem, immortalitatem paradisi, et vitam nullis infirmitatibus obnoxiam illi largitus eras. Postquam vero artificio serpentis potestatem illam suam per transgressionem praecepti corrupit, et ab habitatione sua in Eden, depulsus est, et gratia in qua erat spoliatus, quamvis iratus non avertisti faciem tuam ab illo: sed ut converteretur interpellasti per admonitiones, per plagas, per praedicatores, per doctores. Inde Patres extiterunt, et salus; quia vero ubi lex erat, invaluit et valde multiplicatum est peccatum, Prophetae clamaverunt, et ira succensi sunt. Cumque omne remediorum genus quaecumque excogitari possunt, adhibitum fuisset per servos obedientes, et sedulos, nullo fructu, et qui ceciderat in summo periculo versaretur, tunc temporis unigenitum Filium tuum, aeternum illum et consubstantialem, throni et creatoris dignitate aequalem, ad nos peccatores, et impoenitentes misisti, qui secundum beneplacitum tuum, Deus Pater, ex Spiritu sancto, et utero conjugii experte incarnatus et homo factus est. In carne assumta simili nostrae substantiae nostrisque passionibus, et similis cum nostra originis, non in carnem aut sanguinem conversus. Neque a natura superiori mutationem passus, sed omnino in natura qualis nostra est, homo factus. Neque etiam corpus quod assumtum est, et unitum ipsi in persona, anima rationali praedita, conversum est in substantiam deitatis; assumptio enim, transmutatio fuit secundum qualitatem naturalem, et ea ex quibus ineffabiliter compositus est, post unionis intelligentiam, non quidem per conversionem, aut effluxionem, sed illud quod ipse erat Deus ex Deo permanet: illa vero omnia accepit, excepto solum peccato, non secundum phantasticam aliquam speciem aut opinionem, apparuit; neque in duabus naturis, aut in duobus cognitus, sed unum fuit, Verbum quod incarnatum est: unus Filius, unus Christus, una persona, una natura sive suppositum Verbi incarnati. Qui genus nostrum erexit, quod inopinato naufragio perierat: qui nobis

quodcumque auxilii genus contulit, et per doctrinam veritatis animas nostras direxit, et per operationem varii generis miraculorum, diversis etiam curationum modis sanavit corpora nostra, et ad cognitionem sui nos deduxit. Tandem ad crucem salutarem venit; et passus naturaliter simul et voluntarie, in carne sua passibili et mortali, non impassibili neque immortali, chirographum nostrum discidit; et moriens vera morte nostra, ipsam quae ad corruptionem perducebat mortem, destruxit et vertit in soporem. Surrexit, at in sepulchro nulla prorsus omnino corruptio carnem ejus attigit, aut ulla ratione ad eum pervenit; atque per triduanam sepulturam, totum Adamum, potentia sua, secum a mortuis excitavit.

Sacerdos elevans vocem. Ipse [5] igitur princeps revelationis bonorum nostrorum, vespera illa gemitus sui voluntarii, per haec elementa vivificantia et ad accipiendum facilia, mysterium hoc, quod verbis explicari non potest disponens, accepit panem in manus suas sanctas, et velut Pontifex et Apostolus confessionis nostrae, pro nobis gratias referens, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite edite ex eo; Hoc est corpus meum, quod pro vobis, et pro multis frangitur et dividitur, ad expiationem delictorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem vino et aqua cum miscuisset, benedixit, † sanctificavit, † et divisit discipulis suis dicens: Accipite bibite ex eo vos omnes; Hic est sanguis meus Novi Testamenti qui pro vobis et pro multis effunditur et datur in remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite, inquit, in meam commemorationem, ego enim dico vobis quod futurus sum in medio vestri, et sanctitatem illis quae perficientur dabo; qui enim manducat corpus meum, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in eo: et sicut ego vivo propter Patrem, ita etiam qui manducat me, vivet propter me. Hanc igitur mysticam institutionem suscipientes, secundum legum tuarum dispositionem, o Verbum Deus, panem praeparavimus, et calicem miscuimus, praedicantes super haec totam dispensationem tuam, a prima, et momento atque nictu oculi facta carnis assumtione, usque ad passionem, mortem, crucem, et resurrectionem Deo dignam: corde puro, una voce secundum divinum illud praeceptum tuum, mortem

meam annuntiabitis et resurrectionem meam confitebimini, usque ad adventum meum.

Populus. Mortis tuae, Domine, memoriam agimus.

Sacerdos. Tabernaculum igitur non manu factum Pontifex sancte, puritatem indute, segregate a peccatoribus, tu unigenite Deus Verbum, erexisti, qui pro nobis, nostrique similibus, et nostra causa, atque ex nobis incarnatus es; qui necessitatem non habes quotidie sicut illi, qui ex terra sacerdotio funguntur, multa offerre sacrificia. Hoc enim fecisti semel, non alienum sanguinem, neque sacrificium ex frugibus, sed te ipsum pro nobis dedisti, et sacerdotale ministerium ejusdem dignitatis praedicatoribus Evangelii fundandum concredidisti, propter sublimitatem bonitatis tuae. Tu igitur nunc Domine noster Jesu Christe, qui passus es pro nobis in carne, cum etiamnum peccatores essemus: qui nosti imbecillitatem naturae nostrae, et didicisti ex iis quae passus es obedientiam, ne rejicias nos ex numero servorum tuorum; ne veluti inimicos negligas nos, ne tanquam eos quibus supplicium decretum est, nos derelinquas: sed tanquam curator bonus, et pater misericors, qui ad domum suam vocat, quotquot sumus, reduc nos per integram reversionem ad ea quae honesta sunt. Perfice in nobis voluntatem tuam vivificam: et radicitus evelle a nobis omnem desidiam, a qua oritur error, et instabilitas bonorum: aspiciensque paupertatem nostram, festina ad miserendum nostri. Neque enim totus ille timor judicii, ubi ignis inextinguibilis et vermis qui non moritur, abjectio acerba, obscuritas nullam consolationem admittens, fletus et stridor dentium, corda nostra tantum cruciat et afficit, aut tangit, quantum dolor ille, et summus tremor, ne excidamus a gloria tua, aut repellamur a caritate tua, aut privemur beneficio benignitatis tuae: videamusque venientes ab Oriente et Occidente, et apud te cum Abrahamo et sanctis recumbentes: nos vero a Spiritu sancto separati, ejiciamur foras, audiamusque vocem illam acerbam, dicentem: Amen dico vobis, nescio vos. Quid nobis esse potest hujusmodi sententia tristius; quid etiam accidere potest acerbum, prae illa confusione: quod scilicet videamus Deum, et a Deo separemur, quod cum in hoc mundo domestici fuerimus, in futuro simus alieni: quod nunc cum filiis Ecclesiae stemus, et tunc cum diabolo condemnemur. Igitur ne tale quid patiamur, corripe nos Domine, sed non in judicio, neque in ira: dirige gressus nostros, mortalis enim quomodo intelliget vias ejus? doce nos facere voluntatem tuam, revo-

cansque nos iterum ad vitam nostram, a vana loquacitate, et noxia rerum inutilium cura, adjunge nos cum iis qui te diligunt, ad institutionem a te accipiendam: propterea enim et ejusmodi rerum causa, nunc poenitens Ecclesia tua deprecatur te et per te atque tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere. *Sacerdos.* Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Mitte nobis Spiritum sanctum Dominum, vivificantem, qui omnia perficit, qui omni hora dona dividit, et distribuit, largiturque singulis prout vult, qui omnibus proximus est, neque loco circumscribitur: qui vitam eorum qui vivunt conservat, et sanctitatis sanctorum perfector est. Mitte eum ad nos Domine, ut per manus nostras peccatrices dona haec proxima tangens, non ministerialiter, sed tanquam Dominus, neque typice, sed perfecte.

Elevans vocem. Panem quidem hunc, faciat corpus Unigeniti tui: corpus praeparans remissionem peccatorum nostrorum, corpus donans incorruptibilitatem futuram.

Populus. Amen.

Sacerdos. [6] Et calicem istum efficiat ad remissionem peccatorum nostrorum, ad participationem adoptionis filiorum, et ad pignus vitae futurae.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos autem Domine in immunditia demersi, et conturbati pro illis quae gessimus, conscientiam fiducia plenam non habemus, sed tantummodo in misericordia et clementia tua, quam abundanter super nos effudisti, confidentes, ausi sumus accedere ad sacerdotale hoc ministerium timendum et tremendum. Ex ministerio legali et umbras solas continente nihil quidquam adducimus, non Ephod, amictumve pretiosum, non mitram, non phialam auream aut tiaram, neque bovem integre oblatum, non hircum pro peccatis, non arietem perfectum, non vitulam rufam, et absque macula, non turturem aut columbam, sed panem [7] ex simila mistum cum oleo, et thure, in odorem suavitatis tibi offerimus: neque enim poterat sanguis taurorum aut hircorum auferre peccatum mundi. Lux autem

materiae expers, et omni substantia superior, quomodo obtineri a nobis posset, per aromata materialia? Verum induti filium tuum dilectum, aequalem tibi potestate, gloria, creatione et conservatione eorum quae sunt, per benignitatem ejus amore erga homines plenissimam, eumdem [8] in sacrificium et oblationem absque macula, et puram offerimus tibi, quem ipsum deprecatorem nobiscum esse facimus. Deprecamur te solum bonum et magnificum in muneribus Domine, a quo omne datum bonum, et omnia dona perfecta sunt, qui fecisti magna, nec investigabilia, praeclara etiam atque excelsa, quibus non est numerus, ut sacrificium hoc rationabile sit accipientibus ad salutem perfectam, ad liberationem a delictis quorum rei sunt, et ad salvationem a suppliciis acerbissimis, et intolerabilibus gehennae, atque ad voluptatem aeternorum bonorum consequendam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Pastorum Orthodoxorum, qui sunt in quocumque loco, praesertim vero D. N. et D. N. vitam tibi placentem ipsis concedens, prudentiamque cum fiducia conjunctam, senectutem placidam, virtutibusque cumulatam. Da illis sanitatem corporis, ad sufficiendum ministerio sacerdotali, et spirituali. Verbum etiam veritatis fac in ore habeant, ut quantum possint, greges confirment in vera religione, super fundamentum fidei: eos autem qui ex adverso constituti sunt, cum zelo redarguant. Sacerdotali ordini concede cum doctrinae sanitate, longam nec egestati obnoxiam senectutem, et coronam gloriae populi tui. Diaconis robur ministerio conveniens concede, simul cum moribus castis, et spe jucunda. Memento Domine per benignitatem misericordiae tuae, et mei infimi, usque ad terram abjecti, ob mea crimina, et propitiare peccato meo, multum est enim. Da mihi ut pure aspiciam lumen mirabile scientiae tuae, et ea quae sursum sunt quaeram, quae sursum sunt sapiam, et non cogitem de terrenis rebus, quae infra et procul a te animam inclinant, in eamque tenebras inducunt, ut non illis quae praestantiora sunt careat anima mea, neque sim tanquam aberrans a coelesti vocatione, atque gloriae, et beatitudinis quae illic est, privationem sustineam. Moderare etiam tentationes ita ut illas sustinere possim, et effugere fluctus et agitationes nequitiarum saeculi. Subdiaconis perseverantiam in honestate, et praeclara conversatione: Psaltis ministerium spirituale, et dignitatem morum convenientem. Interpretibus concede perspicacem intelligentiam locorum, et tractationem sublimem

libri hujus a Deo inspirati divinitusque demissi, et magnam rerum lectarum cognitionem. Exorcistis sermonem potentem tribue, quique possit frangere impetum daemonum. Illis qui in potestate constituti sunt, da ut nullam habeant in judicio personarum acceptionem; neque quod facto opus et aequum est, repellant. Iis vero qui vitam Philosophicam amplexi sunt, concede ut possint retundere impetus carnis, qui difficulter coerceri queunt, et ut quacumque hora decertent adversus astutias deceptoris.

Elevans vocem. Quando quidem vero his omnibus atque aliis ejusmodi digni facti fuimus, viamque nobis tritam quodammodo ad coelum fecimus [9], agnumque occisum super altare videmus, et lumine cognitionis Dei tanquam fulgure afflati sumus, non ex operibus nostris, sed ex virtute et potestate hujus ministerii, cum fiducia qualis decet sanctos, orationes nostras facimus, deprecantes te amator hominum Domine, ut sis propitius peccatis nostris per gratiam sanctificantem Spiritus tui sancti, per quam etiam haec mysteria nobis praeparas, ut digni efficiamur eorum susceptione, sicut illis convenit. Memento etiam per misericordiam et clementiam, Ecclesiae tuae sanctae Catholicae et Apostolicae, et plenitudinis Orthodoxorum qui in ea sunt; ut eam prorsus immunem facias ab omni diabolico maloque errore, et impiorum perplexis disputationibus et ab omni futilitate opinionum haereseos, quae corrumpat animam, atque ab omni crimine quod confusionem inducat: et referemus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento [10] Domine et eorum qui huc usque in Ecclesia tua nati, et in vera religione instituti sunt: illumina eos Domine, lumine cognitionis tuae, et lavacro regenerationis dignos illos effice: et perficiens eos ad omne virtutum genus, da illis ut pure evadant in virum perfectum, secundum mensuram aetatis plenitudinis Christi. Memento Domine et illorum, qui hodie oblationes tibi obtulerunt, et fratrum nostrorum qui inciderunt in varias mundi calamitates, atque salutem ipsis cito praesta, quia non est tibi impossibile ullum verbum, et plurima apud te misericordiae seges est. Ne fame enecari patiaris eos qui paupertate affliguntur: lacrymas viduarum consolare; curam gere necessitatis orphanorum: peregrinorum aerumnas visita: compensa angustias eorum qui persecutionem patiuntur; infirmos sana: eos qui in custodiis et in vinculis detinentur a captivitate libera.

Elevans vocem. Memento etiam Domine illorum qui in quocumque loco offerunt fructus in Ecclesiis tuis, qui necessitatibus pauperum communicant, et bonitatis tuae similitudinem quamdam exprimunt, quantum creaturis possibile est, per eleemosynarum, et operum misericordiae varia genera. Eorum etiam qui animo quidem praeparati, non habuerunt unde offerrent, solum autem desiderium suum demonstraverunt tibi, o Deus qui nosti corda eorum, et probas abscondita, et retribuis unicuique voluptatem abundantem bonorum coelestium et finem non habentium; ea etiam quae hic sunt cum abundantia subministrans: quia tu es largitor omnium bonorum, et dator omnium benedictionum, absque invidia, et tibi gloriam et laudem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine coronae anni per benignitatem tuam, pluvias pacificas opportune concedens, rores etiam convenientes pinguedinis tuae, aestates nulli defectui obnoxias, sed immunes ab aestu nimio, et aegritudinibus: abundantiam fluviorum paradisi Edenici et aliorum: proventus fructuum qui sufficiant ad alimentum per totum annum singularem, naturalem, adeo ut alterius anni proventum etiam superet: bonam etiam aëris temperiem concede. Consolare paucitatem dierum vitae nostrae. Libera eos qui in captivitate detinentur, et eos qui a daemonibus impuris cruciantur ab operatione satanae immunes praesta.

Elevans vocem. Animam Regum, principum, aut qui in militari dignitate sunt ad te inclina, ut secundum voluntatem tuam gubernantes, adversariis quidem metuendi sint, mansueti vero et benigni erga Ecelesiam tuam, pacificique erga illos, qui sub eorum potestate constituti sunt. Illis qui pauperes amant vigilantiam, suscipientibus peregrinos, laetitiam tribue; unicuique secundum dispensationem sibi praestitutam, et vitae conditionem: alacritatemque ab omni pigritia immunem concede. Libera nos Domine a fame, et mortalitate, a terrae motibus et corruptione, ab omni malitia, et plaga, ab incursu barbarico, a dura captivitate, a tumultibus popularibus, et seditionibus urbanis. Da etiam nobis ut in bono statu et tranquillitate animarum nostrarum, amplectamur praecepta tua, quia benignus es, et multae misericordiae, tibique gloriam et laudem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine etiam illorum qui ex hoc mundo tibi placuerunt, praesertim vero sanctae et gloriosae genitricis Dei Virginis Mariae, et omnium sanctorum tuorum, ab Adam primo, ad hanc usque diem.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Per orationes eorum sanctas, per deprecationes eorum exaudiri dignas, et per obsecrationes eorum acceptabiles, Domine, propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum sanctum, quod invocatum est super nos, tibique gloriam, et laudem referimus.

Diaconus. Ante.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine beatorum Patrum nostrorum, principum et Doctorum Ecclesiae tuae sanctae, eorum qui testimonium perhibuerunt tibi, et direxerunt ad lumen scientiae gregem tuum sanctum.

Elevans vocem. Per orationes et deprecationes eorum sanctas concede etiam nobis, ut intuentes exitum conversationis eorum assimilemur illis secundum fidem Orthodoxam, et per zelum pietatis. Conjunge etiam nos et omnes dispersos Israëlis spiritualis, in unam concordiam, et eamdem mentem, unumque vinculum caritatis: in unam doctrinam sinceram Ecclesiae sanctae Catholicae et Apostolicae, quia tu ipse es qui terrena coelestibus conjunxisti, tibi gloriam et laudem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Sacerdotum Orthodoxorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Psaltarum, Monachorum, perpetuam virginitatem profitentium: saecularium qui olim in Christo consignati sunt, et eorum omnium qui in persuasione Orthodoxa, ex hoc mundo egressi sunt.

Sacerdos elevans vocem. Et remissionem peccatorum tribuens naturae nostrae Domine, vitam absque senio, laetitiam indeficientem, bona immutabilia concede Domine, si enim iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit te? Quia omnis justitia nostra atque perfectio virtutum nostrarum, sunt tanquam pannus mulieris menstruatae, si comparentur cum justitia tua, o amator hominum. Si autem in Angelis fidem non invenisti, quorum tamen indoles et natura corporea non est, quanto magis in nobis qui vase passionibus pleno induti sumus, et affectibus materialibus cooperti. Unus enim omnino

super terram visus est immunis a peccato: Dominus et Deus noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus, per quem nos quoque speramus, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos elevans vocem. Et ad vitam deinceps recte instituendam Domine, instrue servos tuos, et oculorum evagationem, linguae protervitatem, tactus manuum impudicos, voluptatem etiam quae ex auditu rerum malarum percipitur, aufer a nobis. Illa etiam quaecumque ex pravis affectionibus oriuntur, vanam gloriam, quaeque similitudinem habent cum ruina illa prima Adami, per fraudulentum diabolum: ventris insatiabilitatem, quem multi Deum suum faciunt: avaritiam quae est idolorum servitus: ut ab omnibus illis purgati, appareamus in mundo tanquam luminaria; verbum vitae conservantes; et omnis quicumque nos viderit, sive fidelis sive infidelis, laudet et veneretur nobiscum nomen tuum laudandum, gloriosissimum et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Sancta Sanctorum qui in sanctis requiescis et sanctos perficis; qui nos omnes vocasti vocatione sancta, ad lumen mirabile cognitionis tui, qui gratiam adoptionis, non ex operibus nostris, sed per fidem nobis adquisivisti; praesta, ut mereamur non figura tantum exteriori, sed corde puro, et conscientiae fiducia, et labiis non deficientibus invocare te Patrem, Patrem nostrum, ut multiloquium vanum et futile impiorum Paganorum, et Judaicam superbiam rejicientes, voce humili, et qualis Christianos decet, possimus offerre tibi deprecationem, secundum legem ab unigenito Filio tuo positam, et cum sanctitate corporis et animae, bonaque voluntate, quae filios decet,

fiducia et caritate, audeamus invocare te Patrem sanctum, et dicere, Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. O Pater bone, et amator bonorum, ne nos inducas in tentationem, neque dominetur in nobis ulla iniquitas: Sed libera nos ab operibus malis; cogitationesque indecentes, et tentationem, quae ex privatione visitationis tuae nascitur, depelle. Motus etiam qui a nobis, et in nobis excitantur, et proclivitatem quae nos ad peccandum rapit, coerce, per Christum tuum sanctum cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Cum collis corporis mentes quoque nostras inclinamus, majestatem quidem tuam, servitutem vero qualem unicuique nostrum convenit exhibere, tibi confitentes: rogamusque te, bone et amator hominum, ut propitius factus, a passionibus noxiis nos liberes: motus etiam carnis ad peccati amorem instigantes, obscoenas passiones, dissidia adversarum passionum, omnia bella, tam ex nobis, quam in nobis, varias sententiarum opinionumque haereticarum concertationes, facilitatem ad loquendum inutilia, altercationes contentiosas, ab omnibus moribus extingue, et in omnibus familiares et domesticos fac nos tibì et per patientiam voluntatis tuae consolare. Da nobis etiam nunc, virtutem sapientiae et auxilium prudentiae, ut supra sensus materiales elevati simus, neque corruptelae, neque passionibus obnoxii. Et sicut hoc natura [11] est mysterium Unigeniti tui, ita per illud suscipiamus donum, ad remissionem peccatorum nostrorum, et ad gloriam nominis tui, et illius, et Spiritus sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Quandoquidem incorruptioni spirituali communicavimus, et per virtutem animae confirmati fuimus, tibi etiam benefice,

et magnifice in muneribus Deus, hymnos gratiarum actionis offerimus, oramusque te ut non convertas festa nostra in luctum, neque pompas nostras in cantica luctuosa, quando justitias ipsas examinabis, et zizania ex nobis colliges, propter susceptionem indignam mysteriorum. Sed misericordem praebe te erga nos, parce pusillanimitati naturae nostrae: propitius esto et miserere, non in judicium aut in condemnationem reputans nobis munera tua: sed ad sanctitatem, et vigilantiam, et viaticum salutis nostrae, per Christum Jesum Dominum nostrum cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te, etc.

Sacerdos. Tibi commendamus vitam nostram Domine omnipotens: ubicumque fuerimus custodi nos in poenitentia quae in nobis est, per orationem, et certam persuasionem vitae recte instituendae, conserva nos immunes et illaesos: ut in quocumque tempore et loco, majestatem tuam intuentes, et ea quae tibi placita sunt, et grata operantes, non confundamur in die judicii, in quo unusquisque retributionem accipiet, cum Angeli stabunt et tu judicabis: cui gloriam, laudem, honorem et adorationem offerimus, cum Patre tuo et Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos benedicit.

IN LITURGIAM JOANNIS BASORENSIS

NOTAE.

1. De Joanne Basorensi autore ejus Liturgiae nondum quidquam nobis occurrit, nisi quod Jacobitam eum fuisse, et alicujus in sua secta nominis intelligamus, non modo ex hujus Liturgiae inscriptione, sed ex alio non mi-

noris autoritatis argumento. Habemus illud ex Liturgiae Basilii Copticae et Arabicae exemplari nostro, quod inter diversas, et quae ab antiquioribus absunt; ut etiam a Regio Graeco Arabico ejusdem Liturgiae Codice formulas τοῦ ἀσπασμοῦ seu Osculi pacis, eam quae hujus initio legitur ipsis verbis repraesentat, cum titulo. *Oratio Patris nostri Joannis Bostreni pro pacis osculo ad Patrem.* In Arabico perperam. *Oratio Patris nostri Joannis Chrysostomi, pro pace danda ad Patrem.* Forte quis foret Joannes Bostrenus ignoravit interpres Jacobita, aut id commisit quod non semel Orientales alii, aut inscitia, fecerunt, aut dolo malo, dum ex nominum similitudine quaedam antiquis Patribus tribuerunt, quae recentiores autores haberent. In ea vero parte per piam fraudem, sed fraudem tamen, quae nulla tegi excusatione potest, peccaverunt magnopere Maronitae in editione Missalis Chaldaici Romae facta. In ea enim Atheniensi Dionysio Pauli discipulo Liturgiam tribuerunt, quae in codd. MSS. nomen habet Dionysii Barsalibi Amidensis Metropolitae Jacobitae. Ignatio Antiocheno Martyri, quae alterius Ignatii ex eadem secta fuit. Joanni Chrysostomo, quae Joannis alterius et haeretici. At hic noster Bostrenus Graece, idem qui et *Basorensis.* Nam etsi *Bostra* de qua Stephanus, ubi Colonia Romana fuit, cujus nummi extant plures Latini et Graeci, non eadem sit, quae nunc Arabum *Basora*, noviter ab ipsis aedificata et munita, eodem tamen loco aut vicino cum fuerit, pro eadem habita est.

Ουευχη ητε πενιοτ Ιοαννης πιβωστρινος εθβε πι ασπασμος φιωτ.

2. *Oratio ante Pacem.*

Nulla melior hujus loci explicatio dari potest, quam ipsa oratio ut legitur apud Coptitas: quae edita est in versione Liturgiae Copticae Basilii.

3. *Oratio veli.*

Raro hic titulus occurrit in Syriacis Liturgiis, eadem tamen est quae in Graecis et Copticis dicitur τοῦ καταπετάσματος de qua dictum est ad Liturgiam Basilii.

4. Hoc loco autor fuse mysterium Incarnationis explicat, recte quidem quantum ad rejiciendas veteres haereses, praesertim Apollinaris et Eutychis: quas Jacobitae unam et eamdem esse pertendunt: verum ex Monophysitarum sententia, non unam modo personam, sed unam naturam agnoscit. Atque haec erat, estque etiamnum Jacobitarum doctrina, illis Confessionibus maxime similis, quarum aliquas retulimus in Historia Patriarcharum Alexandrinorum: variisque testimoniis quae passim occurrunt in Tractatu qui inscribitur *Fides Patrum.*

5. Autor hujus Liturgiae, ut mediae aetatis scriptores Officiorum sacrorum prope omnes, longius recessit a prima illa simplicitate quae in Graecis observatur, et quam pariter secuti sunt primi Syriacarum autores, vel interpretes. Tota tamen illius paraphrasis institutionis Eucharistiae, ex sacris literis contexta, nihil habet unde possit accusari, cum verba Dominica contineat, ut in Evangelii, et aliis Liturgiis leguntur. Occurrunt in Latinis vetustis codicibus exempla aliquot fusioris explicationis mysteriorum post *Sanctus:* verum cum ad ea verba ventum est, *qui pridie quam pateretur,* oratio brevior est et simplicior.

6. *Calicem hunc efficiat, ad remissionem peccatorum.*

Liturgiarum reliquarum cum ista comparatio facit ut in hac Invocationis Spiritus sancti forma deesse verba nonnulla suspicemur. Ista scilicet *ut Calicem hunc efficiat Sanguinem ejus pretiosum, etc. in remissionem peccatorum.* Cur enim omittantur cum extent in Graecis et aliis omnibus, tum etiam in prima ejusdem orationis parte, causa nulla est. Si quis lectionem integram esse contendat, ut eliciatur inde, non ex Invocationis Verbis consecrationem, aut illius integram vim in illa esse positam, non admodum pugnabimus, cum id aliunde satis constet. Verum tamen supererit maxima difficultas, eo quod integra sit Invocatio super panem Eucharisticum, atque adeo talis esse super calicem debeat: quod explicari commode vix potest.

7. *Panem ex simila mistum cum oleo.*

Quin Syrorum morem in parandis oblatis Eucharisticis Joannes Basorensis innuat, non videtur dubitandum: subtilius tamen, id significat quam Mathaeus Pastor in hac Liturgia qui panem perfectum, hoc est qualem Syri offerre solent Christum accepisse dixit, cum de eo verbum nullum in Evangelio, nec in Pauli Epistola ad Corinthios, nec in vetustis Officiis occurrat. Verum cum in Levitico oblatio ex simila pura oleo conspersa deberet esse, simulque granum thuris imponi, id commemoravit autor, tanquam disciplinae Ecclesiae suae fundamentum, frustra sane: nec enim frigido hoc argumento Joannes Patriarcha ejusdem sectae, qui Syrorum Apologiam scripsit, multum tribuisse visus est. Quippe in similae oblatione thus imponebatur, cujus ad Panem Eucharisticum usus nullus est: sed salis: de quo admiscendo nihil in veteri disciplina praecipitur. Hujus porro misturae salis et olei occasione, retractandum est quod in Commentario ad Officium generale scripsimus, Dionysium Barsalibi illius non meminisse in Commentario ad Jacobi Liturgiam. Cum enim olim illum in Codice legissemus, in quo nihil simile occurrebat, ita scripseramus; sed alterum dum haec editio procederet Codicem vidimus, in quo mistionis illius, tanquam a Syris usurpatae meminit.

Levit. c. 2.

Pag. 66.

8. *Eumdem in sacrificium tibi offerimus.*

Non poterat accuratius et significantius explicari doctrina vetus Ecclesiae circa sacrificium Eucharisticum, quam his verbis: offerri scilicet in eo Christum in sacrificium et oblationem immaculatam: etsi non ignorant, ipsum semel obtulisse se ipsum Deo Patri hostiam propitiatoriam, cum idem in hac Liturgia legatur. Nihil igitur a sanctis Patribus, aut qui eos secuti et illorum fidem imitati sunt Latinis Theologis, de vera et reali corporis Christi et sanguinis in Eucharistia praesentia dictum est, quamvis sensibus repugnans, et humanae intelligentiae, quod non simpliciter intellexerint Orientales: tantum abest ut Protestantium exemplo haec omnia ad metaphoras reduci debere, existimaverint. Nam corpus Christi in altari positum esse dicunt, quod a Chrysostomo et aliis didicerunt: ita credere se, non modo perspicue testantur, dum similes locutiones suas faciunt, verum etiam variis disciplinae Ecclesiasticae legibus confirmant.

9. *Agnum occisum super altare.*

Illud est quod Chrysostomus et alii saepius inculcant: atque ita loquuntur Severus Episcopus Aschmonin, Echmimensis, Autor Homiliarum de circulo anni, Barsalibi, Abulfaragius et alii multi: ut quae occurrunt tam in Liturgiis, quam in libris Theologicis, non rhetorice dicta autoribus excidisse, sed ex certa persuasione dicta esse manifestum sit.

10. *Eorum qui in vera Religione instituti sunt.*

De Catechumenis verba esse satis apparet: quamvis ut observavit Barsalibi, nulli dudum sint in Ecclesia Orientali: sed id translatum ex disciplina veteri: ut apud nos quoque retenta est in Officio Sabbati Sancti publica pro illis oratio; quamvis in Occidente quoque Catechumenatus obliteratus fuerit. In Oriente multo magis: statim quippe Christianis infantibus baptismus administrari solet: tum ne absque salutari lavacro pereant, tum ne a Muhamedanis rapiantur.

11. *Et sicut hoc natura est mysterium unigeniti tui.*

Obscurus locus, qui tamen explicata ratione stili, qui ut monuimus in illis mediae aetatis Liturgiis affectatione elegantiae laborat aliquando, sententiam talem habet. Ut hoc mysterium, quale est post illapsum Spiritus sancti, omnibusque modis consummatam et perfectam consecrationem, est vere et secundum id quod est, mysterium a Filio tuo Jesu Christo institutum, quod

indubitate credimus: ita rogamus, ut donum sive fructus ejusdem mysterii ad nos perveniat, prositque nobis ad remissionem peccatorum. Id enim ipsum est quod in omnibus aliis orationibus ante vel post communionem dici solitis peti solet: sufficitque ad istius explicationem. Istud vero *in natura* idem significare existimamus, ac vere et re ipsa: nam cum vox כינא *naturam* proprie significet, saepe etiam, ubi abundantia synonymorum quaeritur, pro essentia et substantia usurpatur, et opponitur imaginario, et figurato.

In reliquis nihil est quod nova aliqua observatione indigeat.

LITURGIA I. MICHAELIS PATRIARCHAE ANTIOCHENI.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus omnipotens et Domine, praesta nobis ut accedamus ad mysterium magnum et divinum, quod per amorem tuum erga homines nobis instituisti; et da nobis ut per caritatem tuam colligati, per eam quoque mundemur ab omni iniquitate, et a maculis cujuscumque generis, odii et inimicitiae: ut per concordiam et caritatem veram, simus omnes corpus unum indivisum, secundum Spiritum; et tanquam membra, invicem amplectamur, in dilectione sancta, in participatione mysterii caritatis Christi, unigeniti Filii tui: cum quo te decet gloria, et honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Det pacem unusquisque, etc.
Populus. Praesta.
Diaconus. Post.
Populus. Coram te.

Sacerdos. Rogamus te dator sanctitatis, et largitor omnis puritatis; suscipe etiam nunc inclinationem servorum tuorum qui colla demittunt, et benedic congregationi adorantium te, per gratiam tuam. Imple sanctitate animas et corpora nostra: libera nos a peccato quod in nobis est, ut sancte perficiamus ministerium hoc, secundum institutionem Deo dignam, unigeniti Filii tui: cum quo decet te gloria, honor, et potentia cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos elevans vocem dicit Orationem super oblatam.

Abscondite, qui a creaturis videri non potes, creator omnium et dives in omnibus; dita nos muneribus tuis divinis, ut possimus tractare mysteria haec, quae mentis captum superant; quia non in justitia nostra fiduciam habemus, sed in misericordia tua, quae Filium tuum unigenitum ad nos demisit. Da nobis quoque confidentiam, ut per mysteria haec sancta sanctificemur; verum etiam nos circumda magnitudine munerum tuorum divinorum. Te Domine deprecamur et petimus a te, miserere nostri, et largire nobis Spiritum tuum sanctum, qui mentibus puris illucet: ipse veniat et commisceatur his oblationibus, ut sint nobis, et universo populo haereditatis tuae, ad veniam et remissionem peccatorum nostrorum: et ex tota anima nostra gratias agamus tibi Deus Pater, et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordia.

Sacerdos. Caritas.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Secundum veritatem tibi Domine debetur adoratio, et tua est laus quae tibi refertur. Quamvis autem omnes creaturae non sufficiant, ad te laudandum sicut oportet, suscipis tamen adorationem ab omnibus, quia tu bonus es, et miserationes tuae super omnes extenduntur.

Elevans vocem. Tua est Domine omnis creatura, sive quae intellectu praedita est, sive quae solo sensu. Te glorificat et veneratur coelum et quodcumque in eo est, terra et quodcumque super terram reperitur; creaturae mutae, ipso silentio suo: quae loquendi facultatem habent, linguis suis: Angeli jubilis suis: Potestates et militiae exaltationibus suis: Sacerdotes in ordinibus suis: Diaconi in congregationibus suis. Tu vero supra omnem gloriam in abscondita natura tua es; suscipiens tamen per amorem tuum erga homines, hymnos Ecclesiae tuae et gregis tui, simul cum canticis Angelorum et Archangelorum, et vocibus Seraphim, qui admiratione divinitatis tuae stupefacti, concentibus suavissimis, secundum praeclaram ordinationem, canunt, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es Deus Pater, sanctitateque sublimior: largiris ipse sanctitatem cum Filio tuo, et Spiritu tuo sancto, illis qui illam suscipiendi digni sunt. Tu enim naturam quam creasti et honorasti, domus quodam magisterio, postquam libero suo arbitrio excidit ex sublimitate sua, non deseruisti, ut periret, sed Filium tuum unigenitum misisti, qui factus est homo, et in omnibus nostris similis factus est nobis, excepto peccato, et salvavit nos.

Elevans vocem. Qui humiliavit se, et conceptus est in utero, configuratusque est ex Spiritu sancto et ex Virgine sancta, non exinanitus a gloria sua, neque mutatus a natura sua, sed in natura humana, supernaturaliter, factus est homo perfectus, cum esset interim Deus verus. Atque ita salutem nostram perfecit, per dispensationem suam divinam, et mysteria haec plena vitae designavit, complevit, demonstravit, et docuit: Accipiens panem in manus suas sanctas, † benedixit eum, † sanctificavit eum, † fregit, deditque Apostolis suis, et per eorum manus universae Ecclesiae sanctae, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, et datur ad expiationem delictorum, remissionemque peccatorum, et vitam novam venturam. *Populus.* Amen.

Simul etiam cum pane, calicem prius vino et aqua temperatum, accepit † benedixit eum † sanctificavit eum † et commendavit per manus Apostolorum Ecclesiae suae, dicens: Hic est sanguis meus qui pro vobis datur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam novam venturam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Perpetuo commemorationem hanc mortis et Resurrectionis meae facietis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, Domine.

Sacerdos. Oculis ergo animorum nostrorum intuentes et videntes mysteria dispensationis tuae propter nos, o Verbum Deus, adoramus eamdem salutarem dispensationem: confitemur nativitatem tuam, et ortum tuum: confitemur passiones tuas et sepulturam tuam; glorificamus Resurrectionem tuam, et extollimus Ascensionem tuam; benedicimus propter sessionem tuam ad dexteram paternam, et expectamus adventum tuum secundum. Verum rogamus et deprecamur te ut quando venies cum gloria tua, et apparebis manifeste, omniaque congregabis, non condemnes nos simul cum illis qui te non noverunt, neque perdas, cum iis qui tibi non adhaeserunt: sed potius miserere nostri, quia nomen tuum magnum invocatum est super nos. Scimus sane, quia peccavimus, et te vere ad iracundiam provocavimus: neque digni sumus misericordia tua. Verum per passionem tuam, Domine, per crucem et mortem tuam propter nos, ne agas nobiscum quemadmodum meruimus: ne tradas nos cruciatibus absque misericordia, neque juste retribuas nobis. Recordare Domine quod te confessi sumus, et ad nomen tuum confugimus. Miserere, parce, et salva congregationem adorantium te a tenebris exterioribus, a fletu et stridore dentium, quia non est nobis Deus alius praeter te, ad quem levati sunt oculi nostri, ut confitearis nos, et oriri jubeas lumen vultus tui super nos, et super Ecclesiam tuam redemptam sanguine tuo pretioso; quae voce magna clamat ad te, et ad Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te glorificamus.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Clamo ad te Deus, corde affecto, et oculo lacrimabundo: miserere mei per gratiam tuam, et purga me a multitudine iniquitatum, quae per cogitationes turpes, aut opera iniqua mea, infirmam animam meam maculant. Rogo te Domine plene misericordia, ne propter peccata mea, prives me gratia tua in hoc tempore, sed per

misericordiam tuam ignosce mihi, et per clementiam tuam munda me: atque oblationes istas sanctifica per Spiritum tuum sanctum, qui aequalis est tibi Deus Pater, et Filio tuo unigenito, secundum divinitatem, substantiam, naturam et dominationem. Ipse adveniat, et illabatur, et per obumbrationem suam, perficiat haec sacramenta, corpus et sanguinem unigeniti Filii tui, et per ea Domine veniam consequatur grex tuus spiritalis.

Diaconus. Orate.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Victor et victoriam praestans, sanctus et sanctificator Spiritus sanctus, ipse per obumbrationem, et illapsum suum, panem quidem istum faciat corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, sanguinem Christi Dei, Regis nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut omnibus ea accipientibus, et communicantibus, sint pignus salutis ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Propterea offerimus tibi sacrificium hoc spirituale, secundum doctrinam Domini nostri, pro universa Ecclesia sancta, pro Pastoribus Orthodoxis, qui pascendae eidem vacant, pro Regibus fidelibus, pro cessatione bellorum, pro peregrinis, et advenis, et pro omnibus illis qui invocant nomen tuum sanctum, Deus noster, ut adjuventur per gratiam tuam, et visitentur per miserationem tuam.

Elevans vocem. Robora et confirma, Domine, Ecclesiam tuam sanctam quam acquisivisti ex gentibus, et salvasti per sanguinem unigeniti Filii tui. Praeserva eam ab omnibus haeresibus perversis: depelle ab ea hostes occultos et manifestos: compesce ab ea virgas omnes furoris et rebellionum, visita eam per gratiam tuam, et benedic illam dextera tua omnipotenti: habita super eam misericorditer, et per protectionem potentis brachii tui, ut gaudio quod in te est afficiantur filii ejus, vocesque suaves, et gratas gratiarum actiones referant tibi, et Filio tuo unigenito et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Suscipe clementer per amorem tuum erga homines, Domine, quodcumque offertur nomini tuo magno et sancto, a filiis Ecclesiae tuae in votis et decimis: iis etiam qui postulant orationes Sacerdotum tuorum, concede petitiones suas.

Elevans vocem. Beate, qui vere bonus es, fons bonitatis, et largitor gratiae, Domine; eapropter petimus a te, suscipe deprecationes populi tui: exaudi orationes Ecclesiae tuae; responde postulationibus gregis tui; parce et miserere peccatoribus, et insipienter agentibus, egenis et peregrinis, oppressis et injuriam patientibus, omnibus illis qui angustias aut persecutionem patiuntur, et iis qui diversis tentationibus conflictantur; et referemus tibi gloriam, nos omnes una voce profecta ex corde intimo, simulque Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

• *Sacerdos inclinatus.* Dextere conserva per brachium tuum, Domine, populum tuum fidelem, ab omnibus tentationibus, et advèrsitatibus, et concede toti mundo tempora plena gaudiis: benedic vero coronae anni per gratiam tuam.

Sacerdos elevans vocem. Dator omnium auxiliorum nobis, tu es solus, et largitor victoriae, omnipotens Deus noster adorande, omnibus iis qui adorant te, et qui vere te diligunt. Igitur apud te clamamus, ut propter beneficia et munera tua, glorificationem aeternam referamus tibi, et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemorantes coram te, Domine, nomina Sanctorum, qui moribus suis tibi placuerunt, Prophetarum, Apostolorum, Doctorum Orthodoxorum, Martyrum, Confessorum, omniumque piorum et justorum: per orationes eorum petimus, ut postulata concedas populo tuo.

Elevans vocem. Eos omnes qui placuerunt tibi, sanctimonia morum suorum: sanctorum, qui sanctificati sunt per sanctitatem quae a te est, Domine, commemoramus hoc tempore: ut per orationes eorum, praestes nobis, ut vestigiis eorum insistamus, et nunc quamdiu super terram degimus, terram et terrena relinquamus, et spiritum sequamur, moribus secundum virtutem institutis assuescamus, et splendore lucenti spiritus exornemur, vocibusque spiritualibus oremus te, Spiritu orante pro nobis, canticis inenarrabilibus, referamusque

tibi gloriam, et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemoramus coram te, Domine, Pastores et Doctores electos, patres spirituales nostros, qui a Petro discipulorum principe, usque ad hodiernum diem, spiritualiter paverunt gregem tuum spiritualem.

Elevans vocem. Qui luminaria fuerunt, lucem praebentia Ecclesiae tuae sanctae: eos omnes qui Evangelium vitae plenum unigeniti Filii tui usque ad fines mundi praedicaverunt: qui labores sustinuerunt in pascendo grege tuo: qui etiam pericula subierunt, propter fidem Orthodoxam quae in te est: qui zizania ab inimico spirituali seminata per ora haereticorum combusserunt, per doctrinas rectas et fundatas super spem vitae novae, et promissiones Evangelicas; per quorum orationes, Domine, deprecamur te. Omnes haereses oppositas extingue et dejice, pacem perpetuam Ecclesiae tuae concede, et ab omnibus bellis et seditionibus populum tuum praeserva: artes Satanae destrue et dissipa, ut omnis congregatio adorantium te sedulo, vitam ducat ab omni reprehensione liberam, et referemus tibi gloriam et laudem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Visita, Domine, per clementiam tuam defunctos Orthodoxos. Ad altare tuum supernum fac eorum memoriam, et voluptate reple illos in thalamo tuo luce pleno; praecipue vero patres, magistros, et doctores nostros, et eos omnes pro quibus hoc sacrificium oblatum est, quique nunc nominantur, et eos quorum tibi nota nomina sunt.

Elevans vocem. Opifex naturae nostrae, Deus noster, adorande et sciens omnia, qui vis vitam et salutem omnium, praesta per misericordiam tuam memoriam bonam, et veniam delictorum, remissionemque peccatorum, patribus, magistris et doctoribus nostris, omnibusque filiis Ecclesiae tuae sanctae, qui per decretum ab aequitate tua statutum adversus nos, ad peccati nostri abstersionem, olim biberunt calicem ingratum mortis, separationisque amarissimae. Visita eos Domine, et consolare eos in habitaculis in quibus requiescunt: per nutum tuum divinum et sapientissimum, justam dispensationem, sensum animae beatum, suavem, et plenum clementia: per sacrificium

hoc mysticum et omni spe beata plenum. Domine, suscipe obsecrationem nostram propter eos, et dele peccata atque defectus eorum, dealba maculas eòrum: quia non est neque fuit, inter omnes carni alligatos, qui purus omnino sit et innocens coram te, nisi unus solus Dominus noster et Filius tuus, per quem nos etiam misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum, quae propter eum est, tam nobis quam illis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Libera etiam et praeserva nos, Domine, ab omnibus insidiis malis maligni adversarii nostri: quamdiu autem in hoc mundo degemus, muni nobis vias decursus nostri: fac nos dignos fine bono, et exitu per misericordiam felici. Depelle a nobis exercitum nequam latronum in aëre volantium, et praesta nobis ut audiamus vocem illam laetam dicentem ad nos, venite benedicti patris mei, possidete haereditatem, quae parata est vobis: ut in hoc sicut et in omnibus, glorificetur et laudetur ab omnibus nomen tuum honorandum omnibus modis, et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Ad te Deus Pater, qui causa es omnium spirituum, offertur oratio nostra secundum doctrinam Deo dignam unigeniti Filii tui dilecti, Domini Dei nostri Jesu Christi. Acceptam igitur eam habe, per amorem tuum erga homines immensum et paternum: sanctifica nos per Spiritum tuum sanctum, tibi consubstantialem, qui sanctos omnes perficit: ut per eum sanctificatis mentibus, oribus et linguis nostris, abstersisque et purificatis, pure et sancte mereamur invocare te Deum Patrem omnipotentem, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Sanctifica nos per nomen tuum sanctum, quod invocatum est super nos. O Pater noster coelestis perfice et adimple in nobis voluntatem tuam: adveniat regnum tuum et divinitas tua, habitetque in nobis sicut in coelo excelso: neque deseras nos ita ut tentemur, quia non habemus virtutem ad sustinendum. Libera nos Domine a maligno, et ab omni quodcumque cum eo similitudinem habet aut affinitatem: neque permittas ut voluntas ejus in nobis perficiatur: audet enim affectare ut nos dejiciat, et regnet super nos, tuum autem est regnum, et nos servi, et mancipia tua sumus. Tu qui potes omnia nutu tuo, contere caput ejus sub pedibus nostris velociter, ut pro reportata a nobis victoria, referamus tibi gloriam, et offeramus adorationem Filio tuo et Spiritui sanctissimo nunc etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Miserere Domine populi tui qui expectat donum tuum coeleste. Nemo ex coetu nostro expellatur a participatione mysterii sacrificii hujus vivificantis, ita ut nobis in convivio hoc spirituali epulantibus, cum conscientia inculpata, pignus fiat vitae novae et spiritualis, et viaticum ad viam illam aeternam, atque illic ad mensam tuam incorpoream epulemur, referamusque tibi gloriam perpetuam et gratiarum actionem indesinentem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit misericordia, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Gloria misericordiae tuae Domine, cujus gratia tam abundanter effusa est: confitemur nomini tuo, et benedicimus gloriam tuam, quia dignos fecisti nos, quamvis luto implexos, hauriendi aquam

vitae ex hoc fonte puro et sancto. Deprecamur ergo te Domine, ut conserves in nobis depositum hoc magnum et amabile: ut per illud et propter illud liberemur a damnatione judicii in die illo magno Resurrectionis omnium hominum, securique perpetuo efficiamur coram te ad convivium hoc spirituale, canamusque perfecte Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, bonum, et vivificantem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Postquam.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Gratiarum actionem cum confessione et gaudio eximiam offerimus tibi Domine, pro beneficiis et muneribus tuis, quae verbis enunciari non possunt, quia dignos fecisti nos dono hoc divino. Ne condemnes nos ob susceptionem mysteriorum tuorum immaculatorum, sed miserere peccatoribus servis tuis, et sana vulnera populi tui: suscipe deprecationes gregis tui, et per sacrificium hoc remissionem omnes consequamur. Sit nobis ad veniam et salutem animarum corporumque nostrorum, prohibeatque a nobis corruptorem illum spiritualem, atque omne genus peccati. Dextera tua requiescat super nos Christe Deus noster, et crux tua custodiat nos: referemusque tibi gloriam et laudem simulque Patri tuo, et Spiritui tuo nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos dicit Orationem signationis.

Deus qui suscepit oblationem Abel in planitie, et Noë in arca, Abrahami in montis vertice, Eliae in Carmelo, Davidis in arca Aran Jebuzaei et minuta viduae in sanctuario, ipse suscipiat oblationes, vota et decimas vestras, et opera manuum vestrarum, praestetque memoriam bonam defunctis vestris, spem benedictam et custodiam vitae vestrae per orationes, et preces Deiparae, etc.

IN LITURGIAM MICHAELIS ANTIOCHENI OBSERVATIO.

Hanc Liturgiam inter recentiores numeramus, quia non extat in multis codicibus: duplex tamen ejus exemplar suppeditavit Colbertina Bibliotheca. Patriarcham Antiochenum qui Michaelis nomen habuerit nullum habemus ante schisma per Severianos factum; neque deinceps aliquem hujus nominis nisi anno Alexandri MDIII. Jesu Christi MDXCI. quo tempore Joannes Alexandrinae Jacobitarum Ecclesiae praesidebat LXXIV. scilicet Patriarcha, qui Marco filio Zaraae successit, et ante ordinationem vocabatur Abulmeged filius Abugaleb; quique ordinatus est anno DCCCCV. Martyrum, mortuus DCCCCXXXI. Christi MCCXXVI. Hoc vero docet nos subscriptio vetusti Evangeliorum Syriacorum codicis, qui est in Bibliotheca Regia; quae multa nos docet. Nam inde intelligimus Michaelem Antiochenum, cui haec Liturgia tribuenda est eumdem esse qui eximium opus scripsit de *praeparatione ad communionem*, et de variis Christianae vitae officiis, de fide et qua ratione quisque in perfectum Christi discipulum evadere queat. Praesertim vero agit per modum quaestionum a Monachis propositarum, de Poenitentiae necessitate, deque certa poenitendi regula: scilicet ut quicumque peccati sibi conscius foret, confessionem primo apud Magistrum sive spiritualem patrem faceret, susciperetque Canonem, quo perfunctus secure posset ad sacramenta percipienda accedere. Invehitur magna parte hujus operis in consuetudinem quae tunc, inquit, apud Coptitas obtinebat, quod plerique confessionem apud sacerdotem facere negligerent. At coepit haec prava consuetudo induci apud Coptitas sub Marco F. Zaraae Joannis praedecessore, sub quo vivebat Michael Damiatensis Episcopus qui primus, quod sciamus, legem de abroganda confessione suasit, ut alio loco diximus. Joannes etiam idem, in Chronico Orientali quod Latine edidit Abrahamus Echellensis eam dicitur abrogasse: itaque recte de illis Michael scribere potuit. Atque ita ejus, opinor, aetatem habemus non ex illo solum, sed ex altero etiam paris et ejusdem, ut videtur, manus Evangeliorum codice.

Id habet singulare haec Liturgia, quod orationes dispositae sunt secundum Alphabeti Syriaci literas Psalmorum Abecedariorum more.

LITURGIA
DIONYSII EPISCOPI AMID,
QUI ET BARSALIBI.

Primum oratio ante Pacem.

CARITATEM, et concordiam, tranquillitatemque perfectam da nobis, Domine, hoc tempore, et omnibus diebus vitae nostrae, et referemus tibi gloriam, et laudem.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem.

Populus. Praesta nobis, etc.

Sacerdos. Et omnibus benedic benedictionibus tuis inamissibilibus; et nos dignos fac perficiendi voluntatem tuam, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui vivi, et sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et impuram omnem cogitationem a nobis depelle, per sacrificium hoc quod offerimus tibi Domine: per illud sanctifica corpora nostra, et illustra animas nostras, et referemus tibi laudem, et gratiarum actionem.

Populus. Amen.

Diaconus. Date pacem.

Sacerdos. Caritas, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Dignum et justum est, ut laudemus, et gratias agamus Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Elevans vocem. Et cum millibus millium, et myriadibus myriadum igneorum qui coram te consistunt, et te sine intermissione ce-

lebrant, dignum est ut te elevata voce laudemus, clamantes, et dicentes.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus Pater genitor, et non genitus, sanctus Filius genitus, et non genitor; sanctus Spiritus qui procedit a Patre, et a Filio accipit: unus Deus verus qui salvavit nos gratia, et misericordia sua.

Elevans vocem. Qui cum ad passionem salutarem paratus esset, panem etiam quem accepit † benedixit † sanctificavit † fregit, et corpus suum sanctum vocavit eum, in vitam aeternam illis qui illud acciperent.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem quem miscuerat vino, et aqua, benedixit, et sanguinem suum pretiosum perfecit, illis qui illud accipiunt in vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et cum discipulis sanctis illa tradidit, praecepit eis dicens: ita facietis in mei memoriam, donec veniam.

Populus. Mortis tuae.

Sacerdos. Memoriam quoque agit Ecclesia tua Domine, universae dispensationis tuae salutaris, secundique adventus tui terrore pleni, in quo retribuetur unicuique juxta id quod fecit, propter quod poenitens grex tuus deprecatur te, et per te, et tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Populus. Te laudamus.

Sacerdos. Praecipue.

Diaconus. Memento. *Et.* Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus. Invocatio Spiritus sancti.

Miserere mei, Domine, et mitte super has oblationes propositas Spiritum sanctum, qui omnia Ecclesiae sacramenta perficit adventu suo.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Et panem istum, perficiat corpus Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod est in hoc calice, transmutet in sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sint omnibus suscipientibus in remissionem delictorum eorum, et per ea vitae aeternae haeredes efficiantur, et referemus tibi gloriam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Offerimus tibi Domine sacrificium hoc pro Ecclesia tua sancta ubique diffusa, et pro populo tuo fideli et Clero sacerdotali.

Elevans vocem. Et concede Ecclesiae tuae sanctae tranquillitatem, et pacem, praesulibusque ejus caniciem bonam, et honorabilem: et statue in ea Pastores qui recte dispensent verbum veritatis, et referemus tibi, etc.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium, miserere et adjuva omnes qui invocant te, et ad te confugiunt cum fide vera.

Elevans vocem. Auxilium etiam tuum omnibus praesta, qui egestate et angustiis conflictantur. Custodi Domine eos a quibus manus auxiliatorum praeclusae sunt, et referemus tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Regum fidelium qui Ecclesiam tuam sanctam adjuvant, et populo tuo fideli benefaciunt.

Elevans vocem. Et aufer a nobis Domine inimicum spiritualem, ejusque tyrannidem, et ex manu principum immisericordium nos eripe, et referemus tibi, etc.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Sanctorum omnium matrisque unigeniti Filii tui: salva, et confirma nos per preces Sanctorum tuorum.

Elevans vocem. Et sub alis Sanctorum tuorum protege nos, et inter eorum ordines nos constitue: ut cum eis referamus tibi gloriam.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine verorum Ecclesia tuae Pastorum, qui nobis fidem rectam praedicaverunt, Patrumque electorum et Doctorum Orthodoxorum.

Elevans vocem. Conserva nos Domine in fide Orthodoxa, nec errantes, aut reos facito nos Domine.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium fidelium defunctorum, qui in spe tua decubuerunt, et quietem praesta per miserationes tuas, iis qui redempti sunt sanguine unigeniti Filii tui.

Elevans vocem. Et misericorditer eos aspiciens, Domine: parce delictis eorum, et defectus eorum dimitte, quia corpus et sanguis unigeniti Filii tui conditum in membris eorum est: per quem et nos misericordiam consequi speramus, et remissionem peccatorum quae est propter eum, et illis, et nobis.

Populus. Remitte.

Sacerdos. Et nos, et illos dignos fac fine christiano, insipientiarum nostrarum, illorumque non recordatus, ut in hoc sicut in omnibus laudetur, et celebretur nomen tuum benedictum, et Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui vivi, et sancti, etc.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sint miserationes Dei Patris.

Sacerdos. Credimus.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos frangit et signat.

Oratio ante Pater noster.

Deus orationum susceptor, petitionumque acceptor rogamus et coram te pronunciamus orationem hanc dominicam quam docuit nos, unigenitus Filius tuus, et corde contrito clamamus et dicimus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Libera nos Domine Deus a malo, et ab omni genere iniquitatis; peccata, et insipientias nostras dimitte nobis, et omnibus qui in nos quocumque modo deliquerunt: propitius esto nobis, et illis Domine, et referemus tibi gloriam, et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Inclinate capita vestra.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Emitte Domine dexteram tuam, et effunde miserationes tuas super populum tuum, et super oves gregis tui, qui expectat, ut accipiat corpus et sanguinem unigeniti Filii tui: sanctifica

per illud corpora, et animas nostras, et referemus tibi gloriam, laudem, et gratiarum actionem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Benedictiones Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Unusquisque.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos dicit Orationem gratiarum actionis.

Adoramus, et gratias agimus tuo erga homines amori Domine. Tu omnes igitur adjuva, et confirma, tu nos omnes in bono statu confirma, nobisque ignosce, et remitte, quia in hac spirituali mensa epulati sumus, et referemus tibi gloriam, laudem, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos. Christe qui es panis verus qui de coelo descendit, et fuit nobis in cibum incorruptibilem, custodi animas et corpora nostra a gehenna inextinguibili et verme immortali, et referemus tibi gloriam, et laudem, et Patri tuo beato, et Spiritui tuo sancto et vivo nunc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

Diaconus. Benedicamus, etc.

IN LITURGIAM DIONYSII BARSALIBI NOTAE.

1. *Dionysii Barsalibi.*

Celeberrimus fuit inter Syros Jacobitas Theologus: vocabatur quoque Jacobus, ut didicimus ex aliquot Codicibus manuscriptis ejus operum. Fuit Metropolita Amidae, veteris et famosae urbis, de qua Graeci et Latini veteres, *No. 260.* sitae ad Tigrim, quae posterioribus saeculis Caramit, sive Kara-Amid hoc est Nigra a Turcis dicta est. De ea Abulfeda, et alii Arabes Geographi, qui eam Metropolin esse dicunt Provinciae illius, quae Diarbekir appellatur, partemque veteris Mesopotamiae continet. De ea urbe multa erudite scripsit Jacobus Golius in notis ad Alfraganum. *p. 233. 239. etc.* Magna Dionysius inter suos doctrinae et pietatis fama commendatur, vixque ullus est inter posteriores Theologos, cujus testimonia frequentius occurrant. Erat sane illa dignus, non modo quod multa scripserit, verum etiam quod ejus scripta non mediocrem rerum sacrarum peritiam demonstrent, tum quod in lectione sanctorum Patrum versatissimum eum fuisse, et disciplinae Ecclesiasticae veteris peritum agnoscatur. Scripsit autem prolixum Commentarium in quatuor Evangelia, cujus duo exemplaria extant in Bibliotheca Colbertina. In alios quoque Novi Testamenti libros commentatum illud fuisse, probant testimonia hujus operis a Pocockio citata, in notis ad Epistolas Catholicas Syriace a se editas, et ab aliis autoribus: sed illa opera non vidimus. Commentarium in Liturgiam Syriacam sancti Jacobi, quo frequenter usi sumus, quemque Ignatio Metropolitae Hierosolymitano direxit. Tractatum de suscipiendis poenitentibus, cum collectione Canonum Poenitentialium ab Episcopis Mesopotamenis constitutorum ex communi consilio, in quibus nova, praesertim circa Ecclesiasticorum poenitentiam disciplina praescribitur. Orationes varias etiam collegit aut composuit super poenitentes recitandas. Tractatum de variis Ecclesiae ritibus, iis praesertim, qui spectant ad Eucharistiae celebrationem. Citat ipse Tractatum adversus Armenos: alium vidimus adversus Nestorianos. Tractatum de Feria V. majori sive de institutione Eucharistiae, et alia quae ad manus nostras non pervenerunt. In omnibus libris frequenter propugnat Monophysitarum opinionem adversus Calchedonenses, ita enim ubique vocat Orthodoxos. Existimavit Faustus Naironus illum ex primis Jacobitarum doctoribus, qui paulo post Calchedonense Concilium scripserint fuisse: sed fallitur. Nam in Epistola, Commentario in Liturgiam praemissa ad Ignatium Hierosolymitanum Metropolitanum, scribit illum a se postulasse ut interpretationem Liturgiae mitteret, ex antiquis collectam, ut haberet quid Rumaeis, sive Francis responderet. Igitur Franci urbem sanctam adhuc obtinebant.

Expugnata autem illa est anno Christi MXCIX. Hegirae CCCCXCII. eam anno MCLXXXVII. recepit Salaheddinus: Dionysium intra hos nonaginta et aliquot annos vixisse verisimile est, potius quam brevi illo intervallo ab anno Christi MCCXXVIII. Hegirae DCXXVI. usque ad annum MCCXLIV. Hegirae DCXLII. quo restituta per inducias, aliquamdiu in Francorum potestate fuit.

2. *Panem quem accepit benedixit, etc.*

IDEM hoc loco vitium est ac in una ex Liturgiis Petro adscriptis, et in una aut altera alia: idcirco quae ad illam priorem observata sunt, huic quoque Liturgiae conveniunt, et potiori quodam jure. Barsalibium quippe, cum in Commentario suo docuerit, sacerdotem verba Christi tanquam ex ejus persona pronunciare, eadem ex Liturgia sua sustulisse non est verisimile, praesertim contra tot aliarum formam, quae ignota illi esse non poterat, nam de aliis Liturgiis loquitur in operis sui fine. Ita verba Christi omissa fuisse videntur librariorum potius culpa, quam autoris certo consilio, qui eadem si parum necessaria existimasset, contradixisset ipse sibi, quod de insigni Theologo nemo facile suspicabitur. Brevitas hujus Liturgiae facit, ut eam a Barsalibio compositam judicemus, eo fine, ut cum Baptismus moribundo infanti administrandus esset, haberent sacerdotes formam quam sequerentur, ne dum ut ipsis praecipitur per varias Constitutiones, Officium in breviores orationes contrahunt, necessarias quasdam omitterent. Ita factum fuit a Gregorio illo Catholico qui Jacobi Liturgiam breviorem dedit, quae edita est a nobis superius. Id autem a Barsalibio praestari potuit, non modo quod Metropolita cum esset, tale jus habebat: verum quod praecipua ob rerum sacrarum peritiam, esset ejus inter suos autoritas, non minus id publico consilio facere poterat, quam Canones, et poenitentiae imponendae relaxandaeque formam praescribere, ut fecisse eum superius observavimus. Cum igitur in breviori simili Liturgiae forma, per compendium sacra verba designata fuissent, petenda aliunde, et Sacerdotibus notissima, omitti potuerunt a librario imperito, cujus peccatum reliquis fraudi fuit. Nam quod existimavit Ricardus Simon, causam illius omissionis in ista, et paucis aliis Liturgiis, esse quod Orientales totam consecrationis vim Invocationi Spiritus sancti tribuant, non Christi verbis, alibi plene confutavimus, nec ullum habet in Theologia Orientali praesidium.

p. 16. Edita est haec Liturgia in Missali Chaldaico, titulo *sancti Domini Dionysii*, quamvis Gabriel Sionita autorem Barsalibium agnovisset, in Epistola ad Bartoldum Nihusium, quod confirmant Codices MSS. Magna igitur nec excusanda est Maronitarum qui editioni praefuerunt negligentia aut inscitia, qui Liturgiam hominis Jacobitae, inter alias selegerunt, ut in Missali quo solo Orthodoxis uti liceret, locum teneret. Illa tamen ab ipsis tam in forma verborum Christi, quam Invocatione Spiritus sancti est interpolata.

LITURGIA

GREGORII I. CATHOLICI ORIENTIS,

QUI ABULFARAGIUS ET BAR-HEBRI DICTUS EST.

Oratio ante Pacem.

Domine Deus virtutum fortis, omnipotens et bellator, qui per caritatem tuam pace reples, qui per gratiam tuam confirmas in pace: qui cum essemus in nihilo, dedisti nobis ut essemus, et per Filium tuum dilectum, qui genitus ex te est ab aeterno, innovasti naturam nostram creatam, salute nobis praestita, iram etiam adversus nos compescuisti, seruistique in nobis et ad nos invicem, tranquillitatem, caritatem, et concordiam. Tu nunc Domine qui amas tranquillitatem, et qui pace delectaris, largire nobis ut simus Filii caritatis et tranquillitatis. Conjunge nos omnes illo benevolentiae vinculo, quale necessarium est ad conservandam compagem et concordiam membrorum corporis Ecclesiastici. Averte a nobis omnem dolum, divisionem, cordis duplicitatem, linguamque infraenatam et loquentem magnifica. Da etiam nobis ut amplectentes invicem, in spiritu humili, accipiamus monetam signo vitae impressam, quam docuit nos, qui vitam nobis praestitit Christus Jesus Dominus noster, et pari ratione imaginem, ad exemplar exactum lenitatis regis nostri delineatam, spiritu humili et anima pura, unio nostra exprimat, constricta vinculis caritatis et dilectionis indissolubilis, tam tecum, quam inter nos invicem, per eum ipsum largitorem tranquillitatis, qui et ipsa tranquillitas est, unigenitum Filium tuum, cum quo te decet gloria et honor simul cum Spiritu tuo sancto nunc, etc.

Populus. Amen.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Diaconus. Det unusquisque pacem.
Populus. Unusquisque.
Diaconus. Post.

Sacerdos inclinatus. Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine potens, qui omnia sanctificas per sanctitatem. Sanctus Pater sanctus, qui es origo sanctitatis. Sanctus Filius sanctus, qui es effector sanctitatis. Sanctus Spiritus sanctus, qui es fons sanctitatis, sanctifica nos per sancta tua, o sanctificator Sanctorum; munda nos per puritatem, mundator eorum qui minus puri sunt, et praesta nobis ut cum puritate, mereamur initiari mysteriis illius, qui ex immenso pelago bonitatis suae communicavit nobis mysteria sua, et deduxit nos ad imaginem regiam, immolans nobis taurum saginatum: et potavit nos potu suo, potu vitae, quem paravit nobis super prata pinguia fortitudinis spiritualiter: ipse Filius Christus Deus verus.

Sacerdos elevans vocem. Qui cum voluntarie homo factus esset, atque humana omnia, excepto peccato, perfecisset, non tamen in gloria sua immutationem passus est, neque divinitas ejus periit, sed ditavit humanitatem nostram divinitate sua: et factus est homo perfectus, cum esset Deus perfectus, ita ut esset utrumque, non duo aut plura, sed utrumque, per susceptionem humanae naturae, Verbum scilicet caro factum existens. Qui cum totam dispensationem suam voluntarie adimplevisset, et ad passionem voluntariam, et vivificam, sed non meritam veniret, typum magnum et spem vitae tradidit nobis, panem [3] scilicet qui factus erat corpus suum sanctum, manibus sanctis ante oculos turbae discipulorum suorum piorum accepit, et oculis in coelum elevatis aspiciens, et te Deus Pater intuens, tibi gratias egit, [4] † benedixit, † sanctificavit, † fregit, et cum edisset, dedit discipulis suis sanctis, et dixit, accipite, edite ex eo. Hoc est corpus meum, ipsum quod pro vobis et pro multis in me credentibus frangitur et dividitur ad expiationem delictorum, et remissionem peccatorum, vitamque novam in aeternum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et vinum, quod perfectum erat sanguis ejus propitiatorius, post coenam illam mysticam, cum aqua temperate miscuisset, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † deditque turbae Apostolorum sanctorum, et dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus qui pro vobis et pro multis in me credentibus effunditur, et datur, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam novam in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et cum mysterium hoc tradidisset coetui discipulo-

rum suorum, admonuit eos, praecepitque eis, dicens: mysterium hoc perpetuo perficite: quia cum panem hunc manducabitis, et mistum quod in hoc calice est bibetis, memoriam mortis et resurrectionis meae facietis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine, etc.

Sacerdos. Sed etiam totam tuam dispensationem, Verbum Deus, caro factum, commemoramus, non perfunctorie, non negligenter aut otiose, sed animo attente perpendentes et diligenter considerantes, miramur et stupore afficimur; maxime vero laetamur et exultamus, non ita tamen quin timeamus et contremiscamus, in unum quodque attentius inspicientes, et singula quae pro salute nostra facta sunt animo versantes. Annunciationem quae suscitavit spem salutis: gestationem in utero tuam propitiatoriam; nativitatem ex Virgine, depositionem in praesepio, involutionem inter pannos, gestationem super genua, nutritionem ex lacte, incrementum aetatis cum gratia, oblationem ad templum, baptismum praeclarum et plenum lumine, benevolentiam Patris declaratam, irradiationem spiritus, tentationem in deserto, triplicem victoriam, sanationes admirabiles, virtutes praeclaras et divinas, operationes Deo dignas, beneficia per gratiam praestita, mysterium illud mysteriis plenum, fraudem discipuli, pecuniam iniquitatis, osculum dolosum, impudentiam audacissimam, flagellationem vituperosam, ascensionem ad crucem voluntariam, acetum et myrrham: transmutationem naturarum, tremorem elementorum, vocem petrarum, scissionem templi, fluxum sanguinis et aquae, descensionem de cruce, depositionem in monumento novo, annunciationem Resurrectionis factam, Resurrectionem a mortuis tertia die, Ascensionem in coelum, consolationem secundam, sessionem ad dexteram Patris, potestatem datam tibi qui consubstantialis es Patri, adventus secundi tonitru validum, gloriam crucis magnam, tribunalium ordinationem, judicium aequum et rectum, retributionem praeparatam, fiduciam ablatam, linguam obmutescentem, vultum dejectum, caput inclinatum, operum publicam manifestationem, pudorem ex verbis, separationem agnorum ab haedis, severam accusationem, gehennam incessabilem, ignem ardentem et non splendentem, tenebras exteriores, manuum colligationes, vermem qui non moritur, stridorem dentium, poenitudinem quae dolores auget: voluptates summas, convivia illa coelestia, coetus Angelorum, vitam spiritualem, habitacula beata, tabernacula lucida, generationes sacerdotales, contemplationes apertas, eo die quo

tu librum aperies, operaque singulorum nostra, et verba examinaturus: propitius esto nobis, clemens Domine, neque in judicium strictius intres nobiscum; aufer Domine peccata nostra, per mare misericordiae tuae, et multiplica erga nos clementiam tuam. Ablue Domine defectus nostros per abundantem gratiam tuam, contrahe Domine justitiam tuam, et affulgere fac super nos clementiam tuam: ne amare defleamus cum errantibus qui non noverunt nomen tuum, neque funestam mortem obeamus, cum illis qui contempserunt passiones tuas. Ne dissecentur membra nostra propter odiosam operum nostrorum nequitiam: ne incidamus in ignem urentem et tenebrosissimum: ne dominetur in nos vermis, et corrodat abominationes nostras: ne prae tormentorum magnitudine ejulemus, ne clamemus prae dolore: ne ejiciamur cum iis qui ejiciuntur: ne constringamur vinculis durissimis, sed statue nos ad lumen vultus tui: confitere nos qui confessi sumus te. Adjunge nos agminibus tuis: numera nos inter ordines tuos, praepara nobis habitacula tua: illumina nos lumine vultus tui. Quia confessi sumus te, confitere nos: et quia non abnegavimus te, parce nobis. Ea propter Ecclesia tua redempta sanguine tuo, deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Populus. Orate.

Sacerdos dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Miserere nobis Deus Pater omnipotens, et mitte super nos et super oblationes istas propositas, Spiritum tuum sanctum, qui tibi aequalis est gloria et potestate, aequalisque secundum substantiam, naturam, et dignitatem: qui in Prophetis sanctis locutus est, et Apostolos divinos doctrina instruxit, ipse veniat et illabatur super has oblationes: et custodi in nobis plenitudinem praedicationis Evangelicae.

Populus. Orate, etc.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Ut illabatur et efficiat panem istum, ipsum inquam hunc, corpus Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et hoc ipsum illud mistum quod est in hoc calice, ipsum sanguinem Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos autem efficiat puros, ita ut mereamur accedere ad montem sanctum, neque lapidibus obruamur ut bruta animalia, propter opera nostra passionibus obnoxia. Sed ad montem ascendamus, in medio nubis simus, participatione mysteriorum sanctorum perfruamur, et familiaritate beata gaudeamus, atque in habitatione Angelicorum Ordinum reperiamur, ut cum electorum tuorum congregatione locum habeamus, sanctitatemque et puritatem tam animae quam corporis consequamur: ut etiam confirmationem Ecclesiae sanctae, quae sanguine propitiatorio salvata est, et super petram fidei constabilita, ut ab omnibus, et per omnia, gloriam, honorem, et exaltationem referamus tibi Patri, Filio, et Spiritui sancto, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Suscipe Domine sacrificium hoc nostrum, quod [5] mente et animo tibi offertur, pro Sion sancta, matre omnium Ecclesiarum, et pro Ecclesiis tuis sanctis quae in toto orbe sunt, et pro ordine primario Pastorum, Sacerdotum, et Rectorum ejus: pro venia et quiete filiorum ejus, pro conservatione filiorum ejus, per gratiam tuam, visita nos omnes, in omnibus.

Sacerdos elevans vocem. Quia ex te procedit et oritur omne bonum, et omne donum perfectum, omnis contemplatio suavis, omnes visitationes perfectae, omnis abundans benedictio, omne gaudium, et omnis exultatio, omnis virtus et fortitudo, omne robur ad praeliandum, omnis insipientiarum abstersio, omnis condonatio praevaricationum: propter quae, et pro omnibus gloriam amplissimam referimus tibi, Deus Pater, et Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Exaudi, Domine, per intercessionem meam, omnes qui invocant te: omnes qui variis tentationum generibus graviter affliguntur: illos qui omni genere spinarum et sentium hujus mundi iniquitatis involuti laborant, libera, et salutem ipsis concede. Adjuva etiam eos qui curam gerunt Ecclesiae tuae sanctae. Memento patrum et fratrum nostrorum, et eorum qui ad te migraverunt, et eorum qui spirant sub cura et protectione tua: ut etiam eo-

rum qui orationem nostram petierunt: unicuique concede Domine quidquid ad auxilium pertinet, et ad deducendum in habitacula tua.

Sacerdos elevans vocem. Per eamdem misericordiam tuam essentialem, largire nobis quae a te petimus tam parva quam magna. Audi nos, quamvis te imbecille invocamus: aperi nobis quantum libet indignis: adjuva nos quanquam insipienter egimus: confirma nos, quandoquidem perseveranter pulsamus: miserere nobis licet indigni simus: conforta nos robore, quamvis audaciores simus. Parce peccatoribus, dimitte insipienter agentibus: adduc in unum divisos, reduc ad concordiam dissidentes: errantes revoca, erige eos qui ceciderunt: orphanos necessariis rebus instrue: praesta egenis abundantiam, et captivos in libertatem restitue. Extende Domine manum tuam in excelsum: consolare advenas: animum inspira illis qui te confessi sunt recte, et etiam confitentur. Suscipe quoque oblationes illorum, et omnium eorum qui tibi noti sunt, licet sint nobis ignoti; quia tu misericors es, et amans misericordiam: tibique gloriam et laudem referimus, et Filio, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Concede Domine populo tuo et haereditati tuae tempora abundantia pace; et da illis tranquillitatem. Conserva hunc mundum, et habitantes in eo, a malo et potestate ejus, et omnia genera adversitatum depelle a creatura tua. Benedic coronae anni, et omnem circularem ejusdem anni decursum benedic. Praesta memoriam bonam Regibus et Reginis Deum timentibus, da illis victoriam [6] adversus eos qui bello illos aggrediuntur.

Sacerdos elevans vocem. Quia tu Domine curam habes, et omnium semper tibi providentia est: Deusque noster verus es, et Rex noster potens et bellator. Idcirco per te quaerimus salutem, et apud te clamamus et gemimus. Salva nos Rex noster, Rex Regum, ut nunquam subjiciamur regno tyrannico Pharaonis illius spiritualis, neque dominorum acerborum luti et lateris, qui nos quacumque hora servituti subjiciant. Reduc nobis Domine regnum tuum, et adjuva nos per gratiam tuam; confirma etiam Reges nostros qui veritatem firmiter tenent. Libera nos a tempestate et damnis, ab omnibus tentationibus difficilibus, a manibus violentis et pedibus alienis, ab omnibus rebellionibus perniciosis bellisque vastitatem inducentibus, et ab omnibus plagis et percussionibus furore mistis. Da nobis Domine per gratiam tuam, tempora tranquilla, pluvias opportunas et

laetas: segetes benedictionibus aequales: satietatem fami nostrae, et alimentum necessarium indigentiae nostrae, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem, et Filio, et Spiritui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Recordare Domine omnium Sanctorum tuorum in sanctuario tuo sancto; quia tu sanctus es, et Sanctorum sanctificator. Praecipue vero semper Virginis Beatae genitricis Dei Mariae: Joannis etiam praeconis tui, Stephani Martyris, et omnium Sanctorum amicorum tuorum.

Elevans vocem. Per orationes electorum tuorum, per precationes dilectorum tuorum, per deprecationem Athletarum tuorum, per gemitus Sanctorum Domine, per confidentiam Sanctorum tuorum, memento totius exercitus amicorum tuorum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Solitariorum, Religiosorum, Ascetarum, eorum qui in desertis, agris, et speluncis vixerunt, et adjunge nos Domine, ordinibus eorum: accense nos inter coetus eorum, statue nos inter exercitus eorum, ut cum illis inter eos, et ad eorum exemplum, referamus tibi gloriam, et gratiarum actionem, et Filio, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Dignos effice convivio tuo beato Doctores probatos, confirmatores fidei, illuminatores rerum abstrusarum, omnes Sanctos tuos; inter alios vero praecipue, Ignatium, Dionysium, Athanasium, Cyrillum, Severum, et reliquos Patres Orthodoxos, qui expedite, et cum summa caritate pugnaverunt pro Verbo veritatis, neque ullatenus virtutem animi in se imminutam experti sunt.

Elevans vocem. Quia tu retributor justus es, et mercedem tribuens, illis etiam qui una hora laboraverunt in vinea tua. Memento igitur, Domine, operariorum tuorum spiritualium: luminum quae illustraverunt Ecclesiam tuam sanctam: salis puri et purificantis Evangelii tui divini: columbarum perfectarum, quae retia mendacii vicerunt: agnorum purorum, qui coeperunt lupos hostiliter irruentes: eorum qui veritatem portaverunt, qui praedicaverunt Evangelium tuum, qui persecutionem passi sunt, propter nomen tuum, qui sustinuerunt aestum diei et frigus: eorum qui a mane usque ad vesperum laboraverunt et extirpaverunt zizania ex agro tuo: qui plantaverunt in paradiso arbores ferentes fructus justitiae: qui potaverunt flumine Theologiae sitientes gregis tui: qui ejecerunt ex Ecclesia tua omnes haereses

impietate permistas, et pericula sustinuerunt propter veritatem tuam. Illorum memento, Domine, et effice ut ipsis similes evadamus, ut in mensa quam nobis paraverunt, hora quacumque epulemur, et cum illis potu vitae quem praeparaverunt nobis, satiemur, ut agminibus eorum sociati, et inter coetus eorum floreamus, hymnosque gloriae canamus tibi, Domine, et Filio, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Per oblationem hanc plenam vitae, et per sacrificium hoc sanctum, praesta Domine memoriam bonam omnibus defunctis fidelibus, filiis Ecclesiae sanctae Orthodoxae, ad altare tuum spirituale, et coelis excelsius, concedens illis veniam delictorum et remissionem peccatorum; praecipue vero *N. N. N.*

Sacerdos elevans vocem. Quia tu remunerator aequus es, vivorum et mortuorum, atque in manibus tuis positi sunt spiritus omnis carnis. Te rogamus Domine pro omnibus, qui jussu tuo ex vita hac temporali soluti sunt, qui in fide orthodoxa migraverunt, ut memineris eorum per misericordiam tuam, et exaudias etiam preces nostras pro illis, neque negligas deprecationem nostram illorum causa, quia ad imaginem regiam tuam creati sunt, sed parce illis per gratiam tuam, ignosce illis secundum clementiam tuam: induc illos in tabernaculum tuum, dirige eos ad te, adjunge illos ordinibus militiae coelestis, ubi hymnis celebratur, et glorificatur unigenitus Filius tuus, et hymno in circulum redeunte honoratur et extollitur. Secundum promissiones ejus ad nos factas, speramus misericordiam consequi, et remissionem peccatorum, tam nobis quam ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Tu qui abscondita cognoscis, et latentia investigas: qui dimittis ea quae insipienter commissa sunt, et condonas praevaricationes: Domine per clementiam et misericordiam tuam, aufer a nobis jugum peccatorum nostrorum, et amove per gratiam tuam sarcinas et onera insipientiarum nostrarum, voluntariarum aut involuntariarum, notarum et ignotarum, manifestarum et secretarum, praesentis et antiqui temporis, et conserva nos a peccatis in futurum, dignos efficiens nos Domine fine christiano, et ab omni criminum reatu libero; atque in habitaculis aeternis lucis supremae nos collocans, et cum agnis ad dexteram tuam statuendis nos ordinans, cum ordinibus Sanctorum tuorum nos adjungens, et in habitaculis piorum tuorum, ubi et quando tibi placebit nos constituens: ut in hoc sicut

et in omnibus glorificetur, et laudetur nomen tuum, simulque Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Sicut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Doctrinam vivificam, et Evangelium laetitiae, quod docuit nos unigenitus Filius tuus, ipse splendor verus ex te lumine vero; ipse virtus et sapientia tua, mens aeterna et infinita, brachium et fortitudo tua, robur et potentia tua, mare immensum neque commensurabile tuum, abyssus imperscrutabilis, opifex omnium, a quo universorum causa est: principium omnium sed absque principio: quia ipse principium, et causa omnium es, super tabulas cordis nostri suscipimus, menteque et cogitatione ad te confugimus, et adorationem mentis, tibi Pater vere Filii veri offerimus: et cum fiducia quam dedit nobis Filius qui datus est nobis, audemus invocare te Deum Patrem coelestem, orantes, clamantes, et dicentes: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum.

Sacerdos. Adveniat Domine regnum tuum, et liberet nos a maligno, quia haec est voluntas tua: immunes nos praestet a tentationibus violentis, detque nobis ut vivamus secundum voluntatem tuam, dimittasque nobis per clementiam tuam peccata, et malefacta nostra, et concedas nobis ut nos etiam dimittamus debitoribus nostris, eripiamurque ab insidiis inimici, quia tu es Rex Regum, et Dominus Dominantium, et tibi flectitur omne genu, coelestium et terrestrium, teque decet omnis gloria, honor, et imperium, cum Filio, et Spiritu sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Inclinamus colla nostra tam animarum quam corporum, expectamusque misericordiam paternam; ut ex fonte regnoque

perenni effundatur super nos gratia quae a te est, nos et illos dignos efficiens mysteriis tuis vivificantibus, venia delictorum, remissione peccatorum, fiducia coram te, et consistentia ad dexteram tuam, ut laetitia perfusi, vultu splendido, lingua detersa, animabusque laetantibus, labiisque non errantibus, gloriam et laudem referamus tibi, et Filio, et Spiritui sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus, etc.

Sacerdos. Unus Pater sanctus etc.

Diaconus. In oblationibus, etc.

Sacerdos. Gloria tibi, etc.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Gratias agimus bonitati tuae, Deus noster clemens, et benigne, secundum capacitatem tenuitatis nostrae, pro munere convivii hujus spiritualis, quo nos laute et abundanter excepisti, atque etiam inebriasti, et revelasti nobis mysterium illud mannae, quod designabat panem illum qui confortat cor hominis interioris: ut etiam typum dedisti nobis in sanguine agni qui exterminatorem prohibebat, misti hujus ex poculo laetitiae et exultationis, cum abundantia, et exquisita illa convivii magnificentia regia. Et nunc cum convivio illo refecti sumus, et in pratis illis amoenis delectati, propheticum in morem clamamus et dicimus: Quid retribuemus Domino Deo pro omnibus quibus nos muneratus est? Gratias agimus tibi Domine, et eas amplissimas: munera quidem quibus tua digne compensemus, nobis desunt. Suscipe igitur, Domine, gratiarum actionem, quam ex anima et corpore nostro offerimus, tanquam duo minuta viduae, omnibus facultatibus destitutae, propter [7] munus illud duplex, quod duplicibus dedisti, quamvis tamen unum sit et unius typum exhibeat. Concede nobis veniam delictorum, remissionem peccatorum, et fiduciam coram unigenito Filio tuo, cum quo te decet omnis gloria, honor, et adoratio, et cum Spiritu tuo, vivo et sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Nunc Domine quandoquidem per gratiam tuam incomprehensibilem, praestitisti nobis ut communicaremus huic mysterio divino, et divinos faciente, utque nobis uniretur corpus hoc, quod est corpus tuum sanctum, et sanguis hic, qui est sanguis tuus propitiatorius, ne condemnes nos in die revelationis tuae, sponse coelestis Christe; neque facias nos alienos a plena perfectaque voluptate convivii tui spiritualis: neque ab illo bono spirituali: tu qui arrhabonem vitae dedisti nobis, corpus sanguinemque tuum sanctum. Verum per gratiam tuam, parce nobis Domine, neque repellas nos ab accubitu tuo, quamvis induti vestibus sordidis ausi sumus accedere ad sancta tua. Tu enim ipse es Domine qui pro peccatoribus incarnatus es, et cum publicanis conversatus, veniam illis concessisti. Nos quoque Domine illi sumus, qui te confessi fuimus, neque nomen tuum abnegavimus: sed quia operibus nostris deturpati sumus, parce nobis o bone, ignosce nobis o misericors: ne in gehennam tradas nos, cum corpus tuum et sanguis tuus, in membris nostris, in corporibus, et animabus nostris abscondita sint: sed depellatur ignis odore alimoniae illius deificae: obtundatur acies gladii versatilis, a figura imaginis tuae sanctae, quia tibi gloriam referimus, o pictor peritissime, et Patri tuo opifici admirabili, et Spiritui sancto plasmatori perfecto, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Deus benedic omnibus nobis.

IN LITURGIAM GREGORII ABULFARAGII

NOTAE.

1. Autor hujus Liturgiae, is ipse qui ex Historia Dynastiarum Arabice et Latine ab Eduardo Pocockio Oxonii 1666. edita, notissimus est. Sed

quamvis de eo doctissimus interpres satis copiose praefatus fuerit, plura tamen de eo habemus et certiora. Natus est Gregorius Melitinae, quam Arabes Malatiam vocant, anno Seleucidarum seu Alexandri MDXXXVII. qui respondet an J. C. MCCXXV. parentibus Christianis: Michaelis Patriarchae Antiocheni, ex fratre nepos ut notatur in Cod. Colbertino. Medici ut multi tradunt filius fuit; qua in arte non minus apud suos quam ex Philosophiae summa peritia inclaruit, editis de ea multis voluminibus. *Bar-Hebri*, sive *Hebri filius* aut *Bar-Hebraeus*, ut eum saepe vocavit Abraham Echellensis, appellatus etiam est, cujus cognominis rationem ne conjectando quidem assequi se posse affirmat Pocockius. Cur ita cognominatus fuerit aeque cum eo nescimus, sed ita cognominatum fuisse certum est, cum in Codd. plusquam triginta ejus operum Regiis, Mediceis, Colbertinis, ita scriptum reperiatur. Alios ejus titulos, qui non nisi laudes continent, quarum avari non sunt Orientales, praeterimus, cum nihil ad rem pertineant, unum excipimus מפ̈רינא דמדנחא *Mofrian Orientis*, quem Pocockius vertit *Doctor Orientis*. At titulus erat dignitatis Ecclesiasticae inter Jacobitas Syros post Patriarchalem praecipuae, et Metropolitica superioris: alias Catholicos eos appellabant. Successerant porro illi Antistites Catholicis Seleuciae et Ctesiphontis, qui aliter dicti sunt Catholici Persidis et Armeniae, quae suum deinde habuit Catholicum, eum scilicet qui honoris gratia Patriarcha appellatur. At cum Nestoriani sedem Seleuciae et Ctesiphontis sub ultimis Persarum regibus occupassent et in ea caput sectae suae, supremumque Antistitem constituissent, et amplissima ante alios Christianos primi obtinuissent privilegia a Muhamedanis Principibus, abstinuerunt aliquando Syri a nomine Catholici, ita forte satagentibus Nestorianis, ne nomen honoris communicaretur Jacobitarum Antistitibus, vel ex sectae odio. Itaque *Mofrian* vocatus est, neque Antiochiae, ubi Patriarcha integram autoritatem habebat, sed Takritae in Armeniae finibus, vulgo sedem habuit. Eam igitur dignitatem sustinuit in Ecclesia Jacobitica Gregorius, magna cum laude, editis operibus variis circa fidem et disciplinam Ecclesiasticam, quam magnopere illustravit. Obiit autem anno Graecorum MDXCVII. J. C. MCCLXXXV. Maragae, quae est urbs in Aderbijana celebris, est autem Aderbijana in veteri Media: relatumque cadaver ad Monasterium S. Mathaei, ibi sepultum est. Haec habuimus ex Codice optimo Mediceo, qui ab aetate autoris non multum distare nobis visus est. Quod dubitavit Pocockius an idem Gregorius, quia *Abulfergius* sive ut ipse scribit, *Abulfaragius*, etiam vocabatur, idem fuerit qui *Ebnel-Taib* dictus est, absque alio argumento fecit praeterquam nominis similitudine; is enim et antiquior fuit, et in Nestoriana secta non minus celebris, quam noster in sua Jacobitica. Extant adhuc opera istius nonnulla Arabice de Religione Christiana, et ad sectae suae dogmata vindicanda. Tum Commentarius in Evangelia, quem tanti fecerunt Jacobitae, ut, licet perpetui Nestorianorum hostes, illum Arabice transtulerint, nonnullis resectis, ut testatur Abulbircat. Extat in Bibliotheca Seguieriana. Recensuisse etiam dicitur versionem Arabicam sacrorum Bibliorum ex Syriaca factam: imo ex Praefatione ad ver-

sionem eadem lingua in Polyglottis Parisiensibus editam, quae reperitur in Cod. MS. Colbertino, ea ipsum Abulfergium autorem habere dicitur. Alius etiam omnino fuit is, quem *Ebn-Elkof* vocant.

Quod ex Ebn Chalican refert Pocockius, de ejus fama doctrinae, etiam apud Muhamedanos, constat ex variis autorum testimoniis: de ejus ad Muhamedanam perfidiam apostasia censemus mendacium esse nugacissimum, quod unico argumento satis refellitur. Sepultus est enim in Monasterio: quam sepulturam, ut Christiani apostatae non concessissent, ita infidelibus maximam habuisset turpitudinis notam. Sed etiam si ita scripsisset Ebn Chalican, exigua circa res Christianorum fides ejus erit apud omnes, qui crassae et plusquam anilis in sua secta superstitionis vestigia in ejus historia passim observarunt. Nihil ex titulo *Patris Sancti, et Antistitis Christianorum,* colligi posset, si calumniae istius color aliquis foret: neque enim illis verbis fides aut mores hominis commendabantur, sed dignitas quam in Ecclesia sua obtinebat significabatur.

Multa porro Abulfaragius scripsit; praeter Grammaticam linguae Syriacae, et Historiam quae sola Pocockius viderat. Ea autem ejus opera vidimus.

Grammatica Syriaca amplissima, cui adjuncta est Ars metrica, Syriace ab autore scripta, et Arabice ab ipso, ut existimari potest, autore conversa extat: in Bibl. Colbertina et in Medicea.

Grammaticae compendium satis prolixum, secundum Dialectum Edessenam, quae Nisibena purior fuisse dicitur: Syriace in Medicea.

Compendium Philosophiae Aristotelicae secundum librorum Aristotelis ordinem cum eorum Epitome Syriace, ibidem.

Compendium Logicae Syriace, in eadem Medicea.

Philosophia integra Syriace 2 vol., in eadem.

Compendium Astronomiae et Cosmographiae Syriace in Regia.

Sermones Ethici et Philosophici Syriace in Medicea.

Quae ad Christianam Religionem spectant sunt. *Demonstrationes intellectuales*, seu expositio et demonstratio Religionis Christianae. Extat Arabice charactere Syriaco in Bibl. Regia.

Thesaurus Mysteriorum, in quo multi sacrae Scripturae loci explicantur, non modo secundum literam ex LXX. Interpretum, Aquilae, Symmachi et aliorum versionibus, sed etiam secundum doctrinam SS. Patrum Graecorum et Syrorum, quos inter adducuntur Moses Barcepha, Joannes Darensis, et Dionysius Barsalibi. Extat in Bib. Medicea Arabice charactere Syriaco.

Collectio Canonum et Constitutionum Civilis Juris per locos communes, opus eximium. Extat Syriace elegantissime scripta in Bib. Colbertina, ut ibidem totius operis versio Arabica. Reperitur etiam in Medicea.

Historia Dynastiarum extat in variis Bibliothecis, et jam est in omnium manibus per editionem. Eam autor Syriace etiam scripserat, ut nota Codicis Medicei docet. Ejus operis Epitomen habet alter Codex illius Bibliothecae. Sunt alia quae ad notitiam nostram non pervenerunt.

Quod porro Liturgiam scripserit, potuit id secundum Jacobitarum morem, in prima post Antiochenum Patriarcham Ecclesiastica dignitate constitutus: cum ex multorum exemplo constet Metropolitas, imo et Episcopos sacras preces, et eas quae ad sacrificium Eucharisticum spectant pleno jure ordinasse. Unde inter tam multas Syriacas Liturgias ne una quidem occurrit, ab aliis quam Patriarchis aut Episcopis scripta, quae observatio maximi ad illarum origines agnoscendas, momenti est.

Istam porro genuinam esse et a Syris Jacobitis receptam probat MSS. Codd. consensus in quorum plerisque sat vetustis reperitur. Habet illa ut nonnullae similes a recentioribus autoribus scriptae, floridum illum orationis colorem, a quo veteres absunt longissime, cum simplicissimus ubique stilus appareat. Sed cum Gregorius Syriacae linguae suae peritissimus foret, illius divitias in opere sacro impendere dum satagit, obscurus saepe est, unde quaedam pressius exprimere, quod quantum in nobis fuit conati sumus, difficile erat: sententiam reddidimus, quae cum ejusdem generis Officiis accurate convenire deprehendetur. Stilus porro ille qui plerisque Orientalibus Liturgiis communis est: in ista praecipue agnoscitur: sed ita tamen ut inter magnam verborum abundantiam et varietatem verae Theologiae simplicitas agnoscatur. Omnia enim orationis lumina quibus Orientales potissimum delectantur, ex scriptura sacra desumta sunt, aut ad locos ejus aliquot referuntur: et in illis exprimendis divitias omnes Syriacae linguae, quae uberrima est, profundunt: quod majores nostros in Latina Ecclesia aliquando fecisse videmus, tum in variis Praefationibus quae extant in Missalibus Gothico, Gallicano et Romano veteri, tum in quibusdam singularibus sacramentorum Officiis, et in Benedictione Paschalis cerei. Erat quoque apud Orientales quaedam ex orationis elegantia utilitas: illo enim eloquentiae colore mirifice capiuntur Arabes, qui totam Asiam armis obtinuerunt: et esse inter Christianos qui ad illum elegantiae gradum pervenirent, satagebant Episcopi cum aditus ad aulica ministeria saepe ita aperiretur suis hominibus, qui postea autoritate sua, Ecclesiis opem afferebant: saepe tamen maximarum turbarum causam dederunt ut passim in Historia Alexandrina observare licet.

2. In Oratione quam Sacerdos pronunciat ante hymnum triumphalem, longa et obscura est Ordinum coelestium cum Ecclesiasticis comparatio, in qua plus rhetorices Orientalis est, quam Theologiae. Eam quae de Angelis est, Orientales hauserunt ex libris de coelesti Hierarchia quos Dionysii Areopagitae esse non dubitant. Quidquid praeterea in scripturis extat de visione Isaïae, et Ezechielis, eo loco congerere solent ut beatorum Spirituum diversa nomina, sublimesque operationes exprimant, ut ad hymnum, *sanctus* perveniatur. Omnia igitur haec et similia quae passim occurrunt figurate dicta, nec aliter sunt intelligenda.

3. *Panem qui factus erat corpus suum.*

Aliqua hic obscuritas est in oratione Syriaca: cum enim Syri, et plerique Orientales modum temporis plusquamperfecti non habeant, verti po-

test, *qui factus erat,* aut qui *factus est corpus suum:* unde significatio duplex nascitur: prima quod cum Christus discipulis dixit *Hoc est corpus meum, etc.* panis jam erat factus corpus Christi: altera, quod factus sit postea corpus Christi. Neutra sententia quidquam habere videtur vitii: neque enim certum est verbis illis, Christum consecrasse panis et vini elementa: cum multis Theologis placeat, autorem institutoremque Sacramentorum, sola omnipotentia consecrationem perfecisse: cum vero illa verba pronuntiavit, certum est transmutata tunc fuisse in corpus Christi et sanguinem. De momento consecrationis, aut illius forma nihil cogitasse Gregorium eo certius est, quod de tali quaestione nulla unquam inter Orientales controversia fuit.

4. *Cum edisset.*

Ita quaedam Syriacae Liturgiae, ut Copticae et Nestorianae: ex traditione antiquitus recepta, sed quae ab Evangelistis et Apostolo Paulo consignata non est.

5. *Pro sancta Sion omnium Ecclesiarum matre.*

Sumtum id ex Jacobi Liturgia, antiquissima et praecipua apud Syros: cum autem haec commemoratio ad Ecclesiam Hierosolymitanam a Jacobo fundatam proprie pertineat, transtulerunt eam ad se Jacobitae Antiocheni, sub quorum Hierarchia fuit Gregorius, ut honestiorem inde cognominationis suae a Jacobo originem arcesserent. Videnda quae ad eum locum notavimus.

6. *Regibus et Reginis Deum timentibus.*

Id ex vetere disciplina cum vivente Gregorio Provinciae, quibus praeerat tanquam Catholicus sive *Mofrian,* in Muhamedanorum potestate dudum forent. Erant quidem Armeni aliqui Reguli, Livon seu Leo, Haiton et alii: verum de illis non cogitasse videntur Syri Jacobitae, quibus, etsi eamdem Monophysitarum sectam profiterentur cum Armenis, ob Azymorum, et meri absque aqua usum in Liturgia, non plane conveniebat. De illa formula diximus in notis ad alias Liturgias.

7. *Propter munus illud duplex, quod duplicibus dedisti, quamvis unum sit et unius typum exhibeat.*

Haec oratio quamdam obscuritatem habere videtur, cujus talis est sententia. Munus duplex est, corpus Christi et ejus sanguis: quod hominibus datur qui constant ex corpore et anima rationali. Illa comparatio, sicut

anima cum carne unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus, frequentissime usurpatur a Jacobitis, et cum in symbolo quod Athanasii dicitur, occurrat, eaque Augustinus usus fuerit, potuerunt illam absque reprehensione usurpare. *Quomodo est enim unus homo, anima et corpus, sic unus Christus Verbum et homo.* Ita ille Tractatu 47. et 79. in Joannem, Enchiridii c. 36. Serm. 130. et 261. Ep. ad Volusianum 137. et alibi. Eam tamen in Monophysitis non probaverunt Anastasius, Facundus et alii: sed haec alibi fusius. *Anast. p. 300.* *Unum est mysterium,* quia licet in diversis speciebus, unum sacramentum est. Unius vero typum exhibet, quia unionem significat humanitatis et divinitatis, unius Christi: nempe ut dicunt alibi, corpus quod in disco sacro est, corpus est sanguinis calice contenti: et sanguis in calice, sanguis est illius corporis, ut loquitur Barsalibi. Videnda quae notata sunt ad Liturgiam Jacobi Serugensis.

LITURGIA
S. JOANNIS I. PATRIARCHAE
QUI SCRIBA ET ACOEMETUS DICTUS EST.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater, Dominus omnium, tranquillitas, pax, et caritas coelestium et terrestrium, praesta nobis peccatoribus servis tuis, ut in tranquillitate tua divina laetemur, et in pace tua perfecte delectemur, et in caritate tua veraciter gloriemur, illustrenturque animae nostrae veritate tua, purificentur mentes nostrae dilectione tua, et sanctificentur spiritus nostri per mysteria vivifica, et eorum beneficio digni efficiamur, ut conscientia pura, et corde mundo a sordibus, amplectamur invicem in osculo sancto et divino, inflammati caritate, et casta mutuaque dilectione: per amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria et honor.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Petimus a te Domine bone, misericors et largitor bonorum, demitte dexteram tuam plenam miserationibus, super congregationem adorantium te, qui inclinantur coram te; benedic nos benedictionibus amplissimis quae a te sunt, nec aspicias odiosa facta quae perpetravimus; ne judices nos per judicum tuum justum, neque secundum nequitias nostras retribuas nobis: sed per misericordiam benignitatis tuae, libera nos a malo: et custodi nos sub alis gratiae tuae. Aperi Domine januam miserationum tuarum petitionibus nostris, suscipe deprecationes et lacrymas nostras, imple nos muneribus gratiae tuae, et fac nos filios haereditatis tuae. Dimitte peccata nostra, sanctifica animas et corpora nostra, et praesta ut glorificemus te sancte, omnibus diebus vitae nostrae, et unigenitum Filium tuum, et Spiritum tuum sanctissimum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Thesaurus auxiliorum et fons bonorum, Deus Pater, qui per gratiam tuam et amorem erga nos homines tuum, misisti Filium tuum dilectum in mundum, qui factus est homo sicut nos, liberavitque despectum genus nostrum a peccato, et ad patriam nostram pristinam reduxit nos: Tu sancte et beate, suscipe sacrificium hoc, coram nobis positum: parce et dimitte nobis peccata nostra, propitius esto, et miserere nobis omnibus, et sanctifica nos per clementiam tuam. Miserere nobis, per amorem erga homines tuum, et libera nos a cogitationibus diabolicis, nec avertas faciem tuam a nobis: sed miserere nostri Domine, et dele iniquitates nostras, et ignosce insipientiis nostris per multitudinem benignitatis tuae, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus.

Populus. Misericordiae, etc.

Sacerdos. Caritas Patris.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere dignum et justum est, ut gratias agamus tibi, te glorificemus, te adoremus, et laudemus Deus, Pater coelestium et terrestrium Domine, Filium tuum unigenitum et Spiritum tuum sanctum.

Elevans vocem. Tuae sunt Domine, omnes creaturae quae in coelis, et quae in terra sunt, et te indesinenter glorificant. Te laudat sol: te luna veneratur, te magnum praedicat stellarum agmen, te celebrant maria, et omnia quae in eis sunt. Terra vero quae est scabellum sub pedibus tuis, adorat te, et glorificat divinitatem tuam in Ecclesia illa quae hymnos puros ad te canit ore filiorum suorum: per vaticinia Prophetarum, per agmina Apostolorum, per caedem et lapidationem martyrum, per sanguinem suspirantem Confessorum, per doctrinam Doctorum, per praeclaros mores Religiosorum, per sudores et labores, eorum qui voluntariae se paupertati addixerunt: per familias piorum: per coetus justorum: per festa Virginum, per sedulitatem Nazaraeorum, per exercitationem Monachorum: per privationem et secessionem solitariorum: per peregrinorum persecutiones: per necessitatem pauperum: per lacrymas poenitentium, per eleemosynas misericordium: per suspiria eorum qui persecutionem patiuntur: per quodcumque tandem genus verorum fidelium. Coelum etiam in [2] tribus Ecclesiis ibidem ordinatis, in illis enim celebraris, glorificaris et laudaris, per indesinentem laudum celebrationem, hymnis puris et sanctis, citharis suavibus, et jucundis, exaltationibus magnificis, et triumphalibus, festis et canticis quae nullo silentio, aut fine terminantur, oribus igne succensis: ubi mille millia et myriades myriadum a laudatione non quiescunt, linguis si quidem sunt non carneis, sed flammeis, et praeclaram habent facundiam spiritus: per cantica suavissima Angelorum, per jubilos incorporeos Archangelorum, per voces modulatas Principatuum, per splendorem Potestatum, per clamores terribiles Dominationum, per agmina Virtutum, per eximias voces Thronorum: per tonitrua terribilia Cherubim, per volatus ardentes Seraphim sex alas habentium, qui uno aequalique inter omnes jubilo, glorificant, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus. Sanctus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Vere enim sanctus es, Dominus etiam ac Rex omnium, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu sancto tuo,

unus Deus, una substantia, una natura: non enim mensura concluditur sanctitas tua, neque finem habet mare misericordiae tuae: qui pro salute nostra unigenitum Filium tuum misisti in mundum, qui salvavit nos, et ad vitam beatam convertit nos.

Elevans vocem. Ipse enim Dominus noster Jesus Christus, cum mox futurum esset, ut susciperet mortem voluntariam pro nobis peccatoribus, ipse peccati expers, accepit panem super manus suas sanctas et immaculatas, aspexitque ad te, Deus Pater, et gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque discipulis suis et mysterio suo initiandis, dicens: Accipite, manducate ex eo: Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur, et datur ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ita etiam et calicem quem miscuerat ex vino et aqua; gratias agens, † benedixit, † sanctificavit; † deditque discipulis suis sanctis, et dixit: Hic est sanguis meus: accipite et bibite ex eo vos omnes: hic effunditur pro mundi vita, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et quando ministerium hoc mysticum, secundum doctrinam meam perficietis, ad salutem vitae vestrae, panemque hunc manducabitis, et calicem hunc bibetis, mortem meam annunciabitis, et resurrectionem meam confitebimini, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, etc.

Sacerdos. Juste et absque molestia, universam dispensationem tuam salutarem in carne pro nobis commemoramus, o Verbum Deus: et adoramus, Domine, nativitatem tuam, glorificamus baptismum tuum, confitemur passiones tuas, benedicimus sepulturam tuam, praedicamus resurrectionem tuam, et exaltamus ascensionem tuam, et procumbentes in facies nostras super terram, credimus sessionem tuam ad dexteram Dei Patris. Iterum etiam adventum tuum secundum commemoramus, terribilem illum, plenumque tremore et terrore, quando in gloria exoriens terribiliter apparebis; quando Angeli a judicio tuo contremiscent, et Archangeli pariter trement: quando omnes homines in luctu et dolore consistent, et ad judicium formidandum et severum se praeparabunt: quando sedebis super thronum flammeum, et stabunt coram te decies mille Angelorum myriades, et millies mille

Archangeli: quando solia Apostolis collocabuntur, et judicabis cum aequitate bonos et malos, unumquemque secundum merita. Quando carbones cum strepitu ardebunt, et flamma quae non extinguetur: quando intercessiones non jam suscipientur, et deprecationes repellentur: quando cruciatus absque misericordia statuetur adversus malos: quando ipsis gemitus et dolor erit: quando justi voluptatem haereditabunt, et impii in gehenna torquebuntur: quando occulta revelabuntur, et opera examinabuntur, atque omnes homines in timore et tremore magno consistent. In hac hora terribili Domine plene misericordia, ne avertas faciem tuam a nobis: non intres in judicium nobiscum, non ad examen adducas nos, ne confusionem inconsolabilem nobis incutias: ne rejicias nos ex numero servorum tuorum: ne repellas nos ab ostio thalami tui: ne dicas nobis, nescio vos: ne numeres nos inter crucifixores: ne cruciemur cum illis qui te non noverunt, neque perdas nos cum illis qui te non dilexerunt. Ne tradas nos suppliciis timendis, non in stridore dentium simus: non abneges nos neque dicas nobis, quia non novi vos. Vere enim peccavimus, neque meremur misericordiam consequi per passiones tuas sanctas, et per crucem tuam salutarem. Ne retribuas nobis secundum opera nostra mala; sed confitere nos, Deus noster benigne, in illo tempore. Miserere nobis, miserator: esto nobis curator bonus, Pater clemens et misericors: respice paupertatem nostram: adjuva infirmitatem nostram: propitius esto et miserere nobis omnibus: ignosce peccatoribus: sanctifica poenitentes: dimitte quae insipienter commissa sunt. Exaudi preces populi tui, Domine, aspice gemitus servorum tuorum, suscipe deprecationes adorantium te, adquiesce petitionibus deprecantium te. Salva nos a verme illo qui non moritur: libera nos a mari metuendo ignis: eripe nos a morte secunda: protege nos sub alis misericordiae tuae. Fac nos dignos gaudio illo indefectibili, et propter haec, Ecclesia tua poenitens deprecatur te et per te, atque tecum Patrem tuum, dicens.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti.

Mei etiam qui tui typum gero, peccator licet et infirmus, propitius esto deprecationibus et lacrymis Domine, et universae haere-

ditati tuae, et mitte super nos et super has oblationes, Spiritum tuum sanctum.

Sacerdos. Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Potens, qui dat victoriam, sanctus et largitor munerum spiritualium, Spiritus sanctus illabatur et faciat panem quidem istum, corpus vivificans, corpus propitiatorium, corpus salutare, corpus salvans animas et corpora nostra, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam novam atque aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Beatus ille et sanctus, mistum quoque quod in hoc calice est, faciat sanguinem vivificantem, sanguinem purificantem, et sanctificantem, sanguinem salutarem, sanguinem salvantem animas et corpora nostra, sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam novam atque aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Mare misericordiarum et fons bonorum, Deus Pater, genitor, eos qui in itinere sunt custodi, illos qui in mari fluctibus et procellis jactantur adjuva; quia tu es poenitentium susceptor, justificator peccatorum, perditorum inventor, congregator errantium, socius timentium, frater peregrinorum, spes pauperum: lux credentium. Rogamus et deprecamur te, fac nos puros et sanctos per communionem hanc divinam; et mysteria haec vivifica prosint nobis ad vigilantiam animae, ad emundationem corporis, ad communicationem adoptionis, ad participationem Spiritus sancti, ad voluptatem regni coelestis adipiscendam, et ad remissionem delictorum et peccatorum: quia te decet honor, amor erga homines, gloria, decus, et exaltatio, et unigenitum Filium tuum, et Spiritum sanctum tuum, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Sacrificium hoc metuendum et incruentum offerimus coram te, amator hominum, pro Ecclesiis tuis sanctis Catholicis, ubicumque sint, ut confirmentur in fide Orthodoxa. Memento Domine Pastorum et Doctorum qui in eis sunt: Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum Orthodoxorum. Memento Domine Sacerdotum, Diaconorum, et omnium Ordinum Ecclesiae. Memento Domine paupertatis meae, et ne memineris peccatorum meorum: asper-

sione tua hyssopi tui munda me, neque elongeris a me, sed abundet in me gratia tua, et libera me ab omnibus quae in me odio digna sunt. Da mihi sustinentiam ut transeam per mundum hunc temporalem et laboriosum: da mihi ut agnoscam dignitatem ministerii hujus, praesta me dignum lumine tuo aeterno. Memento Domine eorum qui in exilio sunt, infirmorum, et afflictorum, et eorum qui sperant in te; atque adjuva eos in necessitate. Memento etiam aëris, et multiplica benedictionem anni: atque abundantiam fructuum simul cum pace, fac in orbe obtinere.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Integre, perfecte, et misericorditer conserva Domine populum tuum fidelem, et libera nos a furore duro, et salva nos a fame et pestilentia, a terrae motu et incendio. Praeserva nos a tentationibus Diaboli et ab omnibus inimicis, occultis et manifestis. Nos etiam liberos praesta a passionibus perversis et reprobandis, et ab omni quocumque earum rerum genere, quae a te nos procul faciunt. Aufer a nobis plagas malas, et virgas furoris: adjuva nos Domine Salvator noster, quotiescumque invocamus te, et ne despicias supplicationem adorantium te. Miserere pauperum, propitius esto erga peregrinos: orphanis vitae necessaria provide, esurientes reple. Protege Ecclesiam tuam, per crucem unigeniti Filii tui, et exalta filios ejus, per conservationem verae fidei: ut referamus tibi gloriam et laudem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Miserere Domine paupertatis meae, qui te invoco hoc tempore. Memento per gratiam tuam eorum qui ad te confugiunt, adjuvantes Ecclesiam tuam sanctam in verbo et in opere: qui honorant sanctos, qui curam gerunt pauperum populi tui, et eorum qui in his oblationibus partem habuerunt; ut illorum, qui offerre voluerunt, sed non potuerunt. Praesta quoque memoriam bonam patribus et fratribus nostris, et iis omnibus qui communicaverunt necessitati nostrae, atque commendaverunt nobis, ut memoriam eorum ageremus, coram te Deus clemens.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Memento Domine uniuscujusque eorum quos commemoravimus coram te, et eorum etiam quorum non meminimus: ut eorum qui adjuvant pauperes, egenos, et angustiatos

spiritu. Conserva nos et illos per custodiam Angelorum tuorum sanctorum, praeserva nos a scandalis, et libera nos a laqueis satanae, et ab abysso peccati, a virgis duris, et a plagis lethalibus. Libera nos ab iis, quae peccata nostra inducunt super nos, per gratiam tuam, ab acerba captivitate, et a gentibus crudelibus. Senes imbecillos confirma, et robora: viduas auxilio juva, orphanos conserva et purifica: captivos libera et salva: vinctos solve et eripe: aegros sana et ipsis sanitatem tribue: afflictos et angustiatos spiritu consolare: injuriam et calumniam passos conforta per brachium tuum: pauperes cibo et necessariis sustenta: necessitatem patientes, peregrinos, et persecutionem sustinentes reduc, et quietem illis concede. Perditos et errantes collige et congrega: peccatores munda et suscipe: nobisque omnibus solatium, medelam, salutem, et liberationem praesta, quia tu auxiliator et adjutor omnium es, tibique gloriam et laudem offerimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Visita Domine per gratiam tuam Reges Orthodoxos, et subjice illis inimicos eorum, compesce bella et tumultus, et totum terrarum orbem pacifica, ut Ecclesia tua in tranquillitate et pace sit, atque in attenta sedulitate: unusquisque autem in sua regione confiteatur tibi. Nobis Domine vitam quietam et tempora pacifica concede: et a nobis depelle omne afflictionis genus: praesta etiam ut caste vitam instituamus: oppressos, aegrotantes, et eos qui tentantur a malignis spiritibus, sana et adjuva. Coronae anni benedic, ut creaturae habeant unde sustententur, et glorificent te.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Domine Deus potens, constitue pacem in regnis, per clementiam tuam; comprime bella inimicorum, et Ecclesiarum scandala aufer. Extingue haereses erroneas; et salva nos Domine plene misericordia, ab omni fame dira, ab omni caede et mortalitate, ab omnibus bellis et tumultibus, a plagis et colaphorum ignominia, a terrae motu et oppressione, ab incendiis et depraedationibus: et congregationem hanc circumstantem, in fide custodi per crucem unigeniti Filii tui, per brachium tuum excelsum. Virgines conserva absque macula, conjugatos orna continentia: senes calamitatibus vexatos, conforta et adjuva: infirmos sana per clementiam tuam: oppressos malis recrea per gratiam tuam: navigantibus esto portus tranquillus: iter facientes praeserva ab omnibus damnis. Eos

qui in carceribus, aut servitute detinentur, libera et conserva: pluvias benedictas, et rores jucundos ad loca quae illis indigent mitte; benedic coronae anni, frugesque et fructus terrae multiplica, quia tu benignus es et amator hominum, tibique gloriam et laudem offerimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Sit memoria bona ad altare tuum spirituale, coelisque sublimius, et ad hoc etiam coram quo stat infirmitas mea, sanctae genitricis Dei Mariae, Joannis Baptistae, Stephani primogeniti Martyrum et Diaconorum, Patriarcharum, Patrum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, et omnium Sanctorum, dilectorum tuorum. Effice nos Domine imitatores morum illorum, et per orationes eorum, salva nos ab omnibus dolis et damnis: concede etiam nobis petitiones nostras, ex thesauro tuo pleno bonis omnibus.

Elevans vocem. Suscipiantur intercessiones dilectorum tuorum coram majestate tua, Domine, propter nomen tuum magnum et sanctum, quod invocatum est super nos. Propter deprecationes sanctas, et obsecrationes eorum exaudiri dignas, aspice nos oculo misericordiae, et suscipe orationes nostras infirmas, et obsecrationes nostras imperfectas: non repellas, neque avertas faciem tuam a nobis: ne in furore declines a nobis, neque in ira justitiae disperdas nos. Nos enim infirmi et egeni cum simus, per commemorationem Sanctorum, qui nos praecesserunt, audemus ad te accedere, et perficere sacrificium hoc tremendum et metuendum, quod desiderant Angeli prospicere. Verum per lacrymas cum summo gemitu conjunctas, deprecamur te: secundum beneplacitum tuum, posside nos: per commiserationem tuam parce nobis, et ab omnibus offendiculis et incursibus diabolicis salva nos. Dimitte peccata nostra, et dele insipientias nostras, defectusque nostros abole: nomina nostra in libro vitae scribe, et in Ecclesia primogenitorum numera nos. Ordinibus piorum et justorum accense nos; dignosque nos effice parte eorum qui divinis tuis mysteriis sunt initiati, et festo atque gaudio eorum, qui adimpleverunt voluntatem tuam fac nos perfrui: atque in regione laetitiae et voluptatis quam praeparasti sanctis tuis laetifica nos, ut cum illis, inter eos, et in agminibus eorum, referamus tibi gloriam et laudem.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Cum amore, memento etiam Domine Apostolorum sanctorum Patrum, Doctorum, Pastorum, sanctorumque

Episcoporum, qui in quacumque regione olim quietem acceperunt: qui a Petro [4] et Jacobo Apostolis, ad finem usque saeculi per divinarum rerum doctrinam praeclari splenduerunt, quique praedicaverunt in Ecclesiis tuis sanctis et sacerdotalibus. [5] Praecipue vero Ignatii, Dionysii, Athanasii, Basilii, Gregorii, Timothei, Joannis, Cyrilli, Philoxeni, Coelestini, Clementis, Severi, Jacobi, Ephraem, et reliquorum; Apostolorum, Sanctorumque Orthodoxorum, qui tibi manifesti et cogniti sunt.

Sacerdos elevans vocem. Insere in nobis Domine fidem eorum veram, zelumque illorum laudabilem pro vera religione, caritatem eorum sinceram, mores eorum castos, leges eorum rectas, praeceptaque sancta illorum, qui persecutionem et colaphos passi sunt propter fidem orthodoxam: qui propter nomen tuum sanctum sustinuerunt persecutiones, tormenta, et cruciatus coram Regibus, et colla sua tradiderunt pro veritate fidei tuae, certaveruntque generose. Confirma Ecclesiam sanctam per orationes eorum acceptabiles, et per obsecrationes eorum audiri dignas, pacem perpetuam Ecclesiae tuae concede. Doctrinam eorum in animabus nostris confirma; et in habitaculis eorum benedictis nos colloca: nos quoque bonis illis quibus perfruuntur, fac gaudere. Libera quoque nos ab omnibus haeresibus perniciosis, et dissipa populos qui bella volunt: rebelliones, et calamitates in universo orbe comprime: virgas furoris et tentationes arduas aufer a nobis. Da nobis ut exornemur moribus pudicis et operibus sanctitatis, menteque orthodoxa: et praesta nobis ut revelata facie simus coram te, quia tu bonus et benignus es, tibique gloriam et laudem offerimus etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Tu qui bonus es, plenusque misericordia, memento per gratiam tuam, et parce per hoc sacrificium Sacerdotibus Orthodoxis qui olim quieverunt, Diaconis, Subdiaconis, Solitariis, Monachis, et unicuique eorum qui in ministerio Ecclesiastico recensentur. Patribus etiam et fratribus nostris, tam secundum spiritum, quam secundum corpus: defunctisque fidelibus qui decubuerunt cum spe tua, in fide vera: ut etiam eorum quorum ignota, ad commemorandum sunt nomina, et quorum numerus notus est tibi: mei quoque infirmi, patrumque meorum corporalium et spiritualium.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Opifex et creator omnium creaturarum, Deus Pater, fac ut corpora et spiritus servorum tuorum qui cum spe tua decubuerunt, ad bona illa coelestia perveniant, et ad voluptates illas quae finem non habent: ad gaudia illa quae sunt sine termino, ad convivium indesinens. Scribe nomina eorum in libro vitae tuo; laetifica eos aspectu vultus tui, constitue illos in regione justorum, accense illos agminibus piorum; fac illos gaudere bonis Sanctorum: fac illos discumbere ad mensam tuam spiritualem: dimitte peccata eorum per misericordiam tuam: dele quae insipienter ab illis commissa sunt, per clementiam tuam: salva illos a tristitia et suspiriis, libera eos ab ardore gehennae: fac eos transire ultra transitus illos terribiles loci timoris: colloca illos in tabernaculis lucidis: fac illos quiescere in sinu Abrahae, Isaaci, Jacobi, Patrum nostrorum, in habitaculis tuis coelestibus, in paradiso deliciarum, in locis quietis. Ne intres cum illis in judicium, quia non justificatur in conspectu tuo omnis vivens, sed parce illis omnibus. Nobis etiam, qui in hac vita peregrinationis temporalis servimus, propitius esto et miserere nostri, quia quotidie per mores nostros odio dignos, te ad iracundiam provocamus: da nobis igitur abhinc remissionem eorum quae insipienter commisimus, quia nemo est immunis a peccato, etiam si una hora tantum in terra habitaverit, nisi solus Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus, quem [6] tibi offerimus, deprecantem te pro nobis: ipsum per quem speramus misericordiam consequi, et remissionem peccatorum tam nobis quam ipsis, propter eum.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos inclinatus. Domine qui abscondita omnia, et manifesta cognoscis, dimitte peccata et insipienter commissa, nobis et illis, voluntarie et involuntarie, scienter et ignoranter, verbo et opere, occulta et manifesta, nota et ignota. Nos in vita conserva absque peccato: dirige gressus nostros in semitis mandatorum tuorum, et fac nos dignos fine bono, et exitu tranquillo ex hoc mundo.

Sacerdos elevans vocem. Libera nos Domine Deus a captura potestatum adversarum, et ab exercitibus daemonum qui in aëre dispersi insidiantur, ad venandas animas nostras: maxime vero a vultus confusione acerba coram solio metuendo salva nos, et in habitaculis coelestibus quiescere nos jube, atque in domo gaudii nos colloca, et in gloria triumphali Sanctorum tuorum numera nos. Quam-

diu autem in hoc mundo versamur, parce et dele peccata nostra, occulta et manifesta, voluntaria et involuntaria. Innova animas nostras et corpora nostra: visita nos per benignitatem tuam, effunde super nos clementiam tuam. Adjuva nos per gratiam tuam, fac nos pervenire ad finem bonum, exitumque pacificum. Demonstra erga nos gratiam tuam, salva nos a gehenna: suscipe nos in regnum tuum; adjunge nos congregationi Sanctorum tuorum: constitue nos ad dexteram majestatis tuae. Da nobis ut exeamus ad occursum tuum cum aperta facie, ut in hoc sicut et in omnibus glorificetur et laudetur nomen tuum, maxime honorandum et benedictum, etc.

Populus. Ut.
Sacerdos. Pax.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos. Benedictio Dei sit.
Populus. Et cum spiritu tuo.
Sacerdos frangit et signat.
Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater qui vis vitam omnium, princeps et Dominus utriusque saeculi, ineffabilis, et non investigabilis, qui hymnis non materialibus glorificaris a millenis et decies millenis Angelis; qui suscipis orationes, et audis obsecrationes, spes eorum qui persecutionem patiuntur: comes peregrinorum, portus et quies eorum qui jactantur; altor pauperum: ditator eorum qui necessitatem habent; satiator famelicorum, quique sitim exples eorum qui ea laborant, consolator afflictorum, pacificator iracundorum, inventor perditorum, conversor et reductor errantium, fons sanitatis, et scaturigo auxiliorum; remissor delictorum, peccatorumque susceptor: qui suscipis lacrymas poenitentium. Formator peritissime omnium creaturarum, animarum et corporum: qui per gratiam tuam congenitam, et commiserationem, misisti Filium tuum in mundum: ipse autem liberavit nos a peccato, morte et Satana, docuitque nos orationem dominicam, et demonstravit nobis viam vitae. Rogamus et deprecamur majestatem tuam, propitius esto et miserere nobis, libera nos ab invidia et odio; salva nos a dolis diaboli; sanctifica animas et corpora nostra, purosque et sine macula nos effice, ut cum puritate corporis, sancti-

tate animae, mentisque munditie, audeamus invocare te Deum Patrem coelestem, oremus, et dicamus, Pater noster, qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Sancte, Sanctorumque sanctificator Domine, custodi nos per nomen tuum sanctum, et ab artibus satanae, et filiorum nequam libera nos. Praeserva etiam nos ab omnibus tentationibus occultis et manifestis omnibus diebus vitae nostrae. Salva quoque nos a rebellione, virgisque furoris, et ne expellas nos a conspectu tuo. Ne inducas nos in tentationes gravissimas, quae superent vires nostras: sed libera nos a laqueis diaboli, quia tuum est regnum, et tu es Rex gloriae, tibique laudem offerimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Princeps viventium, mortuorumque Domine Deus miserator, propitius esto, et miserere peccatoribus servis tuis, qui inclinantur coram majestate tua. Suscipe orationes, et preces nostras, et sanctifica nos per sancta tua: illustra cogitationes nostras gratia tua: orna linguas nostras veritate tua: purifica animas nostras per clementiam tuam, et converte nos ad timorem tuum. Benedic nobis omnibus per benedictiones tuas: circumda nos muro forti dilectionis tuae. Sparge super nos rorem clementiae tuae: dimitte delicta et peccata nostra, et parce nobis per amorem erga homines tuum. Concede nobis Domine petitiones nostras, et ab omni apostasia immunes nos effice: praesta etiam ut pure et sancte communicemus corpori et sanguini unigeniti Filii tui, cum quo tibi debetur gloria, honor, et cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Benedictio Dei sit, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Glorificationes indeficientes, laudes exaltationis infi-

nitas, confessiones incessabiles, vocesque gratiarum actionis, offerimus tibi Domine, propter multiplicem erga nos misericordiam tuam; quia pepercisti delictis nostris per gratiam tuam, et remisisti peccata nostra per commiserationem tuam. Fecisti nos habitare in Ecclesia tua sancta, et filios tuos per gratiam tuam vocasti nos: miscuisti corpus unigeniti Filii tui cum corporibus nostris, et permiscuisti sanguinem ejus membris nostris; dignosque praestitisti nos communicandi mysterio tuo sancto. Rogamus autem et deprecamur te amator hominum, ut non convertas festos dies nostros in luctum, neque hymnos nostros in planctum: ne inclines capita nostra in judicio, ne confundamur in ultimo die retributionis: ne pudore afficias nos in die judicii tui: ne judices nos in die ortus tui: ne condemnemur cum illis qui te non noverunt: ne cruciemur cum illis qui te ad iracundiam provocaverunt; sed per gratiam tuam salva nos, et cum filiis nuptiarum tuarum quiescere jube nos, et discumbere cum justis in paradiso. Da nobis regni tui beatitudine perfrui, et alis commiserationis tuae protege nos, et praesta ut coram solio Christi tui excusationem habere possimus, per quem, et cum quo te decet gloria, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Hymnos, laudes, vocesque gratiarum actionis cum gaudio offerimus tibi Domine noster Jesu Christe, pro auxiliis tuis erga nos: quia nos peccatores servos tuos, dignos fecisti munere hoc divino. Petimus a te, o refugium peccatorum, sanator infirmorum, restaurator imbellium, adjutor animarum, susceptor orationum, quique postulata concedis, demitte dexteram tuam plenam benedictione, et benedic nos omnes servos tuos, universim, magnos et parvos, viros et foeminas, Da nobis ut stemus coram te cum timore et tremore. Benedic Ecclesiae tuae sanctae, multiplica Pastores ejus, glorifica Sacerdotes altaris tui, et ministerium eorum suscipe. Munda Diaconos, et cantus eorum acceptos habe. Confirma senes, infirmos conforta, reduc feliciter absentes, praesentes custodi, impetum juvenum coerce, pueros fac cum modestia crescere. Sana Domine aegrotos: intemperantes fac temperantes: lava et munda eos qui in

peccatis volutantur: perditos congrega: obsigna per crucem tuam virgines: conjugatos sanctifica per gratiam tuam. Custodi divites per pietatem tuam: satia famelicos et pauperes: orphanis et viduis alimenta provide: suscipe lacrymas poenitentium, et obsigna nos omnes per crucem tuam. Praeserva nos ab invidia satanae, et a nequitia hominum. Benedic gregi tuo spirituali, et effunde benedictiones tuas super nos omnes. Ignosce illis qui acceperunt corpus tuum: sanctifica eos qui biberunt sanguinem tuum. Orna nos doctrina tua, induc nos omnes in thalamum tuum. Mentes nostras cognitione tui sapientes effice: corda nostra confirma in veritate tua: animos nostros robora per misericordiam tuam. Oculi nostri videant timorem tuum, ora nostra repleantur mysteriis sanctis tuis, lingua nostra enarret laudes tuas: labia nostra concinant hymnos ad tuam gloriam: gressus nostros dirige in semitis tuis: fidem nostram in te confirma. Da nobis virtutem ut servemus mandata tua. Praesta nobis omnibus exitum pacificum, et fac nos pervenire ad finem beatum. Parce defunctis fidelibus, et quietem illis praesta in thalamo tuo, quia ad omnes homines extenditur gratia tua, tuque es Rex saeculorum, Dominus vivorum et mortuorum: tibique gloriam offerimus, et Patri tuo, et Spiritui sancto tuo, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

IN LITURGIAM JOANNIS ACOEMETI NOTAE.

De illo Joanne praeter titulum qui ejus Liturgiae praefixus est, nihil scimus: nam quod observavimus alibi, obscurissima est, vel potius nulla Antiochenorum Jacobitarum Historia. Nullius enim autoris qui eam descripserit, memoria est, neque saltem indiculus Patriarcharum qui Ecclesiae illi praefuerunt, superest. Joannes aliquot fuisse qui Patriarchalem Cathedram tenuerunt scimus, atque inter alios istum: alium cognomine filium Maadni: alium

qui Joannes Magnus appellatus est, a quo ordinata fuit Liturgia dicta Doctorum Sanctorum. Alius occurrit Joannes, qui vixit post annum J. C. DCCXXXVII. ad quem Chaïl XLVI. Alexandrinus Patriarcha post ordinationem literas Synodicas nullas misit, cum maxima esset Joannem istum inter, et Episcopos suos discordia, eo quod is autoritate Sultani sedem occupasset, quamvis Episcopus foret, quod contra Canonicam disciplinam erat. Alterius Joannis memoria est circa annum J. C. DCCCLI. sub Cosma Patriarcha Alexandrino LIV. redintegrata jam cum Antiochenis, Alexandrinorum concordia. Diversus ab illis omnibus fuit Joannes is qui anno J. C. DCCCCLVIII. cum ab Imperatore Constantinopolitano in urbem accersitus fuisset coram Graeco Patriarcha ejusque Clero, Imperiique primatibus, fidem Jacobiticam propugnavit, ut ipse scripsit in bene longa ad Mennam Alexandrinum LXI. Epistola, quam integram repraesentavit autor Tractatus de Fide Patrum, in Codice Seguieriano. Alius item fuit Joannes cognomento filius Abdoun, Patriarcha Antiochenus, de quo Historia Alexandrina in vita Zachariae Patriarchae LXIV. similia prope narrat. Ad quem ex illis Liturgia haec referenda sit, ne conjectando quidem assequi possumus.

Hist. Patr. Alex. p. 217.

Ib. p. 355.

Ib. p. 404.

Scriba vocatus est, is de quo quaeritur: qua voce intelligi debet is, quem eadem significatione Christiani Arabice scribentes, vocant כאתב *Katib* a manu et a secretis Patriarcharum: Graeci vulgo *Syncellos* appellaverunt; unde discitur, Joannem ante quam Patriarchalem dignitatem obtineret, Syncelli apud decessorem suum munus exercuisse.

Akoumio אכומיא: vox Syriaca non est: neque ad Graecam ulla propius accedit, quam ad ἀκοίμητος qua voce significabantur Monachi illorum Monasteriorum, in quibus perpetua erat chororum sibi succedentium psalmodia, de quibus erudite, ut semper, multa collegit Vir Clarissimus Carolus Fraxineus Cangius in utroque Glossario, et in Constantinopoli Christiana. Cum vero multa olim fuerint similis instituti Monasteria, ab uno aliquo ita denominatum fuisse Joannem illum verisimile est.

Quod autem de nonnullis aliis, idem de hac Liturgia judicandum est, illam esse scilicet sequioris aevi, quod stilus redundans, et verborum copia, a simplicitate degenerans sufficienter demonstrat. Nec idcirco contemnenda est haec Liturgia, et quod eam omnes alicujus antiquitatis Codices repraesentant: et quod aliis vetustissimis cujuscumque linguae conformis est in praecipuis Officii Eucharistici partibus; tum quod ubique sanam de Sacramentis doctrinam continet. Tandem si eloquentiae Syriacae peritus autor fuit, ut sane fuit: non imperitum illum rerum Theologicarum fuisse, satis agnoscitur.

2. *Coelum etiam in tribus Ecclesiis.*

Verisimile est autorem de tribus coelis, quae metaphorice Ecclesias vocat, quia ibi perpetuo laudatur Deus, esse intelligendum. Quae sequuntur de Spirituum coelestium Ordinibus, sunt expressa ex libris de coelesti Hierar-

chia, quos Orientales omnes summo in pretio habent, Jacobitae praesertim, qui aliquot testimoniis inde petitis ad opiniones suas confirmandas abutuntur.

3. *Reges Orthodoxos.*

Quae ad reliquas Liturgias circa hanc formulam observata sunt, ad istam quoque pertinent. Vetustissima haec erat, usurpata sub Christianis Imperatoribus; unde in multis codicibus retenta est, quos secuti sunt, non librarii modo qui libros describebant, sed qui novas Liturgias composuere, ut Mathaeus Pastor, Ignatius Patriarcha filius Wahib, et quidam alii.

4. *Qui a Petro et Jacobo Apostolis etc.*

Dictum est ad Liturgiam Jacobi Syriacam, memoriam singularem illius Apostoli in ea fieri, quod extaret in Graeca eodem titulo consignata, quam in Hierosolymitana Ecclesia usurpatam vulgo fuisse, certum est. In Graeca vero illius memoria fiebat, tanquam primi Episcopi, ejusdemque Ecclesiae fundatoris. Syri Palaestini illam formulam a Graecis acceperant, ut servaverunt: et cum multi alii ad sedem Hierosolymitanam pertinerent, facile ad omnes Syros etiam Antiochenos dimanavit, eum esset maximus Syriacae linguae in illis provinciis usus. Itaque servata est sine ullo partium praejudicio, donec Jacobitae alio consilio eam ad se transtulerunt, ut Jacobi Apostoli fidem tenere se et ab illo denominari imperitis persuaderent. Itaque Ignatius filius Wahib, Patriarcha Antiochenus Jacobita, eam particulam Liturgiae suae inseruit: Autor istius, Petrum Jacobo adjunxit, tum ut Antiochenae Ecclesiae fundatorem et Episcopum; tum ut duplicata autoritate Apostolicorum nominum, non Jacobi modo, sed etiam Principis Apostolorum discipulos se esse Jacobitae jactarent.

5. *Praecipue vero Ignatii, etc.*

Non una est Diptychorum in quibus Sanctorum nomina commemorantur forma, cum in aliquibus, plures, pauciores in aliis recenseantur. Nulla prolixior, ea quam refert Ordinationis Officium Syris Jacobitis proprium, de qua dictum est ad Liturgiam Jacobi Syriacam. In ista primum merito locum tenet Ignatius, ut Antiochenus quondam Episcopus, cujus etiam testimoniis abuti, ad erroris sui patrocinium solent, ut ex variis Collectaneis, et Tractatu de Fide Patrum intelligitur. Praeterea tantum honorem illi tribuunt, ut in antiquissima Canonum Collectione Syriaca, ex ejus Epistolis capita quaedam ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia referantur, quia inquiunt interpretes ob summam Ignatii sanctitatem, aequam cum Canonibus dignitatem habent. Dionysium, Areopagitam intelligunt. Gregorium qualem velint, non significant,

sed omnes laudant Neocaesariensem, quem et Thaumaturgum vocant: Nazianzenum, Nyssenum. Timotheum non alium intelligere debemus, quam Aelurum, qui Alexandrinam sedem occupavit. Philoxenus is est, qui etiam Xenaias dictus est Hierapolitanus Episcopus, cujus nomine habetur Liturgia. Quis sit Jacobus, cujus meminit ista, dubium est; sunt enim tres apud Jacobitas celeberrimi; Baradatus, a quo illos denominatos esse communis opinio est: Serugensis, et Edessenus. Clementis Liturgiam quoque habent, at illum in Diptychis nominatum alibi quam in ista, non reperimus.

6. Quem tibi offerimus deprecantem pro nobis.

Similis locutio extat in variis Syrorum precibus Christumque offerri in altaris sacrificio, constans omnium Orientalium Theologorum doctrina est, quae Graecis non minus familiaris est, ut fuse de ea scripsit Dositheus Patriarcha Hierosolymitanus in Enchiridio, et multis autoritatibus confirmat. *p. 47. et seq.*

LITURGIA

S. DIOSCORI I. EPISCOPI INSULAE CARDOU SIVE GORDYAEORUM.

Primum Oratio ante Pacem.

Domine Deus qui adoraris ab omnibus, excelsusque es super omnia, caritas indeficiens, pax et tranquillitas, nulla iracundia perturbabilis: qui per amorem erga homines tuum, totum hoc omne quod est produxisti, et per effusionem gratiae tuae magnae, et inexplicabilis, mentes supernas, in unam concordiam pacificam conjunxisti simul, et quidquid alienum ab illa pace reputatur a coetibus eorum removisti: Qui similiter ex materia liquida hominem ad imaginem tuam creasti, regemque super terram, cum potestate in omnia constituisti: is vero per fraudem maligni, libertate sua excidit, rebellemque se ostendit; quia intempestive de fructu comedit, et in-

firmus factus est. Postquam vero collectus est per vocationem Prophetarum tuorum, absque consolatione permansit: tunc vero Filium tuum dilectum ad ejus directionem diligenter misisti. Is autem ad similitudinem nostram caritate nobiscum habitavit, pacemque sinceram in pacis susceptoribus seminavit permanenter, et ex spiritu purificante, per eum illos implevisti. Illi autem universam terram circuiverunt, et omne quodcumque paci erat contrarium ex ea abstulerunt et stirpitus evulserunt; pacem etiam omnibus per eos praedicavisti. Nos vero imbelles et peccatores deprecamur te, ut hanc tranquillitatem et pacem in animabus nostris constituas, ut amanter et cum dilectione quae te deceat, amplectamur nos invicem, absque dissidio: gloriam quae tibi debetur, et dilecto Filio tuo referemus, et Spiritui sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Sacerdos. Praesta nobis, etc.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Benedictus, et benedicendus, et beatus in omnibus es, qui vocasti nos, et adduxisti ad similitudinem quamdam tui, qualem terrenis carne indutis habere licet, cum natura prae omnibus simplicissima. Tu igitur etiamnum Domine Deus, qui adoraris ab omnibus, tene nos extra omne ruinae periculum dextera tua omnipotenti, et benedic populum tuum qui nunc inclinatus est coram te, mitte illis munera donorum tuorum divinorum. Da illis Domine, ut permanenter unum sint in te, absque ulla divisione: ut indeficienter confiteantur tibi, et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Aufer Domine a cogitationibus et mentibus nostris omnes sordes maculam inferentes animabus nostris, et da nobis ut mente pura stemus coram te. Depelle etiam a nobis omnes immunditias iniquitatis et peccati, nos vero in omni religiosi timoris et castimoniae genere confirma, ne inornatis et incultis mentibus appareamus coram te, hoc tempore et omnibus diebus vitae nostrae: verum mundati ab omni nequitia quae alienos a te faciat, stemus animose, cum conscientia impolluta coram throno divinitatis tuae, et

ab omni corruptione, aut morte pestifera quae a te separet, libera nos; per sacrificium hoc quod offerimus tibi, ut aboleat ea quae a nobis insipienter commissa sunt: et nequitias nostras abstergat: et referemus tibi gloriam et laudem, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordia.

Sacerdos. Caritas Patris, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Purus et absque macula solus es tu Deus noster, qui adoraris in omnibus, qui laudes nobis absconditas ab illis suscipis, qui notam faciunt majestatem tuam, iis qui priores agnoverunt lumen antiquum essentiae tuae: qui te solum absque principio, hymnis et sanctificationibus suis esse confitentur: quodque in te unumquodque consistit, et subsistit, mirabiliter indicant.

Sacerdos elevans vocem. Qui ex secreta natura sua; sublimem et absconditam naturam tuam, quae extra omnia est, omniaque amplectitur: omnibus excelsior est, et continet omnia, te adorantes aeternum et absque fine, venerantur simulque una et indivisa voce inclamant sanctificationes ter repetitas, dicentes: Sanctus creator creaturarum: Sanctus es qui pueris sapientiam tribuis. Benedictus honor tuus a regione tua metuendus ab omnibus: benedicta virtus tua, cujus potestas in omnia est. Benedictus es Deus noster, qui adoraris ab omnibus; cui Cherubim benedicunt, plausu alarum suarum; Seraphim autem ardore suo sanctificant te: Throni te dorsis suis tanquam in curru sustinent: Virtutes fortitudinem dexterae tuae creaturis tuis indicant: ut etiam Potestates magnam potentiam tuam notam faciunt figmento tuo. Dominationes autem imaginem gerunt majestatis tuae, quae est mundo excelsior: Principatus imperium tuum designant, et mysterium supremae dignitatis tuae demonstrant. Angeli vero et Archangeli, reconciliationis tuae ad eos qui irae tuae obnoxii sunt, interpretes, jubilis suis te agnoscunt: qui modulationibus vocum suarum, et motitatione alarum suarum, sonisque musicis canti–

corum suorum, volantes alter ad alterum, vociferantur, clamant et dicunt. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Sanctus es, sanctus es: benedictus honor tuus e loco suo: Sanctus es trinus et unus, qui a Cherubim, Seraphim, et Thronis benediceris, sanctificaris, et glorificaris: qui a Virtutibus, Potestatibus, et Dominationibus honoraris, laudaris, et exaltaris: qui a Principatibus, Archangelis, et Angelis, extolleris, glorificaris, et celebraris; tanquam lucis scrutatoribus, et praeconibus veritatis. Tibi qui es supra laudes omnes sanctificantium te, placuit, ut nos postremos tuarum creaturarum, participes tuae naturae faceres et filium tuum, aequalem tibi natura et regia dignitate misisti directorem futurum animarum nostrarum, nostrorumque spirituum Salvatorem: et ex Virgine sancta, quae secundum corpus et animam pura facta est, formam accepit, ut conveniebat ad salutem nostram.

Sacerdos elevans vocem. Ille autem per annunciationem Archangeli ad existentiam venit, formamque humanam mirabiliter, et corpus naturae nostrae genuinum, humanitus accepit: in eo virtutes et miracula operatus est ad institutionem nostram, perfecitque universam dispensationem suam salutarem, et venit ad passionem, crucemque voluntariam pro nobis. [2] In ea autem nocte qua paratus erat ad patiendum, pro vita creaturarum, pignus vitae tradidit nobis, et mysterium corporis et sanguinis sui sancti praeparavit nobis: panem accepit, postquam perfecisset Pascha Mosaicum, et super manus suas sanctas in conspectu turbae et societatis discipulorum suorum posuit, tibi Deus Pater gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † fregit, deditque turbae duodecim suorum, postquam ipse communicavit, et dixit: accipite, edite ex eo. Hoc est Corpus meum quod pro vita mundi frangitur et datur, ad expiationem delictorum et remissionem peccatorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter postquam coenaverunt, calicem vitae accepit, vino et aqua miscuit temperate, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit eum, † et rursus eidem turbae Apostolorum sanctorum tradidit dicens, accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus Novi Testamenti qui pro vobis effunditur, vosque et multos credentes praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Cum vero mysterium hoc vivificans et sanctum

celebrabitis, credite et certi estote, quod ex corpore meo manducatis et vivitis: et ex sanguine meo bibitis, ad expiationem delictorum et remissionem peccatorum. Et haec omnia perficientes mementote et commemorationem facite mortis, sepulturae et resurrectionis meae, donec veniam.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos elevans vocem. Nos autem peccatores et insipientes servi tui, juxta mandata tua sancta, commemorationem dispensationis tuae super tabulas mentis nostrae suscipimus, et omnia ibidem gesta animo revolventes, tanquam medicamenta peccatis extinguendis salutaria, vulneribus nostris imponimus: conceptionem tuam admirabilem, et quae verbis enunciari non potest: praecursum Angeli, et annuntiationem nativitatis tuae: formationem tuam mirabilem, nativitatem quae stuporem dedit superioribus et inferioribus, neque a peritissimis quibuscumque explicari potuit; propter quam Angeli cum Pastoribus laudantes exultaverunt: Magi adorationis et munerum officia obtulerunt; infantes absque macula sanguinem suum purum, tanquam oblationem acceptabilem, in ea effuderunt: legalium etiam oblationum illationem: gestationem super manus senis antiqui dierum, et confirmationem eorum omnium quae de te a Prophetis dicta fuerant, et eventu comprobata, atque completa sunt: baptismum tuum in Jordane sanctum et sanctificantem omnia mysteria quae per illum nobis revelata sunt: jejunium tuum divinum, victoriamque de diabolo rebelli tuam; miraculorum tuorum divinorum operationem, quae verbis explicari nequeunt: Hosannae cantus, laudesque tuas ex ore infantium purorum decantatas ter cum clamore, puerorum infantium, et recens natorum, Hosanna in excelsis, Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis. Postmodum autem ad passionem adductus es, per quam Domine, passiones nostras destruxisti: sustinuisti crucem pro salute nostra: descendisti in sepulcrum, ut sepultos consolareris, solvistique eos qui vincti erant a saeculo: surrexisti tertia die, discipulos confirmasti, ascendisti in coelum: dona divisisti, Spiritu sancto Apostolos tuos implevisti, et iterum in fine venturus es ad universae carnis examen instituendum, et ad judicandum orbem in aequitate. Convertere Domine ad populum tuum, qui impie egit coram te, et reminiscere promissionum tuarum veracium, pro vobis pono animam meam. Nos ii sumus Domine, qui nomen tuum sanctum non abnegavimus: qui signaculo tuo pretioso obsignati

sumus: qui ex populis alienis translati sumus ad religionem tuam: qui portamus signum tuum admirabile, neque ullam de te confusionem habemus. Ne erubescas de nobis, o clemens, quia veritatem tuam non corrupimus: ne abneges nos coram solio aequitatis tuae; ne fiamus cibus ignis urentis, quia corpus et sanguis vivus in nobis recondita sunt. Ne projiciamur in medio tenebrarum exteriorum, qui illuminati sumus luce Spiritus tui vivificantis. Ne fleamus in supplicio neque sit qui consoletur: ne cruciatuum dolore gemamus, neque sit ullus qui misereatur. Domine Domine memento Ecclesiae tuae, quam salvasti, et parce gregi tuo quem redemisti; libera eam a cruciatibus aeternis, et dignam illam effice voluptate indeficienti, quia propter haec atque alia ejusmodi vocibus gemebundis deprecatur te, et per te atque tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere nostri, etc. *Sacerdos.* Nos quoque.

Populus. Te laudamus. *Diaconus.* Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit Orationem Invocationis Spiritus sancti.

Veniat Spiritus sanctus, qui ex te Pater coelestis secreto procedit, qui per Prophetas locutus est, et profunda tua scrutatur, qui descendit super Jordanem et apparuit in specie columbae, simul cum voce incorporea, et cum Filio tuo dilecto ortus est nobis, qui a te procedit, et a splendore tuo accipit: qui Apostolos tuos sapientes effecit, qui martyres tuos corona gloriae coronavit: illum absque tempore illum ab aeterno existentem: illum qui procedit, sed nulla cum divisione: et perficit sed non temporaliter, et divinum in modum perfectionem confert. Ille veniat per beneplacitum tuum, secundum amorem tuum erga homines, et illabatur super haec mysteria, et sanctificet illa atque perficiat, ejiciens simul cum eorum sanctificatione, cogitationes immundas animae meae, purumque et sine sordibus me perficiat coram te Deus Pater, meque et circumstantem populum, mundet atque purificet, ut parati et digni his mysteriis Christi Dei nostri, appareamus absque macula peccati, per gratiam et misericordiam tuam. *Populus.* Amen. *Sacerdos.* Exaudi me.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut adveniens, requiescens et illabens super mysteria haec, panem quidem istum transmutet [3] † in corpus Christi Dei

nostri, † in corpus quod commendavit Dominus et Deus noster in coenaculo Apostolis suis sanctis, † in corpus quod transfixum est in Golgothae vertice pro vita mundi: in corpus quod ortum est ex Virgine Genitrice Dei Maria; corpus Domini et Dei nostri, in quo virtutes mirabiliter demonstravit: quod dedit nobis ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter et calicem transmutet in sanguinem qui stillavit super verticem Golgothae ad mundi expiationem † in sanguinem illum vivificantem † et propitiatorium omnium macularum nostrarum, † in sanguinem illum qui pignus vitae nobis est ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc [4] est corpus et sanguis Christi Dei nostri; hic est indivisibilis, et immutabilis; hic est qui non subjectus tempori, visus tamen est: ipse absconditus ab omnibus, qui manifestatus est; ipse qui ad dexteram Patris sedet, qui cum Patre et Spiritu dona largitur: qui peccatis nostris veniam concedit, quique solvit delicta nostra: qui aufert ea quae insipienter egimus, qui mundat conscientias nostras: qui illuminat simplicitatem nostram: qui perficit nos filios patris sui: qui vocavit nos fratres per gratiam suam: qui dedit nobis mysteria haec ad expiationem nostram: qui aufert a nobis plagas furoris; qui ad vitam revocaturus est corpora nostra, misericordiamque et clementiam suam exoriri faciet super omnes: cui et Patri ejus, et Spiritui ejus sancto gratias agamus nunc et semper.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, per gratiam et misericordiam tuam multam, Patrum nostrorum beatorum, qui nunc vivunt, utque praeclari Antistites nobis hodie praesunt: Patriarchae sedis Apostolicae Domini N. et Metropolitae nostri venerandi, Domini N. reliquorumque Patriarcharum Orthodoxorum, qui hodie in vivis sunt, et pro Ecclesia tua sancta decertant. Memento Domine, universi Presbyterii in Christo, totiusque ordinis Sacerdotalis Ecclesiastici et Evangelici, qui recte confitentur te: benedic Domine per orationes eorum acceptabiles coronae anni, per imbres opportunos matutinos et serotinos: benedic omne genus frugum et fructuum, quod ad sustentandas creaturas tuas produxisti, non revocans in memoriam, o

amator hominum, insipientias populi tui. Me quoque peccatorem famulum tuum suscipe inter deprecatores tuos, neque repellas me ab haereditate tua, propter opera mea quae te indigna sunt.

Sacerdos elevans vocem. Confirma et sustenta Ecclesiam tuam Domine per orationes acceptabiles et pacificas, Pastorum illorum quos elegisti et vocavisti, mysteriisque tuis sanctis perfecisti, et quibus oeconomiam domus tuae, cum autoritate credidisti. Da illis Domine, ut a lupis insidiatoribus oves tuas vigilanter custodiant, pascantque non oscitanter, et ad prata securitatis, atque ad aquas quietis, pure et cum honore eas deducant, talentaque sua prudenter multiplicent: avertens interea a populo tuo, et haereditate tua per orationes eorum, omnem captivitatem perniciosam; omnem conturbationem noxiam, omnem violentiam cujuscumque generis, omnem alienigenarum incursionem: omnem perversitatem et nequitiam, omnem inimicitiam et iram, plagas omnes et rebellionem. Auge Domine, per misericordiam tuam, et amorem erga homines tuum, omne bonum perfectum, omne gaudium pacificum, omnem exultationem et quietem, unanimitatem et concordiam, omnem castitatem et puritatem, benignitatem et unionem, ut unitati tuae sublimi prae omnibus, offeramus gratiarum actionem, qualis gloriae tuae debetur; adorationemque, qualis decet essentiam tuam et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo vivo et sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine populi tui qui stat nobiscum, et deprecatur nomen tuum, prae omnibus purum. Suscipe has oblationes, quas obtulerunt tibi, confidentes, quod per orationes nostras humiles acceptabuntur. Suscipe eas ab illis Domine, per amorem erga homines tuum, ut non auferatur spes adorantium te: et eorum etiam qui voluerunt offerre, sed facultatem non habuerunt. Exple indigentiam eorum, per amorem tuum erga homines.

Sacerdos elevans vocem. Et ut fratribus illis nostris praesentibus, et nobiscum stantibus, clementiamque tuam omnibus praesentem deprecantibus, suscipiendo vota, oblationes, primitias et decimas eorum, ignoscas praevaricationes suas et nostras, stabiliasque illos benigne et pacifice, avertasque ab illis per deprecationem eorum qui faciunt voluntatem tuam, omnem iram, et afflictionem, omne bellum et dissidium, caedem et dolum, dissensionem omnem et rebellionem, seditionemque perniciosam; omnem reatum quo conscientia turbetur: commutes autem Domine per curam tuam omnipotentem, pro ira

tranquillitatem, pro bello habitationis frequentiam: pro caede, pacem altam; pro seditione quietem; pro divisione concordiam: ut omnes conjunctim, hymnos offeramus tibi cum diligentia, et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine cujuscumque Regis fidelis, qui amplectitur veritatem tuam, curamque habet populi tui fidelis. Benedic haereditati ejus, bonorumque abundantiam praesta in ejus imperio, et in quacumque regione. Memento Domine rectorum, principum, et autoritatem habentium, qui conservant religionem tuam, et faciunt voluntatem tuam; et averte plagas furoris in diebus eorum, ut cognoscant te salvatorem esse omnium qui in te sperant.

Sacerdos elevans vocem. Sapientes illos effice Domine ad observationem legis tuae, et ut sequantur viam et exemplum, regum, et principum Orthodoxorum. Comprime etiam Domine bella et praelia quae terram infestant, in diebus eorum. Da illis ut cogitationes habeant pacificas, et concordia tua pacem illis inspiret: compesce scandala et dissidia, ne oriantur inter eos, et illustra animos eorum luce veritatis tuae. Da illis Domine prudentiam secundum quam regant populum tuum habitantem in ditionibus eorum, et a malitia, atque dominatione duriore et aspera libera nos. Aufer etiam cogitationes perniciosas eorum qui saeve nimis regunt populum tuum, ab haereditate tua: libera nos quia in te speravimus, et salva nos qui confitemur nomen tuum; et simul gratias agemus, adorabimus, et laudabimus nomen tuum sanctum, et unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine et praesta memoriam bonam, Matris unigeniti tui sanctissimae, et beatae Mariae, Joannis Baptistae, Prophetarum et Apostolorum qui fecerunt voluntatem tuam, Martyrum sanctorum et Confessorum, et eorum omnium qui propter nomen tuum afflictiones sustinuerunt, praecipue vero Stephani et reliquorum qui persecutionem et calumnias passi propter amorem tuum, agonem et certamen obierunt. Suscipe Domine oblationes eorum, qui ad illorum orationes confugiunt, per multitudinem gratiae tuae.

Elevans vocem. Convertere Domine de excelsis coelorum tuorum sublimibus, quae adorantur ab omnibus, et adjuva eos omnes, qui ardenter exposcunt auxilium per preces eorum. Exaudi deprecationes eorum pro terra habitabili: responde petitionibus adorantium te,

qui auxilii petendi causa veniunt ad thesaurum [ossium eorum, qui effuderunt sanguinem suum purum, tanquam oblationem acceptabilem coram te: qui bajulaverunt crucem Filii tui, et in semitis rectis imitati et secuti sunt vestigia ejus; qui pignora bona et tanquam depositum praeclarum orbis fuerunt, ad saeculum quod non transit: quorum orationibus, vota, primitias et decimas adorantium te susceptum iri confidimus; quae nunc cum timore et reverentia tibi offeruntur ab Ecclesia tua salvata per nomen tuum sanctum: salvans nunc eos per orationes eorum a praesenti calamitate, ab omni impetu noxio, ab omni infirmitate, et corruptione, dolore, aegritudine, caede, dolo, fame conturbationem inducente, morteque perniciosa, ab omni rebellione intolerabili, et a saevitia daemonum apostatarum, a caede, et afflictione: quae omnia propter peccata nostra nobis superveniunt; et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine omnium Patrum Orthodoxorum, qui a Petro [6] Apostolorum Principe ad hanc usque diem vestigia Apostolica secuti sunt, domos Ecclesiasticas firmaverunt, praeceptaque Evangelica custodierunt et perfecerunt, et super petras petrinas fundaverunt Ecclesiam tuam: Praecipue autem trium 7 Synodorum sanctarum, et eorum qui primarii in illis fuerunt; ut etiam eorum qui deinceps illorum exemplo per fidem rectam illustres fuerunt, Athanasii, Dionysii, Caelestini, Cyrilli, Dioscori, Julii, Joannis, Jacobi, Gregorii, Dioscorique junioris, reliquorumque quos commemoramus, memento, et quietem illis praesta.

Elevans vocem. Eorum qui tanquam columnae veritatis, erexerunt et confirmaverunt Ecclesias tuas sanctas, qui portaverunt pondus diei et aestum: qui athletice certamina praeclara ediderunt religionis causa: qui totum orbem doctrina sua divina illustraverunt: qui depulerunt omnes haereses falsi nominis, erroris, seductionisque plenissimas: qui lucernam fidei super candelabrum accenderunt: qui nullam terrenarum rerum sollicitudinem habuerunt, neque obliti sunt passiones salutares Filii tui: qui refellerunt abnegantes incarnationem Filii tui: et fontem vitae, susceptricem lucis et vitae genitricem Dei praedicaverunt, non quod ex ea initium divinitas acceperit, sed quod in ea essentia ejus habitaverit, et ex ea divinitas orta fuerit, propter quam vocati sumus filii tui secundum gratiam, o Pater coelestis; qui nos confirmaverunt in fide Orthodoxa, qua in te credimus, et absque

dubitatione viam regiam ambulaverunt, legesque rectas nobis tradiderunt: quorum orationibus acceptabilibus, avertas iram a populo tuo: et compescas seditiones a grege tuo, et omnia adversitatum genera quae nos circumdant. Cogitationes etiam eorum qui infensi sunt populo tuo depelle, et ad effectum ne patiaris pervenire, quia Deus es tu, qui vis omnium vitam, et tibi gloriam offerimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine per amorem tuum erga homines omnium animarum, patrum, filiorumque nostrorum, qui pridem obdormierunt, cum fide in te vera et Orthodoxa: sacerdotum purorum qui in te defuncti sunt; Diaconorum qui praeclare ministraverunt tibi, Religiosorum, lugentium, perfectorum, Magistrorum, et Doctorum Ecclesiae, Monachorum, Virginum, continentium et sanctorum conjugatorum: qui pudice ambulaverunt, peregrinorum et patria pulsorum, simul cum omnibus illis qui pure vitam suam finierunt, et in fide Orthodoxa defuncti sunt.

Elevans vocem. Eorum qui pie, et decenter sacerdotio functi sunt coram te, et caste ministraverunt tibi: qui populi tui quietem sacerdotii sui divini functionibus promoverunt, et temporalis alimenti distributione: qui Ecclesiae filios doctrinis rectis instituerunt, et confirmaverunt eos in fide Orthodoxa: qui vitam suam profuderunt in religiosa exercitatione, vitaque solitaria: neque de te dubitantes, animas suas nihili fecerunt voluntarie propter regnum tuum: viceruntque et perfectionem consecuti sunt, moribus inculpatis usque ad finem conspicui. Qui secundum facultatem suam, habitationem temporalem conservaverunt, et sustentaverunt: qui Monasteria, et alia aedificia nomini tuo consecrata fundaverunt et stabilierunt: qui mores inculpatos in Ecclesia tua exhibuerunt: casteque vixerunt, et fructum bonum tibique placentem obtulerunt, filios suos in sacrificium voluntarium nomini tuo, fidemque sinceram ipsis transmiserunt, velut paternam haereditatem: illos qui tanquam advenae in mundo versati, et pauperes spiritu facti fuerunt, secundum sermonem tuum, in regno tuo fac quiescere. Omnibus etiam illis, propter quos destinata est haec oblatio, et quorum commemoratio coram te facta est, simulque illis quorum non meminimus, tanquam Dominus bonus: quietem praesta, parce et dimitte, aufer et dele Domine, insipientias illorum et nostras, non revocans in memoriam humanos defectus gregis tui; quia nullus homo super terram fuit liber a peccati sordibus, nisi qui

natus est ex sinu tuo, et germen substantiae tuae, qui apparuit ad nostram similitudinem super terram absque peccato, et factus est homo ex nobis, per gratiam suam. Et idcirco ad placationem tuam offerimus Domine passiones voluntarias, immeritas, et salutares agni vivi qui immolatus est pro salute nostra, unigeniti Filii tui, per quem nos quoque misericordiam speramus, etc.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Quietem praesta et parce Domine, aufer et dele delicta et insipientias gregis tui, et dimitte defectus eorum, qui sperant in te, voluntarios sive involuntarios, notos et ignotos, occultos et manifestos, praeteriti et insequentis temporis. Ad te Domine clamat grex tuus, et ad te postulat veniam praevaricationum suarum, quae post baptismum et mundationem commissae, animabus nostris maculam aut labem impresserunt. Da nobis Domine ut pure occurramus vultui pacifico tuo, et praesta nobis fiduciam absque confusione, coram solio tuo tremendo et metuendo: utque excusationem habeamus in die tuo, in quo laetabuntur pii et justi, exultabunt Prophetae et Apostoli tui; gloriamque consequentur qui fecerunt voluntatem tuam: tristitia vero obruentur iniqui, et immisericordes poenitentia tangentur. Praesta nobis Domine finem Christianum, misericordiae a te exhibitionem, et ut digni efficiamur sorte beatorum illorum qui tibi servierunt, neque repellamur ab ostio regni tui. Et sicut in omnibus adjuvisti adorantes te, non privemur remissione insipientiarum nostrarum; ut omnium causa et propter omnia glorificetur in nobis nomen tuum sanctum, simulque Domini Dei Salvatoris, et vivificatoris nostri Jesu Christi, et Spiritus tui sancti.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus dicit Catholicam. Sacerdos frangit et signat.

Diaconus. Angelus, etc.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater, Domine omnium, a cujus nutu pendent creaturae et omnia quae in eis sunt: qui mentes supernas, plenas splendore

majestatis suae, et agmina media illustrat radiis substantiae suae: ordines quoque inferiores ditavit lumine divinitatis suae, cujus majestatis gloriam enarrant coeli coelorum, et mundi superiores, divites gloria absconditae naturae suae. Tu Domine Deus noster adoraris, et imperium habes super omnia: timendus es, laudandus, absconditus, et incomprehensibilis, infinitus, inenarrabilis; excelsus et sublimis; bonus et longanimis: spes vera omnium creaturarum. Placuit tibi Domine, ut etiam super mundum alterum et sensibilem, extenderes spiritualiter splendorem tuum, repleresque illum muneribus tuis divinis, imaginemque tuam corruptam et nihili factam innovares, et ad locum suum pristinum reduceres, amanter agens erga homines, germen ex sinu tuo, et splendorem ex fulgore tuo, illum directorem misisti, et nos a corruptione salvasti: qui naturae nostrae factus particeps in omnibus, absque ulla culpa permansit, viam naturae purgavit, et naturaliter gradatim crevit: operatus est virtutes admirabiles; doctorque universae naturae nostrae extitit, divino et inexplicabili modo. Qui per amorem suum erga homines, divinitate sua nos replevit, et absconditae naturae suae fecit nos participes. Viam vitae demonstravit nobis: semitas a scandalis liberas paravit nobis, et ab apostata illo, qui prostravit nos aliquando, salvavit; orationemque ad Patrem docuit nos. Domine rogamus, ut abstergat ora, labia, mentes et aures omnium nostrum, ut cum fiducia et caritate quae te decet cum clamore dicamus eam, elevemusque animos nostros ad te deprecabundi, respondeamusque et dicamus. Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum, etc.

Sacerdos. O benigne et longanimis, Domine, Pater noster qui es in coelis, sancte et sanctificator omnium: da nobis ex Sancto Sanctorum tuo, ut sanctificetur in nobis nomen tuum magnum: et adveniat regnum tuum ad auxilium nostrum; executioni mandetur in nobis voluntas tua bona, sicut in coelis a virtutibus supernis perficientibus voluntatem tuam, quaeque sanctificant essentiam tuam; ita terreni et defectibus obnoxii, supernis agminibus similes fiant, quantum licet: et perfice atque fac in nobis voluntatem tuam. Da nobis panem quotidie nobis necessarium, toto spatio vitae nostrae transitoriae et fluxae. Dimitte delicta nostra et parce peccatis nostris, quae impie per nequitias nostras commisimus, sicut dimittimus debitoribus nostris, quae insipienter in nos admiserunt, sive scienter sive

ignoranter; neque inducas nos in tentationem, quae vires nostras superet et excedat: sed libera nos a malo, qui quacumque hora anhelat perniciem nostram; quia tuum est regnum et tua est victoria, adversus regnum quod cogitat de perdendis filiis regni tui. Rursum etiam e regno tuo contere et disperde virtutes inimicas quae sitiunt sanguinem adorantium te: per virtutem tuam fortem eas ejice et dissipa: ut ad gloriam tuam hymnum purum, castum et sincerum ab omni labe, offeramus tibi, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Ante.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Coram te Domine inclinant servi tui colla sua, quia expectant donum coeleste. Tu autem bone qui plenus es misericordia, solusque benignus, exaudi cito preces illorum, et corona illos corona gloriae immarcescibilis: illustra mentes et animos eorum luce scientiae tuae, et da illis etiam ut agnoscant majestatem latentem in Sancto Sanctorum tuo. Ne in hora convenienti subtrahatur ab illis salus, et mundatio animarum illorum. Suscipe a nobis infirmis deprecationes istas quas pro illis hoc tempore offerimus tibi. Da illis etiam ut pure et absque macula communicent corpori et sanguini Christi Dei Salvatoris et vivificatoris nostri, quod tenemus tanquam vitae pignus, fiduciam habentes quod illius participatione depellentur iniquitates et insipientiae nostrae: quodque velut materiam fluxam, ardore suo eas consumet et rejiciet; animasque nostras, tristitia obsessas inflammabit amore nominis tui, replebitque illas gaudio et exultatione. Da nobis etiam nunc ut oculorum aciem levemus ad sublimia tua, et agnoscamus amorem tuum erga nos homines, inexplicabilem, inenarrabilem, et infinitum, omnipotentem, ad omnia extensum: omnibusque sublimiorem Dominum omnium, et regnantem super omnia, ut ei nunc et quacumque hora gratias agamus, hymnosque indesinenter offeramus tibi, Deus Pater, unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Gratias agimus, adoramus, laudamus, et exaltamus te, qui es aeternus, et absconditus, qui dignos dono hoc admirabili, et incomprehensibili nos fecisti, quo unxisti, et abstersisti animas adorantium te, et a corruptione, et perditione, quae per separationem a te acciderat, nos liberasti, vocastique nos: adjunxisti ad te et lumine cognitionis tui implevisti corda nostra. Praesta nobis, ut extra omnis ruinae periculum perpetuo vivamus in te, et quacumque hora appareamus coram te puri et absque macula. Da nobis quoque ut participatio haec corporis et sanguinis Christi unigeniti Filii tui fiat nobis ad emundationem, et purificationem, non ad accusationem aut confusionem nostram. Da etiam nobis ut omni tempore vitae nostrae, perpetuo sacrificia gratiarum actionis offeramus coram te, et semper in domestica familiaritate tua et consistentia apud te, contineant nos quodammodo mysteria haec vivifica: ut ad partem illam apud te separatam, ad unam aequalemque concordiam nos adducas, et tecum regni tui participes facias, referamusque tibi gloriam, et laudem, et unigenito Filio tuo et Spiritui sancto tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te Domine.

Sacerdos. Tibi Domine et Deus noster adorande, gratias agimus, nomenque tuum excelsum prae omnibus, adoramus et glorificamus, gratiarumque actiones quales oportet, tibi reddimus, non secundum munera tua erga nos, sed secundum virtutem nostram. Confitemur autem quod omnia quae habemus aut possidemus, ex tuis sunt, et in te movemur et sumus. A te firmatur abundantia vitae nostrae: a te animae et corpora nostra sunt, quando quidem creata sunt: ac per te constituta, et conformata est omnis naturae nostrae compages. Haec per voluntatem tuam, voluntati nostrae quam creasti, tanquam custodi domestico tradidisti, ut quocumque vellet conversa, arbitrio suo libere moveretur. Hanc igitur voluntatem nostram motumque nostrum, et cogitationes nostras ad te, qui habitas

in coelis elevantes, sacrificium indivisum, ex tuis, tibi offerimus. Convertere Domine ad clamorem adorantium te et benedic populo tuo qui coram te inclinatus est, et benignitatis tuae particeps fuit. Simul etiam Deus noster adorande, petimus ut non convertas festos nostros dies in luctum, neque pompas solemnes nostras in cantica ejulatus. Constitue Domine absque labe coram te, Pastores qui nobis praesunt, veraces et rectos in lege vitae tua: Sacerdotes, et qui ministerio sacerdotali funguntur coram te rectos, orna omni religioso timore, ad sacerdotium exercendum coram te requisito: Diaconos purifica et sanctifica, ut caste in atriis tuis ministrent. Senes mansuetos redde, et benigne aspiciens, effice ut unusquisque mores eorum inculpatos imitetur. Adolescentibus tanquam paedagogus esto, et per continentiam adduc eos ad te, per scientiam dignam nomine tuo; eosque a scandalis libera. Virgines custodi et conserva a dolis, et scandalis: parvulos crescere jube: infantibus benedic, eosque a maligno invidoque adversario libera. Mulieribus modestiam, Viduis alimenta tribue, necessitatem habentes sustenta, pauperes et famelicos satia. Ordines Nazaraeorum et Monachorum qui se voluntariae paupertati addixerunt propter regnum tuum, quiescere jube in regno tuo. Divitibus qui separant partes opum suarum, decimas, oblationes et primitias ex domibus suis, ad pauperum et egenorum sustentationem, januam regni tui aperi, et a divitiis transitoriis, ad eas quae non deficiunt, transfer. Lectores et Psaltas Ecclesiae tuae Hosannae indeficientis concentibus adjunge, et a gloria ad gloriam transfer. Vinctos eripe, captivos libera, infirmos visita, aegrotos sana, invidos compesce: eos qui invidiam sustinent propter nomen tuum, serva: poenitentes suscipe: exaudi illos qui invocant te; unicuique auxilium necessarium secundum mores, et vitae conditionem tribue: ut ab ore omnium nostrum qui custodimus veritatem tuam, gratiasque agimus bonitati tuae, hymnum, soli, solum unitati tuae offeramus, et per te Deo Patri tuo gratias agamus, et Spiritum sanctum adoremus nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos benedicit, etc.

IN LITURGIAM DIOSCORI EPISCOPI GORDIAEORUM
NOTAE.

1. *Dioscori Episcopi Insulae Cardou.*

De autore istius Liturgiae nihil praeter nomen scimus: sed Jacobitam fuisse constat ex eo Diptychorum loco, ubi memoria fit *trium Synodorum oecumenicarum*, scilicet exclusa Calchedonensi, cui Monophysitarum sectae variae, anathema dixerunt, qua in pertinacia Jacobitae perseverant.

Quae sit Insula aut Peninsula *Kardou*, aeque obscurum est. Vox quidem *Kardou* a Syris, et aliquando ab Arabibus usurpata est ad significandam Montanam illam regionem Armeniae circa montem Ararat, ubi Arca Noë post diluvium requievisse legitur Geneseos c. 8. v. 4. Eo loco Onkelos montes Ararat, vertit, *montes Kardou;* quos multi viri docti *Gordyaeos* interpretantur: et *Carduchos* de quibus veteres Geographi scripserunt, et quos Curdis originem dedisse verisimile est, plerique illa in regione collocant. Quamvis autem magna nominum mutatio longo saeculorum decursu, limites Armeniae, et vicinarum provinciarum valde confuderit, qualitercumque appellatae fuerint, Christianorum plenas olim fuisse illas certissimum est: et ad Antiochenam sedem pertinuisse, non modo Notitiae veteres, sed Acta Ecclesiastica multa demonstrant. A Muhamedanarum rerum initiis, cum pauci illic admodum Orthodoxi Graeci superessent, Syri Jacobitae in eas effusi, Catholici dignitatem, quae sub Justiniano videtur instituta, in unum ex Episcopis Antiocheno Patriarchae subjectis contulerunt, quem *Mofriano* appellaverunt, ejusque sedem in urbe Takrit satis celebri, constituerunt. Talis inter suos fuit Gregorius, cognomine Abulfaragius: de quo plura dicta sunt in observationibus ad illius Liturgiam. In vetusto exemplari dicitur fuisse *primas in Montana Armenia:* et in ista Dioecesi fuit quantum conjici potest Episcopatus ille *Cardou.* Quisquis tandem ille fuerit, agnosci in hac ejus Liturgia potest, linguae Syriacae magna peritia, et Theologiae facultas non mediocris: tum testimonia fidei Jacobitarum de vera corporis et sanguinis Christi in Sacramento praesentia, tam perspicua occurrunt, ut nullam Protestantium *παρερμηνείαν* admittant. Extat illa in multis et antiquis Codicibus, ita ut de ejus apud Jacobitas autoritate dubitatio esse nulla possit.

2. *In ea nocte qua paratus erat ad patiendum.*

Quod Graeci et Latini vix et rarissime fecerunt, in variis quas ediderunt Liturgiis, ut verba Evangelica ad Eucharistiae institutionem spectantia,

fusius exponerent, id Syri frequentissime fecerunt, ut autor istius Liturgiae, aliorum exemplo. Addidit autem quod ex Evangelio non habetur, sed ex traditione a multis sanctis Patribus confirmata, Christum Sacramento quod instituebat communicasse; idemque observatur in Liturgiis Alexandrinis, in Nestorianis, et in aliquibus Syriacis Jacobiticis. Omnes secundum Evangelistas et Paulum Apostolum habent *quod pro vobis et pro multis frangitur*, et *pro vobis et pro multis effunditur*, nullae ferme ut hic legitur, *pro vita mundi*. Sed extant integra Christi verba, *Hoc est Corpus meum*, et, *Hic est calix sanguinis mei*. In uno Codice deerant in forma calicis consecrandi haec verba. *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti qui pro vobis effunditur;* peccato potius librarii praetermissa, quam certo consilio, cum in altero ejusdem Liturgiae exemplari exstent, unde illa supplevimus. Sane in paucis illis Liturgiis quae verba Christi omittunt, in utraque forma desiderantur, non in alterutra. Paraphrasis sequentium verborum, *quotiescumque feceritis*, si non accurate cum Evangelistis convenit, at perspicuam continet fidei de Eucharistia confessionem, quae si quid obscuritatis in illis verbis foret, plene discuteret, dum quod Christum Apostolis denuntiantem repraesentat Liturgiae autor, omnibus ad Ecclesiam suam spectantibus Christianis praedicare intelligendus sit.

3. *Ut adveniens requiescens, et illabens super mysteria haec panem quidem transmutet in Corpus Dei nostri, etc.*

De significatione vocum, quae in hac oratione frequentius a Christianis Orientalibus usurpantur in observationibus ad alias Liturgias dictum est, quantum satis erat: notumque diversas illas, *veniat, illabatur, requiescat, obumbret*, eodem sensu usurpari: aliquando unam, plures saepius, sed sententia semper eadem. Illa est, adventus Spiritus sancti precibus Ecclesiae postulatus, nempe effectus aliquis supra naturae ordinem, insigneque miraculum: ut requiescat super dona proposita, hoc est, ut in illis operetur illud, mirabili illapsu et obumbratione sua, quemadmodum in sanctam Virginem superveniens Incarnationis mysterium in ea mirabiliter perfecit ut docent omnes Orientales Theologi, cujuscumque sectae. Cum vero in sequenti orationis parte effectus ille mirabiles significetur, voces varias in Liturgiis Syriacis observamus, quarum nulla integram rei mutationem non significat; si unicam excipimus quae est נחוא respondentem Graecae ἀναδεῖξαι. Istam porro idem significare ac τὸ ποιεῖν probatum est, atque adeo vox Syriaca eodem modo interpretanda est, ut complures aliae Graecae originis, non modo in stilo Ecclesiastico, sed in omnibus prope disciplinis, quas Syri sua lingua explicaverunt. Verba autem quibus utuntur ad significandam transmutationem, vulgo respondent Graeco ποιήσῃ *faciat, efficiat:* aliquando τελειώσῃ *perficiat:* in nonnullis ut in ista, quid per ea verba intelligendum sit exprimunt per שחלף quae vox respondet Graecae μεταβάλλειν. Ea occurrit in sola ex Graecis, Liturgia Chry-

sostomi, ex qua verisimile est migravisse in Syriacam Nestorio tributam, cum is Constantinopolitanae Ecclesiae disciplinam, ut illius urbis quondam Episcopus, ad suae sectae homines facile transferre potuerit. Dioscori igitur, istius officii autoris testimonio constat, dona proposita fieri corpus et sanguinem Christi, non per fidem suscipientium, sed per transmutationem, quam esse rei in rem, et substantiae in substantiam perspicue docent Jacobitarum Theologi. Quae sequuntur eadem prope verba sunt quibus Coptitae, Syris in fide conjunctissimi, uti solent in eximia illa fidei Confessione, quam pronuntiant ante Sacramentorum distributionem.

4. *Hoc est corpus et sanguis Christi Dei nostri, etc.*

In Liturgia Syriaca Jacobi et in aliis prope omnibus, post orationem praecedentem, quae veritatem corporis et sanguinis Christi tam enucleate inculcat, Populus subjicit. *Amen:* qua sola voce continetur approbatio eorum quae mox a Sacerdote pronuntiata sunt, et quae in veteri Ecclesia sufficere judicabatur, cum Sacerdos, vel Diaconus diceret, *Corpus Christi.* In ista vero singularis est prolixior, confessio circa illud mysterium, quae in Eucharistia Christum praesentem agnosci testatur, non modo ut hominem, sed ut Deum: et id Jacobitis familiare, ut ex variis testimoniis quae alibi retulimus, manifestum est. Quae vero istius confessionis causa fuerit, etsi alia quam plenitudo fidei de Eucharistia, quaeri non posse videatur, est tamen altera, nisi fallimur maxime verisimilis. Dionysio Barsalibio teste dicebant Nestoriani, *non suscipi in Eucharistia corpus Verbi Dei, sed hominis et Mariae. Nos autem*, inquit, *dicimus, esse Verbi Dei, ut testatur Paulus his verbis,* qui manducat corpus Domini, et bibit ejus sanguinem: *et mox,* non dijudicans corpus Domini. *Ecce corpus et sanguinem Domini vocat illud, non hominis. Itaque corpus et sanguinem Verbi Dei suscipimus*, quod fusius deinde exponit, et illis verbis quae cum ista oratione maximam habent similitudinem. Dioscorus si ut diximus hujus Liturgiae autor, Curdis Episcopus fuit, in ea regione vixit, quae Nestorianis plena erat: olim enim Orthodoxos et Jacobitas in ista vicinisque provinciis numero et autoritate superabant. Ut igitur suos Jacobitas ille muniret adversus talem Nestorianorum opinionem, de qua tamen vix simile quidquam alibi legitur, istam confessionem Liturgiae suae inserendam judicavit.

5. *Qui veniunt ad thesaurum ossium eorum.*

Insignis locus de veneratione reliquiarum, quae summa est apud Orientales ex veteri disciplina. Inde in vicinis regionibus celebris fuit Martyropolis, Syriace dicta *Beït-Garmé* quasi *Ossuarium*, unde Nestoriani fecerunt *Bajermi* Arabice scribentes: ibique Metropolin propriae sectae constituerunt.

6. *A Petro Apostolorum Principe.*

Quia Gordyaena erat in Dioecesi Antiochena, cujus Ecclesiae Petrus fundator.

7. *Trium Synodorum Sanctarum.*

Nicaenae, Constantinopolitanae primae, et Ephesinae, praeter quas Jacobitae nullas agnoscunt: nec aliarum memoria fit in Diptycho Ecclesiae Alexandrinae Jacobiticae.

Reliqua ex observatis ad alias Liturgias plana sunt.

LITURGIA

JOANNIS I. PATRIARCHAE ANTIOCHENI,

QUI PRIUS VOCATUS EST JOANNES FILIUS MAADNI.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater qui es aeternus, necessarioque existens, qui per effusam bonitatem beatam tuam, omnibus ineffabiliter das ut sint; hominem autem primum qui per inobservantiam legis tuae vivificae, ex vita in Eden immortali exciderat, de novo creasti, et liberum ab omni labe corruptionis iterum exhibuisti, divina plane ratione, atque ad gradum honoris pristinum per exinanitionem voluntariam unigeniti Filii tui reduxisti, per amorem erga homines. Tu Domine etiam nunc, innova in nobis imaginem amoris tui, qui est fons pacis et origo omnis benignitatis: libera quoque nos omnes servos tuos et adoratores tuos, ab odio misto felle serpentis illius homicidae: et da nobis, ut cum tranquillitate concordi, pace non ficta, et unione indissolubili, amplectamur invicem in osculo sancto, quod conveniat

legibus divinis tuis, et referemus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo et bono.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det pacem unusquisque.

Sacerdos. Demitte dexteram tuam plenam misericordia Domine, qui in altis habitas et humilia respicis, et benedic istos servos et adoratores tuos, qui nunc corde contrito, et cum animi dejectione, colla sua inclinaverunt coram altari tuo sancto: et staturam spiritualem animarum omnium nostrum qui incurvamur sub oneribus gravissimis peccatorum, extende, et erige eam brachio tuo forti et invisibili: ut ad habitaculum illud beatum unde per iniquam nostram inclinationem egressi sumus, revertamur, veniamusque et habitemus imperturbabiliter, atque domestice quam maxime, et referemus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. A te enim Pater luminum, et Deus veritatis, venit et fluit omne donum bonum, et perfectum: qui a principio genus nostrum humanum per potentiam majestatis tuae ex nihilo eduxisti, quod etiam magisterio domus, et disciplina legis tuae divina ornasti, et instituisti, ut non illiberaliter, nec praeter rectam morum instituendorum regulam mentem tertiam conservaret, in dignitate mentibus secundi ordinis competente, quae primae mentis sunt ministrae. Verum cum homo muliebri palpatione, ad ea quae humi serpunt declinans, se illis implicuisset, non sustinuisti ut opus manuum tuarum, per improbitatem maledicti illius, rebellaret, sed magno erga homines amore, unigenitum Filium tuum misisti personaliter, ad salutem imaginis tuae. Etiam ex illo infirmitatis exilio in quo jacebat eduxisti eam: imo concessisti ei per gratiam tuam ut divina fieret: quod polliceri sibi nusquam ausa fuisset et mysterium hoc magnum quod absconditum fuerat a mentibus omnium quicumque facti sunt, mundo revelasti, per incarnationem Christi tui. Deprecamur itaque te Domine multae misericordiae, ut non propter iniquitates nostras, prives nos communione horum mysteriorum sanctorum et coelestium, sed concede nobis Domine per eorum susceptionem, custodiam Angelicam, affluentiam benedictionum, veniamque praevaricationum, ut pure et laete referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Caritas, etc.

Sacerdos inclinatus. Tibi enim vere debentur laudes et adorationes ab omnibus, Deus, qui omnibus quod sunt tribuis, et vis vitam omnium.

Elevans vocem. Abditam excellentiam tuam Domine, laudant et exaltant naturae omnes intellectuales, et sensu praeditae: terra et omnia quae super eam sunt: orbes coelestes cum luminaribus suis coelestibus, mentibusque gloriosis eos dirigentibus: substantiae simplices et carbonibus immaterialibus tectae, summum ardorem tuum extollunt: legiones ignitae flamma vehementi succensae, fortitudinem tuam potentem celebrant: ordines Angelorum, et Archangelorum cantibus suis suavibus majestatem tuam ineffabilem explicant. Principatus et Potestates carminibus suis nitidis, potentiam tuam omnipotentem extollunt. Throni et Dominationes, praeclara ordinatione sua, majestatem tuam omnia moventem glorificant. Virtutes, mentium captu superiores, vocibus terribilibus jubilorum suorum, quod nutu eos condideris canunt. Militiae coelestes tubis ignitis laudes tuas intonant et concinunt. Cherubim multi oculi, qui dorsis suis, fulguribus, tonitrubusque validis, fortitudinem tuam ferunt, te benedicunt. Seraphim sex alis instructi, labiis perfectionis regulam concinentibus, et terribilibus, te sanctitatis totius fontem sanctificant, volatu levi et circulari unius ad alterum incessanter trinas sanctificationes una voce canentes, clamantes, vociferantes, et dicentes.

Populus. Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus et benedictus es, atque fons totius sanctitatis, qui cum vidisses genus nostrum per transgressionem mandati in corruptionem delapsum, Verbum unigenitum Filium misisti propter salutem nostram: qui incarnatus est ex Virgine sancta, et factus est homo sicut nos; Deus permanens in natura sua, impassibili et immortali, et figmentum nostrum renovavit atque reformavit.

Elevans vocem. Cum vero figuras, umbrasque legis veteris perfecisset et complevisset in se ipso, tanquam utriusque Testamenti Dominus, voluissetque velum typicum, quod per prophetiam erat, auferre coram oculis coetus Apostolici, et corpus illud verum, quod obscure olim et quasi e longinquo praefiguratum erat, illud ipsum testaretur excellenti quadam ratione esse in proximo; in ea nocte,

quae destruxit noctem peccati et mortis; ea ipsa qua celebraturus erat sacrificium hoc religiosum, tanquam sacerdos, pro expiatione totius mundi: accepit panem in manus suas sanctas, quae mundum creaverunt, et levavit vultum placidum, ad excelsa coelorum ad Patrem, gratias agens, benedixit, † sanctificavit, † fregit † [2] comedit, deditque coetui Apostolorum sanctorum et dixit: Accipite, edite ex eo, Hoc est corpus meum verum, quod pro vita et salute totius humani generis, frangitur et datur ad expiationem delictorum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ita etiam calicem miscuit vino et aqua mystice, postquam refecit eos in mensa vitae, gratias egit, † benedixit, † sanctificavit, † et dedit turmae Apostolorum sanctorum, et dixit: Accipite, bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus vivus Testamenti Novi, qui effunditur pro salute totius mundi, et eos qui credunt in me praeparat ad vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et iterum admonuit eos dicens: quotiescumque congregabimini, et Eucharistiam hanc frangetis, commemorationem mortis meae voluntariae, et resurrectionis agetis et renovabitis, neque in oblivionem abire sinetis, donec veniam.

Populus. Mortis tuae, etc.

Sacerdos. Oculos igitur mentium nostrarum circumferentes in periodum praeclaram dispensationis tuae salutaris propter nos, Christe Deus noster, admiramur et stupemus, atque quantum possibile est infirmitati naturae nostrae, adoramus, gratias agimus et glorificamus. Praeterea etiam adventum tuum secundum terrore plenum commemoramus, quando ex oriente coelorum tuorum excelsorum, sicut fulgur validum exorieris, et habitatores orbis, per summam fortitudinem tuam contremiscere facies, quando coeli, nutu levissimo tuo tanquam volumen complicabuntur, et coelestis orbis in conturbatione magna, a veloci motu suo consistet: quando astra ex splendore maximo radiorum tuorum obscurabuntur et tenebrescent: elementaque sibi contraria in nihilum uno impetu corruent, et decident: quando montes ab indignatione tua fugient, et corpora dura et quae vix dividi possunt, tanquam cera coram ardore tuo dissolventur: quando tubae resurrectionem terribiliter clangent, et sepulcra aperientur, corporaque in eis posita emittentur: quando infernus mortuos in illo seminatos

ejiciet, atque Angeli festinabunt ad separanda tritica a zizaniis: quando gehenna ardebit, sed non illuminata: vermisque poenitudinis rodet acerbissime, et absque fine: ut in illa hora, in qua nullus erit misericordiae locus, Domine plene misericordia, benignitas tua non deficiat erga populum tuum et oves pascuae tuae, neque in ira avertas faciem tuam a nobis. Ne projicias nos omni spe destitutos, propter iniquitates nostras: non praevaleant stagna peccatorum nostrorum, mari magno misericordiae tuae: ne gemamus in supplicio, et non sit qui misereatur, ne defleamus amare, et non sit qui consoletur. Non ligentur ignitis vinculis linguae laudantium te: neque tradantur saevis cruciatibus, qui passionibus tuis salvati sunt: non priventur auxilio clementiae tuae, qui vocati sunt a te ad nuptias tuas. Ne devoret ignis eos qui comederunt corpus tuum sanctum: sitis non excruciet eos qui biberunt sanguinem tuum pretiosum: nec flamma [3] tangat corpora signata Chrismate tuo venerando et sancto. Rationem habe nobiscum Domine, quod colaphis caesi, contemti et persecutionem passi sumus a populis alienis propter nomen tuum sanctum. Ne [4] abneges nos qui non abnegavimus te: confitere nos in die judicii tui, quia confessi sumus te: ne pudeat te de nobis, quos non puduit exinanitionis tuae, ne confusione afficias nos coram solio tuo. Propter haec atque similia Ecclesia tua, et grex tuus poenitendo deprecantur te Domine, et per te atque tecum Patrem tuum dicendo.

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos inclinatus dicit [5] *Invocationem Spiritus sancti.*

Miserere mei Deus, et mitte gratiam Spiritus sui sancti, qui tibi consubstantialis est et coaeternus, qui per Prophetas locutus est, et Apostolis sapientiam tribuit, martyresque coronavit: qui in sinum purum Virginis sanctae descendit, et corpus formavit Verbo tuo, ejus socio, aequalisque secum naturae et virtutis: ut ipse ille descendat etiam nunc super haec mysteria, perficiat et sanctificet ea: meque infirmum carnisque et spiritus sordibus maculatum, mundet et purificet.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos. Exaudi me Domine.

Tum ait. Et illabens, faciat panem quidem istum corpus sanctum Christi Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod in calice est, sanguinem ejusdem Christi Dei nostri ut per unionem eorum sacramentalem, in animabus nostris: et corporibus, sint nobis ad emundationem a maculis, ad augmentum verae fidei, ad virtutem adipiscendam, et ad libertatem ab omnibus angustiis obtinendam, malorum depulsionem, bonorum abundantiam, benedictionum firmitatem, concordiae confirmationem, tranquillitatem laetam, sedulitatis incrementum: ad viaticum longi itineris: ad arrhabonem vitae venturae: et ad plenam securitatem absque confusione, coram solio tuo tremendo, et terribili: ut ab omnibus, per omnia et propter omnia referamus tibi gloriam etc.

Sacerdos inclinatus. Suscipe sacrificium hoc Domine pro universa Ecclesia tua sancta, et Orthodoxa: pro Patriarchis, et Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis et reliquis Clericis: pro me etiam infirmo, infecto, et percusso ulceribus peccati.

Elevans vocem. Ecclesiam tuam coronatam omni sanctitatis genere orna et illustra: Pastores et rectores ejus qui fideliter et sedulo praesunt eidem, sapientia et auxilio adjuva. Eos vero qui adversus eam contendunt, fortitudine brachii tui contere et dissipa: omnesque filios ejus sub alis misericordiae tuae congrega et protege: cunctos etiam servos et adoratores tuos ab omnibus angustiis praeserva et custodi: et referemus tibi gloriam, etc.

Sacerdos inclinatus. Ne propter iniquitates meas Domine rejicias oblationes has, quae manibus meis infirmis oblatae tibi sunt, sed suscipe eas per gratiam tuam, et fac memoriam bonam, omnibus qui illarum participes sunt, et eorum omnium qui optaverunt offerre sed facultatem non habuerunt; ut eorum omnium qui quocumque tempore et quacumque ratione curam habent Ecclesiae tuae sanctae.

Elevans vocem. Suscipe quoque per gratiam tuam decimas, primitias, et oblationes eorum qui cum fide vera eas separaverunt, et attulerunt ad Ecclesiam tuam sanctam. Praesta illis earum beneficio, commemorationem ad altare tuum coeleste, non manu factum: neque gemitus et obsecrationes deprecantium te despicias Domine, plene misericordia. Eos qui angustiam spiritus patiuntur, recrea:

lugentes consolare, afflictos conforta, pauperes et egenos vitae necessariis instrue: orphanos et viduas guberna: navigantes ad portum deduc, peregrinantibus comes esto; calumniam passos et captivos libera: oppressis et direptis auxilium et misericordiam exhibe: omnesque qui in necessitatibus aut periculis versantur eripe, per brachium tuum insuperabile. Eos qui a malignis spiritibus vexantur et infestantur, libera per potentiam tuam magnam. Eos qui subjacent violentiae iniquitatis, salva. Illis qui sunt in exiliis, et persecutionibus jactantur, esto curator et consolator: illis qui in carcere detinentur, et affliguntur, libertatem concede. Infirmos sana, eos qui male habent cura, confractos alliga, et nobis omnibus servis et adoratoribus tuis, praesta veniam et remissionem omnium praevaricationum: et unicuique auxilium, et quidquid utile esse potest modo et tempore convenienti, concede Domine, qui scis omnia et potes omnia, et tibi gloriam et laudem referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine [6] omnium Regum fidelium et principum populi tui, qui curant, et adjuvant Ecclesiam tuam sanctam; et concede illis strenuitatem, atque victoriam de hostibus suis. Memento etiam Domine omnium, qui oppressi, persecutionem et necessitatem patiuntur, benedic aëri et coronae anni per gratiam tuam.

Elevans vocem. Et omnem altitudinem elevantem se adversus veritatem Ecclesiae tuae sanctae, deprime et everte per virtutem tuam insuperabilem. Lupos etiam spirituales, qui insidiantur ovibus gregis tui spiritualis, perde et disperge; atque ab omnibus plagis quas gravitas peccatorum nostrorum inducit super nos, salva populum tuum Domine: a bellis et persecutionibus: a fame et mortalitate: ab incendiis et submersione: ab adversitate, rebellione, injuriis et oppressionibus: a latrociniis, et fuga, exilio, et damnis: a crudelitate, a tentationibus, a flagitiosis et invidis hominibus: ab effusione sanguinis per gentes alienas. Neque propter peccata naturae nostrae fragilis, et fluxae, excludas a nobis juvandis auxilium tuum. Sed per illam misericordiam essentialem gratiae tuae divinae, pasce nos in pratis custodiae tuae, quia clementia tua super universos effunditur, tuque es auxiliator et refugium nostrum, tibique gloriam referimus, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine Mariae genitricis Dei semper Virginis, Joannis Baptistae, Apostolorum sanctorum, Evangelii annuntiatorum, omniumque Prophetarum, videntium, piorum et justorum: sancti Stephani, Martyrum, Confessorum, et omnium qui placuerunt voluntati tuae, ab Adamo ad hanc usque diem.

Elevans vocem. Prophetarum qui penetraverunt abscondita; videntium qui futura significaverunt: Apostolorum qui veritates praedicaverunt: qui mysteriorum interpretes et illustratores rerum abditarum fuerunt: perfectorum qui viam sanctitatis sublimis calcaverunt: Martyrum et Confessorum qui effuderunt cum gaudio sanguinem suum pro amore tuo: Athletarum gloriosorum qui tradiderunt igni corpora sua, variisque suppliciorum generibus propter nomen tuum sanctum: solitariorum et religiosorum, lugentium, stylitarum eorum qui perpetuam virginitatem coluerunt, qui mundo vano et concupiscentiis ejus renunciantes, cucurrerunt post Evangelium Christi tui. Eorum memento Domine: et nos quoque per obsecrationes eorum exaudiri dignas, confirma et adjuva. Animas quoque nostras imbelles, per aemulationem eorum confirma, et inter agmina dilectorum tuorum, et ordines sanctorum tuorum, nos omnes constitue, ut cum eis et inter eos referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine omnium Patrum, Antistitum, Doctorumque Orthodoxorum, praecipue vero Ignatii, Dionysii, Athanasii, Basilii, Gregorii, Severi, Cyrilli, Ephraem, Jacobi, reliquorumque qui vestigia illorum secuti sunt.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Antistitum quoque et Pastorum probatorum, Doctorum Orthodoxorum qui a Spiritu tuo sancto inspirati sunt: eorum qui in coelo cubiculi splendidi sponsae a Salomone designatae, sponsi coelestis unigeniti Filii tui tanquam stellae fulgidae exorti, splenduerunt mirum in modum: eorum qui sole justitiae, qui radius aeternus e sinu tuo nullo tempore circumscriptus prodiit, illuminati, simul etiam rectis doctrinis suis, totum orbem habitabilem illustraverunt; qui radiis splendidis Theologiae suae Orthodoxae omnes gentes caligine erroris circumfusas, ad lucem deduxerunt, qui turres [8] Calaniticas, et aedificia stulte designata omnium haereseon delirantium destruxerunt et everterunt, per aggeres dogmatum veritatis: Qui hauserunt aquam ex fluentis paradisi et Evangelicis, atque irri-

gaverunt vineam spiritualem Christi tui; qui mundaverunt et purgaverunt agros praeclaros filiae Aramaeorum, sentibus et arbustis opinionum pravarum et impiarum; ut per orationes eorum acceptabiles, Domine animas omnium nostrum in fide orthodoxa eorum confirmes. Fac etiam nos dignos Domine ut sedulo, non negligenter, cum moribus inculpatis eam conservemus, et offeramus tanquam arrhabonem vitae novae ad extremum usque vitae spiritum; et referemus tibi gloriam indesinentem et unigenito Filio tuo et Spiritui tuo sancto nunc, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Praesta Domine per hoc sacrificium, memoriam bonam Patribus, fratribus, et Magistris nostris, tam secundum corpus quam secundum spiritum et omnibus qui defuncti sunt in fide Orthodoxa ex hac urbe, ex quocumque loco, et regione: eorumque, qui cum spe tua occubuerunt, in exiliis, peregrinatione, persecutionibus: in maritimis terrestribusque itineribus, et eorum qui quocumque casu pereuntes, vitam compleverunt temporalem suam, quorum memoriam agimus, et eorum quorum non meminimus. Memento illorum Domine omnium, ipsisque requiem praesta, quia tu es Deus omnium, et oculi omnium ad te elevati sunt.

Populus. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Elevans vocem. Eorum qui cum spe vera, fiduciaque, et Orthodoxa in te fide ex vita hac temporali soluti sunt secundum sententiam ab aequitate tua constitutam, et ad te Deus tanquam ad causam primam omnipotentem et quae ut effectus eos eduxit ex nihilo, reversi pervenerunt, parce per misericordiam tuam, refer illos in numerum electorum tuorum: tege illos umbra lucida sanctorum tuorum; statue illos cum agnis ad dexteram tuam, et induc eos in habitaculum tuum; fac eos pervenire ad habitationes beatas regni tui; fac eos invitatos esse ad convivium tuum, et perduc eos ad regionem exultationis et laetitiae, ubi locus non est doloribus et angustiis, ubi passiones et suspiria non reperiuntur. Ne examines eos strictius, quandoquidem benignius agi secum postulant, propter errores quibus obnoxia est caro lutea et peccatrix: sed misericordiae tuae Domine, patroni pro nobis, et pro ipsis vice fungantur in hora illa terribili judiciorum, quia nullus inter omnes natos ex muliere fuit, qui mundum vicerit, et immunis fuerit ab omnibus carnis sordibus, praeter Salvatorem et Deum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium tuum, per quem nos quoque speramus misericordiam consequi

et remissionem peccatorum quae propter eum est, tam nobis quam ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Peccata et maculas Domine, quae nos et ipsi secundum imbecillitatem naturae nostrae infirmae pronaeque ad crimina, nobis ipsis contraximus, voluntarie aut involuntarie, scienter vel ignoranter, parce et dimitte, tanquam Deus longanimis et multae bonitatis, et quandoquidem carne hac humili impediti sumus, et in mundo vano existentiae et corruptionis versamur, aufer et amove a semitis nostris omnes laqueos, et decipulas diaboli inimici nostri, et omnes adversitates quibus affligitur utraque vita nostra tam corporis quam animae, aufer a nobis: et sicut statutum est, ubi expulsi ad viam generalem transibimus; concede nobis finem Christianum et absque peccatis Domine, quando, ubi et quomodo tibi placitum erit. Tantummodo liberos effice nos et defunctos nostros a confusione coram solio tuo terribili et timendo, neque prives nos Domine visione tua divina, quae est regnum promissum omnibus sanctis: ut in hoc sicut in omnibus glorificetur, etc.

Populus. Ut, etc.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Diaconus dicit Catholicam.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Tibi enim Deus, sol magne rerum intellectualium, et genitor splendidi solis justitiae, debentur omnes adorationes, et benedictiones coelestium et terrestrium: cujus beneficentiae sublimi visum non est, ut exiguus radius emanans a lumine tuo aeterno obscuraretur, per audaciam tenebrosi illius rebellis, misistique Verbum unigenitum Filium tuum, splendoremque gloriosum substantiae tuae, in fine temporum ad auxilium figmenti tui: qui in carne nostra humana visus est, et super terram secundum dispensationem conversatus est nobiscum, domum tuam mundam a diis obscoenis purgavit, atque collegit: imaginemque tuam regiam defossam sub passionum fimo, eruit et invenit, et mentes coelestes proximas antiquo lumini, participes

gaudii illius generalis fecit, genusque rationale terrestrium a servitute mortis et satanae, brachio suo forti liberos praestitit. Filios tuos et fratres suos vocavit nos omnes et adscivit: ipseque per seipsum, calcans nobis viam ad vitam novam et immortalem, docuit nos ut preces et deprecationes offerremus majestati tuae gloriosae, pro salute nostra. Deprecamur igitur te Domine misericors, praesta nobis omnibus servis et adoratoribus tuis, ut cum conscientia pura, corde contrito et humiliato, labiisque impollutis, et cum fiducia qualis filios decet, oremus et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur.

Sacerdos. Quandoquidem dignos fecisti nos servos tuos, reos neque meritos, ut filii tui essemus, et nomen gloriosum paternitatis tuae excelsae super nos invocaretur, mitte regnum tuum ad auxilium nostrum et ab omnibus insidiis inimici, et machinationibus hominum sceleratorum, et implacabilium conserva nos: impugnationem quoque tentationum intolerabilium prohibe et depelle a nobis: neque permittas naturam nostram imbellem afflictionibus contumeliosis cum insultatione affici. Parce et dimitte per clementiam tuam omnes praevaricationes nostras humanas, quia virtus tua potest omnia, et tuum est imperium, et excellentia; tibique gloriam et laudem referimus.

Populus. Amen.

Diaconus. Ante.

Sacerdos. Coram te Deus Deorum, et Domine dominantium: quem exaltant ordines coelestes, inclinaverunt nunc servi tui colla animarum corporumque suorum, cum mentis humilitate, obsecrantes coram limine commiserationis tuae. Extende dexteram tuam plenam miserationibus Domine, et benedic congregationibus adorantium te, neque rejicias petitiones deprecantium te. Effunde super eos benedictiones tuas: abundantes fac eos donis tuis: divites eos fac muneribus tuis: multiplica erga eos auxilia tua; confirma eos virtute ad observationem mandatorum tuorum: perfice illos per communionem divinam sacramentorum tuorum, laetifica eos promissis tuis, ut nos omnes abstersi a sordibus peccati, puri et rite praeparati inveniamur ad susceptionem corporis propitiatorii et sanguinis salutaris Christi tui, sintque nobis ad emundationem, et non ad accusationem, ad propitiationem, non ad condemnationem: ad fiduciam familiarem coram solio tuo timendo, nulli confusioni obnoxiam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit, etc.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Sacerdos. Nunc Domine quando gladium Cherubicum, transgressi pedibus spiritualibus effugimus animose, et ex fructu illo desiderabili qui ex te est, arbore vitae, et omnia vivificante edimus et epulati sumus: atque ad regionem nostram pristinam, cum summa domesticitate restituti sumus, et ad divinitatis participationem quae illusorie nobis ostentata a serpente seductore fuerat, efficacissime conservasti nos: simulque ad imaginis tuae similitudinem pristinam per convenientem, dignumque pudorem, propter dispositionem illam, quam erga nos statueras, restituisti nos. Quid habemus quod retribuere possimus amori erga homines tuo, propter beneficia nullis gratiarum actionibus coaequanda, quae effudisti super nos? Quas tandem voces gratiarum agendarum possumus offerre tibi, quales debentur beneficentiae misericordiae tuae erga nos? Quantum imbecilles nostrae vires sufficiunt, adoramus, glorificamus et gratias agimus, et exaltamus, deprecantes mare effusum clementiae tuae, ut mysteria haec sancta quibus vivimus, et renovati sumus, sint nobis fermentum vitae novae, et pignus vitae futurae et aeternae, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Sacerdos. Te Rex regum Jesu Christe cui inclinantur omnia quae in coelo et in terra sunt, adorat et ardenter deprecatur nunc Ecclesia sancta redemta ex gentibus, per crucifixionem tuam, deprecans te cum suspiriis et lacrymarum effusione, pro omnibus ordinibus et conditionibus filiorum tuorum redemtorum sanguine tuo pretioso. Induc eos in ovile tuum. Emitte super eos dexteram tuam, obsigna eos cruce tua, conserva illos in veritate tua, protege eos sub alis clementiae tuae: adjunge eos ad domesticum consortium tuum: conforta eos per amorem tuum, congregationes eorum compone per pacem et tranquillitatem tuam. Constringe illos vinculis

diligentiae et curae tuae. Pastoribus ejus concede sapientiam, concordiam et sanctitatem: sacerdotibus ejus mores praeclaros: Diaconis ejus modestiam: Regibus ejus aequitatem, et Orthodoxam fidem, cum victoria. Virginibus ejus, zelum, et temperantiam; conjugatis castimoniam thori conjugalis: principibus in ea viris, humilitatem mentis: divitibus misericordiam: pauperibus alimentum et patientiam: esurientibus saturitatem, aegrotantibus sanitatem: impetui juvenilis aetatis eorum qui in ea sunt, continentiam; senibus vigorem, dispersis in ea reductionem: prope existentibus custodiam perfectam, et omnibus qui in aliqua necessitate constituti sunt, da solatium, liberationemque nobis omnibus servis et adoratoribus tuis: concede veniam omnium praevaricationum, et immunitatem ab omnibus malis, quia non est nobis pastor, Dominus, aut Deus alius praeter te, et tibi gloriam referimus et gratiarum actionem, et Patri tuo, qui misit te ad salutem nostram, et Spiritui tuo sancto nunc, etc.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus, etc.

IN LITURGIAM IGNATII SIVE JOANNIS FILII MAADNI

NOTAE.

1. Quis Joannes ille fuerit plane nescimus, nisi quod Antiochenus Jacobitarum Patriarcha fuerit: quo tempore vixerit, ignoratur, cum obscurissima sit Ecclesiae Jacobiticae Antiochenae historia, quam qui scripserit, nullus reperitur: imo ne successio quidem Patriarcharum illorum satis explicata est. Recentiorem illum fuisse verisimile est, quia sanctus, ut plerique veteres non appellatur, sed tantum *Mar,* qui titulus licet aliquando sanctis tribuatur, Episcopis etiam, et multo magis Patriarchis, etiam viventibus honoris gratia tribui solet. Certum autem praefert novitatis indicium, ex stilo illo affectato, vocibusque reconditis, Graecis praesertim, saepe non recte intellectis. Accedit synonymorum et epithetorum farrago inutilis, quae

orationem multis in locis obscurissimam faciunt, ut literalem, quod tamen quantum licuit conati sumus, eorum interpretationem dare, impossibile saepe fuerit. Extát haec Liturgia in Codicibus Colbertinis et Seguierianis satis antiquis, cum levi admodum varietate, nata ut plurimum ex vocum obscuritate, quas verisimiliter librarius non intelligebat.

Praefert autem sinceritatis notas omnes, quae in similibus Officiis ad conciliandam illis autoritatem possunt desiderari. Forma enim reliquarum Liturgiarum dispositioni simillima est, et ad communem illis ordinem accommodata. Sententiae omnino similes, insignia de veritate corporis et sanguinis Christi in Sacramento, testimonia nihil habentia novitatis aut peregrinitatis, sed Orientalium fidem, tot aliis monumentis confirmatam repraesentantia. Verba Christi Domini consecrationem efficientia referuntur, ut vulgo in Liturgiis Orientalibus ad Graecarum formam, nisi quod in ista adjicitur, *Hoc est corpus meum verum,* et *Hic est sanguis meus vivus*: qua in additione si peccavit Autor, de quo nulla quaestio est, cum haec alibi fuse tractata fuerint: at sane contra veram de Eucharistia fidem non peccavit; cum haec epitheta duo non temere posita sint, ut suspicari quispiam posset, praesertim in tanta tamque effusa verborum copia. Sed duobus illis verbis Joannes Patriarcha totidem errores ex suorum Jacobitarum animis depellere satagebat, si in tanta Christianorum Orientalium calamitate et ignorantia, illos ex aliorum commercio imbibissent. Primus erat Eutychis et Apollinarii, quos in eadem sententia fuisse credunt, quod Christus de coelo corpus habuerit, nostrisque dissimile: qui error destruitur, dum in sacramento verum Christi corpus esse confitentur: simulque Juliani Halicarnassei quem Jacobitae condemnant, *Phantasiae*, ut ipsi dicunt rejiciuntur. Alter error is est quem ut alio loco observavimus Nestorianis tribuunt, teste Dionysio Barsalibi, quod in Eucharistia corpus et sanguis hominis Christi sunt, non Dei hominis facti: qua ratione, Jacobitae ut carnem, ita sanguinem Christi vivum et vivificantem juxta Cyrillum appellant. Paraphrasi autem exprimere verba Evangelica adjiciendo ea quae ab Evangelistis et Paulo non referuntur, vetustissima Orientalium consuetudo est.

2. *Comedit.*

Dicitur etiam Christus comedisse, quod in Copticis, Graecis Alexandrinis, Nestorianis et Syriacis aliis Liturgiis eodem modo legitur, et veterum traditione confirmatur.

3. Cum dicitur *ne flamma tangat corpora signata Chrismate tuo venerando et sancto,* perspicuam probationem autor subministrat doctrinae Orthodoxae de Sacramento Confirmationis: ut notavimus ad aliam Liturgiam. Haec enim verba significant characterem Christi, cum signo crucis ex Chrismate impressum, gratiamque sacramentalem.

4. *Ne abneges nos qui non abnegavimus te, etc.*

Locus hic convenit persecutionibus quas sub Muhamedanis Antiocheni Jacobitae frequenter passi sunt, patiunturque quotidie: quarum historia plena est. Quamvis enim Pseudopropheta Christianis injuriam fieri prohibuerit, nulla est injuria cui obnoxii non fuerint. Per *populos alienos* videntur quoque designari Franci nostri, qui Antiochia capta, et per multos annos possessa, Jacobitas Patriarchas ejecerunt, reliquosque Christianos Orientales adeo vexaverunt, ut ab unitate Orthodoxa alienissimos fecerint: praesertim quod nullus esset inter tot cruce signatos Ecclesiasticos, qui ab erroribus illos per sanam doctrinam revocare satageret, aut si conaretur, potuisset. Hinc illa Petri Episcopi Melichae adversus Francos querela: *quod a se in fide dissentientes internecione delerent.*

5. *Invocatio Spiritus sancti.*

Ea quam exhibet haec Liturgia, iisdem verbis et sententiis constat, quibus reliquae prope omnes. Nam verba, illapsus, requietionis, obumbrationis, et alia quorum vim alibi fuse exposuimus, adhibentur. In omnibus secundum exemplar antiquissimum Liturgiae Graecae Jacobi, illapsus mirabiles varii sancti Spiritus enumerantur, praecipue in Jesum Christum dum baptisaretur in Jordane: et in Apostolos ignearum linguarum forma. Hic vero singulariter mentio fit illapsus ejus in Virginem, ad perficiendum Incarnationis mysterium. Ita testantur Jacobitae, credere se, non minus descendere Spiritum sanctum in dona proposita, quam descendit in Christum, et in Apostolos, praecipue vero in B. Virginem, quando in eo formavit corpus in quo Verbum Dei carnem assumpsit: idemque in altari efficere, mutando dona proposita in corpus et sanguinem Christi. Omnia autem priora, cum non sine miraculo summo facta fuerint: idem de Eucharistia credere se paucis verbis testantur, nempe miraculum fieri primis illis comparandum: quod necessarium esse nemo dicat ad actum fidei eliciendum, quae ex Protestantium sententia, medium est quo Christi corpus accipitur. Neque haec divinando dicuntur, cum ea fuse et in eamdem sententiam explicent illorum Theologi.

6. *Regum Fidelium.*

Ita in pluribus Liturgiis Jacobiticis, etiam recentioris aevi, ut Dioscori Gordioeni, Michaelis Antiocheni, Ignatii, Jacobi Serugensis, alterius Edesseni, et Xysti. Mirum id sane, cum ab Infidelibus grave impenderet periculum, si preces pro hostibus suis publice fieri, imo et victoriam de se ipsis a Deo postulari, deferente quocumque apostata, intellexissent. Formulam tueri po-

terant, tanquam a se non inventam, sed acceptam a majoribus: at futilis excusatio fuisset apud barbaros tyrannos. Neque illud magis convenire videtur saeculo quo Liturgia scripta fuit, quod preces fiant pro Regibus et principibus fidelibus qui Ecclesiam fidelem, id est Jacobiticam, juvarent. Nam a fine septimi saeculi, et a capta per Muhamedanos Antiochia, Imperator aut Rex nullus extitit, qui ab illa secta alienus non fuerit, si Reges Aethiopiae et Nubiae excipimus, qui Alexandrinae Ecclesiae subditi erant, non Antiochenae. Nam Graeci qui aliquando Antiochiam receperunt, et Franci a quibus capta est Melchitae erant: Tartari aliquot Hordarum quibus imperabat Ung Khanus a Ginghizcano victus et spoliatus, Nestoriani erant: atque adeo neutri fideles erant ex Jacobitatum sententia. Verisimile igitur omnino videtur, istam et aliquot alias Liturgias, magis ad veteris disciplinae formam, quam ad usum Ecclesiarum fuisse compositas.

7. *Doctorum Orthodoxorum, etc.*

Ex illa enumeratione Doctorum Ecclesiae agnoscitur Jacobitarum sincerissimorum hanc Liturgiam fuisse, non Orthodoxorum. Jacobus qui nominatur, Serugensis Episcopus fuit, simulque Botnanensis, cujus nomine habent inscriptam Liturgiam ad quam ea quae de ipso observare potuimus, annotata sunt.

8. *Turres Calaniticas, etc.*

Eadem locutio occurrit in Liturgia Ignatii Patriarchae Antiocheni cognomine filii Wahib. Sententia est primos illos Ecclesiae Doctores falsas opiniones gentilium et haereticorum, quas Turri Babylonicae in Calne aedificatae comparant, dissipasse et destruxisse, Syriamque quae hic vocatur *Aramaeorum filia*, ut Judaea *filia Jerusalem: Chaldaea filia Babylonis;* vera Evangelii doctrina illustrasse.

LITURGIA

IGNATII PATRIARCHAE I. ANTIOCHENI,

QUI ETIAM DICTUS EST JOSEPH F. VAHIB.

Oratio Pacis.

Deus absondite et incomprehensibilis, abdite et excelse, neque investigabilis, tranquillitas supernorum, et inferiorum, Pater omnis paternitatis et Dominus omnium dominationum: qui per effusam largitatem immensorum beneficiorum tuorum seruisti pacem et tranquillitatem inter spiritus et animas, naturasque a se invicem dissitas conjunxisti, posito lapide angulari unigenito Filio tuo: pacem concede societati nostrae per caritatem tuam: accende mentes nostras amore tuo: dirige cogitationes nostras ad te: fac regnare in nobis tranquillitatem et pacem tuam, praestaque nobis, ut una catena spirituali colligati, precemur nobis pacem mutuam in osculo sancto et tibi placito, ut simus unum corpus capitis Christi unigeniti Filii tui, quemadmodum tu cum illo unus es, absque divisione secundum substantiam tuam. Per eum et cum eo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo sanctissimo, bono, adorando, vivificante, tibique consubstantiali nunc, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Sacerdos. Super eos, Domine, qui crediderunt veritatem tuam, qui per caritatem tuam uniti, et conjuncti sunt per amorem tuum, quique cervice demissa humiliaverunt capita sua coram majestate tua, mitte divitias benedictionum a sede gloriae tuae: benedic eos dextera tua, et adduc eos sub umbram tuam: facque eos dignos gloria decuplici, et bonis novies multiplicatis, quae praeparasti timentibus nomen tuum: et referemus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quis ullus ex toto naturae rationalis et terrenae genere possit comprehendere, aut narrare effusa beneficia tua omnibus secreta et abscondita, Domine? qui cum indigni essemus, dignos fecisti nos, et ex nihilo ad existendum adduxisti: qui nos e statu infimo ad excelsam dignitatem extulisti. Petimus a te Domine, ut instabiles voluptates, animum avertentes, et inferioribus rebus per concupiscentiam affigentes, a nobis procul facias; bona vero seu voluptates stabiles divinisque proximas, supernisque rebus dignas, et quae sursum affigant animum, nobis adjicias: atque ut digni efficiamur conjungi et uniri per sacramenta sancta et deifica, coetibus eorum, tibi offerimus sacrificium; et referemus tibi gloriam et laudem, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui sanctissimo tuo.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Misericordiae Dei, etc.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus. Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Te decet laus, te decet gratiarum actio, et tibi debetur adoratio ab omnibus agminibus coelestibus, et ordinibus terrestribus, iisque omnibus quae essentia tua creavit; sensu praedita vel carentia, et quae inter utrumque genus, quae ad existendum produxisti: quia tu laudabilis es et extollendus cum Filio tuo, et Spiritu tuo sancto.

Elevans vocem. Tu enim es Domine cujus laudibus pleni sunt coeli et terra, et omnia quae in eis sunt; qui nutu tuo conservas in rerum natura coelum et terram, quae ordinavit majestas tua, atque statuit ad gloriam essentiae tuae: quae quamvis natura sua taceant, honorant tamen te; et rationales creaturae vocibus suis glorificant te. [2] Maxime vero Angeli, qui luce aeternitatis tuae illuminantur, mediantibus Archangelis tibi ministrant. Archangeli qui a fulgore essentiae tuae mediantibus Principatibus illustrantur, tibi jubilant. Principatus qui radiis naturae tuae absconditae, mediantibus Potestatibus irradiantur, te honorant. Potestates quae flamma fortitudinis

tuae, mediantibus Thronis incenduntur, te celebrant. Throni qui igne divinitatis tuae mediantibus Dominationibus inflammantur, te exaltant. Dominationes quae ardore potestatis tuae, mediantibus Virtutibus incenduntur, te laudant. Virtutes quae timore tui timendi, mediantibus Cherubim implentur, te hymnis venerantur. Cherubim qui fulgure majestatis tuae, mediantibus Seraphim afflantur, benedicunt tibi. Seraphim qui nullo intermedio ab ipso sanctuario sedis gloriae tuae illuminantur, te sanctificant: una voce triumphali, alter ad alterum volantes, ab uno ordine ad alium superiorem hymnum dirigentes, linguis politioribus quam gladii acuti, oribus ignem ardentem spirantibus, vocibus tremulis, sed resonantibus, ultra quam mentes terrenorum comprehendere valeant, majestatem tuam quae omnibus ut essent dedit, glorificant, clamant, vociferantur et dicunt.

Populus. Sanctus, etc.

Sacerdos inclinatus. Sanctus et sanctificatione venerandus es Deus Pater, cum Filio tuo misericordi, et Spiritu tuo vivificante, ab excelsis et inferioribus, igneis, et corporeis, iis qui intellectu et qui solo sensu praediti sunt; cujus bonitati absconditae visum est, ut non solus gauderes contemplatione regni tui aeterni, sed per caritatem et bonitatem revelasti abscondita naturae tuae sanctae, et exortus est splendor substantiae tuae, et radius divinitatis tuae, Verbum aeternum non temporale, resplenduitque igneis spiritibus, et igneus visus est ad eorum similitudinem: neque secutus amplius eorum vestigia, ad terrenos delatus est, factus est terrenus ad similitudinem eorum, ad eos dirigendos, demonstrans eis viam per quam ad promissa tua pervenirent, vitamque beatam consequerentur; quia omnia impedita et aspera, facilia sunt coram te.

Elevans vocem. Qui cum vellet gustare calicem mortis, ut nos mortales confortaret et confirmaret adversus mortem naturali nobis lege constitutam, descendereque ad sepultorum abyssum, ne illi vivifica visitatione privarentur, in ea nocte quae finis et initii fuit, [2] accepit panem perfectum in manus suas plenas benedictionibus, ex quo compositum fuit corpus ejus sanctum, in Virgine thori maritalis experte, coram familiaribus suis: gratias agens, † benedixit, † sanctificavit, † et fregit illum, divisitque illum in partes, et dedit eum duodecim suis sociis, et dixit: Accipite, manducate: Haec est caro mea quae pro vobis, et pro multis vestri similibus frangitur, sanctificatur, et datur, ad abolitionem criminum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter vultu sursum elevato, significans voluntatem unicam suam, Patris sui et Spiritus sui sancti, velut ad confirmandam veritatem mortis voluntariae pro salute imaginis suae, quae in corruptione jacebat, etiam calicem vitae, quem miscuerat vino ex uva, et aqua naturali secundum mensuram, accepit, postquam epulati essent ex sacramentis, et gratias egit, ☩ benedixit, ☩ sanctificavit, ☩ et similiter familiaribus suis porrexit, et dixit: Accipite et bibite singuli ex manu alterius: quia hic est sanguis meus vivus, qui effunditur pro humano genere in me credente, ab abolitionem insipientiarum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Cumque haec in persona sua ipse complevisset, injunxit illis, praecipiendoque dixit: quotiescumque concordes inter vos, per haec simul conjungemini, mortis meae voluntaria memoriam agite, resurrectionis meae salutaris commemorationem facite, et adventum meum usque ad resurrectionem expectate.

Populus. Mortis tuae Domine memoriam agimus.

Sacerdos. Quis poterit explicare verbis totam dispensationem tuam, quam operatus es pro nobis, o Verbum Deus; aut quis assequi poterit exinanitionem tuam voluntariam, per quam tamen a solio abscondito Patris tui non es elongatus, et ad malitiam, infirmitatemque nostram venisti integre? Quis scrutabitur nativitatem tuam temporalem, per quam filios hominum a satanae servitute liberasti, et a potestate tyrannica et saeva nos eripuisti? Quis investigabit baptismum tuum in Jordane, per quem donum adoptionis nobis concessisti, mysteriumque Trinitatis sanctae revelasti et demonstrasti? Quis aequa rependet passionibus tuis immeritis, mortique tuae voluntariae, per quas compressisti passiones nostras ad peccatum inclinantes: mortemque nostram peccatricem occidisti? Quis non mirabitur resurrectionem tuam vivificam, per quam resurrectionem generalem omnium hominum certam fecisti, quodque corporaliter, sed absque sensibus passioni obnoxiis resurgere debeant homines universi, pollicitus es? Quis non stupeat ascensionem gloriosam ad coelum, sessionemque tuam excelsam super omnes mentes existentes illic, quo nobis ad regionem divinitate plenam, iter fecisti: et quemadmodum dixisti, ubi sum ego, illic erit et minister meus, ita et illud nobis perfecisti. Adorationem et exaltationem, secundum facultatem vires-

que nostras offerimus tibi, pro his quae erga nos fecisti. His adjungimus etiam adventum tuum secundum, terribilem supremis et omnibus nobis infimis, et resurrectionem generalem omnium qui facti sunt, commemoramus, quando Orientalis coeli pars dividetur, et adventus tuus fulguris instar coruscabit, tenebraeque discutientur, et caligo profunda saeculi depelletur: quando splendor tuus fulgurans orietur, et crux tua prae radiis solis fulgebit: mare ignis coram te intumescet, et in momento oculi super universa effundetur: quando coeli sicut volumen convolventur, stellae tanquam fragmina decident, astraque mutabuntur, et tenebrescent: elementa ad nihilum redigentur: quando Angeli cum tubis clamabunt, terraque dolores experietur tanquam parturientis, quique in ea defossi sunt cum terrore surgent, praeparabuntque se ad judicium et vindictam simul: quando montes subsidebunt, sepulchra aperientur, petrae scindentur, mare et arida voces confusas emittent: quando solium terribile collocabitur, quando statera veritatis praeponderabit, et justitia rectum judicans: cum gratia illa summa misericordiae locum non dabit: quando ad vindictam faciendam venies, et examen malefactorum institues, tuncque cum aequitate judicabis, et cum justitia retribues: quando resurgent omnes homines, et in vallem Josaphat congregabuntur, singulique singulis adjungentur aequaliter, bonique de statu illo communi et eodem, timebunt et trement: quando alios ab aliis separabis, bonosque ad latus dextrum constitues, malos ad latus sinistrum repelles, et unicuique secundum meritum retribues: quando justos in mundum materiae expertem induces, et regioni decem civitatibus praestantiori eos praeficies: impios in ignem qui paratus est diabolo et angelis ejus projicies, et fletui, gemitui, et dolori eos addices: quando sedes collocabuntur, Apostolique sancti super eas sedebunt. Itaque filii Ecclesiae tuae sanctae misericordiam tuam implorant, et dicunt: per te et tuo beneficio Domine, non per nos servos tuos: per misericordiam tuam, et non per justitiam nostram, in hac hora judiciorum, non displiceat tibi imago tua, neque oves redemptae sanguine tuo pretioso. Imago tua sumus, quamvis a libertate exciderimus. Ne justitia tua aspiciat iniquitates nostras, ita ut nos repellas cum illis qui oderunt nos. Ne gratia tua elongetur propter odibilia nostra, aut rejicias nos cum inimicis nostris, ne forte laetentur perditione nostra, et dicant nobis, Ubi est Deus vester. Verum effunde super nos gratiam tuam, et absconde nos subter alas cle-

mentiae tuae. Extende super nos dexteram tuam, colloca nos sub umbra tua. Peccavimus, insipienter et impie egimus, verba Prophetarum contemsimus, praedicationi Apostolorum aures clausimus: doctrinam Patrum rejecimus, praecepta tua vivifica non servavimus. Verum quia nomen tuum non abnegavimus, ne abneges nos coram Patre tuo: nos qui confitemur te coram hominibus, confitere coram Angelis tuis: propter haec, et alia ejusmodi Ecclesia tua rogat, grex, et oves tuae supplicant et deprecantur, et per te, atque tecum Patrem tuum dicens.

Populus. Miserere.

Diaconus. Quam timenda est haec hora.

Sacerdos dicit Invocationem Spiritus sancti.

[3] Deus Pater, oramus per abundantiam misericordiae tuae substantialis, et naturalis, mitte directorem illum Spiritum tuum sanctum, qui a te procedit, et accipit a Filio tuo essentialiter et ab aeterno: qui supervenit in Virginem, et purificavit eam, atque in ea formatum est corpus sanctum unigeniti Filii tui, qui fecit nos tibi filios per gratiam tuam, quo perficiente divini, et deificati fiunt, ut altaria quoque et templa, ad gloriam ministerii tui, ille ipse nunc veniat et illabatur super nos, et super sacramenta haec, eaque corpus efficiat, et me indignum omnique bono carentem purificet et abstergat, omnemque gregem tuum spiritualem.

Populus. Amen.

Sacerdos. Exaudi me.

Diaconus. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Sacerdos. Ut per afflatum et illapsum suum secretum, panem hunc perficiat corpus sanctum et animatum Jesu Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et mistum quod hoc calice continetur, faciat sanguinem vivum, et intellectu praeditum Jesu Dei nostri.

Populus. Amen.

Sacerdos. Ut sanctificent omnes eos qui ea sument, et purificent eos omnes qui ipsis commiscebuntur: emundentque animas et corpora eorum qui ipsis communicabunt; sintque nobis sanctum sanctificans, expiatio peccatorum propitiatoria, murus ad securitatem, arx fortis ad defensionem; immunitas a tentatione: praeservatio a dolis:

remissio omnis cujuscumque generis peccati: abstersio macularum omnium, ex peccatis per ignorantiam commissis, ejusque beneficio praeparemur ad standum absque pudore coram solio tuo, invitemurque ad habitaculum illud beatum, et vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Rogamus te Domine Deus, qui suscipis sacrificia mystica, suscipe sacrificium hoc vivum et incruentum, quod offerimus ad honorem majestatis tuae, et reconciliare per illud Ecclesiae sanctae, quae per universum orbem super nomen tuum sanctum fundata et fixa est. Confirma Pastores ejus Orthodoxos virtute tua, ut pascant eam prudenter, non perverse. Decem ejus ordines honora per abundantiam multae misericordiae tuae, et erga me infimum pelago malorum immersum, demonstra gratiam tuam, et miserationes tuae adjuvent me, cum omnibus filiis Ecclesiae tuae sanctae.

Elevans vocem. Ab hac etiam Ecclesia tua sancta quam acquisivisti sanguine unigeniti tui, qui in Golgotha effusus est, et aspersus, tempestates violentas haereseon, fallaci se nomine jactantium, quae cum ea pugnant, compesce, et depelle: et adversus omnem altitudinem erigentem se contra eam, eleva eam et sustine; hostes vero pugnaces, qui volunt eam in abyssum impietatis demergere, perde et confunde: gladiisque acutis quibus quaerunt dividere membra Ecclesiae tuae sanctae, ipsos discinde et macta. Omnes etiam filios ejus servos tuos, illustra illo aeterno lumine quod resplendet super eos qui faciunt voluntatem tuam, et referemus tibi gloriam et laudem unigenitoque Filio tuo, et Spiritui sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Convertere Domine ad deprecationem servi tui, pro universo populo et haereditate tua, quae assidue curam gerit, habitationes, Monasteria et Ecclesias tuas sustentandi: quae etiam primitias, decimas, et oblationes in iisdem offert tibi, et pauperum indigentiae necessaria suppeditat, propter nomen tuum: et pro illis qui secundum facultates suas oblationes tibi obtulerunt, ut pro iis qui eadem facultate destituti, confitentur tibi. Adjuva omnes qui invocant nomen tuum, per dexteram tuam omnibus sufficientem.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Suscipe quoque Domine, benigne, illationem oblationum et primitiarum, eorum qui tibi illas obtulerunt: eorum etiam qui nobis benefaciunt et deprecantur te: eorum qui

prope, quique longe positi sunt, in omni loco aut civitate, et quaerunt nomen tuum. Memento eorum ad altare tuum, quod manibus factum non est, et ab omnibus absconditum; adjuva etiam per virtutem tuam omnes qui te invocant, in mari, in terra, in bello et pace, in arcibus, in insulis, in columnis, in montibus, in speluncis et cavernis: daque illis ut perficiant exactam regulam monitorum tuorum Evangelicorum: famelicos, angustiatos, egenos et pauperes pasce, et necessariis ad vitam rebus instrue: advenas, alienigenas, viatores, tam terra quam mari, reduc in propria. Nudos, ejectos, discalceatos, aut nudo capite vesti et operi. Aegros, doloribus vexatos, infirmos et eos qui tentationibus conflictantur, libera et sana. Eos qui persecutionem patiuntur, qui in carceribus aut vinculis, aut tormentis sunt, salva et libera, nobisque omnibus servis tuis secundum veras promissiones tuas, iniquitates nostras dimitte et condona: quia omnia in manibus tuis sunt, et omnibus virtutem praebes, tibique gloriam et laudem referimus, unigenitoque Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Sacerdos inclinatus. Dignare Domine meminisse Regum [4] fidelium et Orthodoxorum, Reginarumque Christianarum, principum et omnium, qui potestate regia aliquam autoritatem obtinent, qui curam habent Ecclesiae tuae, et manum praebent pascuae tuae, atque clementer et juste judicant gregem tuum: qui oculis laetis et benignis prospiciunt populo tuo. Da illis victoriam et triumphum de illis qui eos oderunt; apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium eorum: extende gladium et fulgura adversus inimicos eorum: immitte pacem cordibus eorum, ut cum timore et puritate gubernent gregem tuum.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Quia regnum tuum, regnum est omnium saeculorum, et potestas divinitatis tuae in generationes et generationes. A te omnes Reges instituuntur, et omnes principes spirituales et sensibiles te adorant. Propterea petimus a te Domine Salvator et liberator a populis invidis, et a dominis saevis, ab immitibus raptoribus, a manibus violentis, et a pedibus alienis, ut Regibus veritatem tuam retinentibus, des victoriam et triumphum de inimicis eorum secretis et manifestis; contere illos in ira tua, et etiam eos a quibus auxilium accipiunt adversus populum tuum, ut illum affligant: paulatim obtere illos in furore tuo. Eos etiam qui in corde et corde loquuntur, perde per increpationem tuam, et da nobis

per gratiam tuam tranquillitatem et pacem, tempora laetitiae et abundantiae, benedictiones ubertatis fructuum, remissionem praevaricationum nostrarum, abstersionem insipienter commissorum, malefactorum depulsionem, libertatem ab omnibus laqueis hostilibus, ut referamus tibi gloriam et laudem, simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo, et optimo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum dignare Domine meminisse illorum omnium qui ab initio usque ad finem, in viis rectis ambulaverunt, et te secuti sunt, confessique sunt nomen tuum, crediderunt in unigenitum Filium tuum, et laeto animo sustinuerunt calamitates propter te: Prophetarum et Apostolorum qui placiti tibi fuerunt; Martyrum et Confessorum qui te cognoverunt, Patrum et Doctorum, qui te veracem comprobaverunt, cum purissima Virgine sancta, Dei genitrice Maria, matre unigeniti tui, et reliquis sanctis amicis et dilectis tuis.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Amicorum majestatis tuae memoriam agimus Domine, et cum deprecatione supplici a te petimus, ut dignos facias nos adjungi ordinibus eorum, et admitti in congregationibus eorum, et collocari inter coetus eorum. Propterea infirmitas nostra, luti pelago immersa, memorat eorum nomina, ut tanquam alis levissimis subvecta nomina nostra infirma et indigna, memoriam habeant in orationibus eorum, et in Ecclesia primogenitorum in coelo, scribantur per intercessionem eorum: nosque omnes servi tui vivi et mortui laetemur in regno tuo aeterno, per patrocinium eorum, secundum promissionem veram unigeniti Filii tui, qui sermones eorum confirmavit: et cum quo te decet gloria, honor, et imperium cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Amplius etiam memento Domine, Pastorum electorum, et verorum qui legem docuerunt accurate, eorum qui judicium legis christianae vere et recte administraverunt, et in fide Orthodoxa, ex vita hac laboriosa, ad unigenitum Filium tuum migraverunt: eorum qui a Divo [5] Jacobo Theologorum principe, huc usque, mysteriorum divinorum scientiam Ecclesiis tuis sanctis tradiderunt, et omni genere deprecationis usi sunt, pro filiis suis spiritualibus.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Illarum columnarum rectarum et inconcussarum, quae onus formosae illius quam sol decoloravit laetanter sustinuerunt: quae illam ipsam filiam Syrorum, Ecclesiam sanctam potenter fulciverunt: qui tabernaculum ejus supra coeli regiones posuerunt, et funes ejus per quatuor terrae partes extenderunt. Qui iterum ac tertio agrum ejus incultum, Ecclesiae ex gentibus congregatae, a sylva zizaniorum, et spinis, vepribusque in ea seminatis purgaverunt: plantaverunt etiam in ea plantas benedictas animarum fidelium, quae sicut cedri Libani crescunt, et ascendunt. Illorum qui ex fonte Edenis seu Paradisi quatuor capitum, hausta aqua eas rigaverunt Evangeliorum fluviis quatuor: qui structiones lateritias, et luteas, fundamentaque Chalanitica, sermonum subtilium, contrariorumque veritati, aedificata et elevata, diruerunt, et solo aequaverunt, per imbres Spiritus sancti, et totam aedificii compagem dissolverunt; qui fundamentis alte jactis aedificaverunt domos fidei verae, super petram inconcussam, et aedificaverunt muros securitatis, a latronibus spoliantibus animas, tutos securosque praestantes. Horum supplicationibus et deprecationibus Domine, confirma nos in disciplinis illorum: firmos praesta esse nos in doctrina ab illis demonstrata, et da etiam nobis ut imitemur et observemus digne mores eorum, usque ad separationem animarum a corporibus, secundum finem illis praestitutum, ut cum illis et inter illos referamus tibi gloriam, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Iterum etiam praecipue in memoriam revoca Domine, omnes defunctos fideles qui communicaverunt corpori et sanguini unigeniti Filii tui, et participes facti sunt baptismi adoptionis filiorum; atque ex hac laboriosa vita vario genere cum spe in eum, migraverunt: qui expectant spem beatam, et promissionem illius veracem: filiorum Ecclesiae sanctae, qui tibi soli Deus, numerati et cogniti sunt. Fac eos Domine quiescere in habitationibus lucidis, et inter convivia illa deliciosa; remittens transgressiones illorum et nostras.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos elevans vocem. Eos quorum meminimus, eosque quorum non meminimus, qui mox ingressuri sunt portam illam generalem, qua transivit Adam pater noster, primusque creationis nostrae: eos qui vario mortis genere ex hoc mundo materiali egressi

sunt, et ad misericordiam tuam essentialem et immaterialem, ad te, qui omnibus quod sunt tribuis, pervenerunt. Suscita illos per misericordiam tuam, colloca eos inter agnos tuos: numera eos cum Sanctis tuis: voca eos cum invitatis tuis: dirige vias eorum ad regnum tuum: perfice erga illos promissiones tuas, statue illos inter coetus laudantium te. Ne exactius examen instituas nequitiae operum illorum, tunc quando nulla erit jam excusatio pro praevaricationibus eorum, quia imago et similitudo tua illi sunt: fratresque Filii tui, et filios gratiae tuae vocasti eos, sed clementia tua Domine interpellet pro nobis et pro illis: et gratia tua sub velo alarum misericordiae tuae eos occultet, quia nullus eorum qui muliebri utero gestati sunt, liber fuit ab erroribus hujus mundi, et sordibus carnalibus, nisi solus Dominus, et Deus noster Jesus Christus unigenitus Filius tuus: secundum cujus veram promissionem, speramus consequi misericordiam, et remissionem peccatorum, quae propter eum est, tam nobis quam ipsis.

Populus. Quietem praesta.

Sacerdos. Vanas et innumerabiles insipientiae culpas, quas nos et illi voluntate nostra infirma animabus nostris contraximus, onera gravia et ad portandum valde difficilia, quae iniquitatibus nostris congessimus, voluntariis et involuntariis, notis et ignotis, quae in adolescentia aut in senectute, a nobis commissae sunt, et quaecumque a nobis, ab initio ad finem usque vitae hujus temporalis perpetratae fuerint, parce, dele, et dimitte per misericordiam naturalem essentialemque tibi et ingenitam. Conserva nos etiam in hoc laborioso saeculo ab omnibus insidiis et molitionibus draconis spiritualis, qui observat calcaneum nostrum: et caput ejus dejice, contere et confringe velociter sub pedibus spiritualibus nostris. Quando autem ad viam universalem, quam deprecari non licet, gressus dirigemus, Angelum tranquillitatis et pacis mitte ad auxilium nostrum, et liberos ab omni vindicta, inculpatosque coram solio majestatis tuae, exhibe; et cum illis qui meruerunt stare coram te facie revelata, adjunge nos: atque in sorte habitaculi tui coelestis, ubi placitum tibi fuerit nos colloca; ut una voce triumphali laudemus et exaltemus nomen tuum gloriosum et benedictum, simulque unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Iterum atque iterum.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Deus Pater aeterne Filii unigeniti aeterni, qui ab aeterno, ultra momenta et tempora exaltaris et honoraris, et ab omnibus ordinibus immaterialibus benediceris et sanctificaris: cujus bonitati divinae non satis fuit, ut species rationalis hominum terrenorum, non omnino privaretur ea gloria, quae naturis spiritualibus competit, sed etiam ut contemplatione regni tui aeterni fruerentur, et simul hymnum illum angelicum divinitati tuae prae omnibus excelsae, labiis suis indesinenter canerent: qui per praescientiam tuam excelsam, quod Filius tuus aeternus, ad compositionem humanam venturus esset, hominem coepisti creare, citharam decem chordarum: et ex quatuor elementis eum composuisti, eumque condidisti ad imaginem unigeniti Filii tui, et liberi arbitrii compotem fecisti. Cum vero devictus est, et excidit a dignitate in qua primum fuerat, non deseruisti eum, ita ut infirmitatis stadium decurrens ad nihilum recideret: sed Verbum Deum unigenitum Filium tuum misisti ad salutem imaginis tuae, illum simplicem, qui ad compositionem venit: illum invisibilem, qui visus est: accipiens similitudinem servilem nostram, qui descendit in chaos illud mundanum, in uterum virginalem, ad quaerendam margaritam summi pretii, quam eduxit, et extraxit ex luto peccati, et ex acerba potestate maligni liberavit et eduxit, et ad semitam nostram pristinam nos reduxit, docuitque nos orationem ad Patrem tanquam armaturam victoriae, qua accederemus ad majestatem tuam, et vinceremus malignum fraudulentum. Rogamus te Domine Deus noster ut citharam nostram spiritualem, cum decem ejus chordis, liberes ab omnibus passionibus carnalibus et damnabilibus, ut cum decem nostris sensibus corporeis et spiritualibus, decem praecepta Evangelica et viva, quae reliquit nobis unigenitus Filius tuus, tanquam medicamenta pro illis conservandis, offeramus tibi Deus Pater, et dicamus: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur, etc.

Sacerdos. Nunc Domine, nos indignos, et remotos, proximos et domesticos fecisti tibi, et per gratiam tuam naturalem, confirmasti filiationem nostram, non dedignatus vocari Pater noster. Sanctificasti

nos sanctitate tua, ut sanctificaretur nomen tuum a nobis. Mitte etiam regnum tuum aeternum, et habitet in animabus nostris, et voluntate una tua, Filii tui, et Spiritus tui sancti guberna nos: paneque coelesti atque vivificante, qui est omnium alimentum, perpetuo satia nos. Dimitte per misericordiam tuam errores et malefacta nostra: da nobis cor contritum et humiliatum, ut dimittamus etiam debitoribus nostris: et a tentationibus intolerabilibus, quae nobis accidunt, serva nos. Da nobis virtutem, victoriam, et facultatem resistendi adversus inimicum spiritualem nostrum, quia tua est victoria, triumphus, regnum et gloria, simulque unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Capita nostra inclinemus.

Sacerdos inclinatus. Coram te Deus, vivens in saecula, dominator omnium, cui incurvantur omnia genua, coelestium, et terrestrium, servi tui stant cum inclinatione cervicum corporis et animae: cum dolore et lacrymis ardenter ante januam misericordiae tuae, gementes, et expectantes paternam et abundantem misericordiam tuam. Effunde super eos benedictiones de coelis tuis sublimibus, et benedic illos. Extende super illos dexteram tuam beneficam, et adjuva illos. Locupleta illos muneribus tuis divinis et perfice illos. Responde obsecrationibus eorum, per clementiam tuam et custodi illos. Circumda illos muro vigilantiae tuae, et absconde illos. Ciba illos pinguedine domus tuae, et satia illos. Pota illos torrente voluptatis tuo, et inebria illos: ut nos omnes induti vestibus albis, et convenientibus quales afferre decet ad convivium Christi tui, ita digni efficiamur suscipiendi corpus ejus sanctum et sanguinem ejus pretiosum, sanctaque haec, sint nobis sanctificatoria, et pignus vitae in die judicii, et referemus tibi etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordiae Dei sint.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Sacerdos. Nunc Domine quandoquidem viam silvosam et sentibus plenam quae purgata est, calcata ab unigenito tuo, pedibus interioris hominis nostri calcavimus, et ambulavimus, et qui januas clausas perseveranter juxta illud a te dictum, Pulsate et aperietur vobis, pulsavimus, nobisque apertae sunt, et paradisum illum voluptatis patriam nostram antiquam, ex qua depulsi fueramus, illa voce, Venite, ascendite et haereditate accipite regnum coeleste, ingressi sumus et haereditate accepimus, et ex ligno vitae, cujus appetitione genus humanitatis nostrae expulsum fuerat, per illud, Accipite, edite corpus meum, et bibite sanguinem meum, edimus, et epulati sumus. Qui ut dii essemus tempore non congruo volentes, nunc idem consecuti sumus per illud, Accipite Spiritum sanctum, dii et divini facti. Qui illam sententiam, Egredere ad terram maledictionum, nova hac mutasti, Volo ut ubi ego sum, illic et ipsi sint mecum: et ita terram vitae, quae mentium creatarum captum superat, haereditate acceptam possidemus. Quid nobis suppetit, quod retribuamus tibi, pro amplissimis erga nos beneficiis tuis, quia nihil penes nos est quod a te non sit acceptum. Gloriam tibi ex tuis referemus tibi, pro gratiarum actione nostra, adorationem, exaltationem et laudem secundum possibilitatem infirmitatis nostrae tibi offerimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Panis coelestis Christe Deus, qui ex abscondita natura Patris tui gloriosi ortus es apud thronum majestatis suae, factus cibus Angelorum quo confirmati fuerunt: qui deinde advolasti e sede gloriae ejus, non tamen ab eo divisus: factusque es panis hominum terrestrium, quo epulati sint, descendistique in abyssum mortalium hominum, quia tibi ita visum est: unde odorem vitae perceperunt, cujus beneficio suscitati sunt. Visita Domine et vivifica per misericordiam tibi congenitam, filios Ecclesiae tuae sanctae quam acquisivisti sanguine tuo salutari, et mitte super eos benedictionem a sede gloriae tuae, quia in spiritu humilitato et corde contrito, flexis genibus deprecamur te, ut sicut eos creasti, salvasti, et acquisivisti,

ita etiam eos adjungas in familiam tuam: adduc eos ad ovile tuum, induc illos in gregem tuum: guberna eos per caritatem tuam: dirige eos in viam tuam: fac eos ad portum tuum pervenire: voca eos ad haereditatem tuam: assume eos in domum tuam, colloca eos in discubitu tuo, advoca eos ad thalamum tuum: congrega eos ad convivium tuum: conforta eos per spem tuam: jube eos ad regnum tuum venire: conserva eos per crucem tuam, auxiliare illis per dexteram tuam: adjuva eos per clementiam tuam: salva eos per brachium tuum: exorna eos splendore tuo: sanctifica eos per veritatem tuam: miserere nobis omnibus secundum gratiam tuam: concede nobis abundantiam beneficiorum tuorum, et laudem, atque adorationem referemus tibi et Patri tuo, et Spiritui tuo sancto, etc.

IN LITURGIAM IGNATII PATRIARCHAE

ANTIOCHENI, COGNOMINE FILII WAHIB

NOTAE.

1. Quis fuerit Ignatius ille Patriarcha Antiochenus, scire huc usque non potuimus: fuerunt enim plures hoc nomine Antiocheni Jacobitarum Patriarchae, ob magni illius martyris reverentiam: sed quod a nonnullis proditum est, omnes vulgo ita appellari, verum non est, cum plures habeamus aliter appellatos, ut ex variis Historiae Alexandrinae locis, in quibus Antiochenas res tractavimus, demonstratur. Neque magis notus est privato nomine Josephi filii Wahib: nam obscurissima est Antiochenae Jacobiticae Ecclesiae historia. Itaque qua aetate vixerit designare non possumus: mediae autem antiquitatis esse hanc Liturgiam multa suadent. Nam quae sanctis viris, aut illis quos Ecclesia Jacobitica tales judicat, tribuuntur, quamvis schismatum initiis posteriores sint, tamen simplicitatem quamdam prae se ferunt quae vetustatis non leve indicium est. Aliae Liturgiae ut ista, floridiore stilo scriptae sunt, qui non modo recentioris aevi, sed affectationis cum ὀψιμαθεία conjunctae notas praefert prope certas. Ephraemo eloquentiorem lingua sua neminem Syri agnoscunt, cui longo intervallo proximos faciunt Jacobum et quosdam alios, qui quidem tumore illo Asiatico non penitus carebant: at proprie loquebantur, nec metaphoris perpetuis, aut epithetis orationem ob-

scurabant, et inflabant. Verum ab Arabibus rerum dominis, ad Syros haec contagio pervasit: Arabes enim tunc se ornatissime dixisse existimant, cum synonyma et epitheta accumulantes, vocibus antiquis et exoletis per ὁμοιόπτωτα distributis, res claras et simplices involvunt, ut obscurissimae fiant. Hoc vitio laborasse sequioris aevi Syros illos, posteriorum Liturgiarum scriptores, ex ipsa versione agnoscere facile est, quae idcirco longe plus quam reliquae difficultatis obtulit, ut aliae eodem stilo scriptae. In ista vero pauca quaedam observabimus.

2. *Maxime vero Angeli.*

ISTAM de Hierarchia divina Theologiam Syri et plerique Orientales communem habent, acceptam ex Dionysio Areopagitae tributis libris, quos Pauli discipulo vindicant Jacobitae prae caeteris, eo magis, quod ab illis primum producta fuerunt ex iisdem libris testimonia in disputationibus cum Orthodoxis. Sed isti etiam et Graeci omnes, non aliter de libris iisdem sentiunt, qui Syriace et Arabice dudum conversi sunt.

3. *Accepit panem perfectum, etc.*

His verbis autoris recentioris character agnoscitur, qui contra veterum Liturgiarum morem, importunam de Azymo glossam inseruit. Nam ex Syrorum sententia, ut etiam Graecorum, panis perfectus, fermentatum significat: ut patet ex disputatione Joannis Patriarchae Antiocheni, quae extat in Codice Colbertino. Tamen Syri ulterius progressi, panem perfectum ad Eucharistiam celebrandam esse voluerunt, eum qui non modo fermentatus foret, sed etiam cui parum salis et olei admisceretur. Istud Joannes Antiochenus nugacissimis ratiunculis efficere conatus est, quae Coptitarum Patriarchis licet eadem communione conjunctis non satisfecerunt, adeo ut Syrum quemdam, qui oblatam ita paratam ad altare detulerat, contumeliose rejecerit Christodulus Patriarcha LXVI. ut dictum est in Historia Patriarcharum Alexandrinorum. *Hist. Patr. Alex.*
Quod autem narrationis Evangelicae verba non simpliciter, ut in Evangeliis *p. 425.*
et Epistola I. Pauli ad Corinthios leguntur, autor hujus Liturgiae referat, causa alia non videtur fuisse, quam ut aliis fusioribus ea exprimeret, sententia enim eadem omnino est. Dum ait, *ex quo compositum fuit corpus ejus sanctum, in Virgine,* designat communem Orientalibus, explicandae mutationis quae fit in elementorum consecratione methodum, quam a Gregorio Nysseno acceptam plerique Theologi secuti sunt. Scilicet Spiritum sanctum, ut ex carne Virginis Mariae, quae panis alimento nutrita fuerat, formavit corpus in quo Dei Filius incarnatus est, ita in altari eumdem Spiritum omnipotentia divina, ex pane formare corpus idem. Ita fusius Severus Episcopus Aschmoninensis, et alii Jacobitae Theologi.

4. *Haec est caro mea.*

Vulgo tamen in reliquis Syriacis Liturgiis, vox quae proprie *Corpus* significat usurpatur, non synonyma, etsi ab Aegyptiis voces *Σῶμα* et *Σὰρξ* indifferenter usurpentur, ut a Christianis Arabice scribentibus נסר et לחם, verum non eo in loco. Nihil enim minus conveniebat, quam in praecipua sanctiorique Liturgiae parte explicare verborum copiam, quae etiam si aliquo colore excusari posset, sola, ut in simili argumento Augustinus dixit, novitate perturbat. Unde ut plurimis iisdemque gravissimis Theologis non placuit immutari veteres Christi verborum formulas nisi totidem syllabis eam quae Romano Canone continentur, exprimerent, modo ex Evangelio aut Apostolo descriptae essent: ita non immerito damnavere Missionarii similes huic, easque abolendas censuerunt. An vero haec immutatio effectum consecrationis impediat, expendere, longioris operae foret, nec ad institutum nostrum pertinet. Nihil simile in Graecis veteribus Liturgiis, aut in Syriacis, tam Melchitarum, quam Nestorianorum, aut Jacobitarum. Sed neque recentiores illae frequenter usurpatae videntur fuisse, cum reliquarum usus fuerit, sitque etiamnum prope quotidianus. In Latina quoque Ecclesia exemplum nullum occurrit, quo se tueri potuisset Ignatius Patriarcha, aut ejus similes: cum etsi in Praefationibus praesertim, sive Illatione, Contestatione, Post Pridie, ut olim vocabantur et in aliis Officii sacri partibus observetur aliquando uberior mysteriorum et orationum expositio, in verbis tamen Christi referendis, nullum aut exiguum discrimen est.

5. *Invocatio Spiritus sancti.*

In ea quoque oratione, ut in reliquis Liturgiae suae partibus rhetoricatur Ignatius: sed ita ut perspicue veram elementorum transmutationem illis verbis inculcet, quae nulla falsa interpretatione in oppositam sententiam detorqueri queant. Spiritum sanctum *directorem* vocat: hoc est eum qui nos inducit in omnem, *sicut Christus promisit veritatem:* Syriacum enim nomen proprie usurpatur de docendo et dirigendo, unde Apostolicas Constitutiones, *Διδασκαλίαν* vulgo appellatas, saepe Syri הודיא vocant. Spiritum sanctum dicit a Patre procedere, et a Filio quae essentialia sunt accipere, quibus verbis orthodoxa doctrina de processione Spiritus sancti ab utroque, clare continetur: et haec locutio in aliis quoque Liturgiis occurrit et in Codicibus, quos Latinas manus nunquam tetigisse, certissimum est. Quod enim Syri et reliqui Orientales Symbolum absque illa additione *τοῦ filioque* recitent, nihil adversus eorum doctrinam probat. Postea illapsum in sacramenta aperte distinguit Ignatius, et eum qui simul in fideles postulatur: quo testimonio ut infinitis aliis, evertitur abnormis Claudii Salmasii Theologia, dum in Epistola ad Joannem Dallacum, utrumque illapsum ita conjungit, ut ex altero in fideles per eumdem sanctificatos, sequatur alter in dona proposita: nec

aliis panis et vinum fiant corpus et sanguis Christi, quam illis quos prius sanctus Spiritus sanctificaverit. Petitur itaque afflatus et illapsus Spiritus sancti, in dona proposita, ut ea efficiat corpus et sanguinem Christi: in Sacerdotem, et populum circumstantem, ut sanctificati mysteriorum communionem cum fructu percipiant, quod non semel modo, sed iterata postulatione repetitur. Illa vero ut *per illapsum secretum, panem hunc perficiat corpus sanctum et animatum Jesu Christi:* in qua panis vocatur, hostia super quam verba Christi pronunciata sunt, neque illam non esse verum corpus Christi probat, neque consecrationem nondum esse factam. Nam quantum ad primam partem attinet, in omnibus Liturgiis, et in ipso Latino Canone, panis appellatur hostia consecrata, quia panis est oculis et palato, quamvis revera sit corpus Christi. Quod secundam spectat, quamvis viri docti, ex similibus locis probari existimaverint, totam vim consecrationis in Invocatione sancti Spiritus contineri; in verbis Christi prope nullam: nihil tamen efficiunt, cum ut alibi explicatum est, preces ejusdem sententiae super dona consecrata legitime et absque ulla erroris suspicione fieri, non Graecorum modo veterum Officia Eucharistica, sed Orientalium omnium, sed Gothica, Mosarabica, Gallicana et alia nonnulla, palam faciant.

Sequitur vox *perficiat:* quam vocem, si quis ita intelligi velit simpliciter, ut consummationem consecrationis jam factae per verba dominica, significet, non facile refelletur: etsi Liturgiarum autores, ad quos controversiae ante trecentos aut paulo amplius annos natae fama non pervenit, de ea quaestione non videntur cogitasse. Quod igitur verisimilius existimamus, illud est: Syros per vocem *perficiat,* Graecam τελειοῦν expressisse, cui proprium in significanda consecratione domicilium est, non in sacris modo, sed in profanis scriptoribus. Saepissime enim Graecas voces exprimunt Orientales, non tam secundum singularem quam habent significationem, quam ex primaria origine, quod in voce ἀναδείκνυσθαι et in aliquot aliis observavimus. Unde vocem שמלי eadem significatione accipiendam existimamus, qua sequentem *efficiat:* ut ad veram elementorum transmutationem, sive faciendam, sive perficiendam et consummandam, referatur.

Quod sequitur corpus *animatum,* perspicuam Orthodoxae circa Eucharistiam doctrinae testificationem habet, nempe in Eucharistia esse corpus Christi cum anima et divinitate, ut in Canonibus Tridentinis perscriptum est: quod pariter de sanguine intelligendum est. Nam cum Ignatio Patriarchae autori hujus Officii non occurreret vox synonyma, quae priori responderet, quam repetere non sinebat character ille scribendi quem secutus est, proximam significatu delegit. Itaque מדענא quae vox proprie *intelligentem,* aut *intelligentia praeditum* designat, sanguini conjunxit, quo intelligeretur sanguinem Christi in Eucharistia praestantioris esse generis, quam qui ex corpore humano effunditur, sed eadem esse conditione et dignitate, ac ipsum corpus Domini. Nam si diversa voce usus fuisset Ignatius, ut illi quae λογικῷ Graecorum respondet, quae vulgo *spiritualem* significat, et quam vulgata versio per *rationale* efferre solet, sententiam minus commodam circa veri-

tatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia proposuisset. At credentibus, quod illorum Theologi docent, et illorum disciplina confirmat, in corpore sacramentali Christi, esse quoque sanguinem, ut corpus in sanguine, nihil obstabat, quo minus vox corpori animato et rationali proprie conveniens, sanguini attribueretur.

Commistio corporis et sanguinis Christi cum corpore et sanguine communicantium mysteriis, non nova fuit autoris cogitatio, sed communis Orientalium Theologia, ut ex innumeris ejusdem sententiae orationibus constat.

6. *Dignare Domine meminisse Regum fidelium.*

Formula haec statim speciosam quamdam antiquitatis notam offert, quae nostram de hujus Liturgiae mediocri antiquitate conjecturam labefactare videri potest. Reges enim Orthodoxos, a Muhamedani imperii primordiis Antiocheni Jacobitae nullos habuerunt, praeter Graecos imperatores, et Latinos principes, qui illis haeretici judicantur. Ut ad Regem Aethiopiae verba haec referantur, ratio nulla est, cum illorum memoriam, nullae praeter Aethiopicas Liturgiae repraesentent, neque Aethiopes superiorem agnoscebant, Antiochenum Patriarcham, sed Alexandrinum. Illa igitur formula ex veteri potius sub Christianis Imperatoribus disciplina fluxisse videtur, quam usurpata publice in Ecclesiis fuisse: quod sine periculo inter barbaros dominos fieri vix poterat. Unde si quis hanc Liturgiam stili potius exercendi causa, quam ut in publicis Officiis usurparetur ab Ignatio Patriarcha scriptam judicet, forte non inaniter conjectabit: cum ista formula non tantum preces pro Regibus Christianis contineat, sed imprecationes adversus eorum hostes, quorum praecipui Muhamedani erant.

7. *Eorum qui a D. Jacobo, etc.*

De ista commemoratione quaedam observavimus ad Jacobi Liturgiam Syriacam, in quam ex Graeca ejusdem tituli migravit. Illic affectatio nulla fuit, sed Graeci Codicis imitatio, eo magis omni suspicione carens, quod Ecclesiae Hierosolymitanae, cujus illa Liturgia propria fuit, primus Episcopus extiterit: et ad illam Syri veteres primi Liturgiae interpretes pertinebant. Hic vero cum non ab Apostolatu, aut fundatione Ecclesiae sanctae Sion, omnium ut ibi legitur Ecclesiarum matris, sed a Theologia laudetur Jacobus, manifestum est Ignatium ad suae sectae ambitionem respexisse, in qua ut alibi notatum est, multi fuerunt, qui a Jacobo fratre Domini denominatos se voluerunt, non a Jacobo Baradaeo sive Zanzalo, a quo tamen ita cognominatos fuisse, constans Orthodoxorum et Nestorianorum traditio est.

Sequitur satis implicata figurarum congeries de laudibus Ecclesiae Syriacae. Illa quam late patebat, apud Syros Antiochenae Ecclesiae subjecta erat, ut tota prope Dioecesis Orientis: inde Patriarcha Orientis, Antiochenus

vulgo appellabatur, idque ex veteri instituto. Quidquid igitur ad Orientis laudem Ignatius conferre potuit, expressit hac oratione. Paradisus in Oriente fuisse verisimiliter creditur: quatuor fluvii qui inde manabant, ad quatuor Evangelia allegorice referuntur. Haereses et errores gentilium, turri Babylonicae comparantur, quae erat in campis Sennaar, sive Chalane: atque ea ratione vertimus *fundamenta Chalanitica,* cum nisi vox propria sit, significare possit fundamenta arenosa.

LITURGIA
BASILII EX VERSIONE ANDREAE MASII.

Precatio ante Pacem.

Aeterne Deus qui in principio homines creasti ad immortalitatem, mortem porro per invidiam diaboli ingressam in mundum, per salutarem adventum unigeniti Filii tui Domini Dei et Redemptoris nostri Jesu Christi destruxisti, viribusque cassam reddidisti, et coelesti pace terram implevisti; tu, inquam, quem exercitūs etiam Angelorum celebrabant dicentes, Gloria in excelsis Deo, atque inter homines bona voluntas; reple o suavissime Deus, corda nostra bona voluntate tua, pacis conciliatrice, expurgans nos omni labe et dolo, omnique simultatis pertinacia, quae mortem invitat: ac dignare nos mutuam nobis inter nos precari pacem, cum osculo sancto et divino: ut expertes omnis culpae, fiamus participes donorum tuorum coelestium, et immortalium, per Christum Jesum Dominum nostrum: per quem et cum quo tibi debetur gloria, honor et potestas, una cum sanctissimo tuo Spiritu, bono, adorando, vitam largiente, atque tibi in substantia aequali, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax et tranquillitas omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Demus pacem alter alteri, cum osculo sancto et divino, ac caritate Domini nostri Jesu Christi.

Populus. Dignare nos Domine Deus noster.

Diaconus. Ante sumtionem mysteriorum sacrorum quae offeruntur, capita nostra coram Domino misericorde inclinemus.

Populus. Coram te Domine Deus noster.

Sacerdos. Domine Deus noster qui de abundantia gratiae tuae in omnia extendisti, nobis plusquam petimus tribuis, et benignius quam intelligimus, nobiscum agis, extende Domine, manum tuam non aspectabilem, et benedic servis et ancillis tuis, mundatoque ipsos ab omni macula carnis et spiritus, atque dignare nos fieri participes corporis unigeniti Filii tui, quo cum puritate et sanctimonia supplices, preces tibi offeramus et unigenito Filio tuo Domino nostro Jesu Christo atque Spiritui tuo sanctissimo, bono, adorando, vitam largienti, tibique in substantia aequali, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Precatio super velamine.

Sacerdos. Domine qui ab Angelis et Archangelis extolleris, a Seraphim sanctus pronunciaris, super Cherubim sedes, atque ab his simul omnibus nullo interposito silentio, vocibus divino sermone informatis gloriose laudaris: et a nobis etiam terrae incolis sacerdotali functione coli vis, non quod nostro cultu opus habeas, sed ut nos sanctitatis tuae reddas participes: sustine nos Domine ad altare tuum sanctum accedentes; neque propter labem peccati, qua ego noxius homo commaculatus sum, despicias servos tuos, qui coram te consistunt. Tu enim, ut qui ipse fictor es, cognitum exploratumque habes figmentum nostri, quod non justificetur coram te ullus ex muliere natus: sed tu dignos efficito nos, qui puro corde stemus coram te, tibique ministremus atque offeramus sacrificium hoc reverendum et incruentum, ad abolenda delicta nostra, et pro piaculo populi tui, eorumque peccatorum, quae ille per inscitiam admisit: ac pro tranquilla requie eorum qui antehac occubuerunt: cum spem haberent in unigenito Filio tuo: cum quo tibi debetur gloria, honor et potestas, ac simul sanctissimo tuo Spiritui, bono, adorando, vitam largienti,

tibique in substantia aequali, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus decenter, stemus reverenter, intentique simus, dum haec Anaphora cum pace peragitur.

Populus. Misericordiam et pacem, ac sacrificium et gratiarum actionem.

Sacerdos. Caritas Dei Patris, gratia Domini nostri Jesu Christi ac communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum sint mentes.

Populus. Sunt ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Domino reverenter.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Domine Deus omnipotens, adorande, aequum certe et justum est, convenitque majestati sanctitatis tuae, ut te laudemus, te celebremus, tibi gratias agamus, tuam gloriam praedicemus, tibi vero Deo offeramus corde contrito et spiritu humili, fructus spirituales, sacrificium laudis, cultum rationabilem, quia tu is es, qui donasti nobis cognitionem veritatis tuae. Sed quis valeat eloqui potentiam tuam, aut celebrare omnes laudes tuas, vel enarrare mirabilia opera tua, qui rerum omnium obtines imperium, quique coeli et terrae omnisque creaturae et aspectabilis et non aspectabilis es Dominus: qui sedes super solium majestatis tuae, atque intueris abyssum: principio carens, non visu non sensu alio, non ullo denique modo comprehensibilis: qui es Pater Domini nostri Jesu Christi magni Dei Redemtoris et Domini nostri, qui est imago bonitatis tuae, et forma aequali sigillum, quo te repraesentat: Verbum tuum, Deus verus: sapientia quae fuit ante saecula: vita, sanctitas, virtus ac lumen verum, quod revelavit nobis spiritum illum bonum et sanctum: spiritum veritatis, et adoptionis piorum, spiritum principalem: arrhabonem futurae haereditatis, primitias bonorum aeternorum: virtutem vitae effectricem, fontem sanctitatis, ex quo omnis creatura quae ratione praedita est, et quae intellectu pollens corpore vacat, sanctificata atque illuminata, tibi laudem, praedicationemque perpetuam gloriae offert.

Hic sustollit vocem Sacerdos. Te adorant Angeli et Archangeli, te laudant Throni et Dominationes, te praedicant Principatus

et Potestates, te celebrant Virtutes et exercitus coelestes: coram te consistunt duo animalia veneranda cingentia sanctum solium majestatis tuae, quae plures habent facies, pluresque oculos, ac senas alas singula: Seraphim et Cherubim, binis alis obtegentia facies suas, ne intueantur non aspectabilem thesaurum divinitatis tuae: binis item pedes suos, ne adurantur ab aestu reverentiae tuae: a cujus minimi ardoris exiguaeque scintillulae vehementia confunduntur omnes creaturae, tum quae sola mente intelliguntur, tum quae sensu percipiuntur: demum binis volantia acclamant invicem, nunquam cessantibus oribus, et divinae praedicationis vocibus perpetuis, laudem victoriae redemptionis nostrae concinentia vociferantiaque ac dicentia.

Populus. Sanctus. Sanctus. Sanctus, etc.

Sacerdos inclinatus. Sanctus enim vere es, neque est ulla mensura magnificentiae sanctitatis tuae, et benignus es in omnibus operibus tuis; nam cum justitia et certo veroque judicio induxisti omnia super nos. Condideras enim hominem sumto de terra pulvere, honoratumque eum tua imagine posueras in paradiso deliciarum, vitae promissa immortalitate, si quidem tuum observaret mandatum. Verum quando tibi Deo conditori suo non obtemperavit, subjectus est fallaciae serpentis, mortuusque per sua ipsius delicta. Tu vero in exilium quidem misisti aequissimis judiciis tuis, extra paradisum deliciarum, in hunc mundum: atque ad eam ipsam terram denuo redire coegisti eum, ex qua desumtus fuerat: sed ita ut destinares ipsi salutem, per eam regenerationem, quae est in ipso Christo tuo; neque enim dissolvisti prorsus figmentum tuum quod feceras, o bone, nec sustinuisti ut ad consummatam internecionem redigeres opus tuum, sed visitasti eum per benigna misericordiarum tuarum viscera; placuitque tibi ut per denuo nascendi rationem, reduceres nos ad eam vitam quam amiseramus: variisque oberrantes viis, quaesivisti nos, et variis modis nos revocasti. Exhibuisti viros justos saeculis pristinis, qui nobis ad cognoscendas veritates tuas viam commonstrarunt; misisti praenuncios futurae salutis nostrae: operatus es miracula, atque potentiam exercuisti per sanctos tuos; nimirum testificans de ipsis quod essent dispensatores thesauri tui. Legem in subsidium dedisti, Angelos custodes constituisti. Denique ubi venisset plenitudo temporum, locutus es nobis, per ipsum filium tuum, per quem feceras etiam mundum: qui cum sit splendor gloriae, et expressa imago tui ipsius, adducatque universa verbo potentiae suae,

numquam rapinam existimavit, hoc ipsum quod esset aequalis Deo: sed Deus ipse aeternus, super terram visus est et cum hominibus est conversatus: qui cum in forma Dei esset, inanivit se ipse, forma servi sumta: incarnatusque est de Spiritu sancto, et ex sancta semperque Virgine Maria: conformis extitit humili corpori nostro, ut conformes redderet nos imagini et gloriae suae. Quia enim per hominem peccatum intraverat in mundum, et per peccatum mors, voluit Unigenitus tuus, ille qui est in sinu tuo (Patris) cum esset factus ex muliere, et esset sub lege, damnare peccatum in carne; quo nos qui per Adamum mortui eramus, viveremus per Christum. Cumque aetatem ageret in hoc mundo, instruxit nos praeceptis salutaribus, removitque ab idolorum cultu, atque deduxit in cognitionem tui, Dei veri et Patris: comparansque nos sibi in populum peculiarem, regnum sacrum, coetum selectum, atque mundans nos aquis, et sanctificans nos per Spiritum, dedit ipse se pretium illius mortis in qua detinebamur, cum venumdati essemus per peccatum. Porro postquam descendisset de cruce ad inferos, ut expleret ipse omnia, surrexit tertia die, fecitque viam universae carni ex mortuis resurgendi. Quia nefas erat ut is qui erat principium vitae retineretur per corruptionem; factum est ille qui erat primitiae dormientium, primogenitus mortuorum, quo esset ipse primarius in omnibus. Ut autem ascendit in coelum consedit ad dexteram majestatis in excelsis: is qui etiam venturus est tributum unicuique homini secundum opera ejus. Reliquit vero nobis memoriam passionis suae salutaris, ea quae proposuimus secundum ipsius mandatum.

Et hic Sacerdos extollit vocem suam. Cum enim esset exiturus ad crucem suam voluntariam, ac salutarem, in ea nocte qua tradebatur pro vita et redemptione mundi, accepto pane in sanctas, incontaminatas, puras et illibatas manus suas, gratias egit, benedixit, sanctificavit, fregit et dedit discipulis suis, et Apostolis suis sanctis, dicens: Accipite, comedite de ipso: Hoc est corpus meum, quod pro vobis, et pro multis frangitur et dividitur in expiationem culparum remissionemque peccatorum ac in vitam sempiternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter autem et calicem vini nati e vite, et postquam coenaverunt, accepit, miscuitque aquis, gratias egit, benedixit, sanctificavit, ac gustavit, et divisit discipulis suis, et Apostolis sanctis, dicens: Accipite bibite ex eo vos omnes: Iste est sanguis meus

ille Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur et spargitur, in expiationem culparum et remissionem peccatorum, atque in vitam aeternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Quotiescumque enim hoc facitis, mortem meam annunciatis, ac memoriam sepulturae resurrectionisque meae celebratis, donec ego venero.

Populus. Mortem tuam Domine annunciamus, atque resurrectionem profitemur, et adventum tuum secundum expectamus: misericordiae tuae sint super nos omnes.

Sacerdos. Recolentes igitur etiam nos adventum tuum Domine in carne, et mortem tuam, sepulturamque tuam, atque resurrectionem tuam a mortuis, quae tertio die contigit, et ascensum tuum in coelum, ac sessionem tuam ad dexteram Dei Patris: praeterea adventum tuum formidabilem et majestatis plenum, in quo judicaturus es orbem terrae cum justitia, et populos cum aequitate: supplices, o Domine tibi sumus, qui solus fuisti expiatio mundi, et es pretium quod satis sit ad opponendum peccatis nostris, quia tuum solius est remittere peccata super terram, utpote Dei, in cujus potestate omnia sunt, ne in die illa qua judicaturus es orbem terrae per justitiam, intres in judicium cum servis tuis, aut negligas haereditatem tuam abalienatam a gratia sancti Spiritus, ut ne extorris fiat a regno tuo coelesti. Propitius esto nobis et misericors in illa hora pronunciandae sententiae, neque destituas nos, ut fiamus haeredes tenebrarum penitus omnis lucis expertium: nequaquam alienemur Domine a peculio tuo, neque pronuncies adversum nos illam sententiam: Ite maledicti, possidete ignem sempiternum: ne abdices nos, neque dicas nobis, Non novi vos: neque torqueamur in inferno cum iis qui non crediderunt, sed irritaverunt gratiam tuam. Verum recordatus misericordiae et benignitatis tuae, propter quas te ipsum etiam tradidisti pro nobis, redime nos o Domine a damnatione illa aerumnosa: libera nos a tormentis illis terribilibus: assere nos a verme illo putrido et amaro: exime nos a flumine illo ignis horrendo. Per hoc enim cognoscitur impervestigabilis thesaurus placabilitatis tuae, quod nostri misereare, qui bonorum servorum non obtinemus stationem. Populus enim et haereditas tua supplex tibi est, ac per te et una tecum, etiam Patri tuo dicens.

Populus. Miserere nostri Domine Deus Pater omnipotens.

Sacerdos. Et nos miseri peccatores consecuti gratiam tuam, gratias agimus tibi de omnibus et pro omnibus.

Populus. Te laudamus, tibi benedicimus, te adoramus, obsecramusque Domine Deus, ut parcas nobis miserearisque nostri.

Diaconus. Quam veneranda est hora ista, et hoc tempus dilectissimi, cum Spiritus vivus et sanctus e supremis coelorum sedibus descendit, atque incubat, manetque super hanc Eucharistiam propositam, eamque consecrat. Tacite igitur et reverenter orate.

Sacerdos inclinatus. Invocatio Spiritus sancti.

Propterea Domine et nos miseri et peregrini atque inutiles servi tui, quos dignatus es administros esse sacrosanctorum mysteriorum, passionumque Christi tui, non quidem propter justitiam nostram: nihil enim boni egimus super terram, sed per misericordiam et clementiam tuam, quas affatim effudisti super nos, cum fiducia jam accedimus, ut contingamus altare tuum sanctum. Et qui proposuimus typum corporis et sanguinis Christi tui; adoramus ac supplices rogamus te, per bonitatis tuae benignitatem: veniat sanctus tuus Spiritus super nos, et super haec quae proposuimus dona, ac sanctificet ipsa, *sublataque voce* Domine exaudi me.

Populus. Kyrie eleison.

Sacerdos. Et efficiat panem istum, corpus gloriosum Domini nostri Jesu Christi, corpus coeleste, corpus vitae efficiens, corpus pretiosum, in expiationem culparum et remissionem peccatorum, vitamque aeternam iis qui accipiunt.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, sanguinem pretiosum Domini Dei regnantis super omnia Jesu Christi, sanguinem redimentem, sanguinem vitae efficientem, sanguinem expiantem, qui effusus est pro redemptione et vita mundi, in expiationem culparum et remissionem peccatorum, vitamque aeternam iis qui accipiunt.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos autem qui de uno pane vitae, et calice redemptionis accepimus, quo inter nos adunemur, dignare communicatione Spiritus sancti: neque nostrum quisquam in condemnationem sui edat aut bibat, propter multitudinem peccatorum nostrorum; sed miseri-

cordiam consequamur in die justae, atque aequae tuae retributionis, per gratiam, misericordiam, ac amorem unigeniti Filii tui erga humanum genus: per quem et cum quo tibi debetur laus, et gloria et potestas, et cum sanctissimo tuo Spiritu, bono, adorando, vitam largiente, atque tibi in substantia aequali; nunc et semper, et in saecula saeculorum. *Populus.* Amen.

Sacerdos inclinatus. Sancte Sanctorum Domine Deus virtutum, offerimus tibi sacrificium hoc reverendum et incruentum, pro Ecclesiis sanctis, quae a finibus terrae usque ad fines ejus existunt. Memento etiam Deus hujus nostrae Ecclesiae, eorumque qui in Ecclesiis serviunt, Patrum bonae memoriae et Patriarchae nostri Domini N. atque reliquorum omnium Episcoporum Orthodoxorum, prudentiamque et fortitudinem cuilibet illorum tribuito; ut recte pascant gregem tuum sacrum. Memento etiam Presbyterorum Orthodoxorum, Diaconorumque, qui ubivis sive mortui sive superstites sunt, et dato illis ut inculpate serviant ad aram sanctam. In Virginitate atque sollicitudine durantium, memento Deus, ac miseriae etiam meae, parceque mihi peccatori inutilique servo tuo, cui gratiam benignitatemque viscerum tuorum exhibuisti: ac me etsi indignum redime, pro multitudine miserationum tuarum, ut te semper laudem per omnem vitam meam: libera me ab omnibus qui oderunt me, et convertantur inimici mei retrorsum. Aperi oculos mentis meae, ut irradiet illustretque me lumen, ad cognoscenda ea sensa quae tibi Deus congruunt. Memento Deus etiam populi sperantis in misericordiis tuis, ac domos eorum in pace conservato. Herbarum quoque et terrae frugum memineris Deus: datoque nobis pluvias tempestivas, ac benedictione tua persequitor coronam anni benignissime: imperatoque terrae ut det fructus suos, quia oculi omnium ab te pendent.

Hic sustollit vocem. Atque erue nos fortissime Domine, a fame, lue, terrae motu, incendio, submersione, atque a persecutore, insurgentibusque adversus nos inimicis aspectabilibus et non aspectabilibus, qui ratione cernuntur, et qui sensu percipiuntur: a gladio malo, et ab omni manu populorum alienigenarum: ab hominibus improbis et fraudulentis, atque a loquentibus perversa. Et pacem tuam, quae omnem intellectus captum excedit, donato nobis, imbuitoque corda nostra benignitate et probitate: ac dignare nos consistere coram te, tibi vivere, tibi placere omnibus diebus vitae nostrae: per gratiam, misericordiam, atque amorem unigeniti Filii tui erga hu-

manum genus, per quem, et cum quo tibi debetur laus, honor et potestas, cum sanctissimo tuo Spiritu, bono, adorando, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Memento etiam Domine eorum qui una nobiscum adstantes orant, et eorum qui hinc procul absunt: eorum quoque qui has oblationes attulerunt tibi. Tum etiam eorum, quorum nos ex praecepto meminisse debemus. Insuper eorum qui in Ecclesiis fructuosi sunt, pauperum non obliti: et eorum qui eleemosynis vestituque aliis subveniunt. Horum inquam, et simul eorum qui cupiverunt quidem, sed non valuerunt offerre, et omnino uniuscujusque memineris pro animi tui proposito, et eorum quos modo commemoravimus.

Et hic extollit vocem suam. Retribue Domine illis quorum meminimus coram te, et quorum non meminimus, pro terrenis coelestia, pro corruptibilibus incorruptibilia, pro temporariis aeterna, et facito ut haeredes sint vitae aeternae. Viduis patrocinare per amorem tuum erga genus humanum: pupillis esto pater: captivos redime, aegrotos, maleque habentes sanato: cum navigantibus navigato, facientibus iter, comes esto: Denique eos qui in speluncis vel fodinis et subterraneis locis durant, propter nomen sanctum tuum, confirmato atque adjuvato dextera tua: qui in exilio aut carcere sunt liberato; errantes dispersosque colligito; congregatoque omnes in ovile tuum, ut sit unum ovile et pastor unus, tibique laudem attribuamus, et gratias agamus, ac simul unigenito Filio tuo, et sanctissimo tuo Spiritui, bono, adorando, vitam largienti, tibique, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memor esto Domine Regum nostrorum laudabilis memoriae, ac coronato eos spe bonae voluntatis, et galea salutis, conservatoque ipsos in fide sana; atque subigito ipsos sub jugum regni tui: et populos barbaros, Reipublicaeque Christianae malevolos ipsis mancipato.

Et sustollit vocem. Nobis autem Domine concedito habitationem tranquillam et quietam, atque humilitatem perfectam: tu enim es adjutor, praestasque victoriam omnibus qui nomine tuo magno militant, tuaque causa sumptis armis stipendia merent in bello. Esto itaque Domine auxilio iis qui pro populo tuo redempto bella gerunt, et victoriam ipsis largire: imo tu ipse adversus eos dimicato, qui illos odio habent. Nos autem Domine ab omnibus periculis, angustiis, necessitatibus assere: cui laudem et gratiarum actionem offe-

rimus, et simul unigenito Filio tuo, sanctissimoque tuo Spiritui, bono, adorando, vitam largienti, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Quia porro tu in vitam simul et mortem habes imperium, dignare nos eorum etiam meminisse, qui inde a saeculo placuerunt tibi, Patrum et Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Joannis Baptistae, Stephani primi martyris, et sanctae Dei Genitricis, ac omnium denique sanctorum.

Et sublata voce. Et si ad loca gloriosa omnisque materiae expertia, et quae extra omnem comparationem sunt, receperis in coetum sanctorum tuorum Domine: facito ut simus illorum consortes in Ecclesia primogenitorum o bone. Cumque misericordiam tuam laudabilissimam, et amorem tuum erga genus humanum imitantes, assiduas preces atque obsecrationes pro nobis tibi offerant, eoque memoriam illorum celebremus, ut quando nobis ipsi parum fidimus, memoria et legatione illorum protecti, per eos audeamus ad te accedere, atque tremendo hoc et reverendo sacro munere defungi. Esto expiator praevaricationum nostrarum, tum propter sanctas preces illorum, tum propter sanctum nomen tuum, quod invocatum est super nos, quia sanctus ipse es, et in sanctis acquiescis. Tibi itaque laudem et gratiarum actionem tribuimus, simulque unigenito Filio tuo, etc.

Diaconus. Ante.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine eorum qui decesserunt, migraveruntque ex hac vita: et Episcoporum Orthodoxorum, qui inde a Petro et Jacobo Apostolis ad hunc usque diem, rectum fidei verbum clare sunt professi et nominatim Ignatii, Dionysii, Julii ac reliquorum divorum laudabilis memoriae.

Et sublata voce. Memento Domine eorum quoque qui usque ad sanguinem pro religione steterunt, et gregem tuum sacrum per justitiam et sanctitatem paverunt, in locis uberum pascuorum, et ad aquas amoenas, hoc est per divinam doctrinam: ac per obsecrationes, supplicesque preces suas, membra Ecclesiae remota congregato in unam professionem et religionem Apostolicam, ut pares omnium sint voces et pares laudes, sicque comparato omnium nostrum voluntatem, mentemque, ut simus sectatores fidei et professionis illorum; quia benignus et summe misericors es, tibique congruit laus, honor, et potestas, simulque unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam Domine patrum, fratrumque nostrorum qui obierunt in vera fide, Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, Caenobitarum, in caelibatu perpetuo viventium, Laicorum, quorum omnium tu numerum solus nosti, potissimum vero qui jam nominantur.

Et sublata voce. Conditor corporum et animarum Domine, memento ad aram tuam coelestem, eorum omnium qui decesserunt de hoc mundo aerumnoso, recreatoque eos in tabernaculo tuo omnis decoris pleno. Trajicito eos trans mansiones cruciatu horrendas, atque in tabernaculis luculentissimis collocato ipsos. Erue ipsos ex tenebris et caligine, atque ex tribulatione doloreque eripe; appareatque ipsis vultus tuus pacificus: neque intres cum ipsis in judicium, aut acrem quaestionem habeas de acta vita. Sed sive verbo sive opera peccaverint, utpote homines carne induti, remittito, aboletoque errores ipsorum. Nostri vero, qui in vivis superstites sumus, tu conversus miserere. Ecce enim quotidie ad iracundiam concitamus te faedis et detestabilibus vivendi modis: quoniam unus solus est qui non peccavit, et qui a culpa liberet, Dominus noster et servator noster Jesus Christus per quem nos quoque omnes speramus, nos consecuturos misericordiam, et remissionem peccatorum, quae propter eum nobis et illis.

Populus. Ignosce, remitte.

Sacerdos. Ignosce, remitte, condona Deus delicta illorum, quae voluntarii, scientes vel ignorantes, re ipsa, aut solis cogitationibus patravere: occulta et manifesta, quorum recordantur et quorum obliti sunt: quae omnia novit nomen tuum sanctum.

Et sublata voce. Sanctissime Deus, memento etiam eorum, quorum memoriam hodie celebramus, omnesque illos veteres, admitte internuncios et conciliatores pro animis omnium nostrum, dignareque nos esse consortes et cohaeredes ipsorum. Atque omnium nostrum memor esto, per benignitatem tuam: nos visitato cum multitudine misericordiae tuae, appareasque nobis cum clementia tua, atque tales nos per efficientiam probitatis tuae efficito, quales esse convenit. Aboleas dissidia Ecclesiarum tuarum, insolentiam gentium, atque haereticorum stationes dissipa. Nos denique universos recipito in regnum tuum, et filios lucis effice, quo omnes uno animo, quasi ab

ore uno atque corde, collaudemus nomen tuum magnum, et inclytum et simul Jesu Christi, et Spiritus tui sancti, nunc, etc.

Populus. Sicut erat et est permanens in generatione generationum, et in saeculo futuro.

Sacerdos. Pax vobis. *Populus.* Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit misericordia magni Dei et servatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos frangit et signat.

Diaconus proclamat Catholicam.

Sacerdos. Oratio Dominica. Pater noster.

Benedictus es Domine qui coelum terramque imples gloria tua, quippe nos modo dignatus es usurpare memoriam testamenti tui sancti, perficereque sacrificium hoc reverendum et incruentum. Tu itaque Deus noster, qui sanctificas sacramenta ista, purgato nos ab omni inquinamento et carnis et spiritus, docetoque nos perficere quod sanctum est in timore tui: ut cum testimonio sincero conscientiae nostrae facti participes sanctificationum tuarum, uniamur corpori et sanguini Christi tui, aptique simus, ut ipse habitet in nobis, secundum promissionem ipsius, sintque corda nostra pro hospitio illi bono spiritui. Ita Deus noster, ne facias quemquam nostrum reum corporis et sanguinis Christi Filii tui, neque aegrum animo, aut corpore, propterea quod indigni participemus sacrosancta mysteria: quin potius concede nobis, ut usque ad extremum nostrum spiritum, placeamus tibi, habeamurque digni sumere salutaria sacramenta, Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi, neque indigni corpore sancto et sanguine piaculari, sed idonei qui ea accipiamus, quo per ipsa corroborati, mundati et perfecti, possimus digne obsecrare te, per precationem illam quam nos docuit unigenitus Filius tuus, corde puro clamantes et dicentes: Pater noster qui es in coelis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum, etc.

Sacerdos ait. Domine Deus et servator noster, ne inducas nos in tentationes difficiles, aut necessitates amaras: ne inducas nos in laqueos adversarii, hostiumque animarum nostrarum: neque destituas nos ut incidamus in manus aspectabilium grassatorum, et qui vitam nostram laedere cupiant; sed libera nos ab omnibus tentatio-

nibus occultis et manifestis, cunctis diebus vitae nostrae: atque exime nos omnibus malis, quae propter iniquitatem nostram incurrunt in nos: quia tuum est regnum et unigeniti Fili tui, ac sanctissimi tui Spiritus, boni, adorandi, vitam largientis et tibi in substantia aequalis, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Domino capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te Domine Deus noster.

Sacerdos dicit. Pater misericordiarum et Deus omnis consolationis, qui concessisti nobis ut reverenter observaremus praecepta tua, et modo etiam dignos duxisti nos, qui te aspiceremus, atque coram majestate tua supplices nostras preces offerremus: conversus ad nos mitte nobis benedictiones abs te defluentes, et circumda nos muro misericordiarum, per sollicitam curam, amoremque unigeniti Filii tui erga humanum genus: praestaque, ut sine noxa reddamur participes mysteriorum illius salutarium, et vitae efficientium: per gratiam, misericordiam et caritatem unigeniti Filii tui erga humanum genus: cum quo tibi debetur laus, gloria et adoratio, simulque sanctissimo tuo Spiritui, bono, adorando, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit gratia Trinitatis cum omnibus vobis.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Reverenter contemplemur.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus: unus Filius sanctus: unus Spiritus vitae efficiens sanctus: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, qui unum sunt in saecula.

Sacerdos. Unus Pater sanctus nobiscum.

Diaconus. Stemus decenter omnes: stemus reverenter, intenti simus, dum haec Anaphora in pace peragitur.

Populus. Gratias agimus tibi Deus noster.

Sacerdos. Exaltamus te Deum Patrem omnipotentem, et misericordem, laudamusque te conditorem universi, atque adoramus te abundantem misericordia: qui gratia tua misertus es nostri, et expiasti

delevistique peccata nostra, ac dignatus es nos sumptione sanctorum vitaliumque sacramentorum tuorum, in quae etiam Angeli ipsi desiderant prospicere. Cedat igitur nobis ipsorum suavitas in piaculum, participatioque in remissionem peccatorum, quae antehac a nobis admissa sunt, atque in medicinam eorum in quibus adhuc versamur: denique in effugium praesidiumque adversus ea, quae posthac a nobis committi possent: et in gaudium atque exultationem apud sanctos, qui inde a saeculo placuerunt tibi: quia tuum est regnum, tibique debetur laus et unigenito Filio tuo, una cum sanctissimo tuo Spiritu, bono, adorando, etc. *Populus.* Amen.

Sacerdos. Pax omnibus vobis.

Populus. Et spiritui tuo.

Diaconus. Post sumptionem sanctorum sacramentorum quae exhibita sunt, coram Domino misericorde capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te Domine Deus noster.

Sacerdos. Tibi Deo capiti vivorum et Domino mortuorum, offerimus supplices preces nostras, et coram te inclinamus capita nostra, nos servi tui et grex tuus rationalis: sperantes nos visitatum iri a tua gratia, in qua omnis subsidii copia est posita. Benignus igitur esto Domine, et demitte super nos donum quod abs te est, misericordiasque tuas divites: ac elue expurgatoque nos omni macula sordibusque peccati carnis et spiritus: imbue nos benedictione benignitatis tuae, confirmans nos certa spe promissionum tuarum; atque in cultu observationeque legum tuarum salutarium, effice nos sollicitos et reverentes: invictos vero contra copias adversarias damnosasque tentationes: atque omnes iniquitates peccati a nobis summove, ut adoremus, profiteamur et laudemus te Domine, Patremque tuum, et Spiritum tuum sanctissimum, bonum, adorandum, vitam largientem, et tibi in substantia aequalem, nunc et semper, et in saeculorum. *Populus.* Amen. *Diaconus.* Benedic Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus nobis.

IN LITURGIAM BASILII A MASIO CONVERSAM OBSERVATIONES.

Quamvis ex autoris nomine, quod huic Liturgiae praefixum est, aliis recentioribus praeponi illa debuisset, juxta methodum quam in hac Collectione servavimus, quia tamen edita dudum versio illius fuerat a viro doctissimo Andrea Masio, eam reliquis subjiciendam judicavimus. Ut ita faceremus causae potissimum duae fuerunt. Prima est quod extat in paucissimis Codicibus manuscriptis haec Liturgia, ita ut per annos multos frustra a nobis quaesita fuerit, reperta tandem in optimo, et satis vetusto Codice Colbertino. Sed in eodem non soli Basilio tribuitur, ut in eo quem Masius secutus est, sed Gregorio Theologo conjunctim: quod observatur etiam in variis de jure responsis Ecclesiasticis, quae iisdem adscribuntur. Altera causa fuit ut istam seorsim ederemus, et ex Masii versione; quia labores magnorum virorum per quos profecimus, revereri potius, quam supprimere debemus; tum quia multoties edita, Theologis familiaris est, qui nisi linguae periti sint, nova saepe interpretatione conturbantur. Et illa sane non erat admodum necessaria, cum ubique ferme sententiam Syriaci Codicis fideliter Masius expresserit, in notis brevibus et praefatione aliquando cespitaverit, quod vitari vix poterat, cum nemo ante illum Syriacos ritus Eucharisticos explicare aggressus foret. De hoc argumento dicetur postea, de versione pauca dicenda sunt.

In sacris Officiis, et Ecclesiasticis precibus, stilus proprius est, quem multorum saeculorum usus consecravit, qui in summa simplicitate majestatis habet plurimum, nec minus pietatis. Qui scripturas sacras, quasi non satis elegans foret Latina versio, cultiori stilo interpretati sunt, ut inter alios Castalio, exiguam laudem consecuti, parum reliquis profuerunt. Idem prope Masio in hac versione contigit, dum Latine loqui affectat, adeo ut Ciceronianorum illorum exemplo voces Salvatoris, consubstantialis, regenerationis, et nonnullas alias fugisse videatur, ut alias substitueret. Nos in aliis vertendis ab antiqua simplicitate non recessimus, Graecorum veterum Christianorum more, qui spretis linguae suae copiosissimae divitiis, scripturarum stilo preces omnes suas expresserunt. Novam versionem dare opus non erat, cum ex aliis Liturgiis, si quod discrimen locutionis occurreret, facile possit agnosci. Illud etiam difficile fuisset: nam exemplar quo usus est Masius, a Colbertino differt in multis: istud porro solum huc usque nancisci potuimus. Integram ex eo versionem instituere operae pretium non erat, neque perfici

poterat, cum multis in locis exemplar detritum vetustate foret, nec legi posset. Quod supererat, in forma Invocationis Spiritus sancti, et verborum Christi varietatem lectionis annotavimus, in reliquis inutile prorsus fuisset. Ea est enim librariorum Orientalium indiligentia in describendis codicibus, ut mutare, addere, demere quidquid lubitum est, ipsis familiare sit.

Existimavit porro Masius Liturgiam illam suam, Graeca quae Basilii nomen praefert vetustiorem et magis integram, quod judicium viro doctissimo excidisse nollemus. Sola enim brevitatis ratione fundatum est, inani prorsus et falsa, ut facile demonstratur. Quippe Graecam integram cum Syriaca velut integra Masius comparavit: cum etiam in priori juxta vulgata exemplaria, quidquid caeremonias spectat ex communi Ecclesiarum disciplina adjectum sit. Syriaca ab oratione osculi pacis incipit, atque ita quaecumque ad praeparationem altaris, et oblationis, lectionem scripturarum, variasque orationes a Sacerdote, Diacono aut populo recitandas spectant, omittuntur, cum ex communi Officio peti debeant. Si igitur illud Officium quod initio hujus voluminis edidimus cum Liturgia ista Basilii conjungetur, ut certissime factum est, quotiescumque ad altaria celebrata est, erit Graeca qualem habemus, prolixior. Imo si plures aliae quas edidimus Masio visae fuissent, hanc enim solam viderat, nam Missale Chaldaicum nondum prodierat, eam a brevitate non commendasset, cum inter prolixas referri debeat.

Diximus illam in Codice Colbertino, non soli Basilio, sed Gregorio quoque Theologo tribui: videtur imo in aliquibus exemplaribus, huic soli aliquando adscripta fuisse. Nam in ea quae titulum habet Doctorum sanctorum a Joanne Magno Patriarcha Antiocheno, ex aliis collecta, extat oratio cum hoc ad marginem lemmate, *Theologi*, quo nomine ut apud Graecos, ita apud Syros et Arabes Christianos, Gregorius Nazianzenus designari solet.

Invocationis Spiritus sancti forma in Codice Colbertino ita se habet. *Miserere nostri Domine: miserere nostri, et mitte super nos, ex sede tua, Spiritum Paraclitum, sanctum et largitorem omnis sanctitatis: qui neque qualitate, neque quantitate aut tempore, circumscribitur: increatum, incomprehensum, qui a te procedit et regnat super omnia: qui in Jordane flumine, in columbae specie apparuit super unigenitum Filium tuum, qui in dispertitis linguis super Apostolos sanctos apparuit: ipse adveniat et illabatur super nos, et super dona ista proposita, et sanctificet illa.* Diaconus. *Orate.* Sacerdos. *Exaudi me.* Populus. *Kyrie eleison.* Sacerdos. *Ut illabens super panem istum, et super vinum istud, nos quoque sanctitate sua repleat: et panem hunc faciat corpus vitam praestans, corpus salutare, corpus vivificum, et dans vitam, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum, remissionem peccatorum et vitam aeternam.* Populus. *Amen.* Sacerdos. *Similiter et vinum istud, faciat sanguinem novi Testamenti, sanguinem salutarem, sanguinem vivificum, et dantem vitam, sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad expiationem delictorum, remissionemque peccatorum, et vitam aeternam suscipientibus.* Haec lectionis diversitas momenti nullius est, cum utraque in unam et eamdem, quae reliquis omnibus communis est, Invocationis formam conveniat.

In versione Masii, ex ea quam tetigimus ratione, apparet discrimen leviculum quidem, sed quod lectores linguae Syriacae non peritos, quasi majus esset, posset in errorem inducere: nam quod Masius vertit *corpus gloriosum*, est idem quod Graeci *τίμιον pretiosum* vocant, ut idem vertit in formula ad calicem, *Sanguinem redimentem*. Radix Syriaca *redimere* quidem significat, sed frequentius *salvare:* unde melius vertitur *salutarem*, ut infra *sanguinem propitiatorium*. Postea: *sacrificium reverendum:* melius *timendum φρικτόν*. *Qui in Ecclesiis serviunt Patrum bonae memoriae.* Vox *ministrare* magis huic loco convenit: quomodo vero legerit in Codice suo Masius obscurum est; neque enim *bonae memoriae* usurpatur loquendo de vivis, ut hic de illis agitur. In Codice Colbertino ubi mentio fit Patriarchae et Episcopi, legitur *Orthodoxorum. Ad cognoscenda ea sensa, quae tibi, Deus congruunt.* Haec obscura sunt: at in Syriaco nostro, *Aperi oculos mentis meae, ut exoriatur mihi lumen cognitionis intelligentiarum Deo dignarum:* sententia clarior est, nempe petit Sacerdos divinum lumen, ad intelligenda divina mysteria. Post pauca. *Herbarum quoque et terrae frugum memineris Deus.* In Syriaco. *Aërum quoque et fructuum terrae memento Domine.* Syri enim Graecorum exemplo vocem *Aër,* in plurali numero efferunt, quem Latini non agnoscunt.

Memento Domine Regum nostrorum laudabilis memoriae. Itidem in Syriaco, *Orthodoxorum*, et sane alterum hic locum non habet. Subjicitur in Codice Colbertino. *Domine*, *Domine*, *pacificato regna quae Ecclesias tuas sanctas, per haereses impugnant, et corpus unanime membrorum Christianorum scindunt, atque oves spirituales gregis tui dispergunt: et tempestates fraudulentas sub falso religionis praetextu dolose excitant: illos ad ea quae tibi placita sunt, convertendo.* Ea porro oratio Imperatores Graecos spectare praecipue videtur, qui cum Antiochiam aliquoties recuperassent, Jacobitis molesti fuerunt. Videnda de hoc argumento quae referuntur in Historia Patriarcharum Alexandrinorum ex Epistola Joannis Patriarchae Antiocheni, in qua narrat quomodo Constantinopolin ductus fuerit, et coram Imperatore Jacobiticam fidem propugnaverit. Possunt etiam haec ad Latinos pertinere, qui Antiochiae principatum multis annis obtinuerunt, a quibus Orientales Christiani etiam Orthodoxi, saepe non mitius habiti sunt.

Hist. Patr. Alex. p. 356. et seq.

Memoria et legatione eorum protecti. Melius, *interventione* seu *intercessione*. Syri vocem *πρεσβεία* expresserunt per propriam, quae *Legationem* significat: sed cum in stilo Ecclesiastico aliud, nempe quod modo diximus significet, utrumque sensum non distinxerunt, quod interpres cavere debuisset.

Sacerdos. *Oratio Dominica.* Non dicitur Oratio Dominica nisi post illam quam prius Sacerdos recitat, ut patet ex omnibus aliis Liturgiis.

Diaconus. *Reverenter contemplemur.* Graecum est *Μετὰ φόβου πρόσχωμεν Cum timore attendamus, vel aspiciamus.*

Pauca haec observasse sufficiat, in reliquis quae minoris momenti sunt, in stili diversitate, facile lectores ex aliis versionibus comparatis intelligent,

quae sit verborum significatio. Accuratam Masianae versionis cum Codice Colbertino collationem instituere prolixioris operae fuisset, cum magna sit utriusque in vocibus diversitas.

Jam notulas quae huic Liturgiae adjunctae sunt in Bibliotheca Patrum expendemus. Ad Invocationem Spiritus sancti haec notata sunt. *Haec et sequens oratio, videntur vel scribentium errore, vel Graeculorum quorundam schismaticorum perversitate, praepostero loco in hac Anaphora, posita: cum locus ipsarum genuinus ab autore datus fuerit ante sacra verba consecrationis.* Tum remittit lectores ad ea quae notavit ad Liturgiam S. Jacobi. Error scribentium perpetuus esse non potuit: fuit tamen, si erratum ab illis est; nam Graecae omnes, Aegyptiacae, Syriacae, Aethiopicae, et reliquae Liturgiae, Invocationem hoc ipso loco repraesentant, non ante, sed post verba dominica. Nec accusandi sunt Graeculi Schismatici, cum exemplaria Graecarum Liturgiarum, multis annis vetustiora, quam Cabasilas, qui primus eam quaestionem tetigit, et quam Florentina Synodus, in qua vehementius agitata est, illam Orationem eodem loco repraesentent: nullum nisi recentissimum, eam aliter exhibeat. Quid porro Graeculis illis schismaticis commune cum Syris et Aegyptiis Jacobitis erat, cum haeretici alteri ab alteris judicarentur, et vix ullus a sexcentis et amplius annis Graecus Theologus, Orientales Liturgias vel ex solo titulo cognitas habuisse videatur? Facilene, imo possibile, quisquam existimabit Christianos mutuis odiis a Calchedonensis Concilii tempore certantes, illis quos ut haereticos insectantur, in Codices sacramentales suos inducendi novas formulas facultatem dedisse? aut si id per fraudem factum, quod ne cogitari quidem potest, quomodo tandem omnes omnium gentium Codices haec corruptela pervasit, adeo ut nullus ab ea immunis reperiatur: nemo id animadverterit per annos mille ducentos, nisi unus aut alter qui Graece nesciebant? Nihil igitur illa conjectura inanius, quae tamen non modo editiones omnes Bibliothecae Patrum, sed Theologorum commentarios pervasit. Quod subjicitur, locum genuinum Invocationi ab autore datum fuisse, ante verba consecrationis, aeque verum est. Si Basilius intelligendus est, in ea ipsa Graeca, quam Graeci uno consensu ab eo literis mandatam fuisse credunt, Invocatio eodem loco legitur, atque in Syriaca. Si de ista, bonus Criticus loquitur, quis illam ut se habet a Basilio scriptam esse probare queat; aut primitus alio ordine digestam fuisse, cum nullum exemplar Invocationem alibi positam exhibeat? Quin igitur Masii Codex eam loco suo repraesentaverit, non potest dubitari: quae illius interpretationem spectant, satis alibi tum ad Liturgiam Copticam, tum ad alias expositum est.

DISSERTATIO
DE NESTORIANORUM
LITURGIIS.

I. Liturgias tres, quarum ex Syriacis codicibus versionem damus, proprias esse Nestorianorum, qui Catholico supremo illius sectae Patriarchae subjiciuntur, certissime constat. Illas enim descripsimus ex Codicibus manuscriptis, qui tam perspicuas sectae illius notas habent, ut de illis dubitari non possit. Attamen, cum in aliis Officiis quae ex Graeca, Aegyptiaca, et Syriaca linguis interpretata, huic collectioni inseruimus, codices antiquos multos habuerimus, ex quibus textus sinceritas agnosci, et in locis aliquot difficilibus lux afferri posset, in Nestorianis caruimus tali tamque necessario subsidio. Nam recentissimi fuerunt illi, quos interpretando secuti sumus, ex quibus unus, qui paulo plus vetustatis haberè videbatur, foliorum multorum jacturam sustinuerat, quae suppleta erant recenti, nec bona manu. Alius recentior scriptus fuit Romae anno MDCXCVII. a Josepho quondam Patriarcha Chaldaeorum, qui a suis pulsus, illic diem suum obiit. Is autem codex mirum in modum interpolatus est, cum ad Missalis Chaldaici Romae editi formam, scriptor plura mutaverit, ut postea observabimus. In variis quoque locis, alicujus usus fuit Missae Christianorum apud Indos Latina versio, quae Itinerario Historiaeque Missionis Angamalensis Alexii Menesii Goensis Archiepiscopi subjuncta, in Bibliothecam Patrum translata est. Etsi vero multis praesidiis destituti, formam tamen Nestorianae Liturgiae veram nos habere, certis argumentis demonstrari existimamus.

Liturgiae quarum versio nunc prodit propriae Nestorianorum sunt.

II. Tres habent antiquitus Liturgias Nestoriani, seu Chaldaei, ut ab aliis appellantur: ipsi vero Christianos Orientales se lubentius appellant, ut ex autoribus ejusdem sectae alibi probabimus. Sunt autem illi Syrorum veterum Christianorum reliquiae, qui post damnatum in Ephesina Synodo Nestorium, pulsi legibus Romanis, et quodammodo proscripti, in Mesopotamiam se receperunt, quae a Persarum

Tres apud Nestorianos Liturgiae.

Regibus saepius armis occupata, tutum exulibus asylum praebuit: praesertim cum Cosroës, quem vulgo Nuschiruanum vocant, illis faveret impensius; adeo ut Ecclesiam Edessenam ipsis attribuerit ex qua ab Heraclio dejecti sunt: reliquos etiam Christianos ad eorum haeresin amplectendam cogeret, quantum in illo erat. Ea ratione factum ut ingens Syrorum multitudo ad eos se adjunxerit, maxime cum scholas Nisibenam et Edessenam occupassent, ex quibus celeberrimi Ecclesiae Syriacae Doctores prodierant, antequam Nestoriana haeresis Mesopotamiam infecisset.

Cedren. T. 1. p. 4154.

De prima Liturgia quae dicitur Apostolorum.

Amrus in Hist. Ms. Ar.

III. Prima Liturgia quae reliquarum Canon quidam est, et ex qua preces communes multae sumi solent, dicitur *Sanctorum Apostolorum:* ita Nestoriani vocant Adaeum et Marin, quos etiam *Doctores Orientis* appellant, et de quibus multa narrant illorum historiae, sed quae cum antiquorum Graecorum testimoniis conciliare facile non est. Nomina Adaei et Maris non repraesentant codices recentiores, sicut illa omissa sunt in Latina versione Missae Christianorum apud Indos. An porro prima ista Liturgia veterem Ecclesiarum Mesopotamiae disciplinam contineat, quam Nestoriani propriam deinceps sibi fecerint, aut novam ab ipsis introductam, judicare difficile est. Quamvis enim merito suspecta sit Nestorianorum traditio, quando solo ipsorum testimonio nititur, ubi tamen aliorum Orientalium monumentis confirmatur, autoritatem habet. At quod Adaeus, sive Thadaeus, Edessenis Evangelium praedicaverit, post ascensionem Domini, omnesque Mesopotamenos in fide Christiana instituerit, simulque ordinem Ministerii sacri apud eos ordinaverit, cum Agi suo discipulo; communis est quoque Jacobitarum traditio. Illam reperimus in antiqua Collectione Canonum, diversarumque Constitutionum Syriaca MS[a]. Bibliothecae Palatinae Cosmi III. Magni Ducis Etruriae sub hoc titulo. *Doctrina Adaei Apostoli, qui docuit et catechisavit Edessenos et omnes Mesopotamenos.* Fieri igitur potuit, ut illa Ecclesiastica disciplina, quae praecipue ad sacramenta celebranda pertinet, antiquitus in Mesopotamiae Ecclesiis viguerit, et Nestoriani eam, cui indigenae assueti erant retinuerint. Neque enim exprobratum aliquando illis fuisse videmus ab Orthodoxis aut Jacobitis, quod novam celebrandorum Sacramentorum formam invexerint, praeterquam ab uno Leontio, de quo dicetur inferius.

Magna illius Liturgiae antiquitas.

IV. Sane quantum ex comparatione aliarum diversi ritus Liturgiarum conjicere possumus, maxima est in Nestorianis simplicitas,

quae vetustatis non leve indicium est: quod non modo de ritibus intelligi debet, verum etiam de orationibus. Illas dicimus, quae praecipuas maximeque sacramentales Officii Eucharistici partes spectant: aliae si quidem ab ea antiquitate abesse longius videntur: verbosissimae enim sunt, et multis synonymis, epithetisque inflantur quae posteriorum saeculorum genius induxit. De ritibus etiam certa conjectura duci non potest: cum in plerisque Missalibus libris cujuscumque linguae, non semper adscripti sint, nam aliunde peti solent. Aliquos ex aliis Ecclesiasticis monumentis agnoscimus, quorum Codices in Oriente scripti mentionem nullam faciunt, de quibus tamen dubitare non possumus, quamvis notitia illorum satis obscura sit, quia libri Nestorianorum prae caeteris rarissimi sunt. Aliorum supersunt non obscura vestigia, in ipsa quam Menesius reformavit Liturgia. Reliquos, qui ab advenis Syris describuntur, si quando in Europam veniunt, ut exemplar, quod habemus scriptum manu Josephi Patriarchae, nullo loco haberi oportet, cum nonnulla ex Missali Maronitico transtulerint, ut maxime Orthodoxi viderentur. Antiquitatis etiam non leve argumentum praebet usus Ecclesiarum Malabaricarum, quas octavo saltem saeculo, aut fidem Christianam, aut saltem haeresin Nestorianam ab illius sectae Antistitibus accepisse, certissimum est. Plura sciremus, si libros haberemus, qui in Ecclesiis quas iidem in Tartaria, Turquestania, Cataia, Sinarumque imperio fundaverant, usurpati olim fuerunt. Sed illud tantum scimus, Nestorianos, quacumque in regione Ecclesias instituerunt, Officia sacra non aliter quam Syriace celebrasse, ut in India, ubi Syrus sermo non magis notus est apud plebem, quam foret in Europa.

Illa et duae alterae Theodori et Nestorii Nestorianorum certissime sunt.

V. Liturgia igitur, quam *Apostolorum* vocant simpliciter Codices plerique, alii adjunctis Adaei Marisque nominibus, inter alteras duas prima et praecipua est, unde etiam ad illam reliquae referuntur, non illa ex aliis quidquam assumit: et id quoque non leve antiquitatis argumentum est. Nam traditionem Ecclesiarum Mesopotamiae significat Nestorio vetustiorem: cujus nomine insignita Liturgia, si ab ejus discipulis primum scripta fuisset, caeteris procul dubio anteferretur, et reliquarum canon esset, quod nunquam fuit. Secundum inter eas locum obtinet Liturgia *Theodori Interpretis*, hoc est Mopsuesteni, a multitudine commentariorum in sacram scripturam, quorum adhuc nonnulli Syriace aut Arabice extant, ita cognominati. Illius meminit tanquam apud Nestorios frequentatae Alexius Menesius

in Synodo Diamperana: sed cum addit, Diodori Tarsensis aliam apud eos reperiri, confusa haec inter se nomina verisimile est. Neque enim Codices legitimi in Oriente scripti illius meminerunt: quamvis a Nestorianis illum inter coelites coli non ignoremus, cum ejus memoriam inter Patres Graecos celebrent, sexta feria Hebdomadis V. post Epiphaniam. Tertia tandem Liturgia est Nestorii, cujus nomen diligenter supprimunt, quicumque in Europam Mesopotameni venire solent: ut in Codice Eliae Sacerdotis Bagdadensis animadvertimus, et in alio observatum est Isa Sacerdotis alterius, qui alteri erat omnino similis. Cum porro et germani illi Nestorianorum codices inter se conveniant, et illi ipsi qui interpolati fuerunt eamdem sacrorum formam contineant: eadem quoque sit illa quam Synodus Diamperana emendandam suscepit: tandem cum libri precum, ubi nonnullae ad Liturgiam pertinentes referuntur, magis perspicuas et exploratas Nestorianismi notas praeferant, ut maledicta adversus Cyrillum, laudesque Nestorii: quin legitima sit ista, dubitare jure nemo possit. Neque id ignoraverunt qui tam studiose nomina illa expunxerunt ex suis codicibus.

Art. 5. Decret. 2. f. 28. Ed. Lusit.

Lectionar. Pers. MS. Nairon. Evop. p. 20.

Prima videtur antiquior Nestoriana haeresi fuisse.

VI. Quod vero superius dictum est, videri primam illam Apostolorum Liturgiam, non sine fundamento, antiquiorem esse divisione Ecclesiarum per Nestorianam haeresin, praeter simplicitatis notam, alia quoque argumenta suadent. Vetus quippe traditio est, non modo conservata a Mari Salomonis filio et Amro Mathaei ejus Epitomatore, sed ab ipsis Jacobitis, omnia quae ad Ministerium Ecclesiasticum pertinent ordinata fuisse in Mesopotamia ab Adaeo et Agi ejus discipulo, quibus Maris adjungitur a Nestorianis: illius enim Jacobitae non meminerunt. Fuisse vero in Edessena ditione, ut etiam Nisibi vicinisque Mesopotamiae urbibus Christianos, dudum antequam Nestoriani Ecclesias illas occuparent, non modo ex omnibus Orientalibus monumentis, sed ex Graecis etiam historicis demonstratur. Nam quae refert Eusebius de Abgaro Toparcha Edesseno, deque Christi ad eum Epistola, Orientales cujuscumque sectae vel linguae, suos in libros transtulerunt, ut pariter miracula imaginis Edessenae. Omissis autem fabulis quae incerta traditione nituntur, illud solum inde constare existimamus, quod a primis Ecclesiae saeculis floreret illis in regionibus Christiana religio, ab Apostolorum discipulis annuntiata. Illi cum Ecclesias instituebant, formam Sacramentorum celebrandorum praescribebant: unde hac in parte suspecta esse non potest Orien-

Hist. Eccl. l. 1. c. 13. Eutych. T. 1. Elmaci. p. 1. MS.

talium traditio, qua id factum ab Adaeo et Agi in Mesopotamia testantur. Cum porro circa sextum saeculum Nestoriana haeresis in illam provinciam sensim infusa est, et maxima ex Persidis Regum autoritate incrementa accepit, novas ab Antistitibus sacrorum leges introductas fuisse, nec historia testatur, nec moribus illorum temporum ullatenus convenisset.

VII. Accedit aliud non minimi ponderis argumentum. Liturgiae illae, prima praesertim, etiam in codicibus non admodum vetustis, inter multas, variique generis orationes vix ullam habent, quae Nestorianae doctrinae particulam aliquam repraesentet, una Nestorii excepta, quae trium postrema est, atque adeo recentior. At Officiorum nocturnorum diurnorumque preces multa habent ejusmodi venena: scilicet quia recentiores sunt, et ab illis hominibus compositae, qui sequacibus suis haeresin inculcare, quacumque satagebant. Sunt in Liturgicis precibus loci quidam, ex quibus suspicio Nestorianismi, si rigidius accipiantur, duci posset, quae tamen nullo negotio discutitur, si recte intelligantur. Sententiam enim Orthodoxam habent, neque ad haeresin detorqueri possunt, nisi ex praejudicata opinione adversus Nestorianos qui alibi opiniones suas produnt satis libere: dum Jesum Christum vocant *templum divinitatis*, et Virginem, *Matrem Christi:* Deiparam vero nunquam. Nempe contra morem Ecclesiarum fuit, addere quidquam vetustis orationibus, nisi quod omnium consensus recepisset, ut *Ὁμοούσιος* et *Θεοτόκος* adjuncta sunt post Nicaenum et Ephesinum Concilium, quod non modo a Jacobitis circa alteram vocem factum fuit, sed etiam ab Orthodoxis. Itaque ipsi etiam Jacobitae cum amplissimas Dioeceses tenerent, Alexandrinam et Antiochenam (quae dignitas Nestorianis defuit, qui nullam Patriarchalem sedem, etiam violenter occupatam possederunt) novas orationes, quae ad opinionis suae de una natura confirmationem spectarent, Liturgiis non inseruerunt: verum unico in loco confessionem ante susceptionem Eucharistiae adjecerunt; idque serius, in qua unius naturae fides agnosceretur. Ejusmodi autem Confessio, de qua dictum est fusius in commentario ad Copticas Liturgias, quamvis inter sacram actionem fiat, ad eam tamen proprie loquendo non pertinet.

Nihil in illis occurrit praeterquam in ultima quod haeresin redoleat.

VIII. Idem prope observatur in duabus aliis Liturgiis quod in prima communi, et generali: cum vix quidquam ad Nestorianae haereseos commendationem in illis legatur. Illud sane animadvertissent Diamperenses censores, si vel levem Orientalium rerum notitiam

Lusitani censores multa incaute damnaverunt quae cum Nestoriana haeresi commune nihil habent.

habuissent, qua eos caruisse, ubique manifestum est. Nam quod statim Missales libros, quia apud Nestorianos usurpati erant ab annis mille ducentis, tollendos, flammisque tradendos censebant, si alios Chaldaicos Pontifex Romanus ad eos misisset, abnorme prorsus, et ab omnibus disciplinae regulis alienum judicium tulerunt, cujus exemplum nullum Ecclesia Romana dedit. Inde enim sequeretur contaminari ab illis qui extra Ecclesiam sunt ea quae longo usu fidelium consecrata fuerant, Sacramentalia Officia: aliter baptisandum, offerendumque sacrificium, cum in ipsis quae inter haereticos administrata sunt Sacramentis, sancti Patres et Concilia characterem dominicum agnoverint. Cum igitur Nestoriani in Liturgiarum celebratione, ritibus et precibus usi sint ab Ecclesia Orthodoxa usurpatis, qualis procul dubio erat Edessena, antequam illam occuparent: vacabant omni corruptelae suspicione, nec aboleri magis debebant, quam Liturgiae Jacobitarum, quibus Maronitae usi esse reperiuntur, ab eo tempore, quo ad unitatem Catholicam reversi sunt, et aliae diversarum linguarum quae indigenis relictae fuere, quamvis in locis aliquibus reformatae sint. Nec erat postulandum a Romano Pontifice, ut Missales libros editos in Indiam mitteret; neque enim alii erant quam Maronitici: et cur Indi illi Christiani ritum Maronitarum suo omisso, accipere cogerentur, causa legitima nulla erat.

Quae praecipue in prima Liturgia emendaverint.

IX. Cum igitur tales libri haberi non possent, ad eorum qui in Ecclesiis Malabaricis usurpabantur reformationem adjecerunt animum, cujus omnem dispositionem Latina versio multoties edita repraesentat. Ejus praecipua capita in notis expendemus, pauca tantum hoc loco delibare operae pretium videtur, ex quibus intelligi facile poterit, quam parum idonei judices rerum sacramentalium forent reformatores illi. Statim quippe formam verborum Christi, ut in Nestorianis et Orientalibus omnibus Liturgiis legitur, condemnant, *quia*, inquiunt, *Sacerdos non suis, sed Christi verbis consecrat, atque adeo nihil illis licet addere.* Excipiunt tamen particulam, *enim*, *aeterni*, *et mysterium fidei*, quia inquiunt, *Ecclesia Romana ex traditione Apostolica didicit, Christum illa verba pronunciasse.* Utitur sane illis verbis Ecclesia Romana, neque vocari in dubium religio ejus potest; cum illa recitet ex antiquissima traditione. At Christum illa ipsa pronunciasse nunquam docuit, neque si ita Theologis quibusdam recentioribus visum est, illorum judicium autoritate sua confirmavit. Tantum abfuit vero ab illa censorum opinione, ut

cum multoties cum Graecis concordia inita fuerit, aut Orientales Christiani ad unitatem recepti, accusationem nullam sustinuerint, quasi in necessaria verborum consecrationis forma, peccarent. Omnes porro Graecae Liturgiae illam habent quam Evangelistae referunt, etiam diversis aliquando verbis expositam: ita Syriacae tam Melchitarum, quam Jacobitarum, Copticae, Armenicae, omnes tandem: solae Maroniticae Missalis Romae editi talem interpolationem passae sunt, nulla, cujus Decretum extet, autoritate Pontificis: multo minus proscripta reperitur verborum Christi sacramentalium formula, quam Graecae Ecclesiae a multis saeculis usu quotidiano frequentaverunt, absque ulla Romanae, quae cum illis communicabat, reprehensione. Neque sane erat suspicioni locus, cum Gothica, Mosarabica, et Ambrosiana Liturgiae eodem modo verba Christi referant, ut a tribus Evangelistis et Apostolo Paulo praescripta sunt.

Caeremonias addidere Orientalibus inusitatas.

X. Pari ratione multas Syriacis Liturgiis caeremonias addidere Censores Lusitani, quo Romanis per omnia similes essent, ut elevationem Eucharistiae, statim post pronunciationem verborum Christi, quae consuetudo in Oriente locum non habet, adeo ut in Maronitarum Missali adjecta non fuerit. Timebant scilicet boni illi viri, ne adoratio Eucharistiae deesse videretur. At scire debuissent illam elevari solere in Oriente, cum inclamatur, *Sancta sanctis*, et tunc exhiberi populo adorandam: quod ex Copticis, Jacobiticisque et Melchiticis Syrorum Ritualibus abunde confirmatur. Ita per importunam reformationem datur occasio adversariis Ecclesiae limpidissimum Traditionis fontem conturbandi, quasi damnet, quod ad initio Christianae religionis ubique receptum, ipsa per communionem multis saeculis cum Orientalibus Ecclesiis continuatam approbavit.

Invocatio Spiritus sancti.

XI. Alia quae similiter Censores Lusitani emendaverunt suis locis examinabuntur, unum modo attingemus. In omnibus cujuscumque linguae Liturgiis Orientalibus, Invocatio sancti Spiritus in dona proposita, et verbis Evangelicis consecrata, statim atque illa pronunciata sunt, subjicitur. In Latina versione iisdem praeponitur et iis quidem verbis quae formis aliarum Liturgiarum non omnino respondent, desunt enim ista: *ut adveniens Spiritus sanctus efficiat panem quidem istum corpus Christi, et calicem sanguinem Christi, etc.* ut habentur in ipso, de quo agimus, Nestoriano ritu in Theodori et Nestorii Liturgiis. Statim occurrit animo diversitatem illam ab eadem Censorum manu esse profectam, qui veteris doctrinae

minus quam par erat rationem habentes, Invocationem illam quasi haeresis sentinam suppresserint: etsi nulla oratio sit quae Sacramentariorum novitates firmius et perspectius refellat: cum reliquas diversis interpretationibus eludant: istius sententiam, salvis illius verbis circumvenire non possint. Verum est tamen in Codice quo praecipue ad interpretandum usi sumus, quique in Oriente et a germanissimis Nestorianis scriptus est, Invocationem eodem loco et iisdem verbis legi, ac in Latina versione. An porro codex mutilus, ut esse illum constat uno saltem folio, aliam Invocationis formam habuerit, absque vetustiorum codicum subsidio statui non potest. Insigne illud in prima Liturgia ab aliis discrimen fuisse difficile est, cum duae alterae illud non agnoscant. Sed cum in Decreto Synodi Diamperensis, quo Liturgiae examen continetur, de Invocatione Spiritus sancti nihil occurrat, illam in Codicibus Ecclesiarum Indicarum defuisse verisimile est: nam aliter censuram eorum qui leviora multa reprehenderunt, non effugisset. Orationem enim quae ad Invocationem refertur, et quam Diaconus alta voce pronuntiat, ubi habetur *Spiritum sanctum de coelo advenire, et efficere panem et vinum, Corpus et Sanguinem Christi*, expungi jussere, quia scilicet inde sequi videretur, *non Sacerdotem, sed Spiritum sanctum id efficere.* O praeclaram emendatricem veteris Theologiae, Philosophiam, quae si sola audiatur inconsulta traditione vix quidquam erit in antiqua disciplina quod erroris suspicione careat; oratio vix ulla quae non scateat haeresibus. Neque ad illam, quae vulgo Graecis attribuitur, cum quibus Nestoriani commune nihil habent, recurrendum est: nam quae Censores damnaverunt in istorum Officiis, leguntur passim apud Graecos Patres, qui Ecclesiae, cujus lumina fuerunt, conjunctissimi, errandi magistri esse non potuerunt. Neque illi solum, sed Latini multi, etiam plerique Missae interpretes, dixerunt *Christum esse qui per Spiritum sanctum panem suam efficit carnem, et vinum suum transformat in sanguinem:* nullum tamen inde detrimentum fieri sacerdotali ministerio existimaverunt. Sed de his alibi fusius agetur.

Codices licet parum antiqui sinceritatis notas habent.

XII. Igitur quamvis codicum antiquorum copia destituti, recentius scriptos sequi coacti fuerimus, quin tamen illa quam primam damus, sit germana Christianorum Orientalium sive Chaldaeorum, qui Nestoriani, ut re vera sunt appellantur, Liturgia, non est quod dubitetur. Nam codex Eliae Sacerdotis quem descripsimus, et interpretando praecipue secuti sumus, conveniebat accurate cum altero quem

vidimus in manibus Isae, alterius ex eadem Ecclesia Diarbekerensi, ex qua Elias erat, sacerdotis. Recentissimus qui a Josepho Patriarcha Romae scriptus est exceptis illis interpolationibus quae verba Christi mystica spectant et paucis aliis, cum duobus primis satis conveniebat. Tandem cum Missa Christianorum Malabarum qui ejusdem communionis erant, similis ubique reperiatur, praeterquam ubi censuram Lusitani exercuerunt, quod agnoscere facile est, ex ista comparatione, veram a nobis teneri Liturgiam Nestorianam firmissime probatur.

Primae Liturgiae forma.

XIII. Prima quae Apostolorum dicitur, magis simplex, aliorum Canon est et ex ea communes orationes multas petendas esse, in duabus aliis annotatur, quod observatur in omnibus codicibus, atque haec primaevae quantum ad illas Ecclesias antiquitatis certa nota est. Si enim illa quae dicitur Theodori Interpretis Liturgia, prius usurpata fuisset, ex illa similes orationes petitae, non ex altera fuissent, quod pariter et majori quodam jure fieri debuisset circa eam quae Nestorio tribuitur. Desunt tamen in nostris codicibus nonnullae orationes, quarum primae tantum voces referuntur, nempe quia recitari debent a Diacono, et in aliis libris reperiuntur: plerasque repraesentat Missa Malabarica: et quantum ex illarum lectione intelligi potest, plus habent novitatis, cum si quando prolixiores sunt, decurrant stylo illo florido et verboso, qui Orientalibus ita placet, ut in eo praecipuam eloquentiae partem constituant. In ejusdem Liturgiae fine, secundum Latinam versionem, benedictiones occurrunt satis prolixae, quas Codices nostri non repraesentant: sed earum aliquas parvo aut exiguo discrimine, adjunctas reperimus in fine tertiae Liturgiae sive Nestorii: non eas tamen habet Codex Josephi Patriarchae. Verbosissimae sunt, et obscurissimae multis in locis, quod novitatis indicium est. At cum in usu essent apud Ecclesias Malabaricas, non ita novae censendae sunt, quin septingentorum saltem annorum antiquitatem superent. Reliqua ad hanc Liturgiam spectantia, in notis explicabuntur.

Theodori Liturgia Diodoro adscribi non debet.

XIV. Secunda est Theodori Interpretis seu Mopsuesteni, quam, ut ex Synodo Diamperensi intelligitur, habuerunt quoque Malabares Nestoriani. At neque Diodoro adscriptam illam fuisse, aut diversam alteram illius nomine extitisse apud Nestorianos, ullo vel levissimo indicio patet. Utrumque distinguunt, et utriusque memoriam, ut supra diximus, inter Patres Graecos celebrant: sed Diodorum scriptam

Liturgiam reliquisse, nemo autor idoneus memoriae prodidit. Unde verisimile est ex nominum similitudine deceptos Censores Lusitanos fuisse, aut extitisse in Ecclesiis Malabaricis codices qui Diodori nomen huic Officio, Theodori loco adjunxerint.

Nullas habet Nestorianismi notas. XV. In ea animadvertendum est, vix extare quidquam quod ad Nestorianam haeresin insinuandam pertineat, quod circa primam observavimus. Quod si ubi B. Mariae Virginis mentio fit, non appellatur *Deipara*, mirum esse non debet, cum ante Ephesinum Concilium id fieri, praesertim in publicis precibus non soleret: neque, ut in aliis privatis, aut quae ad Officia nocturna et diurna Nestorianis propria observatur, affectata illa Christiparae denominatio, quae Nestorianismi nota certa est: atque inde vetustas istius Liturgiae non mediocriter stabilitur.

Verba Christi referuntur ut in antiquis Codicibus. XVI. Ubi verba Christi consecratoria referuntur, forma illorum non recedit ab ea quam omnes Liturgiae Orientales repraesentant, et ea quae habetur in Codice Eliae, ut in altero Isae Sacerdotis. Sed etiam ita scriptam fuisse in codicibus, quos secutus est Joseph Patriarcha, ex ejus apographo agnoscitur. Et quod magis adhuc mirari subit, Invocatio Spiritus sancti super Eucharistiam verbis Dominicis consecratam, ut panem et calicem faciat corpus et sanguinem Christi Domini, in eodem leguntur, ut in aliis codicibus, quorum idcirco fides vocari in dubium non potest.

Ut etiam Invocatio Spiritus sancti. XVII. Idem observatur in Liturgia tertia quae Nestorio adscribitur, et cujus ut Diodori et Theodori memoria celebratur titulo Patrum Graecorum. In ea quippe codex a Josepho scriptus, aliis perfecte similis est, tam circa verba Evangelica, quam circa Invocationem sancti Spiritus. Inde refellitur id quod in Synodi Diamperanae Decretis legitur, varias fuisse multas, et erroneas illorum verborum formas, in Malabaricis Missalibus. Varietas in primaevis Codicibus qui in Mesopotamia scripti sunt, nulla est, nisi qualis inter Graecas diversi ritus Liturgias animadvertitur: et quod illa forma non foret eadem, quae Romana, ad fidem nullatenus pertinet. Unde temere omnino quibusdam Catholicis, sive Chaldaeorum supremis Antistitibus impingitur ab Alexio Menesio quod formas illas immutaverint. Nam conformitas cum Graecis Ecclesiis omnem hac in parte novitatis suspicionem excludit.

In Liturgia Nestorii transmutatio elementorum inculcatur. XVIII. In eadem Nestorii Liturgia singulare quiddam observatur, circa formam Invocationis Spiritus sancti quod post usitata verba

adjiciatur *transmutans ea Spiritu sancto tuo:* quae non extant in duabus aliis: neque in plerisque Syriacis, aut Copticis Jacobitarum, aut Melchitarum; neque in Graecis, praeterquam in Liturgia Chrysostomi. Haec etiam nota non dubia antiquitatis est: nam Nestorius sedem Constantinopolitanam tenuit, ubi haec Liturgia usurpabatur. Ex illa igitur verisimile est, translata fuisse illa verba, quae in aliis non leguntur; idque factum statim a primis Nestorii discipulis, cum ritum quem Constantinopoli didicerant, conservassent. Atque inde fortassis Nestorio attributa est eadem Liturgia, quod ab eo aut proximis ejus discipulis tradita fuisset. Sane haec nota, magnae antiquitatis, et originis ab Ecclesia Constantinopolitana deductae, non contemnendam autoritatem habet: etiam si Nestorio haec oratio a suis sectatoribus tribuatur: cum in illa neque Nestorii, neque Nestorianorum verba, sed Chrysostomi, et Ecclesiae Constantinopolitanae agnoscantur. Tandem quamvis novitatem aliquam prae se ferrent, et ab illis haereticis introducta illa fuissent nihil inde sequitur, nisi quod tot aliis argumentis adversus Protestantes conficitur, doctrinam de vera et substantiali elementorum in corpus et sanguinem Christi transmutatione, non apud nos natam fuisse, et propagatam decimo demum saeculo, sed quingentis circiter annis prius, non modo inter Orthodoxos, sed etiam inter haereticos ita viguisse, ut cum in aliis fidei capitibus errarent, istud constantissime extra Ecclesiam retinuerint, quod in ea didicerant. Id etiam majoris momenti est in Nestorianis, quia veterum nonnulli, quod de Eucharistia minus religiose sentirent eos accusaverunt, cujus tamen labis vestigium ne levissimum quidem apparet: imo non modo mutationem elementorum in corpus et sanguinem Christi perspicue docet Elias Catholicus, ordinatus anno J. C. MCLXXV: sed eam esse *substantiae in substantiam*, ut patet ex ejus testimonio, quod alibi relatum est.

Benedictiones in fine Liturgiae.

XIX. In codice Eliae Sacerdotis Liturgiae Nestorii subjunguntur diversae illae benedictiones, quibus populus post celebrata mysteria solet dimitti; et illarum praecipuas repraesentat Missa Malabarica, quae, ut diximus, versio est primae quam vocant *Sanctorum Apostolorum.* Ita in exemplari quod hic Lutetiae sua manu scripserat Sacerdos Chaldaeus Abdelahad, sive Dominicus, omnes illas benedictiones adjecerat primae illi Liturgiae. In codice Josephi Patriarchae similiter omittuntur: atque inde illas ad Liturgiam Nestorii non pertinere manifestum est.

In tertia Nestorianismi quaedam notae sunt.

XX. Quod de duabus primis dictum est, vix quidquam in orationibus quibus constant reperiri, quod ad Nestorianam haeresin pertineat, de ista ultima non omnino verum est. In ea quippe oratione, quae Praefationi respondet, haec leguntur. *Similitudinem servi accepit, hominem perfectum ex anima rationali, intelligente et immortali*, et *corpore mortali hominum, et conjunxit illum sibi, univitque secum in gloria, potestate et honore.* Haec sane verba, praesertim ex ore Nestorianorum, sententiam Catholicam efficere nequeunt, cum unionem quam Orthodoxi constituunt in unitate personae, Jacobitae in unitate naturae; Nestoriani ad honoris, potestatis, et dignitatis consortium reducant, ut explicant illam Elias Catholicus, Amrus Mathaei filius, et alii quorum testimonia refert Ebnassalus. Illa quoque explicatio iisdem verbis legitur in Paraphrasi Persica Lectionarii ad usum Christianorum Persidis, qui ut plurimum Nestoriani sunt, et passim alibi. Itaque si jam a Nestorii saeculo haec illius doctrinae confessio sacris precibus inserta est, ejus opinionem fideliter exprimit: si ab ejus discipulis, patet eos a magistri sui errore non recessisse, quod multis temere nimium scriptum est, et ab aliis creditum.

Liturgiae illae usu Ecclesiarum commendantur.

XXI. Habent porro tres illae Liturgiae notas omnes veritatis et antiquitatis, quibus apud eruditos illarum *αὐθεντία* probari potest, quam etiam Ecclesiarum, quae Bagdadensium Catholicorum Nestorianae sectae Patriarcharum autoritati subjectae sunt, aut olim fuerunt, usus confirmat. Neque enim ad Indicas Ecclesias quae ante annos circiter octingentos, aut fundatae, aut ad Nestorianam haeresin transductae fuerunt perferri poterant Officia sacri cultus, quae non apud eos quos Patrum et Pastorum loco habebant recepta non fuissent. Quod vero mutationes varias passae sint ab Episcopis aut Patriarchis illae Liturgiae, ut Censores Lusitani existimaverunt, futilis neque ullis argumentis fundata conjectura est: nam in aliquot locis, qui speciminis causa ab illis annotantur, ut est diversa expositio sacrorum verborum Christi Domini, falli eos perspicuum est, cum illae formulae quas novitatis condemnant, vetustissimae sint, et aliis conformes, de quarum antiquitate, aut integritate controversia esse nulla potest.

Habent partes omnes Officii Eucharistici necessarias.

XXII. Quidquid ad constituendam legitimae Liturgiae formam necesse est, in tribus illis occurrit: neque enim, ut alibi explicatum est, orationes praeviae, aut quae communioni praemittuntur vel subjunguntur, partes necessariae sunt: et in eadem Ecclesia non uno

modo semper se habuerunt. Verum ea quae proprie loquendo Liturgiam constituunt, eamdem ac reliquorum Christianorum Liturgiae, formam habent. Leguntur Epistolae et Evangelia, postquam dictae sunt orationes ad implorandum Dei auxilium ordinatae: canuntur Psalmi; panis et vinum non sine magna reverentia ad altare inferuntur, diversae pro omnibus personis et necessitatibus dicuntur orationes. Atque haec ad praeparationem sacrae actionis spectant, quae non modo in Copticis, Syriacis, aliisque Orientalibus Liturgiis, sed in Graecis Latinisque cujuscumque ritus, eodem modo fit, et iisdem saepe verbis, una certe eademque sententia.

Earum partes praecipuae.

XXIII. Actionis sacrae initium ducitur ab osculo pacis apud Nestorianos, ut apud reliquos Orientales: sequitur adhortatio solennis *Sursum corda, etc.* quae ubique et semper observata fuisse reperitur: eamque sequitur oratio quae apud nos *Praefatio*, apud Gothos et alios *Contestatio* appellatur. Ea laudes et gratiarum actiones continet pro omnibus beneficiis humano generi a Deo collatis, et in Cherubico hymno desinit, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Variae porro sunt in omnibus tam Orientalibus quam Occidentalibus Officiis, Praefationes, si verba attendimus, sed omnes unius sunt ejusdemque sententiae, non minus quam reliquae orationes quae sequuntur, usque ad pronuntiationem verborum Christi Domini. In codice Eliae, ut superius notavimus, desunt folia circiter duo, et ea suppleri possunt ex aliis, quantum ad orationes quae praecedunt, illam ex Evangeliis pericopen, *Qui pridie quam pateretur.* Nam fuisse Liturgiam aliquam in qua omitterentur verba Christi, inauditum prorsus antiquitus, et contra omnium Ecclesiarum, imo et ipsius de qua agimus Nestorianae disciplinam, quae ex Theodori et Nestorii Liturgiis perspicue agnoscitur. At quod illorum formam immutari sanxit Alexius Menesius, ut Romana substitueretur, non majoris autoritatis est, quam rationes talis interpolationis, quas in Decretis Synodi Diamperanae, qui scribendo aderant, extare voluerunt. De illis jam nonnulla dicta sunt, et in notis plura dicentur.

Invocatio Spiritus sancti in prima Liturgia praemittitur Christi verbis.

XXIV. Observavimus quoque Invocationem Spiritus sancti, in prima Liturgia eo loco positam, ubi vulgo non legitur, scilicet antequam pronuncientur verba Christi Domini. Postea vero non legitur, ut in duabus alteris, et in omnibus Orientalibus. In Coptica Basilii quae duarum aliarum Canon est, invocatur Spiritus sanctus, ut offerenda dona consecret, et efficiat corpus et sanguinem Christi:

eaque Invocatio, quae alteri subsequenti valde similis est, initio Liturgiae dicitur, longe priusquam pronuncientur verba Dominica. Duas itaque Invocationes habent Coptitae, neque prior posteriorem excludit, et simile quiddam observatur in Officiis Gothicis et vetustis Gallicanis. Inde conjectura duci potest, in Nestoriana generali Liturgia duplicem quoque Invocationis formulam fuisse: sed ut verum fateamur, etsi conjectura verisimilitudine non caret, probari tamen absque subsidio vetustorum codicum vix potest. Nam quod Menesius eam sustulisse videatur, non plane liquet, neque quod in Codice Josephi Patriarchae manu descripto non comparet, probat eam extitisse in antiquis codicibus, cum ipse Josephus etsi ad Romana sacra transierit, Romaeque Codicem suum scripserit, Invocationis formam in aliis duabus Liturgiis, iisdem verbis, et eodem loco retinuerit. In illis porro duabus Theodori et Nestorii, Invocatio integra est, similisque usurpatis apud alias Ecclesias formulis: ut in ista, eadem verba sunt quae in Liturgia Chrysostomi.

Hostiae fractio, etc. respondent aliarum Ecclesiarum disciplinae.

XXV. Quae hostiae fractionem, intinctionem, signationemque spectant, communem repraesentant Ecclesiis omnibus Orientalibus Occidentalibusque disciplinam, quae, si absit fides realis elementorum in corpus et sanguinem Christi transmutationis, locum habere non potest, quod satis testati sunt Protestantes, cum haec omnia funditus sustulerint. At quod diverso modo fractio fiat, in pluresque vel pauciores particulas: aut ritus frangendi et consignandi non sit omnino similis, parum refert. Illud enim discrimen non modo inter Graecam et Romanam Ecclesiam fuit, cum summa esset inter utramque concordia, sed ut Graeci, ita Mozarabes hostiam in plures particulas dividunt, nulla inde novitatis aut superstitionis accusatione exorta.

Stilo simpliciori Liturgiae Nestorianae scriptae sunt.

XXVI. Partes illas Liturgiae praecipuas, quas designavimus, simplicitas sua commendat: in aliis stili Orientalis plus inest, et naturalis apud illas gentes verborum redundantia, in qua dudum est cum elegantiae purioris laudem Syri, Arabesque solent constituere. In illis interpretandis ita versati sumus, ut neque stilum floridiorem affectaremus, quod Masius fecit in ea quam dedit Liturgiae Syriacae Basilio tributae versione: neque verbum verbo reddendum arbitraremur. Id sane saepe fieri non potest: nam synonymis abundat lingua Syriaca, quae uno prope solo verbo Latino exprimi possunt. Ita vox *misericordia* quae continuo occurrit, per quatuor aut quinque Syriacas exprimitur, ut apud Latinos *miseratio* et *misericordia*,

idem significant. Ubi *miserationes* posuimus, qui Missam Malabaricam interpretati sunt, *amores* verterunt, ridicule prorsus, neque ex stilo Ecclesiastico, a quo saepe recesserunt, etsi magnopere videntur in animo habuisse, ut verbum verbo redderent. Sed illos quicumque fuerint, Syriacae linguae parum peritos fuisse, multis indiciis agnoscitur: unde ab illorum sententia recedere saepius necesse fuit. Versio vero quam damus, talis est, ut simplicissima sit et fidelissima.

Nestoriani ubique Syriace sacra celebraverunt.

XXVII. Reliquum est ut de Nestorianorum disciplina circa usum istarum Liturgiarum dicatur aliquid: nam inter eos numerantur a Protestantibus, qui cum Syri sint, et Syriace sacra faciant, suo exemplo damnant Ecclesiam Catholicam, quod vernacula lingua in suis officiis non utatur. Nullum tamen erat quo juvari minus posset causa Protestantium, quam prorsus labefactat, disciplinamque Ecclesiae Romanae mirifice confirmat. Nam ex quo Nestoriani Mesopotamiae Ecclesias prope omnes occupaverunt, amisso Graecae linguae usu, illam quoque in sacris Officiis celebrandis omiserunt, Syriacaque sola uti coeperunt. Cum vero Arabica ubique passim obtinuisset, ita ut soli eruditi Syriace scirent, plebs illiterata, imo Ecclesiastici ipsi, non nisi studio adhibito, Syriacam linguam intelligerent, ea tamen ratio tanti visa non fuit, ut antiqua consuetudo aboleretur, et vernacule sacra fierent. Unde huc usque apud Ecclesias omnes Nestorianas, non aliter quam Syriace solent celebrari, licet plerique Sacerdotes eam linguam non intelligant. Neque in eo constiterunt Nestoriani: nam cum multas in Perside Ecclesias fundassent, ubi Syriacae linguae usus nullus erat, eam tamen illic in sacris celebrandis retinuerunt. Plebi ita consuluerunt, ut Lectionaria quibus Epistolae et Evangelia de circulo anni continebantur, Persice interpretata essent; et tale eleganter et accurate scriptum nobis suppeditavit Bibliotheca Colbertina. An porro, ut apud Coptitas Arabica, ita Persica scripturarum versio inter Missarum solemnia legeretur: an ad privatos usus tantum instituta fuerit; etsi valde verisimile videtur, exemplum reliquorum Orientalium Christianorum secutos esse Nestorianos: tamen, unde certo probetur, huc usque nihil nobis occurrit. In extrema Tartaria et Turquestania multas quoque Ecclesias habuerunt, atque illic Episcopales et Metropolitanas sedes novas erexerunt, ubi non aliter quoque quam Syriace sacra officia celebrabantur; quod de Sinensi illorum Ecclesia judicari non sine ratione potest. Nam lapis effossus anno MDCXXV. Si-

nicis Syriacisque literis insculptus, is ipse est quo primae ad Sinas Evangelii praedicandi causa missionis, memoria consignata fuit. Subscriptio, cum sacerdotum aliorumque Ecclesiasticorum nominibus, Syriacis literis exarata est: nec aliam ob causam quam quod sacra et Ecclesiastica esset lingua Syriaca; in qua illos rem divinam fecisse non dubitandum videtur, quandoquidem ita fecerunt Nestoriani in India. Ecclesiae enim Malabaricae sacros libros alios non habuere quam Syriacos, in quibus emendandis tantopere Lusitani laboraverunt. Plura dicere supervacaneum foret in re perspicua, et omnium qui in Oriente fuerunt testimoniis confirmata, quam ignorare non possunt etiam ipsi, qui ex Orientalium exemplo Romanam disciplinam vellicare aggressi sunt: quod quam inutiliter factum sit, satis quisque intelligit.

Graeci de Nestorianorum ritibus vix quidquam scripserunt.

XXVIII. In Graecis autoribus ad antiquas Nestorianorum origines illustrandas, vix quidquam praesidii est: errores illorum acriter et erudite impugnaverunt multi, sed de illorum rebus Ecclesiasticis pauca admodum videntur scivisse, quod mirum esse minus debet, quam similis Jacobitarum et Melchitarum, qui in iisdem provinciis vivebant negligentia aut ignorantia. Illi enim cum in iisdem regionibus simul essent, multa docere poterant de Nestorianorum sacra disciplina, ut etiam de illorum Liturgiis. At quale fuerit de iis quae apud se in usu non essent Graecorum judicium, satis ostendit Balsamon Juris Canonici praecipuus apud eos interpres, qui Jacobi Marcique Liturgias abolendas judicavit; cum ipse Antiochenus Patriarcha scire debuisset, quam antiquus illarum usus in Ecclesiis Palaestinis et Aegyptiaticis foret. Itaque vix quidquam in Graecorum recentiorum scriptis legimus, circa Orientales Liturgias, nisi accusationem Jacobitarum apud Anonymum a Combefisio editum, quod Liturgias diversas ab Ecclesiastica Traditione, composuissent. Ita Leontius in opere cujus Latinam versionem Turrianus edidit de Theodori impietate. Verba Graeca ex MSS. Codicibus talia sunt, *Τολμᾷ δὲ ἕτερον κακὸν τῶν εἰρημένων οὐ δεύτερον. Ἀναφορὰν γὰρ σχεδιάζει ἑτέραν παρὰ τὴν πατρόθεν ταῖς Ἐκκλησίαις παραδεδομένην, μήτε τὴν τῶν ἀποστόλων αἰδεσθείς, μήτε τὴν τοῦ μεγάλου Βασιλείου ἐν τῷ αὐτῷ πνεύματι συγγραφεῖσαν λόγου τινὸς κρίνων ἀξίαν. Ἐν ᾗ ἀναφορᾷ βλασφημιῶν, οὐ γὰρ εὐχῶν, τὴν τελετὴν ἀναπλήρωσεν. Ausus est, et aliud facinus supra dictis non inferius. Anaphoram enim*, sive Liturgiam, *composuit*, *aliam ab ea*, *quae a Patribus Ecclesiis tra-*

dita fuerat: neque illam Apostolorum reveritus, neque D. Basilii Magni in eodem spiritu conscriptae rationem ullam habendam esse judicans: in qua Anaphora blasphemiis potius quam precibus Sacrum Officium replevit. Ex eo testimonio intelligi potest Liturgiam Theodoro adscriptam Graecis incognitam non fuisse, neque tamen autoritas Leontii, qui post tot annos scribebat, probat sufficienter, compositam illam ab eo fuisse, sed illud solummodo, quod talis vulgo ferretur apud ejus sectatores opinio. Quod adjicit Leontius, plenam fuisse illam blasphemiis, si verum est: aliam viderat ab ea quam Nestoriani huc usque servant, magnopere diversam, cum praeter unum quem supra indicavimus locum, quod ad haeresin insinuandam spectare videatur nihil in tribus appareat.

Qualis esset Apostolorum Leontio citata.

Quid per Apostolorum Liturgiam designaverit Leontius, si Graecorum traditionem sequimur, agnoscere facile non est: talem enim ipsi nullam habent, solisque Basilii et Chrysostomi Liturgiis utuntur. Nihil igitur propius est, quam ut eo nomine intelligatur ea quae in Nestorianorum Codicibus prima et praecipua est, a qua multae communes orationes peti debent: quam tamen Nestorius aut quicumque illius nomine Liturgiam composuit, non insuper habuit, aut parum reveritus est, cum suam ad primaevum illud exemplar accommodaverit. De Basilii Liturgia, quasi legem necessariam sacrorum contineat, vetus est Graecorum recentiorum naenia, quam adversus Latinos fastidiose Symeon Thessalonicensis ingerere solet, calumniose non minus quam imperite. Porro si per Liturgiam Apostolorum in verbis Leontii, prima earum quas Nestoriani habent intelligi debet, forma vetus Liturgiae Syriacae, qualis in Ecclesiis Mesopotamenis ante scissam Ecclesiam per Nestorianorum haeresin usurpabatur, in ea agnosci potest. Reliqua in notis explicabuntur.

LITURGIA
APOSTOLORUM [1] SANCTORUM,
SEU ORDO SACRAMENTORUM.

Primo. [2] Gloria in excelsis Deo: *et* Pater noster qui es in coelis.

Oratio.

Roborа Domine et Deus noster infirmitatem nostram per misericordiam tuam, ut administremus mysterium sanctum quod datum est ad renovationem, et salutem naturae nostrae humilis: per miserationes Filii tui dilecti, omnium Domini.

Diebus communibus. Adoretur, glorificetur, laudetur, celebretur, exaltetur et benedicatur in coelo et in terra, nomen adorandum, et gloriosum Trinitatis tuae, semper gloriosae, Domine omnium.

Diebus communibus dicunt Psalmum, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, *integrum cum suo canone, mysterii Sacramentorum.*

Elevatio vocis. Quis praebebit jubilum, etc.

Oratio.

Coram throno, Domine, praeclaro majestatis tuae, et solio excelso, atque sublimi gloriae tuae, et in sede terribili fortitudinis caritatis tuae, altarique propitiatorio, quod voluntas tua stabilivit, in regione pascuae tuae, cum millibus Cherubim laudantibus te, et decies millibus Seraphim sanctificantibus te, accedimus, adoramus, confitemur et glorificamus te, semper, omnium Domine.

In memoriis, et sextis feriis. Nomen tuum magnum et sanctum, praeclarum et benedictum: beatum et incomprehensibile Trinitatis tuae gloriosae, et gratiam tuam erga genus nostrum, debemus quocumque tempore confiteri, adorare et glorificare, omnium Domine.

Responsorium ad cancellos, ut supra. Quis praecepit. Pontifici. Quam spirat in nobis Domine et Deus noster odor suavis dulcedinis

caritatis tuae: illuminatae sunt animae nostrae, per cognitionem veritatis tuae: digni efficiamur suscipiendi manifestationem dilecti tui, de coelo sancto tuo: illic confitebimur tibi, et (interea) glorificabimus te indesinenter in Ecclesia tua coronata et plena omnibus auxiliis et omnibus bonis, quia tu es Dominus et creator omnium Pater.

Oratio incensi. Referemus hymnum Trinitati tuae gloriosae, Pater, Fili et Spiritus sancte.

Diebus jejunii. Et propter.

In commemoratione Sanctorum. Tu Domine, vere es suscitator corporum nostrorum: tu es Salvator bonus animarum nostrarum, et conservator securus vitae nostrae: nosque oportet te perpetuo confiteri, adorare et glorificare omnium Domine.

[3] *Ad Lectiones.* Sanctus, [4] laudandus, potens, immortalis, qui in sanctis habitas, et requiescit in eis voluntas tua: respice Domine, propitius esto et miserere nostri, sicut in omnibus auxiliator es omnium Domine.

Ad Apostolum. Illumina nobis Domine et Deus noster, motus cogitationum nostrarum, ad audiendum et intelligendum auditiones suaves mandatorum tuorum vivificantium et divinorum: et concede nobis per gratiam et misericordiam tuam ut ex illis colligamus argumentum dilectionis et spei; salutemque animae et corpori convenientem: canemusque tibi gloriam perpetuam indesinenter, et semper, omnium Domine.

Diebus jejunii. Tibi gubernator sapiens.

Descendens salutabit [5] *Evangelium, dicens hanc orationem coram altari.* Te germen praeclarum Patris tui, et imaginem personae genitoris tui, qui revelatus es in corpore humanitatis nostrae, et ortus es nobis in lumine annuntiationis tuae, te confitemur, adoramus, etc.

Et post proclamationem. Te Domine Deus potens deprecamur et rogamus, perfice nobiscum gratiam tuam et effunde per manus nostras donum tuum, misericordiam, et miserationem divinitatis tuae. Sint nobis ad propitiationem delictorum populi tui, et ad remissionem peccatorum totius gregis pascuae tuae, per gratiam tuam et miserationes tuas, bone et amator hominum, Domine omnium.

Diaconi dicunt. Inclinate capita vestra.

Sacerdos dicit Orationem secretam hanc in Bemate.

Domine Deus omnipotens, tua est Ecclesia sancta Catholica, quippe qui per passionem magnam Christi tui, emisti oves pascuae tuae, et ex gratia Spiritus sancti, ipsius qui unius est cum divinitate tua gloriosa naturae, dantur gradus ordinationis sacerdotalis verae: et per clementiam tuam Domine dignatus es imbecillitatem nostram facere membra spiritualia in corpore magno Ecclesiae tuae sanctae, ut ministraremus auxilium spirituale animabus fidelibus. Tu nunc Domine perfice nobiscum gratiam tuam, et effunde per manus nostras donum tuum: et misericordiae tuae, et clementia divinitatis tuae, sint super nos, et super populum istum quem elegisti tibi.

Elevans vocem. Et da nobis Domine per clementiam tuam, ut nos omnes simul et aequaliter omnibus diebus vitae nostrae placeamus divinitati tuae, dignique efficiamur auxilio gratiae tuae, ad offerendum tibi laudem, honorem, confessionem, et adorationem, omni tempore Domine.

Et ascendunt Diaconi ad altare et dicunt. [6] Qui non accepit baptismum, etc.

[7] *Et incipit Sacerdos responsorium mysteriorum, inferuntque Sacrista et Diaconus discum et calicem super altare. Sacerdos manus format in modum crucis et dicit.* Offerimus laudem Trinitati tuae gloriosae omni tempore et in saecula.

Et prosequitur. Christus qui immolatus est pro salute nostra, praecepitque nobis ut ageremus commemorationem mortis et resurrectionis suae, ipse suscipiat sacrificium hoc ex manibus imbecillitatis nostrae: per gratiam suam et miserationes suas in saecula. Amen.

Et prosequitur. Imponuntur mysteria praeclara, sancta et vivifica super altare Domini potentis, usque ad ejus adventum, in saecula. Amen.

Lauda. Memoria tua. Pater noster. Apostoli Patris. Super altare sanctum. Qui dormierunt. Mathaeus. Marcus. Lucas, etc.

LITURGIA
BEATORUM APOSTOLORUM
COMPOSITA A S. ADAEO ET S. MARI ORIENTALIUM DOCTORIBUS.

Accedit Sacerdos ad celebrandum, terque inclinatur coram altari, cujus medium osculatur: tum cornu dextrum et sinistrum, et inclinatur ad ejus partem sublimiorem: Et dicit.

Benedic Domine. Orate pro me Patres, fratres et Domini mei, ut Deus det mihi virtutem et possibilitatem, quo perficiam ministerium hoc, ad quod accessi, suscipiaturque oblatio haec ex manibus imbecillitatis meae, pro me, pro vobis, et pro toto corpore Ecclesiae sanctae Catholicae, per gratiam ejus et miserationes ejus, in saecula. Amen.

Et respondent. Christus exaudiat orationes tuas, gratumque habeat sacrificium tuum: suscipiat oblationem tuam, honoretque sacerdotium tuum; et det nobis per mediationem tuam, veniam delictorum nostrorum, et remissionem peccatorum nostrorum, per gratiam suam et miserationes suas in saecula.

Mox inclinat se ad partem inferiorem, eadem pronuntiando, eodemque modo illi respondent: tum inclinatur versus altare et dicit.

Deus omnium Dominus, sit cum omnibus nobis per gratiam suam et miserationes, in saecula. Amen.

Et inclinatus ad Diaconum qui est a sinistra, dicit. Deus omnium Dominus confirmet verba tua, et praestet tibi pacem, suscipiatque oblationem hanc ex manibus meis, pro me, et pro te, pro toto corpore Ecclesiae sanctae Catholicae, et pro universo mundo per gratiam ejus et miserationes ejus in saecula.

Inclinat se ad altare et secreto dicit.

Domine et Deus noster ne aspicias ad multitudinem peccatorum nostrorum, neque avertatur dignitas tua propter gravitatem nequi-

tiarum nostrarum, sed per gratiam tuam inenarrabilem sanctifica sacrificium istud, et da per illud possibilitatem et virtutem, ita ut obliviscaris peccata nostra multa, sisque propitius, cum manifestaberis in fine temporum, in homine quem a nobis assumsisti, inveniamusque coram te gratiam et misericordiam, dignique efficiamur laudandi te cum coetibus intellectualibus.

Surgit et dicit hanc Orationem secreto.

Confitemur Domine et Deus noster divitias abundantes gratiae tuae erga nos: *Et prosequitur.* Qui cum peccatores et humiles essemus, propter multitudinem clementiae tuae fecisti nos dignos administrandi mysteria sancta corporis et sanguinis Christi tui. Petimus auxilium a te, ad robur animarum nostrarum, ut in caritate perfecta, et in fide vera administremus donum tuum erga nos. *Canon.* Et referemus tibi laudem, gloriam, confessionem et adorationem, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Signat se signo crucis et respondent. Amen.

Et prosequitur. Pax vobiscum.

Respondent. Tecum et cum spiritu tuo.

Et dant pacem sibi invicem et dicunt. Pro omnibus [9] Catholicis.

Diaconus dicit. Confiteamur, rogemus, et deprecemur.

Sacerdos dicit hanc Orationem secreto.

Domine Deus potens adjuva imbecillitatem meam, per clementiam tuam, et per adjutorium gratiae tuae: meque dignum fac offerendi coram te oblationem hanc, tanquam ad commune omnium auxilium, et ad laudem Trinitatis tuae Pater, Fili et Spiritus sancte.

Alia Oratio quae dicitur etiam in Liturgia Nestorii.

Domine et Deus noster coerce cogitationes meas, ut non evagentur in vanitatibus mundi hujus. Domine Deus noster da mihi ut uniar dilectioni caritatis tuae, quamvis indignus sim. Gloria tibi Christe.

Ascende in thalamum luminis praeclari tui Domine: semina in me semen bonum humilitatis: et sub alis gratiae tuae absconde me,

per misericordiam tuam. Si iniquitates observaveris Domine, quis poterit consistere? quia apud te propitiatio est.

In alio Codice Sacerdos dicit hanc Orationem secreto.

Mater Domini nostri Jesu Christi, deprecare pro me Filium unigenitum qui ex te natus est, ut remittat mihi delicta, et peccata mea, et suscipiat ex manibus meis infirmis et peccatricibus sacrificium hoc quod offert imbecillitas mea, super hoc altare, per intercessionem tuam pro me, Mater sancta.

[10] *Cum dixerit Diaconus.* Vigilanter et attente, *statim surgit Sacerdos et discooperit sacramenta,* [11] *auferens velum quo tegebantur: benedicit incensum et dicit Canonem, alta voce.*

[12] Gratia Domini nostri Jesu Christi: et caritas Dei Patris et communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus nobis nunc, etc.

Signat sacramenta, et respondent. Amen.

Sacerdos prosequitur. [13] Sursum sint mentes vestrae.

Respondent. Sunt ad te Deus Abraham, Isaac, et Israël Rex gloriose.

Sacerdos. Oblatio Deo omnium domino offertur.

Respondent. Dignum et justum est.

Diaconus. Pax nobiscum.

Sacerdos imponit incensum et dicit hanc Orationem.

Domine, Domine da mihi apertam faciem coram te, ut cum fiducia quae a te sit, perficiamus sacrificium hoc tremendum et divinum, conscientiis ab omni nequitia et amaritudine puris. Semina in nobis Domine dilectionem, pacem et concordiam ad invicem, et erga quoscumque.

Et erectus dicit secreto. Dignum est gloria ab omni ore, et confessione, ab omnibus linguis, et adoratione atque exaltatione ab omnibus creaturis, nomen adorandum et gloriosum Patris, et Filii, et Spiritus sancti: qui creavit mundum per gratiam suam, et habitatores ejus per clementiam suam, qui salvavit homines per misericordiam suam, et praestitit gratiam magnam erga mortales. Majestatem tuam Domine benedicunt et adorant, millies milleni superni (Spiritus) et decies mille myriades Angelorum Sanctorum, exercitus spiritualium,

ministri ignis et spiritus; cum Cherubim sanctis, et Seraphim spiritualibus, nomen tuum sanctificant et celebrant, clamantes, et laudantes, indesinenter clamando alter ad alterum.

Dicunt alta voce. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus potens, pleni sunt coeli et terra gloria ejus.

Sacerdos secreto. Sanctus, Sanctus, Sanctus es, Domine Deus potens, cujus gloria pleni sunt coeli et terra, et natura substantiae ejus: ut honore splendoris ejus gloriosi: (sicut scriptum est) coelum et terra plena mei sunt, dicit Dominus potens. Sanctus es Deus Pater, vere solus, a quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur. Sanctus es Fili aeterne, per quem omnia facta sunt. Sanctus es Spiritus sancte, aeterne, per quem omnia sanctificantur. Vae mihi, vae mihi, qui obstupui, quia vir pollutus labiis ego sum et inter populum pollutum labiis habito, et Regem Dominum potentem viderunt oculi mei. Quam terribilis est hodie locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli, quia oculo ad oculum visus es Domine. Nunc vero adsit nobiscum gratia tua, Domine, purga immunditias nostras, et sanctifica labia nostra. Junge voces tenuitatis nostrae, cum sanctificatione Seraphim et Archangelorum. Gloria miserationibus tuis, quia terrenos sociasti cum spiritualibus.

Et prosequitur secreto dicens inclinatus hanc Orationem.

Et cum illis Potestatibus coelestibus confitemur tibi, nos etiam servi tui, tenues, imbelles et infirmi, quia praestitisti nobis gratiam tuam magnam, quae rependi non potest. Nempe induisti humanam naturam nostram: ut vitam nobis praestares per divinitatem tuam: exaltasti humilitatem nostram: erexisti ruinam nostram: resuscitasti mortalitatem nostram: dimisisti peccata nostra: et justificasti reatum peccatorum nostrorum: illuminasti intelligentiam nostram, et condemnasti Domine Deus noster inimicum: et triumphare fecisti tenuitatem naturae imbellis nostrae. Per miserationes effusas gratiae tuae, o clemens, remitte delicta et peccata: dimitte delicta mea, in judicio. Et propter omnia auxilia tua, et gratias tuas erga nos, referemus tibi hymnum, honorem, confessionem, et adorationem, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Sacerdos signat Sacramenta. Respondetur. Amen.

Diaconus. In mentibus vestris. Orate pacem nobiscum.

Sacerdos dicit hanc Orationem, inclinatus et submissa voce.

Domine Deus potens, suscipe hanc oblationem, pro omni Ecclesia sancta Catholica, et pro omnibus Patribus piis et justis qui placiti fuerunt tibi, et pro omnibus Prophetis et Apostolis, et pro omnibus Martyribus, et Confessoribus, et pro omnibus lugentibus, angustiatis et aegrotis, et pro omnibus necessitatem et vexationem patientibus, et pro omnibus infirmis et oppressis, et pro omnibus defunctis, qui a nobis separati migraverunt: tum pro omnibus qui petunt orationem ab infirmitate nostra, et pro me peccatore humili et infirmo. Domine Deus noster, secundum miserationes tuas, multitudinemque gratiarum tuarum, aspice populum tuum, et me infirmum, neque secundum peccata mea, et insipientias meas: sed ut digni fiant remissione peccatorum suorum, per corpus hoc sanctum, quod cum fide accipiunt, per gratiam misericordiae tuae in saecula saeculorum. Amen.

In alio codice ita incipit illa Oratio.

Domine Deus potens, exaudi vocem clamoris mei coram te hoc tempore: intende Domine et audi gemitus meos coram majestate tua, suscipeque deprecationem mei peccatoris, qua interpello gratiam tuam, hac hora qua offertur sacrificium patri tuo. Miserere omnium creaturarum: parce reis, converte errantes; oppressos recrea; turbatis quietem praesta: sana infirmos: consolare afflictos; et perfice eleemosynas eorum qui operantur justitiam, propter nomen tuum sanctum. Mei quoque peccatoris miserere per gratiam tuam. Domine Deus potens, suscipiatur oblatio haec pro universa Ecclesia sancta Catholica, et pro Sacerdotibus, Regibus, principibus, *et reliqua ut supra.*

Sacerdos dicit hanc Orationem inclinationis secreto.

Tu Domine per miserationes tuas multas et inenarrabiles, fac memoriam bonam et acceptabilem omnibus patribus piis et justis, qui placiti fuerunt coram te in commemoratione corporis et sanguinis Christi tui, quod offerimus tibi super altare tuum purum et sanctum, sicut docuisti nos: et praesta nobis tranquillitatem tuam, omnibus diebus saeculi hujus.

Prosequitur. Domine Deus noster praesta nobis tranquillitatem et pacem tuam, omnibus diebus saeculi hujus: ut cognoscant te omnes habitatores terrae: quia tu es Deus Pater verus solus; et tu misisti Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum et dilectum tuum; et ipse Dominus et Deus noster venit et docuit nos omnem puritatem et sanctitatem: Memoriam fac Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, Doctorum, Sacerdotum, Diaconorum, et omnium filiorum Ecclesiae sanctae Catholicae, qui obsignati sunt signo vitae, Baptismatis sancti. Nos quoque Domine.

Prosequitur. Servi tui humiles imbecilles et infirmi qui congregati sumus in nomine tuo, nuncque stamus coram te, et accepimus cum jubilo formam quae a te est, laudantes, glorificantes et exaltantes, commemoramus, et celebramus, mysterium hoc magnum et tremendum, sanctum et divinum, passionis, mortis, sepulturae et resurrectionis Domini, et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Et veniat [14] Domine Spiritus tuus sanctus, et requiescat super oblationem hanc servorum tuorum, quam offerunt, et eam benedicat et sanctificet, ut sit nobis Domine, ad propitiationem delictorum, et remissionem peccatorum, spemque magnam resurrectionis a mortuis, et ad vitam novam in regno coelorum, cum omnibus qui placiti fuerunt coram eo. Et propter universam dispensationem tuam mirabilem erga nos, confitebimur tibi, et glorificabimus te indesinenter, in Ecclesia tua, redemta per sanguinem pretiosum Christi tui, oribus apertis, et facie libera: *Canon*: referentes hymnum, honorem, confessionem et adorationem nomini tuo sancto vivo et vivificanti, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Sacerdos signat cruce mysteria: et respondent. Amen.

Sacerdos inclinat se et osculatur altare, primum in medio, tum ad duo latera dextrum et sinistrum, dicitque hanc Orationem.

In alio codice: dicit Psalmum. Miserere mei Deus, *usque ad haec verba*, et iniqui ad te convertentur. Ad te levavi oculos meos, *usque ad* Miserere nostri Domine, miserere nostri. Extende manum tuam, et salvet me dextera tua Domine: permaneant super me Domine, miserationes tuae in saeculum, et opera manuum tuarum ne despicias.

Tum dicit hanc Orationem.

Christe pax superiorum, et tranquillitas magna inferiorum, fac ut habitet tranquillitas et pax tua in quatuor partibus mundi, praecipue autem in Ecclesia tua sancta Catholica: fac ut pacem habeat Sacerdotium, cum Imperio: cessare fac bella a finibus terrae, et dissipa gentes quae bella volunt: ut habitatione tranquilla et pacifica fruamur, in omni temperantia, et timore Dei. Parce delictis et peccatis defunctorum per gratiam et miserationes tuas in saecula.

Et ad illos qui sunt circa altare dicit. Benedic Domine. Benedic Domine. *Imponitque incensum*, [15] *quo se ipsum perfundit, et dicit.* Suavem fac Domine Deus noster, odorem jucundum animarum nostrarum, per suavitatem caritatis tuae, et per eam munda me a maculis peccati, et parce mihi delicta et peccata mea, tam quae scio, quam quae ignoro.

Iterum accipit incensum ambabus manibus, et incensat mysteria: mox dicit. Accessum dat nobis clementia gratiae tuae Domine et Deus noster, ad mysteria haec praeclara, sancta, vivificantia et divina quamvis indigni simus. Non extat in altero Cod.

Haec verba Sacerdos semel atque iterum repetit, et ad singula intervalla jungit manus suas super pectus suum in formam crucis. Osculatur altare in medio: accipitque ambabus manibus oblatam superiorem, et sursum aspiciens dicit.

Laus nomini tuo sancto Domine Jesu Christe, et adoratio majestati tuae semper et in saecula. Amen. Panis enim vivus est et vivificans qui descendit de coelis, et dat vitam mundo universo, quem qui edunt non moriuntur: et qui illum recipiunt per illum salvantur, nec corruptionem sentiunt, et vivunt per illum in aeternum: tuque es antidotus mortalitatis nostrae, et resurrectio totius figmenti nostri. Haec Oratio in Cod. recentiori assignatur post verba Dominica.

In alio codice aliter haec leguntur. Gloria tibi Deus Pater qui misisti Filium tuum unigenitum ad salutem nostram, et ipse priusquam pateretur, etc.

[16] *In Codice Eliae quem secuti sumus, defectus est, cum tota verborum Christi recitatio praetermittatur descriptoris culpa, aut quod haec aliunde, nempe ex Theodori aut Nestorii Liturgia peti deberent. In eo quem scripsit Romae 1697. Josephus Patriarcha, totus ille locus reformatus est ad Missale Chaldaicum Romae edi-*

tum, ut in Missa cujus versionem edidit Alexius Menesius. Cum alii codices non suppeterent, hoc loco asteriscos defectus indices apponere visum est. ******

Laus nomini tuo sancto Domine: *ut supra.*

Sacerdos osculatur hostiam in modum crucis, ita tamen ut labia ejus ad eam non pertingant, sed quasi osculando: et dicit. Gloria tibi Domine; gloria tibi Domine, propter donum tuum erga nos inenarrabile, in saecula.

[17] *Tunc accedit ad hostiae fractionem, quam ambabus manibus facit dicens.* Accedimus Domine cum fide vera, frangimusque cum confessione, et signamus per misericordiam tuam, corpus et sanguinem vivificatoris nostri Jesu Christi, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.

Et nominata Trinitate, frangit hostiam quam manibus tenet, in duas partes; et eam quae est in manu ejus sinistra deponit in disco: altera quam manu dextra tenet, signat calicem dicens. Signatur sanguis pretiosus corpore sancto Domini nostri Jesu Christi. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti in saecula.

Et respondent. Amen.

Tum intingit eam usque ad medium in calice, et signat cum ea corpus quod est in patena dicens. Signatur corpus sanctum sanguine propitiatorio Domini nostri Jesu Christi. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in saecula.

Et respondent. Amen.

Conjungitque ambas partes, unam cum altera dicens. Divisa sunt, sanctificata, completa, perfecta, unita, et commista mysteria haec praeclara, sancta, vivificantia et divina, unum cum altero, in nomine adorando et glorioso Trinitatis tuae gloriosae Pater, Fili, et Spiritus sancte, ut sint nobis Domine in propitiationem delictorum, et remissionem peccatorum, in spem quoque magnam resurrectionis a mortuis, et vitae novae in regno coelorum, nobis et Ecclesiae sanctae Christi Domini nostri, istic et in quacumque regione, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Interea signat hostiam pollice dextro in formam crucis, ab inferiori parte ad superiorem, et a dextra ad sinistram; et ita levem fissuram in ea format, qua parte intincta est in sanguine. Partem ejus mittit in calicem, in formam crucis: pars inferior posita est versus Sacerdotem, superior versus calicem, ita ut locus

fissurae spectet calicem. Inclinatur et surgens dicit. Gloria tibi Domine Jesu Christe, qui me indignum licet, constituisti per gratiam tuam, ministrum et mediatorem mysteriorum tuorum praeclarorum, sanctorum, vivificantium et divinorum: per gratiam misericordiae tuae fac me dignum venia delictorum et remissione peccatorum.

Signat se signo crucis in fronte similiterque circumstantes.
In alio codice.

Signat frontem suum signo crucis et dicit. Gloria tibi Domine qui creasti me per gratiam tuam. Gloria tibi Domine qui vocasti me per misericordiam tuam. Gloria tibi Domine qui constituisti me mediatorem doni tui: et propter omnia beneficia tua erga imbecillitatem meam, referatur tibi laus, honor, confessio, et adoratio nunc, etc.

Accedunt Diaconi, et signat unumquemque eorum in fronte dicens. Christus suscipiat ministerium tuum: Christus illustret faciem tuam: Christus conservet vitam tuam: Christus crescere faciat juventutem tuam.

Et respondent. Christus suscipiat oblationem tuam.

Omnes redeunt ad locum suum: Sacerdosque facta inclinatione, surgit et dicit tono Evangelii.

Gratia Domini nostri Jesu Christi: et caritas Dei Patris, et communicatio spiritus sancti, sit cum omnibus nobis.

Sacerdos signat se ipsum, et elevat manum suam super caput suum, ut sit in aëre et populus particeps sit signationis.

Dicit Diaconus. Omnes nos cum timore: *et ad haec verba:* dedit nobis mysteria sua.

18 *Incipit Sacerdos frangere corpus: et dicit.* Propitiare Domine per clementiam tuam peccatis et insipientiis servorum tuorum, et sanctifica labia nostra per gratiam tuam, ut dent fructus gloriae et laudis divinitati tuae, cum omnibus sanctis tuis in regno tuo.

Et elevans vocem dicit. Et fac nos dignos Domine Deus noster, ut perpetuo absque macula, coram te consistamus cum corde puro, facie aperta et cum fiducia quae a te est, misericorditer nobis data: et omnes pariter invocemus te et sic dicamus. Pater noster, etc.

Populus dicit. Pater noster.

In Cod. recent. inseritur alia oratio quae videtur supposita.

Sacerdos. Domine Deus potens, Domine et Deus noster bone, qui es plenus misericordia, rogamus te Domine Deus noster et deprecamur clementiam bonitatis tuae: ne nos inducas Domine in tentationem, sed libera et salva nos a malo, et ab exercitibus ejus, quia tuum est regnum, virtus, robur, fortitudo et imperium in coelo et in terra, nunc et semper.

Signat se ipsum: et respondent. Amen.

Et prosequitur. Pax vobiscum.

Respondent. Tecum et cum spiritu tuo.

Prosequitur. [19] Sancta sanctis decet in perfectione.

Et dicunt. Unus Pater sanctus: unus Filius sanctus: unus Spiritus sanctus. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus. Laudate. *Et dicunt Responsorium.*

Cumque venit Diaconus ad portandum [20] *calicem dicit.* Precemur pacem nobiscum.

Sacerdos dicit. Gratia Spiritus sancti sit tecum, nobiscum, et cum suscipientibus illum.

Et dat Diacono calicem. Diaconus dicit. Benedic Domine.

Sacerdos. Donum gratiae vivificatoris, et Domini nostri Jesu Christi compleatur, in miserationibus, cum omnibus.

Et signat cruce populum. Interea dicuntur Responsoria. [21] Fratres suscipite corpus Filii, clamat Ecclesia: et bibite calicem ejus cum fide in regni domo.

Diebus festis. Robora Domine.

Dominica. Domine Jesu Christe.

Quotidie. Mysteria quae suscepimus.

Finitis Responsoriis Diaconus dicit. Omnes igitur.

Et respondent. Gloria ipsi propter donum suum ineffabile.

Diaconus. Precemur pacem nobiscum.

Sacerdos in medio altaris dicit hanc Orationem.

Dignum est Domine, justum et aequum omnibus diebus, temporibus et horis confiteri, adorare, et laudare nomen timendum majestatis tuae, quia dignos fecisti nos Domine per gratiam tuam, homines mortales imbecillaeque naturae, ut cum spiritualibus nomen tuum sanctificaremus, et mysteriorum doni tui fieremus participes, et

suavitate eloquiorum tuorum delectaremur. Et voces gloriae et confessionis divinitati tuae sublimi semper referimus Domine.

Alia. Christus Deus noster, Dominus, Rex, salvator et vivificator noster, per gratiam suam dignos fecit nos suscipiendi corpus ejus, sanguinemque ejus pretiosum et omnia sanctificantem: ipse det nobis ut placeamus illi, verbis, operibus, cogitationibus et factis nostris, adeo ut pignus istud quod accepimus, sit nobis ad veniam delictorum, remissionem peccatorum, et spem magnam resurrectionis a mortuis, vitamque novam et veram in regno coelorum, cum omnibus qui coram eo placuerunt: per gratiam ejus et miserationes ejus in saecula.

Diebus ordinariis. Laudem Domine, honorem, confessionem et gratiarum actionem debemus referre Trinitati tuae gloriosae, pro dono mysteriorum tuorum sanctorum, quae dedisti nobis ad propitiationem delictorum nostrorum, Domine omnium.

Alia. Benedictus sit honor tuus adorandus, ex loco tuo glorioso Christe, propitiator delictorum nostrorum, peccatorumque nostrorum, quique aufers insipientias nostras per mysteria tua praeclara, sancta, vivifica et divina: Christus spes naturae nostrae, semper et in saecula. Amen.

Obsignatio, seu ultima Benedictio.

Dominus noster Jesus Christus cui ministravimus, quem sensimus et honoravimus in mysteriis suis praeclaris, sanctis, vivificantibus et divinis, dignos ipse nos efficiat gloria splendida regni sui, et laetitia cum Angelis suis sanctis, et ad confidentiam coram eo, ut stemus ad ejus dexteram. Et super congregationem nostram universam miserationes et misericordia ejus perpetuo effundantur, nunc et semper, in saecula.

Diebus Dominicis et Festis.

Ipse qui benedixit nos omnibus benedictionibus Spiritus in coelis, per Jesum Christum Dominum nostrum, et praeparavit nos ad regnum suum, vocavitque nos ad bona desiderabilia, quae nec desinunt, nec pereunt, sicut pollicitus est nobis in Evangelio suo vivificante, dixitque congregationi benedictae Discipulorum suorum: Amen,

amen dico vobis, quia omnis qui manducat corpus meum, et bibit sanguinem meum in me manet, et ego in eo, et ego resuscitabo eum in novissimo die, et in judicium non venit, sed transire illum faciam de morte ad vitam aeternam: ipse nunc benedicat congregationi nostrae, et conservet statum nostrum, et gloriosum faciat populum nostrum, qui venit et laetatus est in susceptione mysteriorum ejus, praeclarorum, sanctorum, vivificantium et divinorum, vivoque signo crucis dominicae sitis obsignati et custoditi, ab omnibus fraudibus secretis, et apertis nunc et semper.

IN LITURGIAM APOSTOLORUM SANCTORUM

NOTAE.

1. *Liturgia Apostolorum sanctorum.* Hoc titulo Nestoriani insigniunt communem suam, et quae ex tribus quas habent, praecipua est Liturgiam, sive *Ordinem Mysteriorum celebrandorum:* nam ut apud Graecos, *Mysteria*, Eucharistiam quoque apud eos significant. Continet autem haec Liturgia non modo ut alterae duae omnia quae sacram Actionem proprie spectant, scilicet preces ab Osculo pacis, usque ad Officii finem, sed praeparatorias etiam, quae ubi aliae celebrantur, ex eadem sumi debent. Quin vero germana illa sit Nestorianorum Missa dubitari non potest, non modo quod Codices MSS. ex quibus illam expressimus, fuerint in usu apud Chaldaeos, vel Syrianos ut vocari amant, et qui certissimi Nestoriani sunt, sed etiam quod Malabares Christiani, qui in eadem secta erant, Bagdadensique Antistiti seu Catholico, subjecti, ea utebantur. Unde Latina versio, quae Alexii Menesii cura et studio procurata, Conimbricae edita est, deinde in Bibliothecam Patrum translata, titulo *Missae Christianorum apud Indos,* eadem esse agnoscitur, exceptis quae ille mutanda judicavit.

Apostolos sanctos vocant Nestoriani Adaeum et Marin, quos Orientis Apostolos fuisse existimant ex antiqua sua traditione, quam fabulis inquinatam scripto consignavit Maris quidam filius Salomonis, ex cujus historia Epitomen fecit Amrus filius Mathaei, ex qua habetur successio Catholicorum sive Patriarcharum sectae Nestorianae, usque ad saeculum decimum tertium. Adaeum, ut Orientales scribunt, eumdem esse cum Thadaeo, plerique testantur: et

quae de isto leguntur apud Graecos et Latinos id confirmant: nam Thadaeum ad Abgarum Edessae Toparcham post ascensionem Christi profectum fuisse, Eusebius et alii prope omnes scribunt: idemque Orientales de Adaeo suo: annuntiasse quoque Evangelium in Mesopotamia, non modo Nestorianorum, sed Melchitarum et Jacobitarum traditione constat, Graecorumque autorum testimoniis. Sed Thadaeus, qui et Lebbaeus, a Mathaeo Evangelista inter Apostolos duodecim numeratur. Nestoriani suum dicunt unum fuisse ex septuaginta discipulis, et a Thoma Apostolo missum in Syriam. Marin ejus fuisse discipulum, tum alterum quem Agi appellant. Quia igitur illos tanquam Ecclesiarum Mesopotamiae fundatores agnoscunt, Ordinem Missae illis tribuunt, ut Jacobo Hierosolymitana Ecclesia Liturgiam suam, Marco Alexandrina suam attribuit. Quae vero de Thadaei a Jacobo missione habet Nestorianorum traditio, non tam ad eos ut novae sectae homines referenda est, quam ad communem Ecclesiarum Mesopotamiae traditionem. Eadem quippe in historiam suam retulit Eusebius, et in Melchitarum, Jacobitarumque libris leguntur, in illis praesertim Apostolorum Discipulorumque Christi indiculis, qui extant in variis codicibus, et vulgo Canonibus Apostolorum et Clementinis Constitutionibus praemittuntur, vel subjiciuntur. Reperitur sane in optimo et vetustissimo Codice Mediceo Collectionis Canonum Syriacae, Synopsis aliquarum Constitutionum, quae Adaeo, Mari et Agi adscribuntur, et quarum vigebat autoritas in Ecclesia Jacobitica: unde certo efficitur, Nestorianos non novam et apud se natam opinionem de institutione Ecclesiarum in Mesopotamia, quo res suas commendarent, promulgasse, sed in Orthodoxae quae illic fuerat, Ecclesiae jura involasse, ut quod illi proprium erat, sibi attribuerent. Hinc verisimile omnino est Ritum illum, qui apud Nestorianos conservatur, antiquum illum esse qui inter Mesopotamenos Christianos usurpabatur, antequam illi haeretici, paulo ante Muhamedana tempora, omnes Ecclesias occupassent. Reliqua de Adaeo et ejus rebus gestis collegimus in Epitome Historiae Catholicorum. Codices recentiores, praesertim qui in Europa scripti sunt, nomina Adaei et Maris non praeferunt, ut neque versio a Lusitanis facta. Ejusdem versionis, qualiscumque sit, subsidio multa quae in Codicibus manuscriptis brevitatis causa omittuntur agnovimus: et in ea orationes multae integrae reperiuntur, quarum in Syriacis nostris exemplaribus primae tantum voces assignantur.

L. 1. c. 13. Not. Vales. p. 18.

2. *Gloria in excelsis Deo.*

Hic hymnus, aliique, et responsoria quae sequuntur reperiuntur integra in versione Lusitanorum, unde peti possunt. A Psalmis aliquot Eucharisticum Officium inchoari, antiquissima omnium Ecclesiarum consuetudo est: quam hic expressam videmus. Observabitur saepe discrimen inter illam versionem et nostram: nos exemplaria quae habuimus, fideliter expressimus, cum paucissimis in locis esset dubitandi de recta interpretatione locus. Primus interpres aliter in suis codicibus legisse aliquando videtur: saepe tamen hallucinatus

est: tum cum verbum verbo curavit reddere obscurus est, aut fatigat se inutiliter. Nam Orientales et Syri prae caeteris abundant synonymorum copia, ut exempli causa vocem ἔλεος, quae misericordiam significat tribus admodum vel quatuor exprimunt, quae totidem Latinis reddi nequeunt. Nos *misericordiam et miserationes*, quae voces in Ecclesiasticis Officiis vulgo usurpantur interpretati sumus, et simplicissima quaeque verba praeferenda sumus arbitrati. Lusitanus interpres, *amores* prope ubique vertit: sane non bene, ut multa ejusmodi.

3. *Ad lectiones. Ad Apostolum.*

Paucis verbis significatur, sequentes orationes dicendas esse, quando fiunt lectiones sacrae scripturae, ex Veteri Testamento, tum ex Actis Apostolorum, Epistolis, Pauli et Catholicis: sunt autem multae orationes seu benedictiones hujus generis in omnibus Liturgiis cujuscumque ritus. In Missa Malabarica nihil occurrit circa lectiones Epistolarum, imo nec ad lectionem Evangelii, quod satis mirum, cum ex aliis Officiis constet, partem illas Liturgiae fuisse, neque sine caeremoniis et thure peractam. Eam disciplinam, licet brevius quam optandum fuisset, designant tamen nostri codices. In ea oratione quam ante *Apostolum*, hoc est Epistolae lectionem dici debet, occurrit una, quae aliter legitur in Missa Malabarica, et de qua dicendum est.

4. *Sanctus, laudandus, potens, immortalis, etc.*

In Malabarica *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis:* eadem propemodum sententia est, neque interpolationis suspicio esse debet. Hymnus quippe ille, quem vulgo Trisagium appellant, in Ecclesia Constantinopolitana initium habuit, idque testatur ex suorum traditione Amrus Mathaei filius; et de ejus usu inter sacra Officia testis est. Additionem quae Petrum Gnapheum, ut vulgo creditur, autorem habuit, *qui crucifixus es pro nobis, etc.* ignorant et aversantur Nestoriani, non minus quam Orthodoxi. Eam adjecit ad oram Codicis Colbertini quidam Jacobita.

5. *Descendens salutabit Evangelium.*

Nihil praesidii hoc in loco habetur ex Missa Malabarica: sed ex paucis istis verbis intelligi potest ad Evangelii lectionem, non minus reverentiae apud Nestorianos quam alibi, fuisse adhibitum: nempe salutatum fuisse, incensatum, et cum honore praecedentibus cereis ad ambonem delatum. Proclamationem autem, cujus hoc loco mentio est, existimamus esse ipsam Evangelii recitationem quae fit alta voce in omnibus Ecclesiis. Oratio quae interponitur, in qua haec verba sunt, *qui revelatus es nobis in corpore humanitatis nostrae,*

possct alicujus veneni suspicione laborare, quamvis Orthodoxam sententiam contineat. In istam opinionem potius eundum videtur, cum in hac Liturgia, imo in aliis duabus Theodori et Nestorii, vix quidquam quod ad haeresin insinuandam pertineat, reperiatur.

Hoc loco magnum discrimen animadvertitur inter istam, et Malabaricam Liturgiam, in qua multae preces inseruntur de omnibus et pro omnibus; pro pace; pro aëris salubritate: pro Patriarcha et Ecclesiasticis ordinibus; pro Ecclesia, etc. Tum sequitur memoria B. Mariae Virginis et Sanctorum: deinde mortuorum: pro civitate et ejus habitatoribus, pro infidelibus, infirmis, egenis, etc. Deinde afferuntur panis et calix, et in altari religiose collocantur: tum post multa legitur Epistola et deinde Evangelium. At scripturarum lectionem praecedit, expulsio non baptisatorum. An talis fuerit Ecclesiae Malabaricae disciplina divinare non possumus: sed aliam fuisse Mesopotamenarum Ecclesiarum certissimum videtur: et forte Alexio Menesio visum est aliquid immutare, ut illatio panis et vini ad altare fieret priusquam Epistola et Evangelium legerentur, sicut in Latinis quibusdam Ecclesiis fieri solet. Precem illam pro omnibus et de omnibus quam idcirco libri Rituales Jacobitici *Catholicam* vocant, dictam fuisse in quibusdam Ecclesiis ante oblatarum illationem, alibi monuimus, cum ita ferat Ecclesiae Alexandrinae consuetudo, cujus similem Malabaricae sequi potuerunt. Verum illationem elementorum consecrandorum fieri, ante Epistolae et Evangelii lectionem, contra Orientalem disciplinam est: multo magis expulsio Catechumenorum, antequam scripturae legerentur, cum non nisi antequam actio sacra inciperetur, nempe circa osculum pacis, solerent ejici. Ut se habet codex quem secuti interpretando sumus, disciplina quam repraesentat, confirmatur exemplo reliquarum Ecclesiarum Orientalium. Plura de caeremoniis Nestorianorum ad hanc Liturgiae partem dicere non possumus, cum Codices manuscripti nullas prope rubricas habeant: rituum Interpretes nullos huc usque viderimus. Tamen symbolum recitatum fuisse post Evangelium non dubitamus, quamvis nihil de eo occurrat, cum inter Missarum solennia apud illos cani multis autorum testimoniis constet.

6. *Qui non accepit Baptismum.*

Haec primis tantum vocibus designantur in manuscriptis. In Missa Malabarica ita legitur. *Qui non suscepit Baptismum discedat.* Chorus. *Vere. Qui non suscepit illud, discedat.* Sacerdos. *Ite audientes et videte ostia.* Ea vero verba formulam integram, ut maxime verisimile est, continent. In Graeca Chrysostomi. Ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε. Μή τις τῶν κατηχουμένων. *Quotquot Catechumeni estis recedite. Ne quis Catechumenorum.* In Jacobi Graeca. Μή τις κατηχουμένων, μή τις ἀμυήτων, καὶ μὴ δυναμένων ἡμῖν συνδεηθῆναι. *Ne quis Catechumenorum, ne quis non initiatorum, ne quis eorum qui nobiscum simul orare non possunt.* τὰς θύρας. *Portas claudite.* Nihil hoc ritu notius in veteri disciplina; sed quia jam a multis saeculis

Catechumeni publicique poenitentes, statione ut antiquitus non distinguuntur, quae vestigia hujus consuetudinis supersunt in Codicibus Liturgicis, aut in Ritualium interpretibus, ea servantur ad antiquitatis memoriam, sed usum non habent, ut observavit dudum Jacobus Edessenus. Neque enim infidelium dominorum tyrannis patitur, ut haec omnia locum habeant, in Orientalibus Ecclesiis.

7. *Incipit Sacerdos Responsorium mysteriorum.*

Intelligi debet Oratio subsequens, a qua incipit Anaphora proprie dicta, seu ut antiquo more loquamur, *Missa Fidelium:* cui tamen non adscribitur illud Responsorium, quo intentio sacrificii offerendi secundum Christi praeceptum exprimitur, quia commune est aliis Liturgiis. Inferuntur autem panis et calix a Sacellario et Diacono, et super altare collocantur: an vero id fiat eadem pompa, qua magnus Introitus, a Graecis, Aegyptiis et aliis, ignorare nos sinunt codices manuscripti, qui de ea nihil omnino praescribunt. Sed neque ex Diamperanae Synodi Decretis colligere licet, suppressam fuisse ab Alexio Menesio hanc consuetudinem, de qua forte non aliter judicasset quam tot Theologi, qui eam superstitionis et impietatis damnaverunt, cum etsi per se indifferens, nascatur tamen ex summa erga Eucharistiam veneratione, ut alibi exposuimus. Ex eadem animi dispositione, statim atque elementa altari imponuntur, vocat ea sacerdos *mysteria sancta, praeclara et vivifica,* qualia tamen nondum sunt, sed jam ita vocantur et honorantur, quia talia per consecrationem futura sunt. Mirum est intactam a Censura hanc formulam in Missa Malabarica remansisse, cum alias multas orationes mutaverint, in quibus de corpore et sanguine Christi Domini sermo erat, ante consecrationem: ut illa praecipue benedictio cum calici vinum infunditur, *Misceatur sanguis pretiosus in calice D. N. Jesu Christi,* quae ita mutata est. *Misceatur vinum in calice D. N. Jesu Christi, ne erroris detur occasio, vocando vinum nondum consecratum, pretiosum sanguinem: quasi alluderent ad consuetudinem Graecorum, damnatam, qui panem et vinum offerentes, adorant antequam consecrentur, id se facere affirmantes, quia mox consecranda sunt.* At ista quidem vis est: orare non possunt ut misceatur vinum in calice, istud enim in ipsa infusione factum est, sed ex fide promissorum Christi Eucharistiae sacrificium instituentis, orant, ut in calice misceatur sanguis Christi, hoc est ut vini consecratio fiat in sanguinem Christi. Nec aliter intelligi debent orationes praeparatoriae aliquot, quarum sententia tam perspicua est, ut absque calumnia detorqueri ad perversam aliquam opinionem nequeant. Talis est illa, *Exspectans exspectavi Dominum. Corpus Christi et sanguinem ejus pretiosum super sanctum altare offeramus.* Et infra. *Edent pauperes et saturabuntur, corpus Christi et sanguinem ejus pretiosum super altare sanctum offeramus,* quae rem futuram, non vero factam significant. Graecis vero attribuere quod elementa priusquam consecrata sint, adorent, excusatione caret, cum quinque annis antequam Decreta Diamperana Conimbricae ede-

Synod. Diamper. Act. 5. Decr. 1.

rentur, accusationem illam ex paucorum hominum ignorantia et socordia natam, confutasset Gabriel Metropolita Philadelphiensis. Quidquid porro sit, caret omni suspicione formula quam Codices Syriaci repraesentant; *Imponuntur mysteria praeclara sancta et vivifica super altare Domini, etc.* quae habentur quoque in Missa Malabarica, sed aliter versa. *Constituantur et ordinentur mysteria haec supergloriosa et sancta vitam conferentia, et divina, super altare sanctum Christi, etc.* de quibus eadem quaestio moveri posset: neque enim elementa nondum consecrata, *sancta*, *vivifica*, et *divina* dici accurate loquendo possunt, antequam facta sint corpus et sanguis Christi. Et Latina Ecclesia rogat Deum, ut habeat *accepta haec dona, haec munera*, eaque vocat ante actionem, *sancta sacrificia, illibata,* quod tamen nondum sunt, nisi peracta consecratione. Unde patet, non ita rigide similes orationes accipiendas esse, ut ex illis sententia eliciatur, a qua Nestoriani non minus abhorrent, quam reliqui Orientales Christiani.

8. *Liturgia Beatorum Apostolorum, etc.*

Haec pars Anaphoram proprie dictam continet, ut eam Syri et Coptitae vocant, quaeque apud nos Canon, olim Canon Actionis, aut Actio appellabatur. Eas scilicet orationes complectitur, quibus sacrificium Eucharisticum perficitur. Quod alibi monuimus de aliis Liturgiis Orientalibus, ad istas quoque pertinet: nempe cum prima pars quae est *προπαρασκευαστική*, non mutetur, nisi quod diversae sunt pro tempore scripturarum lectiones: altera quae Canonem et consecrationem continet, mutatur secundum Liturgiarum diversitatem: ita tamen ut in verborum Christi pronuntiatione, Invocatione Spiritus sancti, orationibusque ad fractionem et communionem, non observetur ullum insigne discrimen.

Orationes quae sequuntur quibus Sacerdos commendat se circumstantium precibus, ut sacrificium digne perficiat, ad sacram Actionem proprie non pertinent: cum ut antecedentes, sint praeparatoriae; sed quia diversae sunt in diversis Liturgiis, statim subjunguntur. In illis observandum est, quam frequenter occurrat vox *sacrificii*, ut in omnibus aliis Liturgiis, cum tamen negare ausus sit Rivetus in antiquis quidquam simile reperiri. Istae tamen sunt antiquissimae, et ex Graecis expressae.

9. *Oratio pro omnibus.*

In Cod. recentiori, *pro omnibus Catholicis.* In Codice Eliae, et aliis, ultima vox omittitur; servari tamen potest et debet, modo deleantur puncta duo quae pluralis numeri nota sunt, et quae de suo adjecit qui alium codicem descripsit. Nam *Catholica* legendum est, quo nomine appellatur oratio similis, in qua universim pro omnibus personis et rebus preces ad Deum fiunt. Ita autem perficienda est illa oratio, ex Missa Malabarica, *Pro omni-*

bus Patriarchis, Episcopis, Presbyteris et Diaconis, et pro his qui vita functi ex hac Ecclesiae congregatione exierunt: (Et pro Beatissimo Papa nostro) quae additio est a Lusitanis facta: *proque mundi pace et anni corona, ut scilicet benedicatur et misericordia tua adimpleatur: pro omnis etiam Ecclesiae germine quod dignum reperitur, oblationem hanc quae in conspectu tuo est suscipe, etc.* Versionem illam non possumus absque Syriacis codicibus reformare, sed in ea non pauca sunt, quae erroris suspicione non carent.

10. *Diaconus dicit ad circumstantem populum.*

Petamus, confiteamur et obsecremus omnes in choro Dominum: state pure et attendite his quae aguntur; tremendis mysteriis quae consecrantur. Sacerdos accessit ut oret, ut ejus intercessione pax multiplicetur in vobis. Oculos vestros deorsum demittite, et mentem vestram diligenter curate in coelum levare: petite et obsecrate hoc tempore: nemoque loqui audeat: et qui orat corde oret, in silentio et tremore permanete: pax nobiscum. Ita in Missa Malabarica, satis obscure. In illis verbis latent formulae veteres hortationum a Diaconis alta voce pronunciari solitarum. *Στῶμεν καλῶς, πρόσχωμεν.*

11. *Discooperit sacramenta.*

Apud Orientales Christianos, ut inter Graecos fieri solet, panis et calix praeter singulare velum quo uterque tegitur, majori quod *Anaphoram* Syri alii vocant, operitur; tollitur autem majus illud, cum incipitur sacra actio: et de illo haec Rubrica intelligenda est, non de minoribus, Graecorum hac in parte disciplinam, quae prope eadem est fuse et accurate explicat Goarius ad Liturgiam Chrysostomi.

12. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, etc.*

Haec benedictio extat in omnibus Liturgiis Orientalibus, ad eumdem locum, et in quibusdam aliis.

13. *Sursum sint mentes vestrae, etc.*

Hinc incipit Praefatio ut vulgo dicimus. Quod autem ita Syri Orientales expresserint Graecam formulam *Ἄνω τὰς καρδίας*, et alia addiderint: ut illa, *apud te sunt Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Israel*, levis momenti est, cum sententia eadem sit. Quod sequitur *Oblatio Deo omnium Domino offertur*, verti potest et sane melius *sacrificium Deo offertur:* vox enim ipsa quae proprie et ad verbum *προσφοράν*, seu *oblationem significat*, pro sacri-

ficio proprie dicto saepissime usurpatur. Haec vero verba in aliis Officiis non reperiuntur, sed eorum loco *Gratias agamus Domino.* Illud quoque singulare est in ritu Nestoriano, quod interponitur incensi impositio, et oratio secreta, ad gratiam postulandam, cum in aliis Officiis statim post *Dignum et justum est* Sacerdos incipiat praefationem ab iisdem verbis, eamque uno tenore usque ad hymnum Cherubicum prosequatur. In Codicibus Ecclesiae Malabaricae legitur eadem oratio, ut sequentes, in quibus iterum commemorationes fiunt sanctorum; mox vivorum et mortuorum, quod in aliis Liturgiis observatur ante consecrationem, prolixius etiam aliquando interjectis Diaconi monitionibus ad orandum, et populi precibus, *Kyrie eleison,* repetentis: ut praesertim in Marci Graeca, et Cyrilli Coptica, quae sunt eadem. In Syriacis Jacobitarum statim proceditur ad consecrationem. In Ritu Latino commemorationes sanctorum, et vivorum praemittuntur, sed paucioribus verbis.

14. *Et veniat Domine Spiritus Sanctus, etc.*

In hac oratione observanda sunt multa quae maximi ad Liturgias explicandas momenti sunt. Continet illa Invocationem Spiritus sancti super dona proposita, illisque propemodum verbis, quibus in aliis Graecis Orientalibusque Liturgiis exprimitur; nisi quod pars illius posterior, in qua dicitur, *et hunc quidem panem faciat corpus Christi, et quod in calice est sanguinem Christi,* non adjungitur. Sed verba ista *ut eam oblationem benedicat et sanctificet,* eamdem potestatem habent. Est autem haec Invocatio eo Liturgiae loco posita, quo antiquitus illam fuisse nonnulli voluerunt, ut inter alios Neophytus Rhodinus, et obscuriores non pauci, qui Invocationem qualis extat in Basilii Chrysostomique Liturgiis, transpositam existimaverunt, paucis tamen persuaserunt. Ita quippe, quod magno conatu amoliendum censuerunt, non spectabit Invocatio ad perficiendam consecrationem, quia dicta erit ante verba Dominiea: neque enim orari posse super donis jam consecratis, capere unquam potuit illorum hominum Theologia. Hanc Invocationem si vidissent, magnas haec Liturgia laudes ab illis consecuta fuisset, omnesque ex illa reformandas pronuntiare non dubitassent, adeo haeret animis illorum haec opinio. At veteres illi Syri quorum Ritus Nestoriani proprios sibi fecerunt, et recentiores qui illa Officia scripta reliquerunt, aut non sibi constabant, aut aliter sentiebant, cum si in prima ista Liturgia Invocatio Spiritus sancti super dona proposita fiat, ante pronuntiata Christi verba, neque similis altera deinceps praescribatur, in duabus alteris Theodori et Nestorii, eodem loco assignatur, quo extat in Graecis, et Orientalibus Liturgiis, ipsisque verbis, quae novam, ut aiunt Graecorum haeresin aperte confirmant. Imo in Missa Theodori interjiciuntur orationes multae inter Christi verba et Invocationem, quod non occurrit in aliis. Ex sola Malabaricae Missae Latina versione, ut etiam ex Codice scripto manu Josephi Patriarchae suspicio nasci poterat suppressam fuisse aut transpositam Invocationem, ex praejudicata opinione, cujus fundus fuit Turrecrematae disputatio Florentiae, cujus tamen ratio ha-

bita non est, cum ut aliquis de hoc argumento articulus synodali Decreto insereretur, obtinere non potuerit. At cum non aliter se habeant Codices in Mesopotamia scripti, nullus huic conjecturae locus est. Neque tamen ulla inde suspicio nasci potest, adversus duas alteras Liturgias, quae cum aliis omnibus consentiunt. Neque omisissent Censores Lusitani, Invocationem Graecae similem, teterrima aliqua nota configere, quod tamen non fecerunt. Unde certo colligi posse videtur, lectionem librorum Ecclesiae Malabaricae eamdem fuisse quae in nostris observatur, nihilque deesse. Patet etiam Invocationem Spiritus sancti quae in reliquis omnibus Liturgiis occurrit post pronuntiata Christi verba, non ita necessariam visam fuisse ad consecrationem perficiendam, ut absque illa consecratio nulla esset, aut in ea consisteret, quod nonnulli scripserunt. Nam ritus ille cum antiquissimus sit, nec a Nestorianis adinventus, sed ab antiquis Ecclesiis Syriacis acceptus, non mediocrem habet autoritatem: et illa tamen oratione caret.

15. *Imponit incensum, etc.*

In aliis Liturgiis, quamvis semper toto Officii decursu Diaconus incensum adoleat, tamen Sacerdos post Praefationem raro id facit, et fere nunquam. Itaque et haec quoque singularis est Nestorianae Ecclesiae consuetudo, ut post Sanctus, thus adhibeatur: sed hoc inter ἀδιάφορα censendum est.

16. Post orationem quae incipit, *Laus nomini tuo sancto Domine*, Sacerdos eam partem Officii incipit quam veteres Latini *Pridie* appellabant, quod initium illius esset, *Qui pridie quam pateretur*. Prima Liturgia magis quam alterae duae, recedit ab aliis Orientalibus, in quibus memoria fit totius dispensationis Jesu Christi Domini nostri in carne, usque ad institutionem Eucharistiae. Nam brevis oratio quae sacra illius verba praecedit, non continet enumerationem mysteriorum τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας, quam reliquae multis verbis exprimunt, neque ut in illis observatur, cohaeret satis institutae Eucharistiae narratio cum praecedentibus. Deesse aliquid suspicari quis posset, cum Theodori et Nestorii Liturgiae ad aliarum diversi ritus formam expressae sint, sed cum Missa Malabarica nostris Syriacis codicibus accurate respondeat, nullum fundamentum habet haec suspicio. Verum in Eliae Codice lacuna unius aut duorum foliorum fuit quam asteriscis notavimus; deest enim sacrae Actionis pars praecipua, pronuntiatio scilicet verborum Christi, sine quibus nunquam consecratio facta fuisse creditur, non minus in Oriente, quam in Occidente. Neque est quod cuiquam in mentem veniat, omissa esse verba illa certo consilio, quia, ut Criticus nostrae aetatis famosus temere nimium affirmavit, Orientales verbis Christi consecrationem fieri non credunt, sed Invocatione Spiritus sancti. Nam si ita esset, quod falsissimum esse alibi certis argumentis probavimus, nulla secundum primam Liturgiam

consecratio admittenda foret, cum Invocationis solenni illa formula careat; in qua rogatur Deus, ut Spiritus sanctus adveniens dona proposita, panem quidem faciat corpus, mistum quod est in calice sanguinem Christi Domini. Si igitur per illa verba perficitur, cum abfuerint, nihil fit: neque altera quam supra Invocationis forma, retulimus eamdem sententiam, aut parem vim habere censenda est. At cum in Theodori et Nestorii Liturgiis Evangelica verba Christi, ut in omnibus aliis legantur, prima secundum illas reformari indubitate debet.

In Missa Malabarica forma verborum Christi interpolata est, ut Latina substitueretur juxta exemplum Missalis Chaldaici Romae editi. Ratio hujus mutationis in Decretis Synodi Diamperensis haec assignatur; quod Nestorianorum Patriarchae nonnulli eam corruperint, addiderintque ea quae ad suam haeresin insinuandam facerent, id vero quomodo in verbis Christi referendis fieri posset, non facile intelligitur. Sane Theodori et Nestorii Liturgiae quae germanissimorum Nestorianorum sunt, ita haec verba referunt, ut ab Orthodoxis Graecis, Syris et aliis Jacobitis cujuscumque linguae pronunciantur. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Istas vero formas ab illis quos Diamperenses Censores accusant haereticis, institutas fuisse existimare, summae absurditatis foret, cum totidem syllabis legantur in Graecis Liturgiis, ut in Orientalibus omnibus: et quod majus est communicavit per annos mille trecentos et amplius Oriens Occidenti, cum eadem verborum Christi forma, quamvis a Romana differens, inter Missas quotidie usurparetur. Is ipse qui tam acutum cernebat in Graecorum disciplinis Turrecremata, nullam Florentiae adversus illos de hoc crimine litem movit. Postulandum etiam foret, juxta vetus illud severissimi judicis exemplum, *cui bono* tandem haec corruptela inducta esset. Quid porro juvat causam Nestorianorum, si dixerint in mysteriis consecrandis. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum,* potius quam simpliciter *Hoc est corpus meum.* Si ita legeretur in eorum Codicibus, accusati forsitan a Melchitis aut Jacobitis fuissent, quod ita simplicis hominis corpus, non σάρκα τεθεωμένην, *carnem divinam factam,* ut Graeci veteres et recentiores loquuntur, in Eucharistia agnoscerent. Hoc enim nomine accusati fuerunt olim a Latinis aliquibus, etiam a Dionysio Barsalibi, quamvis Orientales Orthodoxi et Jacobitae nunquam eos accusasse reperiantur, quod Eucharistiam esse corpus Christi non crederent. Veteres quoque omnes Graecae et Orientales Liturgiae, ne una quidem excepta formam Christi verborum ad calicem eodem tenore repraesentant: nec habent illas voces *aeterni,* aut *mysterium fidei,* et tamen nulla circa hanc diversitatem controversia fuit. Nihil igitur causae erat, cur tradita antiquitus et cum omnibus aliis Orientis Ecclesiis conveniens forma mutaretur.

Quandoquidem vero Synodi Diamperensis Decreta in amplissima Conciliorum Collectione non edita sunt, neque ea vidisse Collectores apparet, liberque quo continentur, est rarissimus, Decreti partem quae hanc reforma-

tionem spectat, ex Lusitanica lingua latine conversam referemus. Postquam dictum est mandatum fuisse ab Archiepiscopo Goensi Alexio Menesio, ut expurgarentur libri Missales omnes a viris Chaldaicae linguae peritis, haec inter alia proponit. *Cum ex doctrina de Eucharistiae sacramento superius exposita, constet sacerdotem non suis, sed Domini nostri Jesu Christi verbis consecrare, autoris scilicet institutorisque ejusdem divini sacramenti, non licet formae consecrationis illius clausulas aliquas adjungere, quantumvis bonas, quas Christus non dixerit. Non intelligendum id tamen de voce* enim, *quam adjicit Ecclesia Romana in consecratione corporis et sanguinis, quia praeterquam quod habetur ex Apostolorum traditione, dixisse illam Christum Dominum in consecratione corporis, Mathaeusque id refert circa consecrationem calicis, non est clausula aut sententia diversa: sed jungit copulatque sententiam cum Christi verbis superius relatis. Ita quoque vox* aeterni *in consecratione calicis: et istae,* mysterium fidei, *etiamsi sacra Evangelia illas non referant: nam constat ex eadem Apostolorum traditione, Christum Dominum nostrum pronuntiasse illas in consecratione calicis, quia sancta Ecclesia illis utitur.* Gravis sane et decretoria sententia, quae tamen cum ultra terminos quos Tridentini Patres posuerunt, longe progrediatur, doctissimis multis Theologis, qui aliter senserunt, probata non fuit: illis quorum maxime intererat Christianis Malabarensibus, scandalo potius, quam aedificationi esse poterat. Habebant enim illi formulas suas vetustissima traditione commendatas, quibus non mediocris accedebat autoritas, ex consimili Graecarum, Syrarum, Aegyptiacarum, aliarumque tandem omnium traditione. At traditio non solius Romanae Ecclesiae est, sed totius Ecclesiae consentientis: et Graecam, ut alias omittamus similem illi quam Lusitani allegant, traditionem ignorasse certum est. Additiones verborum *aeterni* et *mysterium fidei,* ab omni erroris suspicione vindicat antiquissimus Romanae Ecclesiae usus, cum interim summa esset Occidentalium Orientaliumque concordia. Illa idcirco verba pronunciasse Christum nullus veterum, aut recentiorum alicujus nominis Theologus dixit: ratio vero ex qua talis propositio deducitur, non adeo explicata est, ut maximis difficultatibus obnoxia non sit: de quibus alibi tractatum est.

Additur praeterea eradenda esse illa verba quae sequebantur in consecratione calicis veluti dicta a Christo Domino. *Hoc erit vobis pignus vitae aeternae.* Illa autem in Codicibus nostris non occurrunt, neque in duabus Theodori et Nestorii Liturgiis. Quod vero in fine orationis dicitur, *in saecula saeculorum:* haeresin quoque continere viris perspicacissimis judicatum fuit, quia usus sacramenti perpetuus non erit: sed id nimium subtile est, et Syri illi nihil simile cogitabant, cum ex linguae genio tempus indefinitum haec verba significent.

Observandum tandem est eo Liturgiae loco, elevationem Eucharistiae apud omnes Orientales non fieri, quam tamen praecipit Missa Malabarica a Menesio reformata. Nempe existimavere qui recensioni praefuerunt, nullam in hac Liturgia mysteriorum elevationem fieri, quia statim verborum Christi pronuntiationem non sequebatur: neque adorari quia non elevarentur. In

duplicem scilicet errorem lapsi sunt, ex ignoratione rituum Orientalium: excusatione tamen digni, quod multos magnosque Theologos eadem opinio implicavit. Orientalium disciplina est, elevare et adstantibus ostendere sacra mysteria, paulo ante communionem, cum inclamatur *Sancta sanctis.* Tunc autem fieri quam Graeci vocant *Ἁγίαν ὕψωσιν*, sive *elevationem,* probant Graeci omnes codices Liturgici: Aegyptiaci, et autores Rituum gravissimi, quorum testimonia ad Basilii Copticam Liturgiam referuntur. Itaque cum descriptam habeamus ex illis caeremoniam, secundum quam dicitur haec proclamatio, omnesque eam fieri significent, cum elevantur, et ostenduntur sacra mysteria, illaque tandem sit omnibus Orientalibus communis, ubi ritus particulatim non explicatur, sed tantum notatur *Sancta sanctis*, illum qui iisdem verbis conjunctus ubique est, intelligere possumus et debemus. At *Sancta sanctis* legitur in omnibus Nestorianis Liturgiis: igitur quod Christiani omnes observabant eo loco, elevando Eucharistiam, a Nestorianis quoque observabatur. Quam porro inanis sit ex defectu elevationis ad excludendam adorationem ratiocinatio, ex domestica nostra disciplina ostenditur. Feria VI. majoris Hebdomadae, qua sola die celebratur in Ecclesia Romana Missa Praesanctificatorum, elevatio non fit, ut in aliis fieri solet, nisi paulo ante communionem: neque attollitur Eucharistia, ut in quotidianis Missis: et adoratur tamen. Carthusienses suo Ritu sacra facientes, calicem vix elevant: adorant tamen sanguinem Christi. Elevata est igitur Eucharistia in Liturgia Nestoriana more Orientali paulo ante communionem, sed non eo loco, quo assignatur in Missa Malabarica.

In eadem notantur responsoria dicenda a Diacono et a Choro, circa elevationem; sunt autem translata ex alio loco, nempe ante communionem, et nonnulla, circa tempus Invocationis Spiritus sancti. Inter illa unum occurrit, quod Romano charactere editum est quasi rubrica esset, quod incautos lectores posset in errorem inducere, quia orationi seu responsorio verba convenire non videntur. Canuntur tamen alternis haec omnia, Diacono praeeunte, idque observatur pariter apud Jacobitas, in quorum libro Ministerii Diaconici leguntur ejusdem generis responsoria, et illud hoc ipso loco et in eamdem sententiam. *Quam terribilis haec hora est, in qua Spiritus sanctus de coelis descendit super Eucharistiam in altari positam, etc.* Ita lectam fuisse in Nestorianorum codicibus hanc responsorii formulam, testantur Lusitani. *Sacerdos quando ad sanctum altare ingreditur, manus suas pure protendit in coelum, et invitat* (melius *invocat) Spiritum, qui de superis descendit, et consecrat corpus et sanguinem Christi.* Tum haec addunt. *Ibi apparet sententiam orationis esse, quod sacerdos invocat Spiritum qui descendit de coelo, et consecrat corpus Christi, non ipse sacerdos. Cum vero sacerdos ipse sit qui vere consecrat, Christi tamen verbis, et non suis, ne occasio detur errori, dicendum est;* manus suas pure protendit in coelum, et consecrat corpus et sanguinem Christi, *aliaque verba omittenda.* Haec illi loco citato. Quam autem propositionem velut suspectam habuerunt, quasi Sacerdotalis dignitas detrimentum caperet, si diceretur Spiritum sanctum con-

secrare Eucharistiam, frequens illa est in scriptis sanctorum Patrum et Autorum medii aevi, qui adversus Berengarium et sequaces ejus scripserunt. Unde in Missali Ambrosiano legitur de oblatione; *Et unum corpus Christi, sancti Spiritus infusione efficitur.* Et inter recentiores Ascelinus: *panem et vinum in altari Spiritus sancti virtute per sacerdotis ministerium, verumque sanguinem Christi effici*, docuit, ut alii prope omnes Theologi et Missae expositores. Sacerdos ministerialiter consecrat: Spiritus sanctus, principaliter. Itaque nihil oratio illa habet quod vel minima possit erroris suspicione aspergi; imo deterius omnino se habet ut emendata est, cum, ut verba prae se ferunt, soli Sacerdoti consecrationem attribuere videatur.

17. Accedit ad Hostiae fractionem, etc.

Fractio Hostiae secundum consuetudinem Ecclesiarum diversis modis facta est apud Orientales: ut etiam apud Occidentales: sed utrimque non eo solum fine ut panis in corpus Christi consecratus frangeretur, quo posset communicantibus distribui, ut adhuc fit apud Protestantes; sed ut ipsa fractio lacerationem, et vulnera quae Christus sustinuit in corpore, passionis tempore, repraesentaret, et quae significatur his verbis quae Sacerdos pronuntiat ex persona Christi: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur,* ita enim leguntur in Liturgiis Theodori et Nestorii; et in hac prima lectum quoque fuisse dubitari non potest. Haec autem lectio non Nestorianorum inventum est, cum extet in Jacobi Graeca et Syra, ut in multis aliis, expressa ex Epistola ad Corinthios; quaeque duobus vocibus explicat *κλώμενον* et *θρυπτόμενον*; illas unica Syri exprimunt, quae ad primam Graecam *κλώμενον* magis refertur. Graeci ab initio Liturgiae passiones Christi repraesentant cum Oblatam gladiolo dividunt, quem *Ἁγίαν λόγχην* appellant, qui ritus a primaeva antiquitate manasse non videtur, cum ignoretur ab omnibus Ecclesiis Orientalibus, quae tamen disciplinam suam ad Graecae formam expresserunt. Syri tam Orthodoxi quam haeretici, manu frangunt, in duas, tres, vel plures partes, secundum Ecclesiarum diversam consuetudinem: sed omnino lacerationem corporis Christi in passione adumbrare, et in memoriam Christianis revocare per illam fractionem volunt. Altera illius caeremoniae pars, quae tamen fractionis nomine comprehenditur, intinctio est unius particulae in calice: tum ex ea intincta et madida, consignatio reliquarum particularum in disco positarum. Hic Ritus qui toto Oriente a Christianis observatur, vocatur, *unio, consignatio, commistio* sacrorum mysteriorum corporis et sanguinis: neque locum habere potest, nisi vera et substantialis elementorum transmutatio credatur. Tum etiam illud sequitur, testari eo Ritu Christianos Orientales, id quod Jacobitae in sua quadam oratione exprimunt: *corpus hoc esse illius sanguinis, et sanguinem illius corporis:* unum scilicet indivisumque, in diversis speciebus sacramentum, mutua unius speciei cum altera, commistione confirmatum. Id significant scilicet haec verba: *Signatur sanguis pretiosus corpore sancto Domini Jesu Christi:* et ista: *Signa-*

tur corpus sanctum sanguine propitiatorio, etc. Ut et sequentia. *Divisa sunt, sanctificata, completa, perfecta, unita et commista mysteria haec praeclara, sancta, vivificantia et divina, unum cum altero, etc.* Ea verba non minus quam ipse ritus perspicuum continent doctrinae de reali praesentia testimonium, cum significent ante perceptionem sacramenti, panem esse corpus, vinum sanguinem Christi; commistio seu unio utrumque unius et ejusdem corporis esse sanguinem, qui in calice seorsim est, ut designetur illius effusio, pro salute humani generis.

18. Incipit Sacerdos frangere.

Haec fractio a superiori distinguenda est, quamvis uno tenore fiat, recitatis interea orationibus, quae prius praescriptae sunt. Prior eam fractionem significat, qua hostia dividitur in partes duas, aut plures, et quarum una particula eximitur, quae calici immittatur. Altera haec fractio, est ejusdem hostiae in minores particulas ad distribuendam communionem. Quomodo vero distribuatur, ex Rubricarum defectu certo definire non possumus. Cum tamen communis Orientalium omnium consuetudo sit, quam a Graecis acceperunt, ut Sacerdotibus et Diaconis calix praebeatur, non Laïcis, qui intinctam cochleari particulam accipiunt, idem a Nestorianis observari verisimile est: nam sub utraque specie, sed hoc modo communicant. Certum enim et exploratum est a multis saeculis, nullam esse aut fuisse in Oriente Ecclesiam in qua calix Laïcis praeberetur, ejusque usus longe diutius in Occidente viguit, ut jam dudum a doctis Theologis observatum est. Ita nullum habent Protestantes in Nestorianorum disciplina praesidium.

Observabimus tandem in prima fractione, Ritum Nestorianis proprium: nempe Sacerdotem cum signat particulam quae in disco est, altera quam intinxit in calice, levem in prima fissuram ungue pollicis facere, ut sanguis corpus penetret. De illo Censores Diamperenses ita pronuntiaverunt. *Cum in Syriacis istius Episcopatus Missalibus praescripta reperiatur impia quaedam et sacrilega caeremonia, in qua sacerdoti praecipitur, ut postquam particulam, quam dextra manu tenet, intinxit in sanguine, hostiaque in duas partes divisa, quo tempore signum crucis format cum particula intincta super alteram, sacerdos ungue pollicis dextri alteram quae in disco est levi fissura aperiat: scilicet quo secundum absurdam opinionem suam, sanguis corpus penetret, et ita sanguis corpori conjungatur: quae opinio ad haeresin Nestorii et ejus sequacium relationem habet. Impie si quidem affirmant, sub specie panis esse solum corpus Christi absque sanguine; et sub specie vini, sanguinem sine corpore. Idcirco mandat sancta synodus in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, ut nullus Caçanar, sive sacerdos, talem caeremoniam observare audeat, utque illa ex Missalibus deleatur: eo quod innuat talem haeresin, et praeterea inscitiam continet, quod existiment a speciebus penetrationem esse ad corpus et sanguinem Christi.* Haec illi severe et confidenter. Fissuram in particula fieri, ut, quod vulgo

dicunt Orientales, uniantur corpus et sanguis, etsi aliis Christianis non est in more positum, non magis ad haeresin occulte significandam pertinet, quam intinctio et utriusque speciei commistio, de qua idem dici poterit, quod de illa fissura Diamperenses judicaverunt. Nestorianos porro credere sub pane solum corpus Christi, sub vini specie solum sanguinem, nemo fide dignus unquam illis objecit: praesertim inter Orientales qui adversus illorum haereses data opera scripserunt. Neque simile quidquam ex verbis orationis quae recitatur, dum fit unio utriusque speciei, elici potest, cum iisdem omnino constet ea quam Nestoriani usurpant, et quam Orientales omnes reliqui, imo Romana ipsa Ecclesia, quae dicit: *Haec commistio et consecratio corporis et sanguinis Christi Domini, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam;* Nam qui dicunt: *Panem fieri corpus Christi: mistum quod calice continetur sanguinem Christi,* nihil aliud significant, quam quae Christus ipse Sacramenti institutor Apostolis dicebat, de pane quidem, *Hoc est corpus meum:* de calice, *Hic est calix sanguinis mei:* quae verba non significant, corpus esse sine sanguine, aut sanguinem sine corpore. Orationes autem variae quae dicuntur a Diaconis et a populo, circa tempus communionis, Nestorianos nullam a reliquis Christianis opinionem habere diversam, satis evincunt. Illae porro non ut positae sunt in Missa Malabarica, solent recitari, sed postea; ut dum secunda fractio fit, audiat et dicat populus, ea quae ad fidem de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia confirmandam, efficacissima sunt. Tales multae orationes extant non in libris solum Missalibus, sed in aliis precum quotidianarum, ut non Sacerdotibus et Diaconis solis, sed Laïcis quoque familiares sint. In illis primum locum obtinet illa celebris. *Ecce mensa posita est in sancto sanctorum, sacerdotesque cingunt eam: invocatque sacerdos Spiritum sanctum, qui requiescit in pane et miscetur in calice.* Ea verba miraculum significant, et immediatam operationem Spiritus sancti in dona proposita, tanquam auctoris et consummatoris omnium Sacramentorum. Ea porro Theologia nec salebrosa est, nec nova, cum Liturgiae omnes et sancti Patres Graeci et Latini ita loquantur, neque sacro Sacerdotum ministerio quidquam aufert, ut alibi fusius probatum est.

Tandem illius similiumque orationum sententia ad Graecorum de qua tantopere a ducentis annis pugnatur opinionem accedere dicetur, de qua Nestoriani non magis quam Syri Melchitae et Jacobitae, Coptitae et alii omnes Orientales unquam cogitaverunt, in simplici Ecclesiarum suarum traditione, absque ulla erroris aut novitatis suspicione perseverantes. Quod si recentioribus quibusdam eruditis Invocationem Spiritus sancti, et orationes quae ejus operationem in dona proposita spectant, aliter interpretari visum est, fecerunt id nimium praecipitanter, cum verba Christi Domini summe necessaria ad consecrationem credant, et semper pronuntient: subsequentibus vero orationibus vim illorum imminui, non magis existimaverint quam Gallicanae veteres et Mozarabicae Ecclesiae, quae similibus precibus usae olim fuerunt.

Notandum praeterea ritus aliquos adjunctos in Missae Malabaricae versione, ignorari apud Orientales, ut illum *accedens Diaconus ad altare, sacer-*

dos apprehendit manum ejus dextram et infert in patena dicens, Gloria Domini nostri. Diacono traditur calix ut communionem Laïcis administret; sed manum disco non infert, cum Eucharistiam non tangat.

19. Sancta sanctis.

Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Vulgo dicitur Graeca oratione servata ad honorem antiquitatis in Ecclesia Alexandrina, in qua etiam maxima brevium orationum pars, quae dicuntur a Diacono et a populo, Graece pronuntiantur. In Syriacis, aliquando, ut hic explicantur, nempe ut significetur Sacramenta seu mysteria non aliis tradenda esse quam sanctis, hoc est illis qui nullius sibi peccati conscii sunt, aut commissa per confessionem et poenitentiam expiaverunt. In istis tribus Nestorianorum Liturgiis adjiciuntur ultima illa verba; ita ut sensus sit *sanctum sanctos decet in perfectione.* Illis scilicet, *sanctum,* hoc est Eucharistiam, dari solis oportere qui perfectionem vitae Christianae sequuntur, nec ab ea deficiunt. In versione Missae Malabricae: *Sanctum sanctis decet Domine mi, in consummatione;* quae verba obscuriuscula sunt, nec sententiam commode exprimunt. Significari vero perfectionem vitae Christianae, non sacrae actionis consummationem, argumento est ejusdem formulae lectio, ut in Jacobiticis Liturgiis se habet. Ita nempe exprimitur in Liturgia Jacobi et aliis: *Sancta sanctis in perfectione, puritate et sanctitate traduntur:* nempe idem est quod, decet sancta sanctis, qui in perfectione sunt dari: sive perfectis, puris, sanctis. At in antiquioribus codicibus diversarum Liturgiarum Syriacis, ut in Commentariis Barsalibi, et aliquot Theologorum qui hanc orationem allegant, legitur simpliciter *sancta sanctis:* verba subsequentia postmodum adjuncta fuerunt. Ratio fortasse est, quod cum primitus formulae illae Graece pronuntiarentur, ut aliae non paucae, quae in Coptitarum Officiis huc usque conservatae sunt, eas tandem Syriace verti placuit. Nam eodem modo quo apud istos quaedam pronunciata Graece fuisse, probant codices nonnulli, et fragmentum illud quod post Severi Officium Baptismi edidit Guido Fabricius Boderianus: ubi *τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Στῶμεν καλῶς. Κύριε ἐλέησον* occurrunt.

Eo ipso tempore quo proclamatur *sancta sanctis* elevatur et adoratur apud Orientales Eucharistia, non iis Liturgiae locis quibus adorationem notaverunt Diamperenses reformatores, rati scilicet disciplinam, ut et fidem aliam non posse tolerari, quam Ecclesiae Romanae propriam, a cujus tamen moribus alienum semper fuit severius illud de Orientalium disciplina judicium. Ritus fuse describitur qualis viget inter Coptitas a Gabriele Patriarcha et variis autoribus: an vero accurate Nestorianae disciplinae respondeat, affirmare non possumus, cum omni Ritualium hujus sectae praesidio careamus. Illorum vero librorum exemplaria in Mesopotamia apud Nestorianos extare probabile est, ut extabant in Malabaricis Ecclesiis; ea quae Alexii Menesii autoritate combusta sunt. Ea porro si Christianis illis ad unitatem Ecclesiae redeuntibus,

utenda relinquere periculosum visum fuit, at servari aliqua oportebat ad traditionem Orientalium perspiciendam.

20. *Cumque venit Diaconus ad portandum calicem, etc.*

Oratio praecedens: *Unus Pater sanctus, etc.* dicitur eo ipso loco in omnibus Orientalibus Liturgiis, quasi tessera Christianae fidei circa Trinitatis mysterium. Canuntur interea Responsoria, quae ad fidem de Eucharistia contestandam pertinent, praeeunte Diacono. At singularem, ut apud Coptitas circa illud mysterium confessionem fieri, nulla legitima autoritate constat, ex librorum defectu, neque reliquas caeremonias quae ad Eucharistiam distribuendam adhiberi debent scimus. Hoc loco solum id habemus, quod ex veteri disciplina calix Diacono committitur, tum ut Sacerdotibus et aliis, quibus bibendus datur eum administret: tum ut Laïcis et mulieribus qui intinctam particulam cochleari praebito accipiunt, communionem distribuat. Cum autem illa consuetudo in Ecclesia Graeca ortum habuerit, et ad Orientales omnes pervenerit, Nestorianis quoque familiarem fuisse verisimile omnino est. De communione sub utraque specie dubitare non sinunt nos quorumdam Theologorum a Missionibus testimonia, qui eam disciplinam, velut errorem gravissimum illis objiciunt, quamvis non antiquitus modo communis usus ille fuerit apud omnes Ecclesias, verum etiam quaecumque ad unitatem redierunt, libere, neque reclamantibus Pontificibus, illum retinuerint. Quod a nonnullis temere dictum est, ut a Joanne Ragusino in Concilio Basileensi Nestorianos sub utraque specie communionem dare olim instituisse, quod sub panis specie solum corpus Christi esse crederent, sub vini solum sanguinem, dudum a Theologis explosum est, quamvis a Censoribus Diamperensibus idem quoque fuerit affirmatum. Nullam habent vel habuerunt Nestoriani disciplinam hac in parte singularem, sed eamdem quam reliqui omnes in Oriente Christiani, quae cum alibi fuse a nobis explicata sit, praesertim in Commentariis ad Copticas, Syriacasque Jacobitarum Liturgias, plura non dicemus.

21. *Fratres suscipite corpus Filii clamat Ecclesia.*

Orationes illae quae dicendae sunt cum distribuitur Eucharistia, in usu erant apud Nestorianos Malabares, ut apud Mesopotamenos, quod testatur Missa a Lusitanis Latine edita. Verum in utrorumque codicibus paucae extabant, et aliquae non erant integrae, cum proprius illarum locus foret in libris precum quotidianarum, unde peti solebant. Tales in aliquot exemplaribus extant, tam perspicua de veritate corporis et sanguinis Christi in sacramento testimonia continentes, nihil ut possit esse clarius. Nam descensum, seu

illapsum sancti Spiritus in dona proposita, causam scilicet principem miraculi, quo majus animo concipi non potest, designant, illudque fieri non in fideles, ut ipsi per fidem elementa accipientes suscipiant corpus et sanguinem Christi, dicunt: sed in panem et vinum, posita super mensam Sacerdotalem, seu altare; in ipsum altare, quo tempore nondum distributa est, et suscepta a communicantibus Eucharistia, adeo ut iis solis verbis excludatur prorsus eorum opinio, qui licet realitatem quamdam admittant, eam negant consistere absque usu Sacramenti. Itaque Angeli illis in orationibus dicuntur altare circumstare cum timore et tremore, et aspicere Sacerdotem frangentem corpus Christi: quae verba nihili forent, si qui illa in Ecclesiis canenda praescripserunt, credidissent, nihil tum fuisse in mensa Eucharistica, praeter nuda panis et vini elementa, quae per fidem suscepta exhiberent corpus et sanguinem Christi. Cum etiam in iisdem Orationibus dicunt. *Omnes fideles cum laetitia spiritus, venite et confiteamur absque dubio, videre nos super altari sancto, Agnum Dei qui quotidie ecce sacrificatur sacramentaliter, et vivit in saecula: unicuique dividitur, et non deficit aut imminuitur,* fidem suam perspectissimam faciunt, cum similes sententias Reformatio, etiam a Sacramentariis remotissima, ferre non possit. Qui enim ita loquuntur, significant, id quod vident in altari positum, esse corpus Christi, vivum scilicet, quando illud vocant *Agnum Dei:* agnoscunt sacrificium, quod dum Sacramentaliter sive mystice fieri dicunt agnoscunt sacrificium incruentum cujus frequentissima mentio est in precibus Liturgicis, Latinis, Graecis et aliis cujuscumque linguae. Dividi quoque in partes corpus Christi, et fidelibus distribui, ita ut neque deficiat, neque minuatur, ad elementa panis et vini referri non potest, cum illa minuantur, absumantur et deficiant: igitur ad ipsum corpus Christi referenda sunt: tanto magis quod alibi satis suam ipsi fidem explicent: cum Elias illorum Catholicus hoc nomine tertius, in Expositione fidei, quam scripsit, cum esset Hierosolymitanus Metropolita, aperte testatus fuerit *mutari substantiam panis et vini, in substantiam corporis et sanguinis Christi*, ut ex ipsius testimonio constat, quod alibi retulimus. Quod si quaecumque illis orationibus continentur, oratorie potius quam Theologice dicta, nonnulli contendant, fatebimur non omnia rigide et ad literam intelligenda, ut illa *Spiritum sanctum habitare in pane et commisceri in calice.* Sed saltem fatendum est, haec et similia scribi non posse ab iis qui veram et substantialem elementorum transmutationem non crederent: tum simplici sensu, significare operationem divinam in dona proposita, per insigne et omni humana ratione superius miraculum, non per communicantium fidem, quam ut necessariam requirunt, ad percipienda cum fructu Sacramenta, non vero ad efficiendum ut fiant communicantibus corpus et sanguis Christi, in quae transmutata esse panis et vini elementa, jam credunt, alioqui similes orationes ante communionem non usurparent. Sed alio loco fusius probatum est, Nestorianos non minus quam reliquos Orientales Christianos de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, idem quod Romana tenet Ecclesia, credere: illamque communem esse omnium Christia-

norum fidem Ebn-Eltaib Nestorianus: Natif filius Yemen Melchita: Ebnassalus, et Abulbircat Jacobitae, omnesque tandem Orientales Theologi testantur.

Orationes gratiarum actionis variae, quae in Missa Malabarica primae isti Liturgiae subjuncta sunt, in nostris Codicibus, tertiae quae Nestorii est subjiciebantur: nempe quia non ad unam, sed ad omnes pertinent deligendae ad Sacerdotis arbitrium.

LITURGIA

THEODORI INTERPRETIS.

EA CELEBRATUR A DOMINICA PRIMA ANNUNTIATIONIS, USQUE AD DOMINICAM PALMARUM.

Domine adjuva me per miserationes tuas, etc.

Oratio coram Altari.

Domine Deus fortis, Pater omnipotens, qui es solus aeternus, conditor omnium creaturarum, Rex gloriosus, qui facis magnalia incomprehensibilia, praeclara et excelsa, quae verbis explicari non possunt. Tu per cujus dispensationem admirabilem et timendam, quam per humanam naturam nostram gessit unigenitus tuus Dominus noster Jesus, praestitisti nobis innovationem vitae novae, dedistique nobis pignus Spiritus sancti in cordibus nostris: et rursum per cognitionem istorum mysteriorum, praeclarorum, sanctorum, vivificantium et divinorum, nos fecisti dignos per gratiam tuam, cum ne accedendi quidem digni essemus, aut illa perficiendi, ut illa susciperemus, et ipsis communicaremus: non aspicias Domine humilitatem et imbecillitatem nostram, sed praesta per gratiam tuam, et miserationes tuas uberes, plenas gratia Spiritus sancti, ut dum consistimus coram te conscientiis mundis, et offerimus tibi sacrificium hoc vivum, sanctum, accepta-

bile, praeclarum, rationabile, excellens et incruentum, gratiam et miserationes inveniamus coram te. *Canon:* cum omnibus illis qui a saeculo placuerunt tibi, per gratiam et miserationes unigeniti tui, et tibi, ipsique et Spiritui sancto gloriam, laudem et adorationem referamus, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Signat se, et reliqua perficiunt ut in Liturgia Apostolorum. Et Sacerdos dicit Canonem. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei Patris, et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus nobis, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Signum crucis facit super mysteria et prosequitur. [2] Sursum in excelsi sublimibus, in regione timenda gloriae, ubi non cessant Cherubim alas suas agitare, neque desinunt jubili et laudes suaves sanctificationum Seraphim, ibi sint mentes vestrae.

Et respondent. Sunt apud te Deus.

Sacerdos prosequitur. Oblatio viva et rationabilis primitiarum nostrarum, victimaque non immolata, et acceptabilis Filii generis nostri, pro omnibus creaturis universim, Deo omnium Domino offertur.

Et respondent. Dignum et justum est.

Diaconus. Pax nobiscum.

Sacerdos secreto. [3] Dignum est Domine quotidie, et justum omni tempore, aequumque horis omnibus gratias agere nomini tuo sancto, et adorare majestatem tuam in omni regione et loco: te Deus Pater veritatis qui existis ab aeterno, et Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, et Spiritum sanctum in saecula saeculorum: quia tu es Dominus et conditor omnium visibilium et invisibilium: qui per Filium tuum unigenitum Deum Verbum qui est lux gloriae tuae, et splendor ex te imagoque substantiae tuae, creasti et constituisti coelum et terram, et omnia quae in eis sunt. Et per Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, qui ex te est Pater, omnes naturae rationales, visibiles et invisibiles confortantur, sanctificantur, dignaeque fiunt, referendi laudem divinitati tuae adorandae. Quia coram te Pater vere, et coram Filio tuo unigenito Domino nostro Jesu Christo, et coram Spiritu sancto consistunt millena millia sublimium Spirituum et decies millies decem millia Angelorum sanctorum, quorum vitae voluptas est in constanti sua voluntate, ut nomen tuum magnum et sanctum, laudatione perpetua sanctificent. Dignum etiam fecisti Domine per gratiam tuam genus nostrum infirmum, hominum

mortalium, ut cum coetibus omnibus sublimium, majestati tuae omnibus dominanti laudem et honorem referrent, cum illis qui semper coram maxima sanctitate tua jubilant ad celebrandam gloriam Trinitatis tuae gloriosae. *Canon.* Vociferantes, glorificantes indesinenter, clamantesque unus ad alterum, dicentes et respondentes: Sanctus, Sanctus.

Sacerdos dicit hanc Orationem. Sanctus. Sanctus. Sanctus Dominus potens.

Sacerdos prosequitur tacite hanc Orationem inclinationis.

Vere Domine sanctus es et laudandus in aeternum. Sanctus es Deus Pater verus solus, sanctus quoque est Spiritus sanctus: natura divina, et non facta: omnium conditor, qui naturaliter, et omnino vere sanctus es: et sanctum nomen ejus, et sancta inhabitatio ejus: qui etiam vere sanctificat omnes quicumque digni sunt suscipere donum gratiae ejus. Et referimus tibi laudem, gloriam, gratiarum actionem, et adorationem, Patri, et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Adoramus te Domine, et gratias agimus tibi, et glorificamus te propter omnia tua beneficia erga nos: quia creasti nos ex nihilo, dignosque fecisti nos honore magno libertatis et intelligentiae: qui perpetuo et erga unumquemque curam habes conservandae vitae nostrae. Coram nomine magno tuo et tremendo genua flectimus, et adoramus; nobiscumque laudant et gratias agunt coetus omnes sublimium, quod propter gratiam tuam ineffabilem erga nos homines, et propter nostram salutem, [4] unigenitus Deus Verbum, cum imago Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed se ipsum exinanivit, et similitudinem servi accepit, descenditque de coelo, induitque humanitatem nostram, corpus mortale et animam rationalem, intelligentem et immortalem ex Virgine sancta, per virtutem Spiritus sancti: et per illud perfecit et complevit omnem dispensationem hanc magnam, et mirabilem quae dudum praeparata erat per praescientiam tuam ante constitutionem mundi. Eam quoque complevisti postmodum temporibus ultimis per Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: ipseque est caput Ecclesiae et primogenitus ex mortuis: et ipse est perfectio omnium, a quo omnia perficiuntur. Ipse per Spiritum aeternum, se

ipsum obtulit immaculatum Deo, et sanctificavit nos per oblationem corporis sui semel factam, et pacificavit per sanguinem crucis suae, quae in coelis, et quae in terris sunt. Qui traditus est propter peccata nostra et resurrexit ut justificaret nos. [5] Qui cum Apostolis suis ea nocte qua traditus est, celebravit mysterium hoc magnum, tremendum, sànctum et divinum: accipiens panem benedixit et fregit, deditque discipulis suis et dixit. Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, in remissionem peccatorum. Similiter et calicem: Gratias egit, et dedit illis dixitque. Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Accipite igitur vos omnes, edite ex hoc pane, et bibite ex hoc calice, et ita facite quotiescumque congregabimini in mei memoriam.

Sicut praeceptum nobis est ita congregati sumus, nos servi tui humiles, imbecilli et infirmi, ut cum bona venia gratiae tuae, celebremus mysterium magnum, tremendum, sanctum et divinum, per quod facta salus est magna universo humano generi nostro. *Canon.* Referimusque simul laudem, honorem, confessionem, et adorationem, Patri et Filio, et Spiritui sancto nunc et semper.

Sacerdos signat mysteria. Diaconus dicit. Mentibus vestris orate, etc.

Sacerdos dicit hanc Orationem. Domine Deus potens.

Sacerdos dicit hanc Orationem inclinationis secreto.

Adoramus te Domine, et gratias agimus tibi, et glorificamus te, quod nos licet indignos propter peccata nostra, ad te accedere fecisti, per miserationes tuas multas; et renovasti nos, et sanctificasti per gratiam Spiritus sancti, dignosque praestitisti nos administrandi coram te ministerium hoc tremendum, et divinum, ad salutem vitae nostrae: simulque confitemur coram te, cum gratiarum actione maxima, ob salutem magnam, quae nobis omnibus praestita est, per Filium tuum dilectum Jesum Christum Dominum nostrum. Offerimusque coram Trinitate tua gloriosa, corde contrito, et spiritu humilitatis, sacrificium hoc vivum et sanctum, quod mysterium est Agni Dei qui tollit peccata mundi, rogantes te et deprecantes coram te, ut complaceat Domine divinitas tua adoranda, et per misericordiam tuam suscipiatur oblatio haec pura et sancta per quam placatus et reconciliatus es, pro peccatis mundi. Nunc etiam Domine, ecce offertur

haec oblatio coram nomine tuo magno et tremendo, pro universa Ecclesia sancta Catholica, ut habitet in medio ejus tranquillitas tua, et pax tua cunctis diebus saeculi: et removeantur procul ab ea persecutiones, tumultus, contentiones, schismata et divisiones, omnesque invicem adhaereamus, per unanimem concordiam, cum corde puro et caritate perfecta. Et pro omnibus Patribus nostris Episcopis, et Chorepiscopis, Sacerdotibus et Diaconis, qui sunt in hoc ministerio veritatis, ut stent et ministrent coram te pure, splendide et sancte, placeantque voluntati tuae, ita ut mereantur consequi a te gradus bonos et sublimes, in revelatione Domini nostri Jesu Christi. Pro omnibus etiam filiis Ecclesiae sanctae Catholicae, qui hic sunt et in quacumque regione, ut proficiant in adoratione majestatis tuae, in fide vera, et in operibus bonis, et laudabilibus ad salutem vitae suae. Et pro servo tuo peccatore, et culparum reo, ut per gratiam tuam Domine parcas peccatis meis, et auferas delicta mea, quae sciens vel nesciens, commisi coram te. Et pro illis omnibus pro quibus offertur haec oblatio, ut inveniant coram te miserationes, et gratiam et vivant. Et pro fructibus terrae atque aëris temperie, ut benedicatur corona anni benignitatis tuae per gratiam tuam. Et pro omni genere hominum qui in peccato aut errore versantur, ut per gratiam tuam dignos illos efficias cognitione veritatis, et adoratione majestatis tuae: ut cognoscant te, quod sis Deus Pater verus solus: agnoscantque te bonum, qui vis ut omnes homines vivant et convertantur ad agnitionem veritatis: agnoscant quoque te tanquam Dominum ab aeterno et a saeculo, naturam divinam non factam, conditorem omnium, Pater, Fili, et Spiritus sancte. Quodque propter nos homines et propter nostram salutem, Filius Dei, Deus Verbum, induit hominem perfectum, Dominus noster Jesus Christus: perfectusque et justificatus est per virtutem Dei et per Spiritum sanctum, et ipse est mediator Dei et hominum, et largitor vitae in saecula saeculorum, illis qui per eum accedunt ad Deum Patrem: cui sint laudes et benedictiones in saecula saeculorum. Domine et Deus noster suscipe a nobis per gratiam tuam sacrificium hoc gratiarum actionis, fructus scilicet rationabiles labiorum nostrorum, ut sit coram te memoria bona justorum antiquorum, Prophetarum sanctorum, Apostolorum beatorum: Martyrum et Confessorum, Episcoporum, Doctorum, Sacerdotum, Diaconorum, et omnium filiorum Ecclesiae sanctae Catholicae, eorum qui in fide vera transierunt ex hoc mundo, ut per gratiam

tuam Domine, veniam illis concedas, omnium peccatorum et delictorum quae in hoc mundo, in corpore mortali, et anima mutationi obnoxia peccaverunt aut offenderunt coram te, quia nemo est qui non peccet.

Et prosequitur. [6] Rogamus te Domine, deprecamur, et obsecramus te ut complaceat divinitas tua adoranda, per clementiam tuam.

Diaconus dicit. Cum silentio et timore.

Sacerdos. Et veniat super nos et super oblationem hanc, gratia Spiritus sancti, habitetque et illabatur super panem hunc et super calicem hunc, benedicatque, et sanctificet, et obsignet illos, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: fiatque panis, per virtutem nominis tui, panis, inquam, iste, corpus sanctum Domini nostri Jesu Christi: et calix iste, sanguis Domini nostri Jesu Christi: ut quicumque cum fide vera ederit ex hoc pane, et biberit ex hoc calice fiant illi Domine, ad veniam delictorum et remissionem peccatorum, ad spem magnam resurrectionis a mortuis, ad salutem animae et corporis, et ad vitam novam in regno coelorum. Dignos etiam fac nos omnes per gratiam Domini nostri Jesu Christi, ut cum omnibus illis qui placuerunt voluntati tuae, et secundum praecepta tua vitam instituerunt, laetemur in regno coelorum, fruentes bonis futuris, quae non transeunt.

Et hic et illic nos omnes simul et aequaliter confitebimur, adorabimus et laudabimus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Signat mysteria et reliqua omnia perficit, ut in Liturgia Apostolorum.

IN LITURGIAM THEODORI INTERPRETIS
NOTAE.

1. Liturgia Theodori Interpretis.

Ista Liturgia inter eas quae in Nestoriana Ecclesia frequentantur, secunda est: extatque in omnibus codicibus manuscriptis. Eam cum duabus

aliis ad Indicas Ecclesias translatam fuisse argumento est prohibitio in Synodo Diamperensi facta, ne quis illa uteretur: ut neque altera quae Diodori nomen praeferebat. Istius vero nulla apud Nestorianos memoria est: unde suspicari licet deceptos nominis similitudine censores fuisse, cum facilis fuerit unius nominis in alterum transmutatio, praesertim in Syriaca scriptura, quae ut Arabica Graecis nominibus exprimendis parum commoda est, nec magis quam Graeca ubi Orientales voces exprimendae sunt. Agnoscunt Nestoriani, et inter sanctos suos Doctoresque numerant Diodorum Tarsensem, cujus memoriam in festo *Graecorum Patrum* celebrant: at Liturgiam ejus nomine nullam habent. Theodorum maxime venerantur et *Interpretem* per excellentiam vocant, quia multis in sacras litteras commentariis inclaruit, qui licet ab eo homine profecti cujus fides corrupta erat opinionibus illis, quas Nestorius publicavit, ipsis Orthodoxis non contemnendi visi sunt, adeo ut in Catenis graecis multa illorum fragmenta occurrant. Discimus ex Liberati Breviario, multa tam Nestorianorum quam Jacobitarum scripta in Sectarum illarum primordiis translata fuisse in communem Syrorum Persarum et Armenorum linguam. Theodori opera Syriace translata fuisse certissimum est, cum id testetur Hebedjesu: et dudum est, cum Arabicae eorumdem versiones factae sunt ex Syriacis. Imo a Jacobitis reformata est illa versio Commentariorum in Evangelia; rejectis illis quae ad Nestorianam haeresin spectabant, ut a suis hominibus sine offendiculo legi possent, quod testatur Abulbircat. Tale exemplar est, nisi vehementer fallimur, quod extat in Seguieriana Bibliotheca, nam in illo quod dogmatibus Nestorianis faveat occurrit omnino nihil.

De Theodoro Mopsuesteno praeter ea quae leguntur apud autores Ecclesiasticos, eruditis notissima, mira narrant Jacobitae, et inter alios Dionysius Barsalibi in opusculo adversus Nestorianos, quasi a Judaeis institutus, conjunctis consiliis novae haereseos architectus fuerit: Ea narratio ex zelo religionis nata, probari tamen non potest, neque cum historiarum certiorum testimoniis consentit: atque adeo a nobis omittitur: pauca tantum suo loco ex illa delibavimus.

Cum vero praescribitur in rubrica, celebrari eam Liturgiam a Dominica prima Annunciationis seu *Εὐαγγελισμοῦ*, idem est ac si Latino ritu diceretur Dominica prima Adventus: ita ut celebretur solis diebus Dominicis. Plura petenda notantur ex Liturgia Apostolorum, quia illa reliquarum est quasi Canon: ut apud Coptitas Basilii: apud Syros Jacobitas Jacobi.

2. *Sursum in excelsis, etc.*

Singulare hoc et Nestorianis proprium est, ut verba quae Praefationi praemittuntur paraphrastice, pluribusque quam primaeva simplicitas tradiderat verbis enuncient. De illa interpolatione nihil nobis dicendum occurrit. In secunda hortatione, non ut in prima simplex est paraphrasis: sed sententia diversa. Cum enim aliae Ecclesiae dixerint, *Gratias agamus Domino Deo*

nostro: monet Sacerdos oblationem seu sacrificium Deo offerri: quod aliae Liturgiae sufficienter exprimunt per allocutiones Diaconorum, qui paulo ante aut postea dicunt, *Attendamus Deo cum timore*, et alia similia.

In ea tamen praeter ritum singularem nihil nisi pium. *Oblatio* autem ut hoc loco vertimus satis ad litteram, ne duas voces Syriacas unica Latina exprimendo, error aliquis oboriri posset, respondet voci קורבנא quae pluribus sacrae scripturae locis *Sacrificium* significat θυσίαν scilicet et προσφοράν, quibus vocibus quas a Graecis Coptitae acceperunt, in Officiis suis indifferenter utuntur. *Oblatio viva et rationabilis primitiarum nostrarum.* Graece ita redderetur Προσφορὰ ζῶσα καὶ λογικὴ Corporis Christi scilicet vivi; rationabilis est λογική, eo sensu quo λογικὴ λατρεία in vulgata versione redditur, *rationabile obsequium,* λογικὸν γάλα: *rationabile lac,* spirituale scilicet: quam vocem ut multas alias Syri expresserunt, non omnino feliciter. *Victima non immolata,* significat victimam spiritualiter immolatam, ita ut immolatione non consumatur: idem scilicet quod dicunt in oratione superius allegata, *Agnum Dei qui quotidie sacrificatur sacramentaliter, et vivit in saecula; distribuitur, et non deficit aut imminuitur.* Ita in Chrysostomi Liturgia Μελίζεται, καὶ διαμερίζεται ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ υἱὸς τοῦ πατρός, ὁ μελιζόμενος καὶ μὴ διαιρούμενος· ὁ πάντοτε ἐσθιόμενος, καὶ μηδέποτε δαπανώμενος. *Dividitur in partes agnus Dei, filius Patris, qui in partes secatur, et non dividitur ubique comeditur, et non consumitur.* Itaque quamvis non necessario, neque ex reliquarum Ecclesiarum disciplina, pie tamen et laudabiliter inchoatur apud Nestorianos sacra actio per confessionem sacrificii Eucharistici. Illius enim mentio est tanquam novo foederi proprii, in omnibus Liturgiis cujuscumque ritus aut linguae, in quibus ut in ista, vocatur sacrificium spirituale et incruentum. Hanc orationem illustrat id quod legitur in Missali Gothico. *Hic enim est agnus Dei, unigenitus filius tuus qui tollit peccatum mundi: qui se pro nobis offerendo non desinit; nosque apud te perpetua advocatione defendit. Quia nunquam moritur immolatus, sed semper vivit occisus.* *Missa Pasch. 5ª. p. 343.*

3. *Dignum est quotidie, etc.*

Haec oratio ut omnes hujus loci et generis aliae quae Praefationi Latinorum respondent, eamdem habent sententiam; gratiarum scilicet actionem ad Deum, pro beneficiis ab eo in humanum genus collatis a prima rerum creatione, ad Incarnationem et dispensationem sive ἔνσαρκον οἰκονομίαν Jesu Christi Domini nostri, quam sequitur commemoratio institutionis Eucharistiae.

4. *Unigenitus Deus Verbum, etc.*

Quae hic leguntur de Incarnationis mysterio, cum ex sacrae scripturae verbis contexta sint, ne levem quidem repraesentant umbram Nestorianae

haereseos, quamvis non recte intelligantur ab ejus sectatoribus. Unde antiquiora sunt fortassis quam ipsa haeresis, nempe quod ad veterem Ritum Ecclesiarum Mesopotamiae pertinebant, quem recentiores, qui eas occupaverunt Nestoriani, retinuerunt, et ne mutarent, religione tenebantur. Nam in aliis Officiis quorum non est eadem antiquitas, multa interspersa sunt, quae commode explicare nemo possit.

5. *Qui cum Apostolis suis ea nocte qua traditus est.*

Quamvis in prima Liturgia, et in aliis prope omnibus cujuscumque linguae interjiciantur orationes, benedictiones et caeremoniae, quae in ista non annotantur, tamen in ista quoque ut in alia observari eadem omnia certissimum est. Sed ut alibi dictum fuit, carent rubricis antiqua Officia, et ea praesertim quae ad aliud primarium unde multa petenda erant referebantur. Quidquid enim in Liturgia Apostolorum praescribitur, ad alteras duas quoque pertinet. In ista vero recitantur juxta omnium Ecclesiarum consuetudinem verba Christi Domini consecratoria, nec aliter quam leguntur in Graecis, Copticis, Syris, et aliarum linguarum Liturgiis. Corruptionis porro, quam hoc in loco Diamperenses Theologi inductam a nonnullis Nestorianorum Catholicis affirmaverunt, ne levissimum quidem vestigium occurrit. Quid enim Nestorianam causam juvat, Evangelica Christi verba referri quomodo in Evangeliis et in Epistola prima ad Corinthios leguntur, et ab universis Orientalibus Ecclesiis pronunciantur a multis saeculis, dudum antequam Nestorii nomen auditum fuisset? Itaque cur Malabarensibus Christianis corruptela hujus loci objiceretur, ratio nulla erat: nam idem crimen impingi posset Graecis, Syris, Coptitis et omnibus aliis, qui hoc nomine nunquam sunt accusati.

Observandum quoque in ista Liturgia, ut in aliis aliquot, praesertim Graeca Marci, quae Copticae Cyrilli similis est, inter verba Christi Domini, et Invocationem Spiritus sancti, interseri orationes multas, et satis prolixas: etsi dona proposita venerari jam incipiant tanquam corpus et sanguinem Christi Domini. Atque ex illo argumento, ut et multis aliis quae alibi adducta sunt, manifestum est, errasse non mediocriter recentiores aliquot scriptores quamvis eruditos, qui Orientales nullam aut exiguam Christi verbis virtutem tribuere affirmant, quasi sola Spiritus sancti Invocatione consecrationem perfici crederent. Nam ut de Nestorianis solis dicamus, illos in alia omnino sententia esse probat Liturgia illorum prima et praecipua, in qua Invocationis post pronunciata verba Dominica forma nulla est: nec tamen de consecratione perfecta dubitant.

6. *Et veniat super nos, et super oblationem hanc, etc.*

Invocationis ista formula Graecis, Syriacis, Copticis omnibusque tandem cujuscumque ritus aut linguae Litùrgiis similis est: atque adeo frustra vexari a censoribus potest, cum nihil praeter recepta apud omnes Orientales Ecclesias verba contineat. Si quid obscuritatis in illis esset, facile per alias ejusdem Orationis formulas explicaretur. Vera lectio constat ex comparatione cum aliis Graecis, Syriacis, Aegyptiacis et Aethiopicis: adeo ut illam refingere summae temeritatis sit, cum nihil habeat Nestorianae sectae proprium, sed communem exprimat Orientalis Ecclesiae Liturgicam disciplinam. Petitur per illam orationem, gratia Spiritus sancti, ut adveniat, non modo super sacerdotem sacra facientem, sed etiam super panem et calicem: neque ad simplicem tantum benedictionem, ut in aquis baptismalibus, oleoque Catechumenorum vel Chrismate, aut ad vasa sacra: sed ut inhabitet, scilicet singulari sanctificatione utrumque consecret, faciendo ut per virtutem divinam, hoc est per miraculum, panis fiat corpus Domini Jesu Christi. Hanc autem esse veram Invocationis secundum Nestorianos sententiam, confirmant orationes, quae a Diacono dicuntur, et notantur in Euchologiis et Horologiis, in quibus ita scribitur. *Ecce mensa posita est in sancto Sanctorum; invocatque Sacerdos Spiritum sanctum qui illabitur, et habitat in pane, misceturque calici.* Quae ut alia ejusmodi multa, floridiori Orientalium stilo expressa simpliciter significant, potentissimam in dona proposita operationem Spiritus sancti, ut fiant id quod non erant, corpus scilicet et Sanguis Christi: non in suscipientes, ut per fidem fiat illis Corpus et Sanguis Christi: sed in eos, suo modo, ut illa digne suscipiant. Reliqua ad Invocationem et alias hujus Liturgiae partes explicandas pertinentia, in notis ad praecedentes, quantum opus erat, exposita sunt.

LITURGIA [1] NESTORII

QUAE CELEBRATUR QUINQUIES IN ANNO, SCILICET IN EPIPHANIA: IN VIGILIA S. JOANNIS-BAPTISTAE, IN VIGILIA DOCTORUM [2] GRAECORUM; FERIA QUARTA HEBDOMADAE SUPPLICATIONIS NINIVES, ET IN PASCHATE.

Oratio ante altare, in qua fit circuitus sive processio.

Gloria tibi, qui es inventor eorum qui perierant.

Deprecatio. O Domine Deus ne respicias multitudinem peccatorum nostrorum.

Inclinatio. Confitemur Domine, et Deus noster divitias abundantes gratiae tuae erga nos *ut in Missa Apostolorum. Canon.* Quia tibi Deus Pater vere, et filio tuo unigenito Jesu Christo Domino nostro, et Spiritui tuo, vivo, sancto et vivificanti, gloriam, honorem, gratiarum actionem, et adorationem referimus, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Et respondent. Amen.

Tum reliqua perficiunt secundum Liturgiam Apostolorum.

Sacerdos. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei Patris et communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus nobis nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Et respondent. Amen.

Et signat mysteria, tum prosequitur. [4] Supra in excelsis sublimibus, in regione timenda et gloriosa, in qua cessatio non est agitationi alarum Cherubim, et hymnorum cantuumque suavium sanctificationum Seraphim, illic sint mentes vestrae.

Et respondent. Ad te sunt Deus Abraham, Isaac et Israël, Rex gloriae.

Elevat vocem, extenditque manus sursum, canitque canonem tertium et prosequitur. Oblatio viva et rationalis primitiarum nostrarum et victima, non immolata, et acceptabilis filii generis nostri, quam Prophetae mysteriis suis designaverunt, et Apostoli manifeste praedicaverunt, et Martyres sanguine cervicum suarum acquisiverunt;

Doctores in Ecclesia explicaverunt: sacerdotesque super altare sanctum obtulerunt et immolaverunt: Levitae brachiis suis portaverunt, populi ad expiationem delictorum suorum susceperunt, pro omnibus omnino creaturis, Deo omnium Domino offertur.

Respondent. Dignum et justum est.

Diaconus. Recordamini [5] dispensationis admirabilis Christi Salvatoris nostri, quae pro nobis completa est, et per ortum suum abstulit languores nostros. Decenter igitur state et orate. Pax nobis omnibus.

Sacerdos. Domine Deus fortis, da nobis apertam faciem coram te.

Et prosequitur dicendo hanc Orationem cum inclinatione secreto.

Te Domine fortis, existens, aeterne, Deus pater omnipotens, qui es perpetuo id quod es, dignum est, decens et justum, nos laudare, confiteri, adorare et exaltare semper, et quocumque tempore. Tu enim es Deus verus, incomprehensibilis, infinitus, inexplicabilis, invisibilis, non compositus, nec sensu perceptibilis, immortalis, sublimis et excelsus supra cogitationem et intelligentiam omnium creaturarum: qui es in quocumque loco, nec tamen loco comprehenderis, tu et Filius tuus unigenitus et Spiritus tuus sanctus. Tu Domine da nobis verbum, ad ora nostra versus te aperiendum, ut offeramus tibi corde contrito, et in spiritu humilitatis, fructus spirituales labiorum nostrorum, ministerium rationabile: tu es enim Deus noster, et pater Domini regis et Salvatoris nostri Jesu Christi, spei nostrae: in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae; et per quem accepimus cognitionem Spiritus sancti, Spiritus veritatis [6] qui a te Pater procedit, et est ex natura abscondita divinitatis tuae. Ipse est per quem naturae omnes rationales visibiles et invisibiles, roborantur, sanctificantur et perficiuntur. Et tibi, Filioque tuo unigenito, et Spiritui tuo sancto, laudes perpetuas offerunt quocumque tempore, quia omnes opus tuum sunt. Tu enim ex nihilo nos ut essemus produxisti, et ordinasti. Offendimus et cecidimus; atque vetustate consumtos iterum nos renovasti, erexisti et acquisivisti, neque cessasti quin visitares nos omnes cum magna cura. Adeo ut nos ad coelum ascendere feceris, et regnum venturum tuum per misericordiam tuam nobis dederis. Et propter omnia beneficia tua

81 *

erga nos, gratias agimus tibi Deus Pater vere, et Filio tuo unigenito, et Spiritui tuo vivo et sancto; adoramusque te propter omnia beneficia tua, quae contulisti nobis, tam ea quae scimus, quam quae ignoramus, manifesta et secreta. Gratias quoque agimus tibi propter hoc ministerium, deprecantes te ut suscipias illud ex manibus nostris: quis enim sufficiat ad enarranda miracula potestatis tuae, et auditas faciat omnes laudes tuas? quia etiamsi creaturae omnes os unum essent et una lingua, non sufficerent Domine ad loquendum de majestate tua.

Canon. Quia coram Trinitate tua Domine, consistunt millies mille, et decies millies, decem mille Angeli: omnesque simul pariter volantes incessanter et perpetuo, voce alta et indesinenti laudem canunt, jubilant, clamantes unus ad alterum dicentes et respondentes: Sanctus, Sanctus, etc.

Sacerdos profunde inclinat se dicendo hanc Orationem. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus fortis, cujus pleni sunt coeli et terra.

Pronunciat hanc orationem inclinationis secreto.

Cumque illis potestatibus coelestibus, et nos Domine bone et Deus misericors clamamus et dicimus, sanctus es vere, et vere glorificandus, excelsus, sublimisque; quod adoratores tuos qui in terra sunt dignos fecisti, similes illis esse qui te glorificant in coelis. Sanctus etiam Filius tuus unigenitus Dominus noster Jesus Christus, cum Spiritu sancto, qui tecum ab aeterno coexistit, ut ejusdem consors naturae, et conditor omnium creaturarum. Benedicimus Domine, Deum Verbum, Filium absconditum, qui est ex sinu tuo, qui cum in similitudine tua esset, et imago substantiae tuae, non rapinam arbitratus est esse se aequalem tibi: sed semetipsum exinanivit, et similitudinem servi accepit, hominem perfectum ex anima rationali intelligente et immortali, et corpore mortali hominum, et conjunxit [7] illum sibi, univitque secum in gloria, potestate et honore, ex natura sua passibilem: qui formatus est per virtutem Spiritus sancti pro salute omnium: quique factus est ex muliere, factusque sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, et omnes qui in Adam mortui erant vivificaret: destruxitque peccatum in carne sua, et legem praeceptorum per praecepta sua destruxit: aperuit oculos mentium nostrarum qui caeci eramus, et planam fecit nobis viam salutis; et illumi-

navit nos luce scientiae divinae. Illis enim qui receperunt eum dedit potestatem filios Dei fieri: mundavit nos et expiavit nos per baptismum aquae sanctae, et sanctificavit nos [8] gratia sua per donum Spiritus sancti. Eos quoque qui consepulti sunt ipsi per baptismum, suscitavit, et elevavit, collocavitque secum in coelo, secundum promissionem suam. Cumque dilexisset suos qui in hoc mundo erant, usque in finem dilexit eos, factusque est succidaneus poenae debitae peccatis generis nostri, pro vita omnium, deditque se ipsum pro omnibus ad mortem quae super nos regnabat, et sub cujus potestate servituti addicti eramus, eidem venditi per peccata nostra: et per sanguinem suum pretiosum redemit, et salvavit nos: descenditque ad inferos, et solvit vincula mortis voracis. Et quia justum non erat ut in inferno detineretur, a morte, princeps salutis nostrae, surrexit a mortuis tertia die; et factus est primitiae dormientium, ut esset primus in omnibus: ascendit in coelum: seditque ad dexteram majestatis tuae, Deus. Et reliquit nobis commemorationem salutis nostrae, mysterium hoc quod offerimus coram te. Cum enim advenisset tempus quo tradebatur pro vita mundi, postquam coenavit in Paschate legis Moysis, accepit panem in manus suas sanctas, immaculatas et impollutas, benedixit et fregit, et [9] comedit, deditque discipulis et dixit, accipite, edite ex eo vos omnes. Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Simili modo et calicem miscuit vino et aqua, et benedixit, et bibit, deditque discipulis suis et dixit. Bibite ex eo vos omnes: Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum, atque ita facite in mei memoriam donec veniam. Quotiescumque enim manducaveritis ex hoc pane, et biberitis ex hoc calice, mortem meam annunciabitis usque ad adventum meum. Itaque quicumque cum fide vera accedet et participabit ex illis, sint ei Domine in veniam delictorum, et remissionem peccatorum, spemque magnam resurrectionis a mortuis, et ad vitam novam in regno coelorum.

Canon. Et laudem, honorem, gratiarum actionem, et adorationem referemus tibi Pater abscondite, et filio tuo, proli gloriosae, et Spiritui tuo vivo et sancto, et vivificanti, nunc et semper in saecula saeculorum.

Signat mysteria. Diaconus dicit. Aspicite mansuetudinem, humilitatem et obedientiam Christi Salvatoris nostri, cum oculo cogni-

tionis illuminato, et cogitatione purgata obedientiae. Aspiciamus singulariter et videamus Filium unigenitum Patris, ductum ad passionem magnam crucis.

In Epiphania. Qui inclinat caput suum baptismati.

Diaconus. Oremus pacem nobiscum.

Et dicit Sacerdos hanc orationem. O Domine et Deus noster coërce cogitationes meas, ne evagentur in vanitatibus hujus saeculi.

Sacerdos dicit Orationem hanc inclinationis secreto.

Nos quoque Domine Deus Pater fortis, commemoramus hoc praeceptum, et salutem quae nostri causa facta est. Ante omnia credimus, et confitemur te Deus Pater vere, et Filium aeternum divinitatis unigenitum, qui ex te est, per consubstantialitatem tecum conjunctim: dispensationem ejus admirabilem, quae per humanitatem nostram effecta, et propter salutem nostram administrata est: crucem et passionem, mortem, sepulturam, resurrectionem tertia die, ascensionem in coelum, sessionem ad dexteram, et secundum adventum ad nos gloriosum Domini nostri Jesu Christi, in quo judicaturus est vivos et mortuos, et redditurus unicuique secundum opera sua. Confitemur etiam Spiritum sanctum, qui est de substantia gloriosa divinitatis tuae: qui tecum et cum unigenito tuo, adoratur et glorificatur: et offerimus tibi sacrificium hoc vivum, sanctum, acceptabile, praeclarum, et incruentum, pro omnibus creaturis: et pro Ecclesia sancta, Apostolica et Catholica, quae est a finibus usque ad fines terrae, ut conserves eam imperturbatam, et illaesam ab omnibus scandalis, et non sit in ea macula, neque labes, neque ruga, aut quidquam simile. Tu enim dixisti per Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, quod vectes inferni non praevalebunt adversus eam. Et pro omnibus Episcopis in omni loco et regione, qui praedicant rectum verbum fidei verae. Et pro omnibus Sacerdotibus, qui sacerdotio funguntur coram te, in justitia et sanctitate veritatis. Et pro omnibus Diaconis qui conservant mysterium fidei tuae in conscientia pura. Et pro omni statu populi tui pii et sancti in quocumque loco. Et pro omnibus qui scienter vel ignoranter peccaverunt et offenderunt coram te. Et pro servo tuo peccatore et criminum reo, quem per gratiam tuam dignum fecisti offerendi coram te hanc oblationem. Et pro omnibus qui laudabi-

liter Ecclesiam tuam sanctam illustrant operibus justitiae. Et pro omnibus, qui profundunt eleemosynas suas super pauperes. Et pro omnibus Regibus fidelibus, et stabilitate regni illorum. Et pro omnibus principibus et potentatibus hujus saeculi: obsecramus te Domine et deprecamur te, ut in illis confirmes timorem tuum, et plantes in illis veritatem tuam, et subjicias illis omnes barbaras nationes. Rogamus divinitatem tuam Domine, ut comprimas bella a finibus terrae, et dissipes inde gentes quae bellum volunt, ut habitationem tranquillam et quietam habeamus, in omni temperantia et timore Dei. Et pro fructibus terrae, aërisque temperie, ut benedicatur corona anni per gratiam tuam. Et pro hoc loco et habitatoribus ejus, omnibusque regionibus et habitatoribus earum, ut illorum miserearis, illis benedicas, illosque custodias et protegas, per clementiam tuam. Et pro omnibus qui in itinere sunt in maribus aut in viis. Et pro omnibus qui sunt in vinculis, in angustiis, et persecutionibus, oppressionibus et tumultibus propter nomen tuum. Et pro omnibus qui in exilium ejecti, et qui in tribulationibus et carceribus in insulas remotas ad perpetuum supplicium projecti sunt: aut durae servituti addicti. Et pro omnibus fratribus nostris qui sunt in captivitate: petimusque a te Domine, ut adjuves etiam omnes qui doloribus et duris infirmitatibus vexantur. Deprecamur quoque misericordiam tuam, Domine, per gratiam tuam, pro omnibus inimicis nostris, et illis qui oderunt nos: et pro omnibus qui cogitant adversus nos mala: non in judicium neque in vindictam, Domine Deus fortis, sed ad miserationes et salutem, atque ad remissionem peccatorum, quia vis ut omnes homines vivant et convertantur ad agnitionem veritatis. Tu enim praecepisti nobis per Filium tuum dilectum Dominum nostrum Jesum Christum, ut oraremus pro inimicis nostris, et pro illis qui oderunt nos, et pro illis qui nobis imperant violenter et injuste.

Canon. Igitur Domine, quidquid tanquam homines mortales commisimus, et peccavimus, solve, dimitte, aufer et parce tu bone, qui per misericordiam tuam gubernas omnia, ut cum concordia ad nos invicem, referamus tibi laudem, honorem, gratiarum actionem et adorationem, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Sacerdos signat se ipsum. Tum Diaconus dicit. Levate oculos vestros in excelsa sublimia, et aspicite mentibus cordium vestrorum: rogate etiam et deprecamini Christum salvatorem nostrum, ut per-

ficiat nobiscum gratiam suam spiritualem. In mentibus vestris precamini pacem nobiscum omnibus.

Sacerdos dicit hanc Orationem.

Domine Deus miserator et misericors et clemens, nunc incoepi loqui coram te, ego pulvis, peccator, imbellis et pauper, reus coram te ex utero matris meae, peregrinus a vulva, transgressor a visceribus matris meae. Miserere mei, Domine, per misericordiam tuam, et educ me de mari delictorum per clementiam tuam: educ me de abysso peccatorum meorum per benignitatem tuam: sana ulcera vitiorum meorum, et plagas offensarum mearum, tu confirmator et sanator. Da mihi ut aperiam os meum coram te, dignumque me fac ut moveam labia mea apud te. Concede mihi ut placare te possim circa offensas meas, et ad obtinendam remissionem peccatorum, et veniam delictorum, et abolitionem macularum mearum propriarum, et peccatorum eorum qui mihi similes et socii sunt: ut a te petam ea quae conveniunt divinitati tuae, et quae postulari debent: quia tu dives thesaurum habes qui nunquam deficit; offeruntur que tibi omni tempore petitiones diversae, et distribuuntur secundum eas a te dona abundantia absque numero. Ne irascaris mihi, benigne, et longanimis, quia non talis est mihi coram te fiducia, ut confidenter haec dicam coram majestate tua: verum suscipe me ut illud audeam, quia nomen tuum magnum invocatum est super me. Suscipe sacrificium hoc ex manibus meis imbellibus pro populo tuo et ovibus pascuae tuae: quapropter gratiarum actionem reddo nomini tuo, et adorationem offero majestati tuae Domine omnium.

Sacerdos dicit hanc Orationem inclinationis secreto.

Domine Deus potens, rogamus te, benedicentes, et adorantes coram te; converte errantes: illumina eos qui sunt in tenebris; confirma debiles: erige lapsos; corrobora stantes: et ea quae conveniunt et utilia sunt, omnibus provide per miserationes tuas. Rogamus etiam et deprecamur te Domine ut memineris ad istam oblationem, Patrum, [11] Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum, Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, et omnium qui participes fuerunt ministerii nostri, qui ex hoc saeculo abierunt,

et omnium fratrum nostrorum in Christo qui ex hoc saeculo profecti sunt in fide vera, quorum nomina scis: solvens et remittens illis quodcumque peccaverunt aut in quo offenderunt coram te, tanquam homines errori et passionibus obnoxii, per orationem et intercessionem eorum qui placuerunt coram te. Respice ad nos et miserere nostri omniumque servorum et ancillarum tuarum qui stant coram altari tuo. Fac nos omnes dignos, ut simus participes partis et haereditatis sanctorum in lumine, et da nobis ut cum abundantia caritatis, et cogitationum puritate vivamus coram te in hoc saeculo peregrinationis nostrae, possidentes cognitionem accuratam veritatis fidei in te, et communicantes mysteriis tuis tremendis et sanctis: ut quando stabimus coram solio terribili majestatis tuae non confundamur, nec condemnemur. Et sicut in hoc saeculo dignos fecisti nos ministerio mysteriorum tuorum tremendorum et sanctorum, illic in saeculo venturo praesta nobis, ut revelata facie participes simus omnium bonorum, quae nec transeunt, nec pereunt. Cumque consummabis ea quae hic tenemus tanquam per speculum et in aenigmate, possideamus illic aperte sanctum sanctorum in coelo. Nos igitur Domine servi tui viles, imbelles et infirmi, qui longe eramus a te, et quos per multitudinem benignitatis tuae dignos fecisti ut staremus et administraremus coram te, ministerium hoc tremendum, gloriosum et praeclarum, simul deprecamur divinitatem tuam adorandam, et renovatricem omnium creaturarum.

Et veniat Domine gratia Spiritus [12] sancti, habitetque et requiescat super oblationem hanc quam offerimus coram te, et sanctificet eam et faciat eam, panem scilicet, et calicem hunc, corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, transmutante ea te, et ea sanctificante per operationem Spiritus sancti: ut susceptio mysteriorum istorum sanctorum, sit omnibus ea accipientibus, ad vitam aeternam et ad resurrectionem a mortuis, ad expiationem corporum et animarum, ad illustrationem cognitionis, ad confidentiam coram te, et ad salutem aeternam, de qua locutus es nobis per Jesum Christum Dominum nostrum, ut omnes invicem conjuncti simus per unanimitatem, per unum vinculum caritatis, et pacis, simusque unum corpus et unus Spiritus, sicut vocati sumus in una spe vocationis nostrae. Nec ullus quisquam illud edat, et bibat ad condemnationem corporis sui et animae suae: neque sit ipsi in morbum aut infirmitatem ob peccata sua, eo quod comederit ex hoc pane, et biberit ex hoc ca-

lice, cum esset indignus. Verum roboretur, et confortetur in omnibus quae tibi sunt placita: ut digni simus cum conscientia pura communicandi corpori et sanguini Christi tui. Ut quando stabimus coram te in illo tribunali tremendo et glorioso, coram throno majestatis tuae, inveniamus misericordiam et gratiam, fruamurque bonis futuris, non transituris, cum omnibus qui a saeculo placuerunt tibi: per gratiam et miserationes Unigeniti tui: cum quo tibi Domine, gloria, honor, potestas et exaltatio, cum Spiritu tuo vivo sancto et vivificante, nunc et semper et in saecula saeculorum.

Reliqua perficiuntur secundum Liturgiam Apostolorum.

Canon qui dicitur loco illius orationis quae incipit.

Dignos fac nos Domine, *ante Orationem Dominicam.*

Domine habitare fac tranquillitatem tuam inter nos, pacem tuam in mentibus nostris: veritatem tuam commemoret lingua nostra: crux tua sit custos animarum nostrarum: quippe facimus ora nostra citharas novas, et canimus labiis inflammatis. Praesta nobis Domine, ut cum fiducia quae a te sit, pronunciemus coram te orationem istam puram et sanctam, quam docuit os tuum vivificum discipulos tuos sanctos participes mysteriorum tuorum, cum dixit, quando orabitis, dicite sic orantes, gratias agentes, dicentes, et respondentes, Pater noster qui es in coelis, etc.

Oratio post susceptionem mysteriorum.

Quia accepimus corpus tuum manifeste, habitet in nobis virtus tua secreto, ut exeamus in occursum tuum laetanter, terque tibi canamus gloriam, cum veris filiis mysteriorum tuorum, Domine omnium.

Corpus tuum Domine vivum quod comedimus, et sanguis tuus purus quem bibimus, ne sit nobis Domine in nocumentum aut infirmitatem, sed ad expiationem delictorum et remissionem peccatorum Domine omnium.

Obsignatio mysteriorum seu ultima benedictio quae dicitur ad ostium cancellorum.

Ei qui expiat delicta nostra per corpus suum, et delet peccata nostra per sanguinem suum, laus sit in Ecclesia ejus: et super vos servos Domini et oves pascuae ejus effundat bona sua, et pluat super vos benedictiones suas: liberet vos a malo, et potestatibus ejus: faciat vos vasa praeclara ad honorem divinitatis suae: avertat a vo-

bis tribulationes et afflictiones mundi hujus: et misericordia et gratiae ejus effundantur super vos perpetuo, nunc et semper.

Alia. Ipse bonus Rex omnium Regum, et Dominus dominantium, cujus solium tremendum Angeli circumdant, et cujus majestatem millia millium laudibus celebrant: cujus vultus splendorem intueri non audent: ipse vos benedicat omnibus benedictionibus utriusque Testamenti veteris et novi. Ipse vos benedicat omnibus benedictionibus quibus benedixit Abraham Isaac, Isaac Jacob, et duodecim tribus: ipse sit vobiscum et inter vos, sicut fuit cum Joseph in terra Aegypti, parcatque delictis et peccatis vestris, sicut pepercit delictis David. Audiat vocem orationum vestrarum, sicut exaudivit supplicationem Ninivitarum: exaudiat vos in temporibus tribulationis, sicut exaudivit Jonam ex ventre ceti: liberetque vos a malitia hominum improborum et invidorum, sicut liberavit Danielem a Babyloniis: habitare faciat in domibus vestris, et in animabus vestris, similitudinem ejus benedictionis quae fuit in tabernaculo Sem, rorem suum singulariter demittens super vos: dignosque vos efficiat Dominus et Deus noster illa promissione non fallaci, quam in Evangelio suo pronuntiavit discipulis suis dicens, Amen amen dico vobis quicumque manducat corpus meum, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo: et ego resuscitabo eum in novissimo die, et in judicium non venit, sed transit a morte ad vitam aeternam. Ipse benedicat congregationem nostram, custodiatque statum nostrum: sanet vulnera nostra, et mundet conscientias nostras, instilletque rorem gratiae et misericordiae suae super animas nostras: quietem et pacem suam inter nos stabiliat, simusque obsignati et custoditi signo vivo crucis, ab omnibus nocumentis, per orationem Dominae Mariae beatae, et per orationem omnium sanctorum Domini nostri qui illi placuerunt, et placent, nunc et semper.

Alia Oratio diebus Festis dicenda.

Ipse qui vos benedixit omnibus benedictionibus in coelo per consortem humanae naturae nostrae, invitavitque nos et vocavit ad regnum voluptatis perpetuae, coetui Apostolorum suorum promissionem edidit, verbumque per amen obsignavit, adeo ut dubium in illo non sit. Amen, Amen dico vobis, et per amen verba mea confirmo, quicumque manducat corpus meum vivificum, et bibit sanguinem

meum calicem salutis, delicta illius omnia dimittam, et peccata ejus delebo, ad regnum illum vocabo, et bonis meis perfrui illi dabo: ipse per gratiam suam benedicat vos, et seminet tranquillitatem suam in vobis: a pressuris vos liberet, et a scandalis salvet vos. Benedicat fructus terrae vestrae, benedicat fructus arborum vestrarum, benedicendo multiplicet possessiones vestras: et benedicat per caritatem suam vitam vestram. Deus hominis Dominus, benedicat universam hanc congregationem: detque fortitudinem infirmo, is ipse qui firmitatem praestat ab initio per signum Christi et Simeonis. Benedicatur sedes Catholici Domini N. et justitia in ea splendeat. Pater plenus dignitate, Pastor et Dominus gregis D. N. plenus modestia, custodiatur a malitia. Custodi Sacerdotes sanctos, Clericos et Ministros, praeserventur a contentionibus, a daemoniis, et ab hominibus malignis. Antiquis dierum senibus canitie venerandis praestet finem bonum, et vocet illos ad regnum. Aetate floridos viros qui adolescentia adhuc vigent, augeat splendore, et temperantia illos repleat. Natura imbecillae mulieres, virgines et nuptae praeserventur a lapsibus, a laqueis, et a peccatis. Eos etiam qui apud nos sunt alienigenas, et a propriis domiciliis longe positi sunt, Rex aeterne reduc ad sua in pace. Qui sedet in coelo Dominus det nobis placidam tranquillitatem, et pacem bonam et suavem, ut laetemur die ac nocte. Concedat vobis tempora quieta, sitisque in perpetuum exultantes, non turbati, aut agitati, sed in caritate gaudentes. Hic festus dies sit vobis hilaris, popule humilis: Dominus sit protector, et bonorum promissor. Quique congregati estis hodie ad celebrandam hanc oblationem; crux Regis Christi ipsa sit custos vester. Suscipiat Dominus oblationem vestram, sacrificia vestra, et orationes vestras; et adquiescat anima ejus eleemosynis vestris, et ascendat coram eo deprecatio vestra. Gloriosus in coetu Sanctorum D. N. Sanctus conservet vos ab adversa fortuna, a daemonibus et hominibus nequam: Oret etiam pro congregatione ista infirma, paupere et improba, discipulorum tamen illius sancti, ut praeserventur ab omni perturbatione. Illi quoque qui honeste laboraverunt, et in perfectione se exercuerunt in hoc mundo, in pietate conserventur a malitia: nunc, et quibuscumque temporibus, diebus et noctibus, usque in saecula saeculorum.

Alia Oratio.

Domine Deus fortis, suscipiatur haec oblatio, ut ea Abel et Noë beati: Abrahamque et Job justi: Isaac filii promissionis. Tu benedic hunc panem, quem obtulerunt hodie servi tui corde sincero, et voluntate ab omni sorde libera, sicut praecepit autor vitae, per promissionem suam non fallacem, ut ambulemus coram eo ex hac die, tanquam lucerna in caliginoso loco, et pervenire nos faciat ad illam mansionem lucidam et beatam, per orationem hujus congregationis: nunc et semper. Mensae vestrae benedicantur, mortui vestri suscitentur, et bonis coelestis regni digni efficiantur. Gloria sit illi qui omnia suppeditat per gratiam et miserationes suas nunc et semper, et in saeculum venturum.

Alia Oratio.

Laudetur nomen Dei omnium Domini inter nos, quique ordinat tempora et occasiones, et super nos infirmos et peccatores: super Ecclesiam sanctam et filios ejus, super patres nostros, fratres, filios et doctores nostros, et super defunctos, qui e medio nostri abierunt, et super omnem fraternitatem nostram in Christo, misericordia, benedictiones, et gratia Dei nostri adorandi, veniant, permaneant, effundantur, et influant, sintque super nos perpetuo nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Alia. Per dexteram tuam Pater noster qui es in coelis, benedic Domine nobis omnibus: conserva et adjuva nos omnes: prosperas fac actiones omnium nostrum: alimenta praebe necessitati omnium nostrum, et laus, honor, gratiarum actio et adoratio referetur tibi ex ore omnium nostrum, et miserationes et gratia tua effundantur super omnia, in nobis omnibus, nunc et semper.

Alia. Suscipiatur Domine Deus noster oratio servorum tuorum imbellium coram solio divinitatis tuae, et sit congregatio haec nostra, placita voluntati majestatis tuae, ad accipiendam ex beneficio tuo incolumitatem corporis, et sanationem animae, tranquillitatem perpetuam, et pacem prolixam cum abundantia rerum ad vitam necessariarum: et concordia caritatis immutabilis et indissolubilis, omnibus diebus quibus subsistet mundus, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

Alia. Ipsa manus dextera quae elevata est super quinque panes, ex quibus satiati sunt homines quinque mille, residuique fuerunt decem cophini, eadem requiescat et habitet super hanc mensam servorum tuorum, ut multiplicetur et abundet, stabilis permaneat, neque deficiat: per orationem omnium qui placuerunt tibi.

Alia. Deus omnium Dominus qui saturavit servos suos bonis suis, dicamus omnes gloriam nomini ejus, super mensam istam, et propter eos qui eam praeparaverunt, et super domum benedictam, ex qua productum est hoc alimentum, et pro anima propter quam oblatum est; misericordia et benedictiones, et gratia Dei nostri adorandi veniant, permaneant et effundantur, spargantur et regnent, super nos et super vos cum perseverantia, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

AD NESTORII LITURGIAM

NOTAE.

De illius antiquitate et origine diximus in Dissertatione praevia. Extitisse porro istam Liturgiam antiquitus apud Nestorianos, praeter codices manuscriptos, testantur autores Syri, atque inter eos Hebedjesu, qui eam recenset, ut etiam Echellensis ejus meminit. Nota quoque Lusitanis Diamperensibus fuit, qui in synodali Decreto eam usurpari prohibuerunt. Advenae Orientales, qui satis sciunt quanta inter Orthodoxos et Jacobitas nomen istud laboret infamia, delere illud ex libris suis solent, quod in suo Elias fecerat, ut in Joannis transformaret. Codex Josephi Patriarchae titulum alium non habet nisi tertiae Liturgiae. Recentiorem illam esse duabus aliis, ipsi Nestoriani agnoscunt, cum ejus usus communis non sit, sed certis diebus assignatus, ut notatur in titulo. Usus quotidianus certa antiquitatis primae nota est, ut ex aliarum Ecclesiarum exemplis patet. Ita quippe Jacobi Liturgia apud Syros alios praecipua censetur et vetustissima, quia reliquae ab ea preces multas, et communem officii formam accipiunt. Illa ratione Liturgiam quae Apostolorum dicitur apud Nestorianos primam et antiquiorem esse constat, sive ritum veterem Ecclesiarum Mesopotamiae repraesentat, quod satis veri-

simile est: sive eum quem primi illius sectae Antistites, postquam secessionem ab Ecclesia fecerunt, suis sequacibus ordinaverunt, quod longius a vero abesse videtur. Nam Haereticos veterum saeculorum, si eos excipimus, qui Christiani dici vix possunt, videmus disciplinae adhaesisse non minus quam Orthodoxos, etiam cum ab Ecclesia recederent, in illis quae fidem spectabant: jactantes interea traditam a majoribus se illam servare: cum Orthodoxos novitatis accusarent. Itaque Nestorium, sive primos ejus discipulos novam sacrorum formam instituisse non est verisimile: sed nec ipse illius Liturgiae autor videtur, licet nomen ejus praeferat, aut ita existimaverint scriptores aliquot Nestoriani, quorum in rebus adeo remotae antiquitatis autoritas nulla est. Antiqua tamen est, et eo maxime nomine commendanda quod in ea quaedam extant veteris Constantinopolitanae Liturgiae vestigia, ut suo loco notabimus.

2. *In vigilia Doctorum Graecorum.*

Festum diem agunt Nestoriani, feria sexta hebdomadis quintae post Epiphaniam, commemorationis Doctorum Graecorum, qui sunt Diodorus Tarsensis, Theodorus Mopsuestenus, et Nestorius, ut discimus ex insigni Lectionario Persico, ad usum Christianorum Persidis, qui prope omnes in Nestoriana haeresi sunt a multis saeculis. Nempe doctrinam illorum de Incarnationis mysterio, tanquam antiquitus receptam, tenere se profitentur. Eam quoque a duobus primis Nestorium didicisse, non modo Dionysius Barsalibi scripsit in opere adversus sectam illam, sed alii etiam qui eamdem professi sunt. Graecos illos vocant, quia Graece scripserunt, et floruerunt in illis Provinciis, ubi Graeca lingua usurpabatur: cum Syros Patres seu Doctores appellent, eos qui Syriace scripserunt, sive vixerint sub Imperatoribus Christianis, sive sub ultimis Persarum Regibus. Sunt autem Patres Syri duplicis generis: primi enim ad universalem Ecclesiam pertinent, et Orthodoxi fuerunt, ut Ephrem, Jacobus Nisibenus et alii, quos sibi attribuunt, non minus quam tot sanctos Ctesiphontis et Seleuciae Episcopos, Martyres et Confessores. Alteri postquam scissa est Ecclesia, germanissimi Nestoriani fuerunt, ut Narses, Abraham, Hormisdas et alii multi de quibus extat Decretum Diamperensis Synodi, ut memoria eorum ex Diptychis tollatur; quamvis nomina corruptissima sint. Syrorum Patrum festum celebratur feria sexta post Epiphaniam, ex eodem Lectionario; quod observatum quoque est a Fausto Nairono Maronita. *Evoplia p. 20.*

3. *Oratio ante Altare, etc.*

Haec rubrica multa omissa esse significat, eaque ex prima Liturgia peti debent, quae Canon reliquarum est, cum statim occurrat praefatio, quae

Anaphorae, seu, ut veteres Latini dicebant, *Illationis et Oblationis* initium est. Igitur omnia quae hic desunt, non idcirco omittuntur, sed ex Officio communi perfici solent, nempe praeparatio altaris, sacrorum donorum ex Secretario ad Prothesin, et deinde ad altare delatio; variae ad ista preces, scripturarum lectiones, commemorationes aliquot, ipsum tandem pacis osculum, et oratio ad illud propria, quae tamen vulgo reperitur in omnibus aliis Liturgiis, singularis ad unam quamque, non ex communi aliquo officio depromenda. Haec observatio necessaria est, et ex ea neglecta vel ignorata, natae sunt aliquot absurdae de Liturgiis conjecturae. Sic vir eo etiam in genere doctissimus Andreas Masius, cum Syriacam illam interpretatus est, quae Basilii nomen praefert, illam Graecis vulgaribus antiquiorem esse judicavit quod brevior foret. Sed cum incipiat ab Oratione osculi pacis, media saltem ejus pars deficiebat, petenda ex Jacobi vel altera quapiam Liturgia. In ista Nestorii vox Syriaca quae *circulum* significat, non aliter videtur intelligenda, quam quod versione expressimus. Circuitus enim qui hoc loco fieri solet circum altare ritu Orientali, significat id quod vulgo *processionem* vocamus, quae duplex est: una cum Dona consecranda offeruntur ad altare, altera cum Evangelium ad Ambonem defertur, ex quo legi debet. Eam disciplinam exposuimus in notis ad Basilii Liturgiam Coptitam, et cum eadem apud Syros, Aethiopesque observetur, ut apud Graecos, a quibus illam, ut alia omnia, Orientales acceperunt, familiarem quoque Nestorianis esse, pauca caeremoniarum quae in libris extant fragmenta palam faciunt, et ita fieri apud suos Elias et Isa Sacerdotes Mesopotameni nobis olim testati sunt.

4. *Supra in excelsis sublimibus, etc.*

Observatum est ad praecedentes duas Liturgias, Nestorianis solis proprium esse verborum a quibus Praefatio incipit, paraphrasin adhibere, cum reliquae prope omnes Ecclesiae eadem simpliciter exprimant et Coptitae ex antiquitatis reverentia, illa huc usque Graece pronuncient. In ista Nestorii verbosior quam in duabus alteris est earum formularum explicatio: cujus diversitatis ratio idonea dari nulla potest. Sed quaecumque sit, disquirere parum interest, cum sententia sit eadem. Primae porro antiquitatis esse illam formulam, ne levissima quidem conjectura probari potest, cum non respondeat primorum saeculorum simplicitati, nec reliquis Liturgiis, nec plurimis Sanctorum Patrum, qui eadem verba retulerunt, testimoniis. At praeclarissimum sane illud est quod in ipsis illis verbis continetur de veritate sacrificii Eucharistici testimonium, quo rationes Protestantium Criticorum funditus evertuntur. Vulgo enim in Graecorum Liturgiis ullam sacrificii corporis et Sanguinis Christi pro redemptione vivorum et mortuorum oblati mentionem fieri negant; sed λογικὴν λατρείαν, *gratiarum actiones, laudes Dei, eleemosynas in usus pauperum praecipue offerri affirmant:* Verba sunt Davidis Chytraei

in Oratione de statu Ecclesiarum in Graecia et Asia, qua lucubratione nihil fortasse unquam prodiit falsius, indoctius aut infantius. At ne ulla quidem Graeca Liturgia caret illa sacrificii commemoratione, quam pariter repetunt multoties Syri, Coptitae, Aethiopes, omnes tandem Orientales in suis. Graecas recentissimas arbitrantur, adeo ut aetatem illarum ad Alexii Imperatoris aetatem Rivetus revocandam censuerit. Verum Nestorianas quae Criticis illis ignotae fuerunt, majorem aliquot saeculis antiquitatem habere certissimum est. Ita longe ante imaginarias illas Epochas, quas Protestantibus qui similes autores studiose exscripserunt, comminisci placuit, Nestoriani qui ab Ephesini Concilii tempore, nullam cum Orthodoxis Orientalibus, multo minus cum Latinis communionem habuerunt, doctrinam de sacrificio Eucharistico familiarem habebant, et plebi inter sacrorum solemnia inculcabant. Nihil porro simplicius et clarius hoc in argumento dici poterat, quam quae paucis illis verbis exprimuntur. Offerri dicunt Nestoriani Oblationem vivam et rationalem, ita quippe rigidiuscule interpretari praestat, quam accuratiore et ad sententiam magis, quam ad ipsa verba accommodata interpretatione, calumniae locum dare. Mirifica enim est eruditorum quorumdam Protestantium religio in linguis Orientalibus interpretandis ex etymo aliquo Hebraïco, nulla ad stilum Ecclesiasticum habita ratione, a quo tamen vocum ad Theologiam ritusque spectantium significatio non aliunde petenda est. Vox Syriaca קורבנא *Kourbono*, *oblationem* significat; ut etiam *Sacrificium:* ita verti potest *Sacrificium,* non minus quam *Oblatio.* Sed necesse non est, cum vox דבחתא *Debahhto* de qua ambiguitas nulla est Graecae *θυσία* respondeat, et statim subjiciatur, et in Oratione prolixiori post pronunciata Christi verba legatur iterum: *Offerimus tibi sacrificium hoc vivum, sanctum, acceptabile, praeclarum et incruentum.* Dicunt ergo Nestoriani, offerri Deo oblationem vivam et rationabilem, *λογικὴν spiritualem,* ita enim vox ipsa מלילא intelligi debet, ut ex multis versionis Syriacae locis demonstratur. At *Oblatio viva* et *spiritualis* intelligi alia non potest, quam Corpus vivum Christi Domini, quod offertur non sensibiliter, sed spiritualiter. *Victima* etiam non *immolata* dicitur, quia sacrificium incruentum est, absque occisione victimae, quae viva et integra perseverat. Dicitur autem *Oblatio primitiarum nostrarum,* quia Christus primogenitus omnis creaturae, obtulit se ipsum Deo, pro salute humani generis, verus homo, nobis per omnia similis factus, excepto peccato. In eadem oratione per verba sequentia confirmatur eximie vetus Ecclesiae fides de revelatione et annunciatione per Prophetas facta sacrificii Evangelici, praedicati per Apostolos, martyrum testimonio confirmati, quotidianoque Sacerdotum ministerio celebrati, a Levitis, hoc est Diaconis portati, quia Eucharistiam distribuere munus illorum fuit, estque etiamnum in plerisque Ecclesiis Orientalibus. Significatur etiam effectus Sacramenti, cum dicitur: populi illud accipiunt ad remissionem peccatorum, ejusque oblatio pro omnibus creaturis, hoc est pro bonis temporalibus et spiritualibus: pro vivis et mortuis. Quae sit intentio Ecclesiae Nestorianae sufficienter explicat Liturgiae series, cum memoria fiat vivorum et mortuorum, necessitatum spiritualium et temporalium,

omnium tandem quae a Deo legitime peti possunt. In ea porro disciplina inter Nestorianos, Jacobitas et Orthodoxos cujuscumque linguae, discrepantia nulla est, adeo ut qui illam sustulerunt Reformatores, traditioni per universas Ecclesias dum unum ovile esset, receptae, et huc usque perductae, manifeste contradicant.

5. *Diaconus. Recordamini dispensationis, etc.*

Propria est Nestorianis haec Diaconi adhortatio, pia prorsus et secundum intentionem Ecclesiae, nempe ut dum sacra mysteria celebrantur, Christiani in mente habeant salutarem Christi Domini dispensationem, quae institutione Eucharistiae, et Passione completa est. Totam enim illam *ἔνσαρκον οἰκονομίαν*, Liturgia repraesentari communi consensu docent Theologi Orientales, et caeremoniae omnes significant. Unde nonnulli Incarnationem quamdam fieri in altari dixerunt, eo quod Spiritus sanctus, ut in utero Mariae Virginis corpus formavit, in quo Filius Dei carnem assumsit, ita illabens super oblata, format in illis et ex illis, Corpus Christi et Sanguinem. Hinc etiam altare et discum praesepi Bethlehemitico comparare solent, ut etiam sepulcro: sacra linteamina, illis quibus Corpus Christi involutum est, et reliqua similiter. Illationem donorum consecrandorum, oblationi Christi in templo: circuitum sive processionem quae fit cum defertur Evangelium, praedicationi Christi dum in terris ageret, et Apostolorum qui ex ejus praecepto illud praedicaverunt ubique. Omnia quae ad consecrationem spectant, referunt, et sub oculis ponunt quae ipse in ultima coena fecit. Fractio hostiae, Corporis Christi lacerationem in Crucis supplicio: unio specierum duarum, sanguinis effusionem: elevatio, sublatum in crucem Christi Corpus, et ejus in coelos ascensionem: omnia tandem ipsis caeremoniis repraesentantur, ut illas explicant Rituum Expositores et Theologi. Sequitur tandem in eadem Diaconi exhortatione insinuatio agnitionis mysterii, quo salvi facti sumus per illam salutarem *οἰκονομίαν* nempe quod Christus abstulit, aut sicut verti potest, tulit languores nostros, ut in vulgata versione legitur, et expiavit peccata nostra per aspersionem sanguinis sui in cordibus nostris: ut ita Christiani agnoscant divinum humanae redemptionis opus totum celebratione Eucharistiae repraesentari: tuncque commemorationem quam Christus Apostolis praecepit, rite peragi, quando haec omnia cum fide in memoriam revocantur.

Hom. de Circ. Anni, Ar. Severus de Agno Pasch.

6. *Spiritus sanctus, qui a te procedit, etc.*

Frustra vexantur Orientales a plerisque nostris Theologis, qui de Orientalium dogmatibus scripsere, quasi Graecorum recentiorum opinione impliciti, de processione Spiritus sancti non recte sentirent. Sed nec illi, nec Jacobitae, de illa controversia quidquam audierunt, simplicem et symbolo

Constantinopolitano expositam doctrinam retinentes: additionemque in Occidente factam neque admittentes, neque vehementer impugnantes. Observatum enim est a Melchitis et Jacobitis, Francos sive Latinos, verba *Filioque* symbolo adjicere, nihil ultra dicunt. Nestoriani Theologi ex scriptura sacra, saepe ,ut in hac oratione, Spiritum sanctum docent a Patre procedere, et a Filio accipere: nec de illa quaestione cum Graecis agitata solliciti fuerunt. De divinitate', consubstantialitate, et aequalitate Spiritus sancti eos accurate loqui, sequentia praefationis verba satis demonstrant.

7. *Similitudinem servi accepit, hominem perfectum ... et conjunxit illum sibi, univitque secum in gloria, potestate et honore, etc.*

In duabus primis Liturgiis nihil reperitur quod ad Nestorianae haeresis significationem pertineat, quodve ad Orthodoxam sententiam levi, nec coacta interpretatione non facile reducatur. At in ista quae vel hoc solo indicio aliis recentior demonstratur, non obscura deprehenduntur erroris indicia. Quod dicitur Dei Filius *assumsisse hominem perfectum ex anima rationali, intelligente et immortali: et corpore mortali hominum*, rectum est, Symbolo quod Athanasii vulgo dicitur, et a Graecis Latinisque recipitur conforme. *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens.* Quae sequuntur licet quodam intelligendi modo vera sint, ex ore Nestorianorum prolata totam illorum haeresin complectuntur. Verum quippe est humanam Christi naturam conjunctam et unitam Deo Verbo fuisse, in gloria, potestate et honore, quia homo ex Virgine natus, factus est Deus ex unione intima et personali, cum Deo Verbo, unde gloria, potestas, et honor illi conveniunt: at unionem in ea sola dignitatis communicatione constituere, propria et ab Orthodoxis non minus, quam a Jacobitis impugnata, Nestorianorum opinio est. Itaque ut alibi fuse probavimus, *Unionem Dei et hominis in Christo, esse docent per voluntatem, conjunctionem, et dignitatis participationem, non secundum naturam et personam.* Ita Elias Catholicus eo nomine tertius in Expositione fidei quam scripsit cum esset Metropolita Nisibenus, et in Disputatione cum Viziro Abulkacimo. Et in alio opere. *Verbum aeternum productum a sapientia creatoris, quod Filius appellatur, estque una personarum trium, habitavit, seu illapsus est, in homine assumto ex Maria Virgine, mediante potentia intellectuali, unitumque illi est per unionem potestatis, benevolentiae, voluntatis, honoris, excellentiae et repraesentationis.* Ita Ebneltaïb, Amrus Mathaei filius, et alii prope omnes quorum scripta ad nos pervenere: ut etiam de illis testantur Jacobitae celebres, Severus Aschmoninensis, Barsalibi, Ebnassalus, Abulbircat, et reliqui magno numero. Tandem in Lectionario Persico ad usum Nestorianorum, de quo dictum est alibi, illa verba, *Aequalem se faciens Deo,* explicantur, *secundum honorem, dignitatem et potentiam.* Atque in tali unionis duarum in Christo naturarum expositione consistit

Nestorianorum perversa et ab Orthodoxis damnata sententia. Cum igitur nullam similem in duabus primis Liturgiis reperiamus, non leve inde argumentum de illarum antiquitate ducitur, prae hac tertia quae Nestorii nomen praefert.

Animadvertendum quoque est, totam, ut vulgo vocatur, Praefationem, Graecis, Latinis, Aegyptiacis, et omnibus tandem ita esse similem, ut non modo sententiae sed verba prope eadem sint, alio atque alio ordine disposita. Scilicet commemoratio est beneficiorum Dei erga genus humanum, per creationem, legis antiquae promulgationem, annuntiationem Christi venturi per Prophetas: ejus salutarem dispensationem a nativitate usque ad Passionem, et commemorationem institutae ab eo Eucharistiae, quae simul consecratur ex ejus praecepto et exemplo.

8. *Sanctificavit nos gratia sua per donum Spiritus sancti.*

In his verbis extat luculentum Nestorianae Ecclesiae de Confirmationis Sacramento testimonium, dum agnoscitur gratia sanctificans per donum Spiritus sancti. Cum enim de Baptismo prius dictum sit, *expiavit nos per Baptismum aquae sanctae.* Donum Spiritus sancti ad Myron seu Chrisma referendum est, quod ut apud Graecos confertur dicendo *Signaculum doni Spiritus sancti,* ita Nestoriano Ritu, per haec verba: *Pignus Spiritus sancti,* ut discimus ex Ordine Baptismatis Syriaco Mar Jechuaïab Catholici, quem habemus descriptum ex Codice Eliae Sacerdotis.

9. *Et comedit, etc.*

In Liturgiis Copticis idem legitur, Christum edisse ex pane in corpus suum transformato, et ex calice consecrato, quae ut est opinio Sanctorum Patrum multorum, ita quoque fuit Dionysii Barsalibi, et aliorum Orientalium. In plerisque aliis haec additio non legitur, quando in sacris Scripturis non extat. Eam tamen repraesentant Jacobitica Liturgia Gregorii Abulfaragii, et aliae nonnullae.

10. *Qui inclinat caput suum baptismati.*

Haec particula dicitur in Epiphania, quo in festo, ut in Latina Ecclesia commemoratio fit Baptismi Christi in Jordane a Joanne suscepti; atque ita carere potest omni suspicione haec oratio. At secundum Nestorianos aliud quidpiam significare videtur: existimaverunt enim quod ab antiquis autoribus

proditum est, ut observavit ad Facundi Hermianensis librum VI. Vir clarissimus Jacobus Sirmondus: Verbum Filium Dei non hominem ex Maria factum, suscepta humana natura, sed in hominem ex Maria natum postea in Baptismo descendisse. Idem testantur Ebnassalus: Yahia F. Adi, Abulbircat, Dionysius Barsalibi, et alii non pauci Orientales Theologi. Ita si quis ad hanc Nestorianorum opinionem ea verba referenda arbitrabitur, habebit in illorum testimoniis non contemnendam autoritatem.

11. Ut memineris ad hanc Oblationem Patrum Patriarcharum, etc.

Inter multa quae Synodus Diamperensis in Angamalensibus Christianis condemnavit, non postrema fuit commemoratio quae hoc loco occurrit Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, et aliorum Sanctorum, tanquam pro illis oretur, ut Deus ipsis velut reliquis fidelibus defunctis quietem praestet, remissionemque peccatorum concedat. Recte sane: id enim habet Ecclesiastica disciplina, ut ait Augustinus: *Quod fideles noverunt cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oratur: pro caeteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Neque tamen ea suspicione Nestorianos teneri verisimile est, quam Orientalium qui de Haeresibus, et adversus eos nominatim scripserunt, nullus in illis notavit: sed nec tale quidpiam suspicandi, causa idonea ulla est. Constantissima enim totius Ecclesiae traditio est ea quam Augustini verbis exposuimus, nec ab ea recesserunt Nestoriani, qui variis Orationibus Beatae Mariae et Sanctorum intercessionem petunt, ut patet ex multis quas Horologium, et alii Ecclesiastici libri repraesentant. In illis ne ulla quidem occurrit, in qua pro requie illorum oretur, sed laudantur tanquam victores diaboli et tormentorum, ut prae caeteris S. Georgius et reliqui Martyres. Nec illi soli, sed ad alios preces diriguntur, ut in ista ad Mar Aba unum ex illorum Catholicis, haec leguntur. *Pater noster praeclare et sancte, Mar Aba Catholice, qui operatus es opus justitiae in Ecclesia sponsa Christi, qui dilexisti jejunium et orationem: caritatemque veram habuisti. Is ipse cujus corporis pretiosus thesaurus hic est: petimus ab eo auxilium et sanitatem pro omnibus qui afflicti morbis ad te confugiunt.* Haec oratio et ejusdem sententiae non paucae, ad eos dirigi non possunt, de quorum beatitudine dubitetur. In aliquot codicibus non extat haec quam expendimus oratio: sed cum recentissimi sint, eos emendatos fuisse non dubitamus. Igitur quod verisimilius de hoc argumento videtur, proponemus. Carent, ut alibi dictum est Rubricis Liturgici prope omnes Codices Orientales, sed Nestorianorum maxime. Orationes in quibus memoriae fiunt, in aliis quae accuratius scripta sunt exemplaribus, ut in Graecis et Copticis,

ita distinctae sunt, ut Diaconorum monitio ad singulas sequatur, quae illarum intentionem explicant; aut si prolixiores sunt, eadem intentio ab ipso Sacerdote celebrante explicatur. Ita in Coptica Basilii. *Memento Domine sanctorum qui tibi placuerunt ab initio, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum etc. quorum precibus et obsecrationibus miserere omnium nostrum.* Nec aliter reliquae omnes Liturgiae. Cum igitur ex unico primitivae Ecclesiae exemplari nulla non expressa sit; Sanctorumque commemoratio, quam Nestorianae exhibent, aliis praemittatur, non aliter intelligi potest, quam ubique et semper intellecta est; scilicet ut quod in prima legitur, Deus memoriam habeat patrum piorum et justorum, idque duplici ratione; nempe ut eorum precibus et intercessione obtineat Ecclesia quod petit: et significetur simul Sanctorum communio, quorum ut viventium coram Deo commemoratio fit, et quos ut Ecclesiae super terram militantis membra, sacrificii quo redemtionis suae et nostrae mysteria continentur quasi cooperatores advocat. Ita non ad eos pertinebit ultima orationis pars, quae ad mortuorum memoriam refertur, quod verisimillimum est, quando quidem uno tenore hanc orationem non pronuntiari, constat ex communi disciplina aliarum omnium Ecclesiarum; sed interjici preces plebis, sive Diaconi, similes illis quas Graeci, Coptici, Syriacique codices repraesentant, aut integras, aut primis tantum vocibus designatas. Forma illarum precum, sive adhortationum, ad orationem cum Sacerdote conjungendam illa vulgo est: *Orate pro Ecclesia, pro pace, pro Patriarcha, pro vivis, pro defunctis, etc.* Nulla porro reperitur ad orandum, pro Patriarchis, pro Apostolis, Martyribus et sanctis reliquis. Nestorianos a vetusta disciplina deflexisse, haec sola Liturgiae particula non sufficienter demonstrat, cum ex reliquarum Ecclesiarum exemplo intellecta, nihil quod commodam, quam attulimus, interpretationem respuat, continere videatur. Velle autem ut Diamperenses existimaverunt, a Graecis qui sanctos nondum beatitudinem perfectam consecutos fuisse dicunt, hunc errorem ad Nestorianos manavisse, jactatur facilius quam probatur: quippe nulla ab Ephesini Concilii tempore fuit Nestorianorum cum Graecis communio, aut etiam talis in civili commercio societas, ut alteri ab alteris, quidquam quod ad sacra pertineret, potuerint accipere. Sanctos invocant, eorumque festos dies celebrant Nestoriani, ut ex illorum Horologiis, Beït-Gaza, Lectionario Persico, et historia agnoscitur; illorumque se precibus commendant. Igitur pro illorum salute, et quiete, quod pro aliis faciunt, orare non possunt. Si temporum decursu et in gravissima Christianorum sub infidelibus dominis calamitate, error contrarius antiquam disciplinam infuscavit, emendandus est, nec valet illorum testimonium, ubi a communi omnium fide et regula recessisse deprehenduntur.

12. *Et veniat Domine gratia Spiritus sancti, etc.*

Habet haec Invocationis formula perfectam cum ea quae in Graecis, Syriacis, Copticisque Liturgiis praescribitur conformitatem sive locus specte-

tur quo dici solet, sive verborum et sententiae similitudo, quamvis in prima Liturgia non extet eo ipso loco, sed antequam pronuncientur verba Christi consecratoria, paucioribusque verbis contineatur. Unde concludi non temere potest, Orientales quamvis Invocationem secundum simplicem verborum sonum intelligant, non tamen, quod vulgo viris doctis alii suaserunt, eam aut omnino necessariam, aut solam effectricem consecrationis agnoscere, quod alibi accuratius exposuimus. Verum id singulariter hac in formula observandum est, quod sola inter tam multas alias haec verba repraesentet, *transmutante ea te, et sanctificante per operationem Spiritus sancti:* μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ, quae leguntur in Graeca Liturgia Chrysostomi. Statim vero notandum est, Syros illud verbum μεταβαλὼν, quod praeteriti significatione recentiores multi intelligendum esse contendunt, aliter accepisse, cum per participium expresserint, ea particula determinatum, quae praesentis temporis characteristica est: Aoristos porro Syriaca lingua ignorat. Insigne quoque nec dubium haec formula continet antiquitatis istius Liturgiae, simulque originis ejusdem indicium. Nam μεταβαλὼν in sola Chrysostomi Liturgia legitur: ea autem erat Constantinopolitanae Ecclesiae quam Nestorius obtinuerat, propria. Non inaniter igitur ejus nomine Liturgia designatur, quae certum et singularem habet Ecclesiae cui Episcopus ordinatus fuerat characterem, qui si ab eo scriptam illam esse non plane demonstrat; tamen a primis ejus discipulis qui Constantinopoli fugerant, conservatum fuisse verisimile omnino est, unde confirmatur Liturgiae illius antiquitas. Eam tamen duas alias non superare inde constat, quod illae, prima praesertim quae Apostolorum dicitur, in quotidianis Officiis usurpantur; altera certis tantum diebus: unde vetustiorem primam esse apparet, cum ut mox dictum est usus quotidianus nota sit antiquitatis certissima.

Ex illa autem particula Invocationis Spiritus sancti, firmissimum ducitur adversus Protestantes argumentum de fide Nestorianorum circa veram realemque transmutationem elementorum in corpus Christi et sanguinem. Quippe Syriaca vox veram transformationem significat: fieri autem illam agnoscunt per Spiritum sanctum: hoc est divinitus et summo miraculo; non ut in fideles adveniens, faciat, ut convertant per fidem elementa in corpus et sanguinem Christi, adeo ut medium, quod vulgo Protestantes dicunt, quo accipiuntur, fides sit: sed ut ipse Spiritus sanctus afficiat dona proposita atque illa transmutet, ut aliud fiant quam quod videntur; et quod prius fuerant. Illa vero miraculi plena operatio accurate in eadem oratione distinguitur, ab altera gratia quam Ecclesia postulat, quae est ut Eucharistia, *sit omnibus accipientibus ad vitam aeternam, etc.* adeo ut vel inde manifestum sit Bessarionem, Arcudium et reliquos, qui ad fructum ex susceptione Sacramenti percipiendum, totam Invocationis sententiam referri volunt, testimonio Nestorianorum, qui hac in parte haeretici non sunt, prorsus refelli.

Benedictiones quae sequuntur, et quibus Liturgia concludi solet in plerisque MSS. codicibus, tertiae huic Liturgiae subjiciuntur; illarum praecipuas reperimus ad calcem Missae Christianorum apud Indos sive Malabaricae, quam solam Lusitani Latine ediderunt. Sed non magis ad unam, quam ad alias pertinet: cum in hoc Ritu, ut in Syriacis et Copticis, plures similes benedictiones occurrant, non tamen omnes dicendae, sed seligendae ad Sacerdotis arbitrium.

ERRATA.

Pag. 6, l. 13: *Ephraemitica*, lege *Ephremitica*. Pag. 9, l. 17: *Ephraemiticum*, lege *Ephremiticum*. Pag. 60, l. 1: *suam*, lege *suas*. Pag. 61. l. 39: *repondeat*, lege *respondeat*. Pag. 64, Margin.: *ale*, lege *sale*. Pag. 128, l. 30: *es*, lege *est*. Pag. 263, l. 34: *domine*, lege *Domine*. Pag. 265, l. 20: *miserircodiam*, lege *misericordiam*. Pag. 318, l. 1: *speciamur*, lege *speciantur*. Pag. 375, l. 19: *Elevat*, lege *Elevans*.

INDEX

RERUM, QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

R.

S.

T.

V.

X.

Renaudot, Eusèbe
Liturgiarum
orientalium collectio.

